

81
82
83
84
85
86
87

Sea Bay

1
2
3
4
5
6
7
8
9
10
11
12
13
14
15
16
17
18
19
20
21
22
23
24
25
26
27
28
29
30
31
32
33
34

88

3

22-24

81
A
83
782
87

Gay

8

3

22-24

R. P.
ANTONII MAYR
SOCIETATIS JESU
THEOLOGIA
SCHOLASTICA.



R.2245

3.3.3.3.

THEOLOGIA
SCHOLASTICA
TRACTATUS OMNES
IN UNIVERSITATIBUS

PROVINCIAE GERMANIAE SUPERIORIS
SOCIETATIS JESU TRADI SOLITOS
ET

QUAESTIONES IN IIS PRAESCRIP-
TAS
COMPLEXA.

AUTHORE


R. P. ANTONIO MAYR SOC. JESU
SS. THEOLOGIAE DOCTORE, EJUSQUE
ANTEHAC IN UNIVERSITATE FRIBURGENSEI,
ET INGOLSTADIENSI,

PROFESSORE ORDINARIO, NUNC STUDIORUM PRAEFECTO

Del Colegio de San Pablo **TOMUS II.** *de la Comp. de Sto de Granada.*

CONTINENS
TRACTATUS DE JUSTITIA, INCARNATIO-
NE, SACRAMENTIS IN GENERE, SS. EVCHARISTIA
ET POENITENTIA

Cum Privilegio Sacrae Caesareae Majestatis, & Facultate Superiorum.



INGOLSTADII

Sumptibus JOANNIS ANDREAE de la HAYE, Bibliopolae Acad.

Typis Godefridi Zipper, Typogr. Acad.
ANNO MDC CXXXII.



LECTOR BENEVOLE.



Ursum Theologicum tibi offero, omnes eas quaestiones complexum, quæ intra quadriennium, à duobus Theologiæ Scholasticæ Professoribus, in Universitatibus Provinciæ Germaniæ Superioris Societatis JESU, ex præscripto solent exponi: tum, ut pateat omnibus, quibus de rebus præcipuè Auditores nostri edoceantur, nec quisquam existimet, superfluum tantum subtilitatibus, tempus inutiliter teri: tum præsertim, ut illi qui ad literarios gradus Sacræ Facultatis aspirant, quaestiones omnes, quæ in Elencho, pro Theologicis examinibus constructo, continentur, scholasticè examinatas, & assertionibus statutis determinatas inveniant, addita etiam istarum ab objectionibus fatuosa vindicatione: quod speratur futurum non modico Candidatis illis subsidio, & laboris, ac temporis compendio. Adjunctæ quoque sunt nonnullæ aliæ quaestiones, etiam recentiores, et præsertim, quæ Janfenii errores, & pertinaciam quorundam in acceptanda celebri Bulla Clementis XI. *Unigenitus* concernunt. Cæterum conatus sum (utinam etiam assecutus!) studere ubique, quantum in tam subtili, & sublimi materia licuit, claritati: quin tamen propterea difficultates diffimularem. Insuper non levi operam in eo posui, ut Authorum, quas vocant, citationes, essent fideles; certè diligentiam magnam, omnes SS. Patres, quorum affero textus, ipse inspexi, & verba ex fonte hausi: circa quod tamen monendum, quòd, etsi Græcorum Patrum versiones quoad sensum concordent, non tamen omnes quoad verba semper consentiant; unde, si fortè vox quædam alia apud alium interpretem occurrat, non statim textus, quasi malè, aut oscitanter citatus, est rejiciendus. Pariter omnes Authores, quorum non tantum nudum nomen, sed, aut verba, aut locum adduco, à me diligenter inspectos, aut lectos, fidenter asserere possum: quo labore meo, si tibi allubet, frui, & vale.

FACULTAS
R. P. PROVINCIALIS
CUM
PRIVILEGIO CÆSAREO.



Go Magnus Amman Societatis JESU, per Superiorem Germaniam Præpositus Provincialis, facta mihi potestate ab Admodum Reverendo Patre Nostro Francisco Rez, Societatis Universalis Præposito Generali, Theologiam Scholasticam à P. Antonio Mayr, Societatis nostræ Sacerdote, SS. Theologiæ Doctore, & Professore emerito, conscriptam, à Deputatis ejusdem Societatis Patribus lectam, probatamque, typis in lucem edi permitto, & Domino Joanni Andrea de la Haye Bibliothecario Academico Ingolstadiensi jus concedo, usurpandi Privilegii Cæsarei, quo Typographis, ac Bibliopolis omnibus, adimitur copia, vulgatos à Societatis JESU Patribus libros, absque Superiorum, Authorumque consensu, in eadem, vel diversa lingua excudendi, vel intra Sacri Romani Imperii, & Provinciarum S. C. Majestati hereditario jure subjectarum, fines importandi. Facultatem hanc, de una tantum impressione intellectam, manu mea, & solito officii sigillo firmavi. Roma 10. Februarii 1731.

L. S. MAGNUS AMMAN
Soc. JESU.

APPROBATIO
FACULTATIS THEOLOGICÆ
INGOLSTADIENSIS.

Opus hoc Theologicum, Tractatus omnes, in Scholis nostris Theologicis explicari solitos, non minus clarissima brevitate, quam mirâ soliditate complectens, à pluribus SS. Theologiæ Doctoribus accuratè lectum, & approbatum, non modo in morum, ac fidei Orthodoxæ regulas offendit nusquam, sed ob doctrinam insuper abundantissimam, ac fundatissimam, cum claritate perspicua, & eruditione amplissimâ conjunctam, omnino dignissimum est, ut ad insigne literati orbis emolumentum simul, ac ornamentum, in lucem publicam prodeat. Ita censeo

FRANCISCUS HALDEN S. J.
SS. Theol. Doct. ejusque Profess. Ordinar. p. t. Sacra Facult. Decanus.

TRACTATUS
THEOLOGICUS

In Secundam Secundæ
DIVI THOMÆ AQUINATIS.
DE JURE, ET JUSTITIA.



Post tractatum de virtutibus Theologicis agendum esset de virtutibus moralibus, aut saltem de quatuor cardinalibus: at quia omnibus explicandis tempus minimè sufficit, ommissis aliis, de sola justitia communiter agere solent Societatis nostræ Theologi; eoquod doctrina de hac virtute magis necessaria sit, utpote cujus usus, tum in sacro tribunali, tum in occasionibus aliis, frequentissimus est. Eorum exemplum etiam nos sequemur. Agit autem Angelicus de virtute justitiæ in 2. 2. à q. 57. per plures quæstiones. Nos tractatum hunc quatuor disputationibus complectemur, quarum prima brevissima aget de jure, & justitia in genere: secunda de dominio: tertia de modis acquirendi dominium: quarta de injuria, & ejus compensatione, seu restitutione. Sit igitur

DISPUTATIO I.

De Jure, & Justitia in genere.

2. **U**T clarè explanationem juris, ac justitiæ, quantum ad Theologos spectat, prosequamur, ab universalibus faciendum initium: & principio de jure, ac justitia in genere, agendum; postea enim licebit ad magis particularia descendere, quando generalia principia priùs rite fuerint tradita. Itaque hac perbrevis disputatione duo præstabimus: scilicet in prima quæstione juris definitionem cum suis divisionibus exponemus: in altera verò justitiam definiemus, ac varia ejus attributa, potissimum speculativa, paucis trademus.

QUÆSTIO I.

De Jure.

ARTICULUS I.

Quid sit Jus, & Quotuplex.

3. **J**us variè sumitur: & primò quidem per hoc nomen significatur lex, quo casu eodem modo divi
R. P. Ant. Mayr. Theol. Tom. II.

ditur, ac lex, scilicet in *jus naturale*, & *positivum*, *Divinum*, & *humanum*, *jus gentium*, *jus canonicum*, *civile*, *publicum*, *privatum*, *cæsareum*, *regium* &c. Jam *Jus naturale*, simpliciter dictum, est, quod unà cum natura rationali nobis est congenitum, de quo intelligitur illud *psal. 4. v. 7. Signatum est super nos lumen vultus tui Domine*. Istud ab homine omnino indispensabile est, & verosimilius etiam à DEO, saltem directè, de quo aliqua diximus in *tr. de virt. Theol. n. 61*. Quando autem Juristæ dicunt, *jus naturale esse*, in quo homines, & animalia bruta conveniunt, metaphoricè tantum loquantur; neque enim brutis propriè est jus, aut lex; quia hæc dantur solis rationalibus, & liberis: instinctus autem ille necessarius, qui in hominibus, & bestiis datur, non est lex, ut advertit Suarez *de legibus l. 1. c. 3. n. 8*. Dein non convenimus cum brutis in lege naturali colendi DEUM &c.

Jus positivum sunt leges, quæ non necessario naturæ congenitæ sunt, sed liberè à legislatore quocunque, potestatem habente, positæ. *Jus gentium* est, quod receptum est ab omnibus gentibus: vel, ut alii dicunt, à ferè omnibus gentibus; quia aliquæ gentes tam barbaræ sunt, ut leges, juris gentium dictas, non videantur agnoscere. Estque hoc jus gentium quasi medium inter jus naturale, & positivum; nam non quidem est congenitum naturæ: sed tamen est moralis necessitas, respectu omnium hominum, ut istud jus statuatur, e. g. ut res omnes non sint communes, sed aliqui habeant proprium: ut legati ultrò, citroque sint securi: qua ratione accedit ad jus naturale: à quo tamen differt per hoc, quòd statuatur liberè à legislatore: & quoad hoc convenit cum *jure positivo*: à quo tamen etiam iterum differt; quia ad jus positivum statuendum, non datur illa moralis necessitas, saltem non ad eò communis omnibus gentibus.

Jam *Jus positivum Divinum* est, quod est à DEO conditum. *Jus humanum* autem, quod ab homine statutum est: & quidem, si est à Laico statutum, dicitur *Civile*: si verò à Pontificibus, vel Conciliis conditum, dicitur *Canonicum*: quæ tamen duo jura etiam differunt ex fine; nam jus civile intendit per se salutem civium temporalem, & pro diversitate auctorum dicitur
Impe-

Imperatorium, Regium &c. Jus canonicum autem dirigit proximè ad cultum Divinum: & ultimatò ad æternam fidelium beatitudinem.

4. Secundò dicitur *jus* etiam *scientia legum*: & in hoc sensu vocantur quidam Juris studiosi, Doctores, & Professores: ipsa autem *Jurisprudentia* dicitur *ars equi, & boni*. Tertio intelligitur per *jus* aliquando *locus judicii*: sic dicitur quis *in jus vocari, citari, vel comparere in jure*. Quarto intelligitur *sententia judicis*, qui dicitur *jus dicere*. Quintò dicitur *jus id*, quod est *justum latè sumptum*, prout hoc significat omne honestum, ac legitimum: & sic homines virtuosè dicuntur justè. Sextò *jus* dicitur *facultas legitima*, seu *potestas in subditos*: & vocatur *jus jurisdictionis*. Septimò *jus* dicitur *facultas*, seu *potestas in aliquam rem suam*: & vocatur *jus proprietatis*: atque in hac ultima acceptione maximè loquitur noster tractatus; agimus enim potissimùm, & per se, de jure proprietatis: quanquam ex occasione etiam sit agendum de aliis. Huic autem facultati, quæ dicitur *jus activum*, correspondet in aliis debitum non impediendi alterum in usu juris sui, quod dicitur *jus passivum*. Aliæ quædam divisiones, quæ huc aliquo modo spectarent, convenientiùs exponuntur quæstione sequenti, quando agemus de virtute justitiæ, ejusque divisionibus.

5. Dico. *Jus proprietatis* rectè definitur *potestas legitima voluntariè obligandi alios ad actionem, vel omissionem actionis in bonum proprium*. ita recentiores satis communiter, saltem quoad sensum, si non quoad omnia verba. Prob. conclusio. Definitio hæc est clarior suo definito, & convenit omni, & soli: ergo est bona; nec enim refert, quòd non omnes minutias logicas observet. ant. patebit ex solutione objectionum. Explicatur ulterius conclusio.

Dicitur primò *potestas legitima*, hoc est, legibus conformis; nam difformis, & illegitima potestas, vis dicenda est, non *jus*. Secundò dicitur *voluntariè obligandi alios*: per quæ distinguitur *jus proprietatis* à titulo, vel objecto pietatis, religionis &c. nam obligatio justitiæ est voluntaria, seu dependens à voluntate obligantis, ita, ut hic, saltem in plurimis casibus, possit liberè cedere jure suo, ita, ut ei non fiat injuria, si jure cedat: de quo inferius plura. At verò obligatio pietatis, & aliarum virtutum, distinctarum à justitia, non est ita voluntaria; cum, etsi e. g. pater velit deobligare filium, hic tamen ex pietate semper teneatur ad officia filii, aut obsequia patri exhibenda: vel etiam obligatio e. g. pietatis non se tenet ex parte voluntatis patris, ita, ut hic vi tituli pietatis possit obligare filium: sed filius independentè à voluntate patris jam est obligatus.

Tertio dicitur *ad actionem, vel omissionem actionis*; quia, licet jura ultimatò etiam respiciant res, tamen, quia homines,

qui sunt obligati, ut non agant contra jus alterius, vel, ut aliquid faciant ex jure alterius, si contra hanc obligationem aliquid faciunt, id immediatè faciunt per actiones, vel omissiones actionum, hinc rectè jus dicitur obligare ad actiones aliquas, vel omissiones debitas ponendas, & juri contrarias non ponendas. Tandem dicitur *in bonum proprium*, per quæ verba distinguitur *jus proprietatis* à jure jurisdictionis; nam jurisdictionis principaliter ordinatur in bonum subditorum; non enim potest fieri lex, aut præceptum, nisi in bonum subditorum, aut communitatis, ut omnes docent cum S. Thoma 1. 2. q. 90. art. 2. & tyranni dicuntur, qui leges ferendo sua tantum commoda spectant. Econtra *jus proprietatis* obligat alios, non in bonum ipsorum, sed saltem per se, & principaliter, in bonum, jus habentis.

6. *Jus proprietatis* dividitur à quibusdam in *publicum, & privatum, seu altum, & bassum*. Primum, seu *publicum*, aut *altum* est, quod competit communitati, vel principi, & juxta Gormaz respicit utilitatem publicam: sed sub hac ratione non videtur distingui à jure jurisdictionis. Potest tamen utique superior, vel communitas habere *jus proprietatis* in aliqua re strictè tale; ut enim privati, ita & communitas, potest habere legitimam potestatem obligandi alios: quod *jus* fortè tantum dicitur *bassum*, quatenus communitas in eo casu consideratur ut particularis persona. Quando autem ex jure alto respública utitur bonis privatorum, (quia scilicet in quibusdam casibus id ad bonum communitatis necesse est) tunc ille usus fortè reducitur ad justitiam legalem. *Jus privatum, seu bassum*, est *jus proprietatis*, quod competit particularibus, seu privatis personis: & suo modo subjectum est juri alto, tanquam inferius; unde etiam *bassum* dicitur.

7. Dividitur ulterius *jus proprietatis* in *reale, seu in re, & personale, seu ad rem*. Primum, seu *reale* datur, quando res ipsa alicui devincta est, & parit actionem, e. g. quando emi equum, isque pretio soluto, mihi traditus est, habeo *jus* in ipso equo, & hic ita mihi devinctus est, ut, ubicunque sit equus, eum mihi vindicare, & repetere possim. At verò, si equus necdum mihi traditus sit, non habeo *jus* in equo, sed tantum in persona vendentis, & ad equum, sive ad exigendum, ut mihi tradatur equus; unde, si equus denuo alteri venditus sit, etque traditus, non possum ab altero emptore repetere equum, nec eum accusare: sed tantum possum accusare venditorem, & contra ejus personam actionem instituere, qua petam, ut mihi tradat equum, vel tantum det, quantum meâ interrui, equum mihi tradi. Quando autem acquiratur *jus* in re, quando *jus* ad rem, dicemus infra, ubi de modis acquirendi dominium.

Haunoldus cum aliquibus recentioribus

bus addit *jus mixtum*, ex quo nascatur actio mixta, hoc est, actio, partim realis, partim personalis: talèque ait esse *Familie eriscunde. Cod. Communia utriusque judicij*. per quam hæres à cohærede petit divisionem bonorum communium, simulque præstationes personales, ratione lucri interea cessantis, vel damni emergentis. Res non est magni momenti. Antiquiores, qui hanc divisionem non agnoscunt, duas in hoc casu actiones adstruunt, realem unam, personalem alteram: quales etiam darentur, si quis vestem furatus, eam usi derivisset.

8. Est autem *Actio*, prout hic sumitur quasi in actu primo, *jus prosequendi in judicio, quod sibi debetur*: si autem sumatur in actu secundo, est ipsa *actualis prosecutio juris sui coram judice*. Jam *actio* alia est *realis*, alia *personalis*. illa vocatur *vindicatio*, hæc *condictio*. Actionis realis species sunt primò. *Vindicatio* specialiter accepta, qua læsus rem corporalem repetit. *Actio confessoria*, quæ instituitur ad servitutes vindicandas. *Actio negatoria* ad obtinendam immunitatem à servitute. *Actio publiciana* ad repetendam possessionem rei, bona fide possideri cæptæ. *Actio rescissoria* ad repetendam rem, rescissa præscriptione alterius, ob absentiam actoris. *Actio Pauliana*, quæ datur creditoribus, pro rebus in fraudem ipsorum abalienatis. *Actio serviana*, qua dominus directus petit res à conductore, vel colono, in prædium locatum illatas, sibi pro pensione, & assecuratione tacitè obligatas. *Actio quasi serviana*, seu *hypothecaria*, qua creditor pignus, & hypothecam repetit. Actiones personales sunt plures: sed hæc, & plura alia potius ad Juristas spectant.

ARTICULUS II.

Solvuntur Objectiones.

9. Ob. 1. Sæpe quis habet *jus proprietatis* ad illicita, & peccaminosa: ergo *jus* non est potestas legitima. conf. prob. lex non potest dare facultatem agendi aliquid, quod est malum, & lege alia prohibicum: ergo. ant. etiam patet ex variis exemplis. sic prodigus validè alienat bona, licet malè, & illicitè: qui habet votum simplex castitatis, validè contrahit matrimonium, sed illicitè: imò juxta Sanchez de matrimonio l. 9. disp. 6. n. 7. & plurimos alios, talis jure exigit debitum conjugale, quamvis illicitè: ergo. Resp. conc. ant. neg. conf. ad prob. dist. ant. lex non potest dare facultatem, agendi aliquid malum licitè. conc. ant. non potest dare facultatem, agendi aliquid malum validè. neg. ant. & conf. Lex, à qua, ut infra dicemus, *jus proprietatis* creatum derivatur, potest diversimodè dare potestatem agendi, scilicet, ut vel actum reddat simul validum, & licitum, e. g. venditionem equi justam; vel,

ut reddat actum tantum validum, non verò licitum, e. g. usum prodigum bonorum propriorum.

Nec in hoc casu lex una est opposita alteri; nam lex tribuens *jus*, non approbat illum actum, tanquam licitum, sed tantum permittit: econtra lex prohibens prodigalitatem, non invalidat illum actum, sed tantum tanquam illicitum prohibet. Si tamen ponas casum, quo detur lex, non tantum reddens illicitum, sed etiam invalidum aliquem actum, tunc aliquando tollitur etiam *jus* ad illum: aliquando verò tantum ligatur *jus* illud quoad usum, ut ex dicendis de dominio patebit.

10. Si urgeas, omnem actum illicitum esse contra *jus proprietatis DEI*, ut quidam docent: adeoque neminem habere unquam potestatem legitimam, ad actionem peccaminosam. Resp. nos, hic & nunc, per potestatem legitimam tantum intelligere eam, qua quis potest obligare homines, ne se impediatur &c. non verò, qua quis potest obligare DEUM; unde, licet non detur potestas legitima respectu DEI, datur tamen respectu hominum: & DEUS, qui non dat homini potestatem obligandi se, dat tamen ei potestatem obligandi alios homines, ne ipsum impediatur ab aliqua, etiam illicita actione, quam DEUS non quidem approbat, sed tamen permittit. Ex quo ulterius sequitur, juxta hanc opinionem omnem actum, à jure procedentem, esse quidem justum negativè, seu non injustum respectu hominum: esse tamen injustum respectu DEI, si scilicet sic validus quidem, sed simul illicitus.

11. Ob. 2. Infantes, amentes, dormientes, & ebrii, non habent voluntatem, saltem liberam, qualis hic intelligitur, consequenter non possunt alios voluntariè obligare: & tamen habent *jus proprietatis*: ergo hoc *jus* malè dicitur potestas voluntariè obligandi. Confir. 1. Aliqui, etsi remittant *jus*, tamen ipsis fit injuria, ut pupillo, cum quo etiam volente, initus contractus est nullus: item clerico, percussione liberenter patienti: rursus marito, quo licet contentiente, tamen quis adulterium committeret cum ejus uxore: ergo non est voluntaria obligatio. Confir. 2. Benefactor, dum voluntariè confert beneficium, voluntariè obligat ad gratitudinem: ergo juxta nos *jus gratitudinis* esset *jus proprietatis*, quod est falsum.

Resp. dist. ant. Infantes &c. non habent voluntatem, seu volitionem actualem, & physicè existentem. conc. ant. non habent voluntatem habitualiter, aut moraliter, vel interpretativè existentem. neg. ant. & conf. In dormientibus, & ebriis, datur voluntas habitualiter perseverans: hoc est, voluntas priùs existit, nec fuit retractata: in amentibus autem, & infantibus, datur voluntas moraliter, vel interpretativè talis, quatenus in æstimatione hominum volitio parentum, aut tutorum, est moraliter volitio eorum, quorum curam habent, eo aliquo modo,

do, quo voluntas Adami fuit voluntas totius generis humani.

12. Ad 1. confir. Responsio dependet ab eo, an volenti fiat injuria, de qua quæstione alibi agendum. Quidam dicunt, in tali casu, non fieri ipsis his personis injuriam, sed vel eorum statui, vel reipublicæ. Alii dicunt, istos non posse efficaciter renuntiare suo juri. Interim dist. ant. fit injuria ipsis, si efficaciter renuntiant juri. neg. ant. si tantum ineffaciter. conc. ant. & neg. conf. Ad 2. confir. neg. ant. Benefactor non obligat; quia nulla fit ei propriè dicta injuria, si nihil ei rependatur: nec habet jus propriè dictum, exigendi aliquid à beneficiis affecto: nec datur ei actio contra ingratum tantum negativè. Unde obligatio gratitudinis non provenit, ex titulo, residente in benefactore, sed ex titulo honestatis existentis, in beneficia recipiente, ea ferme ratione, qua inferius n. 24. loquemur de casu, quo quis vovit, confessario obedire. Accedit, hanc obligationem benefactori voluntariam non esse; quia, quantum magis benefactor remittere vult obligationem recipientis favores, eò magis hic obligatur ex gratitudine, ob majorem benignitatem, & benevolentiam benefactoris.

13. Ob. 3. Vel voluntas obligandi debet esse libera, vel sufficit necessaria: neutrum potest dici: ergo prob. 1. p. mi. non debet voluntas esse libera; quia DEUS habet strictissimum jus, ne injuriâ afficiatur, blasphemetur &c. nec tamen potest, se abdicare hoc jure: nec liberè tantum, sed necessariò nos obligat ad non blasphemandum &c. rursus infantes, & alii non habent voluntatem liberam: ergo voluntas non debet esse libera. Prob. 2. p. mi. non sufficit voluntas necessaria; quia finis juris est, ut cuique suos intra limites servetur libertas, & pax mutua: atqui ad hunc finem non sufficit obligatio necessaria: ergo. Confir. Nemo censetur plus juris habere, quam liberè habere velit; beneficium enim legis non confertur invitis, vel non liberè acceptantibus: ergo non sufficit voluntas necessaria.

14. Resp. neg. mi. & dico, aliquando sufficere voluntatem etiam necessariam, quamvis sapissimè requiratur voluntas libera, saltem mediâtè, moraliter, & interpretativè talis. ad prob. 1. membri potest responderi, in primis, quantum attinet ad DEUM, quòd is habeat saltem aliquo modo mediâtam libertatem ad obligandos homines, ne blasphemetur; si enim eos non conderet, vel negaret eis actum primum proximum ad blasphemiam, eos propriè non posset obligare ad eam omittendam; nam ad quid daret præceptum incapacibus transgressionis? supposito autem, quòd homines condiderit, & velit permittere actum primum proximum ad blasphemiam, necessariò debet istam prohibere. Quòd attinet ad infantes, etiam isti habent saltem interpretativè liberam voluntatem, ut dictum n. 11.

Sed, etsi DEUS, ac infantes, necessariò

obligarent alios, sufficeret voluntas necessaria; nam ad prob. secundi membri Resp. neg. mi. licet enim quis necessariò in aliquo casu obliget, ad servandam sibi indemnem libertatem, tamen servatur ejus libertas, & pax mutua. Ad confir. neg. ant. & ad rationem additam dico, quòd beneficium legis, etsi non omnibus invitis, aut non acceptantibus, conferatur, conferri tamen possit, & etiam in quibusdam casibus actu conferatur ijs, qui necessariò illud acceptant; quia liberè non possunt. Nisi velis dicere, omnes homines illud interpretativè liberè acceptare per voluntatem eorum, qui curam ipsorum, aut reipublicæ habent. Quamvis autem DEUS non ita acceptare possit jus, minimè refert; quia is jus non habet à lege tali inferiore, sed à sua essentia.

15. Ob. 4. Creatura habet jus proprietatis contra DEUM, & tamen non potest DEUM obligare (hoc enim est gravare: quòd creatura non potest facere respectu DEI) ergo jus non est potestas obligandi alterum. Confir. Datur actus justitiæ supererogatorius, e. g. potest quis ex honestate justitiæ bis solvere idem debitum, ut multis contendit Lugo de justit. disp. 1. sec. 1. a. n. 22. & Haunoldus de jure & justit. tom. 1. tract. 2. à n. 81. potest etiam aliquis solvere pretium summum, quando contentus esset mercator infimo: potest dare equum meliorem, quando sufficeret communis: atqui non datur potestas obligans ad secundam solutionem &c. ergo actus justitiæ supererogatorius non respicit semper potestatem obligandi.

Resp. om. 1. p. ant. neg. conf. Si creatura habet jus contra DEUM, tunc talis est secunda pars antec. debet enim tunc creatura posse, DEUM aliquo modo obligare, non quidem potestate coactiva (qua sæpe nequit etiam homo alterum potentiorum obligare) sed potestate saltem aliqua determinativa, determinando scilicet DEUM, per suam actionem, quasi per positam conditionem, ut faciat, quòd sub ea conditione promittit. Ad confir. om. totum, sicut enim non possum te obligare ad secundam solutionem, vel majorem solutionem, sic nec habeo jus proprietatis de præsentì ad eam solutionem: actus tamen ille commentatur juri, quòd habeo, vel certè habui, id quòd citati auctores judicant sufficere ad talem actum justitiæ: quibus tamen contradicunt Turrianus Pallavicinus, & alii. Quidquid sit de hoc: actus tales saltem respiciunt jus: vel præsens, vel præteritum: vel absolute existens, vel conditionatè existens: & volunt obligationi satisfacere, si ei necdum sit satisfactum; seu si debitum necdum sit solutum. Vel actus tales respicient simul aliud objectum, propter quòd etiam spectare possunt ad aliam virtutem; quamvis simul spectent, saltem reductivè, ad justitiam: suntque saltem affectivè, si non effectivè justitiam.

16. Ob. 5. Potest Paulus obligare Petrum in commodum non suum Pauli, sed in

in commodum Petri: e. g. si repetat à Petro gladium, quo aliàs iste furiosus sibi ipsi noceret: ergo jus non debet obligare in commodum obligantis. Confir. DEUS nos obligat, non in commodum suum (nam utilitatis recipiendæ est incapax) sed nostrum: & tamen habet jus proprietatis: ergo. Resp. dist. conf. jus non debet in actu secundo ita obligare. om. conf. non debet in actu primo id posse. neg. conf. Qui habet jus, potest eo uti, ad fines sibi, vel aliis utiles, pro libitu: at debet saltem posse re uti ad suam utilitatem, si velit, licet semper actu non ita utatur: sicut etiam, qui liberaliter donat ex jure suo aliquid alteri, non quaerit suam utilitatem, etsi istam ex ipsa hac re quaerere potuisset, eam vendendo. Dici fors etiam potest, hanc ipsam potestatem exercendi libertatem suam, imò ipsum exercitium, esse in commodum obligantis. Ad confir. dist. ant. DEUS non obligat nos in suum commodum intrinsecum. conc. ant. in suum commodum extrinsecum. neg. ant. & conf. obsequia enim nostra DEO utilia sunt, ad plures ejus fines extrinsecos.

17. Ob. 6. Definitio data convenit etiam juri, seu potestati jurisdictionis: ergo non convenit soli. prob. ant. sæpe superior, dum aliquid imperat, obligat ad aliquid in commodum, seu utilitatem suam: ergo. Confir. Qui impedit superiorem à jurisdictione, facit ei injuriam: ergo jurisdictione debet esse in bonum superioris. Resp. neg. ant. ad prob. dist. ant. ita ut commodum superioris sit ratio sufficiens obligandi. neg. ant. ita, ut concurrere debeat, & quidem tanquam motivum principale, bonum subditorum. conc. ant. & neg. conf.

Notandum tamen, aliquando principes, vel superiores, à subditis aliqua exigere, non ex potestate jurisdictionis, sed ex jure proprietatis: quæ scilicet illis debentur ex contractu, vel quasi contractu cum subditis, pro suo labore, & onere gubernandi &c. sed hæc non veniunt ad rem nostram. Ad confir. neg. conf. Ipsa potestas imperandi, seu officium superioris, est aliquid proprium superiori: & in hoc habet jus proprietatis reflexum; unde, qui hoc officium ei eripit, utique ei facit injuriam: ex quo tamen non sequitur, quòd ipse usus, seu exercitium sui officij, sive ipsa lex, aut præceptum, ab eo ponendum, intendatur per se, & principaliter in bonum superioris.

18. Urgebis. Is, qui resistit superiori imperanti, facit ei injuriam: ergo nulla solutio. Resp. dist. ant. qui resistit superiori, hoc est, ei non obedit. neg. ant. qui resistit, hoc est, eum impedit, ne possit legem ferre, vel cogit, justè latam abrogare. conc. ant. & neg. conf. Prior non facit injuriam, sed committit inobedientiam: posterior nititur, superiori spoliare, quantum est in se, jurisdictione, & consequenter agit contra jus proprietatis, quòd superior habet in jurisdictionem, tanquam in rem suam. Alii ajunt, jurisdictionem esse jus proprietatis passivum, non verò jus pro-

prietatis activum: hoc est, esse rem, circa quam datur jus proprietatis reflexum: non verò ipsam jurisdictionem esse aliquod jus proprietatis, cujus exercitium sit intentum per se in bonum superioris.

19. Ob. 7. Qui alium per fraudem, & mendacium, impedit, ne beneficium, vel hæreditatem mihi conferat, facit mihi injuriam, quamvis non habeam legitimam potestatem, obligandi collatorem ad dandum mihi beneficium: ergo potestas ista non requiritur ad jus proprietatis. prob. conf. quando datur injuria, debet dari jus proprietatis: sed datur injuria sine illa potestate: ergo etiam datur jus proprietatis sine eadem potestate. Confir. Canonicus, præ aliis dignus insulâ, habet potestatem legitimam obligandi alios, ad se eligendum: sed non habet propriè jus ad eam electionem: ergo potest dari ea potestas sine jure proprietatis, adeoque non sunt idem. Resp. conc. ant. neg. conf. ad prob. neg. mi. Duo hic distinguenda sunt: aliud est, me habere jus ad beneficium, vel hæreditatem: aliud est, me habere jus ad hoc, ne quis me per fraudem, & calumniam, impediatur à beneficio, aut à spe justè concepta deiciatur; unde injuria in hoc casu non fiat, in ipsa ablatione beneficij, vel hæreditatis, ad quæ jus non habeo: sed in infamatione noxia, quæ spem justè conceptam frustratur, adeoque mihi damnum infert. Quare in tali casu debet fieri restitutio, non pro hæreditate, vel beneficio: sed pro æstimatione spei, quam habui ad beneficium, vel hæreditatem: quæ spes aliquando potest, ferme, vel omnino tanti valere, quanti valet ipsa hæreditas, si scilicet spes certa omnino fuit. Ad confir. Resp. si vera est major, tunc falsa est minor, & consequentia.

Dices. Ergo talis Canonicus habet jus ad petendam restitutionem, vel compensationem, si non eligatur. Resp. si verè habuit potestatem ex jure proprietatis, obligandi alios ad se eligendum, tunc verum est illatum: si autem tantum habuit jus ex justitia legali, vel distributiva; an etiam tunc possit petere restitutionem, est alia quæstio, quæ huc non spectat: sicut & alia quæstio est, an jus, quòd respicit justitia legalis, vel distributiva, sit strictè jus, aut potestas strictè alios obligandi.

20. Ob. 8. Potest superior aliquando legitime impedire, ne utaris tua re, e. g. equo, quando ob bonum publicum eo utitur ad vecturas publicas: imò potest etiam, eum ob bellum ingruens dare militi &c. ergo jus proprietatis non est potestas obligandi alios, ad omissionem actionis circa rem tuam. Confir. Jus ad rem non est talis potestas: ergo. prob. ant. si quis equum à me emptum, sed nondum mihi traditum, iterum emat, & traditum accipiat, non possum eum obligare, ad omittendam abductionem equi: ergo. Resp. neg. conf. Aliud est jus, aliud usus juris: potest autem utique superior, ex jure alto ob bonum publicum, impedire justè usum juris privati: & tunc etiam manet apud privatum jus, sed

sed ligatum: sicut apud eum, cui ligantur pedes, manet potestas ambulandi, sed ligata.

Potest etiam idem superior, iustis de causis, e. g. in pœnam delicti, vel ob necessitatem communem, spoliare aliquem aliquo jure, ut sit, si equus tuus detur militi: & tunc, sicut non manet potestas obligandi alios, ita nec manet jus. Ad confirm. neg. ant. ad prob. neg. conf. Jus illud, quod ego prima emptione acquisivi, non est jus in re, seu equo, sed in persona venditoris: estque jus non perfectum, ut vi illius possim de persona venditoris liberè disponere: sed est tantum jus imperfectum, vi cuius possim venditorem obligare, ad aliquam actionem, scilicet ad traditionem equi, vel ad aliquam omissionem, scilicet secundæ venditionis, vel, si hæc facta est, ad compensationem damni, inde mihi emergentis.

21. Ob. 9. Pater sæpe, dum præcipit filio, non ordinat imperium in bonum filii, sed suum: ergo etiam alia obligatio, præter obligationem juris proprietatis, potest esse in bonum obligantis. Confr. 1. Pater in casu extremæ, vel gravissimæ necessitatis, potest filium non emancipatum vendere, ut colligitur ex *Exodi 21. v. 7. & Cod. de Patribus, qui filios suos distraxerunt*: ergo habet facultatem obligandi filium in bonum suum: atqui non habet jus proprietatis in filium: ergo. Confr. 2. Idem pater egenus potest à filio exigere alimenta, quæ non cedunt in bonum filii: & tamen non habet jus proprietatis ad alimenta: ergo datur potestas alicui obligandi, ad aliquid dandum, seu faciendum in commodum suum sine jure proprietatis.

22. Resp. cum Esparza *l. 8. de justitia q. 7. n. 12. & seq.* jus paternum esse medium inter jus jurisdictionis, & jus proprietatis, ac esse simul in commodum patris, & filii; unde quando pater præcipit filio, debet actio ordinata esse, etiam in bonum filii, quatenus saltem hic assuescit obedientiæ filiali, & bonæ educationi; aliàs pater non ageret ut pater. Quod autem patres sæpe de hoc non cogitent, dum imperant, non impedit, quo minus actio, vel imperium, sit saltem materialiter conforme juri paterno. Sic etiam moderatores suis discipulis varia imperant, quin cogitent de eorum utilitate: & tamen certum est, quod iis ut moderatores imperare nil possint, nisi in bonum eorum. In forma dist. ant. pater non ordinat formaliter imperium in bonum filii. conc. ant. non ordinat saltem materialiter. neg. ant. & dist. conf. ergo etiam alia obligatio præter jus proprietatis potest esse præcisè in bonum obligantis. neg. conf. potest esse in bonum hujus, simul & obligati. conc. conf.

23. Ad 1. confr. fors potest dici patrem in casu extremæ necessitatis habere jus proprietatis in filium: sicut in eodem casu pauper potest sibi accipere bona divitis sine hujus injuria. Si hoc non placet; quia habet difficultatem hæc responsio: Resp. aliter

In casu tantæ necessitatis pater habet, non quidem jus proprietatis, in filium: sed habet tamen jus reflexum in potestatem eum vendendi, sicut superior habet jus reflexum in potestatem jurisdictionis: quod jus in eo casu patri conceditur, saltem implicite, à jure Divino, & civili *locis cit. n. 21.* dum talem venditionem ista jura non reprobant, sed ratam esse permittunt.

Accedit, quod pater in tali casu, possit ex filio, tanquam fructu suo, percipere omnem utilitatem, quam potest percipere ex se ipso: atqui potest se ipsum vendere; (modò ad sit justa causa, ne scilicet sit profusio, vel perditio libertatis, quæ bonis fortunæ, & famæ præstantior est) nam est dominus suæ libertatis: ergo potest etiam vendere filium. videatur Lessius *de justitia l. 2. c. 5. n. 17.* in forma, dist. mi. subsumptam. pater non habet in hoc casu speciali saltem jus aliquod reflexum in potestatem vendendi filium. neg. mi. non habet in aliis casibus. conc. mi. & neg. conf. vi autem hujus juris obligatur filius, in tali casu non impedire potestatem patris, ad se vendendum: consequenter debet permittere suam venditionem. Idem dicendum de paupere in casu extremæ necessitatis, in qua, si pauper non habet jus directum in bona divitis, habet saltem jus reflexum ad potestatem utendi illis bonis.

24. Ad 2. confr. Vel obligatio illa non est voluntaria, sed filius jam independenter à voluntate patris est obligatus: vel, ut vult Gormaz *de justitia n. 52. & n. 188.* petitio patris egeni non obligat filium, sed tantum ponit conditionem, qua posita pietas, se tenens ex parte filij, hunc obligat ad succurrendum. Sic etiam, si Petrus faceret votum DEO, se velle confessarij consilia sequi: hic autem suaderet, ut daret decem florenorum elemosynam, in tali casu deberet Petrus, eam elemosynam dare: quamvis confessarius non possit strictè loquendo Petrum obligare, ad eam elemosynam dandam; cum non haberet ullum jus, nec proprietatis, nec jurisdictionis; aliàs enim confessarij dictum non esset tantum consiliium, quale tamen duntaxat esse supponitur in casu. Hinc in hoc casu confessarius tantum posset ponere conditionem, qua posita obligaretur Petrus, ad dandam elemosynam, titulo voti, non se tenente ex parte confessarij, sed ex parte ipsius Petri: & si Petrus elemosynam non daret, non peccaret contra justiciam, sed tantum contra religionem.

Ubi nota, jus proprietatis esse titulum, qui se teneat ex parte obligantis (est enim legitima potestas, seu à lege, ut dicemus, collata illi, qui habet jus, ut vi hujus possit alios obligare) non autem esse tantum titulum, qui se teneat ex parte obligati; si enim titulus se tantum teneat ex parte obligati, hic non obligatur ab alio, sed à se: & tunc nemo habet contra eum jus. In forma. conc. ant. neg. conf. quia vel pater habet aliquod jus proprietatis: vel non habet ullam potestatem filium obligandi, præsertim voluntari-

am:

am: sed tantum habet potestatem ponendi conditionem, ut dictum.

25. Ob. 10. Si tantum esset unicus homo in mundo, is haberet plenum jus in omnia, & tamen neminem posset obligare: ergo hæc potestas obligandi alios non requiritur ad jus. Confr. Juxta S. Thomam, & communem aliorum, de ratione justitiæ est, servare æqualitatem, inter jus activum, & passivum: ergo etiam hoc debet poni in definitione. Resp. dist. 2. p. ant. talis neminem posset obligare in actu secundo. conc. ant. in actu primo. neg. ant. & conf. sufficit enim ad jus, potestas obligandi alios in actu primo, quamvis per accidens impediatur exercitium, seu usus, ut jam diximus *n. 20.* Ad confr. neg. conf. quia definitio juris tantum debet explicare unam partem æqualitatis: alteram autem debet addere justitiæ, quæ virtus non est jus proprietatis, sed istud habet pro objecto: in definitione autem justitiæ, implicite, & sufficienter ponitur illa æqualitas, dum dicitur justitiæ tribuere cuique suum; hoc enim est, jus adæquare.

ARTICULUS III.

Unde proveniat Jus Proprietatis Creatum.

26. **Q**uæstio hæc agit de jure proprietatis creato: non de jure proprietatis Divino; hoc enim, cum sit DEO essentialiter, provenit ex ipsa essentia Divina, vel potius in ista consistit; nam jus, seu dominium DEI, in omnes creaturas, earumque actiones, est perfectio simpliciter simplex, necessario DEO conveniens, inabdicabilis, & inseparabilis, adeoque identificata cum ipsa Divina essentia. Verum de hoc jure hic non agimus, auctori paulo pluribus in *tract. de incarnat. a. n. 366. & 381.* ubi ex occasione quæstionis, an satisfactio Christi fuerit ex rigorosa justitia, agemus de eo, an homo obligetur DEO ex justitia, seu vi juris proprietatis Divini: & an vicissim DEUS homini possit ex eadem justitia obligari.

Hic, & nunc autem, agimus de jure proprietatis creaturarum, quod est separabile à creaturis; potest enim Petrus, qui habet jus in domum, servum &c. eo spoliari. Imò etiam jus paternum, vel jus jurisdictionis, est separabile à creatura; nam, qui nunc est superior, vel pater, potuisset esse subditus, servus, aut filius: quin etiam jus ipsum (quod aliquibus dicitur naturale, quamvis revera non sit, ut infra patebit) ad usum membrorum &c. in homine, licet in creatura indicet aliquam naturalem inclinationem, ad objecta illius juris, & sic sit aliquo modo jus quasi naturale, tamen non est inseparabile ab homine; potuisset enim DEUS illud homini non dare: imò posset adhuc, tollere jus ad membrorum usum. De jure igitur proprietatis creato quæritur; à qua

forma proveniat, vel quænam res, aut forma denominet hominem habentem jus.

27. Dico cum Gormaz *disp. 4. de justitia n. 209.* & pluribus recentioribus. Jus proprietatis creatum provenit à lege, conferente uni potestatem legitimam alios obligandi. Per legem autem intelligo legem, tam Divinam, quam humanam: nec tantum legem strictè dictam, quæ debet semper ferri pro tota communitate: sed etiam quasi legem, seu præceptum, vel alium actum legi quoad hoc æquivalentem. Prob. Jus creatum est separabile à creatura, eique accidentale: ergo debet provenire ab aliqua forma creaturæ extrinseca: atqui nulla aliq. est assignabilis, quam lex: ergo. ant. patet ex dictis, & conf. est clara. mi. autem subsumpta probatur solutione objectionum.

Confr. 1. Eo ipso, quod lex alicui det potestatem ad aliquid, censetur is habere jus, & si lex ipsi auferat eam potestatem, censetur non amplius jus habere: ergo origo juris est lex. Confr. 2. DEUS per legem, seu voluntatem suam, quæ fuit instar legis; vel eminenter lex, jus, quod habuere Ægyptii in sua bona, vasâ aurea &c. transtulit in Israëlitas, ita, ut hi dein fuerint domini illorum vasorum, quæ prius commodatò acceperant; vel se commodatò accipere fingebant. Idem contingit etiam in legibus humanis, quæ dum approbant contractus, transfertur jus in alios: si reprobant, id est, invalidant contractum, jus non transfertur: ergo.

28. Ob. 1. Potest dici, jus stare in aliqua prælatione, quam fingat intellectus in uno præ alio, præferendo eum alteri in ordine ad certas actiones circa aliquam rem, quæ prælatio sit aliquod ens rationis fictum: sed sic ius non provenit à lege: ergo. ma. prob. ius est aliquid physicè permanens in creatura, e. g. in homine: sed nihil aliud est physicè permanens, quam ens rationis: ergo. Confr. Posset dici, eam prælationem esse, nec ens rationis, nec reale, sed ens intermedium, seu esse ens, ut vocant, morale: ergo. Resp. neg. ma. nam, etsi nullus intellectus cogitet, de prælatione Petri in ordine ad suam domum, tamen is habet ius in sua domo antedecenter ad omnem actum intellectus; unde illa prælatio non constituit, sed supponit ius.

Ad prob. neg. mi. nam nec fictio physicè permanet, sed tantum moraliter, vel habitualiter, qualiter etiam entia realia permanent, quin & ipsa lex. Ad confr. Entitaturæ illæ intermedia, à scholis nostris iam in Logica excludi solent: & longè meliùs denominationes morales explicantur per aliquid physicum, moraliter perseverans. Sic ob hefternum peccatum, iam transactum, adhuc hodie Petrus, si non egerit pœnitentiam, dicitur peccator absque ulla entitaturæ media: cur non etiam dicatur dominus ob hefternum favorem legis, ei ius conferentis?

29. Ob. 2. ex Esparza. Jus completur essentialiter per actum voluntatis, quo homo

acc-

acceptat beneficium legis: vel per actum intellectus, quo cognoscit, se habere potestatem utendi re tali. &c. ergo ius stat saltem partialiter in his actibus. prob. ant. per eos actus homo constituitur proximè liber circa rem suam, eiusque usum: ergo. Confir. Posset dici, ius oriri ex actibus ius dantibus, e. g. ex actibus contrahentium, moraliter perseverantibus: quæ moralis perseverantia stet in duabus carentiis, seu negationibus, scilicet in carentia existentiae actuum de præsentia (aliis enim adhuc physicè, & non moraliter existerent) & in carentia retractationis (aliis neque moraliter amplius existerent) ergo.

30. Resp. dist. ant. Jus completur per actus voluntatis &c. etiam tunc, quando lex non exigit eos actus, tanquam titulos, ut e. g. in infante, in quo lex nullum exigit actum. neg. ant. quando eos lex exigit. subdist. completur, ita, ut illi actus sint aliqua pars totius iuris concretivè sumpti. om. ant. denominativè sumpti. neg. ant. & conf. Ordinariè potius per eos actus completur proxima libertas utendi iure, non autem ius; aliis enim infantes, qui eos actus intellectus, & voluntatis, habere non possunt, non haberent ius, quod est falsum. Aliquando tamen possunt requiri illi actus, ut lex, quæ eos respicit tanquam conditiones, censeri possit absoluta, & absolute conferre jus; nam præcisè ad ius non requiritur, ut actu detur libertas in homine; aliis nec infantes, nec amentes haberent ius. ad prob. neg. conf.

Ad confir. dist. ant. posset dici, jus oriri ex illis actibus solis. neg. ant. etiam ex iis, tanquam constitutivis totius concreti. om. ant. & neg. conf. omnes enim illi actus sine lege invalidi essent, ut patet e. g. in pupillo, vel alio, cuius acta per leges, vel voluntatem superioris, invalida reddita sunt. Sed nec moralis perseverantia rectè explicatur per eas carentias, non tantum ideo, quod isti auctores velint, istas carentias non esse puras negationes, contra longè communiorum modò sententiam: sed quia istæ carentiæ, nec semper requiruntur, nec etiam sufficiunt ad moralem perseverantiam; nam contractus matrimonii durat etiam sine carentia retractationis; quantumvis enim detur retractatio, matrimonium non solvitur: dein ante omnem contractum potest dari carentia actuum, & simul carentia retractationis, quin tamen detur ullum jus, ut patet.

31. Ob. 3. Posset dici, jus consistere formaliter in recto rationis dictamine, adjudicante alicui certos usus rerum, pro diversitate diversorum titularum: ergo. Confir. Jus etiam juxta nos provenit sæpe ex lege naturali: sed lex naturalis est dictamen rationis: ergo. Resp. neg. ant. Dictamen illud habet jus pro objecto, & supponit id jam constitutum; nam e. g. dictamen illud adjudicat Petro usus illos licitos; quia ipse præ aliis habet jus, e. g. ex contractu post emptionem equi, vel ex quocunque alio titulo: hoc autem est supponere jus: ergo. Ad confir. Resp. 1. Gormaz. de justitia n.

120. & 232. neg. ma. nullum enim jus proprietatis, absolute, & simpliciter dictum, habet ulla creatura per legem naturalem, quæ simpliciter etiam a DEO immutabilis sit; nam usum membrorum quoque, ad quem creatura, e. g. homo, maximè videtur habere jus naturale, tantum habet ex libera voluntate DEI, potentis jus illud tollere.

Resp. 2. om. ma. neg. mi. ut enim rectè Suarez l. 2. de legibus. c. 6. lex naturalis non est dictamen rationis; sed revera est lex DEI; dictamen enim rationis non obligat hominem, sed tantum proponit voluntatem DEI obligantis, præcipientis, vel prohibentis. Cum autem DEUS, ex suppositione creaturæ conditæ, non possit eam quoad multa non obligare, maximè quoad aliqua intrinsecè honesta, vel inhonesta, ista, ad quæ ita necessariò obligat, vel præcipiendo, vel prohibendo, dicuntur naturali lege prohibita, vel præcepta; unde etiam, si jus naturale daret creaturis quibusdam aliquod jus proprietatis, hoc daret voluntas, seu lex DEI, & non dictamen rationis.

32. Dices. Etiam lex habet jus pro objecto: ergo etiam ipsa non constituit jus. Resp. Inprimis, etsi lex faceret Petrum habere jus, non deberet pro objecto habere jus; nam actus intentionales quoad possunt facere, quæ non habent pro objectis. Sic luxuriosa delectatio facit reum gehennæ, & contritio perfecta capacem gloriæ: quin illa gehennam, vel ista cælum, habet pro objecto. At, quia ex alio capite concedendum est, quod lex habeat pro objecto jus, Resp. 2. dist. ant. lex habet pro objecto jus, jam antecedenter constitutum. neg. ant. à se constituendum. conc. ant. & neg. conf. Lex etiam prohibens, e. g. comestionem carnis die Veneris, habet hanc pro objecto: non tamen jam supponit eam prohibitam, sed per seipsam reddit talem.

Dices. Hac ratione lex conferens jus haberet etiam pro objecto seipsam; nam vult, per seipsam jus conferre: hoc videtur impossibile: ergo. Resp. dist. ma. lex haberet seipsam pro objecto adæquato. neg. ma. pro objecto inadæquato. conc. ma. & dist. sic mi. neg. conf. Omnis lex prohibens, vel præcipientis, debet hoc facere, imò omne votum; nam, nisi superior alios, vel vovens seipsum, velit jam hinc & nunc, per hanc ipsam legem, vel hoc ipsum votum, obligare, nondum ille condit de præsentia legem, nec iste facit votum: sed tantum proponit pro sequenti tempore id facere. Quod autem actus possit, habere seipsum pro objecto inadæquato, est evidens; nam hic actus: *Omnis cognitio est vitalis*: manifestè etiam verificatur de seipso.

Petes, quodnam aliud objectum adhuc habeat lex conferens jus, e. g. Petro. Resp. potest habere, & actu habet varia alia objecta. 1. habet ipsum Petrum, cui vult conferre, & actu confert ius. 2. habet usus licitos, vel validos, quos Petro vi juris collati assignat. 3. habet ipsam etiam rem, quam

quam Petro attribuit &c. verbo: discurrendum est de hac lege, ut de quavis alia, habente pro objecto, tum seipsam, tum rem præceptam, vel prohibitam, tum obligatas, subditos, & alia &c.

33. Ob. 4. Lex conferens jus est sæpe lex æterna DEI: sed jus non est æternum: ergo lex æterna istud non constituit. Resp. neg. conf. nam adsunt quatuor termini in hoc syllogismo. vel dist. ma. lex est æterna, & pro æterno vult Petrum habere jus. neg. ma. vult tantum pro tempore eum habere jus. conc. ma. & om. mi. de qua mox iterum. neg. conf. Objectio hæc solvenda est adversariis in omni volitione Divina, respiciente aliquod tempus. Sic peccatorem, pro tempore status peccati, DEUS odit: peccatà poenitentia non amplius odit, sed amat amore amicitia; unde, sicut hæc voluntas, seu amor, aut odium DEI, pro termino respicit tempus, ita & voluntas, seu lex conferens ius, respicit tanquam terminum tempus, vel alios etiam titulos, contractuum, hæreditatum &c. quæ si deficient, lex non confert amplius jus, nec amplius afficit, aut denominat aliquid jus habentem.

34. Dices. 1. Lex DEI est jus Petri: ergo, cum ipsa sit æterna, etiam jus est æternum. Resp. dist. ant. Lex DEI sola est jus, actu efficiens Petrum, seu denominans Petrum. neg. ant. non actu efficiens tæ solà Petrum. om. ant. & dist. conf. jus illud realiter sumptum, & ut nondum efficiens Petrum est æternum. om. conf. jus ut efficiens Petrum. neg. conf. nam ad denominandum Petrum lex illa respicit etiam tempus, imò sæpe varios titulos, e. g. contractus, donationis &c. & hoc tempus, ac etiam illi certi tituli, sunt partes totius juris Petri quidditative sumpti; unde non datur denominatio Petri habentis jus, nisi detur etiam tempus, quod exigit lex DEI: tempus autem ab æterno dari non potest. Retorsio iterum datur in amore, & odio DEI, respectu ejusdem hominis, modò iusti, modò peccatoris. Ubi etiam obiter nota, quod, licet omittatur, legem, seu voluntatem DEI, aut prædicatum Divinum, esse jus proprietatis, non ideo iustitia, respiciens istud jus, sit virtus Theologica; quia hoc jus tantum esset objectum formale quo. vide dicta tract. de virtutibus Theologicis. n. 4.

35. Dixi. om. ant. quia lex DEI saltem sola non est jus Petri: sed potius jus Petri est potestas legitima collata à lege. Verum de hoc ipso redit difficultas, quid sit illa potestas; nam non est potestas physica tantum; hanc enim habet etiam injustè agens, e. g. fur. dein parvuli, & amentes, qui habent jus, sæpe non habent potestatem physicam ad aliquas actiones: si autem dicatur, esse potestas moralis, redit quæstio, quid sit potestas moralis præter physicam; imò ipsa potestas moralis videtur debere esse aliquid physicum; omnis enim denominatio moralis, fundatur in aliquo physico, moraliter, vel habitualiter perseverante: at ni-

hil in nostro casu ostendi potest præter legem: ergo.

Resp. hoc debere explicari abipsis adversariis, in infinitis aliis casibus; quid enim est e. g. præfectura, quæ alicui confertur? Potest igitur dici, quod potestas illa moralis præter legem dicat etiam potestatem physicam ad aliquas actiones, quæ potestas physica sit, vel physicè sua, ut est in iis, qui per se possunt, suo jure uti: vel certè sit sua moraliter, seu in æstimatione hominum per ordinationem reipublicæ, qua ratione potestas physica, quæ est physicè sua tutorum, est moraliter sua pupillarum: vel certè si quis sit desertus ab omnibus, nec ipse habeat potestatem physicam, e. g. infans ab omnibus destitutus, tunc ea potestas est in iis, qui debent esse tutores, vel curatores. Hanc autem potestatem physicam lex per seipsam afficiendo, vel denominando, reddit expeditam ad actiones, non tantum in genere physico producendas, sed etiam in genere morali, validè, aut licitè eliciendas.

36. Unde tandem concretum hoc potestas legitima dicit potestatem physicam, & simul ejus legitimatorem: potestas physica est subjectum, vel rectus concreti: legitimatio, seu lex est obliquus. Cum autem rectus huius concreti non sit ab æterno, rectè dicitur, jus non esse ab æterno; quia non dicitur dari totum simultaneum, quale est jus, nisi dentur omnes ejus partes: hæc autem non sunt data ab æterno. Rursus, quanquam aliqua concreta prædicari possint ab æterno, licet rectus eorum non existat ab æterno; e. g. Antichristus dicitur ab æterno prævisus, Petrus ab æterno prædestinatus &c. non tamen possunt ita prædicari eæ denominationes, quæ exigunt partes, non tantum per ampliationem, sed per statum, actu, & reipsa existentes, qualis etiam est denominatio habentis jus, ut omnes concedunt; & si hoc negetur, eo ipso argumentum non habet vim; cum posset concedi, Petrum ab æterno habere jus. Quænam autem denominationes hoc, vel illud exigant, potissimum desumendum est ex auctoritate, & communi terminorum usu.

37. Dices. 2. Objectum iustitiæ est tantum jus denominativè sumptum: ergo juxta dicta esset sola potestas physica. Resp. neg. ant. si sermo sit de objecto formali quo (de objecto formali quod hic non queritur; quia jus, ut dictum in tract. de virt. theol. n. 4. non est obiectum formale quod iustitiæ) non enim tantum potestas physica, sed legitima, est obiectum formale quo iustitiæ: sic etiam, licet iustitiæ vindicativæ obiectum formale quod sit tantum poena, vel honestas poenæ conformis delicto, non autem delictum, hoc tamen est obiectum formale quo.

Dices. 3. Potestas physica non est separabilis ab homine: ergo non est ius ex dictis n. 27. Resp. om. ant. dist. conf. non est ius totaliter acceptum. om. conf. non est ius partialiter acceptum. neg. conf. illud enim, quod adhuc præter potestatem physicam requiritur, nempe legitimatio, est separabile ab homine:

& separata parte separatur etiam denominatio. Sic homo sapiens præter sapientiam involvit etiam hominem, qui non est separabilis ab homine; quia tamen altera pars, scilicet sapientia, est separabilis, etiam denominatio sapientis est separabilis.

38. Ob. 5. Jus transfertur in alium: lex non transfertur in alium: ergo ius non est lex. Confir. Qui transfert suum ius in alium, non cogitat de lege: cogitat autem de iure: ergo non sunt idem. Resp. 1. retorq. arg. quomodo transferuntur carentiæ, dictamina rationis, entitatulæ mediæ. &c? Resp. 2. conc. totum. Jam dixi: ius non est lex, saltem non est sola lex. Resp. 3. dist. ma. ius transfertur physicè. neg. ma. moraliter. conc. ma. & dist. sic mi. neg. conf. Jus transfertur, non physicè, ut vestis, sed moraliter, seu æquivalenter, ut officium, vel dignitas, quatenus ponendo certos titulos fit, ut lex, quæ prius afficiebat Petrum, eique favebat, modò afficiat Paulum, eique faveat: & in tali sensu morali potest etiam dici, transferri lex, vel favor legis.

Nec tamen propterea lex mutatur; lex enim dicit, e. g. qui habet hunc, vel illum titulum emptionis, aut donationis, moraliter perseverantem, sit dominus equi: si iam prior emptio, vel donatio, moraliter cesset, quatenus alius sit emptor, vel donatarius, & nova donatio, vel emptio contingit, tunc lex afficit alium, eique faveat: alios verò obligando gravat. Ad confir. dist. ant. qui transfert jus in alium, non cogitat de lege sub omni prædicato, vel conceptu. conc. ant. non cogitat de ea sub prædicato, vel conceptu collativi juris. neg. ant. & cont. Et hoc frequentissimum est, præsertim apud rusticos, qui eodem modo sæpe cogitant de lege, vel significatione vocum, quin cogitent de voluntate principis, vel institutorum linguæ.

39. Ob. 6. Sæpe quis habet jus reflexum, hoc est, jus alienandi suum jus directum: ergo deberet habere jus in legem DEI; hæc enim sæpe, ut dictum est, constituit jus directum, e. g. jus libertatis humanæ, vel usûs membrorum: atqui non potest quis habere jus in legem DEI: ergo. Confir. Leges aliquæ sunt purè permissivæ: ergo non conferunt jus, adeoque illud aliunde debet haberi. Resp. neg. conf. Eo in casu non habet quis jus in legem DEI, sed tantum in potestatem legitimam denominativè sumptam: vel habet jus, ad ponendos certos titulos, e. g. venditionis, donationis, quibus positus lex DEI, quæ prius ipsi favebat, non amplius ei faveat: in quo moraliter stat jus transferendi suum jus, ex dictis n. 38. Potest etiam dist. ant. sæpe quis habet jus reflexum alienandi physicè jus, & quidem quidditivè sumptum. neg. ant. habet jus reflexum alienandi suum jus moraliter, vel æquivalenter. conc. ant. & neg. conf. Hoc autem nihil est aliud, quàm habere jus ponendi certos titulos &c. ut modò dictum.

40. Ad confir. conc. totum. In talibus casibus habetur jus ab aliis legibus, e. g. quan-

do lex civilis tantum permittit aliquem contractum, tunc, licet ipsa non tribuat eo posito jus, tribuit tamen lex Divina, vel gentium, vel alia etiam naturalis, vel quasi naturalis, e. g. quæ dicitur, venditorem debere pro pretio dare mercem. Dixi quasi naturalis, vel ut alii cum Gormaz de justit. n. 120. dicunt, secundum quid naturalis; quia lex strictè naturalis immutabilis est: non autem juxta hos auctores immutabile est, ut quis promissione, vel donatione, vel emptione, vel venditione, etiam obligetur. Sed nolim hic plures tricas movere, an scilicet in tali casu, quo DEUS nollet, emptorem e. g. pretium dare, vel venditorem pro eo mercem, maneret immutata juris naturalis materia: vel an promissio tantum jure gentium obliget: vel ad quid obligarent contractus, ante factam rerum divisionem.

QUÆSTIO II.

De Justitia.

ARTICULUS I.

Quid, & quotuplex sit Justitia.

41. PRæmitto, nos hic non agere de justitia latè sumpta, prout sumitur pro cumulo omnium virtutum, seu observatione perfectæ legis: vel pro charitate, quæ est vinculum perfectionis: aut pro gratia sanctificante, quæ reddit homines justos: vel denique pro quavis virtute morali ad alterum: sed agimus de illa virtute, quæ juxta communem hujus vocis justitia acceptionem strictè justitia dicitur: hoc posito.

42. Dico cum omnibus Theologis post D. Thomam 2. 2. q. 58. a. 1. in corp. & Jurisconsultis post Ulpianum L. Justitia. ff. de justitia, & jure. Justitia actualis, seu actus justitiæ est constans, & perpetua voluntas, jus suum cuique tribuendi. Dicitur 1. constans, & perpetua; quia debet esse animus firmus, non tantum pro uno, & altero die, aut tempore, jus tribuendi, sed pro semper: scilicet ut contritio debet esse voluntas, non peccandi de cætero. Licet autem voluntas mutabilis sit, & sæpe etiam mutetur, non impedit, quò minus prior actus fuerit affectivè constans, & perpetuus. Dicitur 2. voluntas, hoc est volitio, seu actus voluntatis: per quod indicatur, quòd actus justitiæ debeat esse voluntarius.

Tandem dicitur 3. jus suum cuique tribuendi, intellige cuique alteri; nam justitia est ad alterum, ut omnes docent, & probat S. Thomas 2. 2. q. 57. a. 1. in corp. & q. 58. a. 2. in corp. Per ius tribuere autem, differt justitia ab aliis virtutibus, quæ quidem etiam ad alterum multæ sunt, non tamen ius respiciunt, aut tribuunt, ut pietas erga parentes, misericordia erga pauperes, obedientia erga superiores. Tribuitur autem ius, vel positivè, vel negativè: hoc est

Quid, & Quotuplex sit Justitia.

est, vel faciendo, quod oportet facere, vel omittendo, quod oportet omittere, ad servandum illæsum ius alterius.

Ex hac autem definitione iustitiæ actualis, sive actus iustitiæ, facile inferitur definitio iustitiæ habitualis, quam etiam tradit S. Thomas 2. 2. q. 58. a. 1. in corp. scilicet, justitia habitualis est habitus, secundum quem aliquis constanter, & perpetua voluntate, jus suum unicuique tribuit: vel brevius: virtus moralis jus suum unicuique tribuens. Ubi nota, iustitiam dici virtutem moralem; tum quia non est virtus Theologica; tum quia est virtus voluntatis, non intellectus; non enim tantum cognoscit ius, sed vult illud adæquare.

43. Jam justitia habitualis dividitur in legalem, distributivam, & commutativam. ita rursus plerique, si non omnes; nam, prout dividuntur iura, ita etiam dividuntur species iustitiæ: atqui iura rite dividuntur in tria: ergo, prob. mi. Aliud est ius, quod habet communitas ad bona, vel actiones membrorum illius communitatis, vi cuius obligantur membra, ut ordinent suas actiones, vel aliquando etiam bona, in commodum commune, vel communitatis, per observationem legum, & præstationem certarum rerum, e. g. tributorum, vel obsequiorum, in bonum communitatis; nam, ut Gormaz de just. n. g. ex Suarez ait, vi huius iuris etiam debentur tributa communitati, quantum possint deberi etiam ex alio iure. Aliud econtra est ius, quod habent membra ad bona communitatis, ut debita proportione, & absque personarum acceptione, distribuantur, qua distributione facta, dein membra possident ea bona iure proprietatis. Aliud, seu tertium jus est, quod habet unum membrum contra alterum, vel una pars contra alteram.

Primum ius fundat iustitiam legalem, quæ legalis dicitur, quatenus ordinat bonum commune, quod respiciunt leges. Secundum ius fundat iustitiam distributivam, cuius est distribuere bona communia proportione iusta. Tertium ius fundat iustitiam commutativam, quæ nomen traxit à commutationibus, per quas solet ius particularium acquiri, transferri, lædi &c. Unde legalis justitia est iustitia partis ad totum, sive obligans partem toti, seu in bonum totius: distributiva est iustitia totius ad partem, sive obligans totum parti: commutativa est iustitia partis ad partem, seu obligans unam partem alteri: ubi tamen nota, etiam aliquando partem posse habere ius proprietatis contra communitatem, adeoque hanc etiam ex iustitia commutativa obligare, e. g. si quis particularis mutuo det pecunias toti suæ communitati, vel urbi: tunc autem communitas non consideratur ut talis, sed ut pars: nec mutuo dans, consideratur ut membrum, sed ut aliquid distinctum sub hac ratione à communitate relicta: certè præscinditur à ratione membri; cum econtra iustitia legalis, atque etiam distributiva, respiciant semper membra quæ

talia, nec sint ad alterum adæquatè distinctum.

44. Differt ulterius etiam iustitia commutativa, à distributiva, & legali; quòd illa intendat æqualitatem arithmeticam: istæ duæ verò geometricam. Equalitas arithmetica stat in proportione duorum tantum terminorum, e. g. in debito decem florenorum, & in solutione decem florenorum: equalitas geometrica verò stat in proportione quatuor terminorum, e. g. respectu iustitiæ distributiæ, habens meritum ut quatuor accipit præmium ut duo: ergo habens meritum ut sex, accipere debet præmium ut tria: ubi vides quatuor terminos, scilicet quaternarium, & binarium, senarium, & ternarium. Et idem est de iustitia legali; si enim potentior debet plus facere, minus potens debet minus facere.

Addenda hic etiam justitia vindicativa, quæ ponit pœnam æqualem delicto, seu ejus malitiæ civili, sive damno delicti in rempublicam, non verò malitiæ, seu offensæ Divinæ. Hæc justitia potest reduci, vel ad legalem, vel ad commutativam; nam, prout respicit reum, non respicit jus activum; nec enim reus habet jus exigendi pœnas, sed tantum obligationem eas sustinendi, si inligantur; unde licet fors sit specialis virtus, non tamen est peculiaris species justitiæ; sed respectu rei reduci potest, vel ad legalem, quatenus hic communitati debet præstare aliquid, ita ut minus reus minus, magis reus plus præstet: vel ad commutativam, si reus intulit delicto suo damnum. Respectu iudicis autem potest justitia vindicativa reduci ad commutativam; eoquòd iudex ex contractu obligetur communitati, ad ponendam pœnam proportionatam delicto.

45. Quæstio hic etiam agitari solet, an sola justitia commutativa sit strictè loquendo justitia: legalis verò, & distributiva, tantum sint analogicè justitia: an verò etiam istæ sint univoce justitia. Valentia, & Lugo volunt, solam iustitiam commutativam esse strictè justitiam: econtra S. Thomas 2. 2. q. 61. a. 1. defendit, etiam iustitiam distributivam esse univoce justitiam: & hinc ob paritatem rationis alii communiter asserunt, omnes tres esse univoce justitiam. Res non est adeò magni momenti: in qua tamen iudico, standum esse assertioni D. Thomæ; nam illa dicuntur convenire univoce, quæ conveniunt in eadem ratione significata per nomen, & in nostro casu in ratione justitiæ: atqui ita conveniunt tres dictæ justitiæ; nam qualibet tribuit cuique jus suum: per suum autem intelligitur suum, non tantum alienativè sumptum, in quo sensu servus dicit, dominum esse suum: sed strictè propriè, ut scilicet res sua ordinetur ad eum, respectu cuius sua dicitur: non verò ipse ad illam.

46. Tantum difficultas adhuc esse potest, an jus univoce conveniat omnibus tribus juribus: & quid tandem sit jus genericè sumptum. Sed respondetur: jus genericè sumptum est id, quod facit aliquid suum

atque triplex illud jus facit aliquid suum, seu illius, qui habet jus: ergo. Et quidem de jure proprietatis, seu justitiæ commutativæ res est clara: jus etiam communitatis, seu justitiæ legalis, facit bona membrorum aliquo modo sua communitatis; quia, quod est membrorum, potest etiam aliquo modo communitatis dicere suum: eodem modo, jus subditorum, seu justitiæ distributivæ, facit bona communitatis, aliquo modo sua subditorum; nam, quod est communitatis, possunt subditi, vel membra communitatis aliquo modo dicere suum: quanquam nec communitas, nec membra possint bona illa dicere omnino sua jure proprietatis, sed alio minore jure, quod scilicet respicit justitiã, vel legalis, vel distributivã. Violatio etiam huius juris minoris dici potest injuria latius sumpta, non autem in sensu restricto, in quo semper significat violationem iuris proprietatis. Reparatur quoque hoc ius læsum (si non simul lædatur ius justitiæ commutativæ) non quidem restitutione, sed pœnitentiã. Et quanquam diversitas inter hæc iura sit magna, est tamen tantum specifica, non generica: sicut est diversitas inter hominem, & equum, qui tamen in genere animalis univoce conveniunt.

47. Diversitas autem primò est hæc, quòd ius proprietatis tribuat alicui facultatem, directè ordinatam in bonum suum liberè disponendi: quam facultatem non tribuit ius justitiæ legalis, aut distributivæ; nam communitas, vel princeps eam repræsentans, non potest disponere de rebus membrorum in bonum suum, sed debet disponere in bonum membrorum. Pariter etiam membra, ante distributionem factam, non habent facultatem disponendi in bonum proprium de bonis communitatis. Secundò. Jus proprietatis læsum obligat ad restitutionem: non verò ad hanc obligant illa alia duo iura: sive, iustitiã commutativã, obligat ad restitutionem, non verò legalis, aut distributivã, ut docet S. Thomas 2. 2. q. 62. a. 1. & teste Gormaz de justit. n. 18. Theologi ferme omnes. Ratio autem ex S. Thoma loc. cit. in corp. est hæc. Restitutio opponitur ablationi: ablatio autem est rerum, quæ fuerunt alicui propriæ; sive est eorum, in quæ quis habuit ius proprietatis, quod respicit sola iustitiã commutativã. Quare autem iniquus distributor bonorum communium, aliquando teneatur ad restitutionem, dicitur melius in objectionibus.

48. Notandum hic etiam circa iustitiã legalem, eam ab Aristotele 5. ethic. c. 1. & 2. appellari virtutem, vel iustitiã communem, seu universalem; non, quòd in nulla certa specie virtutis sit; habet enim obiectum sibi proprium, & specificum, scilicet ius communitatis: neque quòd tanquam genus sub se contineat iustitiã commutativã, aut distributivã, tanquam suas species; cum ab his specie differat: neque tantum, quòd possit imperare actus omnium aliarum virtutum; hoc enim qualibet alia virtus potest: sed ideo dici universalem; quia pro obiecto habet bonum com-

mune, & universale, atque, ad hoc obtinendum, actus aliarum omnium virtutum imperat; nam ad bonum commune illæsum servandum requiritur, ut singuli, qui sunt membra communitatis, exercent actus virtutum, non tantum ad alios, sed etiam ad se, e. g. ut sint fortes, temperantes: sub hac autem ratione, & ex tam universali, aut generali motivo, nulla alia virtus est universalis, aut generalis. Econtra iustitiã commutativã dicitur particularis; quia pro suo obiecto per se respicit, & intendit bonum particulare.

49. Tandem dictum est, justitiã debere esse ad alterum; nam, qui utitur jure suo, e. g. equitat suo in equo, non exercet actum iustitiæ, sed actum domini: estque tantum iustus negativè, hoc est, non iniustus; quia nemini facit iniuriam: at qui solvit alteri debitum, hic exercet actum justitiæ, estque positivè iustus. Requiritur autem alteritas suppositi, saltem in casu naturali, in quo non sunt unitæ sibi in eodem supposito duæ naturæ completæ; vel in casu supernaturali e. g. Verbi incarnati, requiritur, saltem alteritas naturæ completæ; quam sufficere afferunt omnes illi, qui affirmant, Christum hominem satisfecisse ex iustitiã sibi ut DEO.

Unde corpus, & anima, dum constituunt unum suppositum, seu unam naturam completam, non exercent ad invicem iustitiã propriè dictam; cum enim tota natura completa sit principium ut quo, & toti ascribantur actiones, non autem partibus, actio proveniens ab una tantum parte, non est sufficienter actio ad alterum. Hoc tamen intelligendum est de partibus, seu membris physicis, unius totius physici: non verò de partibus, seu membris moralibus unius totius moralis; nam e. g. civis, seu membrum reipublicæ, potest erga istam exercere iustitiã; quia talis civis utique est suppositum peculiare in communitate civili; non enim hanc constituit, tanquam pars physica, & incompleta: sed tantum tanquam pars moralis, quæ tamen in genere physico est completum suppositum.

Questio tantum esse posset, an duæ animæ separatæ, quæ suppositum actu non constituunt, possint invicem iustitiã exercere: quæ questio magni ponderis non est; respondetur tamen affirmativè; cum enim istæ animæ supposita non sint, & multò minus sint unum suppositum, earum actiones non possunt esse actiones unius suppositi; maxime, cum ipsæ animæ ad invicem, seu ad unum suppositum non ordinentur: adeoque earum actiones sunt actiones duorum suppositorum æquivalenter talium; quod sufficit; nam potest una anima actiones aliquas exercere ad alteram.

50. Præter tres has virtutes, sive partes iustitiæ subiectivas, seu, quæ perfectè participant rationem iustitiæ generalis, Theologi cum S. Thoma assignant alias iustitiæ partes potestativas, seu, virtutes cum iustitiã connexas, sed in aliquo ab ea deficientes.

tes. Istarum autem aliquæ sunt, quæ non possunt reddere æquale, & quidem per se, non tantum per accidens. Tales sunt religio erga DEUM, pietas erga parentes, observantia erga virtuosos; nec enim infinitæ DEI excellentiæ potest dari cultus æqualis: nec parentibus aliquid æquale vitæ, quam nobis dederunt; nam etiam moriendo pro ipsis non damus ipsis vitam nostram, quæ fugit in auras: sed nec virtuti qua tali, & secundum se, non tantum secundum utilitatem, quam affert, sumptæ, reddi potest præmium æquale ab homine; nam virtuosus non datur actus virtutis ut virtuosus, sed ut honorativus.

51. Aliæ autem virtutes cum justitiã connexæ, vel ejus partes potestativæ sunt, quæ, licet dent alteri æquale, non id dant ex titulo, se tenente ex parte accipientis, sed ex motivo honestatis ejusdem, se tenente ex parte dantis. Tales sunt veracitas, gratitudo, habitus punitivus delictorum; nam honestas morum requirit, ut quis cum aliis veraciter, & sincerè agat: non autem id requirit jus aliorum, nisi interveniat contractus, qui jam spectat ad justitiã commutativã. Pariter benefactor non habet jus ad obsequia, vel alia, ex gratitudine exhibita; ista enim tantum exigat honestas morum.

Sic etiam habitus punitivus delictorum, prout præcisè respicit reum, & est in puniente (aliter enim sumptus, potest spectare ad justitiã commutativã, vel legalem, ut dictum n. 44.) non imponit pœnam ex jure residente in reo, sed ex honestate, qua decet judicem, malos punire. Huc etiam aliquo modo revocari possunt liberalitas, amicitia &c. quæ requiruntur ad honestatem morum. Dices. Hac ratione posset etiam dici, leonem esse partem potentialem speciei humanæ. Resp. hanc esse questionem de voce, à qua non multum pendet: dein dictas virtutes, juxta moralem æstimationem connexas justitiæ, ex communi dici in sensu aliquo lato justitiã, & hinc esse partes justitiæ, latè quidem sumptæ, sed tamen communiter ita dictæ: non verò leonem communiter, etiam in sensu lato, dici hominem.

ARTICULUS II.

Solvuntur Objectiones.

52. **O**B. 1. Parvuli, & amentes, habent habitum justitiæ, quin habeant constantem voluntatem: ergo justitiã non est constans voluntas. Confr. 1. Qui solvit uni creditori, quantum debet, est justus, quamvis alios non solvat: ergo non est opus, tribuere cuique, seu omnibus, jus suum. Confr. 2. Tribuere jus spectat ad solum principem: sed justitiã est virtus etiam privatorum: ergo non tribuit jus. Resp. dist. ant. Parvuli, & amentes, habent habitum justitiæ, quin habeant voluntatem actualem, seu volitionem. conc. ant. quin habeant habitum elicivum volitionis. neg. ant. & conf. Justitiã ha-

bitualis, seu virtus justitiæ, quam habent parvuli non est voluntas in actu primo, seu potentia volendi; quia hæc non est habitus, sed potentia: neque est voluntas in actu secundo, seu volitio, quæ intendat alteri tribuere jus suum; hæc enim volitio non est justitiã habitualis, sed est actus ipsius, seu justitiæ actualis, quam necdum habent parvuli; virtus autem justitiæ, seu justitiã habitualis est habitus potentia volendi superadditus, & eliciens volitionem tribuendi cuique jus suum: & hic habitus, vel est acquisitus per frequentatos actus (qui non datur in parvulis, aut perpetuo amentibus) vel est supernaturaliter infusus à DEO, qui datur etiam in parvulis baptizatis, ut diximus tract. de virt. Theol. à. n. 23. Quòd autem in parvulis necdum exerceri possit habitus infusus justitiæ, est prorsus per accidens.

53. Ad 1. confr. conc. ant. neg. conf. dum enim quis uni solvit debitum, supponitur, esse paratus, saltem implicite, etiam solvere aliis, quando debuerit; unde est saltem affectivè justus respectu omnium, & respectu nullius iniustus. Quodsi ponatur talis debitor aliis nolle solvere, etiam si actu solvat uni, non erit simpliciter, aut formaliter justus: sed ad summum erit inadæquatè, & materialiter justus respectu unius. Ad 2. confr. dist. ma. spectat ad solum principem, tribuere jus imperativè, directivè, vel etiam coactivè. conc. ma. tantum executivè. neg. ma. & conc. mi sub eadem distinctione conc. vel neg. conf. Sicut jus, ita etiam justitiã, aliquando sumitur pro sententia judicis, vel principis: at nos modò non loquimur in hac acceptione.

54. Ob. 2. Qui defendit jura sua contra alios, est justus: atqui non tribuit jus alteri: ergo. Confr. 1. Qui suadet alteri, ut se solvat, etiam justus est, & tamen non agit in bonum alterius, sed suum: ergo. Confr. 2. Si corpus, & appetitus, perfectè subsint animæ, & rationi dominantis, datur justitiã originalis: ergo inter partes ejusdem suppositi datur iustitiã. Resp. dist. ma. Talis est iustus negativè, sive non est iniustus. conc. ma. est iustus positivè. neg. ma. & conc. mi. neg. conf.

Ad 1. confr. Resp. eodem modo; neque enim suadere actum iustitiæ, est exercere talem; aliàs, qui suaderet alteri contritionem, esset contritus. Ad 2. confr. dist. ant. si appetitus subsit rationi, datur iustitiã originalis, quæ sit propriè, & univoce dicta iustitiã. neg. ant. quæ sit tantum analogicè talis. conc. ant. & neg. conf. Justitiã originalis, qua gaudebat Adam ante lapsum, dicit gratiam sanctificantem, aliãque dona, & inter hæc etiam dominium partis superioris in inferiorem: sed hæc non est iustitiã in eo sensu, in quo loquimur.

55. Ob. 3. Tutor, si debeat centum pupillo, & solvat ea sibi, tanquam agenti nomine pupilli, exercet actum justitiæ: sed non solvit alteri; nam tutor censetur eadem persona cum pupillo: ergo hoc non requiritur ad justitiã. Confr. Christus pro-

probabiliter satisfecit ex iustitia rigorosa DEO pro peccatis hominum: nec tamen satisfecit alteri; nam & ipse DEUS est: ergo. Resp. neg. mi. In hoc casu datur alteritas personæ, non quidem physica, & realis, sed ex fictione juris: & tutor sustinet duas personas, unam physicè, scilicet suam, alteram moraliter, scilicet pupilli; unde tutor ut recipiens est moraliter alius à solvente, quod sufficit ad actum iustitiæ.

Ad confir. Juxta illam sententiam, quam tamen multi non amplectuntur, sufficit ad iustitiam distinctio naturarum, in ratione naturæ completarum, quales duæ dantur in Christo; quia, ut ajunt, sufficit alteritas voluntatum: partes autem aliorum suppositorum, e. g. anima, & corpus hominis, non sunt naturæ completæ, sicut tamen in Christo fuere natura Divina, & humana, utraque completa. Difficultas tamen adhuc restat ex eo, quòd sola humana, quæ est distincta à Divina, non satisfecerit, sed satisfactio involverit etiam naturam Divinam, tanquam dignificantem meritum hominis DEI: sed hanc difficultatem elucidare debent illi, qui eam opinionem defendunt.

56. Ob. 4. Datur charitas ad se ipsum: ergo etiam iustitia. Confir. Datur iniustitia erga seipsum: ergo etiam iustitia. ant. prob. qui se ipsum occidit, est iniustus erga seipsum: ergo. Resp. 1. neg. ant. cum S. Gregorio hom. 17. in Evang. ubi ait: *Minus, quam inter duos charitas haberi non potest; nemo enim proprie ad semetipsum habere charitatem dicitur: sed dilectio in alterum tendit, ut charitas esse possit.* Resp. 2. om. ant. neg. conf. Qui antecedens admittunt, non distinguunt charitatem ab amore, qui pro objecto habet bonitatem, præcindendo à propria, vel aliena: at verò iustitia non respicit ius, præcindens à proprio, & alieno: sed respicit determinatè jus alterius. Ad confir, neg. ant. ad prob. iterum neg. ant. non enim contra se, sed contra DEUM, & rempublicam, talis iniustus est; illi enim servum, & huic civem necat, contra jus eorum.

57. Ob. 5. Qui solvit pretium mercis, vel laborem operarum anticipatò, est iustus: sed non tribuit ius; nam nec mercatores, nec operæ habent iam tunc ius ad solutionem: ergo. Confir. Qui coactus à iudice, cui non potest probare, debitum esse solum, solvit secundò, non tribuit ius, & tamen est iustus: ergo. Resp. neg. mi. quia mercatores, & operæ, per contractum acquirunt ius; aliàs nec merx deberet dari ante pretium; quia nec emptor haberet ius ad hanc: igitur positò contractu lex dat ius ad pretium, & ad mercem. Ubi etiam addendum, quòd, si contraxeris de pretio summo, mercator habiturus sit ius ad hoc pretium, nec tunc futurus sit contentus pretio infimo.

An autem prius fiat traditio pretii, quam mercis, aut vicissim, parum refert ad hanc objectionem; nam, etsi dein prius ab uno,

quam ab altero acquiratur ius in re, non tamen ideo unus non respicit ius alterius. Ad confir. datur eadem responsio, quæ n. 15. data est circa actum iustitiæ superogatorium. An autem taliter solvens sit positivè iustus, vel tantum negativè, iterum parum refert. Potest talis solvens etiam habere pro objecto, non ius proprietatis alterius, sed ius iurisdictionis in superiore, ut actus eius spectet ad obedientiam.

58. Ob. 6. Qui debet pluribus, nec tamen potest omnibus creditoribus satisfacere, est iniustus, etiam ex iustitia commutativa, si solvat omnibus proportionaliter, e. g. cui debet centum, solvat quinquaginta: & cui quinquaginta, solvat viginti quinque: & cui decem solvat quinque &c. & tamen hic non solvit æquale arithmeticè, sed tantum geometricè: ergo etiam iustitia commutativa tantum exigit æqualitatem geometricam. Confir. 1. Mercatores, qui habent contractum societatis lucri, solvi debent ex iustitia commutativa, & tamen tantum solvuntur proportionem geometricam, e. g. qui centum contulit ad communem massam, recipit decem: qui autem tantum quinquaginta, recipit tantum quinque &c. ergo non est opus æqualitate arithmetica. Confir. 2. Ad iustitiam non semper sufficit reddere æquale arithmeticè, e. g. qui rapuit equum, non satisfacit reddendo æqualem, si potest reddere eundem in individuo: ergo æqualitas arithmetica, nec requiritur, nec sufficit ad iustitiam commutativam.

59. Resp. dist. ant. qui solvit proportionaliter omnibus, etsi non æquale arithmeticè, est iustus per se, seu ita, ut iustitia per se contenta sit tali solutione. neg. ant. est iniustus per accidens. conc. ant. & neg. conf. Homo iste in his circumstantiis est iniustus; quia intendit æquale arithmeticè, & libenter hoc tribueret, si haberet (aliàs enim non esset iustus, si potens nollet dare) per accidens autem est, quòd pecuniæ desint; neque enim ius, quod respicit iustitia commutativa, est per se inadæquabile, uti tamen est obiectum motivum religionis, de qua n. 50. imò etiam obiectum iustitiæ distributiæ est per se adæquabile; non enim ista respicit merita membrorum, tanquam actus virtuosos (sub qua ratione sunt incompenfables ab homine) sed præcisè tanquam actus utiles reipublicæ, sub qua ratione sunt adæquabiles præmio. Sic potest etiam iustitia distributiva per accidens dare æquale arithmeticè, quando scilicet dantur plurimum merita arithmeticè æqualia.

60. Ad 1. confir. dist. eodem modo ant. & hoc fit per accidens. conc. ant. per se. neg. ant. & conf. Iustitia in eo contractu tantum exigit æqualitatem cum iure, quod habet exponens negotiationi pecuniam: hic autem habet tantum ius, quantum est lucrum; cum ergo lucrum plurimum pecuniarum sit maius, pauciorum verò minus, eo ipso, quòd iustitia commutativa per

se intendat æqualitatem arithmeticam cum quovis iure, per accidens oritur æqualitas geometrica inter habentes iura maiora, & minora. Ad 2. confir. dist. ant. ad iustitiam non semper sufficit reddere æquale qualecunque, vel materialiter tantum. conc. ant. æquale formaliter iuri alterius. neg. ant. & conf. Dominus non habet tantum ius ad equum qualecunque, sed ad hunc in individuo, cui iuri formaliter æqualis non est equus alius; quia per hunc non satisficit potestati legitimæ obligandi alios, ne hunc in individuo equum sine voluntate domini auferant.

61. Ob. 7. Iustitia commutativa non est tantum circa unum, sed etiam circa plures: ergo non differt à iustitia legali, vel distributiva: nec est virtus particularis, sed universalis. Confir. Non differunt specie honestas reddendi famam, & honestas reddendi pecuniam, sed utrumque obiectum spectat ad eandem specie virtutem, scilicet iustitiam commutativam: ergo neque differunt honestas reddendi bona privata, & honestas distribuendi publica: ergo non differunt iustitia commutativa, & distributiva. Resp. dist. ant. Iustitia commutativa est circa plures necessariò, & per se. neg. ant. tantum per accidens. conc. ant. & neg. conf. non enim ius proprietatis necessariò, aut per se exigit, respicere plures, uti tamen per se exigunt iura iustitiæ legalis, & distributiæ. Adde, quod diximus n. 43, sæpe multitudinem, vel communitatem, considerari, non ut communitatem, sed ut partem particularem, contra quam etiam habet ius privatus, tanquam altera pars. Econtra aliquando etiam iustitia distributiva per accidens versatur tantum circa unum, quando e. g. beneficium est conferendum uni ex pluribus, & tantum adest unus, qui illud petat.

Ad confir. dist. ant. non differunt specie honestas reddendi famam, & honestas reddendi pecuniam, si reddantur ex eodem motivo formali. om. ant. fecus. neg. ant. & utramque conf. Certè honestas reddendi famam; quia alter habet ius ad famam: & honestas reddendi pecuniam, non quia alter habet jus ad eam, sed quia e. g. creditor vult exercere misericordiam erga suum pauperem debitorem, differunt specie: si tamen redditio pecuniæ, & famæ, proveniant ex eodem iure, quod alius habet ad utramque, tunc potest omitti, quòd non differant specie: saltem communiter videntur revocari ad eandem unicam virtutem iustitiæ.

Dico: potest omitti; nam posset dici, iustitiam commutativam esse virtutem genericam, & sub se habere plures iustitias particulares, non quidem realiter, sed tamen formaliter distinctas, quæ pro suo obiecto formali respiciant diversas honestates (qua de re vide tract. de virt. Theol. n. 27.) & tales diversas honestates esse etiam honestas reddendi pecuniam, & famam; unde posset negari ant. superius. Certè inhonestas lædendi bonam famam, & inhonestas lædendi bona fortunæ, & inhonestas lædendi bona corporis, quamvis repugnent eidem iustitiæ genericè sumptæ, tamen inter se specie differunt, & faciunt peccata specie diversa, de quo vide tract. de peccat. n. 165. Sed, quidquid de hoc sit, saltem iura, vel obiecta formalia, quæ respiciunt iustitiam distributivam, & iustitiam commutativam, differunt specie, consequenter etiam honestates iura illa respicientes.

62. Ob. 8. Iustitia vindicativa intendit proportionem geometricam pœnæ cum delictis; scilicet attendendò etiam ad dignitatem, & merita delinquentium: ergo spectat ad iustitiam distributivam. Confir. Iudex puniendo reum elicit actum iustitiæ: ergo vel iustitiæ commutativæ, vel distributiæ: at qui non elicit actum iustitiæ commutativæ: ergo distributiæ. Resp. dist. ant. Iustitia vindicativa intendit proportionem geometricam, respiciendo jus rei puniendi. neg. ant. non respiciendo jus rei. conc. ant. & neg. conf. Ad confir. dist. ant. iudex elicit actum iustitiæ, qui respicit ius rei. neg. ant. qui respicit ius aliud, de quo n. 44. conc. ant. & sub eadem dist. om. vel neg. conf. subsumpt. iterum dist. non elicit actum iustitiæ commutativæ inter ipsum, ac reum. conc. subf. inter ipsum, ac communitatem, ut dictum n. 44. neg. subsumpt. & ult. conf. Si autem consideretur non ius rei, sed ius iudicis contra reum, potest id aliquo modo reduci ad ius iustitiæ legalis. ut *ibidem* dictum.

63. Ob. 9. Iniquus distributor bonorum communium, non conferens Petro, quod ei proportionem geometricam debebatur, debet Petro restituere, & compensare damnum illatum: ergo etiam iustitia distributiva obligat ad restitutionem. Confir. Pietas erga parentem, & charitas erga pauperem, si uterque in extrema necessitate sit, obligat ad succurrendum, & etiam ad restituendum, si damnum passus sint; eoquòd e. g. prohibitus sit pater vendere filium, & pauper accipere rem divitis: ergo etiam aliæ virtutes præter iustitiam commutativam obligant ad restitutionem.

Resp. dist. ant. Iniquus distributor tenetur restituere, si tantum obligatus fuit ex iustitia distributiva. neg. ant. si obligatus fuit etiam ex iustitia commutativa, ut sæpe fit. om. ant. & neg. conf. Distributores sapissimè, ex pacto inter ipsos, & rempublicam, vel explicito, vel implicito, tenentur distribuere pro meritis membrorum communitatis; nam ipsi relinquunt sub ista conditione, vel pacto hæc potestas, ut scilicet ea utantur in utilitatem reipublicæ, quæ exigit, ut dignis dentur bona præ aliis; ideo etiam distributoribus habetur honor, aliquando etiam inde habent utilitatem, seu stipendium: vel aliquando etiam communitas, dum iubet bona communia distribuere, potest per ipsam eam iustitiam distribuere cuique membro aliquod ius ad rem, seu partem illam, quæ ipsum concernit: qua omnia spectant ad iustitiam commutativam.

64. Ad confir. dist. ant. & ea obligatio restituendi oritur ex læsa pietate, vel charitate. neg. ant. ex læso aliquo iure proprietatis, quod in eo casu violatur, & de quo dictum n. 23. & 24. conc. ant. & neg. conf. unde, quandocunque adest obligatio restituendi, adesse etiam debet aliquod ius proprietatis. Ex quibus patet, contra iustitiam commutativam peccari peccato strictè contrario iuri proprietatis, & obligante ad restitutionem: contra iustitiam legalem peccari peccato opposito honesti boni communis: contra iustitiam distributivam peccari vitio acceptionis personarum, quæ stat in eo, quòd quis in iure dicendo, vel in honorum, aut honorum communium distributione, non attendat ad causam, sed potius ad personam, vel eius conditionem, ad rem non pertinentem, seu non maius meritum conciliantem. vide Layman. l. 4. tr. 2. c. 15. n. 6.

ARTICULUS III.

Quodnam Objectum, & quænam alia Prædicata habeat Iustitia.

65. **O**bjectum virtutis in genere sumptum aliud est formale, aliud materiale: formale est duplex, formale quod, & formale quo. Primum est, quod attingitur propter se, & aliud etiam propter ipsum: sive est motivum, quod intrinsecè propter se amplectitur actus virtutis: tale est DEUS respectu actus charitatis. Alterum est motivum, propter quod attingitur aliud, sed ipsum non attingitur: sive est motivum actus, quod tamen actus non amplectitur, seu non amat: tale est e. g. peccatum respectu actus attritionis, elicitus ex turpitudine peccati. *Objectum materiale est, quod attingitur propter aliud, e. g. mysterium aliquod revelatione respectu fidei. videantur dicta in tract. de virt. Theol. à n. 4. ubi hæc fusiùs explicata sunt: quibus positus*

66. Dico 1. Objectum iustitiæ formale quod est ipsa honestas tribuendi alteri ius suum, denominativè accepta: objectum materiale quo est ius ipsum alterius: objectum materiale est omne illud, quod damus alteri ad ius illius adæquandum, e. g. sunt pecuniæ, equus, ager, dignitas, bonum nomen &c. hæc sponte fluunt ex iis rite intellectis, quæ de virt. Theol. à n. 4. dicta sunt; nam in primis iustitia per suam actum amplectitur, seu amat illam honestatem, denominativè acceptam, & ab hac debitor movetur ad solvendam e. g. pecuniam. Honestas autem, denominativè accepta, est honestas tantum sumpta secundum rectum, qui denominatur: non verò etiam secundum obliquum; nam honestas sumpta cum obliquis, seu quidditivè accepta, involveret etiam ipsum jus, quod non amatur à iustitia (quæ iterum explicata sunt de virt. Theol. à n. 4.) movetur enim debitor à iure

alterius, sed istud actus iustitiæ non amat: nec est necesse, ut amet. Tandem alia, quæ propter hæc motiva iustitia præstat, hoc ipso necessariò attingit, non propter se, sed propter aliud.

67. Dico 2. Iustitia non obligat per se, ad operandum ex objecto suo formali: sed ad satisfaciendum obligationi iustitiæ sufficit, si quis apponat objectum materiale debitum, ex animo virtuali compensandi ius alterius. ita Gormaz de iustit. n. 156. & alii. Explicatur, & prob. conclusio. Si alicui debeo centum florenos, satisfacio huic debito, modò eos centum florenos materialiter dem, licet non intendam honestatem solvendi, sed præstem solutionem ex alio motivo, e. g. intendam liberationem meam à debitis, vel redemptionem à vexa &c. tunc enim iam ius creditoris extinctum est; nec enim illi debeo actum virtuosum, sed tantum centum florenos.

Præceptum etiam iustitiæ non obligat, ad eliciendum determinatè actum huius virtutis; nec enim de hoc præcepto ullatenus constat: & sine tali actu, potest absolute homo, sufficienter ordinari ad ultimum finem, per solos actus virtutum Theologicarum: de quibus eliciendis jam aliunde datur præceptum, ut probatum in tr. de virt. Theol. à n. 607. At non datur præceptum operandi ex virtutibus moralibus, determinatè sumptis: sed tantum datur præceptum operandi ex his indeterminate, vel vagè sumptis. Dixi tamen, debere apponi objectum materiale, animo saltem virtuali compensandi ius alterius: qualis animus jam incit supra positus intentionibus, liberandi se à debitis, vel vexa &c. si quis enim daret e. g. illos centum florenos animo donandi, utique jus creditoris non extingueret.

68. Ut quis autem, non tantum validè, sed etiam licitè agat, debet agere saltem ex motivo non inhonesto; nam qui solveret debitum ex motivo inhonesto, e. g. ex vana gloria, vel ex odio; quia scit, solutionem in his circumstantiis creditori esse noxiam; eoquòd illà e. g. sit abusus ad donationem faciendam meretrici, extingueret quidem debitum, nec creditor posset rursus alteram solutionem exigere: sed tamen solvens licitè id non faceret, nec talis restitutio esset actus ullius virtutis. Par esset ratio, si daret in circumstantiis inhonestis, e. g. gladium redderet homini, quando hic ebrius, vel furiosus est, imminetque periculum cædis: nec talis restituens diceretur simpliciter iustus? sicut tamen diceretur, saltem in significatione latiori, iustus ille, qui redderet ex alio motivo non inhonesto, & in circumstantiis etiam non inhonestis. Imò posset contingere, ut in circumstantiis inhonestis reddens esset causa iniusta novi damni, & ratione huius novam obligationem restituendi ex iustitia contraheret.

69. Dico 3. Iustitia attendit medium rei, non rationis. ita S. Thomas 2. 2. q. 58. a. 10. & alii. Explicatur, & prob. conclusio. Virtus dicitur stare in medio, non autem vitium; nam hoc,

hoc, vel stat in excessu, ut prodigalitas, vel in defectu, ut avaritia: in medio autem temperantia. Jam medium rei dicitur, quando ex re ipsa absque discursu statim apparet, quousque se virtus extendere debeat, ne excedat, vel deficiat: & sic in iustitia statim apparet, quòd debitor centum florenorum debeat usque ad centum solvere: adeòque attendit ad medium rei; nam, quòd aliquando contingat, non statim sciri, quantum debitum, vel damnatum sit, idque prudentum arbitrio primùm æstimari debeat, per accidens est, & respectivè rarum: Medium rationis dicitur, quod primùm usu rationis, vel discursu indagari debet: & tale medium habet e. g. temperantia, & fortitudo; nam, quantum cibi sumi, aut quantum animositatis ostendi debeat, ex discursu intellectus colligi debet, considerando qualitatè cibi, & vim stomachi, vel spem, & utilitatè victoriæ &c.

70. Dico 4. Iustitia potius versatur circa actiones, quàm passiones. ita rursus S. Thomas 2. 2. q. 58. a. 9. Explicatur, & prob. Iustitia quidem etiam moderatur passiones, e. g. avaritiam, ne quis rapiat alienum: quia tamen est ad alterum, & primariò tendit, ad actiones erga alterum rite disponendas, dicitur circa has potius, seu ex primaria sua intentione versari. Econtra, quia fortitudo, & temperantia, sunt ex primaria intentione ad seipsum, seu proprium subjectum, cujus passiones ex primario suo fine moderantur, scilicet temperantia gulam, fortitudo timorem, dicuntur versari circa passiones, non obstante, quòd etiam actiones, seu actus suos, bene, & honestè eliciant. Ex quibus infer, de aliis etiam virtutibus, quæ sunt ad alterum, & tanquam partes potentiales ad iustitiam spectant, dicendum esse, eas potius versari circa actiones, quàm passiones.

71. Dico 5. Iustitia non versatur circa contrapassum. ita S. Thomas 2. 2. q. 61. a. 4. contra Pythagoricos. Explicatur, & probatur. *Contrapassum nihil est aliud, quàm, si quis physicè tantum patiat, quantum fecit, e. g. percutiens alium alapa, similem recipiat à læso. Hoc contrapassum utique non est iustum, circa quod versatur iustitia; nam 1. qui fecit aliquid cum plena deliberatione, plus debet pati, quàm alius, qui indeliberatè, vel tantum semideliberatè, id fecit. 2. si rex percutiat, etiam iniustè, rusticum alapa, & ab hoc repercutiatur, plus patitur, quàm egerit: econtra, si rusticus prior regem percutiens repercutiatur à rege, longè minus patitur; crescit enim injuria, aut passio, ex dignitate patientis, & ex vilitate ejusdem decrescit. Res clara est, nec indiget majori explanatione.*

ARTICULUS IV.

Solvuntur Objectiones.

72. **O**B. 1. contra 1. conclusionem. Iustitia versatur circa æ-

qualitatè: sed æqualitas, utpote relatio prædicamentalis, involvit, vel utrumque terminum, vel utramque rationem fundandis; ergo objectum materiale iustitiæ, utpote æquale juri alterius, involvit etiam jus: ergo jus erit objectum formale quod iustitiæ. Confir. Iustitia amat jus alterius: ergo. Resp. dist. ma. Iustitia versatur circa æqualitatè denominativè acceptam. conc. ma. circa quidditivè acceptam. neg. ma. & dist. sic mi. neg. conf. Sensus hujus distinctionis, ut suppono, intelligitur ex logica: vel potest etiam haberi ex dictis de virt. Theol. n. 13. Ad confir. neg. ant. si enim alicui valde displiceat, & pœnitæat etiam eum, quòd contraxerit debita, non amat us creditoris & tamen, modò solvat, iustè agit.

73. Dices. Æqualitas, denominativè sumpta, est indifferens, ut sit iusta, vel non; sed iustitia non amat aliquid ita indifferens; ergo non amat æqualitatè tantum denominativè sumptam. prob. ma. æqualitas, denominativè sumpta, est præcisè ipsa actio, seu solutio: sed hæc est indifferens; ergo. Resp. 1. retorqueo argumentum. Juxta amat pœnam æqualem delicto denominativè sumptam, & tamen hæc est præcisè ipsa pœna, quæ est indifferens, ut sit iusta, si nempe peccatum detur, vel iniusta, si non detur: ergo. Resp. 2. in forma. dist. mi. iustitia non amat aliquid intrinsecè ita indifferens. neg. mi. non amat aliquid etiam extrinsecè indifferens. conc. mi. & neg. conf. Solutio, cum sit indifferens, ut pœnatur in his, vel illis circumstantiis, est intrinsecè indifferens, ut sit debita, vel non, ut sit æqualis, vel non &c. sicut etiam pœna. At quando ponitur in circumstantiis requisitis, extrinsecè est determinata: nec jam est extrinsecè indifferens: cumque eam iustitia tantum amplectatur, quando est in his circumstantiis, semper amplectitur eam ut determinatam, & consequenter denominatam æqualem, iustam &c. nec jam extrinsecè indifferenter.

Ubi ulterius nota, aliud esse amare, vel amplecti rem ut positam in circumstantiis: aliud amplecti ipsas circumstantias. Prius tantum significat, amare rem ut positam ab intellectu cum circumstantiis: alterum significat, voluntatem etiam ferri prosequitivè in ipsas circumstantias: quæ sunt diversissima. Sic in circumstantiis mortis imminentis vult quis, dare latroni grandem summam pecuniæ, quin eas circumstantias velit; nec enim voluntas, utpote potentia libera, debet omnia amare, quæ intellectus proponit: sed potest liberè amare unum sine altero: quamvis intellectus, utpote potentia necessaria, debeat, omnia cognoscere, quæ ipsi proponuntur.

74. Ob. 2. contra 2. conclusionem. Iustitia obligat ad actus justos: atqui non sunt iusti, nisi sint elicitus, ex motivo formali iustitiæ: ergo. Confir. Si iustitia obligaret tantum ad actus quomodocunque tribuentes jus alteri, obligaret etiam ad actus malos; nam, ut dictum n. 68. etiam per hos

extinguitur jus alterius: sed iustitia, utpote virtus, non potest obligare ad actus malos: ergo. Resp. dist. ma. iustitia obligat ad actus simpliciter justos, hoc est, formaliter, & materialiter justos. neg. ma. ad actus secundum quid justos, hoc est, saltem materialiter tales. conc. ma. & dist. sic mi. neg. conf.

Ad confir. neg. ma. Iustitia tantum obligat ad id, quod intrinsicè est indifferens, ut bene, vel malè fiat, nempe ad actum externum, e. g. solutionem, quæ potest fieri ex intentione, seu actu interno bono, vel malo: hunc autem actum internum, determinatè sumptum, non præcipit: sed eum permittit, si malus sit: approbat, si bonus sit, seu ex motivo honesto: quamvis etiam hunc non præcipiat, sed potius supponat actum bonum, seu honestum, esse jam præceptum ab universali lege, quæ præcipitur, ut semper honestè agamus, quando deliberatè agimus, vel saltem, ut nunquam agamus inhonestè.

75. Ob. 3. Virtutes Theologicæ determinatè obligant, ad actus ex formali suo motivo elicendos: ergo etiam virtutes morales, adeoque etiam iustitia. Confir. Si non etiam ita obligarent virtutes morales, posset dici, nunquam dari obligationem ad actus virtutum moralium, etiam tantum indeterminatam, sed duntaxat ad actus Theologicos: hoc dici non potest: ergo. Resp. neg. conf. De præcepto circa actus Theologicos constat: non verò constat de simili præcepto circa actus morales. Dein actus Theologici sunt principales, & immediatè nos uniunt ultimo fini, nec suppleri possunt per actus morales, longè inferiores: imò nec actus unius virtutis Theologicæ est supplebilis per actum alterius; fides enim, utpote actus intellectus, non potest suppleri ab actibus voluntatis, quales sunt actus spei, & charitatis, nec eos supplere; cum sit in alio ordine: charitas etiam non potest suppleri à spe, utpote inferiore, & minùs digna: sed nec spes à charitate; cum in hac providentia homini saltem moraliter impossibile sit, superare tot tentationes sine elevatione animi, ad bona aeterna consequenda, in ordine ad quem effectur. charitas spem supplere non potest.

76. Accedit, quòd nec virtutes Theologicæ semper obligent, ad operandum ex suo motivo. Sic fides obligat ad excutiendas tentationes contra fidem, ad discendam doctrinam Christianam: charitas ad defendendum honorem DEI, ad vitandum omne peccatum mortale, ad succurrendum proximo &c. quin semper debeamus, hæc, vel similia facere, ex motivo formali fidei, vel charitatis. Ad confir. neg. ma. cum enim non semper obligemur, ad actus Theologicos formaliter tales, & sæpe teneamur, ratione variarum circumstantiarum, elicere aliquos actus virtutum, e. g. orare, eleemosynam facere, tentationibus variis positivè resistere &c. saltem indeterminatè obligamur ad

actus morales, si scilicet nolimus, elicere Theologicos.

77. Ob. 4. Vaga obligatio ad honestum, affert necessitatem agendi ex aliquo saltem motivo honesto: ergo vaga obligatio ad justum, affert necessitatem operandi ex aliquo motivo justo. Confir. Virtutes obligant etiam ad finem, non tantum ad media: ergo iustitia obligat ad justum simpliciter. Resp. neg. ant. si obligatio omnino vaga sit, etiam ad genus actus, sive, si obligatio non sit determinata, ad ullam honestatem etiam genericam; tunc enim etiam satisficit obligationi per actum inhonestum. Si autem ponatur obligatio vaga intra genus honestatis, seu jam determinata ad genus honestatis, & tantum vaga circa varias species honestatis. neg. conf. nam obligatio iustitiæ est etiam vaga, seu indeterminata, ad totum genus iusti simpliciter talis.

Ad confir. dist. ant. Virtutes obligant ad finem extrinsecum. neg. ant. ad finem intrinsecum rei præceptæ. conc. ant. & neg. conf. Debet autem attendi, quid virtutes præcipiant: si præcipiunt actum suum internum, ut virtutes Theologicæ, tunc præcipiunt eum elici ex suo motivo: si autem præcipiunt tantum actum externum, vel etiam aliquem internum, non tamen simpliciter suum, e. g. iustitia solutionem externam, vel æstimationem proximi bonam internam (quæ non debet necessariò concipi ex motivo iustitiæ) tunc, cum ille actus sit indifferens ad varia motiva, præcipiunt tantum determinatè ipsum, seu rem externam, vel actum internum ex aliquo motivo, intendendo quidem motivum honestum, permittendo tamen etiam aliquod inhonestum.

78. Ob. 5. Ex dictis sequeretur, quòd satisfacerem iustitiæ, si ego debens Petro centum florenos, hos ei darem animo donandi: hoc est falsum: ergo. prob. ma. in tali casu darem rem externam, quam debeo, ex motivo honesto: hoc iuxta nos sufficit: ergo. Resp. neg. ma. ad prob. dist. ma. darem rem externam, ex motivo honesto, & animo virtuali compensandi, vel extinguendi jus Petri. neg. ma. animo tantum donandi. conc. ma. & dist. sic mi. neg. conf. Ratio est; quia, cum illi centum floreni sint mei, possum de illis disponere pro libitu, adeoque iis extinguere jus illud, vel eos in alium finem, scilicet in donationem expendere. Insuper pendet hæc obligatio iustitiæ à mea voluntate, ut in multis aliis casibus: sive, pendet à mea voluntate, an velim extinguere per eos florenos jus alterius, an non: consequenter, si nolim, id extinguere, maneo obligatus.

79. Idem contingit etiam in voto, quo e. g. vovi, me donaturum centum florenos Ecclesiæ; si enim eos dem, non animo saltem virtuali satisfaciendi voto, sed purè donandi, adhuc obligor voto; quia etiam hæc obligatio dependet à mea voluntate. Aliud est de obligatione præcepti, quæ, cum non pendeat à mea voluntate, etsi ei non velim satisficere, tamen ei satisficio, e. g. audiendo

endo sacrum die festo, cum intentione audiendi adhuc aliud, & non per istud primò auditum satisfaciendi præcepto; hoc enim casu non obligor aliud audire; quia, cum obligatio præcepti à me non pendeat, jam est ipsi satisfactum, sive velim, sive non velim.

Sic etiam, si depositarius reddat, quod in depositum accepit, etsi nolit, suæ obligationi satisficere, tamen satisficit; quia, cum res illa non sit sua, non potest de illa disponere, prout vult, sed debet eam domino restituere, in debitum circumstantiis: quod, si facit, totum facit, ad quod tenetur: nec pendet ab ejus voluntate, an velit ea re ad alios fines, e. g. ad donationem uti. Quodsi tamen se obligaret sponte, ad aliam rem similem, vel æquivalentem dandam, obligaretur quidem, ad eam dandam, at non ratione depositi, sed ratione promissionis.

80. Ob. 6. contra 5. conclusionem. Iustitia commutativa versatur circa proportionem arithmetica: sed contrapassum, seu poena talionis, est proportio arithmetica: ergo iustitia versatur circa contrapassum. Confir. 1. Iustitia distributiva respicit proportionem moraliter arithmetica: ergo commutativa physicè arithmetica: hæc est contrapassum: ergo. Confir. 2. Si contrapassum non esset justum, tunc ideo; quia minus puniendus esset, qui læsit alium involuntariè, quam qui voluntariè: atqui voluntarium, & involuntarium, quæ se non tenent ex parte rei, non diversificant medium iustitiæ, quod est medium rei, non rationis, ut diximus n. 69. ergo. Resp. dist. mi. contrapassum, seu poena talionis physicè talis, est proportio arithmetica. neg. mi. poena talionis moraliter talis. conc. mi. & sub ead. distinctione conc. vel neg. conf. Iustitia respicit proportionem injuriæ, & compensationis arithmetica: atqui alapa regi, & alapa rustico inflicta, non sunt in eadem proportionem arithmetica injuriæ, vel compensationis; dignitas enim nimium quantum eas diversificat: consequenter iustitia non respicit contrapassum physicè tale.

Si autem contrapassum sumatur moraliter, hoc est, si lædens, non tantum physicè æquale patitur, e. g. rusticus alapam pro alapa regi inflicta: sed moraliter æquale, id est, juxta æstimationem prudentum æquale, non alapæ tantum physicè sumptæ, sed sumptæ moraliter, unà cum dignitate regis, tunc erit contrapassum morale, & iustitia circa hoc versabitur. Ad 1. confir. neg. ant. non enim per se, sed per accidens tantum, præter exigentiam iustitiæ distributivæ, id contingit, ut dictum n. 59. Ad 2. confir. neg. mi. nam ipsa injuria voluntariè facta ex parte rei est aliquid majus, quam involuntariè facta. ita S. Thomas expressè 2. 2. q. 61. a. 4. ad 3.

81. Ob. 7. DEUS ipse imponit poenam talionis, seu contrapassum: ergo debet esse justum. prob. ant. Exod. 21. v. 24. statuit DEUS, ut qui alterum læserit, vel mutila-

verit membro, eodem pariter mutiletur: Oculum pro oculo, dentem pro dente, manum pro manu, pedem pro pede &c. sed hoc est contrapassum, seu poena talionis: ergo. Resp. dist. ant. DEUS imponit poenam talionis, seu contrapassum physicum, quando contrapassum physicum, est simul contrapassum morale. conc. ant. quando tantum est physicum contrapassum. neg. ant. & conf. ad prob. dist. ma. DEUS id statuit, quando personæ sunt ejusdem rationis, & non diversæ dignitatis. conc. ant. quando sunt personæ diversæ dignitatis. neg. ant. & conf.

Pœna talionis à DEO tantum est imposta in casu, quo par est conditio offendentis, & offensæ; eodem enim loco fit discrimen, & variæ pœnæ statuuntur, pro diversitate lædentis, & læsi. Sic etiam ibi dicitur v. 23. animam pro anima: hoc est, vitam pro vita: & tamen ibidem v. 20. & 21. dicitur, quòd, si dominus servum percusserit, modò hic uno, vel duobus diebus supervixerit, etsi postea moriatur, non debeat etiam dominus occidi. Item propter diversitatem injuriæ DEUS Exod. 22. v. 1. statuit, ut pro bove, per furtum ablato, reddatur quinque boves, & pro ove una quatuor oves. Ex quo clarè patet, DEUM non statuisse, tanquam justum, contrapassum physicum, sed morale.

DISPUTATIO II.

De Dominio.

82. **D**ominium latè sumptum, est jus reale disponendi de re, vel persona, in proprium, vel aliorum commodum: & dividitur in dominium jurisdictionis, & dominium proprietatis. Illud est jus reale, authoritate propria, & ordinaria gubernandi communitatem in hujus ipsius bonum: & subdividitur in Divinum, quod DEO absolutissimum competit: & creatum, quod creaturis competit Divino subordinatum. Hoc autem creatum subdividitur in Ecclesiasticum, & seculare, sive civile, aut politicum: quæ facillè intelliguntur. Dicitur etiam altum, & bassum: & quidem altum dicitur, quod in regimine tali supremum, vel saltem altero superius est: bassum autem, quod illi subjicitur. Ubi nota: si dominio politico sit annexum jus gladii, dicitur merum imperium: si verò eo jure carcat, & minores tantum pœnas infligere valeat, dicitur mixtum imperium. vide Molina de just. tom. 1. tr. 2. disp. 3. ubi plura de hoc dominio affert: sed nobis ista sufficiant; nec enim de hoc dominio agimus, sed de dominio proprietatis: quod, ut expli- cemus, sit

QUÆSTIO I.

De Dominio Proprietatis in genere.

ARTICULUS I.

Quid, & quotuplex sit Dominium Proprietatis.

83. **D**ominium proprietatis latè sumptum, est jus reale disponendi de re in proprium commodum, vel quoad substantiam, vel quoad emolumenta ipsius, vel quoad utrumque. Hoc dominium aliud dicitur plenum, & perfectum, seu etiam dominium in solidum: quando scilicet quis quoad utrumque, nempe quoad substantiam, & emolumenta rei, potest disponere, & nihil deest, quod ad dominium requiritur. Aliud dicitur non plenum, seu imperfectum, cui scilicet aliquid deest in ratione domini. Potest autem dominio aliquid deesse, vel quia non datur jus integrum, e. g. in domino directo, si non sit simul usufructuarius: vel quia non datur in uno subiecto, sed est commune pluribus: sic Petrus non habet dominium plenum in hæreditatem, vel domum, cuius dimidia pars spectat ad Paulum.

84. Dominium plenum à Juristis cum Bartolo in *L. si quis vi. 17. ff. de acquirenda possess. §. differentia.* definitur jus de re corporali perfecte disponendi, nisi lege prohibeatur. Theologi expungunt illa verba de re corporali; nam datur utique etiam dominium rerum spiritualium: quis enim neget, DEUM esse absolutissimum dominum Angelorum? Sed & dominium rerum incorporalium dari supponitur *L. qui usufructum 3. ff. si usus fructus petatur.* ubi dicitur: *Est enim absurdum, plus juris habere eos, qui possessionem duntaxat usufructus, non etiam dominium adepti sint:* ubi supponitur, aliquos adeptos esse dominium usufructus, seu juris percipiendi fructus, quod jus non est aliquid corporale. Si dicas, id dominium esse imperfectum. Resp. etiamsi concedatur esse imperfectum, non obest; si enim potest dari dominium imperfectum rei incorporalis, nulla certè est ratio, quare non etiam dari possit perfectum. Quidam etiam expungunt illa verba: *Nisi lege prohibeatur:* sed quid quid sit, de omnimoda eorum necessitate, saltem serviunt claritati, ut patebit ex dicendis: quare, ut in pluribus aliis definitionibus similia verba admittuntur, etiam passim à logicis (qui tamen præ aliis volunt exacti videri) etiam in definitione sui termini, ita etiam ista possunt relinquì.

85. Dicitur autem hoc dominium jus, per quod intelligitur jus in re; nam jus ad rem non tribuit facultatem de ea perfecte disponendi, ut patet ex *n. 7.* Per voculam *perfectè* intelligitur quoad utrumque, scilicet,

quòd quis possit disponere quoad substantiam, & emolumenta, quanquam, saltem ad dominium plenum creatum, non requiratur, ut quis possit perfectissime de re disponere, ut infra ex objectionibus patebit. Per verba: *Nisi lege prohibeatur:* intelligitur, quòd, sicut jus, ut dictum *n. 27.* provenit à lege, adeoque etiam dominium: ita ab eadem potest provenire hujus ligatio.

Per legem autem hinc intelligitur, vel formaliter, vel æquivalenter talis, ut dictum *n. 27.* Potest autem lex ligare jus, ut quedam actiones non possint fieri licite, aliæ nec valide, quin tamen jus tollatur, ut dictum *n. 9.* & clarè patet in pupillo, qui nec valdè se solo potest contrahere; cum tamen jus certum habeat, sed ligatum. In hac autem definitione *jus disponendi de re* est genus; nam hoc convenit etiam dominiis imperfectis, ut usui juris: particula autem *perfectè* est differentia domini perfecti, seu pleni, ab imperfecto, seu non pleno. Addit Gormaz de *justit. n. 245.* & rectè, per verba: *Nisi lege prohibeatur:* seu per subjectionem ad legem, differre dominium creaturarum à dominio DEI; hic enim, cum superiore non habeat, nulli legi subijcitur; unde hæc definitio in rigore convenit soli dominio proprietatis creato.

86. Ex his facilè colligitur definitio domini imperfecti, scilicet est *jus imperfectè disponendi de re, nisi lege prohibeatur;* qui enim tantum habet dominium imperfectum, non potest perfectè, sive quoad substantiam, sive quoad emolumenta rei, disponere. Dividitur autem dominium imperfectum in dominium directum nudum, & dominium utile. Illud est jus proprietatis in re, ad cuius tamen utilitatem, & fructum, alius jus habet; dicitur autem nudum; quia est nudatum utilitate fructuum, quos res, e. g. ager, fert. Non tamen est hoc dominium abque omni prorsus utilitate, saltem aliquando consequenda; quia variis modis cessat usufructus, & dein fructus obveniunt domino directo, ut habetur *§. usufructus. instit. de usufruct. n. 3.* Rursus domino directo debetur honor, & obsequium personale ab eo, qui gaudet utilitate.

Alterum, seu dominium utile est jus ad utilitatem alicujus rei, cuius proprietatem quoad substantiam habet dominus directus: quod iterum in varias species subdividitur. Quia autem dominium directum proprietatis prævalet utili (nam directum dominium sonat jus radicale, ex quo oriuntur, & cui subordinantur cætera jura, ut ait Lugo de *justitia disp. 2. sec. 1. n. 9.*) hinc, qui habet dominium directum, dicitur simpliciter dominus, alter verò est dominus secundum quid: & sic conciliantur leges, quarum aliqua afferunt, aliæ negant, usufructuarios esse dominos: scilicet negant, esse dominos simpliciter: afferunt, esse dominos secundum quid.

87. Domini utilis partes subiectivæ, seu species sunt. Primò *usufructus*, seu jus utendi re aliena, salvà ipsius substantiâ;

tiâ: & propriè constituitur in rebus usu non consumptibilibus, ut ædibus, agris &c. improprie tamen etiam in rebus consumptibilibus per *L. Omnium pradiorum 3. ff. de usufructu. & §. Constituitur. 2. Instit. de usufructu.* e. g. in equo, in quo per beneficium legis aliquis potest habere usufructum, sed cum obligatione, ut huic equo consumpto substituat similem. Et sic usufructum in pecuniis adventitiis filii habet pater. Potest etiam in aliis rebus constitui, ex pactis, & conventionibus privatis.

Extinguitur autem usufructus (ut habetur *§. Usufructus. 3. Instit. de usufructu.*) variis modis. En verba illius *§. Finitur autem usufructus morte usufructuarii, & duabus capitis deminutionibus, maximâ, & mediâ, & non utendo per modum, & tempus, quæ omnia nostra statuit constitutio. Item finitur usufructus, si domino proprietatis ab usufructuario cedatur (nam cedendo extraneo nihil agitur) vel ex contrario, si usufructuarius proprietatem rei acquisierit, quæ res consolidatio appellatur. Eo amplius constat, si ades incendio consumpta fuerint, vel etiam terra motu, vel vitio suo corruerint, extingui usufructum, & ne area quidem usufructum deberi. & superius initio statim *§. dicitur: Est autem jus in corpore, quo sublato, & ipsum tolli necesse est.**

88. Quares hic ex occasione, quid in jure intelligatur per capitis deminutionem. Resp. *L. Capitis deminutionis. 11. ff. de capite minutis.* sic rem explicat: *Capitis deminutionis tria genera sunt: maxima, mediâ, minima; tria enim sunt, quæ habemus, libertatem, civitatem, familiam. Igitur, cum omnia hæc amittimus, hoc est, libertatem, & civitatem, & familiam, maximam esse capitis deminutionem: cum verò amittimus civitatem, libertatem retinemus, mediâ esse capitis deminutionem: cum & libertas, & civitas retinetur, familia tantum mutatur, minimam esse capitis deminutionem constat.* Idem habetur *Instit. de capitis deminutione*, ubi dicitur, maximam esse, si libertas, & civitas amittatur, ut in iis, qui servi poenâ afficiuntur: mediâ, cum civitas amittitur, libertas retinetur, quod accidit ei, cui aquâ, & igni interdictum est, vel qui in insulam deportatus est: minimam esse, cum civitas, & libertas retinetur, sed status tantum mutatur, quod accidit eis, qui, cum sui juris fuerint, caperunt alieno juri subiecti esse, vel contra: & sic filius, ut ibi habetur, à patre emancipatus, est capite minutus.

89. Secundò domini imperfecti aliqua species est *Usus juris*, qui est *jus utendi re, salvâ ejus substantiâ.* Differt ab usu puro facti; quia hic est sine ullo jure, & est illicitus, si invito domino re ejus, defacto utaris: est autem licitus, si id facias ex licentia domini, ad nutum revocabili. Differt etiam usus juris ab usufructu; quia usus juris non est jus fitendi, sed tantum utendi re, seu ejus fructibus, quantum quis opus ha-

bet, pro se, & familia sua: non autem potest usufructuarius vendere fructus sibi non necessarios, nec potest locare domum &c. quæ, & similia potest usufructuarius: imò usufructuarius tantum potest habitare in domo in tantum, in quantum non impedit operarios domini. Extinguitur autem usus juris iisdem modis, quibus usufructus, ut habetur *L. Omnium pradiorum. cit. n. 87.*

Tertiò *Habitatio*, quæ est *jus habitandi in aliena domo, imò etiam eam alterâ locandi:* finitur autem morte habitatoris.

Quartò *Emphyteusis*, quæ est *jus utendi, & fruendi re aliena immobili, in perpetuum, vel saltem ad decennium, cum obligatione præstandi canonis, seu reddenda pensionis.* Differt ab usufructu; quia emphyteusis est tantum circa res immobiles; nec finitur per se morte emphyteutæ, sed potest in alterum transferri: nec tamen omnem, & plenam affert utilitatem rei; nam canon, seu pensio, quæ datur domino directo, utique detrahitur. De cætero emphyteuta potest uti, & frui, re aliena, sicut usufructuarius.

Quintò *Feudum*, quod est *jus fruendi re aliena immobili, vel quæ pro immobili habetur (ut jus percipiendi tributa, vectigalia) cum onere fidelitatis, & obsequii personalis domino directo, seu in feudatario, aut principali, exhibendi à vasallo, sive feudatario, seu beneficiario cliente.* Differt ab emphyteusi; quòd non habet onus pensionis, sed obsequii personalis. Quodsi obsequium personale mutetur, ut sæpe fit, in pensionem, vix amplius videtur differre ab emphyteusi, etsi bona illa, feudorum legibus reguntur. *Feudum* autem est multiplex: rectum, seu purum, quod solam feudi naturam participat, & non purum: item profanum, & Ecclesiasticum: novum, & antiquum, quod scilicet ultra quartum gradum à progenitoribus habetur: reale, & personale, quod scilicet cum persona extinguitur: masculinum, & femininum: regale, & non regale: nobile, quod nobilitat prius non nobilem, vel reddit nobilitatem, & non nobile: ligium, seu sub onere fidelitatis arctæ, si cum juramento promittitur, & non ligium, seu francum: pignoratitium: emphyteuticum &c. de quibus plura Juristæ.

90. Sextò *Libellus*, vel, ut alii dicunt, *livellus*, qui est quasi emphyteusis, seu feudum subalternum, scilicet est *jus ab emphyteuta, seu feudatario translatum in alterum, cum obligatione solvenda pensionis;* unde doctores passim feudum, & emphyteusin vocant libellum.

Septimò *Superficies*, quæ est *jus adificandi, vel plantandi in alieno solo;* unde superficiarius non habet jus ad solum, seu fundum, sed tantum ad superficiem: destructaque domo, vel vinea, finitur jus: nec potest superficiarius denuo adificare, vel plantare vineas, arbores &c. Quodsi lapsu temporis, vel alia quacunque de causa, finiatur contractus, vinea, vel domus, solo

affixa, pertinet ad dominum soli, seu fundi, qui tamen superficiario debet solvere melioramenta. Ubi etiam notandum: si superficies fuit concessa absque pensione, potest superficiarius domum, vel vineam locare alteri: sin autem fuit concessa cum pensione, tunc ad talem locationem requiritur consensus domini fundi; quia tunc superficiarius censetur emphitevta.

Octavo *Servitus*, quæ est *ius reale in re aliena, sive ejus substantia*. Hoc nomen, si genericè sumitur, sub se continet omnia hæctenus assignata dominia nudæ utilitatis, ususfructus, ususjuris &c. nam in omnibus his res, quæ, quoad substantiam est domini directi, servit alteri, scilicet usufructuario &c. Non tamen dicitur servitus respectu domini directi; neque enim, quando quis percipit ex re quoad substantiam suam fructus, dicitur habere in ea servitutem.

Servitus ita genericè sumpta dividitur in primis in *personalem, & realem*. *Personalis* est, quando certa persona, in individuo sumpta, habet jus in re aliena; unde, eam mortuam, servitus finitur. *Realis* est, quando alicui rei, quæ est alterius, est annexum jus in re aliena: e. g. domui, vel villæ, est alligatum jus, per alterius agrum agendi currus: hocque jus manet per se, manente re, ut vocant, dominante.

Dividitur 2. servitus in *urbanam, & rusticam*. *Urbana* est, quæ urbano prædio. *Rustica*, quæ rustico prædio alligata est. *Prædium urbanum* autem dicitur omne ædificium, habitandi gratiâ extructum, sive in urbe, sive in villa, aut alibi sit: horti etiam recreationis, aut domorum gratiâ facti, & ædibus juncti, inter urbana prædia numerantur: reliqua autem omnia prædia dicuntur rustica: & his accensentur etiam stabula, ab ædificiis, habitandi gratiâ structis, sejuncta.

91. Jam urbana servitutes communiter numerantur istæ: 1. *Stillicidium*, id est, jus stillicidium in alterius solum derivandi: & idem est de canali, vel flumine. 2. *Iter*, seu *aditus per alienum in proprium prædium*. 3. *Jus rigui mittendi in alienum murum*. 4. *Jus oneris imponendi alterius muro*, quem hic conservare tenetur. 5. *Jus protendendi suam domum, per domum, aut solum alienum*. 6. *Jus projiciendi aquam, sive in, &c. in alterius solum*, ad quod reduci queunt cloacæ. 7. *Prospectus*, seu jus faciendi, ut per alienam domum pateat via luminis ad meam domum, sive per factum foramen, sive aliter. 8. *Jus*, ne impediatur prospectus per ædificium altius ductum, vel per arbores &c. 9. *Jus altius ducendi ædificium, vel non altius tollendi ædificium*, prout scilicet habenti jus commodum est: per quod ædificium, præcisè sumptum, tamen non intelliguntur etiam arbores, sive, ne ista quandoque altius tollantur: quanquam hæc contineantur in priore servitute, seu prospectu.

92. Rusticæ servitutes sunt 1. *Iter*, seu jus transitus hominis per alienum rusticum prædium in proprium. 2. *Actus*, seu dedu-

ctio pecorum, vel etiam vehiculi, per alienum in proprium. 3. *Via*, quæ est jus etiam trabes, & lapides, per alienum prædium vehendi; unde tertia servitus includit secundam, & primam: secunda autem primam. 4. *Aqua ductus*, seu jus ducendi aquam per alterius prædium. 5. *Jus pascendi*, scilicet pecora in alieno agro. 6. *Pecorum appulsus*, seu jus ducendi pecora ad aquam per alienum prædium. 7. *Aque hausus*, seu jus hauriendi aquam ex alterius puteo. 8. *Jus coquendi calcem, & fodendi arenam*, nempe in alieno. vide Molina tom. 1. tr. 2. disp. 11. ubi rectè notat, aliquas urbanas servitutes posse, ratione diversitatis prædii, aliquando fieri rusticas, & vicissim.

93. Agunt hic multi de possessione, tanquam aliquo quasi complemento domini: at cum ipsa propriè non sit dominium, sed potius titulus ad acquirendum dominium, de ea agemus commodius infra. Sed neque huc videtur spectare propriè *pignus*, quod nihil est aliud, quam res creditori data, ut ab eo pro securitate sua detineatur, donec debitum solvatur; pignoratarius enim jus non habet in pignus, nec de eo potest disponere, vendendo, locando, utendo; nam debitor adhuc plenus dominus pignoris est, ut expressè habetur *L. Generaliter 29. ff. qui, & à quibus manumissis*: creditor autem ad summum habet jus aliquod detinendi pignus apud se, & si non solvatur, conveniendi judicem, ut ejus autoritate pignus vendatur, & vel ab ipso creditore, vel ab alio ematur, & sic debitum solvatur. Idem dendum de *hypotheca*, inter quam, & pignus discrimen est hoc, quod pignus tradatur creditori, & maxime in mobilibus constituitur: hypotheca verò non tradatur, sed tantum obligetur, ut ait Layman. l. 3. tr. 4. c. 30. n. 1. quanquam sæpe ista duo pro eodem accipiantur.

ARTICULUS II.

Solvuntur Objectiones.

94. **O**B. 1. Ideo Petrus habet jus, quia est dominus: ergo dominium præsupponitur ad jus, & non constituit illud. Confr. 1. Non datur jus de re incorporata, ut habetur *L. Nec usus, nec ususfructus 1. ff. de usu, & usufructu*: ergo debent in definitione addi particule *de re corporali*. Confr. 2. Verba illa: *Nisi lege prohibeatur* sunt superflua: ergo non debent addi. prob. ant. vel lex prohibet alteri dispositionem de re; quia non habet jus: & talis non habet dominium: vel prohibet ex alia ratione: & tantum ligat jus quoad actum secundum, non verò quoad actum primum; unde illa verba se habent, sicut si quis diceret: *Pedes sunt potentia ambulandi, nisi vinculis ligentur*. Resp. 1. rectorq. arg. ideo etiam Petrus est dominus; quia habet jus: ergo jus præsupponitur ad dominium.

Resp.

Quid, & quotuplex sit Dominium Proprietatis.

Resp. 2. neg. conf. Particula *ideo* sæpe non significat causalitatem, sed tantum dependentiam à priori, vel connexionem. Sic verè dicitur: *Ideo sol adest; quia dies est*: quin dies sit causa solis, vel ejus præsentia; nam potius sol est causa diei. Sic tempore plenilunii dicimus: *Ideo brevi oritur luna; quia sol occidit*; cum tamen ambo sint effectus simultanei ejusdem primi mobilis, vel certè ejusdem, aut diverfi motoris. Ad 1. confr. neg. ant. Lex illa tantum dicit, usufructum, vel servitutem servitutis, nec ex bonis, nec extra bona esse; quia, ut ibi dicitur, *servitus servitutis esse non potest*: quæ nihil probant contra nos. Certè, si ea lex loqueretur de ipsa servitute, vel usufructu, non servitutis, sed alterius rei, non negaret, aliquid ejus dominum haberi posse; aliàs contradiceret legi citatæ n. 84.

Ad 2. confr. neg. ant. Aliud est, verba illa esse omnino superflua: aliud, ea non esse omnino essentialiter necessaria. Serviant ea verba, saltem ad explicationem majorem juris creati, quatenus dicunt, id ligari posse à lege quoad actum secundum. Ad paritatem de potentia ambulandi, Resp. verba illa: *Nisi vinculis ligentur*: jam ab omnibus apertè subintelligi, & esse omnino superflua: ista verò: *Nisi lege prohibeatur*: non ita apertè subintelligi, & servire ad majorem claritatem, simulque ad explicandam differentiam, inter jus Divinum, quod ligari nulla lege potest, & creatum, quod ligari potest.

95. Ob. 2. Pupillus habet plenum dominium; & tamen non potest perfectè disponere de rebus suis; quia acta ejus sine autoritate tutoris sunt nulla: ergo. Confr. 1. Nulla creatura potest perfectè disponere de rebus suis; quia semper potest justissimè impediri à DEO: ergo, vel nulla habet dominium plenum, vel ad hoc non requiritur jus perfectè disponendi de re. Resp. dist. 2. p. ant. Pupillus non potest disponere in actu primo. neg. ant. non potest disponere in actu secundo. subdist. non potest ex defectu juris. neg. non potest ob ligamen aliquod à lege adjectum. conc. ant. & neg. conf. Pupillus in ordine ad eam dispositionem se habet, ut homo sanis, & integris, sed ligatis pedibus; ut enim iste habet potentiam ambulandi, in actu primo totam, sed tamen quoad actum secundum ligatam, ita ille habet dominium. Si autem obiectio duntaxat velit, pupillum non habere dominium expeditum ad actum secundum, nihil dicitur contra nos. Ad confr. neg. conf. Per dominium plenum creatum tantum intelligitur illud, quod à nulla creatura potest justè impediri; nam contra DEUM nulla creatura habet jus proprietatis; potest enim DEUS transferre, vel auferre pro libitu jura omnium creaturarum, de quo fufius in tract. *de incarnat. à n. 381*.

96. Ob. 3. Dominus tantum directus habet dominium plenum, quin possit perfectè disponere de re: ergo. Confr. 1. Princeps est dominus bonorum communium, nec tamen potest pro libitu disponere de iis: ergo. Confr. 2. Respublica habet domini-

um plenum officiorum, & dignitatum conferendarum; & tamen non habet potestatem liberè disponendi de illis; nam facit injuriam dignis, si eos postponat indignis: ergo. Confr. 3. Posset dici, satis esse ad dominium plenum, jus quomodocunque disponendi de re: ergo. Resp. neg. ant. quod non probatur. Certè usufructuarius habet partem domini, & valde notabilem: nec obest, quod dominus directus possit, vendere proprietatem; nam non potest, eam vendere, nisi cum onere relinquendi alteri usufructum. Ad 1. confr. dist. ant. princeps est dominus, seu habet dominium jurisdictionis, de quo n. 82. conc. ant. habet dominium proprietatis. neg. ant. & sub eadem dist. conc. vel neg. conf. Dominium proprietatis talium rerum ordinariè non est penes singulos, sed penes communitatem, & singuli habent tantum dominium imperfectum, ut dictum n. 83.

97. Ad 2. confr. neg. ant. Si respublica non habet potestatem liberam, saltem validè disponendi de officiis &c. non habet plenum eorum dominium. Unde vel potest dici, constitutos distributores officiorum, repræsentantes totam rempublicam, non habere omnino plenum dominium officiorum; quia non possunt de iis omnino liberè disponere: sed ex lege, aut pacto implicito cum republica, seu tota communitate, tenentur dignitates conferre dignioribus, ut dictum n. 63. Vel, si tota respublica physicè eligat, e. g. ubi viget Democratia, potest dici, eam teneri ex lege, lata ab altiori superiore, e. g. Summo Pontifice, vel Ecclesia, vel certe à DEO; si enim digniores habeant jus proprietatis (ut hic supponitur; cum dicatur injuria fieri dignioribus: quamvis utique dubium sit, an isti habeant strictè jus proprietatis) debet hoc jus, ut supra à n. 27. est probatum, ab aliqua lege provenire: lex autem debet poni ab aliquo superiore. Dein potest ad hanc confirmationem dari responsio, quam inferius n. 99. dabimus ex Molina, de majoratu, vel fidecommissio. Ad 3. confr. neg. ant. esset enim facere questionem de voce contra torrentem: certè, qui tantum habet usum juris, vel rem tantum commodatam, potest aliquo modo de ea disponere, quin habeat plenum dominium.

98. Ob. 4. Qui possidet majoratum, vel fidecommissum, habet plenum dominium ejus, & tamen non potest, perfectè de eo disponere; nec enim potest, eum alienare: & siquid de eo injustè alienaverit, tenetur, ut docet Lugo *de justitia disp. 2. sec. 1. n. 6*. restituere, ita, ut post suam mortem totus æquivaleret majoratus, vel totum fidecommissum, ad alios deveniat: ergo plenum dominium non est jus perfectè disponendi de re. Resp. Non videtur negabile, leges posse alicui tribuere plenum dominium, sed simul id ita restringere, ut neque validè alienare possit, sicut fit in pupillo. Uterius possunt etiam leges, alicui tribuere jus, sed simul eum obligare ad restituendum id, quod invalidè alien-

na-

navit, ut scilicet tota res suo tempore ad alios deveniat; non enim videtur posse negari, quod talis conditio possit adici; cum nullo ex capite repugnet. Econtra etiam non videtur negabile, quod leges alicui tali possint tribuere tantum dominium imperfectum, ita, ut quasi tantum habeat usufructum, & dominium directum, saltem partiale, sit penes totam familiam, tantquam personam fictam: quid autem actu fecerint leges, adhuc sub iudice lis est.

99. Cardinalis Lugo *loc. cit.* & Haunoldus *de jure, & justit. tr. 3. m. 14.* cum aliis etiam multis Juristis censent, non haberi plenum dominium in fidecommissum, tum ex supra alata ratione, tum ex *L. finali §. 2. Sed quia. Cod. communia de legatis, & fidecommissis.* ubi dicitur, haeres non esse *purè* dominus earum rerum, quæ ex jure restitui aliis debent. In oppositum abeunt Molina *de justit. tr. 2. disp. 3.* Gormaz *de justit. n. 284.* multique etiam Juristæ apud de Lugo; quia, ut ajunt, quando à principe petitur facultas alienandi fidecommissum, non petitur novum jus, sed tantum amotio vinculi, quo erat ligatum; citantque pro se *L. Generaliter. §. Sub conditione. ff. qui, & à quibus. manumissis.* ubi ita habetur: *Sub conditione servus legatus, pendente conditione, pleno jure hæredis est: sed nullam libertatem ab eo consequi potest, ne legatario injuria fieret:* ergo etiam ille est plenus dominus, qui non potest, rem alienare sine injuria alterius: & pro qua teneretur restitutionem facere, si eam alienaret: sicut deberet talis hæres restitutionem facere legatario. Citantur & aliæ leges apud Gormaz. *loc. cit.* Quæcunque tibi placuerit ex his opinionibus, stare poterit cum nostra definitione: si sentias cum de Lugo. neg. ant. si cum Molina. neg. conf. & dic, talem habere jus perfectè disponendi de re, sed ligatum lege.

100. Ob. 5. Qui alteri equum vendit, ad necdum tradidit, habet adhuc plenum dominium equi: & tamen non potest perfectè de eo disponere; quia non potest, sine injuria emptoris, eum alteri vendere: ergo. Confir. Qui depositario aufert depositum, furtum committit: ergo iste est dominus depositi: atqui non potest perfectè disponere de deposito: ergo. Resp. conc. vel om. 1. p. ant. (quia emptor tantum habet jus ad rem, non verò jus in re, quod tamen jus in re ad dominium etiam partiale necessarium esse videtur.) dist. 2. p. non potest perfectè disponere ex defectu juris. neg. ant. non potest ob vinculum legis, vel contractus. conc. ant. & neg. conf. Talis venditor potest quidem validè adhuc equum vendere alteri, sed tamen venditione secunda contrahit obligationem, ex lege, vel pacto, compensandi primo emptori damnum, quod ei infertur, ob non traditum equum, seu quanti ejus interfuisset, equum sibi tradi, sive dein sit lucrum cessans, sive damnum emergens. Ad confir. dist. ant. qui depositario aufert depositum, committit furtum latè dictum. conc. ant. strictè dictum. neg.

ant. & conf. Injuria tamen strictè sumpta infertur depositario, quatenus violatur jus servandi depositum.

101. Ob. 6. Qui alteri commodavit, aut locavit aedes, vel fundum, est pleno adhuc jure dominus: atqui non potest, stante eo contractu, perfectè disponere de aedibus, vel fundo: ergo. Confir. Quilibet, quantumvis perfectè dominus, non potest impedire extremè pauperem ab usu rerum suarum: ergo non potest perfectè, seu omnino liberè disponere. Resp. dist. ma. qui locavit aedes, est perfectè dominus, si contractus est tantum precarium. conc. ma. si est contractus locati, vel commodati, neg. ma. & dist. sic mi. neg. conf. Precarium potest pro libitu semper revocari: at verò commodatum, aut locatum non ita; nam est verè contractus, quo usus, vel usufructus alicujus rei, saltem in aliquod tempus, quasi donatione, vel pro certa pensione, aut alia compensatione, in alium transfertur, ita, ut pro eo tempore penes locatent tantum detur dominium directum.

Ad confir. om. quod pro casu illo dives sit perfectè dominus; quia fors aliquis dicet, pauperem habere tunc aliquid jus, saltem ad tantum, quantum ei extremè necessarium est. Sed, hoc omisso, & supposito, quod dives etiam tunc sit perfectè dominus, dist. ant. dives non potest impedire pauperem ex defectu plenitudinis juris. neg. ant. ob prohibitionem, vel obligationem legis. conc. ant. & sub ead. dist. conc. vel neg. conf. Sic etiam divites tenentur, dare elemosynas de rebus, quæ ante dationem plenissimo jure sunt eorum propriæ.

102. Ob. 7. DEUS habet plenissimum dominium in omnes creaturas: atqui non potest perfectè de iis disponere: ergo. prob. mi. DEUS non potest res donatione, vel alia ratione, à se alienare: ergo non potest perfectissimè de iis disponere, neque in actu primo, & antecedenter ad legem; quia DEUS neque potest res alienare eo modo, quo pupillus; nam hic, saltem antecedenter ad legem, vel post impetratam hujus dispensationem, potest aliquid alienare: at verò, est tollatur lex, tamen non potest DEUS, rem aliquam alienare: imò si DEUS posset, rem alienare antecedenter ad legem, non posset per hanc impediri ab ulla dispositione, aliis ipsi possibili; quia DEUS non agnoscit superiorem, à quo legem accipere debeat. Resp. 1. neg. mi. ad prob. conc. ant. neg. conf.

103. Ad perfectè disponendum requiritur tantum, ut quis possit, ex repercipere omnem utilitatem, per se sibi possibilem, non verò omnem impossibilem; aliàs DEUS neque posset esse dominus bovis; quia non potest eum comedere. Imò etiam homo non posset esse dominus fœni; quia non potest illud, ut bos, comedere; unde, cum DEUS non possit ullam utilitatem, etiam tantum extrinsecam, percipere ex alienatione creaturarum, hæc dispositio de re non esset perfecta respectu ipsius: sicut tamen est perfecta respectu hominum, qui ex alienatione re-

rerum varias utilitates percipere possunt. Imò DEUS per alienationem illam omnino destrueretur; quia perderet essentiam suam, per quam ipse est necessariò essentialiter dominus omnium existentium.

Potest tamen DEUS creaturas totaliter destruire, quod dominus creatus, etiam perfectissimus, non potest: sive dein DEUS hoc faciat ex dominio formali, sive radicali, aut fundamentali, quod hic parum curatur. Potest quoque DEUS easdem creaturas non producere, & sic non esse dominus actualis earum. Resp. 2. dist. ult. conseq. DEUS non potest perfectissimè disponere de iis, prout requiritur ad dominium indigentia. conc. conf. prout requiritur ad dominium excellentia. neg. conf. creaturis enim indigentibus utilitate, ex alienationibus acquiribili, bonum est, posse res à se alienare: non item DEO, infinite excellenti super omnes creaturas, & incapaci utilitatis etiam extrinsecæ, ex alienatione recipiendæ.

104. Ob. 8. Usufructuarius potest perfectè disponere de re, & tamen non habet dominium plenum: ergo non sufficit illa potestas. Confir. 1. Usufructuarius potest saltem de fructibus plenè disponere, & tamen non est dominus: ergo. Confir. 2. Tutor potest perfectè disponere de rebus pupilli, quin habeat dominium earum: ergo. Confir. 3. Possim ego alteri concedere jus perfectè disponendi de re, quin tribuam ei dominium; si scilicet retineam mihi facultatem, illud jus revocandi, quamdiu res non fuerit destructa: ergo. Resp. neg. ant. usufructuarius enim non potest disponere de substantia rei; hæc enim salva manere debet domino directo ex *n. 87.*

Ad 1. confir. neg. 2. p. ant. nam usufructuarius est fructuum perceptorum plenus dominus. Ad 2. confir. dist. ant. Tutor potest id facere nomine suo, vel in bonum proprium, ut requiritur ad jus proprietatis, inibitum in dominio. neg. ant. potest id facere nomine alieno pupilli, & in hujus bonum. conc. ant. & neg. conf. Ad 3. confir. neg. ant. Hoc ipso, quod retineam facultatem revocandi eam qualemcumque datam potestatem, non tribuo alteri propriè jus, sed tantum purum usum facti, de quo inferiorius.

105. 9. Ob. 9. Quilibet homo habet potestatem perfectè disponendi de quacunque re, nisi lege prohibeatur: ergo quilibet juxta nos haberet plenum dominium in quacunque re: quod est omnino falsum. Resp. neg. ant. Etiam si enim non esset lex prohibitiva, tamen non quilibet haberet jus ad quodlibet; quia non datur lex conferens cuique jus, quæ tamen est necessaria ad jus habendum, ut probatum à *n. 27.* Distinguentur igitur sunt tres leges. Prima lex est conferens jus, quæ supponitur existere, & intelligitur per terminum *jus disponendi*; nam jus, vel formaliter constituitur per legem, vel certè necessariò cum illa connectitur. Secunda lex est, quæ ligat habentem jus, & prohibet ipsi actum secundum, seu

usum sui juris, imò aliquando etiam irritat: & hæc intelligitur per illa verba: *Nisi lege prohibeatur*: & licet hæc non daretur, non tamen quilibet homo haberet jus, seu potestatem disponendi de rebus omnibus; quia non datur prima lex conferens jus omnibus. Tertia lex est prohibens hominibus aliis usum rei, vel dispositionem de illa, invito domino: & hæc non venit ad rem, neque etiam intelligitur per illam legem, in definitione positam: & licet ista, sive per possibile, sive per impossibile, non daretur, tamen non quilibet haberet jus; cum prima lex non daretur respectu omnium: sive dein in casu illo impossibili fieret injuria peccaminosa, sive non: quamquam probabilius ex una Chymæra sequeretur altera, fieretque in eo casu injuria peccaminosa, & non fieret, de quo hic nolim litigare.

ARTICULUS III.

An sit possibile Dominium duorum in solidum.

106. HÆc controversia multum habet de nomine, plurimum speculationis, & nihil practici: quia tamen valde agitur inter recentiores, servitque ad intelligendam melius libertatem in actu primo, non licet eam transire. Quæstio autem hæc in duplici sensu agitari potest. 1. an sit possibile dominium duorum in solidum, perseverans per aliquod tempus, saltem per plura instantia. 2. an sit possibile dominium illud, saltem in uno instanti, e. g. donationis, venditionis &c. Per dominium autem in solidum intelligitur dominium perfectum, & totum, tam ex parte objecti, quam ex parte subjecti, ut explicatum est *n. 83.* & quidem eiusdem ordinis, non, ut unum sit humanum, alterum Divinum.

Quod jam spectat ad primam partem huius quæstionis, est communissima Theologorum, & Juristarum, non esse possibile dominium tale penes duos perseveranter, ita, ut quilibet ex duobus seorsim sit plenus, & perfectus dominus rei. Paucorum, qui aliter sentire videntur, rationes, in objectionibus refellemus. Sanè leges, quæ negant dominium in solidum, saltem debent negare dominium perseverans, si non negant omne etiam instantaneum, de quo fortè jura non curant; cum ad praxin non faciat. Tales autem leges sunt. *L. Si ut certo §. ultimo. §. ff. commodati, vel contra. L. De hereditate. 19. §. 3. ff. de castrensi peculio.* Ratio etiam est; quia, si duo per plura instantia haberent duplex dominium plenum, possent habere voluntates repugnantes, & unus velle, rem destruire, alter nolle, sicque daretur bellum ex utraque parte materialiter justum, quod implicat.

107. Sed difficilioris resolutionis est altera pars quæstionis, an non saltem in uno instanti, e. g. donationis, vel venditionis, detur

dominium in solidum penes duos, scilicet penes donantem, vel vendentem, & donatarium, vel emptorem: quam questionem Cardinalis de Lugo primus, vel certe inter omnium primos, excitavit: pro cuius clariore intelligentia, & resolutione. Notandum 1. duplex ab auctoribus distingui dominium: unum dicunt *formale*, & est id, quod definitur *n. 84.* scilicet *jus perfectè disponendi de re*: alterum vocant *radicale, fundamentale, virtuale, eminentiale* (quæ predicata idem sonant) & est nihil aliud, quam *potestas retinendi, vel acceptandi, aut destruendi dominium formale.*

Ubi tamen adverto, potestatem præcisè acceptandi physicè dominium formale, non tribuere dominium fundamentale, nisi saltem dominium formale sit oblatum; nam, cum dominium fundamentale, juxta suos auctores, tribuat potestatem, disponendi de dominio formali, hæc certè potestas non habetur, nisi prius oblatum fuerit dominium formale, ut per se patet. Unde non video, quomodo dici possit, non etiam dari à donante, in casu donationis, dominium fundamentale: certè donatarius debet etiam hoc à donante recipere, saltem quoad ultimum determinativum, seu complementum.

108. Notandum 2. potentiam liberam, in actu primo completam, non posse constitui ex aliquo, quod per exercitium libertatis pro eodem instanti destruitur: e. g. potentia libera ad graviter peccandum, non potest constitui ex gratia sanctificante; nam, cum gratia sanctificans destruat per peccatum grave, quod est exercitium libertatis, ipsum exercitium, seu effectus potentie destrueret potentiam, quod est impossibile: nam, si exercitium causæ destrueret ipsam causam, in eodem instanti, ipsamet se destrueret per suam actionem, adeoque, dum ageret, non amplius esset. Hinc etiam negari non potest, quod causa, seu id, quod est prius naturà ad effectum, debeat coexistere cum effectu, eo modo, quo est prius naturà; alias effectus profueret à causa non existente.

Nec dicas, causam moralem, vel intentionalem, non debere existere cum effectu; nam, licet non debeat existere cum effectu physicè, debet tamen cum ipso existere moraliter, vel intentionaliter: neque hæc existentia potest destrui per exercitium causæ ipsius. Ex eadem ratione libertas ambulandi, & libertas amputandi sibi pedes, non constituuntur ex iisdem partibus; nam libertas ambulandi constituitur ex pedibus corpori reliquo unitis: libertas autem amputandi sibi pedes non constituitur ex pedibus pro eodem instanti unitis; nam, cum per amputationem unio tollatur, iterum per exercitium potentie destrueretur potentia: sed potentia amputandi sibi pedes tantum præsupponit, existisse unionem pedum in antecedente instanti.

109. Ex quo ulterius infero, destructionem formalem alicujus rei, seu, ut ita dicam, *in facto esse*, non posse esse actum,

seu exercitium, domini formalis in eam rem, liberè se exercit; nam dominium formale necessariò constituitur ex actuali existentia rei (non enim est aliquis actualis dominus, nisi rei actu existentis) adeoque destructio rei necessariò etiam destruit dominium formale: consequenter non potest esse exercitium hujus domini; aliàs exercitium actuale destrueret potentiam, à qua actu ponitur.

Hinc destructio rei formalis debet profuere, non à dominio formali in illam rem, sed ab alia potestate, quæ non constituitur ex ipsa re, e. g. si homo liberè posset conservare suam cognitionem, in quam habet dominium, vellet autem eam destrui, destructio non esset actus domini circa cognitionem, sed liberæ potentie physicæ, quam haberet anima, conservandi, vel non conservandi suos actus. Dixi *destructio rei formalis*, seu immediata, vel *in facto esse*; nam destructio causalis, & mediata, seu *in fieri*, quæ ponit aliquid in hoc instanti, ex quo sequitur destructio formalis in sequenti instanti, potest esse actus domini formalis; cum enim pro eo instanti, quo ponitur destructio causalis, detur adhuc res subiecta dominio, potest etiam existere simul dominium formale: & sic, quando lanio cultrum infigit in vitulum, vel coquus anferri amputat caput, aut dominus suum pallium projicit in ignem, actiones hæc profuere possunt à dominio formali.

110. Unde tota hujus questionis difficultas reducitur ad hoc, an donatio, vel venditio, sit formalis destructio domini, vel donatore, vel venditore: an verò sit tantum causalis pro sequenti instanti. In qua questione, quantum scio, primus Cardinalis de Lugo *de justit. disp. 2. sec. 2.* (quem postea secutus est Hurtadus de Mendoza, Rhodes *tract. 6. disp. 5. q. 3. sec. 3. §. 5.* Arriaga, atque Platelius) sensit, donationem non esse formalem destructionem domini, adeoque pro illo instanti dari posse dominium duorum in solidum, scilicet posse dari penes donantem, & donatarium, penes venditorem, & emptorem.

Neque tamen dicunt hi auctores, quòd dominium penes duos manere debeat: sed tantum quòd possit. Ratio est; quia ordinariè, & ferme semper, donatio, & acceptatio, fiunt in duobus instantibus successivis: quo casu non amplius urgent argumenta pro hac sententia; quia sola donatio nondum dat jus, seu dominium donatario, sed debet accedere etiam acceptatio; hinc in tali casu in priori instanti potest dici dominus solus donans, in secundo solus donatarius. Quia tamen non repugnat casus, in quo detur donatio, & acceptatio in eodem instanti; e. g. si Cajus dicat, se rem donare Titio, & Titius divinitus edoctus eodem instanti eandem acceptet, dicuntur auctores, in tali casu possibile esse dominium duorum in solidum.

111. Dico cum istis auctoribus. Probabiliter potest in instanti donationis (vel ven-

venditionis) dari dominium duorum in solidum. Prob. conclusio 1. In instanti donationis, si simul detur acceptatio, in primis dominium est penes donatarium, seu eum, qui acceptat rem donatam; hoc enim communissimè tradunt auctores: & sanè, qui acceptat rem oblatam, utique acquirit illam: certè donatio, & acceptatio, sunt completa forma denominans dominium, nec est ullum impedimentum, quo minùs possint donatarium denominare dominium; & aliàs poterit etiam dici, quòd votum non denominet votentem, jam primò instanti obligatum: nec consensus matrimonialis conjugatum, quæ admitti non possunt: ponitur autem in casu, quod donatarius acceptet dominium oblatum: ergo penes ipsum est dominium.

Sed etiam dominium in eo casu est penes donantem: ergo est penes duos. prob. illatum. In primis non est ulla in hoc repugnantia, ut patebit ex solutionibus objectionum. Secundò longè melius salvatur definitio domini formalis; nam, quando definitur dominium, definitur formale, & non tantum fundamentale: definitur autem esse jus perfectè disponendi de re: hoc est, ut omnes explicant, jus donandi, vendendi, alienandi &c. ergo isti sunt actus domini formalis: ergo, qui actu donat, exercet dominium formale, consequenter illud adhuc habet; aliàs non posset vi illius agere, ut per se patet.

Possunt quidem adversarii dicere, dominium formale posse exerceri donando, quando non in eodem instanti statim datur acceptatio: at, si nulla sequitur implicantia, etiam in casu acceptationis, non est necesse, definitionis sensum ita restringere. Aliud est de destructione rei, quæ utique exercitium domini formalis esse non potest, ut patet *ex n. 109.* Hic insuper hoc notandum. Donatio non est translatio domini ejusdem in individuo, quod fuit in priore domino, sed est productio alterius omnino similis, quo producto cessat in sequenti instanti prius dominium: ferè sicut, quando in candela flamma A. producit flammam B. simul dantur pro primo instanti ambæ flammæ: sed sequenti instanti avolat, seu extinguitur flamma A. producens, & remanet sola flamma B. producta.

ARTICULUS IV.

Solvuntur Objectiones.

112. **O**B. I. Juristæ communissimè negant, possibile esse dominium duorum in solidum, ut potest ostendi ex variis legibus, citatis *n. 106.* ergo. Confir. 1. Donans non vult retinere dominium, & quidem voluntate efficaci, ac practica: ergo id non amplius habet. Confir. 2. Si duo haberent dominium plenum in eandem rem, & tertius eam furaretur, deberet utrique totam restituere, adeoque duplum: hoc est falsum:

ergo. Resp. dist. ant. & illi Juristæ loquuntur de dominio permanenti. conc. ant. loquuntur de tantum instantaneo. neg. ant. & conf. vide dicta *n. 106.*

Ad 1. confir. dist. ant. Donans non vult retinere dominium pro sequenti instanti: conc. ant. pro eo instanti, quo ponit exercitium domini. neg. ant. & conf. Sic etiam, qui vovet, non vult habere libertatem, ad se voto obligandum, vel non obligandum, pro sequenti instanti, quod scilicet votum sequitur: vult tamen pro eo, quo vovet; quia vult id, quod necessarium est ad liberè vovendum: nec potest aliter velle; quia aliàs non liberè voveret: & pariter non potest aliter velle donans; quia etiam hic vult, quod necessarium est ad liberè donandum; aliàs enim etiam non liberè donaret. Idem debent adversarii dicere de dominio virtuali, vel fundamentali, (in quo multa argumenta retorqueri possunt) nam etiam hoc vult donans abjicere, & non habere. Ad 2. confir. In primis furtum, & restitutio, non possent fieri eodem instanti: & sequenti instanti jam non essent duo domini: sed hoc om. neg. ma. Talis fur tantum deberet eandem rem restituere ambobus, sicut, si essent domini imperfecti; nam sic jam constitueret eos in pristinum statum.

113. Ob. 2. Ex nostra sententia sequitur, quòd in eodem instanti duo de eadem re possint liberè disponere, adeoque, quòd possint duo principia libera in eandem dispositionem immediatè liberè influere: sed sic ruit commune argumentum pro unicitate DEI, quæ probatur ex eo, quòd duo dii non possint esse liberi: item ruit argumentum, quo nostri communiter impugnant condeterminationem Scotticam: ergo. Resp. neg. utramque partem mi. In casu nostro libertas donatarii est in posteriori signo, & impedibilis: estque dominium quidem ex suppositione plenum, sed revocabile, quæ revocabilitas (ut habent multi textus, quos afferemus infra, agendo de restitutione fructuum, à possessore bonæ fidei faciendâ) non obest, quo minùs dominium sit plenum, & in solidum, quamdiu non datur actualis revocatio. Attamen ex hac revocabilitate sequitur, quòd hæc libertas non sit pro eo instanti perfectissima, sed subordinata, & indigna DEO: præsertim si semper talis maneret, uti maneret semper, si duo dii forent; consequenter stat argumentum pro unicitate DEI.

Eodem modo, si tantum hæc libertas daretur in decreto condeterminante, non esset digna DEO; eoquòd decretum penderet à determinatione creaturæ: nec videret DEUS, saltem sine prævia scientia mediâ infallibiliter in eo decreto futura; quia creatura posset adhuc ea impedire. Si autem adversarii dicere vellent, creaturam habere tantum libertatem subordinatam decreto DEI, à quo impediri possit exercitium libertatis creatæ, Resp. si hoc dicatur, tunc non tantum posse impediri libertatem creatam, sed eam actu impediri; quia, cum decretum non sit im-

pedibile à creatura, & actu efficaciter discernat unum, creatura non potest eligere, vel facere alterum.

114. Ob. 3. Ex nostra sententia sequeretur, quòd, in primo instanti manumissionis, idem homo esset simul servus, & liber; esset enim servus; quia adhuc esset subiectus dominio domini: esset liber; quia acceptasset libertatem: hæc sunt contradictoria: ergo. Confir. 1. Sequeretur etiam, quòd, in instanti contractus matrimonialis, conjux per desiderium inhonestum alterius, tantum faceret peccatum intra speciem fornicationis: hoc est falsum: ergo. prob. ma. esset adhuc dominus sui corporis, & liber: ergo. Confir. 2. Sequeretur ulterius, quòd in primo instanti professionis posset professus uxorem ducere; quia adhuc haberet libertatem: hoc est falsum: ergo. Resp. 1. quærendo ex adversariis, an non, qui liberè sedet, sit in primo instanti indifferens ad sedendum? & an non, qui actu liberè peccat, sit in eodem instanti reali indifferens ad peccandum? item an non, qui actu liberè votum emittit, sit pro eo instanti liber ad votandum? Certè hæc negari non possunt; cum libertas essentialiter involvat indifferentiam.

Sicut ergo prima fronte videntur impossibilia, esse indifferentem ad sedendum, & actu sedere: esse indifferentem ad peccandum, & actu peccare &c: & tamen, si rite explicentur, revera compossibilia sunt: ita etiam, licet prima fronte videatur paradoxum, tamen in sensu legitimo potest aliquis, simul dici servus, & liber, ut ait Rhodus, positivè accipiendo hos terminos: hoc est: potest adhuc dari dominium alicujus in ipsum; & simul hoc ipsum dominium se liberè tunc exercere, dando ipsi libertatem, quam, quia ipse acceptat, etiam ipse fit sui juris: adeoque est suus, & alterius pro aliquo instanti. Non autem potest quis, simul esse servus, & liber negativè, hoc est, ut tanquam liber non sit alterius.

115. Lugo putat, talem hominem simpliciter dicendum esse servum; eo quòd pro eo instanti non possit de se disponere, independenter à voluntate alterius (scilicet manumittentis) actu existente. Mihi videtur dicendum esse liber; quia denominationes istæ ordinariè tribuuntur ex iis, quæ sunt in signo posteriori naturæ. Sic, qui actu sedet, solet potius vocari sedens, quam indifferens ad sedendum: & pariter, qui actu peccat, non solet tunc vocari indifferens, sed actu peccans. Sic etiam baptizatus statim in primo instanti dicitur Christianus: & actu emittens professionem dicitur Religiosus; unde, cum talis homo in signo posteriori sit liber, & tantum in signo priori sit servus, convenientius mihi videtur dici liber.

Hæc autem bene notandum, quòd in eodem instanti indivisibili temporis, Theologi, & Philosophi, distinguant plura signa naturæ, priora, & posteriora: inter quæ non datur prioritas temporis (nam instanti est indivisibile) sed tantum datur prioritas, vel ordo causalitatis; scilicet, si duo simul

existentia ita se habent, ut unum sit causa alterius, tunc, quod est causa alterius, dicitur esse in signo priori: quod autem est effectus, dicitur esse in signo posteriori. Sic sol, & lux, simul tempore existunt, sol tamen est in priori signo naturæ, & lux in posteriori: & pariter in nostro casu, dominium donantis, vel vendentis, est in priori, dominium verò donatarii, vel emptoris, est in posteriori signo naturæ. In forma vel nega ma. & dic talem esse simpliciter liberum dicendum, vel dist. est simul servus, & liber, ista positivè accipiendo conc. ma. negativè. neg. ma. & dist. sic mi. neg. conf.

116. Ad 1. confir. neg. ma. quia desiderium alterius, conjunctum cum contractu matrimoniali, jam affert speciem adulterii; nec enim petitur, ut contractus sit pro priori instanti: sed sufficit, si sit simultaneus. ad prob. dist. ant. conjux adhuc est liber, & dominus sui corporis, pro priori signo naturæ. conc. ant. est dominus etiam pro posteriori signo. neg. ant. & conf. pro signo enim posteriori conjux habet jus, vel dominium ligatum, & quidem ita, ut, si conjungat dictum desiderium, speciem adulterii contrahat. Potest etiam aliter distingui ant. est liber, & dominus sui corporis pro sensu composito contractus matrimonialis. neg. ant. pro sensu diviso ejusdem contractus. conc. ant. & neg. conf. hoc est, habet libertatem, ad omittendum contractum matrimonii, & hoc omnino non contrahendi speciem adulterii: sed non habet libertatem non contrahendi speciem adulterii in sensu composito contractus.

Ad 2. confir. dist. ma. Professus posset in primo instanti uxorem ducere, in priori signo naturæ. conc. ma. in posteriori signo. neg. ma. & dist. sic mi. neg. conf. Hoc manifestè etiam dicere debent adversarii; cum utique liberè debeat professio emitti, adeoque ab eo, qui possit pro signo priori uxorem ducere. Aliter etiam responderi potest, ut responsum est ad præcedentem confirmationem, nempe distinguendo: potest uxorem ducere in sensu composito professionis. neg. ma. in sensu diviso. conc. ma. & dist. sic mi. neg. conf. sicut scilicet, qui sedet, potest stare; licet enim non possit quis professionem emittere, & simul licitè uxorem ducere: potest tamen professionem omittere, & ducere uxorem. Quod si professionem seriò faciat, eo ipso ligat suum jus, ut ne validè possit amplius uxorem ducere, utque etiam sit sacrilegus violator sui voti, si quid tale atteneret: & sufficit, votum esse in eodem simul instanti, ut diximus de matrimonio.

117. Ob. 4. Si potest dari dominium duorum in solidum, potest dari bellum ex utraque parte materialiter justum; nam donans posset retinere rem, tanquam adhuc dominus: & acceptans posset eam, sibi vindicare, tanquam etiam dominus: sed bellum ex utraque parte materialiter justum dari non potest, ut est extra controversiam: ergo. Resp. dist. ma. si potest dari domini-

um duorum permanentem. conc. ma. si tantum potest dari in instanti. neg. ma. & con. mi. neg. conf. non enim potest quis in eodem instanti, habere voluntates contrarias, scilicet donandi jus, & retinendi jus: ergo donans non potest velle retinere jus.

Dices 1. Saltem supernaturaliter essent possibiles illæ contrariæ voluntates: ergo. Resp. neg. ant. Et cur adversarii non dicunt, etiam esse supernaturaliter compossibilia duo judicia contraria, affirmativum, & negativum? nec enim videntur ista sibi magis opponi, quam velle dare, & velle sibi retinere, seu æquivalenter nolle dare. Dein, si valida fuit donatio, tunc retentio, in sensu composito donationis, esset peccaminosa; adeoque supernaturaliter dari non potest; aliàs DEUS esset causa peccati; nam ipsi adscriberetur effectus supernaturalis.

Imò, si istes, quòd donator posset supernaturaliter, rem donatam, non quidem iterum rapere, sed saltem emere, ita, ut in primo signo detur donatio, in secundo acceptatio, in tertio venditio, vel oblatio ad emptionem, in quarto emptio: puto nec hoc possibile esse; foret enim actus otiosus, ad quem DEUS non posset supernaturaliter concurrere; utique enim melius initio donator donabit statim pecunias, quæ rei æquivalerent, & reservaret sibi rem. Nec video, cur, si DEUS speciali illustratione vellet ostendere, non debere rem donari, id non melius faciat in priori signo. Hæc responsio etiam servit, quando objicitur, posse donatorem rem donare Cajo, postquam eam jam donavit Titio, vel posse retinere sibi: vel posse eripere; nam etiam in his casibus haberet voluntates contrarias non compossibiles.

118. Dices 2. Posset quis ita esse malus, ut actu seriò rem aliquam donaret, & tamen simul violenter retineret: sicut est naturaliter possibile, ut quis actu voteat, & votum violet. In tali casu, vel faceret injuriam donatario, vel non? si primum: donans non habet amplius jus; aliàs posset sine injuria alterius rem retinere: si secundum: donatarius non haberet jus: ergo nunquam datur plenum dominium penes duos. Resp. in primis, si donans tantum retineret rem eo instanti, non esset injuria saltem alicujus momenti: si retineret eam etiam sequentibus instantibus, in quibus juxta nos non haberet amplius dominium, faceret utique injuriam donatario.

Urgebis. Saltem esset aliqua injuria, etiam in primo instanti. Resp. cum de Lugo, concedendo esse injuriam; nam dominium plenum non exigit, ut quis possit sine injuria alterius disponere, ex suppositione, quòd jam rem alteri donaverit; nam dominium hoc non exigit, ut quis sine injuria possit elicere actus diversos, & contrarios: sicut non exigit libertas, ut quis possit simul sedere, & stare. Dein retorqueo cum eodem de Lugo argumentum in dominio virtuali: si quis ha-

bet dominium virtuale, vel mediatum, quòd adversarii adstruunt, tunc juxta ipsos habet libertatem, vel retinendi pro se, vel dandi alte i dominium formale, & rem: casu quo ergo quis liberè det alteri dominium formale, potest absque injuria donatarii retinere dominium formale, & rem ipsam (nam liberè donat, consequenter potens non donare) at neque juxta adversarios potest hoc in sensu composito, sive ex suppositione, quòd actu dominium formale transferat. Pariter nos dicimus, non posse donatorem, retinere rem in sensu composito, quòd eam actu donet.

119. Verbo: donans in eo instanti est tantum liber, ad retinendam rem justè, & sine injuria alterius, in sensu diviso donationis, seu quatenus liber est, ad omittendam donationem: non autem est liber, ad retinendam rem justè, in sensu composito donationis; unde ex suppositione, quòd donaverit, & stante donatione, facit donatario injuriam, si aliter de re disponat. Vicissim donatarius non est liber ad disponendum de re, nisi in sensu composito, seu ex suppositione factæ donationis, quæ cum eo instanti impedibilis sit, habet quidem donatarius jus plenum, sed revocabile, vel impedibile: quæ tamen revocabilis non obest pleno dominio, ut jura sæpius clamant.

Quare in tali casu uterque, tam donans, quam donatarius, habet dominium quidem plenum, attamen aliquo modo gravatum: sed donans gravamine amovibili: donatarius jam quidem amoto, sed tamen impedibiliter tantum amoto, quæ ipsa impedibilitas gravamen aliquo modo dici potest, estque hoc gravamen à donatario pro eo instanti inamovibile, sed tamen dominio pleno, ut dictum, non officit. Sanè revocabilitas non videtur dominio officere etiam ideo; quia non officit amissibilitas; nam in quovis instanti dominium creatum est amissibile, e.g. ab homine per mortem, vel si DEUS velit illud eripere &c.

120. Resp. 3. Donans in eo casu faceret injuriam donatario; sicut enim (ut docent Molina, Gormaz, & alii citati n. 99.) qui habet majoratum, habet dominium plenum, sed tamen facit aliis injuriam, majoratum alienando, & tenetur ad restitutionem: ita etiam talis donans faceret donatario injuriam, & teneretur ad restitutionem, seu compensationem, licet habeat dominium plenum; nam donatio, & acceptatio, ligat dominium donantis, non tantum quoad licitum, sed etiam quoad validum alium usum, ut omnes sentiunt: adeoque validè non potest jam rem alteri dare, neque validè in suos etiam usus de ea disponere. Unde donans non potest amplius sine injuria alterius uti re donata, non ex defectu domini, sed ob vinculum illi adjectum, habetque donatarius jus solum contra donantem: donans verò habet jus ligatum per suammet liberam voluntatem.

121. Ob. 5. Si potest dominium plenum esse penes duos in uno instanti, potest abso-

lutè esse in pluribus instantibus: hoc est falsum: ergo. prob. ma. quod non repugnat, potest à DEO supernaturaliter conservari: atqui, quod potest esse in uno instanti, non repugnat; quia contradictoria nec in uno instanti possunt simul dari: ergo. Confir. Si potest dominium plenum in eodem instanti esse penes duos, poterit etiam esse penes plures, imò penes innumeros, & quasi infinitos, licet non in eodem signo naturæ, tamen semper in posterioribus signis; e. g. si essent Angeli innumeri, & in eodem instanti semper unus pro posteriori signo ab alio acciperet, ac rursus alteri donaret: hoc est absurdum: ergo.

Resp. neg. ma. & retorqueo argumentum. Si dominium virtuale, vel fundamentale, aut radicale, potest esse penes donantem in primo instanti, poterit etiam esse in secundo instanti: quod ipsi adversarii negant. Item, si potentia libera amputandi sibi pedes est in primo instanti, quo abscinduntur, poterit etiam esse in secundo instanti, quando pedes jam pro priori sunt abscissi: item si potestas conservandi innocentiam est in primo instanti, quo quis liberè peccat, etiam erit in secundo instanti, quo quis jam peccavit: quæ omnia falsa sunt.

Scilicet, quando potentia aliqua, existens in aliquo instanti, e. g. B non quidem constituitur ex aliqua re, attamen supponit eam rem præexistisse in priori instanti A: tunc, ut ea potentia ulterius existat in instanti C, supponet, eam rem adhuc existisse in instanti B. Quare, si in instanti B res illa destructa sit, non potest amplius potentia illa existere in instanti C: & sic res se habet in nostro casu; nam, sicut e. g. potentia amputandi sibi pedes, existens in instanti B, non quidem constituitur ex pedibus, attamen præsupponit, eos in præcedenti instanti A existisse (non enim amputari possunt, nisi prius extiterint) ita etiam dominium plenum donantis, ut existens in instanti B, licet non constituatur ex donatione, neque etiam ex negatione donationis, sed ab utraque præscindat in suo instanti B, in quo ipsum existit, præsupponit tamen in præcedenti instanti A, extitisse negationem donationis, seu præsupponit, donationem non jam esse factam: & dominium, ut existens in instanti C, præsupponit negationem donationis extitisse in instanti B, seu præsupponit, in hoc instanti donationem non esse factam: si ergo in instanti B donatio facta est, non potest amplius in instanti C dari dominium.

Ad prob. dist. ma. quod non repugnat, potest conservari, si omnia requisita maneat. conc. secus. neg. ma. & conc. mi. sub ead. dist. conc. vel neg. conf. Certè duratio Pauli existens in instanti A, in quo existit Paulus, non potest conservari, nec supernaturaliter in instanti B, maximè destructo Paulo. Ad confir. in primis retorq. argum. in dominio virtuali, vel radicali. dein dist. ma. poterit dominium plenum dari in eodem instanti penes plures, si in eodem instanti possunt omnes ita acceptare, & rursus donare.

conc. ma. secus. neg. ma. & dist. sic. mi. neg. conf.

122. Ob. 6. Juxta nos posset Petrus donare Paulo, e. g. centum florenos, & Paulus eos acceptare, ac his ipsis centum florenis in eodem instanti solvere debitum, quod obstringitur Petro: ergo Petrus solveretur re sua: hoc est absurdum: ergo. Resp. om. i. entym. dist. mi. subsumptam. est absurdum, quòd solveretur Petrus re sua, manente cum eodem ligamine, vel vinculo, om. mi. sine illo vinculo. neg. mi. & conf. In hoc casu solveretur Petrus per illos centum florenos, non nudè sumptos; quia sic sumptorum est plenus dominus: sed per sumptos ut iterum liberos eo ligamine, quod ipse sua donatione eis adjecerat, seu acquirendo eos, ita, ut jam iterum sine ligamento, validè, & licitè, de iis disponere queat: quæ potestas tanti valet, quanti ipsi floreni, ut patet expendenti. Cæterum hic casus æquè, vel potius militat contra adversarios; nam, si hic casus contingat, Petrus non fuit spoliatus dominio formali; sola enim donatio absque acceptatione non transfert dominium; nec enim Petrus voluit, absolute pecunias projicere, sed, ut solet fieri, eas voluit servare, supposito, quòd Paulus eas nolit acceptare. Paulus autem in hoc casu juxta adversarios non potest acceptare eas pecunias; alias haberet Paulus in eodem instanti dominium formale, & simul transferret rursus in Petrum, quod juxta ipsos est impossibile: ergo manebit penes Petrum dominium formale: adeoque etiam juxta adversarios iste solveretur pecuniis jam ante suis. Si autem dicant, hanc solutionem debiti non esse sufficientem, in primis id difficile probabunt: dein idem licebit respondere nobis.

QUESTIO II.

De Quibusdam Dominiis in Specie.

ARTICULUS I.

Quale Dominium habeant Clerici Sæculares.

123. **N**on hic agitur de Religiosis particularibus, à quibus professio dominium omne excludit: sed agitur de sæcularibus Clericis, quorum status nunc domini certissimè capax est: quamquam sub initium Ecclesiæ fortè non ita fuerit; tunc enim Christiani plurimi, & Clerici omnes, communem vitam sub voto paupertatis agebant, ut patet ex *C. Dilectissimis fratribus. 12. q. 1. & aliis pluribus, eadem causa, & questione.* Undè tunc temporis dominium non acceptarunt: imò primis temporibus nec Ecclesia in communi possidebat bona immobilia, sed, ut habetur *A. Forum 4. v. 34.* fideles agros, & similia vendebant, & pretium ad Apostolos deferebant: idque prudenter; cum novellæ Ecclesiæ ob persecutiones non fuissent permissa ea bona. Accessit, quòd Ecclesia deberet vel maximè coalescere ex gentibus; unde in Judæa non

Quale Dominium habeant Clerici Sæculares.

debebat esse sollicita de possessionibus, ut habetur *C. Futuram. 12. q. 1.*

At verò postea, temporibus magis tranquillis, visum est melius, & stabilius provisum iri Ecclesiæ per bona stabilia, eaque sunt admissa, ut habetur *C. Videntes. 12. q. 1.* & hinc damnata est à Constantiensi Concilio hæc 35. propositio Wicleffi: *Papa cum omnibus Clericis suis, possessionem habentibus, sunt hæretici; eoque possessionem habent.* Cùmque jam prioribus illis temporibus, plures Clerici nolent, paupertatem vovere, etiam ipsis concessum est, ut propria patrimonialia possiderent, nec in communi vivere deberent, ut permisit S. Augustinus, sicut habetur *C. Certè ego sum. 12. q. 1.* ac etiam aliis canonibus *eadem causa, & questione.* Id tamen, saltem primis temporibus, tantum concessum est sub hac conditione, ut, si Clerici ex propriis vivere possent, de Ecclesiæ bonis sustentationem non peterent, ut habetur *C. Illi autem. 12. q. 1.* ex S. Prospero. & *C. Quoniam quidquid. 16. q. 1.* ex S. Hieronymo: duravitque hic Clericorum status usque ad Simplicium Papam, qui anno 467. Ecclesiæ præesse coepit.

124. Tempore autem Simplicii Papæ, cùm Clericis plurimis nimis difficilis accideret vita communis, præsertim voto paupertatis adstricta, facta est reddituum Ecclesiasticorum divisio in quatuor partes: ex quibus una cessit Episcopo: altera divisa est Clericis, pro eorum meritis, & officiis: tertia destinata est in elemosinam pauperibus: quarta applicata est Ecclesiæ fabricæ, ut habetur *Causa. 12. q. 2. capitibus variis, maxime 26. 27. & sequentibus.* Hæc tamen divisio non fuit ita universalis, ut non pro locorum, & temporum varietate, aliter, ac aliter disponeretur, ut e. g. aliquando Episcopus tertiam partem, aliquando dimidiam Episcopus, & alteram dimidiam Clerus acciperet dispensandam: paulatim tandem propter varios status, & consuetudines, bona Ecclesiæ in beneficia, seu præbendas sunt divisa, ut hodie videntur. videatur Molina *to. 1. de just. 1. tr. 2. disp. 142.* Alia adhuc dispositio facta colligitur ex *C. Sancimus omnibus. 12. q. 2.*

Ex priori autem divisione restant adhuc separati redditus Episcopi, Clericorum, & ut plurimum etiam fabricæ Ecclesiæ, hoc est, qui destinati sunt ad conservanda facta tecta, & alia ad Divinum sacrificium necessaria: quò autem deveniret, lapsu longissimi temporis, pars olim pauperibus assignari solita, ferme ignoratur: & nescitur etiam, an sit, vel non sit confusa cum bonis Episcopi, & Clericorum: vel an non sit conversa ea pars olim pauperibus assignari solita, in erectionem hospitalium, & aliorum piorum locorum: vel in erectionem aliorum beneficiorum, pro Clericis etiam pauperibus.

125. Distinctio etiam maximè facienda est inter bona, quæ Clerici possident: communiter autem in tria genera, scilicet in Pa-

rimonialia, Quasi patrimonialia, Beneficialia, distinguuntur. Patrimonialia, latius usurpato hoc termino, dicuntur ea bona, quæ Clericis obveniunt à parentibus, propinquis, vel etiam aliis, hæreditate, donatione, arte, industria sua, e. g. si Clericus sit pictor, & conficiat imagines &c. & universim, quæ Clerici habent aliunde, quam intuitu Ecclesiæ, vel ministerii Ecclesiastici. Quasi patrimonialia censentur, quæ Clerici acquirunt tanquam stipendium ex ministerio Ecclesiastico, ut Missas celebrando, canendo, confessiones audiendo, concionando, funeralia comitando: quæ scilicet communibus veniunt nomine *stole.* Tandem Beneficialia sunt redditus, seu fructus, qui Beneficiario quæ tali assignantur ex decimis, aliisque bonis Ecclesiasticis.

Addunt alii quartum genus bonorum, quæ simpliciter Ecclesiastica dicunt. Istorum nomine veniunt bona mobilia, vel immobilia, deputata ad rem Divinam peragendam, ut sunt paramenta, vel vasa sacra &c. item quæ ad fabricam, vel ornatum templi, vel alterius piæ causæ destinata sunt: itémque domus, agri, vineæ, jus decimarum, jurisdictiones, & similia, ex quibus redditus etiam pro Beneficiatis colliguntur: quam divisionem in ista quatuor genera bonorum faciunt etiam quandoque Constitutiones synodales diocæselium.

126. Jam certum est, quarti, seu ultimi generis bona, non esse sub dominio Clericorum, sed tantum sub eorum administratione; sub cuius autem strictè loquendo dominio sint, controvertunt auctores. Major, & Navarrus volunt, ea esse sub dominio immediatè ipsius Christi; eoque sacri canones ea bona appellent *patrimonium Christi, pecuniam Christi, bona DEI,* imò vulgò etiam dicantur, ea bona pertinere ad hunc, vel illum Sanctum. Accedit, quòd intentio fidelium sit, ea bona donare Christo, & DEO.

Communior tamen opinio est, ea bona non esse sub dominio peculiari Christi, vel DEI, sed tantum sub dominio universali, sicut omnia alia: esse autem sub immediato dominio, vel illius communitatis, quæ Ecclesiæ nomine venit, ut est e. g. Collegium Canonicorum: vel sub dominio Ecclesiæ tanquam personæ fictæ; nam *C. Expedit. 12. q. 1. & C. causa. 13. de verb. signif.* vocantur bona illa *facultates Ecclesiæ, res Ecclesiæ, Ecclesiarum bona.* Adde, quòd monasteria habeant dominium bonorum, à fidelibus oblatorum: cur non etiam Ecclesiæ sæculares? nec enim harum bona videntur ex ullo capite magis esse bona DEI, quam illorum. Dicuntur autem *bona DEI, & patrimonium Christi;* quatenus ejus intuitu, & ad ejus cultum sunt collata (de qua appellatione adhuc plura inferius) & ex simili ratione dicuntur *bona Sancti;* intentio autem fidelium tantum est, ea bona dare ad cultum, & obsequium Christi, vel Sancti &c.

127. Quod attinet ad bona patrimonialia,

alia, nemo jam dubitat, ea pleno dominio spectare ad Clericos, ut non aliter, ac laici, de iis possint, inter vivos, & mortis causa, disponere; cum enim votum paupertatis non emittant, non est ulla ratio, eos dominio illo spoliandi. Conveniunt etiam communiter auctores, atque Molina *tom. 1. de just. tr. 2. disp. 142.* neminem dubitare, quod bonorum etiam quasi patrimonialium Clerici dominium habeant; non enim Clerici, quoad stipendium laboris, & officii, debent esse deterioris conditionis, quam alii officiales laici, qui mercedis suæ perfectum dominium obtinent: nec fideles censendi sunt, sub alia obligatione illa bona Clericis dare.

128. Quæstio tamen superest de bonis strictè beneficalibus, an scilicet Clerici etiam istorum dominium habeant, sive an eorum domini sint, an tantum administratores. Hæc autem bona subdividenda sunt in duas partes. Una est, quæ requiritur ad honestam sustentationem Clerici: altera, quæ superabundat: sive, ut communiter loquuntur, aliqua bona sunt honestæ sustentationi necessaria, alia sunt bona superflua, seu honestæ sustentationi non necessaria.

Quod ad honestam sustentationem attingit, per hanc intelligitur, non solum vitæ, & vestitus, conveniens Clerico: sed etiam hospitalitas, & moderata convivia pro suo statu, item sumptus ad facta recta servanda, honestæ relaxationes, donationes, tam liberales, quam remuneratoriæ, quibus conciliatur favor, & benevolentia conservatur. Item ad sustentationem congruam spectant jura, & onera Episcopis, vel aliis præstanda: salaria famulorum, eorumque victus, seu expensæ in familiam competentem: necessaria etiam medicinæ pro casu ægritudinis, & expensæ in medicos: ea etiam, quæ merito servantur in omnes futuros casus sterilitatis, vel alterius infortunii: verbo, quidquid continetur intra limites competentis modi vivendi.

Et hanc sustentationem, seu hanc partem reddituum, ad dictam sustentationem necessariorum, pleno dominio spectare ad beneficiatum, consentiunt communiter auctores, idque colligitur ex Apostolo *1. Cor. 9. v. 7.* dicente: *Quis militat suis stipendiis unquam? & v. 13. Qui altari deserviunt, cum altari participant: & ex C. ultimo de rescriptis in 6.* ubi dicitur: *Officium... propter quod beneficium Ecclesiasticum datur.* Dein Clericus est operarius Ecclesiæ: igitur accipit jure merito suam sustentationem: *Dignus est enim operarius mercede sua. Luc. 10. v. 7.*

129. Ut autem mercium aliud est pretium summum, aliud medium, aliud infimum: ita etiam sustentatio congrua dividi potest, in summam, mediam, & infimam, ut notant Molina *tom. 1. de justit. tract. 2. disp. 145.* Lugo *de justit. disp. 4. sec. 4. n. 53.* & communiter etiam alii. Per summam tamen sustentationem non intelligitur, ut quis utatur pompâ, & deliciis profanis, ac sæcula-

ribus: sed, ut honorabiliter more Christiano, & Ecclesiastico vivat. Potest autem beneficiatus sustentationem summam sibi tribuere; non enim tantum debet habere sustentationem infimam, nec etiam mediâ debet esse contentus: sed ut venditor summum pretium, ita ipse summam sustentationem potest accipere, quasi summum pretium suorum laborum.

Accedit, quod etiam beneficiatus, majora merita habens, ratione doctrinæ, vel officii annexi, aut etiam ratione nobilitatis, ampliolem sustentationem possit accipere; ut enim rectè Layman *l. 4. tr. 2. c. 3. n. 2.* plus potest impendere sibi Decanus, quam simplex Canonicus: & Episcopus plus, quam Decanus: similiter plus filius principis, quam tantum civis: itémque ceteris paribus plus doctor, quam eâ scientiâ, & gradu carens. ita sumitur ex *C. De multa providentia. 28. de prebendis.* ubi Innocentius III. in generali Concilio, cum prohibuisset pluralitatem beneficiorum curatorum, & personatum, addit: *Circa sublimes tamen, & literatas personas, que majoribus sunt beneficiis honoranda, cum ratio postularit, per Sedem Apostolicam, poterit dispensari;* hæc enim dispensatio commodi nihil afferret, si his non plus in propriam sustentationem, quam aliis impendere liceret.

Pariter *C. De redditibus. 12. q. 2.* dicitur: *Ultima pars reddituum inter se Clericis, pro singulorum meritis, dividatur:* ergo Clerici plus meriti, sive ratione status, sive ratione doctrinæ, laboris, aut utilitatis, quam Ecclesiæ afferunt, possunt etiam plus sibi tribuere. Quin imò Apostolus *1. Timoth. 5. v. 17.* ait: *Qui bene præsent presbyteri, duplici honore digni habeantur: maxime, qui laborant in verbo, & doctrina.* hic autem honor, ut ait S. Hieronymus *in c. 15. Matth. & illa verba: Honora patrem &c.* juxta morem loquendi Scripturæ non stat in reverentibus salutationibus &c. sed in *munerum oblatione*, seu datione: & ut patet legenti, vult dicere, quod Apostolus per ea verba velit, presbyteros illos duplici portione reddituum dignos esse.

130. Jam, si Clericus nolit consumere summum pretium suæ sustentationis, sed parcius vivere, tunc quantum sumptuum suâ parsimoniâ ab expensis, sustentationi congruæ correspondentibus, detrahit, tantum suis bonis propriis addere potest, ita, ut de eo tanquam plenè dominus, etiam in usus profanos, sicut laicus, disponere possit: vocanturque ea bona *parsimonialia.* ita rursus auctores communiter: & sequitur ex dictis; si enim Clericus est plenus dominus totius sustentationis, absque ullo onere, vel obligatione, potest utique de ea pro placito suo disponere.

131. Quod si etiam beneficiatus ex aliis bonis suis, e. g. patrimonialibus, pro sua sustentatione aliquid impendit, compensare potest expensum ex bonis beneficalibus, ut docent Lessius, Lugo, & alii; est enim, quasi mutuum sumplerit ex patrimonio pro be.

beneficio, quod postea solvit ex beneficalibus redditibus. Imo Lugo *de justit. disp. 4. n. 45.* dicit, posse Clericum id facere, etsi intentionem habuerit, non compensandi sibi ex redditibus beneficii ea, quæ ex patrimonio expendisset; nam præcindendo ab omni voto, vel promissione, aut alia obligatione, intentio illa non tollit jus beneficiati; nec enim alicui alteri vult donare, nec sibi potest: ergo (ait hic auctor) potest mutare voluntatem, & compensationem sibi facere. Videatur Lugo, *loc. cit.* Tota igitur difficultas reducit ad partem reddituum beneficalium, sustentationi congruæ superfluum: an scilicet etiam hujus partis beneficiati sint pleno jure domini.

132. Dico 1. Clerici sæculares beneficiati sunt domini omnium reddituum, etiam superfluum, ita auctores omnes, quos pro sequenti conclusione citabimus, & alii etiam alii, qui quoad illam oppositi sunt, ut Gormaz *de justit. n. 465.* Layman, *l. 4. tr. 2. c. 3. n. 3.* Prob. conclusio. Clerici sunt domini reddituum, congruæ sustentationi destinatum: ergo etiam reliquorum; nam indivisim omnes recipiunt, atque promiscuè; unde dici non potest, eos aliquorum habere dominium, aliorum autem non habere. Huc faciunt etiam omnes rationes, quas pro sequenti conclusione adducemus.

Verum, etsi concedatur, beneficiatos esse plenos dominos omnium reddituum, totalitate objecti, nondum sequitur, eos esse plenos dominos totalitate juris. Sic, si duo sint hæredes, quando necdum est divisa hæreditas, ambo sunt domini totius hæreditatis: sed neuter habet totum jus. Et sic dicit Gormaz *loc. cit.* beneficiatos non habere totum jus, sed tantum partiale, & partem alteram juris spectare ad pauperes. Layman contra *loc. cit.* licet videatur admittere plenum etiam dominium, tamen addit, eos lege justitiæ obligari, ad superflua pauperibus eroganda. Sicut (ait) si alicui dentur centum aurei in sumptus peregrinationis, hæc tamen cum obligatione, ut, quod, post expensas factas in iter, superest, pauperibus det. Ex quo sequitur, quod Clerici tales, si superflua ad causas profanas expendant, peccent contra justitiam, & ad restitutionem teneantur. Quæ sententia est gravium, & plurium auctorum: nec dubium est, eam esse tutiorem, adeoque omnibus in præxi suadendam. At non omnes volunt semper sequi, quod est tutius: nec semper tutius est, homines ad tutiora obligare, si de obligatione non sufficienter constet. Unde

133. Dico 2. Clerici beneficiati sæculares non tenentur ex justitia, erogare superflua in pauperes, vel pias causas: neque, si hoc non faciant, tenentur ad restitutionem. Dico *ex justitia:* quod enim teneantur ex alio titulo, non obligante ad restitutionem, postea videbimus. Hæc conclusio, etsi, ut dictum, habeat graves auctores in oppositum, tamen habet pro se quoque magnam, & meo judicio nunc temporis majorem auctoritatem. Eam tenent Covarruvias *in C.*

R. P. Ant. Mayr. Theol. Tom. II.

Cum in officiis. de testamentis n. 11. ubi dicit, eam nunc esse communem, & totius orbis consuetudine juvari: citatque pro ea multos auctores. Lessius *de justitia l. 2. c. 4. dub. 6. n. 43.* ait, passim ita docere doctores hujus, id est, sui sui temporis. Lugo *de justit. disp. 4. sec. 1. n. 2.* ait, hodie hanc esse communem, & doctorum ferè omnium. Eandem tenent Molina *de justit. tr. 2. disp. 143.* Filliuccius *tr. 31. n. 101.* Castropalao *p. 1. tr. 6. de charit. disp. 2. punct. 6. n. 5.* Rhodes, Busenbaum. Ininger *de dominio, Illung. Haunoldus, de jure, & just. tom. 1. tract. 4. n. 67. 68. & seq.* ubi ait, Marfilium de Columna referre pro hac sententia 55. Canonistas, & 16. Theologos. Citantur ulterius à Covarruvia, Molina, & Lugo, ac aliis, Dominicus Soto, Driedo, Ledesmius, Adrianus, Sylvester, Sarmiento, Corduba, Vasquez, Arboreus, Alcozer, Tabiena, Aragon, Thomas Sanchez.

His addit auctor *Crisis Theologicæ de dominio Clericorum. Constantia anno 1697. editæ,* qui *n. 5.* ultra jam memoratos Streinum, Bellameram, Binsfeldium, Malderum, Bonnacina, Azor, Bannez, Valentiam, Fachinæum, Reginaldum, Barbosam, Dicastillo, Garziam, Zoësum: quibus etiam accedit Prosper Fagnanus *in 1. p. 3. decret. de pecul. Cler. C. Siquis sanè.* ubi ait, hæc in re non expedire Clericis inducere conscientiam (contra quam sint operaturi) ut gratis damnetur: addit, benigniorem sententiam esse viorem, ei favere consuetudinem: cumque hæc consuetudo non sit à Pontifice reprobata, apparere, quod Clerici in hac materia peccantes tantum agant contra charitatem, & non contra justitiam. Hæc Fagnanus, qui tamen contra usum sententiarum non probabiliorum alibi valde detonat. *Vide tract. de act. hum. n. 306. & 322.*

134. Hæc sententia probabilis est etiam S. Thomæ, (uti eum citant Molina, Lessius, & alii) *quodlibeto enim 6. q. 7. a. 12. ad 3.* ita habet. *Aliter ergo dicendum est de illis Ecclesiasticis bonis, quæ principaliter sicut attribuerentur necessitatibus pauperum, & ex consequenti necessitatibus ministrorum, sicut sunt bona hospitalium, & aliorum hujusmodi: & aliter de illis bonis, quæ sunt principaliter attributa usibus ministrorum, sicut sunt præbenda Clericorum, & alia hujusmodi; nam in primis bonis peccatum committitur, non solum ex abusu, sed etiam ex ipsa rerum conditione, dum aliquis in suos usus assumit, quod est alterius: & ideo tenetur ad restitutionem, tanquam defraudator rei alienæ: in secundis vero bonis non committitur peccatum, nisi per abusum, sicut & de bonis patrimonialibus dictum est; unde non tenetur quis ad restitutionem, sed solum ad penitentiam peragendam.*

Idem Anglicus *2. 2. q. 185. a. 7. in corp.* postquam dixisset, Episcopos posse de propriis bonis pro libitu disponere: asserit ulterius, eos bonorum Ecclesiasticorum tantum esse dispensatores, si scilicet omnes redditus sint adhuc confusi, & necdum aliquid

Episcopo determinatum. Addit, quòd, si pro Episcopo jam bona aliqua destinata sint, & distincta à bonis Clericorum aliorum, fabricæ, vel pauperum, tunc, si Episcopus aliquid retineat ex partibus iis, quæ aliis Clericis, vel pauperibus, aut fabricæ destinatae sunt, contra fidem dispensationis agat, & ad restitutionem teneatur: subdit dein hæc verba: *De his autem, quæ sunt specialiter suo Episcopi usui deputata, videtur esse eadem ratio, quæ est de propriis bonis, ut scilicet propter immoderatum affectum, & usum, peccet quidem, si immoderata sibi retineat, & aliis non subveniat, sicut requirit debitum charitatis.* Ubi videntur ommissa hæc verba: *Non tamen ad restitutionem tenetur:* ut notant Lessius de *justit. l. 2. c. 4. n. 44.* & apud eum Sotus, item auctor *Crisis Theologica c. 2. n. 13.* & apud eum Streinius; nam i. hæc verba videntur exigi à particula *quidem*; alioquin enim esset oratio imperfecta. 2. quia S. Doctor statuit diversitatem inter bona nondum Episcopi usui deputata, seu adhuc involventia portiones aliis deputatas, quarum Episcopus tantum est dispensator: & inter bona jam Episcopo deputata. 3. quia ait, videri esse eandem rationem de his, ac de propriis, id est, de patrimonialibus: scilicet quantum ad restitutionem, non verò, ut rectè notat Lessius, quoad omnia alia.

135. Accedit Cajetanus *commentario in hunc articulum ad 2.* ubi ait, bona Episcopi considerari posse, vel ut communia, vel ut propria; & siquidem sint propria, ut sunt præbendæ Clericorum, posse eum pro libitu ea dare: & ad 1. ait, quòd obligatio sit ex charitate dandi superflua pauperibus: prius autem §. *ad objecta* advertit, S. Thomam abstrahere ibi ab obligatione restitutionis; eoquòd non sit eadem ratio; cum aliqua bona sint propria, aliqua communia, seu indistincta. Et hæc auctoritas S. Thomæ, atque aliorum gravissimorum auctorum, modò communius ita sentientium, magnum in hac re morali absque dubio pondus habere debet.

ARTICULUS II.

Probationes Secundæ Conclusionis.

136. **P**robatur hæc conclusio 1. Tridentinum *sess. 22. c. 3. & sess. 24. c. 12. de reform.* statuit, ut Clerici absentes, vel etiam professionem fidei non emittentes, reddituum nullo modo dominium acquirant, seu *fructus non faciant suos*: imò aliquando etiam priventur omnibus fructibus, quos eo anno lucrati fuerunt: ergo à sensu contrario cæteri faciunt fructus suos, eosque lucrantur. Rursus S. Pius V. in Bulla, quæ incipit *Ex proximo Lateranensi* (quæ in Bullario Cherubini est ex Bullis Pii V. 138va.) declarat, non recitantes officium non facere suos fructus, illi diei correspondentes: ergo alii eos faciunt

suos. Confir. Joannes XXII. *Extrav. Ad onus Apostolica. C. Suscepti. de electione, & electi potestate.* moderatur consuetudinem occupandi fructus primi, & secundi anni, in præjudicium eorum: *Qui (ut ait) hujusmodi beneficia canonice obtinent, & ad quos aliis de jure fructus ipsi spectare deberent:* atqui illi, ad quos fructus de jure spectant, sunt domini, prout advertit etiam Glossa, & fructus illos faciunt de jure suos: ergo Clerici sunt domini fructuum beneficialium, & faciunt fructus beneficiales suos.

Favet etiam conclusioni id, quod refert Cardinalis Pallavicinus in *Historia Concilii Tridentini. l. 24. c. 3.* scilicet, quòd Braccarenfis Archiepiscopus voluerit, ad cætera capita reformationis *sess. 24.* addi decretum, seu caput de distributione proventuum Ecclesiasticorum, ab Episcopis facienda: & quòd in decreto, hac de re privatim composito, additum fuerit, Episcopos non esse dominos suorum reddituum, sed tantum dispensatores: quòd autem hoc rejectum fuerit, opponentibus Cardinale Lotharingo, Guerrero, & aliis communem sententiam, quæ jam eo tempore contrarium tuebatur. Addit Cardinalis Pallavicinus *eodem loco. n. 6.* Braccarensem fecisse discrimen, inter partem necessariam, & superfluum, atque illius quidem fastium esse, Episcopos esse dominos, hujus verò voluisse tantum esse dispensatores: & tamen auditus non est.

137. Respondet Navarrus, Clericos esse dominos omnium reddituum, quoad fidelem administrationem: sed hæc expositio, ut advertit Glossa *ad textum Extrav. Joannis XXII. supra citatum* est tantum colorata, seu ad speciem: imò, ut advertit Lessius, est planè torta; nam quis unquam dicit, Abbatem religiosum habere dominium bonorum Monasterij; cum tamen habeat administrationem; vel quòd tutor habeat dominium bonorum pupilli; cum tamen habeat jus administrandi. Certè hic sensus non videtur fuisse Tridentini, ut colligitur ex ejus historia modò citata.

Respondent 2. Clericos esse quidem dominos, quoad partem congruæ sustentationi necessariam, non verò quoad superfluum: sed iterum non videtur hæc mens fuisse Concilii, ut patet *ex n. superiori*: & confirmatur ex eo, quòd, quando Concilium docet, quòd præsentis &c. faciant fructus suos, non distinguat inter fructus, necessarios congruæ sustentationi, & eidem superfluos; cum tamen vel maximè inter eos distinguat, quando agit de juvandis pauperibus, aut fovendis causis piis ex superfluis. Rursus hæc responsio ut ait Lugo de *just. disp. 4. sec. 1. n. 4.* non potest admitti ex eo, quòd hac ratione beneficiati, non residentes, vel non recitantes, tantum priventur parte sustentationi necessaria, non verò reliqua, quod tamen est contra praxin, & mentem Summorum Pontificum, qui voluerunt omnibus fructibus privare Clericos illos culpabiles. Nec

Nec respondeant adversarii, privari Clericos etiam reliquis fructibus quoad administrationem; nam, ut jam dixi, si tantum habent administrationem, non possent eos dicere suos: atqui tantum spoliarentur administratione? certè juxta adversarios etiam Clerici recitantes officium non possunt eos fructus administrare, nisi, vel dando causas piis, vel pauperibus, & quidem ex justitia: atqui hoc possunt æqualiter facere etiam absentes, vel non recitantes; nam S. Pius V. in sua Bulla aliud eis non imponit, quàm, quòd teneantur fructus illos, in fabricas beneficiorum, vel elemosynas pauperum erogare: imò hanc obligationem (scilicet ex justitia) opponit tanquam contrarium illi, quod est facere fructus suos, ut patet legenti.

138. Jam verò, si Clerici faciunt fructus suos, sicutque eorum omnium domini, tunc non tenentur ad restitutionem, si quid ex superfluis aliter, quàm in pauperes, vel alias pias causas expenderunt: quæ est altera pars hujus conclusionis: & prob. Non debet absque sufficienti ratione restringi dominium Clericorum, aut iis imponi tam gravis obligatio, qualis est obligatio ex justitia, restituendi omnia, quæ ex superfluis in profanos usus expenderunt: atqui nulla affertur ratio sufficiens, ut patebit ex solutione objectionum: ergo, major est principium morale, quòd in aliis materiis passim adhibetur, scilicet nemini esse imponendum gravamen sine sufficienti causa, vel probatione. Imò, saltem in materia justitiæ, in qua versamur, locum habet regula juris: *In pari causa melior est conditio possidentis*, scilicet Clerici possidentis suos fructus, vel alia sua bona: adeoque, si non positivè probetur obligatio illa restituendi ex bonis à se possessis, adstruenda non est.

139. Prob. conclusio 2. Si bona superflua Clericorum deberentur ex justitia pauperibus, deberet hæc res clarius à Conciliis, vel Pontificibus proponi, & restitutio profanè expensorum urgeri: atqui neutrum fit: ergo, ma. videtur non posse negari quoad 1. partem; nam longè minora sæpissimè, & clarissimè proponuntur, à Conciliis, vel Pontificibus, e. g. quòd absentes, & non recitantes non faciant fructus suos: ergo non deberet taceri hoc onus longè gravius, & debitum ex justitia cum tanto præjudicio pauperum. Dein obligatio generica piè dispensandi superflua, proponitur clarè, cur non etiam specifica ex justitia? Certè esset obligatio Prælatorum Ecclesiæ, ut, cum sint patres pauperum, eorum causam agant, juri illorum assistant, idque clarius proponant: & siquid ipsis ex justitia debeatur, eis dari curent, imò etiam compellant, sicut fieri solet, quando pauperibus aliquid relinquitur in testamento, aut piis legatis.

Sed & 2. pars majoris, sive, quòd deberet urgeri restitutio, solidè probatur ex eo; quòd Prælati Ecclesiastici non possent permittere subditis hanc alienationem tam in-

justam: sed deberent, eos compellere ad restitutionem, maximè cum causa pauperum sit favorabilis. Imò non video, quòd, si superflua debeantur ex justitia pauperibus, tanquam pars illa quarta olim divisa, nunc autem confusa, non video, inquam, quomodo licitè possent, ea applicari aliis causis piis, e. g. ædificationi alicujus templi, vel ornatui alterius, jam prius bene instructi; nec enim statim licitè potest, etiam in pias causas impendi, quod alterius juri debitum est: neque etiam video graves illas causas, ob quas talis mutatio, vel translatio, ita universaliter fieri posset; cum tamen nec adversarii, nec quisquam alius dicit, illicite, vel injustè agere beneficiatum, qui ex superfluis donat Ecclesiæ, aliàs jam satis diviti.

140. Quod attinet ad minorem nostræ probationis, quòd scilicet hæc obligatio non sit unquam sat clarè proposita, patet illa ex eo, quòd gravissimi auctores communius oppositum sentiant, certè non ita sensuri, si ea obligatio clarè proposita foret. Sed neque Ecclesia unquam compellit ad restitutionem ullum Clericum, superflua in divites consanguineos erogantem: necque hos ipsos compellit ad restituendum: nec donationes, aut alia pacta, de superfluis in causas profanas expendendis, rescindit: nec, ut Lugo ait, ulli propterea lis unquam intentata fuit: quanquam sæpe tales expensas ut illicitas, tum Concilia, tum Pontifices, tum Episcopi reprobarint.

Respondet Gormaz de *justit. n. 407.* Ecclesiam ideo non cogere ad talem restitutionem; eoquòd nesciat, expensas illas factas esse ex bonis superfluis: sed potius supponat, eas factas esse ex patrimonialibus, vel quasi talibus, aut patrimonialibus; cum enim nemo præsumatur malus, nisi probeatur, etiam, ut ait, non præsumitur ab Ecclesia, illas expensas factas fuisse ex superfluis, sed potius ex patrimonialibus &c. Addit, si certò constet, de superfluis ita expensis, Ecclesiam obligare ad restitutionem, idque vult colligere ex *C. De redditibus. 12. q. 2.* ubi præcipitur Gaudentio restitutio. Sed contra. 1. Est innegabile, quòd saltem sæpe Canonici, & alii divites beneficiati, in profana, vel in consanguineos divites, plura superflua effundant. 2. Etsi in particulari hac de re non constaret, est tamen in genere innegabile, id sæpe fieri, & sæpe factum esse: cur igitur non, saltem in genere, clarè, & expressè, obligantur tam dantes, quàm accipientes ad restitutionem, sicut iis clarè dicitur, quòd graviter peccent? Exemplum Gaudentii non venit ad rem; ille enim non de redditibus sibi jam appropriatis, expensas superfluas fecit: sed ex bonis ad hoc communibus, tres portiones per integrum triennium sibi appropriavit.

141. Respondet Eugenius Speth in *sua Apologia apud auctorem Crisis Theologicae n. 20.* restitutionem ideo non urgeri; quia tolerant Prælati abusum, ut rustici zizania, & Ecclesia hæreses; nempe ad majora mala cavenda, & quia corrupto hoc sæculo non est

est opportunitas, tollendi talem abusum. Sed contra est. Mala quidem sæpe tolerantur, vel quia impediri nequeunt, vel non nisi cum periculo majoris mali: licet autem tolerantur mala, imo etiam hæreses, tamen publice, & clarè improbandur, & damnantur: at quis unquam Pontifex damnavit sententiam docentem, non obligari Clericos ad restituenda superflua profanè expensa? quis damnavit non restituentes, eosque promulgavit esse in malo statu, donec restituant?

ARTICULUS III.

Statuitur Tertia Conclusio.

142. **D**ico 3. Tenentur Clerici sub gravi, bona beneficialia superflua non expendere in usus profanos. ita communissimè omnes. Prob. i. Hic est communis doctorum sensus, imò & Clericorum: estque antiquissima fidelium persuasio, ac consuetudo, quæ sufficeret ad obligationem inducendam, licet nulla lex esset expressa. 2. Tridentinum *sess. 25. de reformatione. c. 1.* sic ait de Episcopis: *Omnino verò eis interdicit, ne ex redditibus Ecclesie consanguineos, familiaresque suos augere studeant; cum & Apostolorum Canones prohibeant, ne res Ecclesiasticas, quæ DEI sunt, consanguineis donent: sed, si pauperes sint, his ut pauperibus distribuant.* & infra: *Quæ vero de Episcopis dicta sunt, eadem non solum in quibuscumque beneficiis Ecclesiasticis, tam secularia, quam regularia obtinentibus, pro gradus sui conditione observari, sed & in sancta Romana Ecclesia Cardinales pertinere decernit.* Ex quibus inferitur, dari præceptum superfluos redditus non erogandi in consanguineos, nisi pauperes sint, & consequenter, nec in alias causas profanas: & quidem illa verba: *Omnino interdicit:* significant rigorosum præceptum.

143. Nec dici potest, Concilium loqui tantum de bonis ad Ecclesias ipsas pertinentibus; nam quamvis olim quidam etiam ista consanguineis malè attribuerint, & hoc vel maxime prohibeat Ecclesia, tamen defecto illa bona, nec pauperibus consanguineis, dari possunt: Concilium autem loquitur etiam de bonis, quæ istis dari possunt. Deit Concilium posterioribus verbis alloquitur omnes Clericos, quorum tamen plurimi non habent administrationem bonorum ad ipsas Ecclesias pertinentium: ergo etiam eos, qui habent tantum redditus beneficiales, id præceptum obligat: ergo inhihet etiam ipsam reddituum beneficialium in consanguineos divites erogationem. Confirmatur hoc ex eo, quòd, ut testatur Lugo *disp. 4. sec. 2. n. 12.* illi etiam doctores, qui Tridentino interfuere, ita senserint; atque docuerint.

Per bona autem beneficialia intelligenda hic veniunt, non tantum, quæ formaliter in se existunt, sed etiam quæ æquivalenter, ut rectè advertit Lugo *de just. disp. 4. sec. 3. n. 43.* citans complures; hæc si be-

neficiatus ex beneficialibus fructibus superfluis emisisset prædium, hoc deberet in pias causas impendi; aliàs, ut rectè urget Lugo, si beneficiatus triticum ex decimis suis vendidisset, pecunias absque omni onere jam haberet, quod nemo dixerit. Ratio autem à priori est; quia res, quæ ex beneficii bonis emittitur, in horum locum, & in eandem obligationem succedit.

144. Cum autem hæc obligatio, ut probatum est, non oriatur ex virtute iustitiæ, controvertitur jam inter auctores, ex quo tandem titulo oriatur: & quidem eam saltem oriri ex præcepto Ecclesiastico, tum Tridentini, tum plurimorum aliorum canonum, de quibus in objectionibus plura dicemus, est clarum. Alii tamen auctores volunt, eam non tantum oriri ex lege Ecclesiastica, sed etiam alia virtute. Molina *de just. tom. 1. tr. 2. disp. 144.* docet, clericos obligari ad superflua eroganda pauperibus ex charitate; cum enim (ait) ex officio suo sint pauperum patres, & profiteantur statum perfectionem, quam laici, arctius adstringuntur præcepto charitatis, quam laici. Sed contra objiciunt alii, Clericos potius esse pauperum patres quoad spiritualia, quam temporalia: & quamvis aliquando ad spirituale auxilium ritè applicandum necessarium sit etiam auxilium temporale, e. g. quando pudicitia virginum ratione paupertatis periclitaretur, hæc tamen ratio non probaret etiam extra tales casus obligationem hanc gravem, ut ait Lessius *de justit. l. 2. c. 4. dub. 6. n. 47.* Addit Lugo *de justit. disp. 4. sec. 2. n. 14.* ex hoc tantum probari, quòd Clerici plus, quam laici expendere debeant, non verò, quòd superflua omnia. Dein saltem, si pauperes non adessent, aut à laicis essent adjuvi, templisque etiam ritè provifum, cessaret omnis charitatis obligatio. Docet *ibid.* Lugo, non omnes Clericos esse ex officio patres pauperum, sed eos duntaxat, qui animarum curam habent. Tandem, si hæc obligatio statui foret annexa, deberet Clericus, qui sola patrimonialia habet, etiam illis superflua sub gravi peccato in pauperes, aut causas pias expendere: quod nemo dixerit.

145. Unde Lugo *sec. cit. n. 16.* vult, obligationem hanc gravem oriri ex virtute religionis, & conditione ipsorum bonorum; quia scilicet, ut ait Tridentinum, illæ res sunt bona DEI, quæ religiosè debent expendi, & hac intentione offeruntur à fidelibus Ecclesie, ut cedant in sustentationem ministrorum, & quæ huic superflua sunt, in pios usus erogentur; cum enim non possint ea bona dari DEO immediatè; eòquòd ad ipsum immediatè non detur accessus, dantur ejus ministris, ut expendant illa eo modo, quo vellent DEUS expendi. Sed contra Lessius *cit. dub. n. 47.* Ininger, Auctor *Crisis Theol.* & alii dicunt, etsi ex virtute charitatis (de qua supra) vel etiam religionis, desumatur congruentia aliqua, quæ ansam det præcepto Ecclesiastico graviter obliganti, non tamen eam inordinationem expensionis superfluatorum in profana, etiam extra casum

extremæ necessitatis pauperum esse jam gravem.

146. Quòd enim bona beneficialia sint bona, vel res DEI, ajunt, tantum afferre congruentiam, & non grave præceptum; neque enim, ut ipse Lugo tradit, ista bona sunt adhuc sub immediato, vel speciali dominio DEI, quando jam sunt appropriata Clericis, qui, ut probatum est, domini sunt; aliàs daretur obligatio ex iustitia, quam ipsemet Lugo negat: sed tantum sunt bona DEI, licet loquendo, in quantum personæ Clericorum principaliter, & eorum bona accessorie, ad cultum DEI deputantur, ut habet Auctor *Crisis Theol. c. 3. n. 14.* vel, ut Lessius *loc. cit.* sunt bona DEI, in quantum ad cultum DEI sunt destinata, tum ab Ecclesia, tum à donantibus, qui obtulere ea, cum hac non quidem obligatione, sed tamen intentione, & spe, ut ad honorem, & cultum DEI impendantur, non tantum, dum primò expenduntur in Clericos (hoc enim utique cedit in cultum DEI, sicut si dantur cantoribus, & aliis ministris laicis) sed etiam, dum secundò ab ipsis Clericis rursus expenduntur: quæ destinatio, seu intentio Ecclesie, vel donatorum, antecederet ad præceptum, non tamen quidem gravem obligationem imposuit, sed tamen justam occasionem dedit, præceptum graviter obligans ponendi; unde obligatio, quæ ex virtute religionis circa bona hæc oritur, saltem non videtur gravis istis auctoribus. Quidquid igitur de aliis utilibus sit, saltem hoc à nemine Theologorum negatur, quòd ad minimum ex præcepto Ecclesiastico gravis obligatio Clericis sæcularibus imposita sit, ne superfluos redditus in causas profanas expendant.

147. Quæri hic adhuc potest, quæ quantitas bonorum superfluatorum, in usus profanos expensa, constituat peccatum mortale. Resp. non sufficere in hac expensione profana ad peccatum mortale eam quantitatem, quæ in genere furti sufficit. ita Molina, Illung, Ininger, Lugo, & hoc teste, doctores communiter. Idem docent etiam, quòd, qui plures superfluos redditus habet, etiam plus possit absque peccato gravi profanè expendere: imò Lugo putat, viginti partem superfluatorum posse ita expendi: sed hoc meritò videtur aliis universaliter nimium; nam sic, qui viginti millia aureorum superflua haberet, posset absque peccato gravi mille aureos usus profanos impendere: quod meritò aliis rejiciendum videtur. Censeo, in hac re vix posse dari universalem regulam, sed ex circumstantiis, bona fide à prudenti viro perpensis, hanc rem esse determinandam.

Id etiam noto hic cum communi, quòd, excepto casu gravis necessitatis, non debent beneficiati superflua statim expendere: sed possint etiam aliquamdiu ea servare, donec majoribus collectis sumptibus, majora pietatis opera, etiam pias fundationes, facere possint: neque Tridentinum *sess. 25. decret. de reformatione. c. 1.* jubet, ut superflua statim erogent: sed tantum, ne in consanguineos

dispensent: nec vituperatur praxis eorum, qui ex tali intentione asservant bona superflua: cavere tamen tales debent, ne morte præventi dispositionem nullam faciant, & ab intestato ea bona ad profanos deveniant.

ARTICULUS IV.

Solvuntur Objectiones.

148. **O**B. I. contra 1. conclusionem. Plures SS. Patres, & canones negant, Clericos habere dominium: ergo non habent. ant. probari possent afferendo textus eorum: sed esset id nimis longum. Resp. breviter dist. ant. & SS. Patres, ac canones, loquuntur de primis temporibus, de quibus *n. 136.* conc. ant. loquuntur de subsequentibus temporibus, & post beneficiorum erectionem. neg. ant. & conf. Certè SS. Hieronymus, Augustinus, & Basilus, item Tertullianus, vixerunt ante Simplicium Papam. Et quod spectat ad S. Hieronymum, relatum in *C. Quoniam. 16. q. 1.* ex eo probaretur, Clericos, patrimonialia habentes, non posse ex beneficialibus suam sustentationem accipere sine sacrelegio: quod nemo modò dicit: sed & in glossa huic capitulo subjecta additur, hunc textum in scriptis S. Hieronymi non extare.

Vixit etiam diu ante Simplicium Urbanus I. Papa qui in *C. Videntes. 12. q. 1.* mentionem adhuc facit vitæ communis: atque, maximè parti Ecclesiarum ita esse provifum, ut nullus vitam communem agens sit indigus. Sed nec *C. Res Ecclesie. 12. q. 1.* negat dominium Clericis: sed tantum ait, res à fidelibus oblatas non debere in causas, nisi pias, expendi: quod etiam nos dicimus in tertia conclusione. S. Gregorius Nazianzenus, cujus *oratio 16.* adducitur, etiam vixit ante Simplicium, & non tantum Clericos, sed etiam laicos alloquitur; unde, cum dicit, eos esse administratores, vel œconomos, bonorum à DEO acceptorum, loquitur concionatoriè, non rigorosè: vel loquitur cum respectu ad DEUM, contra quem nulla creatura jus habet; aliàs nec laici domini forent suorum bonorum, quod est inauditum. Concilium Parisiense dicens, res Ecclesiasticas, non ut proprias, sed ut à DEO commendatas, esse tractandas, explicari potest, vel de bonis quarti generis, de quibus *n. 125.* vel de necdum distributis: vel etiam dici potest, beneficialia non esse tractanda ut alia propria, quæ licitè in profana expenduntur.

149. Ob. 2. contra 2. conclusionem. Ex pluribus SS. Patribus habetur, Clericos teneri ex iustitia, expendere bona superflua in usus pios: ergo. ant. prob. 1. ex S. Bernardo (nam alii SS. Patres ante Simplicium, vel ante erectionem beneficiorum scribentes, non videntur efficaciter aliquid probare) Hic S. Doctor erectis jam beneficiis scribens *ep. 2. ad Fulconem, à Canonicis Regularibus deficientem*, sic ait: *Quidquid præter necessarium vitium, ac simplicem vestitum, de-*

altario retines, tum non est, rapina est, sacrilegium est. Idem sermone 23. in cantic. n. 14. ait: Timeant Clerici, timeant ministri Ecclesie, qui in terris Sanctorum, quas possident, tam iniqua gerunt, ut stipendiis, quæ sufficere debeant, minime contenti, superflua, quibus egeni sustentandi forent, impie, sacrilegæque sibi retineant. & in usus suæ superbia, atque luxuria, victum pauperum consumere non vereantur, duplici profecto iniquitate peccantes, quod & aliena diripiunt, & sacris, in suis vanitatibus, & turpitudinibus, abutuntur.

Idem S. Bernardus epist. 42. quæ est tract. de mor. & offic. Episcop. c. 2. n. 7. ad Henricum Senonensem Archiepiscopum scribit: Clamant verò nudi, clamant famelicis: conqueruntur, & dicunt... Nobis frigore, & fame laborantibus, quid conferunt tot mutatoria, vel extensa in perticis, vel plicata in manticis? Nostrum est, quod effunditis: nobis crudeliter subtrahitur, quod inaniter expenditis &c. Accedit S. Thomas Villanovanus apud Gormaz de just. n. 446. qui ait: Cum audio, aliquem, Clericum beneficiarium in morte apud se habuisse nummos, sic dolore afficio, ac si mihi diceretur, illum mortuum fuisse juxta concubinam; quia pari modo damnatum puto. Tandem S. Laurentius Justinianus de instit. & regimine pralatorum. c. 16. ait, per pompam, & deauratam suppellectilem Ecclesiasticorum &c. privari ministris debitis Ecclesiam, ornamentis altaria &c.

150. Resp. neg. ant. ad prob. neg. conf. S. Thomas Villanovanus ad mentem adversariorum accipiendus esset, Clerici neque patrimonialium domini essent; quia de omnibus pecuniis Sanctus is loquitur. Dein ea verba ad summum probant, peccari à Clericis, si beneficia superflua in profanos usus expendant: non verò probant, peccari contra justitiam, ut expendenti patet. Quod autem attinet ad S. Bernardum, hic planè non videtur locutus in rigore Theologico, sed usus exaggeratione concionatoria; nam si ejus verba omnino strictè fumeremus, sequeretur ex primo ejus textu, non esse Clericum dominum, nisi bonorum ad infimam sustentationem requisitorum; hæc enim involvit præcisè necessarium victum, & simplicem vestitum: certè sustentatio summa non est necessaria. Sed nec propriè ulla rapina intercedit; cum vis nulli pauperi propriè inferatur; unde non nisi concionatorie dici potest, rapinam dari.

Ulterius ex secundo, uti etiam ex primo textu, sequeretur, quod necessariò deberent superflua pauperibus dari, & non possent applicari templis, aliis nitidè ornatis, vel aliis causis piis, quod tamen est contra communem praxin, & etiam opinionem. Insuper ex tertio textu, uti ex primo sequeretur, quod Clericus ferme duntaxat unam vestem, & non alteram ad mutandum, habere possit, nec equum, nec aliud quidquam: quæ omnia in rigore admitti non debent; unde S. Bernardus vel loqui-

tur de casu extremæ necessitatis pauperum, vel loquitur cum exaggeratione.

151. Sic etiam debent adversarii explicare alios SS. Patres, qui ferè eodem modo loquuntur de laicis: certè S. Augustinus omnes Christianos alloquitur serm. 219. de tempore dicens: Quidquid enim nobis DEUS plus, quam opus est, dederit, non nobis specialiter dedit, sed per nos aliis erogandum transmisit: quod si non dederimus, res alienas invasimus. & in exposit. psal. 147. ante medium ait: Superflua divitum necessaria sunt pauperum: res aliena possidentur, dum superflua possidentur. S. Gregorius Nazianzenus orat. 16. alloquitur omnes Christianos divites, & non tantum Clericos, ut est manifestum legenti, dum ait: Minime fratres, & amici mei, minime committamus, ut res, Divino munere nobis concessas, male administremus, ne alioqui Petrum dicentem audiamus: Erubescite, qui aliena detinetis. S. Ambrosius C. Sicut ii. dist. 47. de laicis etiam ait, ipsis non esse propria, quæ sunt superflua; cum nihil in mundum intulerint: addit, par esse crimen, non dare indigentis, & tollere. Sicut ergo adversarii istos SS. Patres exponunt in sensu, non strictè proprio, sed exaggerativo, ita nobis liceat exponere S. Bernardum.

152. Ob. 3. Varii canones obligant Clericos ex justitia, ad superflua in pauperes, vel pias causas, expendenda: ergo. prob. ant. afferendo capitula varia. Resp. diff. ant. variis canones ita obligant ante erectionem beneficiorum. om. ant. post illam. neg. ant. & conf. Afferre omnia verba impossibile foret. Breviter afferro capitula, & explico. C. Episcopus. 12. q. 1. est ex Concilio Antiocheno, ante divisionem præbendarum celebrato; nam loquitur de tempore, quo bona Ecclesie erant omnia sub administratione Episcopi, & necdum divisa in præbendas. C. Res Ecclesie. ibidem. loquitur eodem modo de bonis nondum distributis: estque Urbani I. Papæ, qui fuit ante erectionem præbendarum. C. Qui Christi. 12. q. 2. tantum dicit, qui pecunias Ecclesie auferunt, vel fraudant, esse fures: nihil de Clericis.

C. Non liceat Papa. 12. q. 2. loquitur de bonis immobilibus, seu Ecclesiasticis quarto modo, ut n. 125. explicatum C. Indignè. eadem. loquitur potius de principibus, vel aliis, bona Ecclesie immobilia ad se trahentibus, aut injustè invadentibus. C. Episcopus. 12. q. 2. tantum negat Episcopo facultatem testandi, maximè si hæredes necessarios non habeat, de qua re inferius. C. Placuit. 12. q. 3. est ex Carthaginensi Concilio III. quod celebratum est ante Simplicium anno 397. Adde, quod tantum dicit, bona immobilia, ex Ecclesiasticis redditibus empta, manere debere Ecclesie: quod etiam statutum est aliis capitulis, citatis à Lessio de just. l. 2. c. 4. dub. 6. n. 50. Fuit autem hoc speciale statutum, cujus ratio sufficiens in hoc casu ita statuendi esse potuit; quia Ecclesia non vult, Clericos inhiare congerendis divitiis: & hoc caput videtur præcipue Cle.

Clericis prohibere, ne testentur de his rebus.

153. C. Revertimini. 16. q. 1. est ex S. Hieronymo. C. Decima. autem ibidem, itemque C. Quod autem. 23. q. 7. est ex S. Augustino, qui fuerunt longè ante Simplicium C. Quoniam quidquid. 16. q. 2. est iterum S. Hieronymi longè antiquioris. C. Ratio nulla. de præbendis, & dignitatibus. necessariò debet aliqua expositione declarari; nam ita habet: Ratio nulla permittit, ut, quod pro communi utilitate datum esse cognoscitur, propriis cujusquam sibus applicetur; utique enim dicere non vult, quòd nihil ex communibus bonis possit privato applicari tanquam proprium; aliàs nec congrua sustentatio Clerici propria fieret; unde, ut rubrica videtur innuere, hoc capitulum loquitur de bonis communibus immobilibus, ex quibus fructus colliguntur: vel loquitur certè de bonis quarti generis: vel debet fors dici, quòd non unus solus debeat communia accipere. Sanè, quòd loquatur de quibuscunque superfluis Clericorum, probari non potest.

154. C. Inquirendum. de peculio Clericorum. neutiquam sonat, ut citatur apud Gormaz de just. n. 450. & quidem citatur sub titulo de testamentis, quòd tamen titulo nullum capitulum Inquirendum habetur. Quod autem habetur titulo de peculio Clericorum videtur tantum loqui de redditibus communibus, atque de votis, & oblationibus fidelium, nondum distributis; nam comparat eas oblationibus illis, quas Judas sibi furatus est, quæ certè necdum erant distributæ inter Apostolos. Adde, in notis marginalibus ad hoc capitulum dici, id non inveniri in Concilio Rhemensis impresso: interim tamen negari non potest, id loc. cit. insertum esse juris canonico.

C. Pontifices. 12. q. 3. loquitur de relictis Episcopo, non intuitu personæ Episcopalis, & in ejus commodum, sed pro redemptione animæ relinquentis: atque, id, quod sic relictum, vel dimissum est, esse inter facultates Ecclesie computandum: sed hæc planè non veniunt ad rem nostram; quia agimus de superfluis jam distributis inter Clericos. Authentica. Ut determinatus sit numerus Clericorum. c. 3. loquitur de redditibus nondum distributis, seu adhuc communibus, & alloquitur œconomus, seu administratores bonorum communium; unde etiam ipsa non venit ad rem; imò cum sit tantum juris civilis, nullam habet in Clericis autoritatem, & est ipso jure nulla.

Tandem respondeo universaliter, canones, & textus similes, vel loqui de temporibus præcis, quando nondum erant beneficia erecta: vel loqui de bonis Ecclesiasticis, quarto modo acceptis: vel aliquando loqui de casu extremæ necessitatis: vel si SS. Patrum sint verba, dicta ea esse aliquando cum aliqua exaggeratione, & sensu concionatorio, non in rigore Theologico. Tridentinum autem Concilium, quod etiam solet adduci sess. 25. de reform. c. 1. potius


probat oppositum: videatur n. 136. Dein, si hanc obligationem Tridentinum dari sensit, cur non clarè locutum est, sed omnino de ea tacuit? nunquam enim indicat obligationem ex justitia: sed tantum præcipit, non expendi superflua in usus profanos: quod & nos in conclusione tertia diximus faciendum.

155. Ob. 4. Antiquitus, ut dictum est n. 124. bona Ecclesiastica divisa fuerunt in quatuor partes, ex quibus una fuerat destinata pauperibus. Jam sic: hæc pars non amplius extat: ergo commixta est cum parte Clericorum (vel Episcoporum; nam etiam isti eandem obligationem erga pauperes habent) ergo debent adhuc Clerici ex justitia, pauperibus illam partem ex superfluis suis dare; nec enim Ecclesia voluit fraudare pauperes rebus suis, vel parte sibi destinata. Ad hanc objectionem variè respondent auctores.

Observo autem in primis, etiam adversarios permittere communiter Clericis, ut superflua in alias pias causas impendant, e. g. in ornatum templorum, etiam aliàs jam satis ornatorum; unde partem pauperum licet attribuere fabricæ Ecclesie. Nec possunt ponere adversarii, per pauperes intelligi quamcunque causam piam; nam sic vel confunderent ipsi fabricam Ecclesie cum pauperibus, quorum tamen partes adeò strictè distinctas observari volunt: vel deberent etiam ipsi agnoscere, eam distributionem in quatuor partes, non esse omnino rigidè ex justitia observandam.

156. Secundo adverto, non constare, quo tandem illa pars pauperum devenit, an scilicet jam sit impensa in erectionem hospitalium, seminariorum, monasteriorum, ac universitatum, vel aliarum piarum pro pauperibus fundationum, ut censent, saltem quoad aliqua, Lugo de just. disp. 4. sec. 1. n. 7. Vasquez apud Gormaz n. 459: vel an non ea pars etiam applicata sit fabricis Ecclesiarum: vel expensa in erectionem novorum beneficiorum, in favorem pauperum Clericorum: vel impensa in bella sacra: vel etiam aliquando principibus sæcularibus, in recognitionem obsequiorum Ecclesie præstitorum, concessa; negari enim non potest, multa bona Ecclesiastica rursus ad sæculares devenisse: & in Germania nostra id nimis clarum est de multis decimis; unde saltem non liquet, an pars illa mixta sit bonis Clericorum. Neque etiam ex eo, quòd Clerici aliqui superflua habeant, statim inferitur, eos participasse de bonis pauperum; cum enim fideles sapissimè novas fecerint donationes, eaque semper iterum in quatuor partes dividi debuerint, ut habetur C. Cognovimus. 12. q. 2. patet, semper Clericorum portioni additionem factam, adeoque facillè etiam aliquid superfluum ipsis attributum fuisse.

157. Tertio adverto, quòd distributio in quatuor illas partes sit autoritate, & præcepto Ecclesie facta, ut habetur C. Mos est.



22. q. 2. imò ea distributio non semper est facta in quatuor partes, ut dictum n. 124. & habetur C. *Constitutum*. 16. q. 1. ubi Episcopo tertia pars attribuitur: & C. *Requisiti. de testamentis*. ubi tertia, vel quarta pars Episcopo assignatur: adeoque videtur, dependere ab Ecclesiæ voluntate, cui redditus illi assignentur; unde infert Illfing *tr. 4. disp. 2. q. 3. n. 5. §. 1. n. 169*. Clericos potuisse, saltem ex autoritate Pontificum, expressè, vel tacitè, ob iustas causas consentientium, acquirere dominium partis, pauperibus olim destinatae, quanquam adjuncto præcepto gravi, ut superflua iis tribuant.

Idem Illfing *cit. disp. 2. n. 170*. ait, potuisse Pontificem, partem etiam pauperibus assignatam, ex causa iusta, assignare Clericis, tum propter beneficia, à Clericis Ecclesiæ præstita, tum propter alios ad Clerum nobiles, ac doctos &c. Auctor verò *Crisis Theol. c. 4. n. 21*. ait: non probari, eam commixtionem esse factam, vel saltem non probari, factam esse sine autoritate. In forma ad argumentum om. ant. & neg. conf. quæ certè probari non potest; unde ex principio incerto non potest erui obligatio certa. vel dist. 1. conf. ea pars commixta est cum parte Clericorum, cum sufficienti autoritate. conc. 1. conf. sine sufficiente autoritate neg. 1. & etiam 2. confeq.

158. Ob. 5. Clerici non habuerunt jus ad bona pauperibus destinata ante erectionem beneficiorum: ergo neque acquisiverunt jus per eam erectionem. prob. conf. non potuerunt sine injuria pauperibus eripi ea bona, & tribui Clericis: ergo isti non acquisiverunt jus &c. Resp. 1. neg. suppositum, seu quòd pars olim pauperibus destinata sit postea commixta cum parte Clericorum; quia, ut dictum n. 156, nescitur, quo pars illa pauperum devenit, nec potest probari, eam mixtam fuisse bonis Clericorum. Resp. 2. neg. confeq. ad prob. dist. ant. non potuerunt ea bona eripi pauperibus &c. nisi facta sit aliqua compensatio. om. ant. si hæc facta sit. neg. ant. & conf. Dixi om. ant. nam potest sæpe Pontifex, ex rationabili causa, per plenitudinem potestatis, transferre redditus ab una causa pia ad alteram, ut nemo negat, & traditur in *Clement. Quia contingit. de religiosis domibus*. Dein certum est, postea temporibus erecta esse multa hospitalia, leprodochia, seminaria, stipendia, & alias pias fundaciones pro pauperibus, non tantum plebeis, sed etiam nobilibus: & in ista potuit pars illa, pauperibus olim destinata, esse impensa: vel certè per ista fuisse facta aliqua compensatio, præsertim cum etiam multi redditus Ecclesiastici in ista sint impensi.

Resp. 3. iterum neg. conf. ad prob. neg. ant. nam nec pauperes habuerunt strictè dictum jus ad ea bona; quia ista à fidelibus oblata fuere Ecclesiæ, ut in hujus bonum, vel causas pias, impenderentur, non determinatè obligando Ecclesiam, ut pauperibus etiam aliqua pars distribueretur, quamvis fortè non sine spe, quòd id ab Ecclesiâ facien-

dum sit; alias enim, si fuisset determinatè imposta obligatio, dandi aliquam partem pauperibus, non possent impendi ea bona aliis piis causis: quod tamen adversarij Clericis concedunt. Hinc Ecclesiâ, vel Pontifex potuit, ea bona distribuere in alias pias causas, atque etiam Clericis plus tribuere, præsertim ex iusta causa, quales assignat Illfing, citatus n. 157. Quod autem aliqui Clerici nunc videantur habere multa superflua, provenit, partim ex novis fundationibus, quæ post Simplicium Papam factæ sunt plurimæ, & quidem sine ullo alio onere pro solis Clericis, partim ex bona administratione, per quam ipsa bona Ecclesiastica stabilia aucta sunt, & consequenter etiam redditus.

Dices. Fideles obtulerunt sua bona Ecclesiis cum hac determinata obligatione, ut superflua darentur pauperibus: ergo datur obligatio ex iustitia. ant. prob. in primis ex formula oblationis veterum Francorum, quæ extat apud Auctorem *Crisis Theol. n. 11*. & in qua dicitur, bona à fidelibus offerri *pro remissione peccatorum suorum, ac parentum, & filiorum, aut ad servandum ex his DEO in sacrificiis, Missarumque solemnibus, orationibus, luminaribus, pauperum, ac Clericorum alimoniis, & ceteris Divinis cultibus, atque Ecclesiâ illius utilitatibus &c.*

Confir. 1. Concilium Triburienfe, celebratum an. 895. ait *cap. 13*. decimas dari inter alias causas etiam *in sustentationem pauperum*: ergo datur obligatio ex iustitia, superflua dandi pauperibus. Confir. 2. Bona Ecclesiæ vocantur *bona DEI, vota fidelium, pretia peccatorum, patrimonia Christi, patrimonia pauperum*: ergo non possunt sine læsione iustitiæ in profana expendi.

Resp. neg. ant. certè de hac obligatione non constat; quamvis enim fideles optent, ut bona beneficialia Clericis piè expendant: non tamen constat, illos his obligationem iustitiæ imposuisse: ut etiam Lessius *de iustit. l. 2. c. 4. dub. 6. n. 45*. docet. imò Auctor *Crisis Theologicae n. 23*. ait, fortè Clericos in eam obligationem non fuisse consenturos: & addit, non præsumendum esse, quòd fideles, qui permittunt absolutum dominium laicis cantoribus, idem negent Clericis &c. Nec dicas, laicos nunquam acquirere superflua; nam hoc vix persuadebis.

159. Ad prob. in primis Franci non sunt totus mundus: dein etiam illi probabiliter bona sua non dederunt alia mente, quam, qua communiter dari solebant, ut scilicet expenderentur in eas pias causas, in quas solebant expendi, non imponendo obligationem determinatam, sed tantum inderminatam, ad eas pias causas, quæ in ea formula ponuntur: quamvis simul ostenderint spem suam, ac desiderium, ut etiam pauperibus aliquid obtingeret: interim erant, ut ait Lugo *disp. 4. n. 7. fidentes recte, & pia Ecclesiâ administratione*. Molina *tom. 1. de iust. tr. 2. disp. 144*. ait, quòd fideles *eo fine, oblationes, & decimas tribuerint*

Eg-

Ecclesiâ, non tamen cum eo onere, ac modo. Potest etiam dici, Francos non voluisse, ut bona jam distributa, si sint superflua, debeant denovo à Clericis erogari in pauperes, sed tantum aliquid ante distributionem, sicut fiebat, quando quatuor partes adhuc erant divisæ.

Ad 1. confir. neg. conf. nam, licet, ut modò dictum, eo fine dentur decimæ, ut etiam pauperibus aliquid ex iis obveniat, non tamen dantur cum eo onere, ut observat Molina modò citatus. Imò Lessius *de iustit. l. 2. c. 4. dub. 6. n. 45*. ait, non potuisse laicos quoad decimas talem obligationem imponere Clericis; cum Clericis decimæ debeantur, ratione administrationis spiritualis, ut docent communiter cum S. Thoma *2. 2. q. 87. a. 1. in corp.* adeoque ex iustitia; unde etiam ex Concilio Triburienfi non inferitur hæc obligatio, ex iustitia dandi pauperibus partem decimarum, & præsertim non inferitur obligatio, dandi partem ex bonis jam in Clericos divisis.

160. Ad 2. confir. neg. conf. In primis quo sensu bona oblata Ecclesiæ, vocentur bona DEI, explicatum est n. 126. dein etiam in antiquo testamento, quæ dabantur sacerdotibus, & levitis uxoris, erant pretia peccatorum; nam ait DEUS *Osee. 4. v. 8*. de sacerdotibus: *Peccata populi mei comedent*. nunquid illi etiam erant obligati ex iustitia, ad superflua pauperibus danda? Itaque bona beneficialia dicuntur *patrimonia pauperum* tantum metaphoricè, quatenus pauperes habent spem, recipiendi ex illis sustentationem, ad quam dandam obligantur quidem Clerici, non tamen ex iustitia. Alii tituli potius probant obligationem religionis, quam iustitiæ.

Ubi tamen etiam addendum, dupliciter expendi posse bona DEI, sive bona Ecclesiastica. Primò, dum, vel expenduntur causâ DEI colendi, aut ob obsequia DEO præstita: vel dum dantur iis, quos Christus vocare dignatus est suos fratres, scilicet pauperibus: & sic prima vice necessariò bona beneficialia debent piè expendi: idque fit etiam, ea dando Clericis sacrificantibus, psallentibus, orantibus &c. item laicis æditis, cantoribus &c. Secundò expenduntur iterum à Clericis, vel laicis, in sustentationem suam: hæc expensio non debet esse pia ex iustitia; aliàs etiam cantores, pro digè ex illis viventes, tenerentur ad restitutionem, quod nemo dicit. Verum quidem est, Clericos saltem quoad superflua obligari, ut ista secundò quoque piè expendant: sed non ex iustitia.

161. Ob. 6. Clerici testari non possunt de bonis superfluis: ergo tenentur ex iustitia, ea relinquere causis piis, vel pauperibus. ant. prob. sic habetur statutum C. *Quia nos. 9. de testamentis. & C. Relatum est auriibus. 12. eodem tit.* item C. *Cum in officiis. 7. eodem tit.* Resp. ex hoc tantum probari, usum domini ligatum esse, sicut ligatus est usus domini in pupillo. Sic etiam econtra potestas testandi non probat dominium; nam potest à Pontifice concedi Religioso pote-

R. P. Ant. Mayr. Theol. Tom. II.

tas testandi, quin is dominium habeat. Dein, si ratio hujus ligaminis, vel prohibitionis, essent pauperes, saltem possent Clerici testari in favorem pauperum: atqui de jure communi etiam hoc ipsis non licet: sed teste Molina *tom. 1. de iust. tr. 2. disp. 147*. jure novo Pontificio Pauli III. Julij III. Pauli IV. Pij V. & Gregorii XIII. statutum est, ut relicta ex redditibus beneficii post obitum tanquam spolia Camera Apostolicæ inferantur: quod tamen pluribus in regnis in usu non est. videatur ipse Molina *loc. cit.* hæc fusè exponens.

Dubium autem esse non debet, quòd, etsi beneficiati sint plenè domini, etiam superfluum, tamen ob bonum commune, vel aliam legitimam causam, e.g. ob bonum pauperum, vel coercendam avaritiam, aut promovendum virtutis studium, possit ipsorum dominium ligari, etiam irritando eorum testamenta; unde in forma neg. conf. Ratio hujus statuti communiter dicitur esse, ut Clerici abstrahantur à nimio amore terrenorum, & à cupiditate coarctandi pecunias, quæ eos dedecet; cum enim videant, sibi ereptam esse potestatem testandi de suis (intellige beneficialibus; nam de patrimonialibus testari possunt ex C. *Quia nos. 9. de testamentis*) eò citius disponunt de iis ad pias causas, dum adhuc vivunt, ne spolio cuicumque cedant, multo labore corrasa.

162. Ob. 7. Franciscus Gonzaga de origine Seraphica Religionis Franciscanae tertia parte. titulo. *Provincia S. Michaelis. de Conventu S. Francisci Civitatis*, refert historiam, etiam à pluribus aliis authoribus comprobata, de Petro Diaz Episcopo Civitatis, qui mortuus, tertio ab obitu die, meritis S. Francisci Seraphici, fuit revocatus ad vitam, dixitque, se fuisse damnandum ob flagitia, nisi intercessione S. Francisci sibi quinque dies vitæ indulti fuissent: & addidit, hos ideo sibi concessos, ut bona Ecclesiæ, quæ consanguineis injustè erogaverat, repetat ab istis, & pauperibus restituat: quæ postquam intra quinque dies recuperavit, rursum obiit. Altera historia affertur de Guilielmo Episcopo Parisiensi, qui damnatus fuit; eoquòd duo beneficia simul possederit: ergo

Resp. In primis secunda historia non facit ad rem; etsi enim aliquis superflua vellet piis causis applicare, non ideo possit duo beneficia possidere, nisi alia ratio eum excusaret. Prior autem historia in multis aliter refertur à Francisco Gonzaga, quam in objectione relata est, non tantum in eo, quòd dicat Gonzaga, Petrum quarto die ad vitam revocatum fuisse, & non tantum quinque, sed viginti dies vitæ ei concessos: sed in eo potissimum (quod est maxime ad rem) quòd à Gonzaga non referatur, resuscitatum dixisse, sibi hos dies indultos fuisse, ut bona, consanguineis injustè erogata, recuperaret, sed ut ob peccata sua, quæ maxime erant carnalia, poenitentiam ageret. Imò refert Gonzaga, non ipsum bona consanguineis

F

neis

neis erogasse, sed istos ejus mortem per tri-
duum occultasse, ut bona interem inter se
partiri possent: quæ tamen dein redivivus
iterum intra illos 20. dies (ut jure potuit)
recuperaverit, atque pauperibus donaverit:
& poenitentiam magnam egerit: quod longè
est aliud, & nil contra nos probat.

Quod si tamen aliquis probaret, histo-
riam contigisse, ut ab objiciente narrata est
(quod tamen nunquam probare poterit)
posset responderi, quòd, si ille Episcopus ex-
pendendo sua superflua contra justitiam pec-
caverit, id factum esse debuerit ex eo, quòd
specialis obligatio illis redditibus fuerit an-
nexa, quæ universaliter non agnoscitur: vel
quòd fuerint bona Ecclesiastica quarti ge-
neris, quæ consanguineis dedit. Certè, si
Clerici omnes damnarentur, qui non cura-
rent restituere superflua, consanguineis dona-
ta, etiam si agerent poenitentiam ob ea ita
profane expensa: si insuper omnes accipien-
tes sub poena damnationis æternæ obliga-
rentur ad restituendum, multi Clerici, & eo-
rum consanguinei damnarentur: & cur nemo
de hac obligatione authenticè monet?

163. Ob. 8. Innocentius XII. in Bulla
edita anno 1692. 22. Junii. quæ abrogat *Ne-
potismum*, docet, nec ipsis Romanis Pon-
tificibus licere, consanguineos ex redditibus
Ecclesiæ ditare; imò ait, curæ futurum suis
successoribus, ut ita donata vindicentur
rursus Cameræ Apostolicæ, & donatoriis au-
ferantur: ergo videtur agnoscere, invalidè
esse donata, ac restitutioni obnoxia, con-
sequenter contra justitiam erogata. Resp.
neminem dicere, quòd ista Bulla re-
vocata sint privilegia testandi, quibusdam
Clericis data. Secundò, aliud esse de reddi-
tibus Summi Pontificis, quos accipit ex
magnis statibus, & provinciis, quorum est
temporalis dominus, imò ex omni orbe: quæ
bona à fidelibus dantur, non tantum, ut fru-
ctus beneficii, & pro ipsius persona, sed et-
iam, ut sibi de ministris idoneis, aliisque
Ecclesiæ necessariis, providere possit. Quare
potest ipse etiam contra justitiam, tum com-
mutativam, tum distributivam peccare, si
per inutiles sumptus, aut in homines im-
meritos, ex affectu tantum carnis, redditus
istos profundat. At verò Clerici, de qui-
bus nobis est sermo, non accipiunt reddi-
tus, nisi pro se. Si autem aliqui quorum-
dam bonorum tantum sunt administratores,
vel ob alios fines ea accipiunt, non nega-
mus, eos etiam contra justitiam commutati-
vam peccaturos, si malè ea bona expendant.

Quòd autem Papa in Bulla dicta sæpe
utatur terminis *justitia*, & *aquitatis*, non
probat, eum intelligere justitiam commu-
tativam; nam potest intelligi etiam distri-
butiva, quæ scilicet exigit, ut in eligendis
ad officia, habeatur ratio meritorum: certè
ipse Innocentius ait: *Quo custodià in om-
nibus Ecclesiastica disciplina, atque justitia
distributiva regulà, nemini relinquatur con-
querendi, vel obloquendi occasio: sed Eccle-
siastica stipendia, ministrantibus in Ecclesia*

*DEI, aqua lance, pro uniuscujusque merito
assignentur.* Quòd autem dicit, curæ fu-
turum, ut ita donata, vel expensa, vindic-
centur Cameræ Apostolicæ, intelligi potest,
de expensis factis contra justitiam ex Came-
ræ Apostolicæ, & redditibus, in alios fines
destinatis: vel rectè dicitur, de his factum
esse speciale statutum à Pontifice, quòd se
non extendat ad omnium aliorum Clerico-
rum bona. Certè Prælati non cenent, sibi
per eam Bullam impositam esse obligationem,
repetendi donata, vel etiam irritandi dona-
tiones Clericorum omnium.

164. Dices. Pontifex ait: *Quæ nobis
licere non patimur, aliis indicare . . . decre-
vimus:* ergo inuit, hanc rem esse juris Di-
vini. Resp. neg. conf. Etiam Bonifacius VIII.
C. ultimo de *rescriptis in 6.* revocans qua-
dam privilegia à se, & antecessoribus data,
ait: *Quodque nobis licere non patimur, suc-
cessoribus indicamus:* quin propterea volue-
rit dicere, quæcumque talem concessionem
esse contra jus Divinum, & se, & antecesso-
res suos, ea concedendo egisse contra jus Di-
vinum: sed tantum voluit indicare, quòd
Pontifex non debeat velle, vel pati, sibi li-
cere etiam illa, quæ sunt contra sacros ca-
nones, nisi adit legitima causa dispensandi:
& hinc ipse Innocentius in obje cta Bulla pri-
us dixerat: *Ad ea sacrorum canonum sta-
tuta, quæ Episcopis, ne bonis, & redditibus
Ecclesiæ, consanguineos suos augere stu-
deant, interdiciunt, considerationis nostræ
aciem convertentes.*

Et sanè non est universaliter licitum
Pontifici, contravenire legibus Ecclesiæ
absque omni causa, nec licitè potest Papa,
pro libitu abrogare canones sacros: potest
tamen suis ex causis, & in debitis circum-
stantiis, sæpe in legibus Ecclesiasticis dispen-
sare: & si hoc faciat, non red dit propterea
leges inutiles; quia, etsi non stringant eum,
cum quo dispensatum est, stringunt tamen
alios, quibuscum non est dispensatum; aliis
certè ferme omnes leges debent dici inu-
tiles: quia, ut nulla regula, ita ferme nul-
la lex, saltem si non sit naturalis, sine ex-
ceptione. vide Auctorem *Crisis Theologica*
n. 35.

ARTICULUS V.

Solvitur Objectio Ultima.

165. Ob. 9. contra 3. conclusionem.
Clerici licitè testari possunt
de bonis superfluis pro libi-
tu: ergo etiam possunt de iisdem licitè do-
nare, vel ea distrahere in vivis. ant. prob.
ex Bullis aliquorum Pontificum, qui non
quidem universaliter omnibus, sed ta-
men pluribus, & variis Clericis, dederunt
licentiam testandi, etiam ad profana: ergo,
ant. prob. ab Auctore *Crisis Theol.* n. 18. &
n. 33. citando Bullas plurium Pontificum:
& præsertim clarè hoc probat Bulla Julii III.
Cypientes, ut alma. quæ est tertia in Bulla-
rio Cherubini inter Bullas Julii III. èstque
edita an. 1549. sexto idus Martii, in qua
hic

hic Pontifex ita loquitur: *De omnibus, &
singulis eorum immobilibus, mobilibus, &
se morventibus bonis, pecuniis . . . fructi-
bus, redditibus, & proventibus Eccle-
siarum, monasteriorum, & beneficiorum
Ecclesiasticorum, cum cura, & sine cu-
ra . . . licitè tamen acquisitis, cujus-
cunque qualitatis, quantitatis, summe, va-
loris, & pretii, seu conditionis existant,
etiamsi talia sint, quæ sub generali ver-
borum expressione non comprehendantur,
sed speciali notà digna sint, tam
donatione inter vivos, & causà mortis,
quàm testamento, codicillis, fidecommissis,
legatis, & quavis alia ultima voluntate,
in favorem consanguineorum, & affinium
suorum, ac quarumvis aliarum personarum,
etiam penitus extranearum, ac de jure in-
capacium, seu aliàs prohibitarum, etiam
divitum, & potentium . . . priorum loco-
rum, & non piorum, disponere . . . liberè,
& licitè valeant. Quodque, siurbis incolæ,
aut curiam hujusmodi sequentes, ab in-
testato decesserint, eorum bona . . . ad ipso-
rum pro tempore decedentium proximiores
agnatos, & alios, qui eis, nisi beneficiati
essent, de jure succedere deberent, alias jux-
ta juris communis dispositionem liberè de-
volvantur.*

Similia habent Sixtus IV. in Bulla. *Etsi
universis.* edita an. 1474. 1. Januar. item
Pius IV. in Bulla. *Romanus Pontifex.* an.
1561. Pius V. Sixtus V. & Paulus V. in e-
adem *Crisi Theologica* n. 18. & 33. adducti,
& quidem Paulus V. eadem confirmat, alle-
gatis suorum prædecessorum Romanorum
Pontificum diplomatis, quæ (ut ait hic Pon-
tifex in eadem *Crisi* n. 33.) *temporum fortasse
injurià, diversis ob causis imminuta, aut
alias abrogata dicuntur:* & causam addit
(ut refertur in *Crisi* n. 43.) *ut curialium, &
incolarum prædictorum indemnitati, & tran-
quillitati consuleret.*

166. Resp. dist. ant. Possunt licitè te-
stari illi Clerici, qui habent privilegium li-
citè testandi, vel donandi, conc. ant. qui
id non habent. neg. ant. & sub eadem dist. om.
vel neg. conf. Potest Pontifex ex gravibus
causis, dare hoc privilegium; cum enim sit
supremus administrator omnium bonorum
Ecclesiasticorum, potest utique ex gravibus,
& proportionatis causis, ea bona etiam pro-
fanis concedere, ac concedendi licentiam
dare; etiamsi non tantum ex præcepto Ec-
clesiastico, sed etiam ex aliarum virtutum
obligationibus, Clerici tenerentur, superflua
in pios usus expendere: sicut potest dispen-
sare in votis, quorum obligatio certissimè
oritur ex obligatione religionis, & non tan-
tum ex obligatione præcepti Ecclesiastici.
Ex hoc autem non sequitur, Pontificem
posse, liberè, & licitè, hac in re dispensare
sine causa, sicut etiam non potest dispensare
in votis.

Unde Lessius de *justit.* l. 2. c. 19. n. 45.
citans Navarrum ait, Pontificem dantem
facultatem testandi intelligi, eam dare tan-
tum ad causas pias. At hoc planè videretur

tortum; nam Bullæ aliquæ superiùs citatæ
expressè dant facultatem, etiam testandi ad
profana: nec dicendum, Summos Pontifi-
ces potestatis suæ limites esse transgressos.
Hinc saltem ex causâ potest dari facultas te-
standi ad profana: cui contrarium non do-
cet Navarrus; nam apud Molinam. *tom. 1. de
just. tr. 2. disp. 147.* tantum ait, Pontificem id
non posse, nisi ex rationabili, & sufficienti
causâ. Quando autem non apparet ulla causâ
legitima dispensationis, fortè cum Cardinali
de Lugo *tom. 2. de just. disp. 23. sec. 6. n. 104.*
dicendum, intentionem Pontificis, faculta-
tem testandi concedentis, non esse, eximere
Clericum ab obligatione expendendi super-
flua in usus pios, nisi quando addit justa cau-
sa aliter faciendi, quod uniuscujusque con-
scientiæ relinquit.

167. Dices 1. Tamen jam consuetudo
introducã est, ut Clerici, Episcopis inferio-
res, liberè testentur; ita enim testatur Co-
varruvias in C. *Cum in officiis* n. 23. de Gal-
lia, & Hispania: additque, in ista Carolum V.
constitutione sanxisse hanc consuetudinem:
quod idem testatur Molina *tom. 1. de just.
tr. 2. disp. 147.* & addit idem de Lusitania:
licet disputet, an non sit aliquid limitatum
à rege Joanne III. Auctor *Crisis Theologica*
testatur de consuetudine eadem passim vige-
nte in Germania: & Constitutiones synodales
diocesis Constantiensis *tit. 24. n. 4.* ajunt,
esse antiquissimam consuetudinem: Itali,
ut patet ex Bullis suprâ citatis, multi ha-
bent privilegium testandi: ergo. Respondet
Lessius, Lugo, Molina, ac alii, esse
quidem consuetudinem licitè testandi ad
pia, sed non ad profana, saltem nisi specialis
ratio, aut legitima concessio, det licentiam,
etiam ad profana testandi: quoniam etiam
admittant, inductam esse consuetudinem te-
standi validè, non tamen licitè ad profana;
unde Lessius de *justit.* l. 2. c. 19. *dub. 4. n.
44.* invehitur in Clericos, ita salutis imme-
mores, ut in articulo mortis velint sibi ac-
cessere periculum damnationis: atque, viros
bonos ab hoc valde abhorrere. Invehitur in
eosdem Molina *tom. 1. de just. tr. 2. disp.
147. conclus. 11.* Sed neque unquam audi-
vi, esse communem persuasionem apud Cle-
ricos probos, posse eos licitè de superfluis
beneficialibus disponere non aliter, quàm
sæculares, eaque consumere, e. g. convi-
vando, ludendo, vel divitibus consangu-
ineis donando.

168. Quod attinet ad Constitutiones
synodales quarumdam diocesium, ex tan-
tum permittunt consuetudinem liberè te-
standi: quæ vox *liberè* non necessariò signi-
ficat libertatem licitam, etiam ad profana te-
standi: quamquam significet validam. Certè,
si vellent asserere, omnino illimitatam fa-
cultatem testandi esse inductam, non sub-
jungerent Constitutiones synodales Con-
stantienses ista: *Serio monemus omnes Cle-
ricos, ut circa hujusmodi bona, sive hæ-
des ex testamento, sive ab intestato relin-
quant, etiam Ecclesiarum, quibus adscripti
sunt, pauperum, aliarumque piarum cau-
sa*

farum, rationem habeant, ne, dum fortè suos consanguineos ex bonis Ecclesiasticis temporaliter locupletare contendunt, ipsi salutis æternæ dispensent, atque jacturam patiantur. En, posita etiam quacunquæ consuetudine, periculum damnationis, adeoque etiam gravis peccati. Unde non bene Clarissimus D. Gletle in *tr. de testamentis c. 4. n. 14. assert. 4.* supponit, neminem reclamare contra testamenta Clericorum ad profana; etsi enim non reclametur quoad valorem, fat altum clamatur contra licentiam, saltem, nisi, ut jam diximus *n. 167.* specialis ratio, aut concessio legitima, talem licentiam tribuat.

169. Dices. 2. Ergo hæredes ab intestato etiam tenebuntur, si non ex justitia, saltem ex alio titulo, superflua accepta in pauperes, vel causas pias expendere. Resp. id concedit tanquam probabile Lugo de *justit. disp. 23. sec. 6. n. 103* ex ea ratione, quòd ea bona sint affecta obligatione religionis: sicut quandoque res defuncti habent annexam obligationem voti realis; nam hæres debet vota realia defuncti præstare. Sed videntur hæredes, de hac re nullum sibi scrupulum facere; unde ipsèmet Lugo *loc. cit. n. 104.* ait, Pontificem dispensantem eo ipso posse censi, expendere bona illa, sicut expenduntur cantoribus, qui non tenentur, salaria accepta piè expendere: & addit, causam, quæ sufficiens sit ad dispensandum, debere etiam esse sufficientem, ad ita expendenda ea bona. Insuper ait, posse etiam hæredi auferri obligationem repræsentandi personam defuncti quoad ista bona, ne dentur multæ lites, & laquei peccandi. Idem ait, & rectè, hæredes, vel alios, siquidem Clericos inducant ad tales donationes, earumque sint causa, peccare; quia inducunt ad peccatum. Lessius de *justit. l. 2. c. 19. dub. 4. n. 48.* ait, hanc obligationem, superflua expendendi in causas pias, esse personalem Clericorum, nec transire ad hæredes.

170. Molina *tom. 1. de just. tr. 2. disp. 147. conclus. 8.* ait, validam etiam esse consuetudinem, vi cujus bona beneficiati, ab intestato mortui, obveniant ejus aliis hæredibus ab intestato; eoquòd eadem sit ratio de dispositione tacita, ac de expressa: & stante dispositione juris communis, censi talem, nulla facta dispositione mortuum, sua relinquere hæredibus ab intestato. Insuper ait idem Molina, non constare, qualia sint bona, & an non sint patrimonialia, vel parimonialia; eoquòd multi Clerici non habeant redditus ultra congruam sustentationem: vel etiam jam in vita multa expendierint in causas pias, ut adeò de superfluis parùm restet: & hinc addit, justam esse legem, quæ præcipit, eam consuetudinem introductam servari, ut scilicet evitentur multæ lites. Docet tamen ibidem, etiam stante ea consuetudine, eum, qui culpabiliter sua bona beneficalia profanis relinquat ab intestato, graviter peccare.



ARTICULUS VI.

Quale Dominium habeant Religiosi.

171. Dico 1. Religiosi in communi, seu communitates Religiosæ, possunt habere dominium rerum mobilium, & immobilium: exceptis Fratribus Minoribus de Observantia, & Capucinis. ita defacto omnes contra Navarrum, qui vitus est docere, Religiosos tantum habere administrationem suorum bonorum: dominium autem illorum esse penes Christum. Prob. ex Tridentino *sess. 25. de reform. c. 3.* ubi concedit sacra synodus facultatem aliis omnibus Religiosis, etiam iis, quibus ex Constitutionibus suis non licebat, ut *deinceps bona immobilia eis possidere liceat*: atqui non dicitur proprie possessor bonorum, ut ait Lessius de *just. l. 2. c. 4. dub. 5. n. 19.* qui tantum habet administrationem.

Secundò. Nicolaus III. *Constit. Exiit. de verbor. significat. in 6.* docet, dominium bonorum, quibus utuntur Franciscani, pertinere ad Papam, non verò ad eorum congregationem: ergo supponit, aliorum Religiosorum bona, adeoque & istorum dominium, spectare ad eorum congregationem. Tertio. Est receptum apud omnes, & sumitur ex *C. Abbates. 18. q. 2.* quòd, quidquid acquirit monachus, acquirit monasterio: ergo monasterium, seu Religiosi in communi, habent dominium earum rerum, quæ monachus acquirit: ergo sunt capaces domini: cumque illud acceptaverint in alias etiam res suas, actu illud habent.

172. Dico 2. Religiosi professi particulares sunt incapaces omnis domini, vel juris proprietatis cujuscunque, etiam imperfecti. ita omnes, quæ ipsa autoritas in hac materia morali est argumentum sufficientissimum pro nostra conclusione. Probatur insuper hæc assertio ex variis iuribus, quæ, licet in rigore tantum videantur probare, quòd Religiosi particulares non possint licitè habere dominium, seu proprietatem, tamen communiter ab auctoribus explicantur in hunc sensum, ut negent Religiosis licentiam habendi dominium ob eorum incapacitatem, quæ supponitur. Jura autem, quæ licentiam negant, sunt *C. Nolo, ut aliquis. 12. q. 1.* ubi dicitur: *Nulli liceat in societate nostra habere aliquid proprium.* & *C. Non dicatis aliquid proprium. 12. q. 1. item C. Cum ad monasterium. 6. de statu Monachorum,* ubi Monachis in virtute sanctæ obedientiæ, & sub obestatione judicii Divini prohibetur proprietates. *C. Monachi 2. eod. tit.* ubi dicitur excommunicandus, qui sine licentia superioris peculium habuerit. Addi potest *C. Placuit communi. 16. q. 1.* ubi Religiosus dicitur *mun-do mortuus*; ex quo inferunt auctores, ejus dominium expirare, scilicet propter mortem ejus civilem. Novissimè tandem Tri-

dentinum *sess. 25. de regularibus c. 2.* ait: *Nemini igitur Regularium, tam virorum, quam mulierum, liceat, bona immobilia, vel mobilia, cujuscunque qualitatibus fuerint, etiam quovis modo ab eis acquisita, tanquam propria, aut etiam nomine Conventus, possidere, vel tenere.*

173. Quæstio jam est, unde ista incapacitas in Religioso proveniat; non enim provenit ex voto præcisè, vel ipso statu religioso; nam, ut habet Suarez. *tom. 3. de religione l. 2. c. 12. & l. 8. c. 7.* voluntas privata ligare quidem potest, at non tollere dominium, nisi hoc lege aliqua tollatur; unde, qui haberet tantum simplex votum, nihil habendi proprium, peccaret quidem acceptando dominium, non tamen incapax esset acceptandi: sicut habens votum simplex castitatis, peccat contrahendo matrimonium, validè tamen illud contrahit.

Status etiam religiosus stat cum dominio, saltem ligato quoad usum ejus, ut habetur ex Bullis Gregorii XIII. *Quanto fructuosus. & Ascendente Domino.* ubi sub gravissimis censuris declaratur, Scholasticos Societatis nostræ esse verè Religiosos; cum tamen domini capaces sint. Sed nec traditio Religiosi, & bonorum, monasterio facta, eum reddit omnino incapacem domini; nam sepe Religiosus bona sua non tradit monasterio, si scilicet ipsum ea non acceptat, ut fit apud P. P. Franciscanos, & Capucinos: & aliàs, saltem ex consensu monasterii, possit Religiosus habere dominium: quod tamen est falsum.

Solemnitas quoque voti eam incapacitatem non infert; inprimis enim illa incapacitas datur sine solemnitate voti, ut patet in Coadjutoribus Societatis nostræ. Dein non est ratio ulla efficax, ex qua inferatur hic effectus solemnitatis: imò Suarez *l. 8. c. 7. modo citato,* probabiliter ostendit, fuisse olim in Ecclesia Religiosos, etiam professos, domini alicujus capaces. Tandem ipsa solemnitas votorum habetur tantum ex jure Ecclesiastico, sicut de solemnitate voti matrimonium dirimentis habet Bonifacius VIII. *C. unico. de voto, & voti redemptione. in 6.* his verbis: *Voti solemnitas ex sola constitutione Ecclesiæ est inventa.* & Gregorius XIII. in Bulla *Ascendente Domino.* ait, *voti solemnitatem, sola Ecclesiæ constitutione inventam esse.* Hinc etiam Pontifex in voto solemnem dispensare potest, ac jam aliquoties dispensavit, ut videre est apud Gormaz de *just. n. 503.* & si S. Thomas *2. 2. q. 88. a. 11. in corp. vel q. 186. a. 8. ad 3.* hanc potestatem Papæ negaret, recedendum esset cum reverentia ab ejus mente. Quare tandem hæc incapacitas optimè dicitur provenire ex jure Ecclesiastico, quod hanc incapacitatem connexit solemnii professioni, vel aliis votis religiosis.

174. Dico 3. Religiosus circa res, quibus utitur, solummodo habet purum usum facti, de quo *n. 89.* ita defacto omnes. Prob. conclusio. Ex dictis Religiosus non habet

ullum dominium, aut jus, etiam tantum imperfectum: ergo non habet usum juris: ergo habet tantum purum usum facti licitum: hoc est: potest ex licentia superioris, ad nutum revocabili, uti vestibus, libris &c. quæ ad ipsius usum conceduntur. Nec de rebus, usu ipso non statim consumptibilibus, difficultas ulla est: sed olim magna controversia fuit, de usu puro facti circa res, usu ipso consumptibiles, e. g. cibum, & potum in mensa.

Gravissimam autem litem Fratribus Minoribus S. Francisci excitavit Joannes XXII. ab aliquibus dictus XXI. qui, à quibusdam illius Ordinis offensus, nullatenus agnoscere voluit usum facti, separabilem à jure, in rebus unico usu consumptibilibus: imò dominium rerum, Fratribus Minoribus donatarum, quod ipsi dicebant esse penes Apostolicam Sedem, abdicavit, ac rejecit: quo Pontificatu durante, vel ipsi Fratres Minores ex obligatione Pontificis dominium acceptare debuerunt: vel id remaneret penes donantes, qui non voluerunt, sua bona esse nullius, seu derelicta, sed eareus esse Fratrum Minorum, quatenus illi acceptarent, reliquo jure sibi retento. Postiores autem Pontifices dominium illud reassumpserunt.

Unde defacto est communis sententia, etiam in rebus, usu ipso consumptibilibus, distingui usum facti ab usu juris; nam qualem usum habent Franciscani, & Capucini in communi, talem, & non alium, habent Religiosi aliorum Ordinum in particulari, etiam circa res usu consumptibiles, scilicet, semper revocabilem ad nutum superioris. Hinc Religiosus nunquam habet potestatem restringendi libertatem aliorum; nam nunquam potest restringere libertatem superioris, ne eum ab usu rei impediatur: imò ne libertatem aliorum, qui ex licentia superioris possunt eam rem, e. g. cibum, statim auferre. Quod si res consumpta fuerit, e. g. cibum comestus, tunc nemo amplius habet jus, nec potest Religiosus restringere libertatem superioris, nec hic istius.

175. Dico 4. Hic purus usus facti circa bona fortunæ, seu externa, est materia paupertatis religiose (nam bona spiritalia, seu interna, item jus ad vitam, membra, atque etiam ad famam, & similia, non cadunt sub votum paupertatis: quanquam possint cadere sub alia vota) ita teste Ininger de *dominio. disp. 2. q. 3. a. 3.* omnes. Probatur conclusio ex jurebus *n. 172.* citatis, ex quibus habetur, Religiosum, disponentem de re aliqua sine superioris licentia peccare peccato proprietatis contra paupertatem: non quòd verè rem tanquam propriam habeat (proprietatis enim incapax est) sed quòd ita se gerat, quasi rem propriam, & sui juris haberet: quod Religiosus vi voti paupertatis prohibetur. Hinc etiam antiqui Religiosorum Patres, SS. Basilii, Benedictus, & præsertim S. Augustinus, relatus *C. Non dicatis. 12. q. 1.* quando dicunt, monachum non debere habere pro-

prium, statim dicta declarant, addendo, non licere ipsi aliquid accipere sine licentia superioris: hæc autem licentia superioris potest haberi, vel explicita, vel tacita, vel rationabiliter præsumpta: de quibus viderint, qui ea indigent.

ARTICULUS VII.

Solvuntur Objectiones.

176. **O**B. 1. contra dicta n. 173. Per professionem Religiosus se, & omnia sua tradit integre religioni: ergo non amplius sibi, sed religioni acquirit; sicut nempe, si quis omnia sua bona, præterita, præsentia, & futura, donaret alteri: ergo Religiosus per professionem fit incapax domini. Confir. 1. Religiosus, ut sæpe insinatur in iure canonico, se habet ad religionem, ut servus ad dominum: sed servus est incapax domini, & quidquid acquirit, domino acquirit: ergo etiam Religiosus est incapax domini: ergo per ipsam professionem, per quam fit Religiosus, etiam fit incapax domini. Confir. 2. Ut habetur C. *Placuit communi*. 16. q. 1. Religiosus est mortuus, saltem civiliter, & quidem per professionem: ergo per hanc etiam expirat ejus dominium. Resp. neg. ant. nam, si religio est bonorum, & domini incapax, ut Franciscanorum, non tradit Religiosus religioni bona sua vi professionis, sed tantum se, suamque personam: & tamen hæc traditio non est minus perfecta, quam in aliis religionibus.

Ad 1. confirm. Si paritas tenet quoad omnia, poterit Religiosus ex consensu monasterii habere aliquid proprium, sicut servus ex consensu domini, quod est falsum. Dein omisso toto priori syllogismo, neg. 2. conf. seu nego, oriri eam incapacitatem ex professione: & dico, quod, sicut incapacitas servi ad dominum, provenit ex lege humana, ita incapacitas Religiosi ad dominium oritur ex lege canonica. Ad 2. confirm. dist. ant. Religiosus est ita mortuus, præcisè per professionem. neg. ant. per hanc ut affectam lege Ecclesiastica, reddente eum incapacem proprietatis. conc. ant. & neg. conf. Sola professio tantum obligat Religiosum, ad exuendum se omni affectu erga temporalia, nondum autem reddit eum omnis juris proprietatis incapacem.

177. Ob. 2. contra 3. conclusionem. S. Thomas 2. 2. q. 78. a. 1. in corp. ait: *Unde in talibus rebus usu consumptibilibus non debet seorsum computari usus rei à re ipsa. . . & propter hoc in talibus per mutuum transfertur dominium:* ergo non datur in his purus usus facti, nec talem tantum habent Religiosi. Confir. Joannes XXII. in *Extrav. Ad conditorem canonum. de verborum significat.* negat, usum facti separari posse à dominio, in rebus usu consumptibilibus: & in sequenti *Extrav. Quia quo-*

rundam. idem reperit, ac insuper ait, quod nemini liceat impugnare ea, quæ in *Extrav. Ad conditorem* sunt *diffinita, ordinata, seu facta:* ergo.

178. Resp. dist. ant. & S. Thomas loquitur de usu juris. conc. ant. loquitur de puro usu facti. neg. ant. & conf. loquitur enim S. Doctor de usu, qui datur in mutuo, & sic eum etiam explicat Gormaz *de justit. n. 493.* Ad confir. neg. conf. Pontifex in illa Constitutione non dedit, sed tantum probat rationibus, non dari eum usum facti: & dominium in bona Fratrum minorum abdicat. Quod non definit, est clarum; nam tum in Constitutione *Ad conditorem*, tum in altera *Quia quorundam*, aliquoties dicit, probari, vel esse probatum: quod non est, esse definitum. Definivit quidem, esse de fide, quod Christus habuerit aliquid proprium, & hoc potius in *Extrav. Cum inter nonnullos. eodem tit.* ubi oppositum, ait, esse hæreticum: sed quod non detur usus facti simplex absque jure, non definitum.

Hoc videtur ipsemet insinuare; nam, quando in *Extrav. Quia quorundam. sub finem*, dicit: *Inhibemus, ne quisquam contra diffinita, ordinata, seu facta, per ipsam (Constitutionem Ad conditorem) verbo, vel scripto, scienter approbet aliquid, vel defendat. Siquis verò contra præsumpsit, tanquam contumax, & rebellis Romane Ecclesie, ab omnibus habeatur:* per hoc ipsum ostendit, non omnia definita, sed aliqua esse tantum ordinata, alia probata &c. Sed neque per contumacem, & rebellem Ecclesiam, videtur intelligere hæreticum; nam inter ista duo in ipsa hac Constitutione clarè distinguit, ut patet legenti. Quomodo autem inter se conciliantur Pontifices. Joannes iste XXII. & Nicolaus III. vel, ut à Joanne sæpe appellatur IV. explicavimus in *tract. de virt. Theol. n. 387.*

179. Ob. 3. Usus facti, vel debet simul esse usus juris, vel debet esse iniquus: ergo non est possibilis simplex usus facti licitus. Confir. 1. Potest etiam dari jus pro uno solo instanti: ergo, etiamsi iste usus facti revocabilis sit, non necessariò excludit jus. Confir. 2. Usus facti etiam est jus utendi re, salva ejus substantia: ergo est usus juris. Resp. hoc argumento etiam utitur Joannes XXII. in sua constitutione *Ad conditorem:* sed non est efficax; itaque neg. ma. nam datur medium, scilicet usus, non ex jure, sed ex licentia semper revocabili, ut probatum à n. 174. & ostenditur ulterius sic. Invitatus ad prandium, absque illo jure licite comedit cibos; si enim hospes eum impediret, non faceret ei injuriam, saltem realem: si autem alius ipsum impediret, ne cibos comederet, e. g. si eos auferret, faceret ei injuriam, non immediatè ratione ciborum, sed ratione impeditæ potestatis physicæ, ut dictum de paupere, vel patre. n. 23. Quod si dominus alios ei cibos apponeret, invitatus contra furem agere nullatenus posset, nisi fortè de injuria personali.

Ad 1, confir. conc. ant. neg. conf. quia illud

illud jus datum, etiam tantum pro unico instanti, pro illo eodem non est revocabile: purus autem usus facti etiam pro instanti, pro quo datur, est revocabilis, saltem ex natura sua, & intrinsecè: quamvis extrinsecè, seu ratione sensus compositi existentie suæ, non sit pro eo instanti revocabilis, seu destruibilis: scilicet habet se sicut creatura, quæ etiam eo instanti, quo existit, est simpliciter à DEO destruibilis, quamvis in sensu composito existentia destrui non possit. Ad 2. confir. neg. ant. ex duplici capite; nam primò in usu consumptibilibus non manet salva substantia: secundo, hic usus non est jus, sed pura licentia.

180. Ob. 4. Si in rebus usu consumptibilibus potest separari usus facti à dominio, id etiam poterit fieri in pecuniis: ergo potest quis, petere aliquid pro dominio pecuniarum, e. g. centum florenos pro centum florenis, & insuper aliquid pro ejus usu: sed aliquid petere, pro usu pecuniæ distincto ab ejus dominio, est usura: ergo. Resp. conc. ant. (nam Religiosus etiam in pecuniis ad ejus usum concessis tantum habet usum facti) neg. conf. Centum floreni jam adæquant dominium, & usum aliorum centum florenorum; dominium enim nudum pecuniæ absque usu, nullo modo valet centum florenos, sed tantum simul cum usu juris; unde non potest plus peti, nec sine usura licitè accipi.

Questio tamen hic est, an usus iste simplex facti revocabilis sit vendibilis. Gormaz, ac alii communis negant; quia, cum non sit jus, non est pretio æstimabilis; nam, si e. g. nunc venderes usum revocabilem equi, & sequenti instanti eum usum ab emptore revocares, quid proderet huic iste usus? quomodo ergo eum ex justitia posses obligare ad solutionem? Nec ex eo, quod iste usus possit gratis dari, atque etiam gratiarum actione dignus sit, etiam dignus videtur pretio. Aliud est de usu juris, rerum usu non consumptibilium; utique enim pretium exigi potest pro usu commodato vestium.

Econtra Ininger *de dominio. disp. 1. q. 3. a. 3.* putat talem usum esse vendibilem, sed modico sanè pretio: putatque, esse pretio æstimabilem spem, quam emptor potest concipere de eo, quod usus non sit revocandus, vel ob subitanam mortem, vel ob oblivionem domini: qua securitate, dum se privat dominus, etiam pretio æstimabilem obligationem subire videtur. Ne tamèn sit palliata usura, putat hic auctor, datum pro usu debere detrahi à dato pro dominio. Id saltem tenendum est, dominium pecuniæ non esse vendibile seorsim ab usu pecuniæ; quia emptor, vel quasi emptor illius, simul etiam emit ejus usum: & hinc jam censetur iste venire in contractum: atque hoc est, quod vult S. Thomas citatus n. 177.

181. Ob. 5. L. *Si vini. 7. ff. de usufructu earum rerum, quæ usu consumuntur*, dicitur: *Si vini, olèi, frumenti, usufructus legatus erit, proprietatis ad legatarium transferri debet:* ergo in his usu consum-

ptibilibus usus non est distinctus ab omni dominio. Confir. 1. Quia habet usum facti, potest rem etiam destruere, vel donare &c. ergo habet jus perfectè disponendi de re, adeoque dominium perfectum. Confir. 2. Talis potest etiam transferre jus in alios: ergo etiam ipse habet jus. Resp. dist. conf. Non est distinctus ab omni dominio usus juris, seu omnino usufructus, ut ibi dicitur. conc. conf. usus tantum facti, de quo lex non loquitur. neg. conf. Addit tamen lex, à tali legatario debere cautionem præstari, quod suo tempore res sit integrè domino restituenda.

Ad 1. confirm. dist. ant. qui habet usum facti, potest hoc facere nomine suo, & auctoritate propria, & quidem per potestatem irrevocabilem. neg. ant. nomine alieno, & per potestatem tantum revocabilem. conc. ant. & neg. conf. Etiam tutor potest destruere, vel donare res pupilli, quin sit dominus. Ad 2. confirm. iterum retorqueo argumentum in tutore. dein neg. conf. Qui tantum habet purum usum facti, non habet jus proprietatis ad eas res: sed habet tantum potestatem aliquid faciendi nomine alieno, & quidem hanc revocabilem: vel ad summum habet jus reflexum, mediatum, virtuale, vel eminentiale, ad translationem juris, quatenus habet potestatem legitimam, ad aliquam actionem, qua posita tanquam titulo, vel conditione, oritur jus in alio. Sic etiam magistratus habet jus transferendi bona, ab uno in alium privatum, ob bonum publicum, quin habeat jus proprietatis in illa bona.

182. Quidam hic ulterius agunt de bonis Fratrum Minorum: sed videtur mihi hæc cura potius ipsis relinquenda. Breviter dico, dominium eorum bonorum defacto esse apud Sedem Apostolicam, quæ Fratribus illis usum relinquit, quem posset absque injustitia revocare: quanquam, ut advertit Illung, conformiter intentioni dantium, debeat eum ipsis relinquere. Nec hic opponi potest, Fratres Minores posse impedire fures; id enim rectè faciunt nomine Pontificis: qui tamen etiam permisit ipsis fieri restitutionem ablatorum: imò probabiliter licentiam dedit, donandi ablata, vel eximendi fures, aut iniquos detentores ab onere restitutionis. Sed nec opponi potest, fideles offerre, & donare eleemosynas Fratribus, non Pontifici; nam fideles offerunt eas eo modo, quo censentur acceptari ab illis Religiosis: & modò oblata in horum utilitatem cedant, non sunt solliciti, penes quem dominium sit.

ARTICULUS VIII.

Quale Dominium competat Conjugibus, & Servis.

183. **C**onjugatorum bona valde diversa sunt. Primò sunt bona, quæ maritus habet aliunde, quam ab uxore, nec ejus intuitu, vel per

per ejus cooperationem acquirit. Secundò sunt *bona dotalia*, seu *dos*, quæ marito datur, aut promittitur ab uxore, vel nomine uxoris ab alio, ad onera matrimonii sustinenda: diciturque *profectitia*, si à patre, vel ascendente paterno proveniat: *adventitia* autem, si ab alio, quam patre, nec patris intuitu obveniat. Dicitur etiam *æstimata*, si certo pretio taxetur: quæ æstimatio aliquando venditionem facit, quando scilicet æstimatur dos eo fine, ut maritus solummodo matrimonio non teneatur reddere dotem, sed ejus pretium: aliquando autem non facit venditionem, quando scilicet æstimatur dos, tantum ea intentione, ut, casu, quo mariti culpâ pereat, pretium certum reperi possit.

Tertiò est *contrados*, seu id, quod maritus, vel alius istius nomine, dat uxori, in compensationem, vel securitatem dotis. Hæc de jure debet æquare dotem: sed ex quorundam locorum consuetudine non æquat illam, imò aliquando nulla datur. Quartò sunt *parapherna*, seu *paraphernalia*, quæ mulier habet extra, vel præter dotem. Quintò est *arrha*, quam mutuò dant sponsi in contractu sponsalium, tanquam pignus futuri matrimonii. Sextò est *sponsalitia largitas*, olim dicta *donatio ante nuptias*, suntque ea munera, quæ sponsi mutuò dant, contemplatione nuptiarum, & in contestationem stabilis affectus. Septimò est *donum illud*, quod non habet proprium vocabulum latinum, sed germanicè vocatur *Morgengab*, estque id, quod maritus altero die nuptiarum donat sponsæ, pro more cujusque provincie. Octavò denique sunt *bona communia*, seu quæ conjuges, communi labore, negotiatione, vel donatione utriusque simul facta, vel alio titulo communi, lucrantur.

184. Jam bona primi generis per se spectant ad maritum, & nullatenus ad uxorem, nisi fortè titulo contradotis, vel alio speciali ei essent obligata. Econtra *parapherna* pleno jure spectant ad uxorem. Expedi autem, ac plerumque decet, ut etiam horum administratio viro (siquidem aptus sit) detur: fructus tamen ad uxorem pertineant. Jam *sponsalitia largitas* secuto matrimonio transit in dominium absolutum donatariorum. Quodsi per unius culpam matrimonium non sequatur, altera pars, & repetere potest à se donatum alteri, & retinere ab altera donatum sibi. ita *L. Cum veterum 15. Cod. de donat. ante nuptias*. Si autem per mortem unius solvantur sponsalia, tunc data à sponso quoad dimidiam partem reddi debent, si osculum intervenerit: hoc autem omisso, totum reddendum est: at verò eorum, quæ sponsa dedit, non secuto matrimonio, in omni casu tota donatio infirmatur, & reddenda sunt omnia. *L. Si à sponso 16. Cod. eodem*. Econtra *arrha* secuto matrimonio redit ad donantem; quia tantum est pignus: si autem culpâ unius partis matrimonium non sequitur, perdit ea *arrham*, debetque acceptam etiam *arrham*

reddere: imò, si majorensis sit, tenetur in duplum (hoc est, tenetur insuper aliud quiddam *arrhæ* æquivalens reddere) vel etiam in quadruplum, si conventio facta sit ex *L. Arrhis 3. & L. Mulier. 5. Cod. de sponsalibus*.

185. Donum dictum *Morgengab*, nisi obset speciale pactum, aut consuetudo, est penes uxorem à puncto traditionis. Et licet alia donationes inter conjuges sint invalidæ, vel ante mortem ad libitum revocabiles, hæc tamen donatio specialiter excepta est. Insuper etiam *sponsalitia largitas* non est invalida; quia est donatio, non tam inter conjuges, quam inter sponso: & licet detur aliquo modo intuitu nuptiarum, & non sit valida, nisi nuptiis securis, tamen, his secutis, retrahitur fictione juris ad tempus antecedens, quo donatio facta est, ut ex eo jam tempore censetur, non tantum donum, sed etiam fructus, si quem tulit, fuisse sponsæ, & ipsa donatio completè facta, quando adhuc nondum fuit matrimonium.

186. Dominium *dotis* æstimata, æstimatione faciente venditionem, directum, & utile, est mariti. *L. Quoties res. 5. Cod. de jure dotium*; censetur enim maritus illam emisse; unde & lucrum, & periculum, est illius: sique pereat, marito perit, etsi sine causa, aut culpa. Retinet tamen etiam in hoc casu uxor reale aliquod jus in rebus dotalibus, in tantum, ut, si cætera bona mariti non æquent dotis pretium, tunc uxor possit sibi vindicare res ex dote extantes, exclusis omnibus aliis creditoribus, quantumvis privilegiatis. Idem juris est, si dos constituat in rebus, consistentibus in numero, pondere, aut mensura; imitatur enim naturam mutui, transferturque dominium in maritum.

Si autem dos æstimata non fuerit, vel saltem sine venditione, dominium naturale manet penes dantem, si sit dos *profectitia*: vel penes uxorem, si sit *adventitia*, ut habet communior, & colligitur ex *L. In rebus 30. Cod. de jure dotium*. Habet tamen maritus usumfructum, & dominium civile; unde etiam uxorem tenetur alere. Per *dominium naturale* intelligitur illud, quod facit verè dominum: per *dominium civile* intelligitur, quod tantum alicui fictione juris tribuit jus ad certos effectus, aliâ dominio naturali propriis: tales sunt libera administratio, & vindicatio. Hæc autem de dote dicta intelliguntur secuto matrimonio; nam dos in ratione dotis completur per matrimonium; est enim promissio conditionata, si scilicet matrimonium sequatur. Unde si dos, seu illa bona, ante matrimonium forent tradita, & perirent, damnum foret uxoris, vel dantis. ita Ininger *de dominio disp. 2. q. 5. a. 2.*

187. Dominium *contradotis* naturale, directum, & utile, regulariter habet maritus: at verò dominium civile habet uxor. Quidam putant, uxorem tantum habere actionem hypothecariam, sed res non est magni momenti: at tamen *Novellâ 61. De immobilibus antenuptialis donationis*. tribuitur uxori

uxori vindicatio, quæ est effectus domini civilis. De reliquo contrados teste Illfung imitatur dotem. Unde 1. sicut dos per se mortuo marito ad uxorem, ita contrados mortua uxore ad maritum redit. 2. si pactum præcessit de lucranda dote, uxore prius mortua, censetur etiam pactum in initum fuisse, ut, mortuo marito, uxor lucretur contradotem. 3. sicut maritus propter adulterium uxoris, post sententiam judicis lucratur dotem, ita uxor eodem modo lucratur contradotem, adulterium committente marito.

Quod attinet ad dominium bonorum communium, pendet hoc potissimum ex pactis nuptialibus; aliquando enim conjuges ineunt, non tantum societatem vitæ, sed etiam bonorum, ut lucra, & damna, sint communia: aliquando aliter contrahunt. Administratio tamen marito ut plurimum competit. Quodsi speciali titulo aliqua pars aliquid acquirat, e. g. donatione specialiter in favorem unius facta, non eo ipso sunt communia, nisi pactum tale præcesserit. Ex hisce pactis etiam desumi debet, an, si uxor juvet maritum in negotiatione, possit ex impensis, & pecunia mariti, petere compensationem laboris: quodsi possit, & tamen non petat, censetur condonare &c.

188. Ex his aliqua inferuntur. Primò. Uxor peccat, si ex fructibus dotis, infcio, & invito marito, sibi aliquid surripiat; nam accipit alienum. Secundò. Si tamen uxor videat dilapidari bona, & periculum esse dotis amittendæ, potest uti tacita compensatione, & clam ex mariti bonis accipere summam competentem. Tertio. Potest uxor ex bonis mariti facere eleemosynas moderatas, quales facere solent communiter mulieres ejusdem conditionis; nam consuetudo in similibus jus tribuit: & maritus esset irracionabiliter invitus. Nec obstat textus S. Augustini, qui refertur *C. Quod DEO. 33. q. 5.* ubi ait: *Nihil ergo de tua veste, nihil de tuo auro, vel argento, vel quacunque pecunia, aut rebus ullis terrenis tuis, sine arbitrio ejus (viri) facere debuisti*; S. Augustinus enim loquitur, non de faciendis tantum aliquibus eleemosynis, sed de omnimoda depositione, vel, ut glossa ibi dicit, de omnimoda bonorum donatione, Ecclesie facta: vel potius de proposito, non utendi amplius vestibus, vel aliis statui nobili conjugis convenientibus, sed tantum utendi vestibus nigris &c. quæ non veniunt ad rem. Dein à tempore S. Augustini potuit consuetudine aliud introduci.

Quartò. Quodsi uxor habeat confanguineos valde pauperes, potest has eleemosynas ipsis dare: at extraordinarias dare non potest: de quo videatur *Lugo de just. disp. 16. sec. 4. n. 71.* & *Busenbaum l. 3. tract. 5. c. 1. dub. 4.* Quintò. Potest uxor de bonis mariti facere expensas necessarias, ad avertendum malum grave, temporale, vel spirituale mariti, e. g. ne ab officio amoveatur; quia etiam damna talia redundant in detrimentum uxoris, & totius familie, *R.P. Ant. Mayr Theol. Tr. VIII.* G

quod ipsa merito avertere debet, quantum potest. Sextò. Potest uxor de bonis communibus, procurare necessaria domui pro suo statu, ut vestes, alimenta &c. quæ quidem deberet petere à marito: sed, si hic nimis iracundus dare nolit, cum deberet, potest uxor clam accipere; nisi ex hoc merito gravior incommodum metuat. Addit Ininger *de domin. disp. 2. q. 5. a. 3. n. 5.* quòd, si uxor sibi detrahat aliquid ex competentis sustentatione, possit id pleno jure aliis dare, ferme, ut diximus de Clericis *n. 130.* *Gormaz quoque n. 516. de justit.* ait, quòd, si uxor ea, vel partem eorum, quæ maritus ei dat ad congruam sustentationem, parsimonia sua servet, pleno jure illa lucretur.

189. De bonis servi non est multum dicendum; quia hæc quæstio, nostris in regionibus, vix habet usum; nam, quos mancipia vocamus, non sunt propriè talia, nec propriè servi, sed tantum cum addito limitante *servi adscriptitii*, vel *originarii*: re ipsa autem sunt liberi, atque ingenui, & solum habent actius quoddam genus obligationis, & subjectionis ad dominum territorii, in ordine ad certa, & plura obsequia, realia, & personalia, quam alii subditi alterius territorii: habent insuper annexam aliquam quasi maculam civilem, ut nec ad ordines sacros, nec ad gradus literarios admittantur, antequam à dominis legitime manumittantur. Cæterum servitus strictè dicta facit, ut homo sit in bonis domini, atque in ejus dominio: & quidquid acquirat, non sibi, sed domino acquirat: insuper incapax sit domini in ulla bona fortunæ, itémque incapax cujuscunque officij publici: sed nec ordinis religiosi, nec sacerdotij suscipiendi; quia hæc cederent in præjudicium domini, cui dein non posset præstare omnia debita obsequia.

190. Inducta est servitus *jure gentium*, maxime occasione belli, in quo, cum captivi potuissent occidi, servati sunt; seu *servi facti*, voce hac, non à *servio*, sed à *servo* derivata: inter Christianos tamen captivi in bello non amplius fiunt servi. Olim etiam arrogabant sibi domini jus in vitam, vel membra servorum: at quoad hoc correctum est jus civile à canonico. Sed neque potest dominus absque peccato, imò nec sine injustitia, abuti corpore servi, aut ancillæ, eamve prostituere, nec etiam impedire matrimonium, nisi specialiter ad hoc non contrahendum se obligasset: neque etiam dominus habet jus in famam servi, aut bona spiritalia. Mitigatus insuper est modò rigor antiquus, & servi capaces facti sunt aliquibus domini per legitimam consuetudinem.

Itaque 1. servi acquirunt peculium consentiente domino. 2. lucrum ex hoc etiam manet ipsis. 3. si laborent ultra præscriptum domini, lucrum faciunt suum. 4. lucrari aliquid possunt per parsimoniam, sibi subtrahendo ex iis, quæ sine incommodo domini consumerent. 5. manet ipsis, si aliquid eis legetur cum conditione, ne transeat ad dominum. 6. item manet ipsis, siquid eis datur,

tur, ut se redimant. 7. item illud, si quid eis debeatur in compensationem injuriæ, ipsis in membris, vel honore illatæ &c. quod confirmatur ex eo, quòd leges quædam præscribant modum, quo servus redimi queat: & quòd à jure detur infus actio contra dominum, si probent, se suis pecuniis redemptos fuisse; nam in ordine ad talem actionem debet necessariò supponi, illos numeros fuisse servorum, adeoque istos habuisse dominium eorum.

ARTICULUS IX.

Quale Dominium competat Filiisfamilias.

191. **D**icitur homo usque ad annum septimum *infans*: tum masculus usque ad annum decimum quartum completum *impubes*: filia usque ad duodecimum: media ætate inter infantiam, & pubertatem, masculus usque ad decimum cum dimidio dicitur *infantia proximus*. cum dimidio (puella autem usque ad nonum) deinceps dicitur *proximus pubertati*: ab annis pubertatis usque ad vigesimum quintum completum dicitur *minor*, sive *minorænnis*: & siquidem sit sub tutore, dicitur *pupillus*: si sub curatore, dicitur *cliens*. Post annum vigesimum quintum dicitur *major*, sive *majorænnis*. Si tamen talis adhuc sit sub patre, dicitur *filiusfamilias*, per quem intelligitur omnis ille, qui adhuc sub patria potestate, sive jure paterno, constitutus est. *Jus paternum* autem, vel *patria potestas* est, quam habet supremus ascendentium in filios, & filias, cæterosque legitimè descendentes, per lineam masculinam, in ordine ad certos effectus, jure civili introductos; unde, de jure communi, descendentes non sunt in potestate ascendentis immediati, e. g. patris, si adhuc vivat ascendens superior; e. g. avus, vel proavus: supposito tamen, quòd pater non sit emancipatus; nam, si hic emancipatus foret, tunc in hujus, & non amplius in avi, vel proavi potestate, essent ejus liberi; cum ipse jam non sit filius, sed paterfamilias. Excipe tamen eos, qui nati essent ante emancipationem; hi enim in potestate avi manerent.

192. Ut autem habet Layman l. 3. tr. 4. c. 8. n. 14. emancipatur filius 1. per mortem naturalem ascendentium, in quorum potestate fuit. 2. per mortem eorum civilem, seu maximam, & mediam capitis deminutionem, de qua n. 88. dictum. 3. per lapsum patris in hæresin, etiam ante condemnationem; ubi jus commune adhuc quoad hoc viget. 4. per emancipationem coram iudice factam. 5. per electionem filij, ad patritiam, vel consularem dignitatem. 6. per electionem ejus in Episcopum, vel Cardinalem. 7. ex communi doctorum per professionem religiosam; restringit tamen hoc ultimum Ininger de dominio disp. 2. a. 1. dicens, emancipari filium per professionem re-

ligiosam quoad odiosa, non verò quoad favorabilia. 8. per adoptionem filij, non ab extraneo factam, sed ab avo, vel materno, vel paterno. Addit Layman, quibusdam locis emancipari etiam per matrimonium contractum: & Ininger loco modo citato dicit, esse universalem ferme consuetudinem hodie, ut per conjugium filij emancipentur, saltem post separationem fori, & habitationis; unde consuetudo potissimum inspicienda est. Tandem, si pater ab hostibus captus sit, suspensum est ejus jus; si enim redierit, recuperat patriam potestatem: si secus acciderit, filij censentur liberi ab initio captivitatis.

193. Ulterius per *Ascendentes* intelliguntur mares; nam, nec mater, nec ascendentes, per lineam femininam, gaudent jure paterno: imò nec avus maternus gaudet illo; quia, licet mas sit, non est in linea masculina ascendens: & uxor per matrimonium transit in familiam mariti. *Descendentes* autem sunt ab ascendentibus prognati: & isti hic intelliguntur legitimi; nam illegitimi, & naturales, non sunt in potestate patris, aut supremi ascendentis, nisi prius legitimentur. *Legitimi* autem sunt, qui ex nuptiis verè, aut putativè justis, nascuntur. *Illegitimi naturales* de jure canonico sunt ii, qui nascuntur ex parentibus non conjugatis, sed tamen habilibus ad matrimonium inter se ineundum. *Illegitimi spurii* sunt, qui nascuntur ex parentibus, tunc ad matrimonium inhabilibus.

Legitimantur autem naturales, non verò spurii, per subsequens matrimonium C. *Tanta. 3. qui filii sint legitimi*. Legitimantur, etiam per rescriptum, seu gratiam principis: solèntque etiam hæc potestas legitimandi concedi quibusdam aliis inferioribus principe, qui dicuntur *Comites Palatini*: quorum tamen legitimatio non est ita favorabilis, ut prior: nec tot effectus præstat. Qui ingrediuntur aliquam religionem, legitimantur per hunc ipsam ingressum ad ordines sacros suscipiendos: non verò ad dignitates religionis, ut habetur C. *Ut filii. 1. de filiis presbyterorum*.

Sed nec filii tantum adoptivi, sub sunt juri paterno, nisi sint arrogati, vel adoptati, ab uno ex ascendentibus paternis, vel maternis. *Adoptio* autem in genere est *actus legitimus, per quem is, qui naturè non est, fit filius electione*. Dividitur in *adoptionem specificè sumptam*, quæ est *assumptio persone, sub patria potestate adhuc constituta: & arrogationem*, quæ est *assumptio persone sui juris, & sub nullius patris potestate constituta*.

194. Effectus patriæ potestatis ex Laymanno l. 3. tr. 4. c. 8. n. 2. & Ininger de dominio disp. 2. q. 4. n. 1. sunt sequentes. Primò. Potest pater filium, aut filiam, cogente necessitate famis, vel simili, vendere, aut pignori dare; servitus autem ista non est necessariò perpetua, sed potest à parente, vel alio, filius iterum redimi, & libertati restitui: imò, ut docet Laymann l. 3. tr. 4. c. 17. n. 31. ex multorum sententia, pater,

pater, si ad meliorem fortunam postea venerit, debet filium redimere. Secundò. Filiusfamilias non potest cum patre contendere, nec pater cum filio: nec solet concedi venia contendendi. Excipi tamen debet; si agatur de peculio castrensi, vel quasi castrensi, vel de alimentis, vel bonis adventitiis: vel si Pater, & filius, non agant nomine proprio: vel si lis sit de ipsa emancipatione. Excipiendæ etiam sunt causæ criminales exceptæ, itémque causæ Ecclesiasticæ, in quibus agitur de peccato vitando. Alii autem filij emancipati possunt, petita, & obtentâ veniâ, agere in judicio contra ascendentes.

Tertiò. Filius sine patris consensu agere nequit in judicio, nisi de bonis castrensi-bus, vel quasi talibus, vel in causis spiritalibus, de matrimonio, decimis, beneficiis. Quartò. Filius non potest sine consensu patris, donare mortis causâ: testari verò etiam cum ejus consensu non potest, nisi de castrensi-bus, vel quasi castrensi-bus. Quintò. Pater contra eum, apud quem filius est, vel dolo malo esse delitit, agere potest ad exhibendum, nisi juxta causâ absentis subit, e. g. si tutius apud matrem versetur, si religionem ingredi velit &c.

Sextò. Ut addit Ininger, filio non potest dari curator bonorum, vel litis, invito patre: sed potest pater testamento dare tutorem filio impuberi, & pupillariter substituere. Septimò. Potest pater remittere injuriam illatam filio, etiam hoc invito. Octavò. Potest pater adire hæreditatem filio delatam, etiam invito isto ex L. *finali, Cod. de bonis, qua liberis*, ubi tamen dicitur, patrem posse eam adire sibi, non filio. Nonò. Vicissim pater debet filium scribere hæredem, aut debet nominatim exhæreditare; alias testamentum quoad institutionem hæredis non valet.

195. Jam bona filiorum sunt quadruplicis generis, scilicet *Castrensia, quasi castrensia, Profectitia, Adventitia*. Prima, seu *Bona castrensia* (aut, ut etiam vocantur *Peculium castrense*) sunt ea bona, quæ filius acquirit ex officio, vel functione militari, stipendio, præda, donatione, seu, quæ vel à ducibus, vel à commilitonibus donata, vel occasione militiæ legata sunt, seu quæ à parentibus occasione profectiois ad bellum donata sunt: verbo: quidquid per militiam acquisivit, & sine militia non fuisset acquisiturus, ut habetur L. *Castrense. 11. ff. de castrensi peculio*. Per milites autem intelliguntur omnes ministri, qui exercitum comitantur, qualescunque dein munus obeant: item præsidarii etiam in pace. Ulterius peculium castrense est, quod acquirunt milites palatini, qui principem in aula, vel palatio sequuntur, sive id acquirant labore, sive parsimonia, sive donatione principum: item illud, quod ex peculio castrensi, si eo negotientur, lucrantur.

Bona quasi castrensia dicuntur, quæ filius acquirit ex officio non militari, habente tamen publicum stipendium, e. g. ex

officio doctoris, consilarii, medici &c. item quæ ex dono Augustæ, vel Reginæ habet: rursus bona Clericorum beneficialia, quæ filius acquirit post Clericatum. *Adventitia bona* sunt, quæ præter castrensia, & quasi castrensia, filius acquirit, non à patre, nec intuitu patris, sed vel ex propria industria aut donatione, legatione matris, seu avi materni. Tandem *Profectitia bona* sunt, quæ nec castrensia, nec quasi talia, sed vel ex bonis patris profecta sunt, vel ejus intuitu, hoc est, ad instantiam patris, vel ob hujus merita, filio sunt donata. vide Layman. l. 3. tr. 4. c. 8. n. 7.

196. Ex his quatuor bonorum generibus prima duo sunt quoad proprietatem, & usumfructum, in pleno dominio filij, habetque hic liberam eorum administrationem, ac potestatem donandi, ac testandi de iis. L. *Miles præcipua. §. actionem 4. ff. de castrensi peculio*. item L. *Pater, qui dat. 12. ff. eodem* & L. *Cum oportet. 6. Cod. de bonis, qua liberis*. modò pupillus non sit, ut habetur L. *ultima. Cod. de testam. militis*; pupillus enim, etsi dominium eorum habeat, testari tamen non potest. Bonorum adventitiorum proprietas spectat ad filium, sed ususfructus ad patrem, quamdiu vivit; nisi ususfructus nudus legatus fuerit filio: aut siquid filio legatum fuerit, addita hæc conditio, ut ususfructus ad eum, non ad patrem spectet: quam tamen conditionem mater, vel avia, legitima, filio, vel nepoti debita, adicere non potest. Item, si filius hæreditatem, donum, aut legatum accepit, patre contradicente: si unâ cum patre successit in hæreditatem fratris: si pater sine causâ divorcium iniit: si pater filio usumfructum remisit. Bonorum profectiorum dominium ad patrem pleno jure spectat §. *1. v. Sancitum. Instit. per quas personas*.

197. Quæres, si filius labore in domo paterna, exercendo suum officium, e. g. fabri, an sibi, an patri lucratur. Resp. cum Laymann l. 3. tr. 4. c. 8. n. 11. (ubi citat etiam Molinam, Sanchez, Navarrum, & alios, atque esse communem) lucrum illud esse bonum adventitium; nam filius potest, operam locare patri, & salarium exigere: deduci tamen debent expensæ in eo alendo; non enim tenetur pater, alere filium habentem bona propria, castrensia, vel adventitia, sicut colligitur ex L. *Siquis à liberis. ff. de agnosc. & alendis liberis*. At, si filius nullum, nec expressè, nec tacitè, salarium petit, censetur id remittere, pietatis, & gratitudinis causâ.

Addit tamen Ininger de dominio disp. 2. q. 4. a. 4. *Sub finem*. si filius petere non audeat salarium, ex metu reverentialis, posse dein compensationem petere ab hæredibus. Angelus autem, Lopez, & Navarrus, apud Laymann docent, talem filium posse sibi compensationem occultam facere. Idem docet Bufenbaum l. 3. tr. 5. c. 1. *dub. 4. n. 9.* citans Dianam, & Laymann: sed Laymann citat cap. n. 12. docet oppositum, quanquam addat, sententiam sibi contrariam non esse im-

probabilem, & servire confessorio posse, ut cum ejusmodi filio, qui patri clam surripuit, mitius agat, nec facile obliget ad restitutionem, nisi ultra estimationem laboris sui surripuisset. Id solum noto, auctores docentes, licitam esse tali filio occultam compensationem, debere judicare, tali filio salarii a patre certo deberi; cum ad licitam compensationem occultam ex communi præsupponi debeat certitudo debiti: de qua tamen fors in hoc casu dubitari posset.

QUÆSTIO III.

De Objecto Domini.

ARTICULUS I.

Quinam, & Quarum Rerum Dominium habeant.

198. **D**ico 1. DEUS habet dominium supremum creaturarum omnium. ita Scriptura Sacra mille locis: & ratio est manifestissima; utique enim, sicut artifex est dominus artefacti, tanquam effectus, à sua arte producti, ita DEUS est dominus creaturarum, quas omnes produxit. Accedit, quòd DEUS, ut est primum principium, ita etiam sit ultimus finis omnium: ergo debent omnes creaturæ gloriæ ejus servire, & ipse debet de illis ad suum honorem disponere posse. Adde, quòd, supposita creaturarum existentia, eis dominari sit perfectio simpliciter simplex: atqui DEO debet tribui omnis perfectio simpliciter simplex, ut Theologi omnes docent: ergo.

199. Dico 2. Ex creaturis solæ illæ sunt capaces domini, quæ sunt capaces rationis. Hæc assertio est omnium. & prob. Leges non conferunt potestatem legitimam, disponendi de rebus in suum commodum, nisi entibus rationalibus, quæ per se sciunt ea potestate uti: neque etiam leges obligant, nisi rationalia, nec aliquid prohibent, nisi istis; unde bruta dominium habere non possunt. At verò omnes creaturæ rationales, etiam Angeli, sunt capaces domini, ut non est dubium: quale autem, & in quas res, dominium habeant spiritus isti, ut rectè ait Molina tom. 1. de just. tr. 2. disp. 18. non potest nobis in hac vita satis constare. Dominium rerum quarundam spiritualium habent, ut actuum suorum: an habeant etiam rerum corporearum, non constat.

Videri de hoc dominio Angelorum meretur Lugo de justit. disp. 3. sec. 1. n. 5. & seq. ubi rectè n. 9. advertit, dæmones non habere jus, transferendi ab uno domino humano ad alium res corporeas, nec magos justè possidere ea, quæ ab illis accipiunt; quia, licet fortè dæmones, utpote Angeli, uti rebus corporeis possent, non tamen possent eas in alios homines transferre sine maximis turbis. Credo, quòd, etsi dæmones naturaliter tale jus haberent, DEUS eis mo-

dò illud abstulisset: certè Theologi omnes sentiunt, quòd, qui adhibitis magicis artibus aliquid, quod ad alterum spectat, acquirunt, domini nequiquam fiant. Sed de his satis.

200. Dico 2. Homo est verè capax domini in res suas, etiam si sit infans, aut amens, seu per accidens incapax rationis, ita omnes. Probat. In primis DEUS creavit hominem, ut præsit piscibus maris, & volatilibus cali, & bestiis, univèrsaque terra &c. Gen. 1. v. 26. & Psal. 8. v. 8. dicitur de homine: Omnia subjecisti sub pedibus ejus, oves, & boves, &c. Quòd autem etiam infantes dominium habere possint, clarum est ex S. Paulo ad Galat. 4. v. 1. ubi ait: Quanto tempore hæres parvulus est, nihil differt à servo; cum sit dominus omnium. Exigit etiam bonum commune, ut infantes dominium habeant; aliàs parentes eis nollent de bonis providere, abundaretque republica mendicabulis, & malè educatis hominibus. Quòd autem necdum possint uti ratione, non obest; dummodo sint per se rationis capaces; suppletur enim eorum imbecillitas per libertatem, & voluntatem tutorum: vel in defectu horum, per voluntatem reipublicæ: quorum acceptatio ex lege sufficit ad acquirendum dominium pupillo. Aliquando, si infans nondum est natus, substituitur ad interim in ordine ad certos effectus persona ficta, quæ vocatur hæreditas vacans.

Idem dicendum de perpetuo amentibus; nam, si ante amentiam jus acquiserunt, manet id ut in dormiente: at, si semper amentes fuerunt, discurrendum est de illis, sicut de infantibus. Rectè etiam advertit Molina tom. 1. de just. tract. 2. disp. 18. & alii communiter, quòd dominium fundetur in potentia rationali, quæ etiam darur in infantibus, & amentibus, quamvis ligata: non verò fundetur in actu rationali; aliàs nec dormientes haberent jus, quod est clarè falsum.

201. Dico 4. Homo est dominus bonorum sibi extrinsecorum, quæ vocantur bona fortunæ, sive mobilia sint, sive immobilia: & de hoc nemo dubitat, saltem quoad plurima. Quæstio tantum esse posset, an homo etiam sit dominus elementorum: ad quam respondeo, posse dici eorum dominum, saltem imperfectum quoad usum. Non nego, eum esse pluribus in casibus dominum perfectum: sed, cum hoc non videatur universaliter esse verum, sufficit, ei tribui dominium imperfectum.

De terra difficultas non est: sed nec de igne; cum utique ignis in alicujus, e. g. Petri fornace accensus, sit sub ejus jure. Aquæ etiam dominus est homo, ut patet in fontibus, & fluminibus, quin & in mari, de cujus dominio certant regna sæpissimè; quia hoc dominium secum fert utilitates magnas, ratione navigationis, & commercii, piscationis, vestigalium &c. Aëris etiam saltem eatenus dominus est homo, quatenus habet jus eo utendi ad respirationem, & alia: imò

& aves in eo trajiciendi, molendina ab aëre movenda struendi, aëris liberum meatum, vel lucem per eum propagatam, impediendi, vel non &c. Sæpissimè tamen non potest homo de elementis perfectè disponere, aut pro libitu eis uti &c. unde, nisi multæ lites de nomine fiant, probari non potest, hominem esse dominum perfectum elementorum.

202. Dico 5. Homo est dominus bonorum famæ propriæ, & honoris. ita communis. Prob. Homo famam, & honorem acquirit suis meritis, & actionibus, ut alia bona: ergo est eorum dominus. Confir. Potest homo licitè se infamare, revelando occultum suum crimen verum (mentiri enim nunquam licet) ad petendum consilium, vel etiam ad evitandam fortunam atrocissimam: imò aliquando debet se infamare, e. g. quando alteri non potest aliter restituere famam ablatam, quàm se infamando, e. g. fatendo, se falsum dixisse: iterum potest homo alteri condonare restitutionem famæ læsæ: hæc non posset, nisi esset dominus famæ: ergo.

Hinc etiam S. Thomas 2. 2. q. 73. art. 4. ad 1. ait: Sui arbitrii est, detrimentum suæ famæ pati, nisi hoc vergat in periculum aliorum: quod ultimum optimè additur; sæpe enim infamia unius conjuncta est cum infamia aliorum, e. g. familiæ, religionis, complicitum: & tunc non est licitum, se ita infamare, ut redundet infamia in alios: eoque casu dominium hoc est ligatum. Sæpe etiam fama nostra est necessaria proximis, quos non possumus juvare, si infames simus. Tandem neque licet absque justa causa famam prodigere, sicut nec pecunias: & hinc quivis monetur Ecclesiastici 41. v. 15. Curam habe de bono nomine.

203. Dico 6. Homo est etiam dominus libertatis suæ. ita communissima omnium. Prob. 1. Exod. 21. v. 5. & Deuter. 15. v. 16. dicitur, quòd homo, qui liber exire posset, possit se in servum perpetuum tradere domino: ergo. Confir. Venditionem sui in servum, factam ab homine libero, admittunt etiam jura civilia, sed, ut habet glossa in §. 4. Instit. de jure personarum, sub his conditionibus. 1. ut, qui venditur, sit major viginti annis. 2. ut sciat, se esse liberum. 3. ut ea intentione permittat, se ab alio vendi, ut ipse de pretio participet. 4. ut re ipsa de pretio participet. 5. ut emptor putet, ipsum esse servum. Unde nunquam potest aliquis liber seipsum vendere; aliàs emptor adverteret, eum esse liberum, contra quintam conditionem.

204. Dico 7. Homo potest esse dominus alterius hominis. ita communissimè omnes: & patet ex præcedenti numero; potest enim. 1. unus homo emere alterum, liberè se permittentem vendi: potest etiam, ut supra dixi, emere aliquando filium à patre &c. 2. Potest quis acquirere servum jure belli, de quo dictum n. 190. 3. Potest quis acquirere servum justa condemnatione; ut enim aliæ poenæ, ita & servitus potest propter delicta statui. 4. Potest

etiam quis fieri alterius servus natiuitate; nam partus sequitur ventrem: & natus ex ancilla, est servus, tanquam fructus à re, ad dominum spectante, productus, vel certè à republica domino assignatus: ubi tamen notandum: si tempore conceptus, vel partus, aut alio intermedio, mater fuit libera, partus etiam liber erit: nec nocebit ei præcedens, vel subsequens servitus. §. Sed & si quis Instit. de ingenuis. An autem fideles possint esse servi infidelium, vide Lugo de justit. disp. 6. sec. 2. n. 19.

205. Dico 8. Homo non est perfectè dominus vitæ propriæ. ita omnes contra illos ex Donatistis, qui etiam dicti sunt Circumcelliones, seque passim interimebant, rati, sic se martyres fore, ut refert S. Augustinus de hæresibus. hæres. 69. & alibi. Dixi perfectè; nam imperfectum dominium, seu usumfructum, vel usum juris suæ vitæ habet homo. Prob. conclusio potissimum hoc ipso communissimo omnium sensu, juxta quem in hanc sententiam afferuntur, & applicantur plures textus S. Scripturæ: sic Sapientia 16. v. 13. dicitur: Tu es enim Domine, qui vitæ, & mortis hæres potestatem. & Deuter. 32. v. 39. dicit DEUS: Videte, quòd ego sim solus... ego occidam, & ego vivere faciam: ex quibus inferitur, quòd homo non possit seipsum occidere, adeoque non habeat plenum dominium in suam vitam.

Confir. 1. ex S. Augustino, qui l. 1. de civitate DEI c. 20. sic ait: Restat, ut de homine intelligamus, quòd dictum est: Non occides: non alterum: ergo nec te; neque enim, qui se occidit, aliud, quàm hominem occidit. Idem S. Augustinus tract. 51. in Joannem post medium sic scribit: Petro autem dixit Christus significans, qua morte glorificaturus erat DEUM. Cum esses junior, cingebas te, & ambulabas, quòd volebas: cum autem senueris, aliter te cinget, & feret, quo tu non vis: ubi satis expressit, non à seipso, sed ab alio debere occidi, qui vestigia sequitur Christi.

Confir. 2. Si homo haberet dominium perfectum in vitam, illud accepisset à DEO; à quo debet omne jus provenire: atqui id à DEO non accepit: ergo. prob. mi. non acquisivit id per legem naturalem, vel quasi naturalem, n. 26. explicatam; nam si homo ex tali lege haberet plenum dominium vitæ, posset seipsum occidere vi legis naturalis: atqui vi legis naturalis debet potius se conservare; quia vel maximè inclinatur instinctu naturæ ad sui conservationem. Neque etiam illud dominium acquisivit per aliquam legem positivam DEI; quia nulla exstat, imò Sacræ Scripturæ contrarium docent: ergo. vide alias rationes apud D. Thomam 2. 2. q. 64. n. 5.

206. Dico 9. Homo neque est perfectè dominus suorum membrorum. ita rursus omnes. Probat. hæc conclusio ratione, in secunda confirmatione præcedentis conclusionis adducta; nam ista eodem modo militat pro membris, ac pro vitæ ipsa: & hinc

nec ob cantum, nec ob carnis tentationes, licita est castratio, ut probat Lessius *de justit. l. 2. c. 9. dub. 14. n. 98.* & Lugo *de just. disp. 10. sec. 1. n. 23.* Est tamen homo administrator membrorum, & quidem non qualiscunque, sed simul est usufructuarius, seu potest iis uti, ac frui in bonum proprium: imò, quando id expedit ex justa causa, potest homo ad conservandum totum corpus permittere membrum aliquod refecari, vel ipse refecare, e. g. pedem gangrenam infectum: idque ex licentia data à DEO tanquam domino: qualem tamen administrationem, seu licentiam non habet respectu ipsius vitæ; non enim est ullus casus, in quo possit homo seipsum directè occidere, adeò, ut etiam mortis vel maximè reus, non possit, etiam ex sententia iudicis, venenum scilicet bibere, & sic in seipso mortis sententiam exequi, ut est communis sententia teste Lugone *de just. disp. 10. sec. 1. n. 25.* namque, ut ait Lessius *de justit. l. 2. c. 9. n. 26.* hæc actio est directè pugnans contra inclinationem communis naturæ.

207. Dico 10. Licet tamen est, supposita justâ causâ, aliquid facere, vel omittere, ex quo sequitur indirectè mors propria, ita Lessius, Lugo, Molina, & doctores passim. Prob. Ut rectè ait Lessius *de justit. l. 2. c. 9. dub. 6. n. 27.* non est prohibitum homini, aliquando vitam suam periculis exponere ob justas causas: nec est præceptum, ut vitam semper omni modo conetur servare: sed tantum est ei veritum, ne, intentione directâ, vitam sibi tanquam molestam auferat, vel absque causâ conservare omittat; talis enim omisso conservationis æquivaleret in æstimatione morali directæ occisioni, e. g. si quis recularret cibum omnem, conseretur positivè se occidere.

At verò, ut dictum, non tenetur homo omne periculum mortis fugere, vel omnibus modis vitam servare; unde miles potest, imò tenetur, non deserere stationem, in periculo communi, etsi certus sit se occidendum: reus potest non fugere ex carcere, etsi certò sciat, se morte plectendum: item potest quis peste infectis laudabiliter servire, etsi sat certus sit, eâ se inficiendum: imò Curati ex officio debent talibus, cum periculo etiam vitæ, sacramenta ministrare. Plures casus vide apud Lugo *de justit. disp. 10. sec. 1.*

ARTICULUS II.

Solvuntur Objectiones.

208. Quæ contra 1. conclusionem obijci possent, soluta jam sunt *n. 102.* solum addendum est, quòd, quando homo dicitur, aliquid donare DEO, aliud non intelligatur, quam, quòd homo se in DEI honorem abdicet usu, & commoditate ejus rei: vel donet aliis, locum DEI tenentibus: non autem, quòd det DEO aliquid, quòd non prius fuerit sub ejus

dominio. Quòd spectat ad 2. conclusionem, seu quòd irrationalia non habeant dominium, nihil obijci potest: quoad Angelos autem, ut jam diximus, nihil certi opponi, vel etiam adstrui posse videtur. Quoad 3. conclusionem obijci possent aliqua contra dominium infantum, aut amentium &c. sed statim *n. 200.* præoccupata sunt, vel jam soluta à *n. 11. & 95.* quomodo autem dominium creatum hominis componatur cum dominio DEI, dictum est eodem *n. 95.*

209. Contra dominium maris obijcit aliqua Grotius *de mari libero*: sed non sunt magni momenti; quòd enim mare totum occupari non possit, tantum probat, unam gentem non posse esse totius oceanum dominam: sicut etiam una gens nequit esse domina totius terræ; quia nec hanc totam potest una gens occupare, vel fortè nec omnes: ex quo tantum sequitur, quòd non totaliter sit in dominio: quod non est contra nos. Limites autem domini marini, gentis unius contra alteram, vel possunt esse circuli geographici, vel insulæ, promontoria &c.

Quòd autem *§. 1. Instit. de rerum divisione & L. Venditor fundi. 13. ff. Communia prædiorum* dicatur, mare jure naturæ commune esse, seu omnibus patere, non intelligendum est de jure naturali strictè dicto *ex n. 26.* Sed nec de jure naturali latius dicto potest dici, mare omnibus esse commune, nisi intelligatur jus permittens; eoquòd jus naturale nulli mare assignaverit, sed hoc reliquerit legibus, vel contractibus, vel primæ occupationi hominum: quare non potest intelligi jus naturale præcipiens. Verùm, etsi totum permitteretur, plus non probaret, quam quòd nemo hominum habeat peculiare dominium maris, sed hoc sit commune omnibus, uti fuit dominium terræ ante factam rerum divisionem: quanquam etiam non videatur posse negari, aliquas saltem partes maris, ut portus, & iis vicinas aquas, esse sub peculiari alicujus principis, vel gentis dominio. An autem ita sit proprium alicui genti dominium maris, ut possit prohibere alteri genti navigationem, & commercium, cum transmarinis nationibus nemini subiectis, est longè alia quæstio, quæ ad istam nostram assertionem prorsus non attinet.

210. Ob. itaque 1. contra 5. conclusionem. Fama, & vita, pari passu ambulant: sed homo non est dominus vitæ: ergo nec est dominus famæ. Confir. 1. Juxta nos etiam respublica esset domina famæ subditorum: ergo posset infamare innocentem. Confir. 2. Ex eo, quòd homo possit condonare compensationem pro membro abscisso, non sequitur, quòd sit dominus membrorum: ergo etiam ex eo, quòd possit condonare restitutionem famæ, non sequitur, quòd sit ejus dominus. Resp. dist. ma. fama, & vita, pari passu ambulant quoad aliqua. conc. ma. quoad omnia. neg. ma. & conc. mi. neg. conf. Potest aliquando esse, quòd fama in æstimatione morali non minus æstimetur, quam vita; interim ex hoc non sequitur, quòd

quòd sicut una, ita & altera, sit exempta dominio hominis; quia sunt rationes diverse pro vita, quæ non pugnant pro fama.

Ad 1. confir. conc. ant. neg. conf. Respublica non magis est domina famæ, quam bonorum aliorum, quæ spectant ad privatos; scilicet est domina dominio jurisdictionis; unde sicut non potest spoliare innocentem bonis, nisi exigat necessitas communis, ita nec potest spoliare famâ: atqui famæ ablationem, præsertim per mendacium, nunquam potest exigere bonum commune. Ad 2. confir. neg. suppositum. Compensatio in eo casu non fit pro membro, sed fit pro usu membri, cujus homo dominus est; unde tantum id remittit, cujus dominium habet; hinc, si membrum restitui posset, non posset homo condonare restitutionem: at verò, licet fama restitui possit, tamen potest homo condonare ejus restitutionem.

211. Ob. 2. contra 6. conclusionem. Servitus est contra naturam, ut habetur *§. 2. Instit. de jure personarum*: ergo est contra jus naturale, se vendere: adeoque homo non est dominus suæ libertatis. Confir. 1. *Libertas inæstimabilis res est. L. 106. ff. de regul. juris.* ergo non potest vendi. Confir. 2. Privata conventio non potest ex libero facere servum *L. Conventio privata. 37. ff. de liberali causa*: ergo neque id potest venditio. Resp. dist. ant. servitus est contra naturam, hoc est, contra exigentiam positivam juris naturalis. neg. ant. hoc est, contra primam naturæ intentionem, quæ per se intendit, producere homines liberos. conc. ant. & neg. conf. In primo sensu esset id clarè falsum; cum DEUS utique contra jus naturale servitute in Sacra Scriptura non permisisset: neque jura per naturam semper intelligunt jus naturale strictè dictum, ut videre est apud Clariss. D. Gletle *de justit. fundamentali l. 1. tit. 2. c. 2. §. 2.*

Ad 1. confir. dist. ant. libertas, ut considerata in se ipsa, est inæstimabilis. om. ant. ut considerata quoad suam utilitatem. neg. ant. & conf. Equus etiam, utpote animal, est nobilior omni pecunia: quia tamen ejus moralis æstimatio in ordine ad venditionem maximè desumitur ex utilitate, potest equus utique adæquari pecunia: similiter autem res se habet circa hominem, vel ejus libertatem, cujus æstimatio moralis, in ordine ad venditionem, etiam maximè desumitur ex utilitate: & quamvis homo in alio sensu morali æstimabilior sit, quam omnis pecunia, tamen ad eam æstimabilitatem emptor non attendit. Ad 2. confirmat. dist. ant. privata conventio quæcunque non potest ex libero facere servum. conc. ant. legitimo modo facta. neg. ant. & conf. Gratis sanè diceretur, jura ad venditionem libertatis requirere præter conditiones *n. 203.* adductas etiam adhuc alias, e. g. ut venditio fiat autoritate publica &c. Dein, etsi etiam hæc conditio requireretur, tamen saltem posset per conventionem publicam acquiri servus, & libertas vendi: quod sufficit absolutè nostræ assertioni.

212. Ob. 3. contra 8. conclusionem. Respublica, aut princeps, est dominus vitæ: ergo etiam privatus; quia potestas publica habetur à privatis. Confir. 1. Etiam si Noë in arca non potuerit occidere animalia, tamen fuit dominus: ergo, etsi homo non possit seipsum occidere, tamen potest esse dominus vitæ suæ. Confir. 2. Potest homo mori, ne abscindatur sibi e. g. brachium: ergo est dominus vitæ. Resp. neg. ant. Respublica non habet dominium proprietatis, de quo nobis est sermo, in bona externa privatorum: multò igitur minùs habet dominium proprietatis in vitam: sed habet tantum dominium jurisdictionis. At neque consequentia est legitima; quia non omne jus, quod habet respublica, habet privatus; illa enim non habet omnem potestatem ab uno privato, sed ab omnibus simul.

Ad 1. confir. dist. ant. Noë fuit dominus, etiam si non potuerit occidere animalia, ex defectu juris. neg. ant. ob adjectum juris vinculum, scilicet prohibitionem DEI. om. ant. & neg. conf. Ad 2. confir. dist. ant. potest homo mori, ne abscindatur sibi brachium, si in ea abscissione deberet sustinere cruciatum ingentem. conc. ant. si tantum levem. neg. ant. & conf. Aliud est, positivè se occidere, aliud mortem permittere, vel non impedire mediis difficilissimis: illud est prohibitum, non autem istud.

213. Ob. 4. Plures homines seipfos occiderunt sine peccato, e. g. Samson *Judic. 16. v. 30.* Razias *2. Mach. 14. v. 41.* S. Apollonia, quæ sponte in ignem insillit: multæ virgines, quæ, antequam perderent castitatem, seipfas occiderunt: ergo. Confir. S. Hieronymus relatus in *C. Non est nostrum. 23. q. 5.* ait: *Non licet propria perire manu, absque eo, ubi castitas periclitatur*: ergo ad evitandam violationem castitatis licet se occidere. Resp. dist. ant. Et illi homines, vel egerunt ex instinctu specialis Spiritûs S. vel excusandi sunt ob invincibilem ignorantiam. conc. ant. secus. neg. ant. & conf. Et quidem Samson censetur egisse ex speciali instinctu Spiritûs S. uti & S. Apollonia, ac alii SS. Martyres, quos Ecclesia colit, quæ errare non potest. Dubium est, de Razia (de quo videri possunt Menochius, & Emmanuel Sa in *hunc locum*, ac S. Augustinus ab hoc posteriore citatus) dubium, inquam, est, an non egerit tantum ex invincibili ignorantia; peccati enim eum nemo, quantum scio, condemnat. Et idem dicendum de quibusdam virginibus.

Ad confir. neg. conf. Quidam auctores, qui putant, S. Hieronymum sensisse, quòd in periculo castitatis liceat se occidere, recedunt ab eo: alii eum explicant, dicendo, vocem *absque* non sumi exceptivè, sed inclusivè, ut sensus sit, non licere, se occidere, etiam quando est tale periculum: & sic vocem *absque* inclusivè sumere videtur glossa in illa verba *Cantic. 4. v. 3. Sicut fragmen mali punicis, ita gena tua, absque eo, quòd inersusculus laetet.* Sæcena vox præ-

ter, quæ videtur æquivalere voci *absque*, sæpe sumitur inclusive.

214. Dices. Siquis non potest se ipsum occidere jure proprio, neque poterit ex voluntate, vel instinctu DEI: hoc est falsum: ergo. prob. ma. occidere, vel destruire aliquid est actus domini: sed, qui non est dominus, non potest ex voluntate alterius exercere actum domini: ergo. Confir. Si quis potest, ex voluntate DEI se occidere, poterit etiam reus seipsum occidere ex voluntate judicis: hoc est contra dicta n. 206. ergo. Resp. neg. ma. ad prob. dist. ma. occidere se est actus domini, si quis id faciat nomine proprio. conc. ma. si id tantum faciat nomine alieno. neg. ma. & conc. mi. neg. conf. alias non posset Religiosus, aut conviva, de cibis appositis quidquam consumere, vel comedere; quia neuter est dominus ciborum.

Ad confir. neg. ma. Lugo vult, hominem ideo non posse seipsum ex voluntate judicis occidere; quia non potest se punire; cum punitio sit ad alterum: sed certe potest ex præcepto confessorii aliquis se punire flagellis, & aliis moderatis poenitentibus, ut est res clara: ergo hæc ratio non videtur sufficere, nisi fiat questio de nomine, & dicatur, talem poenitentem strictè loquendo se non punire: sed hæc responsio difficultatem non exhaurit; nam etiam posset dici, quod non rigorosè se puniret, qui ex commissione judicis se occideret; unde ex alia ratione neg. ma. Judex non est dominus vitæ, sed tantum hæc jus jurisdictionis in vitam reorum, quatenus id necessarium est ad salutem publicam: nunquam autem necesse est, ut reus occidat se ipsum: neque iudices habent potestatem, nisi limitatam à DEO, ita, ut non possint reo dare licentiam se occidendi. Idem tamen Lugo de justit. disp. 10. sec. 1. n. 22. citans Molinam, Toletum, & alios, admittit, quod reus possit, ad servandam vitam, imperante tyranno, vel iudice, abscindere sibi ipsi membrum; nam, ait, sicut potest membrum putridum abscindere, ne vita pereat, ita potest etiam abscindere membrum sanum ob eandem rationem. Consentit etiam Lessius de just. l. 2. c. 9. dub. 14. n. 101.

215. Ob. 5. Qui est in periculo, ne incendio consumatur, potest ex alto desilire cum morali periculo mortis. 2. Martyres possunt publicè fidem profiteri coram crudelissimo tyranno. 3. In periculo, ne navis deveniat in potestatem infidelium hostium, potest quis ignem subdere pulveri pyrio, & sic se, & omnia comburere. 4. Potest homo mori; quia non vult abscindi sibi membrum. 5. Potest homo austerissima in religione manere, etsi prævideat, se sibi vitam poenitentibus abbreviare: sed in his casibus homo directè se occidit: ergo licitè potest, directè se occidere. Confir. Potest quis mortem desiderare, e. g. martyrrium: ergo etiam eam sibi inferre.

Resp. om. interim ma. neg. mi. quod enim in his casibus facere licitum est,

non est in estimatione morali se occidere, sed tantum est, non omni modo possibili servare vitam, ad quod homo non tenetur, ut dictum n. 207. vel certè est, intendere aliquid aliud, ad quod quis in iis circumstantiis habet jus, & permittere tantum in sensu morali mortem: quo casu talis mors, nec in se, nec in causa, est voluntaria, adeoque nec imputabilis; non enim est voluntaria in se; quia directè talis homo non vult mortem, sed vellet eam abesse, & tantum vult aliquid aliud, e. g. fugere dolorem combustionis: neque est mors voluntaria in causa; quia, ut dixi tr. de actibus hum. à n. 21. ad hoc requiritur, ut quis, vel ponat causam, cum intentione effectus, vel ponat causam, ad quam non habet jus, seu quæ sit ipsi prohibita, ex eo fine, ne sequatur effectus; atqui e. g. saltus ex alto, in periculo combustionis, non est prohibitus: sed habet quivis ad eum jus, ne scilicet vivus comburatur: & hinc talis facit, atque intendit, quod est licitum: alterum autem, nempe mortem in sensu morali tantum permittit.

Addit Lessius de justit. l. 2. c. 9. dub. 6. n. 35. etiam animalia bruta ex instinctu naturæ similia facere, adeoque licitum esse, atrocissimos dolores fugere. Quod autem in hoc casu aliquis sit causa aliquo modo physica directæ mortis, nihil probat; nam etiam, qui inficius comedit venenum, est causa physica suæ mortis. Casus supra allatos, & adhuc plures videre potes apud Lugonem de justit. disp. 10. sec. 1.

216. Ex dictis autem jam patet responsio ad 1. casum, de quo videri etiam potest Lugo cit. sec. 1. n. 50. Ad 2. casum dico. Martyres faciunt id, ad quod habent jus, & permittunt suam mortem, seu peccatum tyranni; unde tales semper sunt habiti pro veris martyribus ab Ecclesia, de qua re fusè Lugo cit. sec. 1. n. 40. Addit tamen rectè n. 46. non posse aliquem sponte se offerre tyranno, quando hac ratione excitaret novam persecutionem in Ecclesiam, vel id alio ex capite cederet in damnum plurium aliorum; nam bonum publicum est preferendum privato.

Ad 3. casum Lessius l. 2. c. 9. dub. 6. n. 34. ait, milites Belgas sæpe ita ignem pulveri pyrio subijcere, & excusari, quod non intendant mortem, sed tantum permittant, ignis impetu se abripi. Videtur tamen hæc responsio difficilis; posset enim etiam dici, eum, qui desiluit in puteum, non se submergere, sed tantum permittere submersionem: aut, qui se gladio trajicit, tantum permittere viam sanguini, & animæ. Lugo de just. disp. 10. sec. 1. n. 52. & seq. ait, si spes probabilis sit evadendi mortem, licere ignem ita admovere: & hoc communiter contingere, in eversione turrium, & mœnium. Rursus, si ex una parte sit aliqua, licet modicissima spes vitæ servandæ, ex altera autem parte ab hostibus mors certa, iterum id licitum esse; quia minima vitæ spes prævalet certæ mortis: at quando ex admoto igne mors certa est, ait, esse rationes pro, & contra.

Addit

ARTICULUS III.

An homo juxta allegata, & probata nocens, at juxta privatam scientiam judicis innocens, possit ab hoc condemnari ad mortem.

218. Dico. Judex non potest licitè hominem, quem privatâ scientiâ novit innocentem, licet juxta allegata, & probata, sit nocens, adjudicare morti. ita Lessius de justit. l. 2. c. 29. dub. 10. n. 78. Haunoldus de jur. & just. tom. 5. tract. 2. n. 38. & 39. Lugo tom. 2. de just. disp. 37. sec. 4. n. 45. Schmalzgrueber l. 1. tit. 32. n. 30. citans Pyrrhing, & Reiffenstuel. Layman. l. 3. sec. 5. de just. tr. 6. c. 2. n. 3. citans etiam antiquis Lyrannum, Angelum, Abbatem, Rossellam: insuper Sa. & Petrum Navarrum. Addi potest Tannerus tom. 3. disp. 4. de just. q. 4. dub. 2. qui, si rectè legatur, præsertim n. 50. & 39. videbitur in nostram sententiam non parum inclinare, dum dicit, fieri posse, ut judex debeat etiam cum periculo vitæ iudicium detrectare. Accedunt plures recentiores, præsertim in Manuscriptis. Idem sentiunt à fortiori, qui nec in causis civilibus taliter innocentem licitè condemnari asserunt, quales sunt apud P. Schmalzgrueber cit. tit. n. 28. Befoldus, König, Schmier, quibus addendus P. Pichler l. 1. Candidati Jurisprudentiæ tit. 32. n. 6. ut adeo hæc sententia magna auctoritate munita sit.


219. Prob. autem conclusio. Directè occidere innocentem absque licentia DEI nunquam licet: atqui hoc fieret in isto casu: ergo. ma. negari non potest; nam clarè habetur Exodi 23. v. 7. *Insontem, & justum non occides; quia averfor impium*: hoc est (ut exponit Cornelius) averfor eum, qui insontem occidit, scilicet sine licentia DEI. Deinde est etiam communissima sententia, quod, etsi tyrannus mineret excidium urbi, nisi quis innocens occidatur, tamen non liceat directè eum occidere: sed tantum permittitur sit, eum jubere, ut ipse se sicut tyranno, vel ad summum, eum tyranno tradere: sicut Arcadius Imperator tradidit Gainæ Aurelianum consulem, & Saturninum consulem, quos quidem barbarus non occidit, cute tamen prius gladio perstricta, in exilium misit, ut refert Spondanus ad an. Chri. 400. n. 6. quæ traditio non est directæ occisio: imò neque strictè loquendo indirecta, ita, ut indirectè, & imputabiliter censetur intendi occisio: sed tantum est actio conjuncta cum permissione mortis.

220. Prob. jam etiam minor. Si talis innocens non directè occideretur, nec Christus fuisset directè occisus à Pilato, nec ferè unquam aliquis directè occideretur: e. g. directè non occideretur à iudice per sententiam alius revera nocens, seu reus; quia non est disparitas ulla formalis assignabilis: nec etiam directè occideretur à privato homine quem

Addit tamen idem auctor, sibi quidem videri prævalere rationes pro licentia; quia, cum mors propria primum sequatur, ad procuratum damnum hostis, videtur posse prius intendi damnum hostis, & indirectè permitti occisio propria: limitat tamen iterum, ajens, requiri causam gravissimam. & non sufficere periculum servitutis apud hostes, neque damnum hostis, qui hæc ratione privatur magnâ prædâ: sed ait, requiri, ut vectores, si capiatur nâvis, sint occidendi ab hostibus, & ut jacturâ navis bonum publicum etiam promoveatur; e. g. ut sic impediatur, ne hostes, hac prædâ potiti, ardentius naves alias invadant, dum damno suo, vel certè lucro ignibus absumpto, refrigescit impetuosus pruritus denuo alias naves infestandi. Tandem ait, multum etiam conducere ad justificandam hanc actionem, si sit spes aliqua evadendi, vel natan-do, vel quacunque alia ratione.

217. Ad 4. casum. Potest quidem homo permittere mortem, si in abscissione foret nimius dolor; hoc enim non est, se occidere, sed non adhibere media nimis difficilia ad conservandam vitam, ad quæ homo non tenetur; nam, ut Lessius de just. l. 2. c. 9. dub. 14. n. 69. & alii communiter docent, homo tantum tenetur ad ordinaria, non autem ad prorsus difficilia media: quod idem etiam docet Lugo de justit. disp. 10. sec. 1. n. 29. dum ait, quod homo teneatur quidem ad media ordinaria, sed non ad extraordinaria, & difficilia; si enim ordinaria media non adhiberet, censeretur vitam negligere, & malè eam gubernare: non autem eam negligit, qui ordinaria adhibet, quamvis non adhibeat exquisita.

Ad 5. casum respondetur. Longè plures homines nimio potu, & cibo, sibi vitam abbreviant, quam austeritate vitæ; unde, si illos non damnamus peccati gravis, cur istos damnemus? dummodo non directè mortem intendant; hoc enim malum foret. Imò nec damnandi sunt isti levissimi peccati: sed ex praxi totius Ecclesiæ laudantur tales, tanquam sancti, & pii: & rectè; si enim ob lucrum, vel honorem temporalem, potest quis adire in navigatione, vel in bello, periculum vitæ abbreviandæ, cur non ob bonum virtutis, & præmii æterni? Præterquam, quod istæ poenitentia ordinariè non soleant vitam abbreviare, sed, præsertim jejunia, magis eam prolongare, ut patet in antiquis Eremitis. vide Cardinalem de Lugo de justit. disp. 10. sec. 1. n. 32. Ad confir. neg. conf. Multa possumus desiderare, ut fiant, quanquam licitè nequeamus ea facere. Sic potest quis desiderare, ut malefactor, publico bono noxius, puniatur: non autem potest eum propria auctoritate punire.



quem ille juberet à famulo occidi; eoque vel sibi, vel aliis esset noxius; nam & Pilatus, & talis privatus, possent dicere, se non necem hominis, sed aliud intendisse, scilicet Pilatus quietem populi Judaici, & alter suam, vel aliorum indemnitate.

Unde non sufficit ad aliquem excusandum à directâ occisione, quòd primaria ejus intentio dirigatur in aliud tanquam finem, e.g. in nostro casu ad sedandum populum, vel retinendum officium judicis, aut redimendam vexam (hoc enim non impedit, quo minus ista mors intendatur directè, tanquam medium ad eum finem) sed ad hoc, ut aliquid censetur non directè fieri, vel non ita fieri, ut agenti possit imputari (qualiter nempe deberet fieri omnis occisio innocentis, si ea fieret sine speciali licentia DEI, & tamen deberet posse excusari à peccato) debet fieri unum ex his duobus.

Scilicet, vel debet id, quod directè fit, esse indifferens, ad alterum, ut ex eo per se istud non sequatur, tanquam effectus necessarius: & sic e.g. ex egressu civis ex urbe ad tyrannum, per se non sequitur mors: aut ex dejectione turris, in qua sunt aliqui innocentes, dum oppugnatur urbs non sequitur per se istorum mors; possent enim abire ex turri, & non occiderentur: aut certè per accidens in ea sunt. Vel certè id, quod fit, aut intenditur directè, debet esse utile ad duo, quorum unum non se habeat ut finis, aut medium ad alterum: aut certè non intendatur tanquam tale: & operans habeat ex alio capite jus ad istud faciendum: hoc fit, e.g. si quis pro suo jure riget suum hortum, cum detrimento alterius horti, vel domus, in quam defluit aqua; talis enim non intendit rigationem sui horti, tanquam medium ad faciendum alteri damnum; sicut etiam dejiciens turrim in urbis oppugnatione non intendit eam dejectionem, tanquam medium ad occidendos innocentes, sed tanquam remotionem impedimenti, quo amoto facilius speratur expugnatio urbis.

Jam verò in nostro casu, nec sententia judicis est indifferens ad mortem innocentis: nec etiam est utilis ad duo, quorum unum non se habeat, ut finis, vel medium ad alterum; quia mors innocentis se haberet, & intenderetur ut medium ad sedandas turbas, vel retinendum officium judicis; insuper nullo modo judex haberet jus, ad eam mortem ex alio capite inferendam: ergo ista mors non ita inferretur innocentem, ut judicis non posset imputari.

Quod autem in hoc casu non adsit licentia DEI, probatur in primis ex eo, quod modò dictum est, nempe quòd communissimè censetur, non adesse talis licentia, etiam, quando necesse innocentis servari posset urbs ab interitu: adeoque multò minus, adesse censenda sit, quando tantum agitur, de una persona judicis indemnitate servanda: dein probatur potissimum negativè; quia non potest probari, eam licentiam esse datam; cum tamen, qui eam esse datam positivè afferunt, id positivè probare deberent.

221. Obj. 1. *Deuteron. 17. v. 6.* dicitur: *In ore duorum, aut trium testium peribit, qui interficietur:* ergo judex juxta probationem testium debet accusatum ad mortem condemnare. *Confr.* Pluribus debet magis credi, quam uni: ergo debet judex magis credere allegatis, & probatis per plures testes, quam tantum sibi: ergo debet etiam contra propriam privatam notitiam ferre sententiam. *Resp. neg. conf.* Textus ille tantum vult, necessarios esse duos saltem testes, ad probandum aliquem mortis reum; sic enim *ibidem* additur: *Nemo occidatur uno contra se dicente testimonium:* non autem vult textus, quòd duo testes semper sufficiant, etiam contra certam scientiam judicis: certè *Exodi 23. v. 2.* dicitur judicis: *Nec in judicio plurimorum acquiesces sententia, ut à vero scilicet cognito devies.*

Ad confirm. neg. suppositum. Non agitur hic de fide, sed de certa scientia, quam supponitur habere judex. Unde, licet, quando judex tantum habet aliquam probabilitatem in oppositum, allegata autem, & probata faciunt in foro externo plenam probationem, possit, vel etiam debeat, juxta allegata, & probata judicare, tamen id non potest, quando habet certam scientiam de opposito.

222. Ob. 2. Judex est persona publica: ergo debet tantum judicare juxta notitiam publicam: atqui in nostro casu accusatus juxta notitiam publicam est reus: ergo judex debet eum condemnare. *Confirm. 1.* Jura volunt causas decidi juxta allegata, & probata. ita habetur *L. Illicitas exactiones. 6. ff. de officio praesidis*, ubi dicitur, praesidem debere sequi, *quod convenit eum ex fide eorum, quae probabuntur.* & *Clementina finali. 8. Sententiam verò diffinitivam. de verb. signif.* ubi dicitur, sententiam diffinitivam proferri debere *ex petitione, & probatione, & aliis actibus in causa:* ergo debet judex, posthabita sua scientia privata, sententiam ferre, adeoque ad mortem quoque damnam juxta allegata, & probata. *Confirm. 2.* Si potest judex sequi notitiam privatam in ordine ad absolvendum, poterit eandem uti in ordine ad condemnandum, & sic cum, qui juxta allegata, & probata, est innocens, attamen à judice privatim scitur nocens, condemnare: hoc non potest admitti: ergo.

223. *Resp. conc. ant. neg. conf.* Non enim ideo; quia judex est persona publica, hoc est, in publica dignitate constituta, & publico bono serviens, debet sequi publicam falsitatem: sed tantum debet sequi notitiam publicam, quando ea aliunde non eliditur. Ad 1. confirm. neg. conf. Illa jura tantum volunt, ordinariè judicari debere juxta allegata, & probata; quia ordinariè non, nisi per illa, habetur veritas, & per illa etiam praesumitur ordinariè hæc inveniendae: at quando de veritate jam constat, item, quae constat, allegata, & probata fallere, praesumptio debet cedere veritati; nec aliud jura illa volunt. Insuper, ut habetur *regula 61. juris in 6. Quod ob gratiam alicujus*

conceditur, non est in ejus dispendium retorquendum: igitur, cum testes, allegata, & probata &c. concedantur, ut veritas inveniat, non debent valere contra veritatem.

224. Ad 2. confirm. neg. ma. Non sufficit ad condemnationem sola, certa etiam notitia delicti, sicut tamen sufficit ad absolvendum, vel saltem non condemnandum, sola certa notitia innocentiae: sed debet notitia delicti esse publica, & in judicio probata; alias enim, si delictum adhuc est occultum, reus non perdidit jus ad famam: consequenter non potest per publicam poenam infamari.

Adde, ut habet Illung. *tract. 4. disp. 2. g. 1. n. 27.* Jus justitiae vindictivæ, seu potestas puniendi judicialiter, non attendit bonum rei, sed communitatis, ut scilicet per vindictam de culpa publice sumptam, alii absterreantur à simili ausu, alias malo exemplo, & impunitate alliciendi: at quando delictum est occultum, imò in judicio per allegata &c. saltem apparenter probatum esse nullum, nemo per illud, aut ejus impunitatem allicitur: nec habet justitia punitiva, quod semisceat. Unde Illung *loco modo citato* ait, hoc esse omnino certum apud Doctores, Theologos, & Juristas. Aliud est de infictione poenae paternae, quae, cum tendat primariò ad correctionem, & utilitatem delinquentis, potest utique saepe ob crimen occultum etiam ipsa occultè infigi.

Dices 1. Si judex scientiam de innocentia accusati haberet tantum ex confessione, deberet, insuperhabita eà scientia, reum juxta allegata, & probata condemnare: sed scientia privata se habet in nostro casu, sicut scientia ex confessione: ergo judex, etiam insuperhabita scientia privata, debet reum condemnare. *Resp. 1.* Si confessus daret licentiam utendi eà scientia (quam, si ageretur de vita, saltem ordinariè daret) tunc judex non posset condemnare ad mortem talem reum. *Resp. 2.* om. ma. supposito, quòd confessus non det licentiam utendi eà scientia, & neg. mi. ac paritatem. DEUS in hoc casu positivè prohibet, ne judex utatur scientia sacramentali, & vult, ad eam omnino non attendi in foro externo. At neutiquam DEUS prohibet, ne judex utatur scientia sua privata extrasacramentali: imò jubet ista uti; alias, sicut judex, habens tantum notitiam sacramentalem, non potest vi hujus adhibere ea media juvandi innocentem accusatum, de quibus inferius n. 223. ita neque potest ea adhibere judex, habens notitiam privatam extrasacramentalem; cum tamen istum auctores etiam adversarii communiter obligent, ad ea media adhibenda.

225. Dices 2. *Cap. Pastoralis. 28. de offic. & potest. judicis delegati. 8.* Quia verò saepe contingit, sic ait Innocentius III. *Respondemus, quòd, cum Ordinarius teneatur obsequi Delegato, etsi sciat sententiam illam injustam, exequi nihilominus tenetur*

eandem: nisi apud eum efficere possit, ut ab hoc onere ipsum absolvat: ergo etiam judex, etsi privatim sciat, sententiam esse injustam, tamen tenetur eam ferre; quia ut Ordinarius Delegato, ita judex debet obsequi legibus. *Resp. 1.* dist. ant. Ordinarius tenetur exequi sententiam, etsi sciat, esse injustam, substantialiter, seu nixam falsitate. *neg. ant.* etsi sciat, esse injustam accidentaliter; quia e.g. non est observata omnis formalitas, de jure requisita. *conc. ant. & neg. conf.* In tali casu Ordinarius, si non possit declinare officium executoris, debet supponere, Delegatum Pontificium habere rationes, ob quas ordinem judicium non exactè observaverit, vel ipsum Summum Pontificem pro plenitudine potestatis tacite dispensare, eo quòd, ut ait Pontifex, *non cognitio, sed executio tantum demandatur eidem Ordinario.*

Resp. 2. cum aliis dist. aliter ant. si sciat, scientia tantum late sumpta pro notitia valde probabili. *conc. ant.* si sciat scientia strictè dicta. *neg. ant. & consequentia Schmalzgruber l. 1. tit. 32. de officio judicis. n. 32. & Pichler eod. tit. n. 7.* debet enim subditus obedire superiori, quando res imperata non est certò mala. *Resp. 3.* dist. iterum ant. & hic sermo est de sententia Ecclesiastica, quae non fertur in causa sanguinis, nec statuit pro poena necem, vel mutilationem rei. *conc. ant.* est sermo de judice, similes poenas statuente. *neg. ant. & conf.*

226. Dices 3. Ergo saltem, quando agitur de causis civilibus, aut minoribus poenis, poterit judex condemnare, quem scit privatim innocentem, attamen ex allegatis, & probatis, est nocens. *Resp.* hic fieri posse quaestionem de nomine, an scilicet judex talem, propriè loquendo, possit condemnare, vel punire; quia ad hoc videtur requiri, ut judex verè existimet, dari culpam, vel alteram partem habere intentionem magis in jure fundatam: ex quo sequitur, quòd, strictè loquendo, judex talem non possit condemnare, aut punire. Poterit tamen, (si nullis modis, de quibus paulò post, possit judicium declinare, vel innocentem juvare) talem, in foro exteriori nocentem, private aliquo bono, & id alteri attribuere: vel eum etiam levioribus plagis, aut molestiis afficere.

227. Ratio est; quia res publica habet dominium altum in bona subditorum, vi cuius potest ea transferre, si bonum publicum id exigat: & consequenter etiam dat hanc potestatem judici à se constituto: exigit autem bonum publicum, ut in tali casu transferantur bona in alium; alias enim possent nasci saepe turbæ, & seditiones, dum homines videntes, non attendi ad allegata, & probata, nec servari communem ordinem, & modum judiciorum, nec credentes judici affirmanti, se privatim longè veriora scire, commoverentur ad turbas &c. Nec consultum esset, si etiam judex cederet officio; quia reipublicae interest, habere bonos judices: cederent autem potissimum officio iudices timorati,

& bonæ conscientiæ; alii enim ob privatam scientiam non facillè cederent. Pariter habet respublica jus ob bonum commune inferendi aliquam molestiam, vel afflictionem, subdito non adeò gravem, nec cum infamia alicujus momenti conjunctam.

At dispar est ratio de occisione, vel mutilatione; quamvis enim respublica, vel princeps, habeat jus in vitam, aut membra nocentis, ex illo S. Pauli *ad Rom. 13. v. 4. Si autem malum feceris, time; non enim sine causa gladium portat; DEI enim minister est, vindex in iram ei, qui malum agit*: tamen non habet jus in vitam, aut membra innocentis. Et hinc plures auctores, licet negent, posse judicem juxta allegata, & probata, innocentem damnare ad mortem, tamen admittunt, posse talem condemnare, laetè loquendo, in causis civilibus: id est, obligare ad cedendum bonis fortunæ: & quoad hoc omnino pauci dissentiunt: ac P. Pichler *l. 1. Candid. jurispru. tit. 32. et si n. 6.* hoc videatur negare, tamen *n. 8.* admittit, posse judicem, in causis civilibus sententiam ferre contra innocentem, ne debeat sustinere privationem officii. Neque hinc dictis opponi potest propositio 2. ab Innocent. XI. damnata: *Probabiliter existimo, judicem posse judicare juxta opinionem etiam minus probabilem.* ex qua damnatione videtur sequi, quòd judex multò minus possit judicare juxta opinionem sibi certò falsam; nam judex in tali casu non debet judicare juxta allegata, & probata, sibi certò falsa; neque enim, ut *num. preced.* dictum, debet judicare, aut condemnare accusatum: sed tantum debet innocentem privare aliquibus bonis fortunæ, vel eum levioribus plagis afficere: quod in talibus circumstantiis videtur extrationibus modò allatis probabilius licitum esse.

228. Dixi: nisi judex possit aliis modis judicium declinare, vel innocentem juvare. Modi autem, vel media varia esse possunt. 1. Repetere, & exactius facere interrogationem testium, vel inspectionem instrumentorum, interrogando circumstantias loci, & temporis &c. fortè enim hac ratione falsitas manifesta fiet. 2. Inquirere causas repellendi accusationem, eamque, quantum fieri potest, repellere, ac testes deterere, eis significando, sibi de rei veritate aliunde constare. 3. Dissimulare, & trahere causam, quantum sine scandalo trahi potest. 4. Remittere causam ad judicem superiorem, & eoram illo testimonium ferre de innocentia sibi privatim cognita. 5. Si sit judex supremus, reum absolvi, pro absoluta potestate, si sine seditione, vel alio graviore malo id fieri possit. Quæ, & similia media, ordinariè proderunt innocentie pressæ, adeò, ut mihi hic casus longè magis speculativus, quam practicus videatur.

229. Ob. 3. In casu, quo quis ob allegata, & probata, damnatur ad mortem, non eum occidit judex, sed illi, qui falsò eum accusant, & factum apparenter plenè probant: ergo nostra probatio est nulla. Confir. Ta-

lis accusatus non est innocens, sed in foro externo nocens: ergo potest puniri. Resp. neg. ant. licet enim falsi testes in aliquo sensu talem hominem magis occidant, quam judex, tamen etiam iste occidit: & sic S. Augustinus *enarrat. in Psalm. 63.* ait, quidem, Pilatum conatum fuisse, Christum eripere neci, & multa tentasse, ut eum furori Judæorum subduceret, *lavisse manus, & dixisse, quod ipse non fecisset, mundum se esse à morte illius*: sed addit: *Fecit tamen: quamvis ulterius dein subjungat: Et vos ó Judæi occidistis. Unde occidistis? gladio lingua.* Nec ab ullo negari potest, etiam Pilatum, & quidem imputabiliter, occidisse Christum.

Verum est quidem, quòd contra Christum Dominum nihil rite probatum fuerit, etiam tantum pro foro externo; quia abunde constat, testes nullius esse fidei, esse inutiles, & falsos: attamen etiam in nostro casu, quando judex certò scit, depositionem testium esse falsam, nihil verè ipsi probatur, licet aliis probetur, qui eam scientiam non habent. Magis quidem culpabiles possunt esse testes, at nec judex inculpabilis est. Ad confirm. dist. ant. Talis accusatus est verè, & reipsa nocens. neg. ant. apparetur. subdist. respectu aliorum, qui non habent scientiam de ejus innocentia. conc. ant. respectu judicis, qui eam scientiam habet. neg. ant. & conf.

230. Ob. 4. Sententia nostra perturbat ordinem, & morem judiciorum: item præbet occasionem fraudibus, & corruptionibus judicium, qui sinent se corrumpi pecuniis, ut dicant, sibi ex privata scientia constare de innocentia, vel jure alterius: ergo non est admittenda. Confirm. Occidere innocentem non est intrinsecè malum, sed potest fieri ex licentia DEI: ergo ex hac ipsa ratione, scilicet, ne pervertatur ordo judiciorum, & detur occasio fraudibus, adjuncta præsertim auctoritate gravissimorum virorum id sententium, infertur, quòd DEUS det licentiam, in tali casu occidendi etiam innocentem: ergo judex id licitè facit.

Resp. neg. ant. quoad utramque partem. Prima negatur; quia ordo judiciorum non petit, ut procedatur secundum allegata, & probata, quando judici clarum est, ea non subsistere, ut dictum *n. 223.* Secunda negatur; quia judex non facillè id faciet; eoquòd non sufficit tantum dicere, sibi privatim constare de contrario, sed debeat hoc efficaciter probari: certè actor, & testes, contra judicem statim insurgerent, adeòque hic multis periculis sese exponeret. Dein etiam ex sententia opposita non minus daretur ansa fraudibus; quia, si sciretur, judicem debere, allegata, & probata, etiam cognita ut falsa, tamen sequi, eodem modo possent subornari ab actoribus falsi testes, & produci falsa acta &c. Certè quoad hoc est omnimòda paritas: attamen neutri assertioni hoc officit; quia abusus doctrinæ, ex malitia hominum securus, non obest illius veritati.

231. Ad confirm. conc. ant. neg. conf. intrinsecè enim malum strictè tale est, quod, quamdiu manet tale, non potest fieri, nisi malè: nec DEUS potest id, manens tale, licitum reddere. Sic intrinsecè malum est e.g. mendacium, adulterium, furtum; quamdiu enim aliquid manet mendacium, adulterium, aut furtum, non potest licitum reddi à DEO: & sic dictum contra mentem nunquam potest esse licitum: at verò, quia potest DEUS facere, ut actio, quæ in aliis circumstantiis esset adulterium, aut furtum, non amplius sit adulterium, vel furtum, e.g. jus, quod habet una mulier in corpus mariti, dividendo, seu distribuendo in duas, & dando licentiam viro accipiendi duas uxores: item jus proprietatis, quod habet unus in pecunias, transferendo in alterum; hinc copula cum altera, & acceptio talium pecuniarum (quæ actiones, nisi DEUS eas extraxisset à ratione adulterii, vel furii, essent peccaminosæ) possunt fieri licitæ, ex hoc ipso; quia possunt extrahi, ex ratione materiæ adulterii, & furii.

At verò mors innocentis, manens talis, potest licita reddi à DEO: certè Isaac manifestè innocensissimus, quando justus est occidit. Quamvis autem occisio innocentis non sit strictè loquendo intrinsecè mala, tamen est illicita, quamdiu DEUS non dat licentiam: hanc autem non dari tamdiu meritò dicitur, quamdiu oppositum non probatur: atqui non probatur, imò potius probatur oppositum, ut hucusque ostensum, tam in probatione nostræ assertionis, quam in solutione objectionum.

232. Quod verò spectat ad auctoritatem, etsi antiqui communius senserint, licitum esse, innocentem talem damnare ad mortem, tamen etiam ex illis non deficiunt sententiæ nostræ patroni, & recentiores plures nobiscum sentiunt, ut videre est *n. 218.* Solius S. Thomæ auctoritas, qua sententia adversa videtur fulciri, eam præ aliis commendare videtur. Attamen potest dici, S. Doctorem vocabulum *scire*, vel *scientiam* non lumere strictè, sed tantum pro aliqua existimatione, quæ cedere debet allegatis, & probatis, quamvis suspectis, sed tamen de falsitate non convictis.

Ratio ita explicandi Angelicum est; quia eodem loco nempe. *2. 2. q. 64. a. 6. ad 3.* statim subdit, executorem, seu ministrum pœnæ, non posse exequi sententiam, quæ contineat *intolerabilem errorem*, seu *manifestam injustitiam*, sed tantum, si injustitia manifesta non sit; quia ipse, ut ait S. Doctor, *non habet discutere superioris sententiam.* Si autem non potest carnifex licitè exequi sententiam certò injustam, neque poterit judex, eam licitè ferre.

233. Nec dicas *manifestum* significare publice notum; nam, licet hoc aliquando per accidens significet, tamen non significat id per se, & semper; quia potest aliquid alicui privato soli esse manifestum, hoc est, esse omnino clarum; nec enim *manifestum* necessariò significat per se idem, ac *notorium.*

Et sanè loco citato *manifestum* S. Doctore plus non significat, quam omnino certum, & clarum; quia ibi manifestum opponit illi, quod discussione possit clarius innotescere; adeòque per manifestum intelligit id, quod discussione adhibita non clarius innotescit: atqui etiam, quod alicui soli privatim est notum, aut scitum, potest esse, imò sæpe est tale, ut nulla discussione possit illi clarius innotescere: ergo etiam privatim notum, vel scitum, ad mentem Angelici est manifestum, & non tantum id, quod esse publicè notum. Quando autem S. Thomas docet, judicem debere sequi allegata, & probata, intelligi potest de via ordinaria, ne scilicet judex putet, se posse facillè ab iis recedere: non autem de casu extraordinario, qualis est nos- ter.

234. Ob. 5. Etsi homo non sit dominus suorum membrorum physicè talium, tamen potest membrum etiam sanum abscindere, si id opus sit ad conservandam vitam totius, e.g. amputare sibi pedem, vel manum, ut se possit exuere vinculis, & fugam arripere, ut docet Lugo *de justit. disp. 10. sec. 1. n. 22.* & alii: ergo etiam respublica, etsi non sit domina membrorum suorum, moraliter talium, tamen potest unum, etiam moraliter integrum, ac sanum, id est, innocens, abscindere, seu occidere, si id necessè sit ad conservandum bonum publicum totius: ergo etiam potest hanc potestatem judici dare.

235. Resp. neg. utramque conseq. Disparitatem inter membra physica humani corporis, & moralia reipublicæ, bene dat Lugo modo citata *disp. 10. sec. 4. n. 104.* & est ista. Respublica debet gubernare hominem subditum politicè, hoc est, etiam in utilitatem ipsius subditi, & hanc debet attendere; nec enim homines sunt propter rempublicam, sed hæc est propter homines; unde non potest membrum, seu subditum innocentem occidere, tantum in utilitatem sibi reipublicæ propriam.

At suppositum humanum non debet, sua membra physica gubernare in utilitatem ipsorum, sed tantum in utilitatem suam, seu totius suppositi; nec membrum, ut distinctum inadæquate à supposito, habet jus contra suppositum, vel alia membra, ita, ut ipsi fiat injuria, si in ejus gubernatione non attendatur ad bonum ipsius, sed tantum ad bonum totius, quale tamen jus unum membrum morale, ut distinctum ab altero, vel inadæquate à republica, habet contra alia membra, imò etiam contra rempublicam.

236. Quando autem respublica aliquem exponit periculo vitæ, e.g. si tyrannus, ut supra diximus, eum petat sibi dedit, ipsa traditio subditi cedit etiam in utilitatem hujus ipsius; quia, si alias tota respublica periret, ipse vel maximè præ aliis periret, utpote, cui tyrannus præ aliis est infensus: & aliquis saltem spes est, tali submissione placandi tyrannum, & mortem evadendi, si præsertim jungantur preces reipublicæ. Dein, ut Lessius *de justit. l. 2. c. 9. dub. 7. n. 37.*

ait, talis subditus jam ex charitate erga patriam tenetur, id periculi subire: ergo potest respublica id imperare. Sanè subditus in tanta necessitate id licitè, facere potest (sicut tamen non potest licitè se occidere) adeoque potest etiam respublica, id ei imperare. Videatur Lugo *cit. disp. 10. per totam sessionem 4. tam*

ARTICULUS IV.

An quis possit pro defensione vitæ, honoris, fortunarum, aut pudicitia, occidere injustum aggressorem.

237. **D**ico 1. Cuius homini etiam laico contra Clericum, & filio contrapatrem, licet, vim repellere, cum moderamine inculpatae tutelæ, etiam occidendo injustum vitæ aggressorem. Dixi: cum moderamine inculpatae tutelæ, hoc est, ut non adhibeatur vis, nisi sit necessaria, deficientibus scilicet aliis mediis defensionis: nec major, quam sit præcisè necessaria, ut quis vitam suam conservet. ita communissima: & sumitur ex C. Si verò alicujus. 3. de sent. excommunic. ubi Alexander III. ait: *Si verò clericum, vim sibi inferentem, vi quis repellat, non debet propter hoc ad Sedem Apostolicam transmitti: si in continenti vim repellat, cum vim repellere omnes leges, omniaque jura permittant. & C. Jus naturale. 7. dist. 1. dicitur: In finem natura ... habetur violentia per vim repulso. Et L. Ut vim. 3. ff. de jur. & jur. Nam jure hoc evincit, ut, quod quisque ob tutelam corporis sui fecerit, jure fecisse existimetur.*

238. Ratio etiam est. 1. Quia quisque, etiam ordine charitatis, potest suam vitam præferre alienæ, præsertim injusti aggressoris, qui suæ malitiæ debet adscribere, si necetur. 2. Quia, si non daretur hæc licentia, multiplicarentur homicidia, nec homines possent esse securi ab injustis aggressoribus: quod esset contra bonum commune. Notat tamen rectè Layman. l. 3. sec. 5. de just. tr. 3. p. 3. c. 3. n. 1. quòd, sicut potest contingere, ut quis non tantum possit, sed etiam teneatur, vitam suam, occidendo aggressorem, defendere, si ipse sit valde necessarius reipublicæ, ita etiam possit contingere, ut, si aggressor sit valde necessarius reipublicæ, e. g. rex, vel dux, à quibus salus communis pendet, debeat potius invasus pati mortem.

239. Dico 2. Etiam pro defensione temporalium bonorum fortunæ, magni momenti, vel pretii, licet occidere furem, si aliter ea bona servari, vel immediatè recuperari non possint. ita communis. Dixi autem immediatè, per quod intelligo eo tempore, quo adhuc censetur durare invasio, quæ ex Illung. tr. 4. disp. 3. q. 2. n. 68. Lefio, Tamburino, & aliis, moraliter incipit, quando fure accingit ad invadendum: &

durat, usque dum fur per aliquod temporis spatium res furto ablatas pacificè possederit; nam post inchoatam pacificam possessionem, ut rectè ait Illung. loc. cit. agendum est coram judice, viâ ordinariâ juris. Prob. conclusio. Sinon liceret talia bona ita defendere, ferme omnia bella essent injusta, & illicita; quia ordinariè ista geruntur ob bona temporalia, & in iis occiduntur plurimi homines: sequela non potest admitti: ergo. Confir. Si non daretur licentia occidendi in talibus casibus, foveretur audacia nequissimorum hominum in furando, & nihil esset securum à rapacibus manibus: sequela est contra universale reipublicæ bonum: ergo non potest admitti.

240. Dico 3. Etiam potest pudicitia defendi defensione occisiva, & cum moderamine inculpatae tutelæ occidi injustus ejus aggressor. ita communis, & probatur. Bonum pudicitia ex una parte est longè majus, quam bonum fortunæ: ex altera parte non est ulla specialis ratio, ob quam licentia defendendi pudicitiam defensione occisiva, negetur, sicut est specialis ratio (ut infra ostendetur) negandi licentiam ita defendendi bonum honoris: ergo, si pro defensione bonorum fortunæ inferiorum, licet occidere iniquum aggressorem, idem licebit pro defensione pudicitia. Confir. Legimus in variis historiis, quasdam uellas animosiores occidisse tales infrunitos aggressores pudoris sui, nec tamen legimus, eas unquam fuisse ab ullo reprehensas, minus punitas: ergo signum est, talem occisionem non esse prohibitam.

241. Dico 4. Pro defensione solius honoris, non nisi rarissimè, aut fortè nunquam, potest occidi injustus aggressor. ita Cardenas, Viva, Illung, & Recentiores communiter, post decreta Alexandri VII. & Innocentii XI. quibus aliquot propositiones huc spectantes damnatæ sunt. Probat. Quamvis honor sit majus, vel saltem tantum bonum, quantum est pecunia, vel aliud bonum fortunæ, pro cuius defensione licet occidere injustum aggressorem, tamen cetera non sunt paria: ergo, quamvis pro defensione pecuniæ, aut alterius boni fortunæ, possit occidi injustus aggressor, non propterea potest etiam occidi injustus aggressor honoris.

Prob. ant. Ut rectè ait Viva *trinitate Theolog. p. 1. in proposit. 17. & 18. ab Alexandro VII. damnatas n. 4.* ad licitam occisionem aggressoris ex regula generali requiruntur duo. 1. ut hic damnus grave evidenter inferat, vel illaturus sit. 2. ut certò non possit aliâ viâ damnus impediri, vel reparari: (aliàs, ut notant communiter doctores appetitur via plurimis cædibus cum maximo reipublicæ damno) & in his duobus, ut habet Cardenas *in crisi in prop. dam. dissert. 21. c. 2. n. 16.* stat necessarium moderamen inculpatae tutelæ, sine quo nunquam licet aliquem privata auctoritate occidere: atqui neutrum in casu læsionis honoris est evidens, vel certum: ergo.

Mi, quoad 2. partem prob. ut observat Illung

Illung. tr. 4. disp. 3. q. 2. n. 69. honor ordinariè recuperari potest viâ juris: saltem non est certum, eum hac viâ recuperari non posse: non ita bona fortunæ, à fure aufugiente, & se justiciæ subducente, ablatæ: aut, si etiam ista possunt viâ juris recuperari, non est licita occisio furis: ergo. Prob. etiam mi, quoad 1. partem. Non est certum, an calumniator sit illaturus damnus; nam sæpe contingit, ut ipsi non credatur, & potius crescat honor, quam minuatur.

242. Confir. 1. Vel calumnia jam est facta, vel nondum est facta. Si jam est facta, non recuperatur honor per eadem; neque enim, ut fur bona ablata, ita calumniator secum fert honorem, ut ab eo auferri iterum possit: dein, si calumnia jam pluribus, ut solet, innotuit, hæc notitia per eadem non tollitur. Imò honor per eadem humanam magis minuitur, factique occidens se suspectum, quasi alterum tantum occidisset, ut suum dedecus probari non possit. Quare talis cædes, utpote ad honorem post calumniam factam reparandum inutilis, non est defensionis honoris, sed vindicta privata, semper illicita. Si autem nondum est facta calumnia, adhuc magis incertum est damnus honoris; quia incertum est, an non calumniator sit mutaturus animum, & omissurus calumniam: an homines sint ei credituri &c.

Insuper non est certum, an aliquis hac ratione, seu cæde, suum honorem defendat, & an non potius eum gravius lædat. Certè, si, ut ordinariè fieri solet, cædes innocens, occidit propter hanc ipsam, tanquam homicida, honorem perdit, & probabilius etiam propter illud crimen, quod à calumniatore sibi objiciendum timebat; nam curiositas humana, dum causam cædis indagat, facillè in aliquam notitiam illius rei, vel fortè in suspicionem pejoris veniet, cum multa imminutione honoris illius, qui eadem patravit.

243. Confir. 2. Omnia tribunalia talem eadem calumniatoris, privata autoritate factam, graviter puniunt, si occisor deprehendatur: ergo signum est clarum, talem eadem non esse licitam. Ex quo etiam habetur, non licitè occidi eum, quem falsum testem contra te in judicio staturum times; nam præter jam dicta, quæ etiam in hoc casu pugnant, sic non effugis damnus, à judice per testem falsum decepto metuendum: sed majus incurris, scilicet capitale supplicium ob eadem. Nec dicas, occisionem posse clam fieri; non enim solent ista diu latere: saltem hoc est prorsus incertum, adeoque occisio non est medium certum evadendi damnus.

Confir. 3. Si tales cædes licitæ essent, tunc cædes plurimæ fierent, ex apprehensa, nescio quali calumnia, vel damno honoris; quia homines excacati superbiâ, sæpissimè nescio quantum, se in honore læsos esse, vel certè ingentem honoris sui læsionem sibi imminere existimarent: atque adeò cæde actorum, testis, judicis, actoris &c.

læsum honorem recuperari, vel ejus læsionem impediri debere, sibi persuaderent, cum ingenti perturbatione, & damno reipublicæ. Hinc rectè infert Viva loco supra cit. n. 7. etsi quis privatus in aliquo raro casu deberet innocens perdere honorem, non propterea ad eum servandum licitam esse occisionem talis aggressoris; non enim (ait meritò hic auctor) debuit natura propter bonum alicujus privati, in aliquo raro casu tantum occurrere, permittere hanc defensionem immoderatam, quæ innumeris cædibus ansam daret.

244. Ex hucusque dictis patet, meritò damnatas esse sequentes propositiones ab Alexandro VII. nempe 17. *Est licitum Religioso, vel Clerico, calumniatorem, gravia crimina de se, vel de sua Religione spargere minantem, occidere, quando alius modus defendendi non suppetit, uti suppetere non videtur, si calumniator sit paratus, vel ipsi Religioso, vel ejus Religioni, publice, & coram gravissimis viris, prædicta impingere, nisi occidatur.* & 18. *Licet interficere falsum accusatorem, falsos testes, ac etiam judicem, à quo iniqua certò imminet sententia, si aliâ viâ non potest innocens damnus evitare.* item ab Innocentio XI. 30. *Fas est viro honorato, occidere invasorem, qui vititur calumniam inferre, si aliter hac ignominia vitari nequit. Idem quoque dicendum, si quis impingat alapam, vel fuste percutiat, & post impactam alapam, vel itum fustis, fugiat. Videantur Cardenas, & Viva in his propositionibus.*

ARTICULUS V.

Solvuntur Objectiones.

245. **O**B. 1. Vita æterna iniqui aggressoris debet præferri vitæ temporali invasi: atqui, si occidatur aggressor injustus, perdit vitam æternam, invasus autem tantum temporalem: ergo non licet aggressorem injustum occidere. Confir. Saltem omnia bona temporalia sunt postponenda salutis æternæ, e. g. furis: ergo ob ista non licet æterem occidere. Resp. 1. neg. mi. posset enim facillè contingere, ut etiam invasus non esset in statu gratiæ, & sic perderet vitam æternam.

Resp. 2. neg. conf. Syllogismus habet quinque terminos, ut consideranti facillè patet. Etsi debeat plus æstimari vita æterna, quam temporalis, non tamen obligat lex charitatis, ad eam servandam alteri, qui, modò velit, liberè potest, eam servare sibi, cessando ab injuria: adeoque nullatenus est in extrema necessitate, sed in plena libertate seipsum juvandi; aliàs nec in bello justo possent barbari, injustissimè regionem invadentes, occidi: quin neque posset executioni tradi supplicium rei, si iste non se vellet ad mortem disponere: quod est falsum. Si

Si tales ruant in infernum, sibi, & malitiæ suæ, id debent adscribere; si enim voluissent ab injuria desistere, occisi non fuissent.

Ad confirm. iterum neg. conf. Non præponitur bonum temporale vitæ æternæ furis: sed tantum defenditur ab injuria, quod lex charitatis non prohibet; cum talis fur relinquendo, vel reddendo ablata, possit facile se morti eripere, adeoque non sit in extrema necessitate. Et utique, si fur fugiens relinqueret iterum post se, quæ abstulit, non posset amplius occidi.

246. Ob. 2. contra 2. conclus. Si quis potest per defensionem, vel recuperationem bonorum temporalium, occidere alterum, poterit etiam occidere furem propter unum aureum: sed hoc non licet: ergo. prob. mi. est propositio 31. damnata ab Innocentio XI. *Regulariter occidere possum furem pro conservatione unius aurei*: ergo. Resp. neg. ma. Ut possit fur occidi, debet esse bona temporalia magni momenti, vel pretii, respectu patientis damnum; qualis momenti regulariter non est aureus; neque enim per bonum magni momenti hic tantum intelligitur materia gravis in genere furti, sed debet esse multo gravior.

Quantum autem sufficiat, debet desumi ex iudicio prudentum, pensatis omnibus circumstantiis. Cardenas in sua *crisi in prop. dam. dissert. 21. c. 4. n. 89.* putat, ad defensionem occisivam absolute sufficere quadringentos argenteos, seu hispanicè *quarenta patacos*: summam autem minorem putat tantum sufficere respectivè. Unde quidem fieri potest, ut pauper pro defensione unius aurei, sibi summè necessarii, possit licite occidere furem: at hoc non potest fieri *regulariter*.

247. Ob. 2. Si licet defendere, defensione occisiva, bona temporalia, etiam licebit ita defendere ea, ad quæ habemus jus inchoatum, vel spem: sed hoc est falsum: ergo. prob. ma. tale jus, vel spes potest esse quandoque magis æstimabilis, & majoris momenti, quam quadringenti argentei actu possessi: ergo. mi. probatione non eget; est enim damnata ab Innocentio XI. hæc propositio 32. *Non solum licitum est, defendere defensione occisiva, quæ actu possidemus, sed etiam, ad quæ jus inchoatum habemus, & quæ nos possessuros speramus.* Confir. Saltem licebit defendere defensione occisiva jus ad rem, e.g. ad hæreditatem, vel legatum; hoc enim jus sæpe est longè magis æstimabile, quam quadringenti argentei, vel alia summa actu possessa, ob quam defendendam alius potest occidi: sed neque hoc licet: ergo. prob. mi. est iterum propositio 33. ab Innocentio XI. damnata: *Licitum est, tam heredi, quam legatario, contra iniuste impediendum, ne vel hæreditas adeatur, vel legata solvantur, se taliter defendere, sicut & jus habenti in cathedram, vel præbendam, contra eorum possessionem iniuste impediendum*: ergo.

248. Resp. neg. ma. ad ejus probat. om. ant. neg. conf. Non sufficit magnitudo bonorum

ni, ut aggressor propter illud defendendum possit occidi: sed debet esse certum, quod non supersit aliud medium, id bonum conservandi, vel recuperandi: atqui in isto casu non est certum, quod non supersit aliud medium; nam datur actu aliud medium ista conservandi, vel recuperandi, nempe via juris. Accedit, ut rectè observat Illung *tr. 4. disp. 3. q. 2. n. 69.* quod hæc licentia ita defendendi spem, vel jus inchoatum, aut etiam jus ad rem, esset contra bonum publicum; quia fierent innumeræ cædes; eoque homines sapissimè, excæcati cupiditate boni acquirendi, judicarent, ob stare hunc, vel illum, suæ spei, vel juri inchoato: quæ homicidia essent aperte contra bonum publicum, cui debet cedere bonum privatum, etiam si in casu raro fortè aliquis non posset aliis mediis juvari. Et, ut ait Cardenas *cit. dissert. 21. c. 5. n. 100.* res publica habet jus publicum contra tales sui ipsius, vel sui juris defensiones: jus autem publicum prævalet juri privato. Responsio roboratur ex eo, quod talis occisio puniatur à legibus, tam civilibus, quam canonicis, quibus quæ ita punitur, qui furem cum moderamine inculpate tutelæ occidit: ergo talis occisio non est licita. Ad confirm. iterum neg. ma. & ratio responsionis patet ex modo dictis.

249. Ob. 3. contra 4. conclus. Officialis bellicus, provocatus ad duellum, videtur posse comparere, ne incurrat notam timiditatis, & sic perdat suum honorem: ergo hæc conclusio non subsistit. ant. prob. talis, perdendo honorem, simul perdit suam dignitatem, & debet cedere officio, atque sæpe cum uxore, & liberis redigitur in statum valde miserum: atqui ad hæc perferenda non videtur obligatus: ergo videtur posse comparere. Resp. neg. ant. quod d. factò communissimè negatur, postquam Alexander VII. damnavit hanc propositionem 2. *Vir equestris, ad duellum provocatus, potest illud acceptare, ne timiditatis notam apud alios incurrat.*

Quia enim talis notam timiditatis tantum incurrit apud imprudentes, & male sentientes, non autem apud cordatos, & sapientes, non est ea nota curanda; aliàs licitum etiam erit, ad duellum provocare; quia etiam injuriâ, præsertim agnomine ignominioso affectus, si non injuriantem ad duellum provocet, apud milites, hæc in re pessimè sentientes, notam timiditatis, & alia consequi solita mala, incurrit; nemo autem hucusque (ut ait Viva in *prop. 2. ab Alexandro VII. damnatam n. 6.*) somniavit, quod quis injuriâ affectus licite possit, alterum ad duellum provocare. Quin etiam licitum erit, vindictam cruentam ab adversario expetere; nam etiam ultionem non sumentes sæpe, ut timidi, à mundi sectatoribus spernuntur. Pariter licebit, se inebriare; quia sobrii sæpe rideantur, & contemnantur.

250. Ratio autem negandi ant. est. Omne homicidium, privata autoritate factum

etiam ferrum stringat, tunc jam est simul defensio vitæ, quam adulter aggreditur. In secundo casu idem contingit, ut patet consideranti. In tertio casu non solus honor, sed etiam ipsa pudicitia, aut virginitas, quæ est ingens, & irreparabile bonum, periclitatur. Sæpe etiam infruniti amatores minantur mortem puellis, nisi consentiant: & tunc etiam debet vita defendi; quia consentire non licet.

QUÆSTIO IV.

De Prima Rerum Divisione.

ARTICULUS I.

Quomodo, aut quo jure facta sit prima rerum Divisio.

253. AD totius disputationis de dominio complementum, spectat etiam quæstio de prima origine dominiorum particularium, seu de prima rerum divisione: quæ, ut melius intelligatur, præmitto, quod quidem perfectius foret, si omnia haberentur communia, ut habebantur initio conditi orbis, quando DEUS cuique homini subjecit terras, & maria, quæque in illis sunt: & ut etiam habebantur initio nascentis Ecclesiæ inter fideles Hierosolymis, sicut refertur *Act. 4. v. 32.* & adhuc habentur in religiosis communitatibus. Attamen ob numerum innumerabilem hominum, nolentium ad perfectionem adstringi, melius fuit res dividi, & particularibus appropriari, ut in hæc bona externa (nam interna, fama, virtus &c. nunquam fuere communia) acquirerentur dominia particularia, cum exclusione aliorum.

Hanc divisionem juxta Gormaz de *justitia n. 313.* videtur innuere Scriptura *Gen. 10. v. 25.* dum ait: *Natique sunt Heber filii duo: nomen uni Phaleg; eoque in diebus ejus divisa sit terra:* quanquam non videatur negandum, etiam jam ante diluvium fuisse aliquam divisionem terrarum, & honorum factam, præside divisionis Adamo, ut post diluvium præside Noëmo: an autem facta fuerit fortitione, an prima occupatione, an determinatione Adam, vel Noëmi, an alia ratione, profus incertum est.

254. Advertit tamen, & rectè Lugo de *justit. disp. 6. sec. 1. n. 3. & seq.* ante divisionem fuisse res ita communes, ut tamen essent propriæ primò occupantis, prout modò sunt bona derelicta: item, quæ quis proprio labore, vel arte sibi comparaverat, ejus manebant, e.g. si pinxisset imaginem, vel sculpsisset statuam. Sic idem auctor ait, greges ovium Abelis fuisse ei proprias. At verò fructus arborum, atque agrorum: item animalia, etiam mansueta, (saltem nisi ista prius essent occupata) erant communia ut quilibet posset iis frui. Rursus res erant

atum, extra casum justæ defensionis, est illicitum: tale autem est homicidium in duello factum: ergo. prob. mi. tale homicidium non est defensio justa; quia non est necessaria; cum honor per se possit conservari, vel recuperari aliis mediis, e.g. viâ juris. Dixi *per se*; nam fortè per accidens, ratione perversæ persuasionis militum, non semper potest conservari, vel recuperari honor, aut dignitas sine duello: at hæc perversa persuasio non justificat defensionem, factam acceptatione duelli; aliàs etiam justificaret provocationem ad duellum, ut dictum *n. præcedente*: quin justificaret etiam vindictam propriè dictam, ut *ibidem* dictum.

251. Rursus à legislatoribus, scientibus perversam illam militum persuasionem, & nascitura exinde privatis personis incommoda, tamen, rebus omnino rite ponderatis, statuta sunt leges, duellum gravissimè prohibentes, & quidem, tanquam necessariæ ad impediendas innumeræ cædes, dissensiones, perturbationes, ac inimicitias; adeoque tanquam ad bonum commune, & tranquillitatem publicam unice necessariæ, additâ à Tridentino pœnâ excommunicationis latæ sententiæ, à civilibus verò legibus pœnâ capitis: quæ leges planè justissimæ sunt, adeoque in conscientia sub gravi obligant: ergo duellum omne, etiam pro illis circumstantiis, quæ licet perbene scitæ, tamen non impediunt leges, quo minùs monomachiam prohiberent, illicitum est: debetque bonum privatum cedere publico: at eoque privatus, etiam cum suo damno temporali, tenetur duello abstinere. Interim tamen potest vir equestris, vel bellicus officialis, ad notam timiditatis vitandam, publicè dicere, se non timere adversarium suum, iterum vias suas, & contra aggressorem animosè se defensurum: potest quoque, si alter eum aggrediatur, re ipsa se defendere, etiam defensione occisiva, cum moderamine tamen inculpate tutelæ.

252. Ob. 4. Potest e.g. maritus adventantem ex improvviso adulterum, volentem thoro suo, & honori injuriam facere, objecto gladio repellere, & defensione occisiva honorem suum tueri. 2. Potest vir equestris, vel bellicus officialis, volenti se percutere alapâ, qua graviter honor talis viri læderetur, gladium objicere, & si aliter non possit alapam impedire, aggressorem interficere. 3. Licet etiam occidere aggressorem suæ pudicitia, seu raptorem honoris virginis: ergo licet, honorem suum aliquando defensione occisiva tueri.

Resp. hos tres casus videri posse apud Cardenas in *crisi in prop. damn. dissert. 21. c. 2. n. 4. n. 43. & seq.* ubi docet, in his casibus licere contra injurias honori, non verbis tantum, sed factis illatas, se defendere, etiam defensione occisiva. Sed rectè addit, non agi in his casibus de servando solo honore; nam in primo casu potest quidem maritus objicere gladium adultero: at, si hic retrocedat, non potest eum licite occidere. Si autem adul-

tunc jure naturali ita communes, ut quisque licite eas posset sibi accipere: non tamen jus naturale præcipiebat, ut hæc bonorum communitas semper observaretur, sed eam tantum tamdiu permittebat, donec ex justis causis res particularibus dominis legitime attribuerentur; unde hæc divisio injusta non fuit. Quæritur jam quo jure sit facta.

255. Dico cum Gormaz de justit. disp. 6. sec. 1. n. 311. & communi apud Lugo de justit. disp. 6. sec. 1. n. 2. Divisio prima rerum facta est jure gentium. Prob. Non est facta ista divisio jure Divino positivo; quia nihil DEUS statuit circa hanc divisionem in tota Scriptura: nec etiam habetur ulla traditio de præcepto Divino circa eam: imò DEUS omnibus hominibus dedit terram, & subjecit volatilia cæli, & pisces maris, & animalia terræ. Neque est facta hæc divisio jure naturali; quia, ut dictum n. 26. jus proprietatis creatur, præsertim in bona externa, non habetur ex jure naturali.

Quin potius spectato tantum jure naturali omnia sunt communia; nec enim natura humana per se exigit hanc divisionem: imò in statu justitiæ originalis, si scilicet Adam non peccasset, fortè haud fieri debuisset ulla bonorum divisio; eoquod in rerum omnium affluentia, & dominio passionum, non erant timenda illa incommoda, quæ modo oriuntur, si omnia adhuc communia forent. Neque etiam hæc divisio facta est tantum jure positivo qualicumque; sed tali jure positivo, ad quod statuum impellebant rationes tam graves, tamque universales, ut omnibus gentibus afferrent moralem necessitatem, ita statuendi, seu faciendi dictam rerum divisionem: hæc autem est jus gentium, ut dictum n. 3. ergo hæc divisio rerum facta est jure gentium.

256. Rationes autem, suadentes hanc divisionem faciendam, erant. 1. Si omnia essent communia, facile omnia negligenter: cessaret magna ex parte diligentia in excolendis agris, & arboribus, atque in procurandis vitæ humanæ necessariis; quia labor fuisset specialis, usus communis; paucienim voluissent laborare, si non alium laboris fructum retulissent, nisi communem etiam non laborantibus rerum usum. 2. Timenda essent jurgia, & dissensiones frequentes, circa primam rerum occupationem; itémque potentiores impotentioribus omnia facile eriperent &c. quæ rationes omnibus gentibus fuere communes, & supposita tanta multitudinem hominum, eorumque imperfecto, & sæpe à via virtutis deficiente modo vivendi, moralem necessitatem hujus divisionis afferrebant.

Jam verò ad evitandas lites non conveniebat, istam divisionem fieri sine consensu hominum, quibus debebant bona dividi, & ab iis ad posteros transmitti: nam, ut cuique facile patet, sine hoc consensu erat promissimum, oriri jurgia, & dissensiones: adeoque debuit iste consensus adesse: hic autem consensus est reipà statutum à gentibus

communiter factum, & quidem ob rationes, ut vidimus, omnibus communes, ac moralem necessitatem afferentes: adeoque reipà est jus gentium, ut patet ex n. 3.

ARTICULUS II.

Solvuntur Objectiones.

257. **O**B. 1. ex C. Dilectissimis. 12. q. 1. ubi Clemens I. dicit: *Communis enim usus omnium, quæ sunt in hoc mundo, omnibus esse hominibus debuit: sed per iniquitatem alius hoc suum esse dixit, & alius illud, & sic inter mortales facta divisio est:* ergo hæc divisio non est justa, consequenter nec jure gentium facta. Resp. neg. conf. Verba ista non significant, ipsam divisionem rerum esse iniquam, sed tantum iniquitatem dedisse occasionem divisioni justæ: sicut solet dici: *Mali mores faciunt bonas leges.* Nempe, cum, stante communitate bonorum, aliqui iniquè aliqua sibi appropriarent, & plures sic rixæ orirentur, facta tandem est divisio, ut illæ tollerentur.

Ob. 2. Quæ habent communem dominium, non possunt dividi inter plures: sed omnia bona mundi habent communem dominium, scilicet DEUM: ergo. Confir. DEUS dedit cuique homini potestatem in omnia: ergo non potest ei tolli, ant. prob. variis locis Scripturæ: sic de omni homine dictum est: *Præsit piscibus maris, & volatilibus cæli, & bestis, universaque terra. Gen. 1. v. 26.* & omnibus dictum est: *Omnia vestra sunt. 1 Cor. 2. v. 22.* itém *Omnia subjecisti sub pedibus ejus. Psal. 8. v. 8.* Resp. dist. ma. Quæ habent communem dominium, non possunt dividi, domino resistente. conc. ma. eo permittente divisionem. neg. ma. & dist. sic mi. neg. conf. DEUS autem non prohibuit, fieri distributionem rerum, maxime postquam gentes in eam consenserunt. Ad confir. dist. ant. DEUS dedit cuique potestatem in omnia, ante factam divisionem. om. ant. post illam. subdist. cum distributione accommodata, hoc est, cuique in suam partem. conc. ant. cuique in totum. neg. ant. & conf.

258. Ob. 3. Illud est juris naturæ, quod ratio naturalis dicit esse necessarium: sed ratio naturalis dicit, necessariam esse divisionem bonorum: ergo. Resp. neg. ma. vel dist. ma. si etiam ipsa ratio, vel dictamen naturale, illud instituat. conc. ma. si tantum exigit instituendum per aliud jus. neg. ma. & dist. sic mi. neg. conf. sic etiam ratio naturalis dicit, peccata esse punienda: non tamen est juris naturæ, ut fur suspendatur, sed juris civilis; quia ratio naturalis tantum exigit, ut pœna à jure civili statuatur.

Si dicas, jus naturale non exigere hanc pœnam determinatè: etiam repono, jus naturale non exigere determinatè hanc divisionem, sed tantum aliquod medium evitandi rixas, & excitandi homines ad dilig-

gentiam, in procurandis vitæ humanæ necessariis &c. Videtur certè per se clarum, antè conventionem hominum, ex solo rationis dictamine non fuisse hunc agrum potius Petri, quam Pauli. Unde, sicut jus naturale tantum exigit pœnam indeterminatè, ita etiam exigit divisionem rerum indeterminatè, & ipsum nec pœnam, nec divisionem statuit: sed tantum exigit, ut statuatur; quare, sicut pœna suspendii est juris civilis, à quo est statuta: ita divisio rerum ex eadem ratione, est juris gentium, à quo etiam est statuta. Sic etiam cultus DEI per sacrificium Missæ non est juris naturalis, etiam jus naturale exigit, DEUM coli.

259. Ob. 4. §. Ferr. 12. *Instit. de rerum divisione.* dicitur: *Quod enim antè nullius est, id naturali ratione occupanti conceditur:* sed omnes res ante divisionem fuere nullius particularis: ergo naturali jure istis appropriantur. Resp. ibi sumi pro eodem jus naturale, & jus gentium; nam eodem §. dicitur eadem jure gentium esse capientis: & præcedente §. 11. *Singularum.* expressè dicitur, jus naturale dici jus gentium; unde Juristæ non videntur, inter hæc duo facere discrimen, quod Theologi faciunt.

Econtra S. Augustinus tract. 6. in *Joan. sub finem* videtur, jus gentium confundere cum imperatorio, quod alias civile dicitur; nam ad jus Divinum, & ad humanum, seu imperatorium omnia reducit. Potest tamen fortè ad hoc responderi, S. Augustinum loqui de divisione, vel jure, non universali, sed particulari horum, vel illorum bonorum; nam loquitur de quibusdam villis, quas possederant Donatistæ, & iis ereptæ erant: divisio autem particularis, quæ sæpe fit, utique sæpe provenit, & etiam in casu S. Augustini provenit, ex jure civili. Tandem, quando dicitur, furtum esse contra jus naturæ, adeoque rem ablatam debere fuisse propriam jure naturæ, negatur sequela illata; nam jus naturæ quidem dicitur, non esse rem auferendam domino: at non constituit dominum: sicut idem jus etiam dicitur, esse parendum domino, non tamen propterea unus homo est jure naturæ dominus alterius.

DISPUTATIO III.

De Modis acquirendi Dominium.

260. **D**icitur *Modus acquirendi Dominium* quilibet titulus, seu causa, ex se idonea, ad dominium conferendum. Dantur autem tales modi duplicis generis; sunt enim aliqui fundati in jure naturali, vel gentium (quod sæpe à Jurisconsultis pro eodem sumitur, ut notavimus num. præc.) & dicuntur *modi naturales:* suntque ex communi isti, *Occupatio, Nativitas, Alluvio, Specificatio, Confusio, Permixtio, Accessio, Edificatio, Plantatio, Fructuum perceptio, Traditio:* de quibus agitur titulo 1. l. 2. *Institutionum.* Alii modi sunt introducti

jure civili, & vocantur *modi civiles:* suntque *Præscriptio, seu Usucapio, Donatio, Hereditas, Legatum, Fideicommissum, Bonorum possessio, Acquisitio per arrogationem, & Contractus.*

QUÆSTIO I.

De Modis acquirendi Dominium Naturalibus.

ARTICULUS I.

Explicantur Modi Naturales.

261. **P**rimus modus naturalis, seu *Occupatio* est *apprehensio rei cum animo habendi eam ut suam:* estque potissimum rerum, quæ nullius sunt, eiusque species sunt, *venatio, & inventio:* de quibus plura inferius. Dicitur tamen etiam occupatio eorum, quæ alicuius sunt: & hæc potest fieri, vel invito domino, quod spectat occupatio bellica, rapina, furtum: vel eo volente, quod spectat varii modi, quo quis volente altero dominium acquirit, sive per contractus, sive per alios titulos: sed de hoc plura inferius, specialibus articulis, quando de eius speciebus, scilicet venatione, & inventione.

Nativitas dat dominium eorum, quæ nascuntur ex nostris animalibus, vel ancillis: nec refert, an concepta sint ex animali nostro, an ex alieno; nam *partus sequitur ventrem.* Discrimen tamen est inter partum animalis irrationalis, & partum ancillæ; nam prior spectat ad usufructuarium; quia censetur usufructus: secundus spectat ad dominum directum; quia non numeratur inter usufructum, ut habetur l. *Vetus. 88. ff. de usufructu ad crescendo:* & §. *In pecudum fructu. 37. Inst. de rerum divisione.*

262. *Alluvio* vocatur *incrementum latens:* quando scilicet à fluvio alicui fundo nova gleba ita paulatim adjicitur, ut intelligi non possit, quantum quoquo temporis momento adjiciatur. ut habetur §. *Præterea. 20. Instit. de rerum divisio.* Hoc additamentum statim acquiritur domino fundi, ut habetur *ibidem.* Unde, si vi, & violentiâ fluminis, subitò uno quasi impetu, pars fundi alterius avulsâ jungatur meo, non est alluvio, nec mihi acquiritur illa pars, donec post longius tempus fundo meo stabiliter adhæreat, & arbores allatæ in meo fundo radices fixerint; ex eo enim tempore mihi acquiritur, ut habetur §. *Sequenti 21.* Cum autem id, quod per alluvionem est adjectum, sit accessorium mei fundi principalis, hinc non est opus nova ejus apprehensione. Sed neque propterea potest augeri canon, aut alia onera ad emphyteuta præstanda; nam manet eadem emphyteusis, idem usus fructus, idem dominium.

263. *Insula* recens nata, ad quem spectent, declarat *ibidem* §. 22. ubi sic habetur: *Insula, quæ in mari nata est (quod raro accidit) occupantis fit; nullius enim esse*

rei suæ, vel alienæ, frugiferæ, vel lucrativæ, emolumenta percipit: an autem, & quomodo, vel quousque, talis dominus fiat, commodius dicemus infra, ubi de restitutione.

270. Tandem *Traditio est rei, vel juris, vel possessionis, de persona ad personam translatio.* Hæc non requiritur ad quodcumque jus; nam ad jus hypothecæ, non est necessaria, nec etiam tantum ad jus ad rem, imò neque ad jus in re in bonis, quæ nullum habent dominum; nam harum dominium sola apprehensione, aut occupatione acquiritur: requiritur tamen traditio ordinariè ad transferendum dominium rerum ab uno in alterum. ita habetur *L. Traditionibus. 20. Cod. de pactis.* ubi dicitur: *Traditionibus, & usucapionibus, dominia rerum, non nudis pactis transferuntur:* quod non ita intelligendum est, quasi sola traditio jam transferat dominium, sed, si *venditio, aut aliqua iusta causa præcesserit*, ut habetur *L. Nunquam. 31. ff. de acquirendo rerum dominio.* Necessitas autem traditionis non est de jure naturæ, ut est per se clarum: sed est jure positivo statuta; tum quia congruit tradi res; tum quia, sic certius evitatur incertitudo dominiorum. Quomodo autem traditio fiat, moraliter, an physicè, dicemus agendo de possessione.

271. Dicitur est autem, traditionem requiri ordinariè ad transferendum dominium ab uno in alterum; nam sunt casus quidam excepti, in quibus transfertur dominium ante traditionem. Primò. Si quid venditur, donatum, legatum &c. fuerit civitatibus, vel Ecclesiis, aut locis piis, vel pro redemptione captivorum, non est opus traditione, ut habetur *L. Ut inter Divinum. Cod. de sacrosanctis Ecclesiis.* ubi, ubi bene notat glossa, non tantum conceduntur his locis *personales actiones*, sed *in rem*, seu immediate *vindicationes*, quæ supponunt jus in re, & actuale dominium. Secundo. Beneficii Ecclesiastici quasi dominium acquiritur sola collatione, & acceptatione, ante ejus traditionem, vel apprehensionem, ex *C. Sit tibi absenti. de præbendis, & dignitatibus. in 6.* ubi glossa id fusè explicat, & probat: sumiturque clarè ex eo, quod non possit, id beneficium alteri validè conferri. Tertio. Sola aditione hæreditatis (hoc est, ut explicatur *§. ult. Instit. de hæredum qualitate*, ejus acceptatione, seu professione, quod quis velit esse hæres per verbum, vel factum) acquiritur jus in re, seu in bonis hæreditariis. *L. Cum hæredes. 23. ff. de acquirend. vel amittend. possessione.*

Quartò. Legatarius rei determinatæ in individuo, statim hujus acquirit dominium, quamprimum hæres hæreditatem adit. *L. A Titio. 64. ff. de furtis.* ubi dicitur: *Qua legantur, rectè viâ, hoc est immediate, ab eo, qui legavit, ad eum, cui legata sunt, transferunt.* Quodsi legatum fuit aliquod indeterminatum in specie, e. g. centum floreni, vel decem sacci frumenti, tunc le-

gatario conceditur actio hypothecaria, ob reale obligationem, quam habet in bonis defuncti, ut ex iis legatum sibi solvatur, ad quemcumque possessorem ea bona deveniant. *L. 1. Cod. communia de legatis.* Quintò. Si alicui donatio facta sit sub modo, vel conditione, ut donatori alimenta præstet, illo ista non præbente, statim reddit dominium rei donatæ ad donatorem. *L. 1. Cod. de donationibus, quæ sub modo.* Sextò. Lessius *l. 2. c. 3. dub. 3. n. 16. Layman. l. 3. sec. 5. tr. 1. c. 5. n. 8.* Covarruvias *l. 2. var. resol. c. 19. n. 3.* ajunt; principem, si absque traditione velit transferre dominium, id posse; quia potest idem, quod potest lex. Hoc autem velle cum facere putat Covarruvias, si donando velit uti suis privilegiis: quod ex verbis donationis videtur desumendum. Si autem nihil exprimat, videtur potius se accommodare legibus communibus.

Septimò. Lessius *l. 2. c. 3. dub. 3. n. 16. & Covarruvias l. 3. var. resol. c. 19. n. 1. & 2.* & Gormaz *de justis. n. 256.* asserunt, in contractu societatis omnium bonorum per matrimonium, bona statim fieri communia, ante traditionem. Advertit tamen Layman *loco citato*, in dictis casibus acquiri quidem dominium in re, seu proprietatis, ante traditionem, vel apprehensionem, non autem acquiri possessionem; nam *L. Cum hæredes. 23. ff. de acquirend. vel amittend. possessione.* ita habetur: *Cum hæredes instituti sumus, ad ita hæreditate omnia quidem jura ad nos transeunt: possessio tamen, nisi naturaliter comprehensa, ad nos non pertinet.* & *L. Naturaliter. 12. eod. tit.* dicitur: *Nihil commune habet proprietatis cum possessione.*

ARTICULUS II.

Quid sit Venatio, & quod ejus Ob- jectum.

272. **V**enatio est occupatio, quæ feræ, in naturali sua libertate constituta, occupantur, vel apprehenduntur, cum animo eas habendi. Hæc videtur stricta acceptio hujus vocis: usurpatur tamen etiam frequenter pro jure venandi: item pro actu persequendi feras, etsi nondum capiantur: sed nos præcipuè loquimur in primo sensu: in quo si venatio sumitur, ejus objectum sunt feræ, quæ quia differunt, etiam ratione earum venatio distinguitur, vel dividitur in venationem specialiter talem, seu occupationem quadrupedum, & in piscationem, seu capturam piscium, & in aucupium, seu apprehensionem avium.

Dicuntur autem animalia existere in naturali libertate, quando in infinitum vagari possunt; aut, si hoc nequeant, saltem non inclusa sunt, nisi in loco tantæ vastitatis, ut ad libitum capi, vel apprehendere queant, five dein sint feræ immixtæ sylvis vastis incinctis, five pisces in stagna grandia,

Quid sit venatio, & quod ejus objectum.

dia, vel lacus injecti. *L. Possideri. 3. ff. de acquirend. vel amittend. possess. §. 14. Item feras.* Quodsi autem feræ vivariis, vel piscibus piscinis contineantur, libertatem naturalem amiserunt; quia ad libitum capi possunt. *L. eadem.*

273. Feræ autem imprimis sunt omnes pisces, imò isti vix unquam mansuefiunt: dein quadrupedes, ac aves plurimæ, quæ scilicet naturæ non sunt mansuetæ, ut ursi, leones, cervi, lupi, lepores &c. habentque à natura, vel indole, infinitam vim vagandi. *Animalia mansueta* autem sunt, quæ ex sua indole gaudent consortio humano, & domestica sunt, ut equi, boves, oves, porci, canes, feles, gallinæ, anseres, & anates domestica &c. *Animalia mansueta* autem sunt ea, quæ naturæ quidem sunt fera, at industria hominum ita cicurata sunt, ut consuetudinem habeant cundi, & redeundi domum. Jam mansueta, quocumque deveniant, manent domini. *§. 16. Instit. de rerum divisione;* unde, si quis ovem tuam è lupi faucibus rapuerit, non sibi, sed tibi eam servat. *L. 44. ff. de acquirend. rerum dominio,* quanquam pretium operæ possit petere.

274. Feræ autem, quamdiu sunt in naturali libertate, sunt nullius, sed jure naturali permisso, sunt primò occupantis. Si autem sint captæ, tamdiu sunt capientis, donec iterum libertatem naturalem recuperent: quam si recuperarunt, desinunt esse capientis, aut sub ejus dominio. *§. 12. Instit. de rer. divis.* hocque est singulare in feris; nam alia res non statim perduntur quoad dominium, perdita possessione. Ratio autem hujus est; quia feræ, sicut vi capi, ita & vi debent retineri. Tunc autem censentur naturalem libertatem recuperasse, quando vel oculos nostros effugerunt, vel etiam intra conspectum sunt, tamen difficilis est earum persecutio, ut, si avis, aut lepus avolarit in saltum. Tamdiu autem feræ non censentur libertatem suam recuperasse, quamdiu cum spe probabili eas dominus insequitur. *§. 14. Instit. de rer. divis. & L. 5. ff. de acquirendo rerum dominio.*

Mansueta autem, vel cicurata animalia, eousque sunt nostra, quamdiu habent animum, vel consuetudinem reverendi: quam si amiserint, nostra esse desinunt, & rursus primò occupantis fiunt. *§. 15. Instit. de rer. divis. & 1. 5. ff. de acquirend. rerum dominio. §. 4.* Consuetudinem autem redeundi non statim censentur amisisse, si una, aut altera vice emanerint: sed, si tam sæpe emanerint, ut prudenter ex circumstantiis colligatur, ea non solere amplius redire. Notat autem Lugo, & bene, in quibusdam sufficere minus, in aliis requiri plus. Sic avis, è cavea elapsa in autas liberas, statim censetur naturalem libertatem recuperasse: non ita cervus cicur, etsi una vice, vel altera emanat: nec accipiter, etsi liber avolet.

Debent insuper sponte animalia emanere; si enim ab alio per insidias, vel frau-

dem, præsertim directè, averterentur, talis captorum nomine furti teneretur. *L. 8. §. 1. ff. familia erciscunde.* Debent etiam animalia illa oculos nostros effugisse, vel, si in conspectu adhuc sint, debet difficilis esse eorum persecutio (cujus determinatio, sicut etiam circa feras, relinquatur arbitrio viri prudentis) sic enim *§. 14. Instit. de rerum divisione*, clarè statuitur de apibus, quæ natura feræ censentur, sed usu, & consuetudine mansuetæ sunt.

275. Questio est de quibusdam animalibus, an feris, an mansuetis sint accensenda, & de his multa statuit jus civile *Instit. de rerum divis. & acquir. ipsarum dominio:* atque imprimis ibi dicitur, apes esse accensendas feris; liberè enim feruntur, & vagantur: quandoque alveare turba tota delerit, & alias fedes quarit; unde *ibidem §. 14.* dicitur, quòd, etsi tua in arbore apes favum struant, si alius, antequam eas includas, aut occupatione tuas efficias, favum auferat, absque furto id faciat; quia tamen, quæ in alvearibus habitant, mansuetæ censentur, tamdiu tuæ sunt, quamdiu in iis manent, sicut scilicet alia animalia mansuetæ, de quibus *num. præced.*

Ulterius *§. 15.* dicitur, pavones, & columbas quoque naturæ feras esse: sed rectè advertunt auctores, magis ad naturam animalium mansuetorum accedere: posse etiam regionum, & locorum conditionem hac in re aliquid mutare; unde communis persuasio est consulenda. Sanè Lugo *de just. disp. 6. sec. 5. n. 40.* asserit, in occidentali India equos ex Europa asportatos reddi feros in sylvis, & venatione postea capi, ac cicurari: nec tamen propterea etiam apud nos equi feri censendi sunt.

Interim tamen quoad columbas ferme idem observatur, quod circa alia animalia naturæ fera, sed mansuetæ: ut scilicet, si in desuetudinem redeundi venerint, sint primò occupantis. Unde, si columbæ relicto alio columbario tuum stabiliter inhabitare incipiant, fiunt tuæ. Non autem licet, eas extraordinariis illecebris attrahere; hæc enim esset fraus, & directæ aversio, de qua *n. 274.* nisi alicubi consuetudo, & mutus consensus, id excuset. Si autem tantum tuas columbas melius pascis, absque intentione fraudulenta attrahendi alias, & istæ sponte veniant, ac maneat, tuæ fiunt. Quæ ratio autem liceat, alienas capere, desumendum est ex consuetudine locorum: certè per se tam parum licet, columbas, tuum columbarium accidentaliter ingressas, capere, quam parum licet, capere cervum cicurem, tuam domum casualiter ingressum. Alii hæc quarunt, an licita sint columbaria: sed ex consuetudine ferme ubique tolerantur; nec damnum agris inde metuitur; tum, quia experientia constat, agros non ideo minus frugum ferre; tum, quia non ut gallinæ latentia semina effodiunt, sed tantum foris prostantia comedunt. Hæc de objecto venationis, jam de ipsa venatione.

ARTICULUS III.

An, & quomodo Venatio sit prohibita.

276. **D**ico 1. Etsi venatio jure naturali cuique homini permiffa fit, tamen potuerunt eam respublica, vel principes, ex iustis causis sibi vindicare, exclusis subditis, etiam in prædiis, vel sylvis ipsorum subditorum propriis. ita communissima. Prob. Licet jus naturæ late sumptum, vel etiam jus Divinum, maxime *Gen. 1 & 9.* jus civile quoque §. 12. *Instit. de rerum divisione.* dicat, cuilibet licere venari, tamen non præcipit venari: nec etiam prohibet, ne alii sibi solis venationem iustis de causis vendicent: ergo, si principes habuerunt iustas causas, potuerunt alios excludere à jure venandi, & venationem sibi solis vendicare.

Prob. ant. Multa sunt permiffa, præcisè attentendo jus naturale, Divinum, aut etiam civile, vel canonicum, universaliter sumptum: rectè tamen prohibentur specialibus statutis ob causas graves: sic jure naturæ licet comedere carnes diebus veneris, non tamen jure canonico: sic e. g. licet laborare extra dioccesim Eystertensem festo S. Willibaldi, non verò in ista. verbo: sicut multæ aliæ leges municipales restringunt licentiam, quam quis aliàs haberet, spectando tantum jus naturale, vel civile universale, ita etiam possunt specialia statuta principum, ex iustis causis restringere licentiam, vel facultatem venandi.

277. Justæ autem tales causæ potuerunt esse variæ. 1. Publica tranquillitas, ne venationis prætextu, periculosus armorum usus, latrocinia, aut rebellionis initia, introducantur. 2. Publica utilitas, ne subditi à magis utilibus, negotiationibus, commerciis, laboribus, agriculturâ, abstrahantur: ne intemptiva venatione, inflicitatè tempore generationis animalium, impediatur multiplicatio ferarum: item ne multiplicatis venatoribus feræ omnes sternantur, aut fugentur, cum detrimento communi, & necessitate aliunde majori pretio ferinam invenendi. 3. Sustainentio principis, si scilicet ad convenientem ejus, & aulæ suæ sustainentionem, ipsi soli sit attributum jus venandi: ad quam sustainentionem reducitur etiam convenientis recreatio. 4. Jus belli, si scilicet provinciæ armis fuere subjectæ, & jure venandi spoliata. 5. Consensus populi, vel expressus, vel tacitus, & præscriptione, vel conventionione confirmatus.

Layman l. 3. sec. 5. tr. 1. c. 5. n. 16. §. *Dubitabis primò*, ait, valde credibile esse, quòd jus venandi altum, seu majores feras capiendi, in terris imperii, imperatori, aliisque magnatibus, quibus ipse concefferit, à prima origine imperii, pleno jure competat;

eoquòd nulla sit memoria, aut indicium alicujus legis primitus latæ, & prohibentis subditis venationem: sed à tempore immemoriali hoc jus inter specialia principum, vel magnatum, aut dominorum territorii, privilegia numeretur. Certè negari non potest, venationem ubique ferme, sive altam, sive etiam bassam, à populo, & plebe, ad alios translata, saltem per præscriptionem longissimi temporis: circa quòd jus tamen cujusvis regionis consuetudo servanda est.

278. Non tamen ij, qui jus habent venandi, possunt prohibere subditis, ne arceant, vel abigant feras à fatis, aut fructibus, vel etiam pratis gramineis; quia sanè foret immodicum damnum, si hæc pati deberent. Neque etiam, ut rectè advertunt quoque Juristæ, ad jus altum, vi cuius princeps potest aliquando, scilicet in necessitate, transferre bona subditorum, spectat, ut tanta damna ferant subditi; cum planè nulla boni publici necessitas id exigat. Multò magis subditi tutandi sunt, ne damna aburfsis, & lupis, patiantur in gregibus suis: sique, statuatur (ut potest statui) ne unus rusticus solus contra feras has egrediatur, sed, ut omnes collectim, non debet differri talis egressus simultaneus, vel simultanea ferarum persecutio, cum injusta subditorum vexatione. Et quamvis Layman *loc. cit.* dicat, principes non teneri semper refarcire damna quacunque ex multiplicatione ferarum nata; quia putat etiam cum hæc conditione, seu privilegio, venationem ab origine imperii eis esse reservatam: tamen excipit damna immodica, qualia ait esse, si consideratis omnibus circumstantiis, & habita boni publici ratione, non tanti æstimanda sit recreatio principis, ex ferarum multiplicatione resultans, ut propterea damna subditorum toleranda videantur, quæ ipsis inferuntur, seu quòd feræ arva depascantur, seu quòd pretio custodes alere debeant.

279. Dico 2. Venatio specialiter prohibita est Clericis, & multò magis Religiosis. ita de Clericis habetur. *disp. 34. per tria capita*, ex quibus duo repetuntur in *Decretalibus de clerico venatore*. Venatio autem hæc intelligitur facta cum canibus, & falconibus, ac tumultu venatorio: non verò, si modica sit, absque tumultu, & rariore, quam, ut à rebus Divinis, & sacris functionibus abstrahat. Imò Lugo *disp. 6. sess. 6. n. 1.* putat, has leges vel esse abrogatas, vel saltem eis derogatum: quòd etiam sentit Ininger *de dominio. disp. 3. q. 1. n. 4.* Interim tamen negari non potest, Tridentinum *sess. 24. c. 12. prope finem* dicere, Clericis abstinendum ab illicitis venationibus, aucupiiis, choreis, tabernis, lusibusque.

Religiosis magis adhuc prohibetur venatio *Clementin. 1. de statu Monachorum §. Porro.* sed ibi etiam, ut ait Lugo *loc. cit.* intelligitur venatio cum strepitu, & per ipsosmet Religiosos exercita: non verò, si tan-

tantum feret ab aliis, in eorum præsentia, ad recreationem. Equidem canon expressè vetat, ne *venationi præsentiam exhibeant corporalem*: sed, vel ille canon loquitur tantum de venatione strepitosa cum canibus, quorum mentionem facit: vel per præsentiam corporalem non intelligit solam assistentiam, sed etiam coopérationem: vel per defuetudinem est ei derogatum.

280. Dico 3. Venator feram capiens, etiam in loco prohibito, fit dominus feræ. ita communissima ex *L. 3. ff. de adquirendo rerum dominio.* & probatur. Fera in naturali adhuc libertate, quam explicavimus *n. 272.* constituta, nullius est, ut dicitur §. 12. *Instit. de rerum divisione*: atqui prohibitio non tollit ipsi naturalem libertatem; neque enim prohibitio capit feram: ergo etiam fera existens in loco, v. g. sylva, ubi venatio prohibita est, nullius est: sed, quòd nullius est, naturali ratione est primò occupantis, ut *ibidem* dicitur: ergo. Nec videtur hic faciendum discrimen, sive te prohibeat privatus (quòd potest saltem in fundo clauso, per quem non datur omnibus transitus, ex *L. 3. ff. de adquir. rer. dom.*) sive princeps; quanquam enim non negem, quòd ajunt Lugo *de just. disp. 6. sec. 7. n. 65.* & alii, scilicet, posse principes ex iustis causis ita prohibere venationem, ut etiam faciat venatorem incapacem dominii in feram captam, defacto tamen principes id non fecerunt.

281. Dico 4. Venator talis, quamvis peccet contra jus alterius, non tenetur per se, ante sententiam restituere feram ei, qui habet jus venandi: nec pretium æquivalens feræ. ita communis Theologorum. Probatur. Talis venator non accepit rem alienam; cum fera in nullius dominio fuerit: sed tanquam primò occupans eam accepit, & fecit suam: & licet hæc acceptio fuerit injuriosa, non tamen fuit contra jus proprietatis, seu contra justitiam commutativam, obligantem ad restitutionem feræ; nam in feram nemo prius habuit jus proprietatis: sed, si fuit hæc acceptio contra justitiam commutativam, carenus fuit, quatenus læsit jus venandi, hoc est, ablata ferâ fecit illud jus minus æstimabile: ergo non tenetur aliquid reddere pro fera, sed ad summum tenetur, aliquam compensationem facere, pro læso jure venandi. Hinc, qui trajecit, e. g. cervum, non tenetur eum reddere, sed ad summum, tantum dare, quantum valet spes, quam concepit dominus foresti, eum cervum capiendi: vel quanti valet jus, eum cervum venandi, quòd utique minus valet, quam cervus; cum incertum fuerit, an capiendus esset.

Hæc tamen læsio potest esse major, vel minor, prout major spes fuit eam feram capiendi, vel etiam, prout plures, vel pauciores, illius speciei feræ sunt in sylva; si enim sint multæ, læsio est parva; nam propter captum unum, aut alterum, e. g. leporem, aut vulpem, modicum damnum inferitur juri venandi; nec enim ideo pauciores capit do-

minus foresti, nec jus venandi redditur notabiliter vilius, aut minus æstimabile. ita Molina *tom. 1. de just. tr. 2. disp. 51.* Ininger *de dominio. disp. 3. q. 1. n. 4. q. 4.* Tunc autem certò læsio juris hujus magna foret, si quis per venationem nimis frequentem, aut intemptivam, e. g. tempore, quo gravida sunt feræ, notabiliter eas minueret, aut fugaret; hoc enim damnum utique esset magnum.

282. Dixi 1. per se talem venatorem non teneri ad restituendam feram, hoc est, in conscientia ante sententiam; utique enim potest princeps in penam spoliare ferâ talem clancularium venatorem, & aliâ insuper penâ multare: non tamen mutilatione, aut morte, nisi alia circumstantia gravis contemptus legum, vel alterius gravis delicti accedat. Dixi 2. ad summum talem venatorem teneri, ad faciendam compensationem spei, & juris læsi; nam, si lex venationem prohibens sit tantum pœnalis, nullam tenetur restitutionem facere talis venator ante sententiam judicis: sed tantum, si deprehenditur, tenetur solvere multam; lex enim pœnalis illa est, quæ obligat quidem in conscientia, sed indeterminatè, vel ad omittendam, aut ponendam aliquam actionem: vel, si actio præcepta omittatur, aut prohibita ponatur, ad subeundam penam: ad quam justè imponendam non semper requiritur culpa Theologica, sed sufficit juridica.

An autem lex, venationem prohibens, sit tantum pœnalis, an non, si aliunde colligi non potest, poterit desumi ex communi persuasione, & praxi, quæ est optima legum interpres. Ex quo principio Ininger *de dominio. disp. 3. q. 1. n. 4. q. 3.* infert, hanc legem esse tantum pœnalem. Idem alius recentior testatur de Bavaria, & terris vicinis, scilicet in his hanc legem esse tantum pœnalem; aliàs Lugo *de just. disp. 6. sect. 7. n. 65.* ait, communem esse sententiam, injustum venatorem debere, non quidem restituere feram, sed tamen compensationem facere pro læso jure venandi. Addit *sec. 8. n. 84.* nisi ex magnificentia domini colligatur, ipsum non curare restitutionem damni, sed tantum statuere pœnas, ut feræ sint tutæ, quòd regulariter ait præsumendum esse de principibus, & magnatibus. Ergo judicò, cujusque regionis consuetudinem, & praxin consulendam esse.

283. Quòd dictum de venatione specialiter tali, & feris, idem dicendum est de piscatione, & piscibus: tantum quæstio adhuc esse potest, ubinam pisces habeant naturalem libertatem, ad quam respondeo, 1. Pisces habent naturalem libertatem in mari, & fluminibus, ubi possunt in infinitum vagari. 2. Habent eam etiam certò in lacubus majoribus, seu iis, quorum aqua emitti non potest; tunc enim possunt vagari fati ad hoc, ut non facillè captantur. Contra certò eam non habent in piscinis; quia ex his facillè extrahi possunt, sequentibus ut feræ in vivariis.

Dubium posset esse de stagnis, germanicè *Weyer* dictis. At, saltem si stagna non sint prorsus ingentia, & talia, ut aqua difficillimè possit emitti, & sic pisces difficillimè capi: sed sint stagna non adeò magna, ita, ut aqua sat brevi tempore possit emitti, consequenter pisces sat facillè capi, non videntur habere naturalem libertatem: & talia stagna moraliter non differunt à piscinis, vel etiam possunt dici piscinæ; nec enim piscina est tantum arca lignea, & clausa, pisces continens, sed omnis locus aqua plenus, in quo servantur pisces, ita, ut tanquam captivi possint sat facillè omnes moraliter extrahi: & sic videtur intelligenda. *L. 3. §. Item feras. 14. ff. de acquirenda, vel amittenda possessione.*

Addo, Carolum V. in *Constitutione Carolina Penali, edita. an. 1532. art. 169.* statuere, quòd, qui ex stagnis *Weyer*, aut piscinis *Behaltrussen*, pisces furatur *Striblet*, sit tanquam fur puniendus: at verò, qui pisces capit ex fluminibus alterius juris, sit arbitrio jurisconsultorum, & consideratis circumstantiis, in corpore, vel bonis fortunæ, puniendus: non tamen ait imperator, posterioriorem hunc puniendum esse tanquam furem.

284. Quæres, cujus sit fera, an ejus, qui eam laqueo cepit, an ejus, qui eam laqueo exemit? (& par est ratio, si pisces ingrediuntur corbes à te positas) Resp. cum *Lugone*, *Haunoldo tom. 1. de jur. & just. tr. 5. n. 67.* ac aliis, distinguendum esse: si fera est ita illaqueata, ut evadere nequeat, erit ejus, qui laqueum posuit; nam sufficenter eam apprehendit, quasi *longa manu*, & instrumento suo; aliàs neque sufficeret, si quis avem ex arbore sclopo dejecisset, nec foret ista hujus, sed alterius, eam citius apprehendentis, quod est absurdum. Ait tamen *Haunoldus tom. 1. de jur. & just. tr. 5. c. 1. n. 69.* si quis invito domino, in alieno fundo, vel sylva, laqueum posuisset, posse dominum, & feram, & laqueum, seu aliud instrumentum positum, auferre, sine onere restituendi, & hanc esse praxin certissimam.

Si autem fera potuisset se extricare, tunc necdum perdidit libertatem, adeoque est ejus, qui eam laqueo eximit; quia ponens laqueum eam nondum sufficenter cepit. Si dubium est, an fera se potuisset extricare, videtur ea dividenda inter eum, qui posuit laqueum, & qui feram ex eo exemit. Et hic videtur etiam esse sensus *Jurisconsulti Præculi. L. In laqueum. 55. ff. de acquirendo rerum dominio.* ubi, postquam varias circumstantias considerandas proposuisset, tandem ait, feram ejus fore, in cujus potestatem pervenerit, hoc est, qui eam primus, moraliter saltem, cepit.

285. Si fera ab uno est vulnerata, & quidem ita, ut non possit evadere potestatem vulnerantis, est hujus; nam sufficenter sclopo suo, vel hasta, eam apprehendit; si autem possit adhuc effugere, non est vulnerantis, sed alterius postea eam capientis;

quia, licet prior spem habeat feram capiendi, tamen potest adhuc eam multis de causis excidere: & sic intelligi debet. *§. Illud quæstum. 13. Instit. de rerum divisione.* nam, cum ibi assignetur ratio, quòd multa accidere possint, ne fera capiatur, videtur secundo esse tantum de hoc secundo, non verò de primo casu. ita *Lugo de just. disp. 6. sec. 8. n. 78.* & *Haunoldus tom. 1. de just. tract. 5. c. 1. n. 65. & 66.* Quousque autem languinantem feram persequi liceat, ex peculiariibus venatorum legibus est desumendum. *Haunoldus loc. cit.* ait, jure Bavarico licere, talem feram in planitie persequi duobus, in montibus etiam tribus diebus, per alienas etiam sylvas. *Clariff. D. Stapf* ait, licere eam persequi per 24. horas, & nonnunciam etiam diutius, uno cursu non intermisso, modò venator in loco, unde persequi incepit, pileum, vel aliud signum ponat: quamdiu autem quis feram vulneratam insequitur, eam alius capere non potest.

286. Quæres 2. ex occasione, quid dicendum sit de iis, qui in alienis sylvis ligna cædunt. Resp. Si sylva spectat ad aliquem privatum, furtum committunt, & ad restitutionem tenentur, saltem tantam, quanti æstimaretur lignum necdum cæsum. Aliquando, si damnum majus sit, quam utilitas lignorum cæsum, e. g. si arbores fructiferæ cæse sint, debet majorem restitutionem facere. Idem dicendum, si sylva spectet quidem ad communitatem, sed locata sit, sub onere certæ pensionis alicui privato; quia tunc communitas, & implicitè etiam particulares, censentur suum jus quasi vendidisse locatori, eique jus proprietatis, etiam contra se dedisse. Idem censendum, si quis in sylva, spectante ad communitatem remotam, cujus ipse non est pars, ligna cædat; nam ex nullo capite videtur excusandus à restitutione.

At verò, si quis cædat ligna in sylva communi, spectante ad suam communitatem, cujus scilicet ipse est pars, etiam ultra, quam sibi competeret, dummodo non damnum grave sylvæ inferat, vel impediat, ne alij debitam sibi portionem accipere possint, non tenetur ad restitutionem; quia communitas non censetur, cives suos ad eam obligare. ita *Molina tom. 1. de just. tr. 2. disp. 58.* & *Lugo de just. disp. 6. sect. 9. n. 86.* qui rationem dat, quòd, cum singuli habeant particulare jus, & etiam particularem potestatem obligandi, nolint se invicem ad restitutionem obligare; cum non tantum ab uno, sed à pluribus hæc lignatio prohibita fieri soleat.

287. Si quis cædat ligna in sylva communi vicinæ communitatis, sed contigua, *Lesfius. l. 2. c. 5. dub. 14. n. 55.* *Lugo de just. disp. 6. sec. 9. n. 91.* *Molina de just. tom. 1. tr. 2. disp. 58.* & alij censent, etiam tunc, seclusa gravi damnificatione, talem non teneri ad restitutionem; eoquòd communitates, cum sciant hæc mutuo à vicinarum communitatum membris fieri, non exigant restitutionem, sed tantum poenam, si depre-

hendantur; si tamen pars credens sit membrum communitatis, habentis etiam sylvam communem; aliàs, cum non possent à læsæ communitatis membris etiam ligna ex illius communitatis sylva cædi, cessaret ratio illius quasi implicitæ conventionis: quæ etiam est ratio, cur non idem dicendum sit de communitatibus remotis. Contrarium autem docet *La Croix l. 3. p. 2. n. 254.* ex eo, quòd non constet de hac mutua quasi conventionne: & quidem, si quis cædat ligna, non ad usus suos, sed, ut vendat, de quo etiam loquitur *La Croix*, utique magis videtur invita communitas. Rectè tamen ex communi addit hic author, attendendum esse ad consuetudines, ac leges, diversis provinciis, & locis proprias. Quod autem dicitur de lignatione, idem ferme dicendum de pascuis, seu quando quis in alieno pecora pascit. videatur *Lugo de just. disp. 6. n. 93.*

ARTICULUS IV.

Solvuntur Objectiones.

288. **O**B 1. contra 3. conclus. Proculus *Jurisconsultus L. In laqueum. 55. ff. de acquirendorum rerum dominio.* distinguit, utrum quis laqueum in alieno fundo posuerit, invito domino, vel permittente: ergo vult, non acquiri dominium feræ captæ in loco prohibito; nam sit invito domino. Confirmatur. Qui venatur in loco prohibito, facit injuriam domino fundi: ergo non sit dominus feræ, sed debet eam relinquere domino fundi. Resp. neg. consèq. Rectè advertit *Lugo de just. disp. 6. n. 78.* cum *Azorio*, *Proculum* ibi varias quæstiones excitare, sed non resolvere: postea autem universalem responsum subiungere, quam dedimus *n. 284.*

Ad confirm. neg. consèq. Ut rectè advertit *Lugo de just. disp. 6. sec. 6. n. 57.* non pro omni injuria, etiam gravi, debetur semper restitutio: sic e. g. pro commisso adulterio, præcisò omni alio damno, e. g. ob educationem prolis, non est obligatio restituendi, ut cum *Molina*, & communi, docet idem *Lugo de just. disp. 13. sect. 1. n. 6.* Sed tantum tunc debetur aliqua restitutio pro injuria, quando hæc est gravis, non tantum ex modo auferendi, sed ratione ipsius materiæ ablatæ, ut habet *Lugo cit. disp. 6. n. 57.* qualis non est ingressus in fundum alienum; nam feram in naturali libertate constitutam talis venator domino fundi non abstulit. Item injuria gravis obligat ad restitutionem, quando conjuncta est cum damno permanente, qualis est e. g. læsio famæ, vel furtum: atqui in casu nostro nullum domino fundi oritur damnum permanente: ergo. videatur *Lugo cit. disp. 13. n. 6.*

Verum permisso etiam, quòd pro aliquo ingressu in fundum alienum debeatur aliqua restitutio, non debetur pro ingressu fundi patentis, e. g. sylvæ, per quam omnibus licet transire. Quòd si etiam locus clau-

sus sit, tamen non debetur fera, sed duntaxat tantum, quanti interfuit domino, te non fuisse ingressum: hoc autem non est tantum, quantum fera, nisi forte in casu rarissimo, quo dominus præsens certò capturus fuisset feram, nisi tu per prohibitum ingressum eum prævenisses: quod ipsum tamen est dubium.

289. Ob. 2. Nemo debet ex suo delicto sentire commodum: ergo nemo debet ex prohibita venatione acquirere dominium feræ. Confir. 1. Nemo debet acquirere jus per ipsam violationem juris alieni: ergo nec venator per violatum jus alterius vendendi. Confir. 2. Ubi actus initium viciosum est, totus actus vitiatur: sed initium venationis in loco prohibito viciosum est: ergo totus actus vitiatur. Confir. 3. Ut ait *Haunoldus tom. 1. de just. tr. 5. c. 1. n. 69.* potest dominus fundi, prohibens venationem, eripere venatori alieno & feram, & laqueum, aut aliud instrumentum, saltem si non sit valde pretiosum: ergo præda non est capientis. Resp. Si universaliter antec. esset verum, infiniti contractus, qui fiunt cum aliquo peccato odii, vel alterius malæ intentionis, forent nulli, quod nemo somniat.

Unde dist. antec. nemo debet sentire commodum ex suo delicto formaliter accepto, seu ex iniquitate formaliter tali. conc. antec. ex realiter tali, hoc est, ex actione realiter mala. neg. antec. & consèq. Etiam meretrix juxta communem facit suum lucrum ex peccaminoso quæstu sui corporis. *L. Itaque. 12. ff. de furtis.* quæ huc adductæ solet, sic habetur: *Nemo de improbitate sua consequitur actionem:* ex quo tantum probatur, talem non audiri in judicio tanquam actorem: non autem, quòd non possit in foro conscientiæ acquirere dominium.

290. Ad primam confirm. iterum antec. non est universaliter verum; nam etiam adultera acquirit jus ad pretium, vel donationem, propter adulterium admissum, licet hoc sit contra jus mariti. Rursus ex matrimonio valido, quamvis illicito, e. g. quia prius sponsalia contracta fuere cum alia, acquiritur utique jus ad usum matrimonii: itémque ex venditione valida, & iniqua; unde *Regula 64. juris in 6. Quæ contra jus fiunt, debent utique pro infectis haberi:* intelligenda est de factis contra jus irritans; aliàs enim deberent fieri semper infinitæ exceptiones.

Quin imò illa regula, ut tradit *Suarez de legibus l. 5. c. 29. n. 5.* infruit potius judicem, quam hominem privatum, ut ille videat, juxta subiectam materiam, quo in gradu actus sit contra jus, & vel retractet, vel puniat; & hinc ad minimum hoc habetur, quòd ante sententiam judicis aliquæ actiones, etiam contra aliquid jus factæ, possint esse validæ. Ad 2. confir. dist. ma. ubi initium actus est viciosum, totus actus vitiatur ita, ut nec sit validus. neg. ma. ita, ut non sit licitus, om. ma. & om. ml. neg. conf.

conf. Ad 3. confir. conc. antec. ubi praxis hæc viget. neg. confeg. nam in pœnam ista statuta sunt: potest autem utique dominus feræ puniri, ablatione ipsius feræ, & aliâ adhuc multâ.

291. Ob. 3. Lex *Non dubium. 5. Cod. de legibus, & constitutione.* sic habet: *Non dubium est, in legem committere eum, qui verba legis amplexus, contra legis nititur voluntatem: nec pœnas insertas evitabit, qui se contra juris sententiam sevâ prerogativâ verborum fraudulenter excusat. Nullum enim pactum, nullam conventionem, nullum contractum, inter eos videri volumus subsécutum, qui contrahunt, lege contrahere prohibente. Quod ad omnes etiam legum interpretationes, tam veteres, quam novellas, trahi generaliter imperamus, ut legislatori, quod fieri non vult, tantum prohibuisse sufficiat, ceteraque quasi expressa ex legis liceat voluntate colligere, hoc est, ut ea, que lege fieri prohibentur, si fuerint facta, non solum inutilia, sed pro infectis etiam habeantur, licet legislator fieri prohibuerit tantum, nec specialiter dixerit, inutile esse debere, quod factum est.* Hæc lex itaque statuit, omnes actus, prohibitos à legislatore, eo ipso habendos esse pro inutilibus, & infectis, licet legislator eos tantum prohibuerit, nec specialiter dixerit, inutiles esse debere: ergo captura feræ, prohibita à principe legislatore, eo ipso est irrita: ergo non affert dominium contra prohibitionem venanti, consequenter iste non fit dominus feræ.

Sed adversariis, hanc legem adducentibus, merito opponitur *C. Ad Apostolicam. 16. de Regular.* ubi ita habetur: *Multi fieri prohibentur, que, si facta fuerint, obrinent roboris firmitatem.* Certè matrimonium clandestinum ante Tridentinum fuit semper prohibitum, ut patet ex *C. Aliter. C. Nullus fidelis.* & aliis capitibus 30. q. 5. item *C. Cum inhibito. 3. de clandestina desponsatione.* & tamen fuit validum, ut expressè docet Tridentinum *sess. 24. decreto de reform. matrim. c. 1.* de facto etiam adhuc validum est matrimonium post sponsalia cum alia contracta, quamvis sit illicitum: & eodem modo validum est matrimonium post votum simplex castitatis. Pariter valida est professio in religione laxiori, post votum simplex ingrediendi strictiorem, & in ea profitendi, ut habetur *C. Qui post votum, de Regularibus. in 6.* Rursus *L. Alcarum. 3. Cod. de aleatoribus.* prohibetur ille lusus, non tamen irritatur, & juxta communem Theologorum potest lucrum ex eo lusu retineri, quamvis per sententiam judicis possit revocari.

292. Resp. igitur 1. *Lex Non dubium.* non potest ita universaliter accipi: vel debent fieri limitationes infinitæ, quas vide apud Suarez *l. 5. de leg. c. 25. & seq.* certè etiam D. Gletle *de just. fundament. l. 1. tit. 2. c. 4. §. 2. n. 4.* quamvis hac in parte adversarius, tamen cum aliis dicit, eam legem irritare quidem acta contra prohibitionem legislatoris, sed in iis tantum casibus, in

quibus non aliunde colligitur contrarium; tale autem signum, ait idem D. Gletle, esse, si lex remedium suggerat, quo actus rescindatur; quia eo ipso videtur supponi actus prius fuisse validus, quamvis prohibitus: cur non autem dicamus eodem modo, non esse invalidam capturam feræ; cum jus toties dicat, feras esse in naturali libertate, & naturaliter esse primò occupantis, etiam in loco prohibito? Nec jus distinguit inter locum prohibito à principe, & prohibito ab alio: nec minus prohibitum est lege communi, seu principis, venari in alieno fundo privati, quam principis; nam utique principes, ad quietem publicam conservandam, debent prohibere, ne quis invitus in suo fundo molesteretur. Sed & lege Carolina supra citata *n. 283.* prohibitum est, piscari in fluminibus privatorum: anne etiam piscium ex iis captorum dominium non acquiritur?

293. Resp. 2. Layman *l. 1. tr. 4. c. 16. n. 6. legem Non dubium.* tantum irritare actus civiliter, non verò naturaliter: hoc est, relinquere ipsis vim, quam habent à jure naturali, vel quasi tali, aut gentium: non verò quam habent à jure civili; quia obtales actus prohibitos non tribuitur actio in foro civili: imò potest judex, per sententiam actum talem ita irritare, ut irritatio per fictionem juris retrotrahaerit ad tempus, quo actus primò factus est, & hic ex eo tempore jam censeatur fuisse irritus; unde quidem per sententiam judicis poterit venator talis spoliari ferâ: at ante eam fera est naturaliter occupantis. Huic consentaneum est, quod dicit Suarez *l. 5. de leg. c. 28. n. 10.* scilicet, esse nullum, seu irritum talem actum fictione juris, ita, ut talis actus statim, quando in iudicio trahitur, nullus habeatur; quam nullitatem, seu irritationem, ait Eximius, non opponi valori naturali: quem valorem tamen actus retinet, donec in iudicio trahatur. Et sic jura possunt conciliari.

294. Responderi potest. 3. cum eodem Suarez *l. 5. de legibus c. 28. n. 7.* hanc legem *Non dubium.* esse pœnalem, adeoque non obligare ante sententiam judicis. Ratio est; quia lex hæc dicit: *Nec pœnas insertas evitabit &c.* quæ verba, teste Eximio, posita sunt tanquam fundamentum cæterorum, adeoque hæc irritatio posita est in odium transgressionis legis, consequenter est pœnalis. Id quod Suarez ex aliis etiam verbis Constitutionis Theodosianæ, ex qua hæc lex desumpta est, probat; tum quia ibi dicuntur certa bona, circa quæ per tales actus contractum est, confiscari; tum quia dicitur, non teneri actione, hoc est, actionem negari. Ex eo autem, quod dicatur actus irritus, seu inutilis, non sequitur necessarîo, talem jam esse ante sententiam; nam in pœnis privativis, maxime, quando ista requirunt actionem ejus, qui puniatur, frequenter concurrere possunt, ut pœna sit ipso jure lata, non tamen quis teneatur ad ejus executionem ante sententiam judicis, saltem declaratoriam. Resp.

Resp. 4. cum Molina *tom. 1. de just. tr. 2. disp. 88.* attenda amplè dîne juris civilis, multiplicibusque ejus prohibitionibus, legem illam, si omnes actus ante sententiam esse in usu: sed communem usum totius orbis esse, non rescindere actiones, præcisè ratione legis prohibentis: quod, quamvis Suarez puret, Molina non potuisse constare, tamen ipsemet fateatur *l. 5. de legibus c. 28. n. 1.* facile illi legi derogari potuisse, ut pro aliquibus actibus gravioribus fuerit recepta, pro aliis autem ei fuerit derogatum. Certè per praxin universalem videtur ei derogatum esse in nostro casu, saltem in tantum, ut ante sententiam non spoliatur venator ferâ captâ. Aliam solutionem adhuc circa hanc legem dat Mendoza apud Eximium *de leg. l. 5. c. 27. n. 5.* quam tamen Suarez bene refellit, in forma, vel om. vel dist. ant. ex datis modò responcionibus, & neg. conf.

295. Dices: S. Gregorius Papa *C. Imperiali. 25. q. 2.* ait: *Imperiali constitutione aperte sancitum est, ut ea, que contra leges sunt, non solum inutilia, sed etiam pro infectis habenda sint:* ergo lex *Non dubium.* etiam est à Papa canonizata. Resp. cum Suarez *de leg. l. 5. c. 29. n. 4.* neg. confeg. Juxta sacros canones non esse idem prohibere, & irritare, colligitur apertè ex eo, quòd, ut dictum *n. 291.* multa prohibeantur per canones, quæ facta tenent. Nec dicendum est, *C. Ad Apostolicam. ibi citato.* tantum fieri aliquam exceptionem ob specialitates; nam verba ibi posita nil profus tale innuunt, nec ulla specialis ratio apparet; nam certè professio illa, ante annum probationis elapsam emissa, de qua ibi agitur, erat simpliciter prohibita, nec tunc temporis erat ulla illius exceptio: & tamen habitæ est valida. Rursus matrimonium clandestinum nunquam fuit irritum ante Tridentinum, ut expressè habetur *in decreto cit. n. 291.* debuisset autem fuisse irritum (saltem ante communem praxin, vel præscriptionem contra legem) si sententia opposita esset vera.

296. Accedit, quòd canones ordinariè addant clausulam irritantem, si intendant actus irritare: nec dici debet, aut potest, toties adhiberi cautelam superfluum. Et cur clausula irritans sit addita, per cautelam superfluum, cum tamen, ut D. Gletle ait, si remedium suggeratur, hoc non superflue addatur? cur enim non etiam eodem modo posset dici, illud quoque remedium esse cautelam superfluum, & tantum addi, ut judex declaret, actum nullum esse, & irritum? quod tamen D. Gletle non admittit. Plura vide apud Eximium *l. 5. de leg. c. 29.* in forma neg. confeg. cum eodem Eximio, ac Laymanno supra citato.

S. Gregorius nunquam acceptavit illam legem, ut in jure canonico haberet effectum: sed utitur illâ ad effectum alterius legis imperialis; nam *in illa epist. 7. l. 7. indist. 2.* (ex qua *C. Imperiali.* desumptum

est) agit S. Gregorius contra quoddam testamentum cujusdam Abbatis Sircæ, adducitque legem imperatoriam, prohibentem, ingressos monasterium testari: quæ lex imperatoria habetur *Cod. de sacros. Eccles. Novella. Ingressi.* & sic sonat: *Ingressi monasteria ipso ingressu se, suaque dedicant DEO: nec ergo de his testantur, utpote nec domini rerum.* & consequenter jubet S. Pontifex retractari illud testamentum: additque verba supra relata, tanquam vim habentia circa leges imperiales: non autem quasi vim haberent etiam circa leges canonicas. Ab aliquibus hic additur *Regula 64. juris in 6.* sed de ea jam dictum est *n. 290.*

297. Ob. 4. contra 4. conclus. Lex prohibens venationem est lex justa: ergo obligat in conscientia. Confir. Lex justa irrogans pœnam debet supponere culpam: ergo etiam lex prohibens venationem, quamvis dicatur pœnalis, obligat in conscientia, seu sub culpa. Respondent quidam 1. dist. ant. est lex justa, & strictè dicta. neg. ant. est tantum lex late dicta. om. antec. & neg. confeg. quia isti authores volunt, legem purè pœnalem, qualem censent esse eam, quæ prohibet venationes, esse tantum late dictam legem, non autem legem strictè dictam, seu præceptum rigorosum.

Resp. 2. authores, qui dicunt, hanc legem esse tantum pœnalem, dist. confeg. lex illa obligat in conscientia determinatè ad omissionem venationis. neg. conf. ad hanc, vel ad pœnam subeundam. conc. confeg. vide dicta *n. 282.* Resp. 3. om. totum. Esti ea lex obliget in conscientia, non tamen obligat ad restituendam feram: sed ad summum obligat ad compensandum damnum, juri vendendi illatum, vel ad subeundam pœnam, si venator deprehendatur. vide etiam dicta *n. 281.* Ad contr. dist. antec. lex justa debet supponere culpam semper Theologicam. neg. antec. Juridicam. conc. antec. & sub priori distinctione. conc. vel neg. confeg. Rursus talis lex potest supponere culpam Theologicam, sed contra virtutem obedientiæ, aut aliam: non verò necessarîo supponit Theologicam culpam contra justitiam commutativam.

298. Ob. 5. contra dicta *n. 283.* Pisces sunt fructus fluminum, & lacuum; nam in his nascuntur, & crescunt: atqui fructus rei sunt pars fundi, seu rei, ex qua nascuntur *L. 44. ff. de rei vindicatione.* ubi dicitur: *Fructus pendentes pars fundi videntur:* ergo est furtum, pisces capere: sicut e. g. est furtum, segetes metere. Confir. 1. *L. 9. §. Accipiorum. ff. de usufructu, & quemadmodum &c.* dicitur: *Accipiorum quoque, & venationum redditum, Cassius ait libro octavo juris civilis, ad fructuarium pertinere:* ergo & piscationum: ergo, qui piscatur, aut venatur, facit contra jus usufructuarij, & rapit rem, quæ ejus est. Confir. 2. Potissima utilitas, si non unica lacuum sunt pisces: sed hæc spectat ad dominum: ergo. Resp. dist. ma. pisces sunt fructus fluminum late dicti, quatenus fructus significant omne animalium

tum ex re perceptibile. conc. ma. sunt fructus strictè dicti, quatenus hi. significant rem ex fundo natam, sicut nascuntur fegetes. neg. ma. & dist. sic min. neg. conseq. non enim pisces nascuntur ex aqua, aut fundo stagnorum: sed tantum inde alimentum accipiunt; aliàs oves etiam nascerentur ex pratis: in sensu autem latiori *L. 62. ff. de usufructu.* videntur etiam feræ dici fructus saltuum, & montium.

299. Ad 1. confirm. Lex ait, reditum, hoc est, aves, feras, & pisces, jam à fructuario captos, spectare ad usufructuarium: non verò aves, aut feras, vel pisces, dum libertate naturali adhuc gaudent. Ad eundem usufructuarium videtur vi hujus legis etiam spectare jus impunè venandi, piscandi, & alios prohibendi. in forma. om. antec. dist. conseq. qui venatur, vel piscatur, facit contra jus, obligans ad restitutionem piscium, vel ferarum. neg. conseq. contra aliud jus, de quo *n. 287.* om. conseq. Ad 2. confir. om. ma. (potest enim magna utilitas haberi ex lacubus in adaquatione pratorum, vel pecorum) dist. mi. utilitas spectat ad dominum, quoad fructus strictè dictos. conc. mi. quoad fructus latè dictos. subdist. postquam pisces ab ipso capti sunt. conc. mi. antequam capiantur. neg. mi. & conseq.

300. Ob. 6. Qui rem quidem suam, sed ab alio possessam, possessori per vim eripit, amittit dominium rei *§. 1. Inst. de vi bonorum raptorum.* ergo etiam, qui in loco prohibito venatur, non acquirit dominium; quia facilius retinetur, quam acquiritur dominium. Confirm. Qui vitur jure suo, non potest puniri: ergo, si homo habet jus venandi, non potest puniri ob venationem: ergo lex prohibens supponit, vel facit, homines illos non habere jus: adeoque non est purè pœnalis. Resp. neg. conseq. Vi aliquid rapere improbum est, & pessimi exempli: non ita capere feram, in naturali adhuc libertate existentem. Ad confirm. neg. antec. saepe enim jus est ligatum vinculo etiam pœnæ. Sic prodigus potest etiam puniri, etsi suo jure utatur, vel potius abutatur; unde, etsi lex venandi ponatur purè pœnalis, (de quo constare debet ex communi persuasione, & consuetudine, ut dictum *n. 282.*) tamen potest clancularius venator justè puniri.

301. Ob. 7. contra dicta *n. 284.* & *285.* Ex ibi dictis sequitur, quòd, si quis feram, potentem adhuc fugere, insequatur, & ita eam in meum laqueum quasi impellat, fera fiat mea: hoc videtur durum: ergo. Confirm. 1. Si fera à me est lethaliter vulnerata, licet postea incidat in laqueum tuum, non est tua: ergo nec in priori casu est mea. Confirm. 2. Juxta ibi dicta, debet admitti, quòd, quando fera poterat se extricare ex laqueo tuo, licet nondum se extricasset, possim eam mihi accipere: sed hoc non potest admitti: ergo. prob. mi. aliàs, si avis è tua cavea possit exire, & jam caveam aliquo modo dissolvisset, ac successivè omnino ceterò dissolutura esset, possem eam mihi acci-

pere: hoc est falsum: ergo. Resp. Potest negari sequela majoris; non enim id sequitur necessariò ex dictis: si autem admittatur sequela, potest negari mi. quid autem ad hunc casum dicendum, vide apud Lugonem *de just. disp. 6. sec. 8. n. 79.* ubi Molina citatus ait, si fera non potuisset amplius alterum insequentem effugere, eam non spectare ad me, in cujus laqueum incidit, sed ad insequentem; eò quòd laqueus per accidens se habuerit.

Sed replicari potest. Insequens feram nondum cepit, nec ipsa libertatem naturalem jam perdidit: & hinc illa insecutio se videtur habere, sicut si quis prior videat bonum derelictum in via, quod non possit illum effugere; interim tamen alius, posterius id videns, prius tamen illum arripit: quo in casu fit iste præ altero dominus; unde Lugo *loc. cit.* fortè probabilius ait, feram fore meam; quia per laqueum ipsam cepi, & apprehendi. Hinc nec videtur amplius, ut vult Lessius, fera esse primò occupantis; cum apprehensa jam sit *longa*, ut ajunt, *manu.* Suppono autem, non ambos junctà operà, & quasi ex pacto implicito, habendi prædam communem, eam insequi. Quòd autem feram persequens spem habuerit illam capiendi, non refert; quia tunc tantum spes lucri compensanda est, quando injustè auferatur: at hoc non fit in nostro casu: sicut etiam, licet alius spem habuerit obtinendi beneficii, si ego majoribus patronis, etiam post illius spem, supervenio, & beneficium acquirò, nihil illi debeo. ita Lugo *loc. modo cit. num. 81.*

302. Ad 1. confirm. conc. antec. neg. conseq. Lethale vulnus censetur esse captio, & apprehensio *longa manu:* nec tunc fera potest pristinam libertatem retinere, aut recuperare, ètque jam captiva apud vulnerantem: at verò in casu priori possit fugere, imò confugere ad hominem, tanquam refugium, ut aliquando ad homines sanctos feræ fugerunt, e. g. cerva ad S. Egidium: habetque se, ut Lugo *n. 79.* ait, in tali casu fera, sicut si miles ab hoste fugiens, nec potens eum effugere, refugium quaerat apud alium, & fugiat ad amicum; tunc enim, ut ait hic auctor, ab hoc retineri, & defendi potest; & par est ratio, si fugiat ad alium, e. g. mitiorem hostem: & sic fera, fugiens hastam e. g. insequentis, confugit ad laqueum alterius.

Ad 2. confirm. neg. min. ad prob. neg. ma. Disparitas est; quia avis jam fuit capta, adeoque tua; & necdum libertatem naturalem, quam perdidit, recuperavit: at fera illa nondum erat plenè capta, seu nondum plenè libertatem naturalem perdidit. Aliud foret, si fera prius plenè capta, postea autem alicui alteri laqueo ita nexa fuisset, ut extricare se posset; tunc enim jam sufficienter fuisset apprehensa, & libertatem naturalem perdidisset, seque haberet, ut avis in cavea, nec ab alio accipi posset.

ARTICULUS V.

Quid sentiendum de Theauris inventis.

303. **D**efinitur thesaurus *L. 31. ff. de acquirendo rerum dominio. vetus quadam depositio pecunia, cujus non extat memoria, ut jam dominum non habeat.* Et quidem depositio pecunia hinc sumitur pro pecunia deposita: per pecuniam autem intelliguntur etiam alia mobilia, ut habetur *L. unica. Cod. de thesauris.* scilicet annuli, torques, crateres aurei &c. Dicitur autem *vetus*, hoc est, tanta vetustate, ut nulla extet memoria; unde inferunt, si ex forma, & inscriptione monetarum, colligeretur, eas nostris primùm temporibus esse casas, thesaurum non futurum: & sic ajunt, pronuntiassè scabinos Lipsienses de inventis taleris, primùm ante viginti annos casis. Et idem videtur dicendum, si ex addita syngrapha, quæ perpetuò loquitur, rescitur, cujus pecunia sit; etiam si enim ante centum, & plures annos sic deposita pecunia fuisset, thesaurus non foret.

Lugo autem *de just. disp. 6. sect. 11. n. 111.* contra Lessium rectè docet, quòd, etsi dominus ignoret, pecuniam depositam esse suam, modò alij sciant, eam ad ipsum spectare, thesaurus non fit; quia dominium per ignorantiam non auferitur, & cum à nullo alio possideatur, etiam non præscribitur. Sed nec per diuturnitatem temporis dominium perit, si perseveret potestas bona recuperandi, quæ in tali domino ignorante manet; quia potest ab aliis moneri. Rectè tamen addit, si tantum sciatur, quæ gens, aut familia, in ea domo e. g. habitaverit, non propterea sciri, à qua persona pecunia deposita fuerit, aut quis ejus hæres sit: vel an non ab alio, in fuga, vel bello, ibi deposita fuerit. Si tamen de domino verè constaret, non posset dici thesaurus; quia jura in definitione expressè ponunt, quòd dominus debeat ignorari. Ex quibus omnibus sequitur, non statim inventam pecuniam posse haberi pro thesauro: sed, nisi constet, definitionem thesauri quoad omnia è congruere, debere dominum ejus inquiri, aut agi de ea pecunia, sicut de aliis rebus inventis, de quibus inferiùs.

304. Jam circa thesaurum inventum varia statuit jus civile. Et in primis, qui thesaurum invenit in fundo proprio, totum acquirit sibi, *L. unica. Cod. de thesauris.* itémque *§. Thesauros. 39. Inst. de rerum divisione:* qui verò, in loco alieno, casu fortuito, thesaurum invenit, e. g. murarius aliquem murum subruens, vel puteum fodiens in alterius domo, is dimidium thesaurum sibi acquirit, & alterum domino fundi tradere debet, qui statim mediæ partis dominus fit, *L. unica. Cod. de thesaur. & §. 39. Inst. de rerum divis.* adeoque dominus fundi, ex legis dispositione, thesaurum per inventorem sufficienter apprehendit.

Quæ leges ante sententiam judicis in conscientia obligant; cum ex nullo capite possint dici pœnales: certè *§. 39. modo citato* dicitur: *Divus Hadrianus naturalem equitatem secutus . . . dimidium domino soli concessit.* & *L. unica. Cod. de thesauris.* dicitur: *Cum locorum domino partiatur.* Sanè eodem modo dici posset, etiam leges de præscriptione esse tantum pœnales, nec dominum priorem perdere suum jus ante sententiam judicis. Certè, si istæ leges pœnales sunt, nullæ non erunt. Quare, ut rectè ait Gormaz *de just. n. 640.* cum jus habeatur à lege, si lex pœnalis non est, sed definitiva proprietatis rerum, ut sunt leges illæ, de quibus modò agimus, certè attribuntur dominis jus, adeoque pariunt obligationem in conscientia, non minùs, ac illæ, quæ e. g. emptori jus attribunt in rem emptam.

305. Quod si quis datà operà, in scio domino, in alieno fundo thesaurum quaesiverit, tunc ita statuitur. *L. unica. Cod. de thesauris.* *Totum hoc locorum domino reddere compellatur, & velut temerator legis soluberrime puniatur.* At quaeritur, non quidem, an talis inventor domino debeat reddere dimidium, etiam ante sententiam judicis; nam, si debet id reddere fortuito inveniens, multò magis debet reddere studio quaerens; cum per hoc domino in scio fiat injuria, quam leges puniunt ablatione totius, & adhuc aliâ pœnâ: sed quaeritur, an totum thesaurum debeat in conscientia, ante sententiam judicis, domino fundi reddere, vel an possit dimidium sibi retinere.

In quo casu puto, standum esse sententiâ Lessii. *l. 2. c. 5. dub. 15. n. 59.* Vasquii, Palai, Rebelli, König, Lugonis (qui *de just. disp. 6. sect. 11. n. 112.* ait, esse communem) scilicet, dictam legem, quoad hanc partem, esse pœnalem, adeoque non obligare ante sententiam judicis: notatque Lessius verbum *compellatur:* quod, ut ait, significat, expectandam esse compulsionem. Nec sufficit dicere, illam vocem tantum significare, quòd, si inventor talis nolit sponte dare totum, quod invenit, debeat compelli; aliàs plurimæ leges pœnales deberent ita explicari, & quando e. g. canones dicunt, aliquem detrudendum esse in monasterium, dici posset, talem jam ante sententiam sponte ire debere.

306. Ex eo autem, quòd talis inventor dicatur etiam puniendus, non inferitur, quòd privatio dimidiæ partis thesauri non sit pœna, sed per id tantum significatur, quòd alia adhuc pœna sit adjungenda: & sanè jura saepe pœnæ privativæ aliam positivam adjungunt. Nec dicas, eum, qui fortuito invenit thesaurum, debere domino fundi dare dimidium, adeoque eum, qui studio quaerit, debere dare totum; nam hoc quidem debet fieri: at primùm post sententiam judicis; nec enim pœna debet semper subiri ante sententiam. Quòd autem thesaurus sit beneficium quodammodo fundi, non facit, quòd possessor fundi etiam sit dominus thesauri; unde, si leges civiles

viles nihil statuitur de thesauro, etiam thesaurus studio inventus, totus esset inventoris: cum ergo lex inventorem dimidia parte non privet, nisi per constitutionem poenalem, videtur ei pars illa dimidia ante sententiam relinquenda. Hæc dicta intelliguntur, si quis non requisito domino foderit: at si ab eo obtinerit licentiam, standum est pacto, sub quo licentia concessa est. vide Lugonem *de justit. disp. 6. sec. 11. n. 114.*

307. Supponitur tamen thesaurus esse inventus mediis licitis; si enim esset inventus arte magica, vel aliter legibus odiosa, & quidem à domino fundi, applicandus esset fisco, ut communiter colligunt ex *L. unica. Cod. de thesauris*, quæ tamen lex, ex Navarro, Lessio *l. 2. c. 5. dub. 17. n. 65. & 66. Lugone de just. disp. 6. sect. 11. n. 112.* poenalis est; nam lex statuit, thesaurum inventoris, vel domini fore, si sine illicitis artibus inventus sit: ex quo non potest inferri, quod lex hoc ipso inventorem, vel dominum, privet thesauro, per artes illicitas invento. Sed nec potest dici, in ea lege supponi, quod aliàs thesaurus ad imperatorem spectet, tanquam reditus principis, & tantum concedatur inventoribus sub hac conditione, quod eum per licitas artes invenerit; de hoc enim profus non constat.

Imò ajunt rectè Lessius, & Lugo *loc. cit.* si quis infcio domino quærat per magicas artes thesaurum in alieno, ad summum dimidiam partem esse fisco applicandam; nam dominus loci innocens non debet spoliari suo lucro ob alterius malitiam. Imò Clarissimus D. Stapf *in manuscriptis* videtur sentire, totum debere dari domino loci infcio; ex ea ratione, quod *L. unica. Cod. de thesauris*, thesaurum studio inventum totum domino fundi attribuat, nec distinguat inter inventum operâ licitâ, & inventum operâ illicitâ.

308. Quæritur ulterius 1. quid intelligatur per fundum suum, vel proprium, si præsertim duo habeant dominium in eundem, v. g. unus directum, alterum utile. Resp. cum Lugone *de just. disp. 6. sec. 11. n. 118.* (ubi citat etiam Molinam, & Vasquium) si unus sit tantum usufructuarius, non dicitur fundus ejus proprius, in ordine ad thesaurum; nam usufructuarius tantum dominus est in ordine ad fructus percipiendos, & paucos alios casus, seu effectus: at thesaurus non est fructus. Hinc etiam, si in fundo dotali inveniat thesaurum maritus, qui in eo usufructum habet, debet dimidiam partem restituere, ut expressè habetur *L. 7. §. 12. ff. soluto matrimonio*; unde thesaurus, quatenus spectat ad dominum fundi, spectabit ad dominum directum. Quod idem, ait Lugo, dicendum à fortiori, si quis fundum tantum habeat conductum, vel in pignus. Imò Lugo *loc. cit.* Molina, & Vasquez ajunt, si usufructuarius, vel conductor, absque licentia domini directi, thesaurum studio fodiendo quærerent, teneri eos, sicut alium extraneum, dare inventum thesaurum domino directo, saltem post sententiam judicis.

309. Aliter loquendum de feudatariis, & emphitevtis; videtur enim probabilius, ad hos, quam ad dominum directum, spectare thesaurum, quatenus aliàs cedit domino fundi. ita Clariss. D. Stapf, citans plures jurisconsultos, inter quos Schulzius ait, ita in praxi servari, de quo etiam Cardinalis Lugo *de justit. disp. 6. sec. 11. n. 123.* ait, se non dubitare. Et certè principes germani, qui feudatarij sunt cæsaris, si in suis feudis inveniretur thesaurus, non videntur, dimidiam partem illius cæsari reddituri, ut idem Cardinalis advertit: & hanc sententiam communem esse affirmat.

Ratio autem ulterior est; quia feudatarij, & emphitevtæ, sunt domini utiles, nec tantum ut usufructuarij, sed ita, ut recipient omnia commoda, & emolumenta ex fundis, inter quæ etiam est thesaurus. Et, ut Lugo *loco modo citato* ait, feudatarius substituitur irrevocabiliter domino directo in ordine ad omnia, quæ domino directo competere, exceptis certis casibus in feudo nominatis, inter quos non est inventio thesauri: directus autem dominus tantum retinet potestatem quandam conditionatam, si scilicet conditiones feudi non impleantur.

310. Confr. Ad feudatarium, & emphitevtam, spectant damna fortunæ, ita, ut, quamvis pars rei feudalisis, vel emphitevtica pereat, non idèd minuantur onera feudi, vel emphitevtis *L. Jus emphitevticarium. 1. Cod. de jur. emphitevt.* ergo debent ad eos etiam spectare commoda *L. 10. ff. de diversis reg. juris.* Quando autem *C. unico. §. Hujus autem. 2. feud. 23.* dicitur, in vasallum tantum transire usufructus, sciendum est, aliter hanc vocem adhibere auctores juris Romani, quam compilatores juris feudalis; hi enim per usufructum intelligunt jus recipiendi omne commodum, & emolumentum: illi autem tantum jus utendi, & fruendi fructibus, absque potestare, rem ipsam vindicandi.

311. Quæritur 2. cujus sit thesaurus, in loco publico inventus. Resp. dividendum esse cum fisco, vel civitate, vel republica. ita habetur *§. 39. Instit. de rerum divisione.* At quæstio est, quid per locum publicum intelligatur. Lugo, *de just. disp. 6. sec. 11. n. 115.* Lessius *de justit. l. 2. c. 5. n. 63.* Covarruvias, Palao, Haunoldus, Vasquez, per locum publicum hinc intelligunt eum, qui jure domini proprietatis spectat ad communitatem, vel fiscum, tanquam pecunia, vel patrimonium populi, aut communitatis, e.g. domus publica, sylva, hortus, pascua &c. in quibus, ajunt, thesaurum inventum debere dimidiari. Alia autem loca publica, ut plateas, forum, flumina, non censent hinc intelligi: sed volunt, thesaurum in tali loco, usibus publicis assignatum, inventum, totum esse inventoris; cum de thesauro taliter invento jus civile nihil statuat, sed eum relinquat dispositioni juris naturalis, vel gentium, quod eum concedit primò occupanti.

At verò Clarissimus D. Stapf, quamvis dicit

videat, thesaurum in loco universaliter publico, & sub nullius dominio proprietatis constituto, sive fortuito, sive datâ operâ inventum, esse totum inventoris, negat tamen littora, maria, portus, vias, flumina, esse ita publica: sed vult esse sub dominio, non tantum jurisdictionis, sed etiam proprietatis, regum, vel principum, aut civitatum, adeoque de thesauro ita invento vult eodem modo discurre, ac de invento in alieno, de quo casu egimus *n. 304. & seq.*

Videtur autem probari posse hæc opinio ex *L. 1. ff. de interdicitis, seu extraordinariis actionibus.* ubi etiam flumina, & viæ, dicuntur alicujus esse, & quidem jure proprietatis; nam ibi dicitur, liberis personas nullius esse, adeoque agitur de dominio proprietatis, non jurisdictionis; (nam huic juri subjectæ etiam sunt liberæ personæ) cumque viæ &c. non sint privatorum, debent esse communitatis. Rursum *§. 39. Instit. de rerum divisione.* videntur sibi opponi loca publica, & fiscalia: atqui juxta oppositam opinionem non sibi opponerentur. Potest tamen ad hoc responderi, per fiscalia intelligi bona principis, per publica autem bona populi; nam fiscus strictè est principis, sicut ararium populi: & sic distinguit Dictionarium Juridicum *v. Fiscus.* Censet tamen hanc sententiam probabilem Lessius *de justit. l. 2. c. 5. dub. 15. n. 63.* aitque, plerosque juristas ita sentire.

312. Quæritur 3. cujus sit thesaurus inventus in loco religioso, vel sacro. Resp. Antiquitus quilibet locus, ubi erat sepultura mortui, vocabatur locus religiosus, ut habetur *§. 9. Instit. de rerum divisione.* & habet Covarruvias *relect. in C. Peccatum. p. 3. §. 2. n. 3. v. Tertia ratio.* Modò significatio ista videtur restringi, vel ad conventus Religiosorum; vel certè ad locum honori Divino destinatum. *Sacer locus* autem est, qui publica autoritate, aut consecratione, est cultui Divino destinatus, qua de re sic habetur *§. 8. Instit. de rerum divis. Sacra res sunt, quæ rite per Pontifices DEO consecrata sunt, velut ades sacra, & donaria, quæ rite ad ministerium DEI dedicata sunt.* Thesaurus itaque in religioso, vel sacro loco, fortuito inventus, per constitutionem Hadriani Imperatoris totus est inventoris. *§. 39. Instit. de rer. divis. saepe citato.* At verò per constitutionem Divorum Fratrum dimidia pars spectat ad fiscum. *L. 3. §. 10. Si in locis. ff. de jure fisci.* quæ oppositio, saltem apparens, mirè cruciet juristas, nolentes admittere apertam antinomiam.

313. Unde distinguunt quidam, inter locum sacrum publicum, & privatum: per hunc autem non intelligunt eum, qui privata autoritate consecratus est; hoc enim fieri nequit: sed intelligunt eum, qui non est consecratus in usum communem populi, ut est e.g. sacellum domesticum. In priori dicunt, valere constitutionem Divorum Fratrum: in secundo autem constitutionem

Hadriani. Sed in hac controversia notandum est id, quod advertunt doctores, in jure res sacras dici nullius esse, & hinc sermone esse ibi de locis sacris, quæ in nullius sint dominio. Unde, si loca sacra sint sub alicujus dominio, tunc servanda sunt ea, quæ servantur, si in alio loco, sive à domino, sive ab alieno, inveniantur thesaurus. Et sic e.g. templa sunt sub jure proprietatis monasteriorum, quibus adjuncta sunt, ut docet Lugo *de just. disp. 6. sect. 11. n. 116. & 117.* Lessius *de justit. l. 2. c. 5. n. 64.* Molina *tom. 1. de just. tr. 2. disp. 56.* Imò Haunoldus *tom. 1. de just. tract. 5. c. 1. n. 17.* Lugo *loc. cit.* Ininger *de dominio. disp. 3. q. 1. a. 3.* & apud hunc Palao dicunt, debet vix ullum, vel nullum esse sacrum locum, aut religiosum, qui non sit in dominio alicujus Ecclesiæ, prælati, aut communitatis, cui pars thesauri cedat.

Et hanc opinionem, de dimidia parte thesauri danda Ecclesiæ, vel ejus domino; cujus est locus sacer, si alienus eum invenerit, vel retinendo toto, si ipsemet dominus repererit, amplectuntur Covarruvias, Lugo, Vasquez, Turrianus, & plures alii. & Clariss. D. Stapf *in manuscriptis* videtur insinuarè, quòd faveat huic opinioni, & prælati consuetudo: & quanquam non omnino velit consentire, tamen addit, non putare se, in praxi eum delinquere, qui contra fiscum pronunciaverit, per *L. 10. ff. de jure fisci*, ubi ait Modestinus Jurisconsultus: *Non puto, delinquere eum, qui in dubiis quæstionibus contra fiscum facile respondet.*

314. Quæritur 4. quid censendum de ea opinione quorundam, quæ omnes thesauros adjudicat principibus. Resp. non constare de lege, aut consuetudine tali, quæ jus antiquum correxerit, aut abrogaverit; quamvis enim Covarruvias *relect. in C. Peccatum. p. 3. §. 2. n. 4.* dicat, esse communem totius ferme orbis consuetudinem, id neutiquam probat. Quod autem insuper ait, legem aliquam in Hispania principibus attributos esse thesauros, hoc Vasquez *in opus. moral. de restitutione c. 5. §. 4. dub. 2. n. 35.* negat. Idem tamen, & Molina, ac Lessius dicunt, legem talem posse quidem absolute statui: sed non asserunt esse statutam.

Lauterbach *disp. 135. de thesauris §. 31. n. 10. & seq.* ait, in imperio, & plerisque ejus provinciis, communem juris constitutionem servandam esse; eoquod nec legibus propriis, nec consuetudine, abrogata probari possit. Ibidem citat Sixtin *de regal. l. 2. c. fin. n. 1.* qui scribat, se in quæstione de thesauris secundum jus commune respondisse, & responsum in Hassia dicasterio, & camera imperiali approbatum fuisse. Idem Lauterbach *ibidem* refert, electorem Saxonie commune jus circa thesauro-rum acquisitionem approbasse. Addit, Carpovium referre varia præjudicia, ex quibus

bus habetur, adhuc hodie has quæstiones ex jure communi decidi.

315. Queritur si, an quis, sciens thesaurum latere in certo loco, possit istam emere consueto pretio, quo emeretur, si thesaurus non lateret: an verò debeat, monere dominum, & majus propterea pretium persolvere. Resp. Si prius ante emptionem thesaurum jam invenit, fortuita inventione, qua cum fecit dimidia parte suam, & de qua loquuntur leges supra citatæ, non potest eum abscondere, & dein agrum emere pretio communi, ac totum thesaurum retinere; nam per ipsam inventionem dimidia pars acquiritur tunc domino, ut dictum n. 304. Nec opponi potest parabola *Matth. 13. v. 44.* de abscondente thesaurum inventum; nam tunc necdum lex civilis lata erat: sed nec omnia, quæ in parabolis Christus Dominus assertit, licite fiunt, ut Lugo advertit; alias etiam licita essent, quæ fecit villicus iniquitatis: sufficiebat Christo, dedisset exemplum prudentiæ mundanæ.

316. Si autem thesaurum nondum invenit, sed tantum innouit ei, thesaurum in agro latere, potest tacere, & agrum, vel domum communi pretio emere, ac postea totum thesaurum inventum retinere. ita videtur sentire S. Thomas 2.2. q. 66. a. 5. ad 2. absolute autem ita sentit Molina de just. tom. 1. tr. 2. disp. 56. Lessius, de just. l. 2. c. 5. n. 62. La Croix l. 3. p. 2. n. 942. Bonhaci- na. Ininger. Lugo disp. 6. de just. sec. 11. n. 126. qui plures citat, & testatur esse communem. Rationes plures afferri solitas examinat idem Lugo loc. cit. è quibus omnibus optima esse videtur, quam ipse, & Molina, ac Lessius amplectuntur, scilicet hæc. Pretium rei justum desumitur ex communi æstimatione hominum; hæc enim est immediata regula, & mensura pretij justij: atqui ager, in quo latet thesaurus, sed communiter incognitus, in communi hominum æstimatione non plus valet, quam si thesaurus non lateat: nec illud conditionatum jus, quod, si forte thesaurus reperitur, domino dimidia pars cedat, attenditur, quando thesaurus communiter adhuc omnino est ignoratus: nec propterea plus exigi solet: ergo.

Sic, si herba aliqua communiter nescitur esse valde utilis, & vili æstimatur, utique potest medicus, licet sciat, illam esse utilissimam, eam emere vili, & communi pretio; quia in venditione attenditur tantum ad utilitates communiter notas. Ex quo infert Lugo, & alij, si privatim, non autem publice, sciretur, quod in agro aliquo lateant metalli fodinæ, vel si postea etiam inveniantur (etiãsi istæ relinquere privatis, de quo est alia quæstio, an non per aliqua statuta reservatæ sint principi, vel reipublicæ, relicta certa parte inventori) posse illum agrum emi pretio communi.

317. Certè La Croix l. 3. p. 2. n. 942. ait, saltem, si res postea cognoscatur, non debere emptionem rescindi, nec pretium augeri. Et in praxi non videntur emptores

quidquam pretij addere, si postea similia inveniant. Et sanè, si pretio tunc aliquid addendum esset, incertum omnino esset, cui illud dandum esset; nam, si quid dandum esset, dandum esset primo domino, qui fundum sine emptione, aut permutatione accepisset; nam alij omnes, qui per emptionem, aut permutationem, fundum acquisivissent, deberent illi ut venditori aliquam compensationem facere. Nec dicas, illius primi jus extinctum fuisse præscriptione subsequente possessorem; nam nullus unquam potuisset præscribere thesaurum, vel similia; quia omnes fuissent ejus, vel eorum insciji; & si thesaurus revera præscriberetur, spectaret totus ad dominum: nec possent jura medietatem ejus tribuere fortuito inventori. Quis autem scire posset primum illum possessorem, vel ejus hæredes, quibus compensatio fieri deberet? Quare, ut jam dictum, propter incertam spem, inveniendi thesauri ignoti, non plures æstimatur fundus, nec in communem æstimationem venit hæc utilitas incerta.

Aliud esset, si quis ignorans ab alio ignorante emeret gemmam vili pretio; hic enim re cognita deberet, vel gemmam reddere, vel pretium augere; quia gemma in æstimatione communi plus valet, & est error in substantia, qui contractum facit involuntarium. At non est talis error in nostro casu; nam venditor scit, se vendere agrum cum jure ad latentem thesaurum, si quis ibi sit: alius autem error tantum circa circumstantias accidentarias rei, non facit contractum involuntarium.

318. Queritur tandem 6. si ager e.g. sit venditus, necdum tamen traditus, inveniatque in eo thesaurus, an pars illa thesauri, quæ competit domino fundi, debeat dari emptori, an venditori. Et videri quidem posset, debere dari venditori; quia adhuc dominus est, ut supra diximus, & clarè habetur §. 3. *Instit. de emptione & venditione. sub finem.* itemque *L. Traditionibus. 20. Cod. de pactis*, quam citavimus n. 270. hoc tamen non obstante videtur pars illa ex invento thesauro danda emptori; quia emptor, contractu perfecto, fingitur dominus quoad commoda, & incommoda; nam utraque ejus sunt, ut expressè habetur §. 3. *Instit. de empt. & vendit.* item *L. 7. ff. de periculo, & commodo rei vendita. & L. 1. Cod. de periculo, & commodo rei vendita.*

Imò ex hac ipsa ratione jura citata emptori attribuantur incommodum ex inundatione aquarum, ex incendio, turbine, fuga &c. ergo videtur etiam ad eum spectare commodum ex thesauro invento. Accedit *L. 10. ff. de regul. juris* dicens: *Secundum naturam est, commoda cujusque rei eum sequi, quem sequentur incommoda.* item *L. 13. §. 18. ff. de actionibus empti, & venditi.* ubi dicitur, servum distractum, seu venditum, jam ante traditionem omnia, & donata, & hæreditates, & lucrum ex opera, etiam venditori præstita, emptori acquirere: ergo etiam ager venditus ante traditionem acquirit thesaurum emptori.

ARTI-

ARTICULUS VI.

Quid sentiendum de aliis rebus inventis.

319. Præter thesauros multa alia bona inveniri possunt, & solent: & quidem aliqua nunquam fuere sub ullius dominio: alia autem fuere quidem jam sub alicujus dominio, sed deserunt sub eo esse, vel quia domino mortuo nullus successit: vel quia sunt bona à domino derelicta: non autem tantum perdita (nam e.g. bona naufragantium, ad litus ejecta, sunt perdita, sed non sunt derelicta: verum dominis restitui debent, & quidem à Christianis sub poena excommunicationis Bullæ Cœnæ) alia etiam bona adhuc dominum habent, qui ea amittit, sed ignoratur.

Invenire autem, & inveniendū acquirere, non est tantum rem videre: sed est, eam etiam moraliter, prout res exigit, apprehendere; non enim, qui ex duobus prior rem jacentem videt, sed qui prior eam apprehendit, illam acquirit. Nec obstat textus *L. 1. §. 21. ff. de adquir. vel amitt. possessione.* nam, quod ibi dicitur, nos etiam oculis, & affectu, possessionem apprehendere, intelligitur, quando vel naturalis possessio jam ante est habita: vel certè alius titulus emptionis, aut traditionis accedit: non autem ibi agitur de occupatione sine titulo, de qua nos agimus.

320. Jure gentium res inventæ, quæ nullius sunt, fiunt primò occupantis, seu inventis, ac apprehendentis. §. *Fera. 12. Inst. de rerum divisiōe.* Item jure civili Romano, res in mari, vel littore natæ, cedunt occupanti, habetque quilibet jus, eas quærendi, & occupandi. §. 18. *Instit. de rer. divisiōe.* sic enim dicitur: *Item lapilli, & gemmae &c. quæ in littore maris inveniuntur, jure naturali statim inventoris fiunt.* & rursum *L. 1. §. 1. ff. de adquir. vel amitt. possessione.* ubi dicitur: *Gemma, lapilli, margarita, in littoribus inventæ, ejus sunt, qui primus eorum possessionem nactus est.* Hodie verò, teste Clarissimo D. Stapff sæpius jam adducto, tradunt juristæ passim, hoc jus sibi principes vendicasse: sicut etiam testatur Haunoldus tom. 1. de jur. & just. tract. 5. c. 1. n. 4. eosdem sibi vendicasse magnam partem mineralium inventorum, ex *L. 3. Cod. de metallariis.*

321. Quæstio jam laboriosior est de rebus inventis, quæ sunt à domino amissæ, & necdum derelictæ: adeoque adhuc dominum habent, licet ignotum: in qua quæstione juxta omnes est certum, quod inventor talium rerum debeat moralem diligentiam adhibere, ut dominum resciat, & interim, quamdiu probabilis spes est dominum reperiendi, rem, quantum potest, integram servare, ut, si hic innouerit, ei restituatur; nam æquitas naturalis exigit, ut,

ad quod quisque vellet alios obligatos, circa rem à se perditam, etiam ipse se obligatum censeat: atqui, si experientiam consulamus, quisque videtur velle, ut, si ipse aliquid perdidit, alij habeant obligationem, morali diligentia inquirendi dominum: ergo.

Et, licet non sit obligatio, saltem ex justitia, rem visam è terra tollendi, & apprehendendi, ac dein interrogandi: supposito tamen, quod quis rem tollat, non potest illam velle absolute habere ut suam; alias furtum committeret: sed debet, eam tollere animo restituendi, adeoque, implicite saltem, etiam animo interrogandi. Unde juxta Haunoldum tom. 1. de justit. tract. 5. c. 1. n. 24. tenetur inventor ad hoc ex quasi contractu. Quod si quis dominum inquirere culpabiliter negligat, incipiunt, ut ait Lugo de just. disp. 6. sec. 12. n. 132. illa bona inventa esse debita ex delicto.

Hæc autem moralis diligentia, ut rectè cum aliis advertit La Croix l. 3. p. 2. n. 87. debet esse major, vel minor, secundum majus, vel minus pretium rei: & hinc, si res magni sit pretij, tenetur inventor curare, ut aliquoties promulgaretur è cathedra, affigatur scheda, publice id notificans, vel ut idem author vult, imprimatur in novellis publicis. Si autem pretij sit minoris, at tamen adhuc magni, sufficere promulgari per tribus, scholas, vel in frequentia hominum. Si dein dominus compareat, & prober, rem suam esse, debet ei reddi. Nec debet inventor ex justitia per se aliquod honorarium: si tamen esset lex, vel facta promissio aliquid dandi, vel si labor esset positus in re inveniendâ, deberet satisfactio pro æquitate fieri.

322. Ubi nota, dominum sufficienter comparere, si sciatur, rem spectare ad aliquam communitatem, hoc est, ita, ut non quidem uni membro ex illa, sed omnibus, vel saltem majori parti in communi propria sit: & sic se haberet inventus cumulus injustorum spoliatorum, ex pago aliquo raptus: quo casu deberet reddi illi communitati, & per magistratum, vel parochum dividi, quantum moraliter fieri posset: item sufficienter etiam constare de domino, si de paucis sciatur, quod ad aliquem ex ipsis, indeterminatè sumptum, res spectet; tunc enim, vel divisione, vel sorte, vel alia conventionione, debet controversia terminari. videatur Lessius de just. l. 2. c. 14. n. 32. Si autem dominus non compareat, dubitatur, an teneatur inventor, rem inventam pauperibus, aut piis causis applicare, vel an eam possit sibi retinere, etiam si ipse dives sit; nam, si verè pauper sit, communiter admittitur, posse eum rem inventam sibi tanquam pauperi retinere, & quidem absque consensu Episcopi, modò verè pauper sit, & non tantum ex amore rei inventæ se pauperem putet, aut fingat.

323. Dico. Non datur obligatio taliter inventa dandi pauperibus. ita saltem censendo multi recentiores, atque etiam multi antiquiores. quamvis opposita sententia absolu-

tè ab antiquioribus communiùs teneatur. Absolutè hanc obligationem non dari primus fortè censuit Dominicus Sotus l. 5. de just. q. 3. n. 3. ad 2. Molina autem tom. 3. tract. 2. disp. 746. testatur, multos jam suo tempore eandem assertionem amplexos fuisse. Eandem tenent Navarra, Sarmiento, Henriquez, Alphonfus Rodriguez apud Lugonem de just. disp. 6. sec. 12. n. 138. item Rossmer, Amicus, Dicastillo, Sa, & Mercadus apud Haunoldum, quibus etiam ipse consentit tom. 1. de just. tr. 5. c. 1. controu. 1. n. 26. item Illung tr. 4. disp. 2. n. 259. qui adhuc alios citat. Tamburinus in decalog. l. 8. tract. 4. c. 1. §. 3. n. 23. Burckhaber cent. 1. c. 68. Ininger de dominio. disp. 3. q. 1. n. 2. Eandem valde probabilem ait Layman l. 3. sec. 5. de just. tr. 1. c. 5. n. 24. imò c. 9. n. 1. tradit principia, ex quibus sequitur absolutè hæc nostra sententia. Eandem censent probabilem plures adhuc apud Lugonem de just. disp. 6. sec. 12. n. 139. ubi etiam implet eam ait esse probabilem: item Lessius de justit. l. 2. c. 14. n. 48. Eandem Platelius p. 3. n. 740. ait, non improbabilem, Busenbaum, & Filliucjus probabilem, La Croix l. 3. p. 2. n. 89. sub finem dicit probabilem, Toletus de instruct. sacerdotum l. 5. c. 18. n. 4. ait, ad oppositam nullam cogere rationem, nisi communem auctoritatem. Probabilem quoque ad minimum censent Vasquez opuscul. de restitut. c. 5. §. 4. dub. 4. n. 43. Malderus, Bartholomæus Medina, Arragon, Megala, & Diana, Lopez, apud Haunoldum.

324. De S. Thoma ait Vasquez loc. modo cit. n. 46., non satis constare, quid tenuerit. Certè 2. 2. q. 66. a. 5. ad 2. (uti & S. Augustinus, quem ibi citat) facile explicari potest de bonis, quorum dominus scitur, vel ob neglectam inquisitionem ignoratur. At verò 2. 2. q. 62. a. 5. ad 3. difficilior textus est, ubi dicit Angelicus, domino, post diligentem inquisitionem tamen adhuc omnino ignoto, restituendum esse eatenus, quatenus potest, dando elemosynas. Attamen Illung respondet, Angelicum ibi loqui de injustè acceptis, de quibus saltem in præcedentibus articulis est sermo: neque in hoc articulo de aliis se loqui S. Doctor insinuat. Quòd autem in 1. mo argumento sibi objecto mentionem faciat gladij depositi, non sequitur necessariò, quòd loquatur de justè acceptis; quia ibi in objectione potest esse argumentum à pari, scilicet à deposito, ad aliam acceptionem injustam.

325. Probatur conclusio. Sententia, negans obligationem dandi inventa bona pauperibus, videtur optabilior, non tantum inventoribus, sed etiam amittentibus bona, ad quos maxime attendi debet: ergo videtur opposita præferenda. antec. prob. Et imprimis, quòd sit optabilior inventoribus, non dubitatur; quia favet ipsis; quod si enim retinere inventa noluerint, poterunt ea ad pias causas suo tempore liberè applicare. Quòd autem sit quoque optabilior amittentibus, probatur sic. Isti hac ratione facilius

recuperant sua bona, quæ perdiderunt: ergo hæc sententia est ipsis optabilior.

Prob. ant. ex duplici capite; primò enim facilius est, recuperare rem ab inventore uno, quam à pluribus pauperibus, vel causis piis, quibus applicata est, ut est per se clarum. Secundò sic etiam facilius res conservantur; si enim inventor rem accipiendo nihil aliud indè haberet, quam molestiam inquirendi dominum, certè multi res inventas negligerent, nec vellent onus sine lucro suscipere; quia saltem ex justitia ante apprehensionem non tenerentur, curam indagandi domini in se suscipere. Confirmatur. Qui modò aliquid perdidit, potest alia occasione aliquid invenire, idque etiam retinere cum lucro fortè æquali: ergo hæc sententia est omnibus optabilis.

326. Ex quo evincitur etiam fundamentum sententiæ oppositæ, quod est istud. Res tantum amissa adhuc habent dominum, consequenter, cum ipse eas recuperare ob ignorantiam non possit, debent eæ applicari, prout rationabiliter censetur, dominus velle eas applicari; atqui hic censetur (ut ajunt) velle, ut dentur pauperibus, vel causis piis: ergo. Responderunt enim negando, hanc esse communiter voluntatem, vel intentionem dominorum, aliquid perditur; isti enim volunt potius rem aservari, vel distrahi, si servari non possit ipsa, & loco ejus servari pretium, ac istud sibi suo tempore reddi eatenus, quatenus ditior factus est inventor &c. Certè Layman l. 3. sec. 5. de just. tr. 1. c. 5. n. 24. ait, non omnes etiam Catholicos (ut nihil dicatur de infidelibus) velle, ut à se perditæ, & dein ab aliis inventa, dentur pauperibus: sed potius velle, ut serventur, & sibi iterum restituantur. Haunoldus tom. 1. de just. tract. 5. c. 1. n. 28. ait, quòd communiter mallent dominus res aservatas fuisse, quam factas indè elemosynas.

327. Neque obstat (ait Illung. tract. 4. disp. 2. n. 260.) quòd sæpe nulla sit spes recuperandi res perditas; nam præsumptio debet accommodari plerumque contingentibus. Accedit observatio ejusdem Illung, n. seq. dicentis, non debere tantum cogitari, quid dominus vellet fieri, sed ad quid vellet committere alios obligari; nam, licet quis fortè euperet, à se perditæ pè expendi, non ideo vellet, eam esse communem obligationem; fortè enim nollet, se ita obligari, si quid ipse reperisset.

Confirm. Hæc obligatio non multum videtur conducere ad spirituale bonum domini rei, qui eam perdidit: ergo non est ratio eam adstruendi. prob. ant. si is, qui rem perdidit, non habet actuale bonum desiderium, (quod sæpissimè non datur; cum potius homines desiderent sua recuperare) voluntas ejus præsumpta meritoria non est: quod si autem actum bonum haberet, et si res perditæ ab inventore retinerentur, tamen meritum suum haberet. Sed neque alter, seu inventor, tenetur, etiam juxta adversarios, bonum actum elicere, sed tantum materia

reveliter piis causis rem applicare: neque tenetur pauperes monere, ut pro domino, qui ea amisit, orent: & per accidens prorsus est, quòd rem inventam ad spirituale bonum perditæ applicet: imò fors istud raro contingit: sed potius executor intendit, sibi meritum acquirere: ergo non videtur, ex quo capite ista obligatio conducatur ad spirituale bonum domini, qui rem perdidit.

Hanc in sua, id est, nostræ opposita sententia, difficultatem agnoscit ipse Lugo de justit. disp. 6. sec. 11. n. 151. & hinc suadet, ut ex rebus inventis, vel earum pretio, procurantur sacrificia, dicenda pro iis, qui eas res perdidit. Sed hanc determinatam obligationem hucusque nemo inventoribus imposuit. Tandem hæc obligatio non sufficienter probatur, ut patebit ex solutione objectionum: & tamen gravis est: imò propter difficultatem, res inventas dimittendi, satis periculosa: itémque contraria persuasioni, si non omnino communi, saltem plurimorum hominum, qui se felices reputant, ac lucrum se fecisse existimant, dum aliquid inveniunt: ergo hæc obligatio non est adstruenda.

ARTICULUS VII.

Solvuntur Objectiones.

328. **O**B. 1. S. Augustinus, relatus C. Si quid. 14. q. 5. ait: Si quid invenisti, & non reddidisti, rapuisti: ergo est obligatio, inventa restituendi modo meliori, quo potest fieri, scilicet, si non domino, saltem piis causis. Confirmatur. In Hispania Patres de Mercede, & Trinitarij, habent à Rege, & Pontifice privilegium, exigendi pro redemptione captivorum bona inventa, etiam sub excommunicatione: ergo est obligatio ea restituendi.

Resp. neg. conseq. Capitulum citatum facile explicatur de bonis, quorum dominus, aut cognitus est, aut nondum satis inquisitus, ut agnoscit Vasquez, licet adversarius. Nec mentio minima ibi sit de applicatione ad pias causas. Eadem responsio est ad C. Multi. eadem causa, & questione ex Sancto Hieronymo. Ad confirmat. disting. conseq. ergo est obligatio, præscindendo à legibus positivis, hoc peculiariter statuentibus. neg. conseq. si dentur tales leges. conc. conseq. An autem illæ leges obligent ante sententiam judicis; vel ubi obligent, vide apud Haunoldum tom. 1. de just. & jur. tr. 5. c. 1. n. 31. nos leges Hispaniæ non tangunt.

329. Ob. 2. Si nostra sententia esset præferenda, tunc ideo; quia juxta eam dominus facilius posset recuperare rem perditam, vel ejus pretium: sed hoc non fieret: ergo, prob. min. potest inventor rem inventam alteri expendere, ita, ut aliud nihil expendisset, si hoc non habuisset, adeoque non factus sit ditior: sed hoc casu non tenetur aliquid reddere domino postea comparenti: ergo. Resp. om. ma. quia hæc non est unica ratio nostræ conclusionis;

neg. mi. ad prob. imprimis non solet quis facile donare absque omni causa, & ita, ut nihil aliud donasset, nisi fortè levissima sint, quæ censeri possunt derelicta: adeoque ex rebus alicujus momenti ordinariè inventor fit ditior: atqui intentio præsumitur juxta ordinariè contingentia, & non secundum casus raros, qualis hic foret.

Dein non potest quis donare alteri rem inventam, antequam sufficienti diligentia dominum inquisiverit: imò neque statim facta hac diligentia, etsi dominus non compareat, nisi ita sit animo constitutus, ut, si dominus debito tempore comparuerit, velit reddere, si non rem, saltem æquivalentem compensationem: saltem hoc non potest, antequam elaboratur tempus, quod requiritur ad rem præscribendam: quod tamen elapso, Ininger de dominio. disp. 3. q. 1. a. 2. §. Si post. & alii ajunt, inventorem facere rem omnino suam. Idem etiam ajunt, posse inventorem, à tempore domini post factam diligentem inquisitionem non comparentis, seu ex quo non amplius est, spes probabilis, eum compariturum, incipere rem tanquam suam possidere, & præscriptionem legitimo tempore complere.

Hoc si verum sit, debet inventor ab eo tempore rem talem bona fide habere pro derelicta à domino; alias non haberet titulum necessarium ad præscribendum. An autem hoc sit universaliter verum, & an ab eo jam tempore eam rem pro derelicta habere possit, meritò disputari potest. Si quis tamen bona fide, ex inculpabili ignorantia, rem alteri donasset, quin ex ea ditior factus esset, ad nihil ipse teneretur, sed ad summum alter, qui rem accepisset; nam donans talis nec ex re accepta, nec ex injusta acceptione, obligaretur.

330. Ob. 3. Est saltem consuetudo, acceptata sub obligatione, res taliter inventas dandi pauperibus, aut applicandi piis causis: ergo. Resp. neg. antec. saltem non satis constat de hac consuetudine. Illung tr. 4. disp. 2. n. 262. ait, consuetudinem potius esse contrariam. Haunoldus tom. 1. de just. tr. 5. c. 1. n. 26. ait, neminem præter Palaum dicere, hanc obligationem præscripsisse, nec apparere, quomodo præscriptio hæc facta esse potuerit, stante tantæ auctoritate in oppositum. Ininger de dominio. disp. 3. q. 1. a. 2. §. Prob. 2. ait, nostram sententiam esse communi hominum judicio magis conferrem; cum isti se ex inventione felices esse, & spem lucri cepisse existiment: adeoque non existiment, dari obligationem ex consuetudine, eas res aliis dandi. Idem sentiunt alii, ajuntque, multos etiam probos contrarium facere: alios verò tutiora quidem sequi, non tamen arbitrari, ad ea se obligari. Si qui scrupulum hac in re sibi faciunt, potest is oriri, vel ex nimia anxietate, vel quandoque etiam peccatum ex conscientia erronea.

331. Ob. 4. Nostra sententia, dum spem facit lucrandi, dat anam omittendi diligentiam requisitam ad indagandum domi-

num, vel persuadendi sibi, non esse amplius spem probabilem, quod dominus sit compariturus: ergo est periculosa, nec admittenda. Confirm. Bona vacantia per mortem peregrinorum ideo adducuntur causis piis; quia presumitur, hæc esse morientium voluntas: ergo etiam debet presumi talis voluntas in amittentibus res suas. Resp. dist. antec. sententia nostra dat per accidens, vel potius permittit, ab aliis sumi talem ansam. conc. antec. dat eam per se positivè, neg. antec. & conseq. Sæpe abutuntur mali sententia bonis.

Ad confirm. neg. antec. De bonis peregrinorum mortuorum est speciale statutum *Authent. Omnes peregrini. Cod. communia de successioibus*. quod non est extendendum ad alios casus; unde ex hoc statuto, & non tantum ex præsumpta defunctorum illorum voluntate, fit ea distributio illorum bonorum. Sed neque est verum, quod domini amittentes habeant ordinariè voluntatem, qua velint, bona perita applicari causis piis, ut dictum n. 326. licet eam habere præsumantur mortui, qui bona sua retinere non possunt. Quodsi autem sint bona vacantia aliorum mortuorum, applicantur jure communi fisco, ut docent Illung, & Ininger, ex *L. 4. Cod. de bonis vacantibus*. cur autem non eadem ista tribuuntur piis causis, ob præsumptam mortuorum voluntatem?

332. Ob. 5. Si non debent dari pauperibus bona inventa, tunc neque debent iis applicari debita incerta sine delicto: sed hoc est nimium: ergo. Resp. conc. mai. neg. mi. Casus est iste: vendidisti e.g. aliquid alteri ignoto, isque plus pecuniæ tibi dedit, quam debebat, & tu non attendens bona fide accepisti: vel solvisti tantum unam ulnam panni, & accepisti per inculpabilem errorem duas: vel accepisti ab aliquo aliquod mutuum, & ille non amplius comparet, nec ullus ejus hæres. Dico itaque, in his casibus, post factam sufficientem inquisitionem, posse te retinere taliter accepta, sicut inventa.

Ita Haunoldus *tom. 1. de justit. tr. 5. c. 2. contr. 1. n. 33*. Ininger *de dominio. disp. 3. q. 1. a. 2*. Layman *expressè l. 3. sec. 5. tr. 2. c. 9. n. 1*. (ex quo superius n. 333. intuli, eum debere etiam stare pro nostra conclusione de inventis; est enim par utrobique ratio) citatque Navarrum. Idem docet Illung *tr. 4. disp. 2. n. 26 2*. addens, consuetudinem potius contrariam esse obligationi, dandi ista pauperibus. Lessius etiam *de just. l. 2. c. 14. n. 38*. ait, non esse improbabile hanc conclusionem, nec consistere de consuetudine in contrarium. Rectè tamen addit Ininger *in fine art.* facturum debitorem ex æquitate, si aliquam partem in bonum animæ creditoris applicet, etsi non teneatur ex justitia. Quod autem in foro externo præscriptio talium debitorum non admittatur, est; quia ordinariè bona fides, ac alia, probari non possunt; & ad cavendas fraudes hoc fieri jure potuit. Si tamen omnia, scilicet bona fides,

titulus, & alia, requisita ad præscriptionem, probari possent, etiam esset admittenda in eo foro præscriptio: & quamvis in foro externo hæc non admittatur, potest tamen valere pro foro interno, ut multa alia.

333. Ob. 6. Ex dictis sequeretur, quod etiam bona incerta ex delicto non deberent dari pauperibus, vel applicari causis piis: hoc est contra communissimam omnium, excepto fortè solo Rosmer, qui apud Haunoldum *tom. 1. de just. tr. 5. c. 1. n. 36*. putat, tantum debere lucra usuraria pauperibus dari: ergo. antec. prob. etiam potest dici, dominum non velle, ut sibi debitum pauperibus detur, sed potius retineatur, ut ipse facilius id recuperet: dein etiam dominum non semper prodest elemosyna, si sit infidelis &c. Resp. neg. maj. in primis enim de his debitis ex delicto est specialis canon, nempe *Cum tu. 5. de usuris*, ubi Alexander III. expressè ait, usuras dominis, vel hæredibus, vel, si hi deficient, pauperibus restituendas esse, & quidem etiam eas usuras, quæ ante decretum suum, in Concilio Lateranensi promulgatum, perceptæ sunt.

334. Quæ de usuris dicta, omnes auctores extendunt ad omnia alia debita ex delicto; quia Pontifex allegat auctoritatem S. Augustini dicentis: *Non remittatur peccatum, nisi restituatur ablatum*: quod dictum universaliter se ad omnia debita ex delicto extendit: cumque S. Augustinus vixerit ante canones hæc de re editos, hanc obligationem intulit ex jure naturali, & non tantum ex Ecclesiastico: ex quo jure naturali eam obligationem etiam inferre videtur Alexander Papa, dum illam auctoritatem adducit, atque insuper ait, sic liberos fore, non tantum à pœna, sed etiam à peccato, eos quoque, qui ante decretum suum usuras perceperunt: quasi supponat, eos sine restitutione ab eo peccato liberari non posse: quod verum non esset, si tantum ex lege positiva, & non ex naturali, ad eam restitutionem tenerentur.

335. Consonat *C. Nemo. 14. q. 5*. quod est ex S. Hieronymo desumptum, qui etiam jus novum non condidit, sed locutus est ex naturali dictamine: ita autem habet: *Nemo, qui rapit, moriens si habet, unde reddat, salvatur: si eos, quorum fuit, invenire non poterit, Ecclesie, vel pauperibus tribuat*. Et hoc subintelligendum est semper, scilicet, si ipsi domino, quia ignoratur, reddi non possit; si enim hic sciatur, non licet, rem alteri, etiam piæ causæ, sine domini licentia dare; nam DEUS est odio habens rapinam in holocausto &c. *Isa. 61. v. 8*. Item subintelligitur: si nulla spes probabilis domini cognoscendi adfit; aliàs deberet potius res aliquamdiu arbitrio prudentis retineri.

Ratio autem hujus naturalis obligationis esse videtur ex Haunoldo *tom. 1. de just. tr. 5. c. 1. n. 43*, quod natura non velit, ut quis ex furto commodum reportet, neque, ut ita possit impunè peccari contra justitiam, ut homines allici possint ad frequentia peccandum. Cum ergo natura videret, quod, si usu-

si usurarius, fur, vel alius, injustè alium lædens, posset, domino non comparente, talia bona retinere, multi hac spe, quod aliquando sibi acquirerent, allicerentur, ad injustè alios lædendos; (ut etiam advertit Lugo *de just. disp. 6. sec. 12. n. 135*.) hinc natura noluit, etiam domino non comparente, dominium istorum bonorum à malæ fidei possessoribus acquiri: sed voluit, eos omnes obligatos esse, ad ea pauperibus danda.

Et sanè antecederet ad omnem læsionem, si homines à natura, ut ita dicam, interrogarentur, an vellent dari hanc obligationem, utique eam approbarent, ut sic magis se servarent indemnes: quæ tamen ratio non afficit bona inventa, vel ex debitis sine delicto habita; cum obligatio in iis casibus non serviret ad absterrendos homines ab injusta aliorum læsione, quæ tunc non datur: nec afficeret ad lædendos alios; quia eo ipso, quod studiosè, vel scienter id facerent, jam essent bona illa ex delicto.

336. Quæres, si debita incerta ex delicto jure naturali debentur piis causis, quomodo possit Summus Pontifex vi Bullæ cruciatæ, vel alterius privilegij, admittere compositionem, ut quis, retenta majori parte debiti, reddat valde exiguum, e.g. pro 14. vel 15. scutis, det duos Julios; cum tamen non sit dominus eorum bonorum. Resp. de hoc videri posse Cardinalem de Lugo *cit. disp. 6. sec. 12. n. 150*. & Haunoldum *tom. 1. de just. tr. 5. c. 1. n. 44*. Non est dubium, Pontificem id posse ex rationabili causa: talem autem haberi, in dubio præsumendum est pro Pontifice. Haunoldus ait, jus naturale non obligare, nisi cum subordinatione ad legitimum magistratum, cui à DEO data est administratio causarum piarum; unde, si Pontifex judicat, bono publico magis expedire, ut attentata fragilitate hominum (qui totum, vel majorem partem debiti, vix restituerent, sed potius nihil cum periculo salutis aeternæ parùm exigatur, & multum remittatur, præsertim in ordine ad finem tam necessarium, ac præclarum, qualis e.g. est subsidium in bellum contra infideles, vel similes, quem aliàs vix obtineret: jam talis remissio est conformis voluntati rationabili totius generis humani. Plura vide apud Cardinalem de Lugo *loc. cit.*

QUÆSTIO II.

De Modo acquirendi Dominium per Præscriptionem.

ARTICULUS I.

Quid juris tribuat Præscriptio, vel Usucapio.

337. **A**ctum hucusque est de modis acquirendi naturalibus: jam agendum est de civilibus, primò autem de præscriptione, & usu-

capione, quæ valde communiter accipiuntur pro eodem, quanquam in rigore differant. Aliqui apud Lessium *de just. l. 2. c. 6. n. 4*. volunt, quod usucapio sit mobilium, præscriptio immobilium; sed, saltem jure hodierno, etiam usucapio est immobilium *g. 1. Instit. de usucapionibus*: & præscriptio est mobilium; nam, quando rem etiam mobilem usucapimus, utimur præscriptione, seu exceptione, ad repellendum priorem dominum. Differentia igitur alia assignanda est cum eodem Lessio *de just. l. 2. c. 6. n. 2*. ubi ait, præscriptionem tripliciter sumi à jurisconsultis. Primò genericè præscriptio dicitur *omnis exceptio, quæ opponitur ad excludendam actionem ab actore intentam*. Et quidem alia exceptio dicitur *dilatatoria*, seu *temporalis*, quæ accusationem non omnino pro semper excludit, sed tantum differt, e.g. si excipias, actorem esse excommunicatum, vel testes esse infames, vel judicem incompetentem. Alia dicitur *peremptoria, & perpetua*, quæ actionem pro semper excludit, e.g. si excipias, & dicas, te id, ob quod accusaris, mandato principis fecisse: & pro tali exceptione accipitur præscriptio: quæ tamen exceptio non videtur dici usucapio.

338. Secundo specialius præscriptio dicitur *exceptio peremptoria, orta ex eo, quod rem aliquam legitimo tempore, & debito cum titulo, ac fide bona, possederimus, vel jure aliquo usi simus, aut alius ab usu alicujus juris cessaverit*. ita accipitur *Cod. de præscriptione longi temporis, & de præscriptione 30. vel 40. annorum*. Tertio præscriptio dicitur *acquisitio domini, vel juris alieni alicujus elisio, orta ex possessione legitima, ratione temporis, & aliarum conditionum, à legibus requisitarum*. Hoc tamen in sensu jus civile quidem non accipit vocem *præscriptio*: at verò accipit eam jus canonicum, & interpretes juris utriusque; sic enim dicimur, præscribere domum, hortum, beneficium &c. Et hinc etiam cæptum est, his duabus vocibus *præscriptio, & usucapio*, tanquam synonymis uti.

Igitur secunda exceptio est maxime propria exceptio præscriptionis, scilicet, quod sit exceptio in specie, orta ex possessione legitima &c. & sic est quasi effectus usucapionis, vel aliquid eam consequens; nam usucapio est *acquisitio domini per continuationem possessionis &c.* ad quam dein sequitur exceptio peremptoria contra priorem dominum, seu præscriptio. Aliud adhuc discrimen vide apud Lessium *loc. cit.* Interim tamen in hac questione tanquam synonyma accipimus præscriptionem, & usucapionem.

Definitur autem *L. 3. ff. de usurpationibus, & usucapionibus*. sic: *Usucapio est adjectio domini per continuationem possessionis temporis lege definiti: sive est acquisitio domini, per continuationem possessionis, tempore, & modo à legibus definito*. Quia tamen dicitur usucapio interrumpi, quæ interruptio *L. 2. ff. eadem tit.* vocatur *usurpatio*,

patio, infert Lessius de just. l. 2. c. 6. n. 3. usufructualem, formaliter sumptam, esse potius aliquam possessionem: & tantum casualiter esse acquisitionem dominii.

339. Dico. Præscriptio non tantum est efficax pro foro externo, sed etiam pro interno conscientie. ita cum S. Thoma quoad lib. 12. q. 16. n. 24. communissima de facto contra aliquot antiquos, quos citat Molina tom. 1. de just. 17. 2. disp. 61. Prob. 1. Hæc est communissima persuasio, & praxis hominum, etiam doctorum, & proborum, quæ est optima legum interpres: ergo. Prob. 2. Respublica, vel legislator potuit velle, & voluit, ut præscriptio legitima etiam valeat pro foro interno: ergo.

Antec. quoad. 1. p. negari non potest ab adversariis: potest enim utriusque respublica ex jure alto, ob bonum publicum, & quietem communem, transferre dominia privatorum: atqui præscriptio cedit in bonum publicum, & quietem communem; nam per eam tollitur occasio multarum litium, dum sit 1. ne possessores semper teneantur timore rei amittendæ. L. 7. Cod. de præscriptione 30. vel 40. annorum. in principio. 2. ne dominia rerum diu, & ferè semper sint incerta. §. 1. Instit. de usufructibus. C. 3. ne lites perpetuæ sint. L. ult. ff. pro suo. 4. ne homines in rebus suis custodiendis segnès sint. L. 2. Cod. de annali exceptione. C. Vigilanti §. de præscriptionibus: quæ rationes utique sunt graves: & cum bonum publicum concernant, utique bono quorundam privatorum prævalent.

340. Secunda autem pars antecedentis habetur ex ipsis verbis legum, quæ planè significant, dominium revera transferri; nam L. 3. citata. n. 338. usufructus dicitur adjectio dominii, seu acquisitio. Rursus §. 1. Inst. de usufructibus. C. 3. clarè dicitur, dominia rerum acquiri. Iterum L. 4. Cod. de præscriptione 30. vel 40. annorum. dicitur præscribens saluberrimè legis plenissima munitione securus: ergo. Confir. 1. Sileges hæc valent tantum pro foro externo, non obtineretur earum finis: hoc est absurdum: ergo. prob. ma. non haberetur certitudo dominiorum, nec securitas, ut quies dominorum: nec leges servirent ad sedandas, sed ad illaqueandas conscientias, maximè, si ex parte prioris domini requireretur, ut Adrianus vult, negligentia gravis, quam præscribens scire non posset præcessisse. Confir. 2. Jus canonicum, quod præcipuè attendit ad conscientias, Cap. finali. de præscriptionibus. rejicit tantum præscriptionem mala fide factam; quia scilicet tunc sine peccato res servari non potest: & relinquit vigorem præscriptioni bona fide factæ: ergo vi hujus res sine peccato potest servari, adeoque præscribens in conscientia tutus est.

341. Dividitur præscriptio 1. in ordinariam, & extraordinariam. Illa, seu ordinaria est, quæ completur tempore trium, quinquaginta, vel 20. annorum: extraordinaria,

quæ spatio 30. 40. vel plurium annorum, deum periclitatur. Dividitur 2. in immemorialem & non immemorialem. Illa est, cujus initio excedit memoriam hominum defuncto viventium: altera, cujus initium memoriam hominum, qui modò vivunt, non excedit.

Dicitur autem præscriptio, aliquando interrumpi, aliquando dormire: dicitur interrumpi, quando scilicet ipsa prius jam coepta, per malam fidem, aut aliam causam abrumptitur, ita, ut priores anni non amplius serviant, sed præscriptio ex novo titulo debeat denuo inchoari, si tamen id fieri possit. Dicitur dormire, quando intervenit impedimentum tale, ut quidem tempus, quo durat impedimentum, computari non possit: hoc tamen cessante possint dein anni, illo impedimento priores, cum sequentibus conjungi, & ex omnibus præscriptio compleri.

ARTICULUS II.

Solvuntur Objectiones.

342. Ob. 1. L. 13. §. 1. ff. de jurejurando, C. sic dicitur: Julianus ait, eum, qui juravit, fundum suum esse, post longi temporis præscriptionem etiam utilem actionem habere debere: atqui habens actionem tantum utilem non acquirit dominium directum, sed tantum utile: ergo saltem dominium directum non præscribitur. Confir. Qui præscribit contra alium, qui habuit servitutem in prædio suo, vel qui præscribit exemptionem ab aliqua obligatione, verè præscribit: & tamen non acquirit dominium: ergo præscriptio non est semper acquisitio dominii.

Resp. neg. min. nam in jure actio utilis per se non significat eam, quæ tendit ad usum, seu usufructum: sed quæ efficax est, & adversarium vincit, sive agatur de dominio utili, sive de directo. L. 1. §. ult. in fine. ff. de aqua, & aqua, pluvie arcende. item L. 10. in prin. ff. si servitus vindicetur. Ad confir. neg. antec. acquirit enim talis dominium libertatis; vel immunitatis suorum prædiorum: seu acquirit partem illam dominij, quæ prius decrat; quia etiam servitutes tales sunt dominium, saltem aliquod imperfectum: sive dein sint dominium strictè dictum, sive tantum latius dictum, ut vult Lessius de just. l. 2. c. 6. n. 3. qui propterea addit, posse dici, quòd præscriptio sit, vel acquisitio dominii, vel alieni juris perceptio: sed lis est de nomine.

343. Ob. 2. Respublica non habet jus proprietatis, seu dominium in bona subditorum; ergo non potest id in alios transferre; nemo enim dat, quod non habet. Confir. 1. Si posset respublica transferrè dominium, ex jure alto id posset; quia hoc exigit bonum commune: ergo præscriptio esset de jure naturæ, vel gentium, quod nec nos dicimus. Confir. 2. Præscriptio est exceptio, hoc est, actionis exclusio: ergo antiquus dominus habet adhuc dominium; alia

aliàs non haberet actionem. Resp. dist. ant. Respublica non habet dominium in bona subditorum formaliter. conc. ant. non habet virtualiter, velemementer. neg. ant. & consequ.

Sic etiam DEUS, antequam creaverit arbores, non habuit eas formaliter: tamen, quia illas eminenter habuit in sua omnipotentia, potuit eas terræ dare. Ad 1. confir. neg. conf. non enim omne illud, quod ratio naturalis dicitur, esse bonum, est jam eo ipso de jure naturæ; aliàs ferè omnia statuta civilia essent juris naturalis, aut gentium. Imò neque omnia, quæ ratio naturalis dicitur, esse necessaria, sunt de jure naturæ: sed tantum illa, quæ sunt ab ipsa ratione naturali jam statuta. vid. n. 258. Ad 2. confir. neg. consequ. neque enim antiquus dominus habet actionem veram, sed tantum apparenter talem, quæ excluditur.

344. Ob. 2. Regula 48. juris in sexto ait: Locupletari non debet aliquis cum alterius injuria, vel jactura: atqui ita locupletaretur præscribens: ergo. Confir. Novella. 9. Auth. collat. 2. tit. 4. à Justiniano vocatur præscriptio 40. annorum iniquorum hominum impium præsidium, & tutus peccandi locus: & improba temporis allegatio: ergo. Resp. neg. min. si enim transferretur dominium à legitima potestate, & ex legitima ratione, nemini fit injuria. Quòd autem innocens, quandoque ratione boni publici, debeat pati jacturam, nihil est absurdum; aliàs nec deberet dare tributa. Ad confir. neg. conf. Si imperator omnem præscriptionem vult dicere impiam, aut improbam, & quidem in sensu stricto, cur ibidem statuit, etiam contra Romanam Ecclesiam præscribi posse centum annis?

345. Cujacius, Duarenus, Pinellus, & Alicantus, ac alii apud Haunoldum tom. 1. de justitia tract. 5. c. 2. n. 166. putant, hanc constitutionem esse suppositiciam; eoquòd in Græco non inveniantur, nec in Basilico. Ipse autem Haunoldus (quem alij sequuntur) loc. modò cit. ait, imperatorem loqui de præscriptione malæ fidei: quæ licet jure civili olim permissa fuerit, donec per Lateranense Concilium damnata fuit) semper tamen jure naturali fuit impia, & improba: consequenter etiam illa centum annorum: quam tamen imperator permisit valere, fortè ad evitanda majora mala: & sub hac spe, quòd rarissimè sit complenda, præsertim ab eodem homine; cum nemo facile tamdiu vivat. Idem docet P. Cichler in Cand. Juris. l. 2. tit. 26. n. 17. & hæc responsio est expeditissima.

Juxta glossam per iniquos homines intelliguntur aliàs iniqui: per impium præsidium intelligitur odiosum: per improbam temporis allegationem intelligitur ea, quæ talis est jure naturali inspecto, sive, quæ per jus naturale non est approbata, aut redditilicita, quamvis talis postea reddita sit per jus civile; unde juxta glossam in citata Novella tantum illa præscriptio dicitur impia, & improba, quæ à lege civili non est approbata: nec intelligitur præscriptio malæ fidei, quam intel-


ligi vult Haunoldus; quia hæc non potest reddi licita per jus civile; cum istud in hoc puncto à jure canonico sit correctum. Potest fors etiam dici, præscriptionem 40. annorum respectu Romanæ Ecclesiæ dici improbam, & impiam; quia talis redditur per hanc ipsam Novellam, per quam redditur invalida respectu illius Ecclesiæ.

Dices. Hoc ipso, quòd, quis potest, etiam tempore legitimo præscriptionis jam impleto, resciat, rem fuisse alienam, est in mala fide, adeoque nunquam potest præscribere rem, consequenter neque bonam conscientiam retinere: ergo. Resp. neg. ant. si cui enim primò post completum tempus legitimum innotescat, rem fuisse alienam, tunc incipit primò id rescire, quando jam acquisivit dominium: consequenter optima fide rem retinet.

346. Ob. 4. Leges concedentes præscriptionem fundantur in præsumptione culpæ, scilicet negligentie prioris domini, ut indicatur L. Ut perfectius. 2. Cod. de annali exceptione, & C. Vigilanti. §. de præscriptionibus: ergo, si dominus fuit inculpabilis, & hoc certò constat, non præscribitur contra ipsum; quia poena non incurritur sine culpa. Confir. Non tantum minoribus, sed etiam majorennibus, conceditur per leges restitutio in integrum, si possint probare, se non ex negligentia, sed ob justum impedimentum, & ignorantiam, non potuisse lites contestatione præscriptionem interrumpere: ergo præscriptio tantum conceditur ob negligentiam.

Resp. 1. om. ant. neg. conf. Ut Layman l. 1. tr. 4. c. 17. n. 4. docet, non omnes leges, etiam citæ ex generali præsumptione fraudis, interdum eventient, tanquam causa impulsiva, statim cessant obligare, cessante ea præsumptione in aliquo casu particulari: sed illæ leges tantum cessant, quæ jubent, juxta præsumptionem fraudis ferè sententiam: non autem hoc jubent leges de præscriptione. Resp. 2. neg. ant. Causa præscriptionis inductæ non est poena præsumptæ negligentie in omni casu particulari: sed ad summum est periculum morale, ne, si nunquam ullo tempore præscriberetur, domini universaliter negligentes fierent: quod periculum semper manet. Insuper sunt aliæ rationes, seu causæ quas dedimus n. 339. quavis etiam aliqua causa sit, ut domini excitentur ad majorem cautelam, & diligentiam.

347. Quamvis autem præscriptio etiam possit habere rationem poenæ, respectu negligentium, non tamen id necessarium est; nam C. Vigilanti §. de præscriptionibus. in objectione adductum, non solam segnitiam, sed etiam aliam rationem, scilicet evitacionem confusionis, & diuturni erroris adducit. At verò L. Ut perfectius. tantum tribuit aliquem favorem vigilantibus; non verò dicit, præscriptionem esse tantum poenam desiderium. Ad confir. neg. consequ. imò, cum in hoc casu detur restitutio, hoc est, rescissio præscriptionis, debet hæc, postquam completa est, jam jus transtulisse; aliàs cur deberet rescindi? Quòd autem de-



tur quibusdam personis, e. g. reipublicæ causâ absentibus, hæc restitutio, ex commiseratione, vel alterius boni publici respectu, non probat, præscriptionem præcisè esse pœnam negligentiae, sed tales personas justis de causis, à communibus dispositionibus excipi.

348. Ob. 5. Tridentinum. *sess. 25. decreto de regularibus. c. 19.* statuit, quòd, si Religiosus præterdat, invalidam fuisse suam professionem, ob viam, metum, defectum ætatis &c. non audiat amplius, si à die professionis jam sit lapsus quinquennium: ergo tanto tempore religio præscribit contra Religiosum: & tamen hæc præscriptio valet tantum in foro externo, nec talis homo est in conscientia Religiosus, vel subiectus votis: ergo præscriptio non valet pro foro interno. Resp. cum Lugone *de just. disp. 7. sect. 1. n. 10.* Tridentinum tantum dicere, talem non audiendum in iudicio: non autem dicere, contra eum præscribi, aut jus in eum acquiri. At leges de præscriptione longè aliter sonant; nam non tantum dicunt, priorem dominum non esse audiendum: sed etiam dicunt, transferri dominium.

Disparitas etiam in eo est, quòd quidem leges possint transferre dominium: sed non possint sine propria voluntate voventis facere Religiosum, sicut nec conjugem. An autem Ecclesia talem hominem obliget, ad ratificandam suam professionem, ut docet Sanchez apud Lugonem *loc. cit.* non absurdè posse dici: an verò non obliget; cum res sit nimis difficilis, ut videtur probabilius cedere Lugo *ibidem*, non refert: sufficit, Tridentinum non adstruere aliquam præscriptionem, in forma neg. confeq.

349. Ob. 6. Præscriptio se habet, ut lex, negans actionem læso infra dimidium iusti pretii: sed hæc non liberat lædentem ab obligatione restitutionis in conscientia: ergo. Resp. neg. antec. nam lex illa nunquam dicit, quòd lædens infra dimidium iusti acquirat dominium, aut lucretur excessum pretii: sicut tamen leges de præscriptione dicunt, præscribentem lucrari, vel acquirere dominium rei, legitimo modo, & tempore possessæ: adeoque fati apparet, jus civile noluisse in priori casu, aliquid mutare circa obligationem naturalem restituendi in conscientia: sed tantum voluisse negare actionem in foro externo, ne scilicet litres nimium multiplicentur.

350. Sed quæres, si is, qui legitime rem præscripsit, ignoret, se præscriptione acquisivisse dominium rei, eamque iterum reddat priori domino, an possit, si postea de jure à se acquisito certior factus sit, rem iterum repetere. Resp. cum Haunoldo *tom. 1. de just. tr. 5. c. 2. n. 175.* dicente, ita sentire doctores, & cum Layman *l. 3. sec. 5. tr. 1. c. 8. n. 23.* citante plures alios: & dico, eum, qui, post præscriptionem à se completam, iterum reddidit rem præscriptam, posse hanc iterum repetere; nam sibi verè acquisivit ejus dominium, & cum eam reddiderit ex ignorantia, & quidem antecedente,

te, quæ fuit causa redditionis, non habuit animum transferendi ejus dominium; nam tantum eam reddidit; quia putavit esse alienam; unde non voluit, transferre dominium; quia putavit, se hoc non habuisse, adeoque, nec posse transferre: sed tantum voluit, transferre ejus objectum, seu rem ipsam: adeoque in hoc casu prior dominus non acquisivit novum dominium: prius autem per præscriptionem perdidit, consequenter habet nullum: adeoque tenetur in conscientia, rem iterum reddere, etiam ante sententiam.

351. Dices. Ignoranti juris non prodest, nec excusat: ergo. Resp. disting. ant. ignorantia juris non prodest, si agatur de lucro acquirendo. om. ant. (nam infra melius hoc examinabimus) si agatur de damno rei jam acquisitæ. neg. ant. & conf. nam *L. 7. ff. de juris, & facti ignorantia.* ita habetur: *Juris ignorantia non prodest acquirentibus: suum verò petentibus non nocet.*

Dices 2. Ignorans, quòd per præscriptionem acquiratur dominium, hoc ipso non præscribit: ergo non acquirit dominium, prob. ant. talis deberet acquirere dominium per jura de præscriptione: atqui per hæc non acquirit: ergo. prob. mi. ipse ignorat hæc jura, & agitur de acquirendo: ergo ipsi hæc jura non profunt. Resp. 1. Posset esse casus, quo quis putaret, præscriptionem necdum esse completam, & postea primum comperiret esse completam, quo casu non interveniret ignorantia juris. Resp. 2. Casu quo aliquis etiam sciverit, se rem legitimo tempore possedisse: nesciverit autem, quòd præscriptio sibi tribuerit dominium, tamen neg. ant. ad prob. neg. mi. ad hujus prob. neg. conf. & sanè Haunoldus, Layman loqui videntur de hoc casu; loquuntur enim de casu, in quo præscribens ignorat jus, & non tantum factum, quod tamen solum ignoraret, qui tantum nesciret, præscriptionem esse completam.

352. Ratio autem responsi est. Ignorantia juris, quæ præscriptionem corrumpit (ut bene habet D. Gletle *in questionibus juris ex 2. ff. p. 2. q. 19. n. 42. sub finem*) est potissimum illa, quæ fundat bonam fidem, & impedit scientiam rei alienæ, e. g. si quis sciat, se emere à pupillo, nesciat tamen, pupillum absque tutoris autoritate non posse validè alienare, talis emptor habet ignorantiam juris, quæ fundat in ipso bonam fidem, qua judicat, hanc rem esse suam: & talis ignorantia non prodest, ut habetur *L. 2. §. 15. ff. pro emptore.* est enim odiosa: alia autem ignorantia potius videtur digna commiseratione.

353. Ad summum corrumpit præscriptionem illa ignorantia juris, quæ versatur circa aliquid, quod requiritur, ut actio illa legitime, seu juxta præscriptum legum fiat, sive illa ignorantia, qua est causa, ut aliquid omittatur à legibus requisitum. e. g. si quis ex ignorantia testamentum non faceret cum debitis solennitatibus. At non ita se habet

ARTICULUS III.

Quomodo Bona Fides requiratur ad Præscriptionem.

355. AD præscriptionem requiruntur hæc quatuor, his versibus comprehensa.

Equa fides, justus titulus, res non vitiosa,

Tempore præscripto possessio continuata.

Incipiamus à primo, scilicet, æqua, seu bona fide: hæc autem in genere loquendo est dictamen conscientiae, quo quis absolute, & sine dubitatione judicat, se posse licite ita, vel ita agere, vel non agere; unde bona fides in specie, requisita in ordine ad aliquam rem, præscriptione acquirendam, est indubium, & absolutum dictamen conscientiae; quo quis judicat, se posse licite rem habere tanquam suam: vel primò eam accipiendo, & sic inchoando possessionem: vel rem jam possessam retinendo, & sic possessionem continuando. Vicissim bona fides, requisita in ordine ad onus, præscriptione à se amovendum, est dictamen conscientiae, quo quis judicat, se hic, & nunc, licite aliquid non agere, vel licite certum onus à se excutere.

Ubi tamen notandum est, aliud esse dubitare de eo, an res sit sua: & aliud dubitare, an licite retineatur; nam, qui prius putavit, rem esse suam, & sic eam possedit, si postea ratio superveniat, suadens, rem non esse suam, fors incipit dubitare, an res sit sua: non autem hoc ipso incipit dubitare, an eam possit, ulterius retinere; quia hoc indubitato potest; eòquod ipsi, ob titulum possessionis præviæ, jus assistat ad continuationem possessionis, dummodo diligentiam in inquirendo domino adhibeat.

356. Quòd autem bona fides nihil aliud sit, quam tale dictamen, probatur ex communissimo omnium loquendi modo; quandoconque enim dicimus: *Bona fide hoc fecit: bona fide omisit: semper intelligimus, eum fecisse id bonâ conscientia: imò hæc habentur synonyma: bona conscientia autem aliud non est, quam tale dictamen; unde etiam. C. Quoniam. finale. de præscriptionibus. necessitatem bonæ fidei adstruit ex illo Apostoli ad Rom. 14. v. 23. Omne autem, quod non est ex fide, peccatum est: quem textum omnes explicant de dictamine conscientiae necessario ad licite agendum. Ex quo inferitur, malam fidem tunc dari, quando non datur tale dictamen; quia tunc actio non fit ex fide, sed ex alio dictamine, vel practice dubio, vel proponente omnino actionem ut illicitam.*

Ex hoc ulterius rectè inferitur, ut notat Haunoldus. *tom. 1. de just. tract. 5. c. 2. n. 179.* quòd, quando agitur de præscriptione strictè dicta, hoc est, de ea, quare ratione possessionis bonæ fidei nobis acquirimus propriam, debeat semper adesse aliqua ignorantia invincibilis alicujus circumstantiæ, vel conditionis, qua cognita sciretur, quòd res

habet ignorantia circa efficaciam præscriptionis; nam in primis ista non fundat in tali homine bonæ fidei possessionem, sed hæc ex alio titulo adest; neque enim talis putat, se bona fide possidere; quia nescit præscriptionem habere vim transferendi dominium; foret enim ridiculum, hoc dicere. Deinde ob hanc ignorantiam non omittitur aliquid à legibus præscriptum; nam nihil omittitur, nisi fors dicatur, omitti scientiam de efficacia præscriptionis. At ad legitimam præscriptionem non requiritur scientia de ejus efficacia; nihil enim de hac asserunt jura, vel ullus author. Et certè, si omnis actus esset inutilis ex eo, quòd vis, aut efficacia ei à jure annexa, nesciretur, planè nimis multi actus inutiles forent.

354. Dices 3. Qui solvit indebitum, putans se debere, transfert dominium; nam datur tali conditio indebiti: nemo autem condicit rem suam (nisi à fure; nam ex odio furum etiam datur conditio rei furto ablata, ut fur pluribus actionibus teneatur *§. Sic itaque discretis 14. Inst. de actionibus*) atqui restituens rem præscriptam solvit indebitum: ergo transfert dominium, Resp. 1. Etsi talis restituens transferret dominium, non transferret irrevocabiliter, sed deberet etiam ante sententiam res iterum reddi: sicut, si quis solvat ex errore indebitam pecuniam, & accipiens eam misceat cum sua, ita, ut discerni non possit, acquirit hic ejus dominium, ex *n. 266.* si tamen postea constet, eam pecuniam fuisse indebitam, debet reddi tanta, quanta est data, si non possit eadem data in individuo ab alijs discerni: ergo debet etiam reddi res præscripta.

Resp. 2. neg. conf. Redditio rei præscriptæ non est propriè solutio, neque putatitia; nam solvens strictè talis dat aliquid, quod prius putavit esse suum, e. g. pecuniam prius suam pro merce: atqui in nostro casu, reddens rem præscriptam, non dat aliquid, quod prius putavit esse suum, sed quod putavit esse alienum. ita Haunoldus *loc. cit.* ubi addit, fortè etiam solventem indebitum, Theologicè loquendo, non transferre dominium, nisi conditionatè: atque, se putare, quòd, si constaret de conditione non impleta, possit solvens pecuniam, seu rem pro solutione datam, non tantum condicere, sed etiam sibi vindicare, nisi ea res alio titulo, e. g. permixtione, fuisset subiecta alterius dominio. Tandem subjungit, etiam in hoc casu, in quo talis præscribens postea repetit suam rem, cujus dominium translatum non est, posse ejus actionem vocari conditionem indebiti ex æquo, & bono *L. 66. ff. de conditione indebiti*, quæ ita habet: *Hæc conditio, ex bono, & æquo, introducta, quod alterius apud alterum sine causa deprehenditur, revocare consuevit:* ergo etiam revocatio, sui repetitio ejus rei, hæc est alicujus, seu sub ejus dominio, attamen apud alterum, qui dominus non est, existit, vocatur conditio.

ad alium spectaret. Præter hanc tamen præscriptionem strictè dictam datur alia minùs strictè dicta, quæ præscribitur immunitatem rerum nostrarum ab aliquo onere, ab actione, à fisco &c. de qua agit Haunoldus, tom. 1. de just. tract. 5. c. 2. n. 183. & in hac non debet intercurrere ignorantia ulla: sed tantùm debet adesse bona fides, seu dictamen judicans, quòd hic, & nunc, nihil fiat contra conscientiam.

357. Dico 1. Tum jure civili, tum canonico, necessaria est ad inchoandam præscriptionem bona fides. ita communis doctorum, & expressè habetur *L. unica. Cod. de usucapione transformanda. & C. Vigilanti. 5. de præscriptione. & C. Si diligent. 17. eodem tit. atque C. Quoniam. finali. eodem tit.* & est communis. Probatur autem sic. Juxta communissimam doctorum, & ipsius etiam rationis lumen, requiritur ad initium præscriptionis positivum judicium, quo judices, rem esse tuam: vel eam tibi deberi: vel te præ aliis posse, eam tibi licitè accipere, & pro tua habere: sed hoc judicium est bona fides: ergo.

Prob. antec. Si non possis judicare prudenter, rem esse tuam, vel eam tibi deberi præ aliis &c. tu non habes potius jus, aut licitam potestatem, ad eam accipiendam, vel possidendam, quam alii: adeoque non potes sinè injuria, eam rem exclusis aliis velle tibi assumere, vel possidere. Et quis dicat, quòd, si quis mortuus ab intestato relinquat pinguissimam hæreditatem, e. g. principatum, & Cajus, ac Titius, habeant æqualia jura diversæ classis, quæ non simul constituent unum jus totale, quis, inquam, dicat in hoc casu, quòd possit statim Cajus, excluso Titio, se in possessionem hæreditatis, vi, aut armis immittere? Item, si quod legatum testamento relictum est, & dubitatur, an Titio, an Cajo; quia verba testamenti videntur æquè uni, ac alteri favere, quis dicat, Cajum statim posse præ Titio legatum illud sibi arripere? Sanè neque hoc ei licitum est, ut statim legatum, tanquam sibi debitum petat, & privata autoritate datum accipiat, atque sic illius possessionem inchoet, etsi paratus sit adversario in judicio respondere; quia non potest statim sibi arrogare jus possessionis, quod est satis privilegiatum. Confirm. Ut rectè ait Lugo de just. disp. 7. sec. 3. n. 18. qui rem vult incipere possidere, habet se per modum actoris, rem sibi postulantis, adeoque debet positivè probare, quòd res sit sua: hoc autem non potest, nec sibi ipsi probare, nisi habeat tale judicium, constituens bonam fidem: ergo.

358. Neque sufficit, ad inchoandam, propria auctoritate possessionem, judicium tantùm probabile, vel etiam æqualiter probabile, quòd res tua sit; nam, si est æquè probabile, quòd sit alterius (nisi fortè stet alia adhuc ratio pro te) non stat ullum jus potius pro te, quam pro altero; cum necdum sis in possessione: ergo non potes, propria auctoritate, tibi præ alio rem assumere.

re: nec potes prudenter judicare, te non agere contra jus alterius eam rem possidendo; unde requiritur judicium, saltem vel unicè probabile, vel manifestè probabilius, vel moraliter certum: uno verbo tale, ut non debeat quis prudenter dubitare, an res sit sua, vel ipsi præ aliis debeatur, vel ipse præ aliis possit eam rem sibi licitè accipere: quo casu ejus conditio est clarè melior: & sicut in tali casu ipsi judex deberet rem adjudicare, ita, si aliud non obster, potest rem, à nemine possessam, sibi asserere. At verò, si quis non majus jus, aut majorem rationem, quam alii, habeat, tunc, sicut judex non possit, ei rem adjudicare, ita nec potest ipse, eam sibi proprio motu assumere.

359. Notandum autem ulterius, ad præscriptionem non sufficere bonam fidem respectivè, e. g. si æstimem, rem non esse Pauli, cujus tamen est: at simul judicem, esse Petri, cujus revera non est. ita Haunoldus tom. 1. de just. tr. 5. c. 2. n. 180. nam in tali casu absolute tamen judico, rem non esse meam, adeoque retinendo eam pecco, ac mala fide eam possideo. Neque obest *L. 5. ff. pro derelicto.* ubi dicitur: *Si tibi rem ab uxore donatam sciens emerò, quia quasi volente, & concedente domino, id faceres, idem juris est:* hoc est, erit locus præscriptioni; nam talis vendens, & emens, non sunt malæ fidei, maxime, cum Haunoldus loc. cit. dicat, emptorem posse prudenter cogitare, talem donationem non fuisse ex illis, quæ in jure prohibentur; non enim prohibentur illæ donationes, quibus donans non sit pauperior, qualis poterat esse donatio ab uxore facta marito, si v. g. fuit remuneratoria. Aliud esset, si res esset divisim duorum, e. g. pars una Petri, pars altera Pauli, si ego nescirem unam partem esse Petri, sed putarem esse meam, quantum simul nossem, alteram partem esse Pauli, possem contra Petrum præscribere. Rursus, si scirem fundum esse obnoxium servituti, nescirem autem esse alienum: in hoc casu præscriberem fundum, sed non immunitatem à servitute.

360. Dico 2. Fides bona etiam requiritur in continuatione præscriptionis, ita, ut, si superveniat mala fides, præscriptio interrumpatur. ita omnes Theologi, & Juristæ: & quoad hoc punctum jus civile, quod *L. unica. Cod. de usucap. transformanda* tantùm exigit ad initium præscriptionis bonam fidem, correctum est à jure canonico, quod *C. finali. de præscriptionibus.* ita statuit: *Quoniam omne, quod non est ex fide, peccatum est, synodali judicio diffinimus, ut nulla valeat absque bona fide præscriptio, tam canonica, quam civilis; cum generaliter sit omni constitutioni, atque consuetudini derogandum, qua absque mortali peccato non potest observari. Unde oportet, ut, qui præscribit, in nulla temporis parte rei habeat conscientiam aliena.*

Idem sumitur ex *Regula 2. juris in 6. Possessor mala fidei ullo tempore non præscribit.* cujus ex Haunoldo tom. 1. de just. tract.

tract. 5. c. 2. n. 182. sensus potest esse talis, ut voces *ullo tempore* appellent super possessorem, hoc est, ut significant: *Qui ullo tempore mala fidei possessor est, non præscribit:* vel, ut appellent super præscriptionem, hoc est, ut significant: *Præscriptio mala fidei nunquam jus transfert:* cumque jus canonicum expressè derogat civili (ut patet ex textu cit. *Cap. finali.*) universaliter pro tota Christianitate abrogat præscriptionem malæ fidei.

361. An autem etiam abroget præscriptionem quoad actiones personales, seu, an non amplius valeat talis præscriptio in tantum, ut quis non amplius possit conveniri in judicio post 30. annos, ob personale obligationem dubitari potest, ut videre est apud Haunoldum tom. 1. de justit. tr. 5. c. 2. n. 190. Quidam insignis recentior Jurisconsultus ait, jura civilia, si tantùm statuatur finem litibus certo tempore, & interea relinquunt obligationem conscientie intactam, prout fieret in dato casu, esse justa: consequenter non esse correctæ: adeoque præscriptionem eam, saltem in foro externo, servare.

Addit, quosdam dicere, illam præscriptionem etiam in debitis indefinite, hoc est, in nullum certum tempus, contractis, valere in foro interno: sed contrarium plane probat Haunoldus tom. 1. de just. tract. 5. c. 2. n. 193. nam, etsi debitum non sit contractum in certum diem (quo casu dies interrumparet, & dilatio afferret malam fidem) tamen est contractum ex intentione tacita in tale tempus, quo ex consuetudine, & usu communi, solent talia debita solvi: adeoque hoc elapso incipit dilatio esse malæ fidei. Ad minimum intelligi debet hæc conditio: *Quandocumque debitor exiget:* quæ semper manet manente potestate exigendi.

362. Quòd si etiam non maneat potestas exigendi; eoquòd creditor e. g. mortuus sit, & hæredes nihil sciant de debito, tamen monet tempus, quo ex consuetudine, & usu communi, solent talia debita solvi, ut dictum; aliàs, si officialis bellicus, incisiis aliis, alteri suo amico dedisset mutuos e. g. centum aureos, in tempus indeterminatum (quia ex reverentia aliqua non ausus est, certum tempus præfigere solutioni) paulò post autem in pugna occideretur, talis debitor posset tacere, & post elapsum tempus præscriptionis (intra quod nemo, utpote omnibus debitum ignorantibus, istud potuisset exigere) nihil amplius relictis pupillis, & sæpe ad mendicitatem redactis, teneretur solvere: quod videtur planè admitti non posse. Nec est paritas cum servitutibus rusticis; quia speciales leges de illis non debent extendi ad debita. vide Haunoldum tom. 1. de just. tract. 5. n. 194.

363. Dico 3. Si post ceptam bonæ fidei possessionem superveniat dubium, an non res sit aliena, debet adhiberi moralis diligentia ad dubium vincendum: quodsi dubium non possit vinci, potest possessio, & præscriptio continuari. ita communissimè doctores. Ratio primæ partis est. In

omni dubio, an res licitè, vel illicitè fiat, debet adhiberi diligentia, ad dubium illud vincendum; ut enim suppono ex tract. de actibus. dubium vincibile affert conscientiam, practicè malam, seu dubium practicum, cum quo nunquam licet operari; eoquòd sic aliquis formaliter se exponat periculo peccandi, & consequenter peccet; quia implicitè est ita dispositus, ut, etiam si res sit peccaminosa, tamen eam facere velit: ergo etiam ad istud dubium vincendum debet adhiberi moralis diligentia.

364. Ratio secundæ partis est. Si post adhibitam pro gravitate rei moralem diligentiam, tamen dubium vinci non potest, tunc potest quis se juvare principio reflexo, & *regula 6. juris in 6. In pari delicto, vel causa, melior est conditio possidentis:* vel uti communiter explicant doctores: *In dubio melior est conditio possidentis:* quæ regula locum saltem habet in materia justitiæ, in qua versamur. Rursus: *In dubio favendum est potius reo, quam actori:* & hoc non probante, ille absolvitur: ex quo sic arguitur. Qui jam bona fide incepit possessionem, & modo à superveniente dubio in litem quasi vocatur, est reus: & dubium superveniens est quasi actor: ergo.

Sanè, sicut in tali casu judex in foro externo non abjudicaret possessionem ei, qui eam jam prius habuit, ita nec ipse debet, eam sponte deserere; unde potest sibi dicere, stante hoc invincibili dubio, se jam in possessione existentem, esse melioris conditionis, quam alium, adeoque præ alio posse pergere possidendo. Et sic talis nunquam operatur cum dubio practico; quia format sibi prudens dictamen, quòd, stante illo dubio speculativo, possit hic, & nunc, licitè possessionem continuare.

365. Questio autem hæc ulterior est, an etiam cum dubio practico possit quis possessionem, vel præscriptionem, non quidem licitè (hoc enim clarè non potest) sed saltem validè continuare. Et quidem potest hic casus dupliciter poni. Primò, ut quis operetur cum dubio practico; quia non adhibet debitam diligentiam in inquirendo domino, seu quia operatur cum dubio vincibili de proprietate rei. Secundò, ut quis operetur cum dubio practico; quia periterante post adhibitam sufficientem etiam diligentiam dubio, de rei proprietate, nescit, meliorem esse conditionem possidentis: & sic putat, sibi non esse licitum, vel certè practicè dubitat, an sit sibi licitum, rem ulterius possidere: interim tamen possessionem continuat, & sic ex conscientia erronea peccat possessionem continuando. Et quidem quod attinet ad primum casum, non invenio, qui dicat, eum, qui non adhibet debitam diligentiam, posse præscriptionem validè continuare; cum omnes dicant, talem peccare contra justitiam, & habere malam fidem, adeoque præscriptionem ejus interrumpi.

366. Quod attinet ad secundum casum, doctores, saltem quos videre potui, quique

quique hunc casum in terminis tractant, negant omnes, cum tali dubio præscriptionem posse continuari. ita Molina de just. tom. 1. tr. 2. disp. 63. Lessius l. 2. c. 6. dub. 4. n. 13. Lugo de just. disp. 7. sect. 3. n. 23. & seq. ubi citat etiam Turrianum. Illi tunc tract. 4. disp. 2. q. 5. n. 301. ubi citat etiam Palaum: item Ininger de dominio. disp. 3. q. 2. n. 3. §. Dico 3. Quidam autem conclusionem hanc probant ex L. Si fur. 32. ff. de usurpationibus. & usucapionibus. in quadam dicitur: Si quis id, quod possidet, non putat sibi per leges licere usucapere, dicendum est, etiamsi errat, non procedere tamen ejus usucapionem: vel quia non bona fide videatur possidere: vel quia in jure erranti non procedat usucapio: sed alii non fatidunt huic probationi; cum enim jus civile non irritet præscriptionem, ob malam fidem supervenientem, ut omnes fatentur, certè hæc lex, si loquitur de dubio, videri potest exponenda de initio possessionis, seu quando quis primò possidet, & non de continuatione possessionis.

367. Dico tamen 4. Dubium tale practicum probabilis impedit præscriptionem. Prob. conclusio ex Lugone loc. cit. Præscriptio est privilegium, quod à jure canonico non permittitur, nisi illi, qui rem possidet fide completè bona, & ita, ut non peccet contra justitiam: atqui talis practice dubitans non ita rem possidet: ergo. ma. prob. negativè; quia non probatur alteri, quàm tali, concessum esse id privilegium, & concessio debet positivè probari. Eadem major probatur 2. à Cardinale de Lugo à pari. Sicut ad incurrendas poenas requiritur, ut & actus externus, & internus, sit completus, seu, ut etiam conscientia interna completè mala adsit, ita quoque ad privilegium requiritur, ut adsit tam possessio externa, quàm conscientia interna, seu fides completè bona: ergo.

Probatur 3. illa major ex C. finali, quod derogat omni legi civili, seu cuicumque constitutioni, quæ sine peccato observari non potest: & se fundat in illo dicto Apostoli ad Rom. 14. v. 23. Omne autem, quod non est ex fide, peccatum est: quem textum interpretes, ac Theologi omnes, communissimè explicant de peccato ratione dubij practici: ergo etiam derogat constitutioni, seu legi, aut etiam opinioni, dicenti, cum dubio practico, adeoque cum peccato, seu possessione peccaminosa, posse præscribi. Confirm. Capitulum dictum videtur planè requirere possessionem ex fide, hoc est, possessionem, quam quis judicat, non esse peccaminosam: atqui possessio, quæ juncta est cum dubio practico, non est talis: ergo.

368. Dices 1. Talis possessor non habet fidem malam: ergo potest præscribere. Resp. 1. om. ant. neg. conf. Capitulum finale exigit fidem verè bonam: ergo, etiamsi talis esset in statu medio, tamen non præscriberet. Resp. 2. neg. ant. talis enim, cum non possideat rem ex fide, seu cum tali dictamine, vi cuius judicet, se licet rem re-

tinere, habet omnino malam fidem, & quidem malam, seu peccaminosam, contra justitiam.

Dices 2. Talis non habet conscientiam rei alienæ: ergo. Resp. 1. om. ant. neg. conf. Ad bonam fidem non sufficit, non habere conscientiam rei alienæ; aliàs nec dubium practicum, nec ommissio diligentia inquirendo domino, eam fidem tollerent. Unde Cap. Quoniam. finale. de præscriptione. non asserit, tunc dari bonam fidem, quando non datur conscientia rei alienæ: sed tunc, quando res fit ex fide, seu ex dictamine conscientia legitimo: & ex hoc tantum infert, quòd, quando datur conscientia rei alienæ, non possit dari præscriptio; quia tunc possessio, seu retentio, certò non est ex fide.

Non autem infert Capitulum, quòd semper, quandoquocumque non datur conscientia rei alienæ, eo ipso jam detur bona fides; hoc enim est falsum, ut patet in practice dubio, estètque hæc illatio similis huic: Qui est irregularis, non potest ordinari; unde bigamus non potest ordinari: ergo omnis, qui non est bigamus, potest ordinari: vel: Qui non est pauper, non potest petere elemosinam; unde rex non potest petere elemosinam: ergo omnis, qui non est rex, potest petere elemosinam. Itaque, etiamsi non detur in tali homine conscientia, seu noticia certa rei alienæ, tamen non est possessio ex fide. Confirm. Talis dubitans habet saltem conscientiam erroneam rei alienæ non retinendæ: quæ jam impedit bonam fidem: ergo.

369. Resp. 2. neg. ant. Cùm Concilium Lateranense, ex quo desumptum est Capitulum illud finale, se fundet in illo dicto jam memorato Apostoli, planè intelligit, illum sufficienter habere conscientiam rei alienæ, qui rem non habet ex fide, hoc est, qui habet conscientiam dubiam, seu qui habet dubium practicum: & licet fortè in rigore strictissimo dubium non sit conscientia, tamen etiam in sensu communiter usitato, dubium accipitur pro conscientia; nam omnes Theologi dividunt conscientiam incertam, probabilem, & dubiam. Insuper C. Inquisitioni. 44. de sententia excommunicat. etiam opinio, ex credulitate levi orta, vocatur conscientia: quæ certè parùm distat à dubio; unde dici potest, etiam Capitulum finale se accommodasse huic divisioni, vel communi modo loquendi Theologorum; quia loquitur de eo, qui agit non ex fide, seu non habet fidem bonam: quod utrumque verificatur de agente cum dubio practico. D. Gletle. p. 2. questio. select. q. 19. n. 38. ait, dubitantem non ignorare, rem esse alienam; eoquòd ignorantia sumatur, non negativè, sed positivè, seu pro judicio positivè errante, quo quis positivè judicet, rem esse suam: quod judicium non habet dubitans, & hinc neque habet ignorantiam in eo sensu, in quo accipitur in ordine ad præscriptionem.

Confirmatur hæc responsio. L. Sed etsi. 25. ff. de petit. heredit. §. 7. dicitur, pos-

sessorem: post motam controversiam, cœpisse scire, quòd res ad se non pertineat: atqui non quilibet, strictè loquendo, scit rem non esse suam, quando ei movetur controversia, sed sæpe tantum incipit dubitare: nec videtur, ex qua ratione jura statim possint, præsumere in tali possessore scientiam strictè dictam, vel etiam tantum iudicium absolutum de eo, quòd possideat rem alienam: ergo per scire etiam intelligitur dubium practicum; quia jura debent præsumere; quæ ordinariè fiunt.

370. Dices 3. Ex nostris his probationibus sequeretur, quòd etiam possessio contra votum simplex, vel ex alio, quàm ex titulo justitiæ, peccaminosa, non possit jure præscriptionem: sed hoc est nimis rigidum: ergo. Resp. neg. ma. Capitulum finale sæpe citatum voluit tantum remove-re possessionem malæ fidei contra justitiam, ad quam jura maximè attendunt, & quam etiam hoc capitulum per se respicit; hoc enim voluit per se, obviare peccatis contra justitiam, & non dare hominibus, valde desiderantibus modo præscriptionis, occasionem usurpandi aliena, hac spe, quòd ea titulo præscriptionis possint paulatim facere propria. Cætera verò peccata, per accidens se habentia ad intentionem suam, hoc capitulum non voluit excludere; neque enim leges debent excludere omnia, quæ per accidens tantum se habent ad earum intentionem, ut per se patet, & aliàs nimiam haberent extensionem.

371. Dices 4. Talis practice dubitans possessionis continuator, agit tantum contra justitiam affectivè, non verò effectivè: ergo. Resp. dist. ant. Talis non agit formaliter contra justitiam effectivè, om. ant. non agit materialiter contra justitiam effectivè, nec formaliter affectivè. neg. ant. & conf. Talis revera possidet, quod re ipsa non est suum: adeoque materialiter agit effectivè contra justitiam: formaliter autem contra eandem agit saltem affectivè, & hoc satis est, ut non agat ex fide, adeoque non consequatur privilegium præscriptionis. Dices 5. C. Si virgo. 34. q. 1. dicitur omnis bonæ fidei possessor, & tandiu, quamdiu se possidere ignorat alienum: ergo talis dubius est bonæ fidei possessor. Resp. dist. ant. & illud ignorare debet sumi cum debitis limitationibus. conc. ant. potest sumi sine omnibus limitationibus. neg. ant. & conf. Si illud ignorare sumeretur inlimitatè, etiam vincibiliter ignorans esset bonæ fidei possessor; quia revera ignorat: quod à nemine admittitur.

Unde illud capitulum debet explicari, vel de eo, qui habet ignorantiam in sensu Domini Gletle citati n. 369. hoc est, qui habet positivum iudicium, indubiè judicans, rem esse suam: vel de eo, qui ita ignorat, ut practice de licentia possessionis non dubitet: quod roborari videtur ex casu, in ea lege adducto; dicitur enim ibi, si virgo ignorans copuletur viro alieno, eam non committet adulterium; eoquòd ipsam excuset igno-

rantia, sicut excusat bonæ fidei possessorem: atqui nemo dicit, talem virginem, si copuletur cum dubio practico, non admittere aliquam speciem adulterii, explicandam in confessione: ergo lex illa non loquitur de ignorantia, conjuncta cum dubio practico: statque potius pro nobis, quàm pro adversariis. An autem per istam, vel etiam aliam undecunque malam fidem, præscriptio tantum dormire incipiat, an omnino interrumpatur, vide Lugonem disp. 7. sect. 8. n. 150.

372. Ex hucusque disputatis habetur, bonam fidem talem requiri, ut quis sine peccato gravi possessionem rei alienæ possit continuare: an autem requiratur talis, ut quis etiam sine peccato veniali, eam possit continuare, examinat fufius Lugo de just. disp. 7. sec. 3. n. 36. & seq. ubi ipse cum Molina, quem citat, ait, hoc non requirit, tum quia C. finale. loquitur de peccato mortali; (nam ait, omni constitutioni derogandum, quæ sine mortali peccato servari non potest) tum quia esset valde difficile, si præscribere non possit, qui venialiter tantum negligens fuisset, e.g. ex inadvertentia in adhibenda; vel acceleranda debita diligentia: vel qui putasset, se tantum venialiter obligari ad majorem diligentiam. Accedit 1. quòd, sicut ille, qui tantum venialiter contra fidem peccat, tamen adhuc simpliciter dicitur fidelis, ita etiam talis, tantum venialiter peccans, contra bonam fidem, adhuc istam simpliciter habere dicendus sit. Accedit 2. quòd conscientia multum implicarentur; cum prohi facile timerent, ne venialiter saltem peccassent: adeoque nunquam præscriptione uti audent.

ARTICULUS IV.

Expediuntur reliqua de Bona, & Mala Fide.

373. Hæcenus dicta intelligenda sunt de fide Theologicè bona, quæ requiritur, sed tamen sola non sufficit ad præscriptionem; debet enim etiam esse civiliter bona, hoc est, debet quoque habere condiciones à legibus requisitas: & in hoc sensu dicitur L. 25. Sed etsi. §. 7. ff. de hereditatis petitione. Post litem contestatam omnes incipiunt male fidei possessores esse: quin imò post controversiam motam; unde hic questio ulterior oritur, an fides bona, requisita ad præscriptionem, sit cum ignorantia juris, vel facti: seu an ignorantia juris, aut facti, in qua fundatur bona fides, non obsit præscriptioni.

Est autem ignorantia juris, quando ignoro, quid in jure statutum sit, e.g. si nescio, tractatum cum pupillo sine auctoritate tutoris non valere, nec sufficere, si ejus auctoritas, vel ratificatio, primùm postea superveniat. At ignorantia facti est, quando ignoro aliquid, quod in facto consistit.

e.g. si quidem sciam, contractum cum pupillo, ut dictum est, non valere: nesciam tamen, hunc, cum quo contracto, esse pupillum. Et quidem hic agitur de ignorantia invincibili; si enim vincibilis sit, utique non stat cum bona fide Theologicè tali, adeoque præscriptionem corrumpit: sive de in sit juris, sive facti, & sive facti proprii, sive alieni.

374. Si autem ignorantia invincibilis sit, tunc, si est ignorantia facti, saltem alieni, ea præscriptioni non obest, ut est communissima; & habetur *L. 4. §. 8. ff. de juris. & facti ignorantia*. Certè, ut dictum est *n. 356.* in qualibet præscriptione debet intercurrere aliquis error facti; nam præscribens, dum judicat, rem esse suam, hoc ipso actualiter errat, & errorem ignorat. Dixi: *Si ignorantia sit facti alieni*; nam ignorantiam facti proprii, quidam putant non universaliter tolerari: quibus tamen contradicere videntur Schmalzgrueber *l. 2. tit. 26. n. 66.* & Pichler *cod. tit. n. 30.*

At, si est ignorantia juris, distinguendum est, an sit jus manifestum, & indubitatum: vel an sit jus dubium, de quo auctores inter se disputant. Et quidem, si jus dubium sit, est communissima, ejus ignorantiam non obstat præscriptioni; nam, si ipsum jus dubium est, etiam dubium est, an ejus ignorantia sit ignorantia juris; si enim revera jus non esset, ejus ignorantia non foret ignorantia juris: adeoque propter tale dubium non debet quis spoliari jure, quod per possessionem acquisivit. Questio itaque procedit de ignorantia juris certi, & manifesti.

375. Dico itaque 5. Ignorantia, etiam invincibilis, juris certi, & manifesti, per se etiam in foro conscientie impedit præscriptionem, saltem ordinariam, & eam omnem, ad quam non sufficit titulus præsumptus, sed allegari debet titulus coloratus. ita communissimè Theologi, & juristæ. Probatur conclusio. Leges civiles talem præscriptionem reproband: nec sunt injustæ, consequenter non sunt correctæ à jure canonico: neque etiam sunt purè pœnales: ergo etiam procedunt in foro interno, & non tantum in externo. antec. quoad primam partem est clarum; nam *L. 4. ff. de juris. & facti ignorantia*. ita habet: *Juris ignorantiam in usucapione negatur prodesse: facti vero ignorantiam prodesse constat.* & *L. 8. cod. 20. Error facti ne maribus quidem in damnis; vel compendiis obest: juris autem error ne feminis in compendiis prodesset: ceterum omnibus juris error in damnis amittendæ non nocet:* similia habentur *L. 31. §. 1. ff. de usurpationibus, & usucapionibus.* & *L. 2. §. 15. ff. pro emptore.*

Sed nec secunda pars antecedentis videtur posse negari; nam leges civiles absque dubio possunt statuere conditiones honestas, quibus non positus non obtineatur privilegium præscriptionis: maxime, cum vis præscriptionis originaliter habeatur à jure civili; unde nihil injusti est in his legibus,

tales conditiones ad valorem præscriptionis requirentibus. Tertia etiam pars antecedentis indè patet, quòd jus canonicum non solet corrigere jura civilia, quæ justa sunt, nec peccatis aniam præbent: sed nec ostendi potest ullus canon, qui jus civile quoad hoc correxerit. Quarta pars antec. quòd nempe istæ leges non sint pœnales, habetur ex eo; quòd nec à longè pœnam sonent, sed conditiones ponant, quibus non observatis præscriptio nulla sit: sicut ponuntur conditiones circa alios contractus, vel testamenta.

376. Dixi, ignorantiam juris manifesti per se impedire præscriptionem; nam exceptio faciendæ est earum personarum, in quibus ignorantia juris toleratur: tales sunt milites, & minores *L. 1. Cod. de juris. & facti ignorantia.* & *L. 9. §. 1. ff. cod. tit.* Mulieres autem non videntur ubique excipiendæ, ubi agitur de lucro faciendæ. *L. 11. & L. 13. Cod. modò cit.* item *L. 8. ff. cod. tit.* Sed nec in rusticis universaliter toleratur ignorantia juris; nec enim leges eos ulli excipiunt, certè non universaliter; licet enim *L. 9. §. 3. ff. de juris. & facti ignorantia*, dicatur, ignorantiam juris tantum obesse, vel jurisperitis, vel jurisperitis, quos consulant, ad manum habentibus, id tamen non probat, in rusticis universaliter tolerari ignorantiam juris; & si hoc probaret pro rusticis, probaret etiam pro aliis civibus, artificibus &c. Sed de hoc inferius.

Aliter autem de præscriptione extraordinaria, in qua à jure præsumitur titulus, sentit Haunoldus *tom. 1. de just. tr. 5. c. 2. n. 203.* citatque *n. 196.* pro sua sententia Covarruviam, Paulum Castrensem, & alios: item Lessius *l. 2. c. 6. dub. 5. n. 17. §. Hac ferè.* ubi adhuc plures alios citat; a-junt enim hi auctores, ignorantiam juris ideo obesse in præscriptione ordinaria; quia fundat titulum, quem jura improbant, e.g. contractum cum pupillo agnito ut tali, sine autoritate tutoris ex ignorantia juris initum: quem contractum cum jura improbant, non potest eum præscribens allegare, cumque non habeat alium titulum, ut ponitur, non potest titulum probare: quod tamen in præscriptione ordinaria necessarium est: consequenter ista corrui.

Hæc autem ratio non pugnat contra præscriptionem extraordinariam, in qua titulus non debet probari, sed præsumitur; unde ajunt, ignorantiam juris extraordinariæ præscriptioni non obesse. Addit Haunoldus *loco modò cit. n. 204.* quòd jura, sicut in præscriptione ordinaria accipiunt titulum coloratum pro vero, & ratione illius transferunt dominium, ita in extraordinaria accipiunt titulum præsumptum pro colorato, & etiam ratione hujus transferant dominium. Addit P. Pichler in *Candidato jurispr. sacr. l. 2. tit. 26. n. 31.* illa verba *L. 31. ff. de usurpat. & usucap. Nunquam in usucapionibus juris error possessori prodesset:* intelligenda esse de usucapione, seu præscriptione ordinaria; eoquòd in Digestis

gestis incognita sit præscriptio extraordinaria, adeoque de ista non agatur.

377. Dico 6. Fides Theologicè mala auctoris nocet successori immediato universaliter, & quidem ita, ut nec incipiendo à propria possessione, etiam hanc bona fide inchoaverit, possit præscriptionem, saltem ordinariam, complere: non autem ita nocet successori particulari, vel singulari. *Succesor universalis* est, qui succedit in universalitatem bonorum, seu in universum jus tanquam hæres, sive sit hæres ex asse, sive tantum in certa parte, femisse, triente &c. nam & hæc successio respicit rem indefinitam, & nullam singularem quàm talem. *Succesor singularis* est, qui in re aliqua determinata, & singulari, succedit, ut legatarius, donatarius, emptor. Conclusio, teste Haunoldo *tom. 1. de just. tr. 5. c. 2. n. 208.* est communis, loquendo de jure communi; nam de jure Bavarico testatur idem auctor, posse successorem universalem, saltem à se ipso præscriptionem inchoare, si bonam fidem initio possessionis suæ habuerit.

Probatur conclusio ex *L. Simala fide. 3. Cod. communia de usucapion.* quæ sic habet: *Si mala fide servum tuum sciens Antiochus tenuit, intentionem tuam contra successorem ejus, licet bona fide possidet, propter initium vitium usucapionis non absumpserit.* item ex *L. Cum hæres. 11. ff. de diversis temporibus præscriptionibus &c.* quæ ita habet: *Cum hæres in jus omne defuncti succedit, ignorantia sua defuncti vitia non excludit, veluti cum sciens alienum illum, illo vel precario possedit; quamvis enim precarium hæredem ignorantem non teneat, nec interdictio rectè conveniatur, tamen usucapere non poterit, quod defunctus non potuit.* Idem juris est, cum de longa possessione queritur; neque enim rectè defenditur, cum exordium ei bone fidei ratio non tueatur: nempe, cum hæres repræsentet personam defuncti, habet malam fidem fictione juris: hoc est, jura fingunt, possessionem hæredis initium capere ab illo tempore, & cum illa fide, à quo, & cum qua defunctus cepit possidere: ergo nunquam potest præscribere.

378. Conclusionem hanc Haunoldus *cit. tract. 5. n. 214.* (ubi plures citat) itemque alii, extendunt etiam ad præscriptionem extraordinariam, ex ea ratione; quòd hæres censetur esse eadem. persona cum defuncto: cum igitur iste non potuerit cum mala fide præscribere, etiam longissimo tempore, & extraordinaria præscriptione (uti non potuisset patet ex *n. 360.*) neque id poterit hæres. Confirm. ex *L. 11. Cod. de adquirenda possessione ubi dicitur: Vitia possessionum à majoribus contracta, perdurant, & successorem auctoris sui culpa committatur.*

Illung tamen *tr. 4. disp. 2. q. 5. n. 308.* citans Baldum, Vasquium, & alios, tradit, in præscriptione extraordinaria successori non obesse malam fidem auctoris, modò ipse bona fide, seu conscientia, possessionem

inchoaverit; nam putat, ex hoc tempore successorem talem præscribere posse, saltem longissimo tempore; quia putat, longissimi temporis præscriptioni tantum obesse malam fidem peccaminosam, qualem ait, non esse, quæ per fictionem juris tantum est mala. Et hoc etiam concedit Haunoldus *loc. cit. n. 212.* si fides auctoris non fuit Theologicè mala, sed tantum civiliter ex ignorantia juris.

379. Dixi in conclusione *successori immediato*; nam, an etiam successori mediato, e.g. nepotinoceat, si avus malam fidem habuit, magis dubium est: & multè negant, multi contra affirmant, ut videtur apud Haunoldum *tom. 1. de just. tr. 5. n. 208.* Affirmativa sententia nititur hac ratione, quòd nempe etiam hæres mediatum repræsentet personam defuncti. Negativa contra dicit, hæredem mediatum non esse hæredem primi defuncti, seu auctoris: sed tantum esse hæredem primi hæredis: cum autem primus hæres non habuerit malam fidem, nisi fictione juris, & jus, teste Bartolo, ac aliis, horreat duplicem fictionem in eadem re, & ex eodem capite, hinc non videtur etiam secundus hæres fictione juris habere malam fidem.

Illung *tr. 4. disp. 2. q. 5. n. 307.* sententiam negativam tanquam probabiliorè etiam amplectitur: saltem in tantum, ut talis hæres mediatum, non quidem computare possit tempus possessionis, ab antecessoribus habitæ, seu uti accessione hujus temporis: sed tamen possit ab initio suæ possessionis tempus computare. Videtur tamen discrimen facere inter hæredes omnimodè mediatos, & inter hæredes, nativitate quidem mediatos, sed tamen in jure dictos suos, quales sunt e.g. nepotes respectu avi, si pater eorum sit mortuus, vel aliter emancipatus, ita, ut non sit amplius hæres suus respectu sui patris, qui est avus nepotum: dum interim nepotes adhuc existunt sub potestate patria avi, & sic succedunt in locum patris *§. Sui autem. 2. Instit. de hæredum qualitate*. Hos hæredes videtur excipere Illung, ut etiam Schmalzgrueber *l. 2. tit. 26. de præscript. n. 75.* ubi ait, hæredes suos communiter à doctores excipi; eoquòd alias nihil novi statueret *L. 2. Cod. de usucapione pro hærede.* quæ ita habet: *Nihil pro hærede posse usucapere, suis hæredibus existentibus, magis obtinuit:* & videtur etiam glossa huic opinionem favere. Dein, ut ait Lessius apud eundem Schmalzgrueber *loc. modò cit.* isti hæredes censentur continuare titulum defuncti.

Sed Haunoldus *tom. 1. de just. tr. 5. c. 2. n. 244.* fusè auctoribus istis respondet, eosque refutat, & contendit, etiam suos hæredes præscribere posse. Verum iterum Haunoldi responsiones implicite refellit Illung, *loc. modò cit.* Si velis, consulere poteris ipsos auctores modò citatos; quæstio enim hæc longior est, quàm, ut hic incidenter tantum, resolvi possit.

380. Quòd attinet ad successorem particularem, hic potius legatarius esse vide-

tur, ut ait Illfing. *tr. 4. disp. 2. q. 5. n. 306.* nec repræsentat personam defuncti; unde talis, sicut alius quicumque, potest ordinario tempore, titulo pro hærede præscribere. Excipit tamen P. Pichler in *Cand. jurispru. sacr. l. 2. tit. 26. n. 35.* (*per errorem est notatus 37.*) res immobiles; has enim (ait) si author mala fide possederit, successor etiam particularis prohibetur præscribere præscriptione ordinaria ex *Novella 119. c. 7. & Authent. Mala fidei. Cod. de longi temporis præscriptione.* Attamen in hac ipsa Authentica permittitur præscriptio longissimi temporis, seu tricennalis. Idem ferè tradit Haunoldus *tom. 1. de iust. c. 2. n. 215.* ubi excipit casum, quo author malam fidem habens, rem mala fide possessam alienaverit, seu per donationem, seu per venditionem, successor factam, & dominus verus ignoraverit, tum suum jus in illa re, tum ejus alienationem; tunc enim, ut ait, jure novo ex *Authent. Mala fidei. Cod. de præscriptione longi temporis.* non potest successor, rem talem præscribere tempore ordinario, quamvis possit extraordinario. Intelligenda autem est hæc limitatio de rebus immobilibus, quæ, ut observat Illfing *tr. 4. disp. 2. n. 306.* aliàs indigent longi temporis præscriptione, de qua in cit. Authentica est sermo. Res autem mobiles, mala fide habitæ, ordinariè sunt furtivæ, quæ ex hoc capite præscribi non possunt. Notat insuper Haunoldus *cit. tract. n. 216.* agiibi de dominiis: non de aliis juribus, e. g. hypothecis, ad quas Authentica exorbitans, & correctoria juris, non debet extendi.

381. Dico 7. Bona fides authoris prodest successori, tam universaliter, quam particulari, adeo, ut, nisi mala fides superveniat, possit successor computare tempus possessionis, quo author bona fide rem possedit, illudque cum tempore suæ possessionis conjungere, seu possit accessione temporis uti, & sic præscriptionem complere. ita Layman *l. 3. sec. 5. de iustit. tr. 1. c. 8. n. 17.* & communis. Sumitur ex *§§. Divina possessio. 12. & Inter venditorem. 13. Inst. de usucapionibus, & longi temporis præscriptionibus.* item ex *L. 15. variis §§. ff. de diversis temporalibus præscriptionibus.* Ratio etiam universalis est. Author vult in successorem omne suum jus transferre: atqui inter jura erat etiam hoc, quod est cœpisse præscriptionem possessione bonæ fidei: ergo.

ARTICULUS V.

Solvuntur Objectiones.

382. **O**B. 1. contra 1. conclusionem. *n. 357. statutam. C. Quoniam finale. de præscript.* tantum exigit, ut quis in nulla temporis parte rei habeat conscientiam aliena: ergo hoc sufficit ad bonam fidem, etiam in inchoanda possessione: ergo non est opus, ut quis positivè judicet, rem esse suam, vel eam se posse habere ut suam, quæ in hac materia

solet vocari *fides positivè bona*: sed sufficit etiam ad inchoandam possessionem, ad præscribendum necessariam, ut quis non habeat conscientiam rei alienæ, quæ solet vocari *fides negativè bona*. Confirm. Sufficit, non habere conscientiam rei alienæ in continuatione possessionis, vel præscriptionis: ergo etiam idem sufficit in inchoatione; quia capitulum non facit discrimen.

Resp. neg. antec. Capitulum finale non dicit, dari bonam fidem, seu sufficientem ad præscribendum, quando non datur conscientia rei alienæ (aliàs etiam juxta ipsum sufficeret ignorantia rei alienæ, etsi quis nullam diligentiam adhiberet in inquirendo domino, vel etiam practicè dubitaret; talis enim etiam non haberet conscientiam rei alienæ, hoc est, ut adversarii sumunt, certam conscientiam de eo, quod res sit aliena) sed capitulum dictum requirit ad bonam fidem, ut quis juxta Apostolum agat ex fide, seu bonâ conscientia: & ex hoc tantum infert, quod cum conscientia rei alienæ non possit præscribi; quia cum tali conscientia non potest quis agere ex fide.

Neque ex eo, quod capitulum excludat conscientiam rei alienæ, contentum est qualibet ignorantia rei alienæ, ut jam ostensum: sed debet esse ignorantia ex fide. Scilicet capitulum illud æquivalenter sic argumentatur: *Omne, quod non est ex fide, est peccatum, adeoque etiam possessio non ex fide est peccatum: sed possessio cum conscientia rei aliena non est ex fide: ergo est peccatum: consequenter statuendum est, ut cum tali possessione, & tali conscientia, non valeat præscriptio: ex quo non potest legitimè inferri: ergo, quandoque non datur conscientia rei aliena, res possidetur ex fide, seu sine peccato, & valet præscriptio; esset enim argumentatio similis illi, quam retulimus *n. 308.* nempe: *Qui est irregularis, non potest ordinari: sed bigamus est irregularis: ergo non potest ordinari: ergo omnis, qui non est bigamus, potest ordinari.**

Unde, si per fidem positivè bonam tantum intelligatur judicium, quo quis judicat, se posse licitè rem retinere, vel ulterius possidere, tunc fides positivè bona etiam requiritur ad continuationem præscriptionis; neque enim ad hanc sufficit sola negatio conscientia rei alienæ (aliàs cum dubio practico posset continuari vel compleri præscriptio contra dicta *n. 365. & seq.*) sed debet ea negatio esse conjuncta cum aliis principiis *n. 364.* allatis, quibus adjunctus possessor potest sibi formare dictamen, quod ex fide, sive bonâ conscientia, possit rem ulterius retinere. Si autem per fidem positivè bonam intelligatur judicium, quo quis absolutè judicet, hanc rem esse suam, (quod saltem ordinariè requiritur ad inchoandam possessionem) tunc fides positivè bona non requiritur ad continuationem possessionem, vel præscriptionem.

383. Ad confirm. om. ant. ob dicta *num. præc. neg. conseq.* Disparitas non est tendenda ex capitulo finali, sed ex aliis principiis:

piis: scilicet continuanti possessionem faveret receptissima regula juris, quod melior sit conditio possidentis, ex quo sibi possessor potest formare dictamen, quod, manente etiam dubio speculativo, possit continuare possessionem (modò interim diligenter inquireat in dominum) & sic suo tempore præscriptionem complere: hac autem ratione, ut Apostolus, & capitulum exigunt, agit ex fide, seu bona fide. At talis, vel similis regula, aut principium, non faveret inchoanti propria auctoritate possessionem, seu primò rem sibi ita accipienti, saltem non nisi in rarissimis casibus: sed hic debet habere positivæ rationes, vi quarum rem sibi præ aliis accipiat, & eam accipiendo ex fide agat.

Dixi: *Saltem non nisi in variis casibus;* nam negare non velim, posse aliquando contingere, ut quis etiam non habens majorem, vel meliorem titulum, aliquod jus fundantem ad aliquam rem, possit tamen bona fide eam præ aliis sibi accipere. e. g. moriens aliquis relinquit mancipium athiopem: Catholicus, & hæreticus, habent uterque titulum æqualem, ut jus omnino dubium sit: puto, posse Catholicum sibi athiopem accipere ob bonum animæ, qui titulus non est titulus juris residentis in Catholico: attamen videtur sufficiens, ut hic ex fide, seu bona fide, eum athiopem sibi accipiat; quem tamen, si hæreticus clarum jus haberet, sibi accipere non posset, verbo: debet semper posse formari dictamen indubium, & prudens, quod quis rem sibi accipere, vel eam retinere præ aliis possit, adeoque semper debet agi cum bona fide. An autem in tali, vel tali casu, tale dictamen formari possit, pendet ex plurimis circumstantiis, quæ omnes hic afferri non possunt.

384. Ob. 2. Potest quis licitè sequi opinionem etiam minus probabilem, & minus tutam, relicta probabiliore, & tutiore: ergo, si quis habeat opinionem probabilem, quod res sit sua, poterit eam sibi accipere, & bona fide possessionem inchoare. Confirm. 1. Authores tantum petunt ad initium præscriptionis, ut quis prudenter judicet, rem esse suam: sed, qui habet opinionem probabilem pro se, prudenter judicat, rem esse suam: ergo. Confirm. 2. Cum tali opinione licitè quis inchoat possessionem: ergo habet fidem sufficienter bonam. Resp. Examen de licito usu opinionis probabilis spectat ad tractatum de actibus humanis, in quo *n. 292.* fat fuses de illo egi.

Pro nunc dist. antec. potest quis licitè sequi talem opinionem, quando opinio versatur immediate circa licentiam actionis. om. antec. quando versatur tantum circa aliquid aliud, remotè se habens ad licentiam actionis. neg. antec. & conseq. Sic probabile est, additionem alicujus verbi ad formam sacramentalem, si non tollat sensum legitimum, non tollere valorem sacramento: non propterea est probabile, licitè tale verbum addi: & pariter non est sufficienter probabile,

quod quis cum sola opinione probabilis possit, exclusis alijs, sibi arrogare possessionem alicujus rei. Ad 1. confir. neg. ma. sed authores ad minimum requirunt, ut quis prudenter judicet, quod liceat sibi eam rem assumere, exclusis alijs: quod non statim potest is, qui tantum habet probabile jus ad eam rem, quando etiam alij tale habent. Ad 2. confirm. neg. antec. quia ad licitè inchoandam possessionem non sufficit, ut quis tantum probabiliter judicet, rem esse suam: sed debet posse prudenter judicare, quod licitè alios ab ejus possessione excludat.

385. Ob. 3. Potest præscribi adversus legem civilem, & canonicam: atqui hoc fieri non posset, si necessaria esset bona fides: ergo, prob. mi. qui scit legem latam, & obligationem, peccat nolendo eam observare: sed qui contra eam præscribunt, eam sciunt, & tamen eam observare nolunt: ergo peccant, adeoque bonam fidem non habent. Confirm. Potest introduci consuetudo contra jus positivum, iterando cum peccato actus contrarios: ergo potest simili modo introduci præscriptio. Resp. 1. cum Layman *l. 1. tr. 4. c. 24. neg. mi.* ad prob. iterum neg. mi. Duplex hic potest considerari præscriptio, una improprie talis, quando nempe legislator videns, & sciens, legem à subditis non observari, eis cedit, & tolerat, ac tacitè abrogationi consentit: quo casu utique, non tam præscriptio populi, quam ipse legislator legem tollit, ut bene advertit Layman *cap. cit. n. 8. §. Excipiunt.* & ad hanc præscriptionem bona fides necessaria non est: sed & ipsa non est proprie præscriptio.

Altera autem præscriptio magis proprie talis esset, quando populus principe ignorante, legem non observando, tandem completo legitimo tempore, adversus eam præscriberet. Et ad hanc, ut ad alias præscriptiones, juxta Laymanum *cap. cit. n. 11.* opus est bona fide, hoc est, conscientia bonâ; unde primi, qui peccarunt legem non observando, non potuerunt præscriptionem inchoare: successores verò, qui bona fide existimarent, suos antecessores habuisse rationabilem causam non observandi legem, potuerunt præscriptionem inchoare, atque etiam tandem perficere.

Neque hoc in casu ipsis nocet mala fides antecessorum; quia hac in re non sunt successores per modum hæredum, vide Layman *l. 1. tr. 4. c. 24. n. 11.* ubi ait, successores in dubio posse præsumere, quod antecessores habuerint justam causam ab obligatione se eximendi. Unde non supponuntur isti subditi posteriores laborare ignorantia legis, (qua stante non voluntariè contra legem agerent; cum tamen per actus voluntarios, & non per involuntarios, lex debeat abrogari) sed supponuntur, scire quidem, legem à superiore latam esse, simul tamen existimare, eam justis de causis non fuisse à majoribus suis observatam: quo posito ipsi pergendo bona fide in non observatone legis eam tandem abrogant. N 2 386.

386. Ad confirmationem dist. antec. potest introduci consuetudo contra jus, ita tamen, ut incipientes consuetudinem cum peccato, non inchoent prescriptionem contra legem, prout modò dictum est. conc. antec. ut primùm successores, habentes bonam fidem, inchoent prescriptionem, & tantùm isti eam tandem perficiant. conc. ant. & neg. consēq. distinctionis sensus patet ex dictis.

Addo obiter, consuetudinem omnem, ut valida sit, rationabilem esse debere, hoc est, ut observari queat absque peccato, & non inducat ad illicita; hinc nulla potest introduci contra jus naturale, quod est immutabile: neque contra jus Divinum; quia contra DEUM præscribi non potest; non enim contra Deum ignorantem; quia ignorare nil potest: nec contra tolerantem; quia non tolerat, leges suas violari. At potest præscribi contra jus humanum, etiam Ecclesiasticum; quia legislator humanus potest transgressionem suæ legis ignorare, vel certè derogationem tolerare. Sed & ipsa legis humanæ obligatio non est ita necessaria, ut nunquam sine peccato omitti possit.

387. Resp. 2. ad hanc objectionem cùm Haunoldo, qui tom. 1. de just. tr. 1. c. 3. à n. 136. ait, ad prescriptionem contra legem per consuetudinem non opus esse bona fide; eoquòd cognita legis transgressio necessariò debeat esse peccaminosa: imò n. 140. asserit, ex veriore, & communiore, ut ait, sententia, si populus transgredereur legem, quam nesciret extare, non prescriptionum contra illam: & rationem dat; quia ex illa materiali transgressione non intelligeretur inutilitas, vel arduitas legis, ratione cujus expedit, eam abrogari, ne scilicet lex sit lapis offensionis, & laqueus conscientijs. Uterius tom. 1. de just. tr. 5. c. 2. n. 219. docet, esse communem, quòd communitas semper censetur eadem, etsi singuli moriantur, & alij succedant (quod satis clarè habetur L. 76. ff. de judicijs) & insert cum Baldo, quòd, si primi ex communitate e. g. circa aliquod prædium, vel jus, non habuerint bonæ fidei possessionem, successores etiam ignorantes, & bonæ conscientijs, in æternum præscribere nequeant; eoquòd, cùm sit idem populus, semper eadem mala fides censetur continuari. Ex quo videtur inferri, quòd etiam eadem mala fides remaneat in successoribus, volentibus præscribere contra legem: adeoque, si bona fides requiratur, nunquam præscribere possint.

388. Ait autem Haunoldus cit. tr. 1. n. 134. prescriptionem contra legem non esse propriè prescriptionem; propriè enim præscribitur contra eum, cujus dominium, aut jus, cum iactura, & damno illius, minuitur, aut tollitur: præscriptio autem contra legem non minuit utilitatem legislatoris; nam leges non feruntur in utilitatem legislatoris, sed subditorum; si enim, (ait idem auctor n. 137.) damnum aliquod sequeretur, tunc vel consuetudo contra legem non esset rationalis: vel damnum redundaret in ipsum præscribentem, in cujus nempe uti-

litatem lex statui debet: vel esset merè peccatitiam; quia primæ transgressionem per se non sunt connexæ cum sequentibus, sicut iniqua inchoatio possessionis est connexa cum continuatione. Addit idem Haunoldus eod. n. 137. quòd abrogatio, vel derogatio legis, etiam spectet ad utilitatem subditorum, quando scilicet per longam experientiam innovat, legem aliquam esse lapidem offensionis; expedit enim, obligationem talis legis cessare. Juxta hæc responderetur ad objectionem, & proportionaliter ad confirmationem, conc. totum, & neg. paritatem inter prescriptionem propriè, & impropriè dictam: utraque autem responsio coheret cum nostris principiis.

389. Ob. 3. contra secundam conclusionem n. 360. statutam. C. Quoniam frequenter. §. In aliis. Ut lite non contestata. existente reo contumace, actor missus in possessionem rei petita, tandem eam præscribit, etsi eam sciat alienam: ergo non requiritur bona fides. Confirm. 1. C. Cura. 11. de jure patronatus. jubetur clericus, cui laicus contulit beneficium, isto spoliari; nisi legitima fuerit prescriptione munitus: sed hic clericus non habuit bonam fidem; quia scire debuit, laico nullum jus competere in rebus Ecclesiasticis: ergo legitima prescriptio potest dari sine bona fide. Confirm. 1. C. Placuit, ut quicumque. 16. q. 3. seu potius textu subjuncto §. Prescriptionum alie. dicitur: Sufficit enim in initio cuique bona fide possidere cepisse, etiamsi medio tempore scientiam rei aliena habuerit: ergo.

Resp. Paragrapho illo nec verbum habetur de prescriptione, quam compleat actor in possessionem missus: sed tantum sequenti §. Quod si. mentio fit de prescriptione à reo concepta, per litem quasi contestatam, certè motam, interrupta. Dein agitur in objecto §. de reo, quem actor in jus vocat ob aliquam rem: qui reus, si contumaciter non compareat, mittitur actor in possessionem: quo casu talis actor, etsi fortè non habeat rationes alias majores pro se, tamen ex novo titulo, scilicet ex sententia judicis, bona fide, seu conscientia, inchoat possessionem: & sic non habet fidem malam; quia, cùm non sciat, rem esse alterius (ut suppono; alias malè alterum in jus vocasset) sed tantum dubitet: attamen in superhabito dubio ob contumaciam rei sit à iudice rite informato in possessionem legitime missus, eam bona fide adiit, & potest multò magis possessionem continuare, ac tandem etiam præscribere. Unde explicando primam conclusionem n. 358. diximus, ad inchoandam propriam auctoritate possessionem, seu absque eo, quòd quis legitima potestate in eam immitteretur, requiri iudicium probabilius, vel moraliter certum.

390. Ad 1. confirm. neg. min. Sermo eo capitulo est de Ecclesijs, non in beneficium, & titulum, sed in proprietatem concessis: quo modo concessæ teste Schmalzgrueber. l. 2. tit. 26. de prescript. n. 60. præscribi possunt

sunt cum bona tamen fide, si scilicet laicus, eas Ecclesias donans, putaretur habere jus in illis, tanquam patronus earum. Quòd autem citatum C. Cura. de hoc casu loquatur, tradunt apud eundem Schmalzgrueber loc. cit. n. 29. Abbas, & Barbosa in istud capitulum. item König. & colligitur ex eo, quòd capitulum illud scriptum sit etiam pro monachis, qui non possunt habere beneficia in titulum: item; quia dicitur ex donatione: atqui donatio facta loco religioso, intelligitur, non in beneficium, sed in proprietatem, ut idem auctor deducit ex C. Consultationibus 4. de donationibus. Et sanè rubrica capitis hujus dicit, Ecclesiam non vacantem non posse conferri in beneficium, sed in proprietatem: in ipso autem capite dicitur, quòd, si donatio Ecclesiæ fiat locis religiosis, interveniente autoritate Episcopi, debeat earata haberi.

Ad 2. confirm. neg. consēq. Textus illius §. est tantum Gratiani, qui auctoritatem juris condendi non habuit, & locutus tantum videtur juxta leges civiles, quæ tamen quoad hoc correctæ sunt à jure canonico, ut statim in adjuncta glossa notatur: nisi per scientiam intelligatur tantum dubium; tunc enim servatis servandis potest continuari possessio, ut dictum.

391. Ob. 4. contra dicta n. 361. de debitis indefinitè contractis. C. Quoniam. finale. de prescriptionibus. itemque Regula juris citata n. 360. tantum loquuntur de prescriptione rerum, quæ possidentur, & detinentur: ergo nihil correctum est circa alias prescriptiones debitorum &c. Confirm. Rusticæ servitutes præscribuntur, prescriptione saltem impropria, etiam ab eo, qui scit, se eas debere, si dominus iis non utatur: ergo etiam præscribitur debitum indefinitè contractum, si creditor id non exigit. Resp. neg. consēq. quia ratio capituli, scilicet evitatio peccati, itémque modus loquendi universalis, de omni constitutione, & consuetudine, etiam alias prescriptiones sufficienter comprehendit. Adde, quòd etiam debita suo modo dicantur possideri, quatenus, ut ait Haunoldus tom. 1. de just. tract. 5. c. 2. n. 192. essent solvenda, & non solvantur: deberent extinguì, & non extinguuntur.

Ad confirm. neg. consēq. Non adfunt leges, quæ statuunt prescriptionem debitorum, uti adfunt leges, statuente prescriptionem rusticarum servitutium. Dein circa has videtur leges prescriptionem statuisse ex presumptione, quòd dominus iis non utens, dum est occasio, videatur eas habere pro derelictis: nihil tale leges presuntunt de debitis, quando non exiguntur. Rustus, ut dictum n. 361. debitor debet agere, seu solvere suo tempore: at rustica servitus non obligat ad agendum, sed tantum ad patiendum; unde non est eadem ratio.

392. Ob. 5. contra 3. conclusionem n. 303. statutam. Qui dubitat, non credit, rem esse suam; ergo non habet bonam fi-

dem. Confirm. 1. Coniunx dubitans de valore matrimonii à se contracti, non potest petere debitum: sed hujus ratio alia non est, nisi, quia dubitans habet malam fidem: ergo. Confirm. 2. Dubitans exponit se periculo retinendi alienum: ergo peccat. Confirm. 3. Dubius in fide censetur hæreticus, & habetur, quasi pertinaciter aliquid negaret: ergo etiam, dubius de re aliena, haberi debet, tanquam retentor rei alienæ. Confirm. 4. Si dubitaretur, an minor septennio habuerit consensum requisitum ad sponsalia, oritur ex illis impedimentum publicæ honestatis, ut habetur C. Juvenis. 3. de sponsal. sed hoc non oritur ex alio capite, quam quòd dubium æquiparetur conscientia: ergo. Resp. neg. consēq. licet talis dubitans non credat, rem esse suam, tamen credit, se bonæ conscientia eam possidere, & nescit esse alienam, quòd sufficit ad continuandam possessionem.

394. Ad 1. confir. Major æquè saltem probabiliter falsa est, quam vera, de qua regimus à n. 288. de actib. hum. in forma dist. ma. cum Arriaga. coniunx dubitans non potest petere debitum, si hoc sit ei prohibitum ex speciali constitutione Pontificis. conc. maj. secus. neg. maj. & dist. min. habet malam fidem independentè à speciali constitutione Pontificis. neg. min. dependentè à tali constitutione, qualis tamen non datur respectu prescriptionis. om. min. & neg. consēq. Ad 2. confirm. neg. consēq. si enim morale diligentiam in inquirenda dominij, vel rei veritate adhibuerit, & absque dubio possessionem coeperit, non peccat, rem ulterius retinendo: nec se exponit periculo committendi injustitiam, nisi materialiter talem. Ad 3. confirm. neg. consēq. qui dubitat de articulo fidei, eo ipso censetur negare, vel auctoritatem DEI loquentis, vel Ecclesiæ eam applicantis, seu proponentis, eum articulum esse infallibilem, & merentem assensum firmissimum. vide Melchiorum Canon de locis Theol. l. 12. c. 8. §. Controuersantur.

Ad 4. confirm. In casu illius juvenis, ut patebit legenti capitulum, meritò supponitur malitia supplevisse in puella ætatem, & consensum fuisse validum, adeoque ortum impedimentum dirimens publicæ honestatis (quod ante Tridentinum extendebatur etiam ad quartum gradum, licet modò tantum extendatur ad primum) & ibi Pontifex tanquam iudex secundum id iudicat, quòd certius existimat, ut ibi dicitur: quòd etiam nos dicimus, à iudice esse faciendum, maxime cùm certius significet idem, ac certum. in forma. Resp. om. ma. neg. mi. Illud impedimentum non fuit ortum præcisè ex qualicumque dubio: sed ex eo, quòd meritò supponeretur malitia in puella supplevisse ætatem: adeoque consensum requisitum adfuisse; unde Pontifex utpote iudex, volens sequi, quòd videbatur certius, iudicavit, illud impedimentum fuisse contractum. vide etiam dicta de actibus humanis à n. 252.

ARTICULUS VI.

Solvuntur reliqua Objectiones.

395. **O**B. 6. contra 5. conclusionem, n. 375. statutam C. *Quoniam finale & C. Vigilanti.* s. de *prescriptionibus*. tantum excludunt malam fidem, quæ constituit culpam Theologicam: atqui ignorantia juris, etiam clari, inculcata, non involvit, vel constituit culpam Theologicam: ergo. *Confir. C. Pervenit. 4. de emptione. & venditione* dicitur, quod ille, cui vendita est domus, prius donata uxori propter nuptias, adeoque per venditionem invalidam, tamen possit se defendere prescriptione: atqui habuit ignorantiam juris clari, quo venditio illa irritatur, nempe *Authentica. Sive à me. Cod. ad senatusconsultum Vellejanum.* ubi decernitur, quod res donata propter nuptias etiam cum consensu uxoris non sit alienabilis: ergo. Resp. conc. totum. Iis capitulis nihil statuitur de ignorantia juris: at, sicut ibi non excluditur, ita nec admittitur ignorantia illa; unde quoad hanc standum est jure civili, quoad hoc punctum non correcto. Ad confirm. Responderi potest 1. quod forte in eo casu, quando agebatur contra viduam *empricem*, in ipsa tanquam muliere, in qua alia etiam circumstantia ei faventes occurrerunt, juris ignorantia sit tolerata.

Resp. 2. *ex rubrica cit. canonis*, quod quidem, quando res propter nuptias mulieri donata, etiam cum hujus consensu, venditur, per se de jure venditio invalida sit: attamen, si maritus habeat alia bona, unde uxor sibi consulere possit, & insuper premium rei ita venditæ conversum sit in communem conjugum usum, resque vendita triginta annis fuerit possessa, tunc prescripta sit vi hujus canonis: ut adeo in ordine ad hunc casum jus civile correctum sit. Si tamen jus civile, ignorantiam juris clari in prescriptione non tolerans, se ad hunc quoque casum, & ad triginta annorum prescriptionem extendat: nostra saltem conclusio de prescriptione triginta annorum non loquitur.

396. Ob. 7. Leges, quando negant prescriptionem ignorantijus, loquuntur de ignorantia culpabili: ergo inculpabilis non nocet. antec. prob. ex L. 9. §. 3. ff. de *juris. & facti ignorantia*. ubi Labeo ait, obesse ei ignorantiam, qui ipse deberet esse jurisperitus, vel qui ad manum haberet jurisperitos, quos consulere posset: atqui in tali culpabilis est ignorantia: ergo. *Confir. Leges in allegata juris ignorantia presuntur malam fidem, & vel nullam, vel culpabilem ignorantiam juris intervenisse: ergo, si constat de inculpabilitate ignorantia, presumptio cedit veritati, & leges tali prescribenti non obstant.*

Resp. neg. antec. alias committerent leges crassam æquivocationem, dum ignorantiam juris obesse, facti verò ignorantiam

non obesse dicunt: & præcindunt à culpabilitate, vel inculpabilitate utriusque; cum tamen etiam facti ignorantia culpabilis obfit ex n. 373. & 374. esset enim idem, ac si jura dicerent: *Ignorantia juris culpabilis obest: ignorantia facti verò inculpabilis non obest*: adeoque non constituerent discrimen inter unam, & alteram, quod est absurdum, & contra mentem legum: vel deberet dici, etiam culpabilem facti ignorantiam non obesse, quod est falsum.

Ad Labeonem dic, posse etiam ex inculpabili inadvertentia omitti inquisitionem juris, quo casu ignorantia noceret. Dein textus expressè addit: *quod raro accipiendum est*: quæ verba, glossa explicat, raro hac distinctione utendum: quis autem iste casus rarus sit, ibi non explicatur: & fortè explicanda sunt ea verba de personis, de quibus aliquando dubitatur, an sint exceptæ, vel non, in certis casibus. Ulterius potest dici, personas omnes, in quibus non toleratur ignorantia juris, debere esse jurisperitas pro suo statu.

397. Ad confirm. neg. antec. nam L. 2. §. 15. ff. pro *emptore*. ita dicitur: *Si scias pupillum esse, putes tamen, pupillis licere, res suas sine tutoris autoritate administrare, non capies usu*: ubi nullus error culpabilis, aut mala fides intervenit. Dein, ut ait Haunoldus tom. 1. de *just. tract. 5. c. 2. n. 199.* nullum tribunal judicaret, fuisse prescriptum, etiam si actor fateretur, reum jus ignorasse: & tamen id deberet fieri; nam quando ex adversarij confessione constat de falsitate presumptionis, judicatur secundum rei veritatem. Tandem, etsi præsumpissent jura malam fidem in ignorante, tamen noluerunt ei tanquam conditioni alligare prescriptionis invaliditatem: sicut etiam in testamentis, non factis cum omni solemnitate, jura presuntur fraudem: non tamen volunt alligare veritati hujus presumptionis, in particulari sumptæ, invaliditatem testamenti; licet enim clarè probaretur, nullam intercessisse fraudem, tamen testamentum sine debitis solemnitatibus factum non valerit. videatur n. 346. & 347. ubi in simili aliquid diximus.

398. Ob. 8. contra ea, quæ ex Haunoldo, ac alijs retulimus n. 376. de prescriptione extraordinaria. Hæc prescriptio fundatur in titulo presumpto: ergo, si probatur titulus esse nullus, nulla est prescriptio. Respondent illi authores, qui cum Haunoldo ibi dicta defendunt, neg. antec. dicuntque, illam prescriptionem fundari potius in legibus volentibus, ut in prescriptione tam longi temporis titulus presumptus sit pro colorato, ut dictum cit. n. 376.

Dices 1. C. *Dudum. 31. de decimis.* reprobatur etiam prescriptio 30. annorum circa decimas absque idoneo titulo acceptas: ergo. Respondent 1. in eo casu reum non fundasse intentionem suam in prescriptione longa, sed attulisse titulum ipso jure nullum, scilicet donationem à laico factam: quando autem non fundatur intentio in ipsa prescri-

scriptione, seu in presumptione tituli, sed certus aliquis assignatur, tunc, ut Haunoldus tom. 1. de *just. tr. 5. c. 2. n. 205.* ait, nullus alius amplius presumitur; imò presumitur nullus alius fuisse: quod si dein ille, qui allegatur, sit ipso jure nullus, etiam prescriptio judicator nulla.

Unde ajunt hi authores, tunc tantum ignorantiam juris in prescriptione extraordinaria non obesse, si fundetur intentio in ipsa prescriptione, & non in aliquo titulo determinato, qui à jure reprobatus est. Nec dicas, in casu n. 395. allato, etiam fuisse allegatum titulum ipso jure invalidum, & tamen prescriptionem fuisse validam: adeoque allegationem tituli determinati non obfuisse; respondent enim isti auctores, negando illatum; nam ibi tantum dicitur domus possessa titulo justo: quis autem fuerit, non explicatur: nec dicitur fuisse pro emptore. Dein alia etiam solutio data est huic objectioni. eod. n. 395.

Respondent 2. ad objectionem hanc cum eodem Haunoldo *ibidem* citato, C. *Dudum.* nullum tempus prescriptionis designari, nec fuisse ibi præsentiam prescriptionis longissimi temporis: sed potius indicari eo canone contrarium; nam altera pars, scilicet Episcopus, replicavit dupliciter 1. quod titulus fuerit nullus. 2. quod tempus ad prescriptionem requisitum necdum effluerit. Ad dunt aliqui, fratres illos hospitalis, qui agebantur rei, fuisse suspectos de mala fide; quia à laicis decimas acceperunt: quæ mala fides, saltem in foro externo talis, ipsis nocuerit, utpote successoribus universalibus suorum antecessorum.

399. Dices 2. C. *Episcopum. 1. de prescriptionibus in 6.* dicitur, in prescriptione, cui jus commune contrarium est, debere allegari titulum, nisi prescriptio sit immemorialis. Respondent iidem authores, verba illa, *jus commune contrarium*, intelligenda esse, ita, ut significant: si jus commune prohibeat, eas res prescribi: non verò de qualicumque alia contrarietate: sive ea verba tantum accipienda esse de rebus, quæ prohibentur prescribi, non verò de alijs, de quibus ipsi loquuntur.

Dices 3. Leges citatæ n. 375. non distinguunt inter prescriptionem ordinariam, & extraordinariam: ergo non debet distinguui. Respondent, leges illas tantum loqui de prescriptione ordinaria, & longi temporis, non extraordinaria, quæ, ut ait Lessius, de *just. l. 2. c. 6. dub. 5. n. 17. §. Ad primam.* jure Digestorum non fuit agnita. Licet autem jure Codicis videatur agnofci, nihil tamen contra eam statuitur quoad hoc punctum; nam L. *Quemadmodum. 7. Cod. de agricolis censitis.* tantum agitur de ementibus quibusdam, & removetur duntaxat longi temporis prescriptio, ob presumptam malam fidem emptorum: non autem ideo etiam submovetur prescriptio extraordinaria, in qua jure Codicis mala fides toleratur.

400. Ob. 9. contra 6. conclusionem

n. 377. statutam. Potest dici cum Castro-palao, malam fidem auctoris tantum nocere hæredi immediato, & universali, casu quo hic velit uti accessione temporis: non autem, si à se ipso velit prescriptionem inchoare: ergo mala fides auctoris non universaliter nocet. *Confir. Ex nostra conclusione sequeretur, etiam nocere hæredi universali malam fidem auctoris civiliter talem, scilicet fundata fuisset in ignorantia juris: consequens videretur absurdum, & oppositum tanquam certum à quodam supponitur: ergo. Resp. neg. antec. alias enim leges istæ nihil novi statuisent; cum jam aliunde certum fuerit, tempus antecessoris, mala fide laborantis, nihil valere, nec conjungi posse cum sequenti tempore. 2. L. 11. Cod. de *adquirenda, & retinenda possessione.* ita habetur: *Vitia possessionum à majoribus contracta perdurant, & successorem auctoris sui culpa comitatur*: atqui vitia non perdurant, nec culpa auctoris successorem comitatur, nisi quatenus etiam hic fingitur, mala fide possessionem inchoasse.*

401. Ad confirm. negat Haunoldus antec. & dicit, in tali casu auctorem defunctum fuisse revera bonæ fidei Theologicè acceptæ; & consequenter initium non fuisse vitiosum: adeoque, quamvis successor non possit computare tempus defuncti ex defectu tituli, tamen, cum habeat titulum pro hærede, possit eum prescribere: sicut ait, si, successor adhuc vivo, supervenisset alius titulus, à jure approbatus, potuisset ex eo tempore prescribere.

Unde videtur colligi, ignorantiam juris tantum afferre malam fidem civiliter eatenus, quatenus vitiat titulum, sine quo non potest quis putare bona fide, rem esse suam: consequenter, si quis habeat duos titulos, & unum quidem affectum ignorantia juris, adeoque reprobatum, alterum verò non ita affectum, sed approbatum, possit eum saltem vi hujus tituli secundi prescribere. Et hinc etiam nota, nostram conclusionem loqui de illo hærede, qui rem, quam antecessor habuit mala fide Theologicè tali, tantum vult prescribere titulo pro hærede; quia tunc ratione hujus tituli, sive ut isto affectus, censetur esse una persona cum defuncto; si enim haberet alium titulum, non esset beneficio prescriptionis excludendus; ut teste Haunoldo. tom. 1. de *justit. tr. 5. c. 2. n. 213.* omnes authores sentiunt.

402. Dices. Si quis mala fide rem alienam prius possedit, postea verò, oblitus injuriæ, eandem incipit, bona fide possidere; simulque confessione etiam conscientiam malam deponit, potest dein rem ex eo tempore prescribere: ergo etiam potest prescribere hæres bonam habens fidem. Respondet: quidam negant ant. dicuntque, talem non prescripturum, nisi nitatur novo titulo, & vi hujus bona fide inchoet, ac suo tempore etiam compleat prescriptionem. Resp. 2. om. ant. neg. conseq. Vis prescriptionis debet haberi à legibus: cum ergo in nostro, seu

seu priori casu, præscriptioni tali leges nullam vim tribuant, sed ei resistent, non potest ea ullam vim habere: at verò in altero casu leges illi præscriptioni, ut aliis præscriptionibus assistunt, & nullæ ei resistent: vel si aliæ leges etiam huic resistent, etiam ipsa erit invalida, & negandum erit antecedens.

403. Ob. 10. contra dicta n. 379. Mala fides auctoris defuncti parit malam fidem in hærede: ergo etiam hæres mediatas habet malam fidem, consequenter non potest præscribere. Confirm. 1. Obligatio restituendi, orta ex mala fide, vel delicto defuncti, transit etiam ad hæredem mediatum: ergo etiam mala fides in præscriptione. Confirm. 2. Hæres etiam mediatas repræsentat personam defuncti: ergo etiam censetur habere malæ fidei possessionem. Confirm. 3. Mala fides Prælati nocet Ecclesiæ: ergo etiam mala fides auctoris nocet mediato hæredi. Respondent auctores, qui defendunt oppositum, dist. antec. mala fides auctoris defuncti parit malam fidem in hærede mediato. neg. antec. in immediato, vel hærede suo. concedunt. antec. & negant consq. Sic Lessius. *de just. l. 2. c. 6. n. 43.* ait: Mala fides ficta, seu fictio juris talis, est velut umbra, à mala fide reverà tali, orta: umbra autem non parit aliam umbram: adeoque mala fides ficta, quæ scilicet fictione juris datur in hærede immediato, non parit aliam malam fidem fictam in hærede mediato.

404. Ad 1. confirm. negant consq. quamvis enim hæres etiam mediatas per se teneatur, ea damna resarcire, hoc tamen non probat, quòd non possit præscribere, si novum titulum pro hærede, ac bonam fidem Theologicam afferat: vide etiam Haunoldum *tom. 1. de just. tr. 5. c. 2. n. 210.* Ad 2. confirm. negant antec. intelligendo primum auctorem defunctum, quem mediatè tantum attingit hæres mediatas; nam hic potius repræsentat personam hæredis prioris, ne admittatur duplex fictio juris in una, eademque causa. Ad 3. confirm. Potest negari consq. quia non est par ratio; nam Ecclesiæ, & Prælati, sunt immediatè connexi. Sed rectius Haunoldus *tom. 1. de just. tr. 5. c. 2. n. 220.* negat antec. quia Prælati in hoc casu consideratur ut administrator bonorum Ecclesiæ; quare sicut mala fides tutoris non nocet præscriptioni pupilli, ita neque mala fides Prælati nocet Ecclesiæ. Obligatur tamen iste satisfacere parti læsæ, & manifestare, quòd res sit aliena, antequam compleatur præscriptio.

405. Subjungo hic præscriptiones aliquas improprie tales ex Haunoldo. *tom. 1. de just. tract. 5. c. 2. à n. 183.* in quibus requiritur quidem bona fides, seu bona conscientia, sed non talis, quæ fundetur in ignorantia rei aliena. Primum, ut docet hic auctor, sic præscribitur contra obligationem solvendi poenam: quam licet scias te debere, si exigatur, potes tamen certo tempore præscribere, si non exigatur; nec enim debes eam sponte offerre. Secundo sic præscribitur merces, quæ jure fisco commissæ sci-

untur ob non soluta vestigalia, si non exigantur; nam si exigentur, & dolo eas supprimeres, non adestet bona conscientia.

Tertiò sic præscribitur libertas adversus servitutes rusticæ, si habens jus ad eas, iis intra certum tempus non utatur, quamvis ex ignorantia; neque enim debes, eum monere. Colligitur hoc ex *L. Sicus usufructum. 13. Cod. de servitutibus, & aqua*, ubi dicitur: *ut omnes servitutes non sciendæ amittantur*: docetque id etiam Lessius *de just. l. 2. c. 6. dub. 6. n. 21.* Aliud est de servitutibus urbanis; hæ enim, cum consistant injure alterius contra me, ne scilicet aliquid agam, non possunt extinguí, nisi meo facto contra jus alterius: ego autem, nisi laborem ignorantia, non possum bona fide agere contra jus alterius: & hoc discrimen assignatur etiam *L. Hac autem jura. 6. ff. de servitutibus prædiorum urbanorum.*

Quartò sic præscribitur sed tantum pro foro externo (in interno enim manet obligatio compensandi damnum) præscribitur, inquam, *actio reahibitoria*, qua emptor, qui vitium rei ignoravit, agere potest intra sex menses à die venditionis ad redhibitionem, & venditionem rescindendam: & pariter *actio quanto minoris*, si scilicet minus dedisset pretii, si vitium rei scivisset. Quintò addit Haunoldus, ex alterius potius mente, quam suâ, sic præscribi libertatem adversus usumfructum: sed hæc præscriptio habet specialem difficultatem, quam vide apud ipsum. *tom. 1. de just. tract. 5. n. 186.*

406. Sub finem tandem hujus de bona fide controversiæ addendum, quòd in dubio præsumatur bona fides, si habetur idoneus titulus; unde possessor dicens, se rem bona fide emisse, non tenetur hanc probare, sed actori incumbit probatio malæ fidei. ita communis; nam quilibet præsumitur esse bonus, quamdiu non probatur esse malus. Addit Schmalzgrueber *l. 2. tit. 26. de præscriptione. n. 80.* cum aliis, id verum esse etiam, quando quis rem absque titulo possidet, modò non contra jus commune possessionem rei acquisiverit, vel possessionis nuper primò acquisitæ rationem nullam afferre possit, aut, nisi, postquam ei denuntiatum est, rem esse alterius, ipse tamen neglexerit inquirere: quamquam hi auctores negare non possint, in præscriptione saltem ordinariâ, in qua titulus debet allegari, si hic probari non possit, dominium non acquirit.

Mala autem fides præsumitur, si habetur titulus à jure apertè reprobatas, nisi sit persona, in qua toleratur juris ignorantia: quanquam iterum aliqui à malæ fidei præsumptione excipiunt eum, qui contrahens cum pupillo dedit justum rei pretium; nam non censetur dolo fieri, quando nullum modum inde referretur. Posset tamen replicari, fors talem emptorem ex affectu ad rem, vel ob specialem aliquam suam utilitatem etiam totum pretium dedisse, & tamen mala fide emisse. Plura signa vide apud

Schmalzgrueber hoc titulo

n. 80.

ARTICULUS VII.

Qualis requiratur Possessio, ad Præscriptionem.

407. **P**ossessio in genere definitur *rei corporalis detentio, corporis, & animi, jurisque adminiculo.* Dicitur 1. *Rei corporalis*; nam rerum incorporearum juxta communem saltem loquendi modum legum, non datur possessio, sed tantum quasi possessio: quamvis hic rigor hodie non observetur. 2. Dicitur *detentio*, per quam intelligitur etiam prima apprehensio, quæ est possessionis inceptio. 3. Dicitur *corporis*, hoc est, est detentio corporalis, quæ fieri potest, vel verè, vel fictè. Verè fit apprehendendo manibus, vel pedibus ingrediendo, saltem partem rei possessæ; neque enim opus est omnes partes fundi pedibus terere. Fictè fit ex juris dispositione, v. g. oculis, si venditor dicat: *Fundum, quem vides, tibi trado.* Sic *L. 1. §. si jufferim. 21. ff. de acquirenda vel amittenda possessione* dicitur: *Non est enim corpore, & actu necesse apprehendere possessionem, sed etiam oculis, & affectu.* Idem declaratur, & statuitur. *L. Quod meo. 18. §. si venditorem. 2. ff. eod. tit.* Idem est, si tradatur scriptura, claves ad cellam &c.

408. Hæc autem corporalis detentio non sufficit ad possessionem; alias quidquid calcarem, possiderem; unde 4. dicitur esse detentio *animi*: hoc est, facta animo habendi rem, ut meam: non quidem ut absolute judicem, rem esse meam; (nam fur hoc non potest judicare; quia certò scit, rem esse alienam: & tamen juridicè in ordine, saltem ad aliquos effectus, possidet) sed, ita ut velim ab aliis pro domino talis rei haberi, & posse disponere instar veri domini, quoad externam apparentiam. Tandem, quia leges res quasdam excipiunt, quas, etiam si animo dictò corporaliter verè, vel fictè detineas, tamen juridicè non possides, uti sunt res sacre, & religiosæ, & quæ publicæ commoditati deputatæ sunt, ut pontes, viæ, & similia; hinc debet 5. addi *juris adminiculo*: hoc est, lege non resistente, vel non excludente possessionem talium rerum. Ex quo habetur, etiam injustam possessionem hac definitione comprehendendi; quia jus non resistit omni possessioni, etiam injustæ, rerum scilicet non exceptarum.

409. Jam possessio dividitur in *possessionem facti & juris*. Prior seu *possessio facti* est, quando quis de facto rem possidet, & tunc hæc possessio genus; quia potest esse justa, vel injusta; altera seu *possessio juris* est, quando quis cum jure rem possidet: & hæc non potest esse saltem formaliter injusta. Rectè autem Molina, & Lugo dicunt, malè definiisse Bartolum possessionem in genere *jus insistendi*; quia possessio mera facti non est jus insistendi; neque enim illud *juris adminiculo* significat, possessorem debere habere jus insistendi, sed tantum, res illas non esse

R.P. Ant. Mayr Theol. Tom. II.

exceptas à jure, vel incapaces admittendæ possessionis; hinc si per possessionem facti intelligatur possessio meri facti, rectè dicitur esse possessio sine jure insistendi rei, vel eam possidendi: at verò possessio juris est cum jure insistendi.

Dividitur 2. in *possessionem naturalem tantum, civilem tantum, Naturalem, & civilem simul*: in quarum tamen explanatione non videntur auctores omnino consentire: videtur tamen mihi rectè sentire Lessius. *l. 2. de just. c. 3. dub. 10. n. 44.* juxta quem *possessio naturalis est, quando res corpore simul, & animo retinetur*: & potest hæc possessio esse cum mala fide, quando scilicet is, qui putat, se non esse dominum, tamen vult, rem corpore, & animo retinere: potest etiam esse cum bona fide, quando scilicet conjuncta est possessio naturalis cum Civili. Quare *naturalis possessio* dabitur tunc, quando quis naturali, seu reali detentione, per se ipsum corporis, & animi, ac juris adminiculo, possidet, sive de injustè, sive injustè, sive bona, sive mala fide: *Civilis tantum possessio* autem dabitur, quando quis rem non realiter, sed moraliter, seu in æstimatione civili, aut juridica possidet, ut, si quis rem possidet per alium, vel si etiam per neminem possidet, tamen prius captam naturaliter possessionem, animo, & juris adminiculo retinet: sic quilibet civis possidet suos hortos, vel agras extra civitatem. *Civilis, & naturalis possessio simul*, dabitur quando quis naturali detentione, & simul in morali æstimatione hominum, rem retinet: & sic civis possidet domum, in qua habitat.

410. Ubi nota, posse facile contingere, ut unus naturaliter, alter civiliter rem aliquam possideat, ut fuscè probat Haunoldus *tom. 1. de just. tr. 3. c. 3. à n. 213.* nam si alius invadat rem à me possessam, ille quidem naturaliter, ego autem civiliter eam possideo, quamdiu non deposui animum, naturalem possessionem recuperandi: vel volens eam recuperare, non sum repulsus; quia civilis possessio retinetur solo animo. Postquam autem desperavi recuperationem possessionis naturalis: vel si tentavi quidem, eam recuperare, sed repulsus fui, perdo possessionem civilem; quia in æstimatione morali non sum amplius possessor: & alter incipit acquirere civilem possessionem.

411. Queritur jam, quæ possessio requiratur ad præscriptionem; certum enim est aliquam requiri; nam *Regula 3. juris in 6.* ait: *sine possessione præscriptio non procedit.* Resp. & dico possessio tantum naturalis, se sola non sufficit, ut docet Layman. *l. 3. tr. 1. c. 8. n. 4.* & apud eum ex communi Abbas, & Covarruvias: & ratio etiam est; quia si possessio naturalis sufficeret, cum unus possit habere possessionem naturalem, & alter civilem (quæ, ut mox dicemus, sufficit) posset uterque præscribere, & sic dari dominium duorum in solidum durans. unde requiritur, & sufficit juxta communem possessionem

sessio civilis; nam, si ista non sufficeret, nemo facile unquam præscriberet; quia nemo facile per tantum tempus continuat possessionem naturalem. Adde, quòd Layman. l. 3. tr. 1. c. 7. n. 4. dicat, naturalem possessionem esse magis improprie dictam possessionem, quam civilem.

Noto hic, etiam non sufficere aliam possessionem improprie dictam, quando scilicet quis rem non possidet, vel detinet tanquam suam, sed tantum rem detinet ut conductor, commodatarius, usufructuarius, creditor. L. 10. §. ult. ff. de acquirendo rerum dominio & §. 4. Inst. per quas personas: item noto, non sufficere, ad sibiipræscribendum, si quis possideat rem nomine alieno, e. g. si tutor aliquid possideat nomine pupilli &c. Tales enim, ut ait Illiung. tr. 4. disp. 2. n. 309. non sibi, sed aliis, quorum nomine possident, præscribunt.

Addit Lugo de justit. disp. 7. sect. 3. n. 22. etiam non sufficere possessionem conditionatam, qua scilicet aliquis velit, rem habere ut suam, si non habeat alium dominum, nam si nullum habet, erit res ipsius tanquam primò occupantis sine præscriptione: si habet aliquem, non est possessio; quia deest conditio, sub qua res est accepta. Debet insuper possessio per tempus à jure præscriptum esse continuata, & nunquam interrupta intra illud tempus: quantum autem tempus requiratur, dicemus inferius. Hæc tamen continuatio non debet compleri ab eadem persona, sed potest compleri à diversis, siue sint successores universales, siue particulares, qui possunt *uti accessorie* temporis, ut dictum n. 381.

ARTICULUS VIII.

Qualis requiratur Titulus ad Præscriptionem.

412. Jam Titulus, prout hic sumitur in genere, nihil est aliud, quam *causa, ex qua rem tenemus*: & alius quidem est *translativus dominii*, seu, qui per se ordinatur ad transferendum dominium, ut venditio, donatio &c. alius *non translativus dominii*, qui per se non ordinatur ad transferendum dominium, ut depositio alicujus rei, vel commodatio, locatio, conductio &c. Et hic secundus titulus non sufficit ad præscribendum; possessor enim, qui tantum habet talem titulum, non possidet rem ut suam; nam si vellet ut suam possidere, aperte esset male fidei; unde tantum alieno nomine rei insistit, ut dicitur. L. 6. §. 2. ff. de precario de iis, qui rem precario accipiunt vel incolunt vel conducunt: consequenter talis non habet possessionem animi adminiculo, ut dictum n. 408. Quare L. 2. Cod. de præscript. 30. vel 40. annorum: dicitur, eum, qui precario, vel titulo conductiois rem detinet, neque quadraginta annis valide præscribere: itaque, qui præscribere vult, debet habere titulum translativum dominii.

413. Dividitur autem titulus *translativus dominii in verum, & non verum*. Prior, seu *verus est*, qui re ipsa est causa, vi cujus transfertur dominium: alter seu *non verus est*, qui re ipsa non est causa transfrens dominium & hic subdividitur in *coloratum, existimatum & presumpsum*. *Coloratus est*, qui speciem, & quasi colorem habet veri tituli, non tamen habet vim, & efficitur, e. g. si aliquis, qui non est dominus rei, eam alteri incio vendat, talis venditio est titulus coloratus, quia actus ille videtur vera venditio: at non est vera, sed tantum apparens venditio. *Existimatum est*, quando aliquis ex errore putat, adesse aliquem titulum, cum tamen non adsit, nec præcesserit, e. g. si quis putat, rem esse emptam, vel donatam, cum non sit: siue dein error sit circa factum proprium, siue circa alienum, siue e. g. putes te emisse; quia male recordaris, siue procuratorem; quia ipse mentitus est. *Presumptus est*, quando ex diuturnitate temporis, vel ex patientia domini, vel aliis circumstantiis, jura præsumunt, titulum præcessisse, licet possessor nullum allegare queat.

414. Certum jam est 1. quòd ad omnem præscriptionem requiratur aliquis titulus, ex assignatis; nam deficiente omni prorsus titulo non potest quis prædenter judicare, rem esse suam, aut eam sibi præ aliis assumere: adeoque in non habente ullum titulum deficit bona fides: hinc jura quoque aperte titulum aliquem ad præscriptionem requirunt, atque etiam plures, quos infra afferemus, assignant, qui dein vel allegandi, vel supponendi, aut præsumendi sunt.

Certum est 2. non requiri ad præscriptionem titulum verum; aias præscriptio nunquam transferret dominium, sed jam supponeret translatum: nec eà opus foret: quin imò strictè loquendo, præscriptio vix stat cum vero titulo; quia in habente rem jam titulo vero, & translativo dominij, præscriptio non potest amplius esse acquisitio dominij, nisi quatenus dominium posset ex duplici causa haberi. Negandum tamen non est, quòd, si obliuio veri tituli intercessisset, posset quis saltem allegare alium titulum, vel præscriptionem, si completa fuisset.

415. Unde certum est 3. ad præscriptionem sufficere titulum coloratum: & fanè hic supposita bona fide præbet justam causam credendi, rem esse suam: De titulo existimato dicendum, eum sufficere, si fundetur in ignorantia facti alieni; nam ignorantia facti alieni toleratur in jure, ut diximus n. 374. & Confir. ex L. 11. ff. pro emptore ubi dicitur, si cui perualerit, seu dixerit servus, vel procurator, se hanc rem pro ipso emisse, ufucapturum. & L. ult. §. 1. ff. pro suo ubi hæc conclusio clarè dicitur.

At si titulus fundetur in ignorantia facti proprii, negant ufucapionem procedere, ij, qui negant ignorantiam facti proprii in jure tolerari; nam ex hoc ipso dicunt non

mereri favorem legum. Fundantur insuper in §. 11. Inst. de usucapionibus: ubi dicitur: *Error autem falsa causa usucapionem non parit, velut si quis cum non emerit, emisse se existimans possideat, vel cum ei donatum non fuerit, quasi ex donatione possideat*. Quod de emptione facti proprii non autem alieni intelligendum esse expressè habetur cit. L. 11. ff. pro emptore. & idem statuitur L. 2. & 3. ff. pro legato.

416. Quod attinet ad titulum præsumptum, sufficit hic ad præscriptionem extraordinariam 30. vel 40. annorum, quando scilicet datur possessio, quæ vocatur longissimi temporis; in hoc enim casu non debet possessor titulum allegare, aut probare: sed ex decursu tanti temporis præsumitur bonum initium: ita colligitur ex C. Ad aures de præscript. & statutum est expressè L. 4. Cod. de præscriptione 30. vel 40. annorum & L. 3. eod. titulo statuitur idem de præscriptione 30. annorum quoad actiones in rem speciales, & de universitate, ac etiam personales. Ex his doctores communiter inferunt, in utraque 30. & 40. annorum præscriptione titulum ordinariè præsumi. ita tenet Haunoldus tom. 1. de just. tr. 5. c. 2. n. 229. Schmalzgrueber de præscriptionibus. n. 88. qui citat alios plures & ait passim ita sentiri. Lessius de justit. l. 2. c. 6. n. 23. ajens, ita doceri à Covarruvia ex communi doctorum sententia. Idem habet Layman. L. 3. tr. 1. c. 8. n. 14.

417. Dixi ordinariè titulum præsumi; nam si jus commune tali præscribenti resistat, ita ut talis præscriptio à jure prohibita sit; titulus non præsumitur, de quo plura vide apud Schmalzgrueber de præscription. n. 89. ubi ait, non quidem debere jus ita resistere, ut reddat aliquem incapacem possessionis (aliàs nec immemorialis præscriptio procederet) sed tamen debere jus ita resistere possessori, ut simul assistat petitori. videri meretur ipse hic auctor, uti & Layman L. 3. tr. 1. c. 8. n. 14. secundò non debet aliunde esse præsumptio male fidei contra possessorem; talis enim præsumptio excluderet alteram præsumptionem justitituli; & deberet etiam in tali præscriptione titulus doceri. Utrumque hoc sumitur ex C. Episcopum 1. de præscriptionibus in 6.

Addit ulterius Haunoldus tom. 1. de just. tr. 5. c. 2. n. 231. quòd, si possessio sit temporis immemorialis, etiam contra prohibitionem, & resistenciam legis (modò non constet de titulo injusto, & vitioso) adhuc præscribatur; nam C. Episcopum modò citato additur in fine: *Nisi tanti temporis allegetur præscriptio, cujus contrarij memoria non existat*. Subjungit tamen n. 232. quòd si constaret de titulo vitioso, præsumeretur possessio cum illo, & non cum alio inita; nam non præsumitur quis ex alio titulo possidere, quam de quo constat: & hinc juxta hunc authorem tunc neque ista præscriptio valeret, nisi alius præterea titulus justus allegaretur: citatque pro hac sententia Masquardum, Fachinæum, & Arnol-

dum Rhatt: quod idem fusè defendit P. Pichler in Cand. Juris sacr. l. 2. tit. 26. n. 47. & seq.

418. At verò ad præscriptionem ordinariam titulus præsumptus non sufficit; quia in eà non præsumitur titulus, sed debet allegari, & probari, seu, ut vocant, doceri L. 4. & 11. Cod. de præscript. longi temp. & L. 24. Cod. de rei vindicatione. Excipiuntur tamen servitutes, saltem reales continuæ, hoc est, habentes actum continuum, ut aquæ ductus, Suggrundij &c. quæ præscribuntur tempore ordinario sine titulo, hoc est, præscribens non debet titulum allegare, sed sufficit scientia, & patientia domini. ita habetur L. 10. ff. si servitus vendicetur L. 1. §. ult. ff. de aqua, & aquæ pluvie arcenda. & L. 5. §. 3. de itinere, actuque privato.

De servitutibus autem non continuis testatur Haunoldus. tom. 1. de just. tract. 5. c. 2. n. 226. apud omnes veteres juris interpretes, & apud summa tribunalia, aliter sentiri, ita, ut sine titulo, non nisi tempore immemoriali præscribatur iter, actus via &c. nec, ut ait, sententia hæc est legibus destituta, quas ibi vide. Addit n. 228. etiam se agendo de servitutibus continuis tantum loqui de servitutibus realibus, de quibus solis jura illa loquuntur. Unde (pergit) saltem usufructum communiter excipiunt doctores, qui ob damni gravitatem, & contentum rei emolumentum, à realibus servitutibus separatur, ut sine titulo non præscribatur tempore ordinario; quia à regula generali, requirentis titulum, nullibi eximitur, sicut servitutes reales.

419. Tituli autem præscriptionis in jure assignati à Jurisperitis fusiùs explicantur brevem tantum terminorum explicationem adjungo: sunt autem præcipui octo sequentes, *pro soluto, pro emptore, pro hærede, pro donato, pro derelicto, pro legato, pro dote, pro suo*: de quibus agitur in Digestis. l. 41. tit. 4. & sequentibus, & in Code. l. 7. tit. 26. & seq.

Itaque primo *pro soluto* ufucapit, vel præscribit, qui rem indebitam, quasi debitam ab eo, qui solvit, bona fide accepit. L. non solum. 33. §. si mihi. 3. ff. de usurpat. & usucap. qui tamen titulus, ut specialis sit, & a legato, vel aliis, quæ etiam solvi debent, distinctus, intelligendus est de eo casu, quò solvens tantum dicit, serem debere, & hic, & nunc velle solvere: non verò explicat specialem alium titulum.

Secundò *pro emptore* ufucapit, qui vera emit rem alienam emptione invalida, debet tamen emptio verè à me facta fuisse (nam si tantum per errorem existimaretur esse facta, non esset sufficiens titulus; error enim facti proprii non toleratur) vel certè debet procurator, aut servus falsò dixisse, se nomine meo emisse, qui error facti alieni toleratur. vide n. 415. debet insuper res empti fuisse bona fide ab eo, qui putabatur esse dominus rei, cum non fuerit: vel ab eo, qui quidem dominus est; sed alienare non potest; putatur autem ab emptore alienare posse.

420. Tertio pro hærede ufucapit, qui, cum hæres sit institutus, inter res hæreditarias possidet rem alienam: quam, si defunctus non possedit mala fide, hæres suo tempore præscribit: debet tamen mortuus esse is, cujus hæres sum, & post ejus mortem primùm incipit ufucapio ex hoc titulo. Alia etiam dicitur *præscriptio pro hærede*, quando aliquis se gerit pro hærede; cum tamen non sit: contra quem datur actio, quæ dicitur *petitio hæreditatis*, contra quam actionem non præscribitur tempore ordinario, sed primùm 30. annis. An autem etiam hæredes sui possint ufucapere res hæreditarias, vide dicta n. 379. ubi tamen insuper nota, eo loco tantùm quæri, an hæres suus possit rem præscribere titulo pro hærede, hoc est, si pater non habuit titulum, sed vel mala fide possedit, vel tantùm nomine alieno (nam, qui negant, eum posse præscribere, fundantur in eo, quòd hæres suus habeat eandem fidem, & titulum, quem antecessor habuit, & censetur una persona cum illo, ut ibi dictum) non autem ibi quæri, an non alio titulo possit hæres suus præscribere e. g. si pater rem possedit e. g. titulo colorato emptionis; tunc enim (si tamen pater habuit bonam fidem) hæres potest rem præscribere, imò uti accessione temporis, ut dictum n. 381.

421. Quarto pro donato præscribit, qui possidet rem sibi donatam ab eo, qui dominus non est, esse tamen creditur. Et quidem tali donatione, quæ jure tenet. Debet etiam res actu esse donata, nec sufficit tantùm opinari, rem esse donatam. *L. Pro donato 1. ff. pro donato.*

Quinto pro derelicto præscribit qui rem ab alio, quam vero domino suo, possessam, & ab isto habitam pro derelicta, ut talem apprehendit, & possidet; si enim ipse dominus verus rem dereliquisset, statim absque præscriptione per occupationem alterius fieret. *L. Id quod. 4. ff. pro derelicto.* Si autem eam possessor, vel putativus dominus non dereliquisset, quamvis ego putarem, rem derelictam esse, non præscribere, ut habetur. *L. Nemo. 6. ff. pro derelicto:* quæ ita sonat: *Nemo potest pro derelicto ufucapere, qui falsò existimaverit, rem pro derelicto habitam fuisse.*

Sexto pro legato ufucapit, qui accipit aliquid tanquam legatum, quod tamen legatum non subsistebat e. g. quia factum erat ab eo, qui valide legare non poterat: debet tamen legatum reverà fuisse; & non tantùm existimari factum, ut de donato dictum. ita expressè habetur. *L. Legatorum 1. & L. Si possideam. 2. ff. pro legato.*

Septimo pro dote præscribit, qui rem alienam pro dote accipit. *L. Titulus 1. ff. pro dote.*

Octavo. Pro suo, præscribit, qui falsò, sed justo, & probabili errore, ex aliqua justa causa, qua confuevit dominium acquiri, quæque causa ad alios titulos hic enarratos non pertineat, e. g. titulo occupationis, alluvionis, fructus rei suæ &c. rem alienam

possidet. *L. Pro suo; & seq. ff. pro suo.* Notat autem P. Pichler in *Candidat. jurispr. sacr. l. 2. tit. 26. n. 40.* titulos pro suo, & pro soluto, ut speciales, & ab aliis distincti sunt, se solis non sufficere ad præscriptionem, nisi accedat justa causa credendi, rem suam esse, vel aliquid sibi solutum fuisse. Accedunt alii tituli *ex sententia in judicio lata, ex transactione, permutatione, societate*, qui etiam dicuntur *pro judicato, pro transacto, pro permutato, pro socio.* de quibus consule civilitas.

422. Ob. contra dicta n. 411. si requireretur ad præscriptionem possessio civilis, leges frustra introduxissent præscriptionem; quia posset semper impediri, & ipse leges eludi, dicendo, quòd ab eo, contra quem præscriptio tendebat, retenta sit possessio in animo, adeoque alter nunquam habuerit possessionem sufficientem, sed hoc non potest admitti: ergo. Confirm. Possessio naturalis, cum sit corporea, & evidens, est favorabilior, quam civilis, quæ est occulta, & exposita varijs dolis: ergo debet præferri. Resp. neg. ma. nam possessio civilis etiam amitti potest ab invito, etiam enim in animo velit retinere e. g. quando à possessore naturali repellitur, & desperat, se in continenti posse recuperare naturalem possessionem: vel si ignoret dominus, rem esse suam, nec eam ullatenus recuperare cogitet.

Imò aliquando potest possessio civilis amitti, etiam si nemo naturalem habeat. *L. Furtum 37. ff. de usurp. & usucap.* ubi ita dicitur: *Fundi quoque alieni potest aliquis sine vi nancisci possessionem, quæ vel ex negligentia domini vacet, vel quia dominus sine successore decesserit, vel longo tempore absuerit.* Longum hoc tempus Schmalzgruber de *præscription. n. 45.* ait esse e. g. decennium. In talibus ergo casibus debent jura censere, perditam esse à domino possessionem civilem, & neminem adhuc habere naturalem; si enim aliquis jam hanc haberet, acquisivisset simul etiam civilem tanquam rei derelictæ, adeoque nullus alius posset eam nancisci: quin imò quoties res est derelicta e. g. est perdita & nulla est spes eam recuperandi, toto eo tempore, usque dum inveniatur, nec habet amplius prior dominus possessionem civilem, nec alius naturalem. Ad confir. neg. antec. quia possessio naturalis sæpe est violenta, vel iniqua, per furtum, vel violentiam. dein neg. etiam confir. nam si ista requireretur nemo ferme præscriberet, ut jam dictum n. 411.

ARTICULUS IX.

Quæ Res præscribi possint.

423. Explicavimus hucusque bonam fidem, & justum titulum, explicandum modò, quid sit res non vitiosa. Per rem vitiosam non intelligitur hic res indecens, aut mala; sed talis, cujus

cujus præscriptio vitiosa, seu invalida est. Quædam autem res ideo præscribi non possunt; quia ex natura sua non recipiunt eas condiciones, quæ ad præscriptionem necessariz sunt: & dicuntur, *naturà usucapi prohibita*: alia autem ex speciali fine, & ratione legum, non permittuntur præscribi, & dicuntur *prohibita usucapi legis dispositione*. Itaque naturà dicuntur non posse ufucapi, primo *res sacræ, & religioz*, per istas ut habet Haunoldus *tom. 1. de just. tr. 5. c. 2. n. 355.* intelliguntur templa, facella, cæmeteria, sacri calices, vestes sacræ, cinerum conditoria. Dicuntur autem ista non posse ufucapi, ut ajunt, ideo; quia non possunt possideri, ut habetur *L. 30. §. 1. ff. de acquirenda, vel amitt. possess. ubi* expressè dicitur, possessionem etiam amitti, per illationem mortui in aliquem locum.

424. Sed tamen nondum sat capio, quomodo hoc stet cum illo, quod idem Haunoldus dicit *tom. 1. de just. tract. 5. c. 1. n. 17.* scilicet nullum esse hodie sacrum locum, cujus dominium speciale non competat alicui, vel Prælato, vel communitati: quod idem plures alij dicunt, quos attulimus. *n. 313.* Et quæso quare non possit dici, possideri ab Episcopo sua, ut vocatur, capella domestica, seu calix sacer, & alia paramenta, omnia ad usum S. sacrificij sibi comparata? sed neque video, quomodo possint ista dici, non esse in commercio humano: certè possunt vendi calulæ, & calices, ratione materiæ & formæ, quamvis non possint vendi ratione consecrationis: nisi dicere tantùm velis, non esse vendibiles, vel non venire in commercium, ad usum profanum; quia debent servire soli DEO; unde Lugo de *justit. disp. 7. sect. 8.* ubi agit de rebus, quæ præscribi nequeunt, nihil dicit de rebus sacræ. Interim tamen textus est clarus *L. 9. ff. de usurpat. & usucap.* qui ita habet: *Usucapionem recipiunt maxime res corporales, exceptis rebus, sacræ, sanctis, publicis populi Romani, & civitatum, item liberis hominibus.*

Quare P. Pichler *L. 2. Candidati. tit. 26. n. 78.* (ubi etiam citat P. Schmier) implicitè distinguit, & ait: *Licet res sacræ, quatenus earum dominium in ordine ad certas dispositiones piæ, & non dedecentes, dari potest, eatenus præscriptionis incapaces non sint.* Quasi diceret, posse præscribi res sacræ, sed non ita, ut in omnes usus possint converti à præscribente, sicut res profanæ.

425. Secundò, ut habetur ex modò citato textu *Legis. 9. ff. de usurpat. & usucap.* præscribi nequeunt *res publicæ*, seu publicis usibus destinatæ, veluti sunt forum, via publica, fons, pons, theatra, stadia, scholæ, porticus, curia &c. idque verum est, etiam si populus eis uti desinat sic enim habet *L. 2. ff. de via publica & itinere publico rescindendo. Viam publicam populus non utendo amittere non potest:* satis enim est, quòd iisdem populus uti possit, & ad eum finem fuerint assignatæ.

Tertio vi ejusdem *Legis. 9. ff. de usurp. & usucap.* non potest præscribi *liber homo*, ut fiat servus: qua de re rursus *L. finali Cod. de longi temporis præscriptione, qua pro libertate dicitur: sola temporis longinquitate, etiamsi sexaginta annorum curricula excesserit, libertatis jura minime mutari oportere congruit aequitati.*

Quarto præscribi non possunt *res mera facultatis*, hoc est, quæ citra obligationem, aut conventionem, cujusque libero arbitrio relinquuntur; unde, ut habet Layman *L. 3. tr. 1. c. 8. n. 8.* est regula Jurisconsultorum: *Per actus liberos non inducitur præscriptio.* sic quamvis diu liberè ad molendum Petri meum triticum molendum advenxerim, non debeo propterea pergere: vel quamvis diu non altiùs ædificaverim domum, non propterea perdo facultatem altiùs tollendi. vide Schmalzgruber de *præscription. n. 28.*

426. Quintò. Decima quidem absolute possunt præscribi; à Clericis enim præscribuntur ut habetur *C. Ad aures. de præscriptionibus*; ibi enim dicitur, quadraginta annis præscribi decimas: ubi tamen notò, quòd Layman *L. 4. tr. 6. c. 6. n. 7.* velit, etiam in præscriptione 40. annorum, requiri titulum, ad præscribendas decimas, non tamen requiri titulum in præscriptione temporis immemorialis ad eas præscribendas. Attamen non possunt decimæ præscribi à laicis: quod non tantùm intelligendum est, quoad *jus directum* (hoc enim clarè fundatur in titulo spirituali, sui munere administrandi spiritualia fidelibus, cujus laici manifestè incapaces sunt) sed etiam *quoad jus utile decimandi.* ita habetur *C. Causam. 7. de præscriptionibus*: ubi in fine dicitur *Quia, cum laici decimas detinere non possint, eas nulla valent præscribere ratione.*

Et sanè ubi nulla valida datur detentio, sive possessio, etiam nulla datur præscriptio, etsi sit longissimi temporis; unde eodem *Canone* dicitur, contra laicum pronuntiandum, *non obstante præscriptione temporis, vel concessione Ecclesiasticæ, secularisve persone, si idem: eam opponere voluerit.* Concessionem autem Ecclesiasticæ personæ, glossa ait, intelligendam esse factam post Concilium Lateranense, post quod non possunt Episcopi, laicis concedere decimas ex *C. Quamvis sit grave. 17. de decimis.*

Accedit, quòd jus utile decimandi à directo, tanquam à radice sua per solum Summum Pontificem separari queat: qui id planè non vult separare, ut clarè patet ex Lateranensi, & sacris canonibus. Ex quo ulterius inferitur, quòd laici hoc jus nec tempore immemoriali propriè præscribere possint; quia, cum laici non possint possidere jus ita spirituale, vel ita spirituali ex annexum, sine legitima concessione Ecclesiasticæ, seu justo, & vero titulo (qui jam solum jus, seu dominium tribuit antecedenter ad præscriptionem) non possunt hoc jus unquam

quam præscribere. ita Layman. l. 3. tract. 1. c. 8. n. 7. Haunoldus tom. 1. de just. tract. 1. c. 2. n. 356. Illung tract. 4. disp. 2. n. 275. Molina, Engel, Pyrrhing, Gletle, & alii.

427. Id tamen addendum. Cum laici abfolutè, faltem ex privilegio Pontificis poffint, & ante Lateranenfè Concilium, fors ex conceffione inferiorum Prælatorum Ecclefiafticorum, potuerint, poffidere jus utile decimandi, ideo, fi ab immemoriali tempore id poffederint, poffunt in fua poffeffione relinqui; quia tanti temporis decurfus, licet non operetur præfcriptionem, tamen affert faltem nudam præfumptionem jufi tituli, feu quòd per legitimam conceffionem jus illud fit acquifitum; nam varii funt cafus, ex quibus inftrumenta privilegii olim accepti potuerunt, aut perdi, aut interverti. Si tamen poftea conftaret, titulum non fuiiffe jufum, deberet laicus poffeffione decedere, & decimas Ecclefiafticæ relinquere; quia ex communi Brocardico præfumptio cedit veritati. ita Layman loc. cit. n. 426. citans Felinum, item Haunoldus tom. 1. de just. tr. 5. n. 357. Illung tr. 4. n. 275. Gletle Wex, & alii.

428. Aliud autem dicendum de præfcriptione exemptionis à decimis folvendis hoc eft, ne aliquis decimas folvere debeat; ad hujus enim exemptionis poffeffionem, aut præfcriptionem, non requiritur fpecialis capacitas, neque circa hanc præfcriptionem assignari poteft fpecialè privilegium, irritans illam: fed potius ei favet C. de quart. 4. de præfcriptionibus, ubi dicitur, Clericum quadragenaria præfcriptione temporis fe poffe tueri contra Epifcopum de quart. decimæ, nifi interim paftoralis fedes caruiffet paftore; unde hanc exemptionem quadraginta annis præfcribi cum titulo, & immemoriali tempore finè titulo docet Illung tr. 4. n. 276. & Haunoldus tom. 1. de just. tr. 5. c. 2. n. 358. ubi ait id contra Covarruviam ab Arnaldo Rhatt bene probari; eoquòd paffim confuetudine receptum fit, ut de certis fructibus decimæ non folvantur. item Layman. L. 4. tr. 6. c. 6. n. 10. ubi ait, hanc effe veram, & communem fententiam, eamque fufus examinat.

429. Sextò à laicis præfcribi non poffunt beneficia Ecclefiaftica: ut eft clarum; quia incapaces funt juris Ecclefiaftici: quomodo autem præfcribi poffit beneficium Ecclefiafticum ab Ecclefiaftico, habetur Regula 33. Cancellaria: quæ ex exemplari Gothicis typis impreffo an. 1516. Ancona fub Leone X. fic habet: Item ftatuit, & ordinavit idem Dominus nofter Innocentius VIII. Papa; quòd fi quicunque Ecclefiaftica beneficia, qualiacunque funt, absque Simoniaci ingreffu, ex Apoftolica, vel ordinaria collatione, aut electione, & electionis hujusmodi confirmatione, feu præfentatione, & institutione illorum, ad quos beneficiorum hujusmodi collatio, & provifio, electio, præfentatio, feu quævis alia difpofitio pertinet, per triennium pacifice poffederint, dummodo in beneficiis hujusmodi, fi difpofitioni Apofto-

lica ex aliqua refervatione generali, in corpore juris claufa, refervata fuerint, fe non intruferint, fuper eisdem beneficiis taliter poffeffis nequeant moleftari: nec non impetrationes quaslibet de beneficiis ipfis fe poffeffis factas, irritas, & inanes cenferi debere decrevit, antiquas lites fuper illis motas penitus extinguendo. Unde ad præfcribendum beneficium Ecclefiafticum requiruntur hæ conditiones. 1. Bona fides. 2. Poffeffio pacifica per triennium. 3. Titulus coloratus. 4. Ingreffus non Simoniacus. 5. Ut beneficium fe non intruferit in beneficium Sedi Apoftolicæ in corpore Juris refervatum. vide Haunoldum tom. 1. de just. tr. 5. c. 2. n. 273. & Lugo de justit. disp. 7. fec. 7. à n. 104. & à n. 113.

430. Septimò ex legis difpofitione præfcribi non poffunt res furtivæ. Res furtivæ debent effe res mobiles; nam ita habetur §. 7. Inftit. de ufucapionibus, & longi &c. Abolita eft enim quorundam veterum fententia, exiftimantium, etiam fundi, locvæ furtum fieri. Unde res immobiles furtivæ non funt apud Juriftas; quamvis Theologi in latiori fenfu fæpe talia etiam furtiva dicant: in ordine tamen ad præfcriptionem, quæ ex jure Civili dependet, rigor hic attendendus eft. Furtum autem ex L. 1. §. 3. ff. de furtis: eft contractatio rei fraudulofa lucri faciendi gratiâ, vel ipfius rei, vel etiam ufus ejus, poffeffionisve, quod lege naturali prohibuitur, & admittitur.

Has autem res furtivas præfcribi non poffe habetur §. 2. & 3. Inftit. de ufucap. & longi &c. & non tantum non poffunt præfcribi à fure; hic enim habet malam fidem, fed, ut ibidem ftatuatur, neque poffunt præfcribi ab aliis, qui emerint etiam bona fide, vel alia ex caufa acceperint. Quod Lugo de justit. disp. 7. fec. 8. n. 139. extendit etiam ad mediâtè accipientes; nam, ut ait, auctores loquuntur univerfaliter de rebus furtivis, quòd præfcribi non poffint, nifi vitium earum purgetur: quod non fit, nifi redeant iterum ad dominum: & fanè L. Sequitur 4. §. Quod autem 3. ff. de ufurpat. & ufucap. expreffè dicitur, rem furtivam præfcribi non poffe, nifi priùs iterum ad dominum redierit; poftquam autem talis res iterum ad dominum rediit, tunc poterit alia occasione, & ob alium titulum præfcribi. Addit Lugo, hanc effe rationem, ob quam Juftinianus §. 3. Inftit. de ufucapionibus & longi temporis &c. dicat in rebus mobilibus non facilè procedere ufucapionem: quod non verum effet, fi mediâtè accipiens res furtivas præfcribere poffet. Pariter affert Haunoldus tom. 1. de justit. tr. 5. n. 367. res furtivas non poffe præfcribi etiam fi per mille manus ambulaffent. Idem ait Schmalzgrueber de præfcript. n. 37.

431. Intelligendum tamen hoc eft de præfcriptione ordinaria; nam præfcriptione extraordinaria 30. vel 40. annorum, præfcribi etiam ifta poffunt, ut docet Schmalzgruber loc. modo cit. & colligitur ex L. 3. & 4. Cod. de præfcript. 30. vel 40. annorum. Idem

Idem docet Illung tr. 4. disp. 2. n. 277. Lefsius de just. l. 2. c. 6. dub. 15. n. 48. ubi ait, in jure ea dici præfcribi non poffe, quæ ordinario tempore non præfcribuntur. Idem affert Molina de just. tom. 1. tr. 2. disp. 79. addens, ita notare gloffam, & communiter approbare doctores; eoquòd citatis §§. 2. & 3. de ufucap. & longi &c. tantum fit fermo de præfcriptione ordinaria: citatque Sylveffrum, & Panormitanum, feque etiam fundat in L. 3. & 4. modo citatis. Idem docet Lugo de just. disp. 7. fec. 8. n. 151. ubi ait, etiam furem ipfum legitimo tempore poffe talem rem præfcribere, fi toto tempore bonam fidem, e. g. ex inculpabili oblivione habeat.

432. Octavò præfcribi non poffunt res vi poffeffæ, feu ablata per violentiam §. Furtiva 2. Inftit. de ufucap.

Novò. Non poffunt ufucapiri res, quæ dantur contra legem Juliam repetundarum (de qua extat titulus XI. lib. 48. ff.) prætori, proconfuli, vel judici, L. 8. ff. de lege Julia repetundarum. Intellige tamen, has res non poffe præfcribi, donec earum vitium purgetur; quod etiam intellige de rebus furtivis, & vi poffeffis. Ut autem vitium purgetur, debent res furtivæ reverti in potestatem domini, vel formaliter, vel, ut ait Haunoldus tom. 1. de just. tract. 5. c. 2. n. 369. æquivalenter per receptam litis æftimationem, vel aliam fatisfactionem L. Quamvis res furtivas 84. ff. de furtis: vel fi furem hæres fuerit domini. Res vi poffeffæ redire debent in potestatem ejus, qui à poffeffione dejectus eft, etfi dominus non fit; nam aliter violentia non purgatur. Facit hoc L. 6. §. 3. ff. de precario. Res autem contra legem repetundarum datæ debent reddi ijs, vel eorum hæredibus, à quibus acceptæ funt. L. 8. ff. de lege Julia repetundarum.

Uterius præfcribi non poffunt. 1. Res testamenti alienari prohibita, v. g. legata. 2. Fundus dotalis. 3. Jura Majestatis. 4. Exemptio à vifitatione Diocæfanis. 5. Fines diocæfanæ. 6. Facultates, quæ Epifcopis conveniunt ratione ordinis: de quibus tamen completam hæc dare doctrinam, & omnes modificationes, limitationes &c. profequi, impoffibile eft, cumque ifti cafus non ordinariè, fed tantum raro contingant, videri de ijs poterunt occurrente neceffitate citati auctores.

ARTICULUS X.

Quantum Tempus requiratur ad Præfcriptionem.

433. Jam quod attinet ad tempus, quod ad præfcribendum requiritur, diftinguendum eft inter res mobiles, & immobiles. Mobiles cenfentur res corporales, quæ loco moventur, ut animalia, pecunia, veftes, inftrumenta &c. Immobiles, quæ loco moveri non poffunt ut domus, prædia, fylvæ, pascua &c. Quia autem accessorium fequitur principale, in-

fert P. Pichler l. 2. Candidati. tit. 26. n. 57. etiam jura incorporalia, quæ rebus mobilibus adhærent, inter res mobiles numerari. Conftitunt Schmalzgrueber l. 2. tit. 26. n. 97. & Haunoldus tom. 1. de just. tr. 5. c. 2. n. 262. docentes etiam actiones, quæ ratione debitorum pro rebus mobilibus competunt, ficut & ipfa debita, rebus mobilibus accenferi: Econtra cenfus annui, ufuftructus, aliæque fervitutes, beneficia &c. funt bona immobilia, ficut domus, fundi &c. quibus adhærent.

Uterius diftinguendum eft inter Præfentes, & Abfentes; his enim; quia non ita poffunt rebus fuis invigilare, plus temporis indulgetur, ne tam citò contra eos præfcribatur. Præfentes autem olim dicebantur, qui in eadem provincia, five fub eodem præfide provinciæ domicilia habebant I. C. in longi. 12. Cod. de præfcript. longi tempor. Abfentes, qui in diverfis provincijs, feu fub diverfis præfidibus domicilia habebant. Noftis temporibus videntur præfentes effe, qui in territorio, vel fi hoc nimis amplum eft, fub eodem giudice, vel præfecto, domicilium habent, cujusmodi ordinariè funt, qui habitant in eadem civitate: abfentes verò, qui habitant in diverfis territorijs, feu habentibus diverfos confules, gubernatores; præfectos immediatè fupremo principi fubjectos. ita Haunoldus tom. 1. de just. tract. 5. c. 2. n. 263. Schmalzgrueber de præfcript. tit. 26. §. 6. n. 97. citans Pirrhing, Engel & König.

434. Insuper aliud tempus præfcriptionis dicitur breve, aliud longum, aliud longiffimum, aliud immemorabile. Tempus breve eft triennium, vel etiam amplius, fed infra decennium: longum inter præfentes eft decennium, inter abfentes viginti annorum: longiffimum eft 30. vel 40. annorum: immemorabile eft, cujus initij memoria non exiftat. Computatur autem tempus probabilis, non à momento ad momentum, fed de die in diem, adeò, ut fi ultima dies incepta fit, licet nondum finita, præfcriptio jam cenfeatur completa: quæ ex Haunoldo tom. 1. de justit. tract. 5. n. 266. eft recepta doctorum fententia, & fumiur ex L. 15. ff. de diverfis temporibus præfcriptionibus &c. quæ fic habet. In ufucapione ita fervatur, ut etiam fi minimo momento noviffimi diei poffeffa fit res, nihilominus repleatur ufucapio: nec totus dies exigitur ad explendum conftitutum tempus. Idem aperte ftatuitur etiam L. 6. & 7. ff. de ufurpat. & ufucap. quas leges rectè explicat Haunoldus loc. modo cit. fcilicet, eas velle, tempus in præfcriptionibus non computandum de hora in horam, fed computandum diem extremum, ut, fi ad eum ventum fit, etfi necdum fit expletus, cenfeatur tamen jam expleta præfcriptio.

P. Pichler l. 2. Candidati. tit. 26. n. 56. putat excipiendas præfcriptiones actionum, & jurium ex L. 6. ff. de obligationibus, & actionibus, ubi dicitur: In omnibus temporalibus actionibus, nifi noviffimus totus dies compleatur, non finit obligatio.

nem. Haunoldus tamen *tom. 1. de justit. tr. 5. c. 2. n. 207.* ex Accursio & aliis, ab eo citatis putat, hanc legem non opponi priori, nisi forte quoad solas praescriptiones actionum personalium, in quibus actori conceditur totus adhuc dies, ut etiam ultimo momento adhuc agere possit: quae tamen praescriptio forte est minus proprie dicta, spectatque ad eas, ad quas non requiritur bona fides saltem fundata in ignorantia juris alieni. Glossa ad hanc legem 6. tam ait, posse dici diem inchoatum jam intelligi completum.

435. Jam bona mobilia vel res mobiles privatorum, quantumvis pretiosa, cum titulo praescribuntur triennio. *princip. Inst. de usucap. & L. unica Cod. de usucap. transformat.* Res vero privatorum immobiles inter praesentes praescribuntur decem, inter absentes vero viginti annis, ut habetur *ibidem Instit. & Cod. cit.* si quis autem partim sit praesens, partim absens, semper tempus absentiae duplicari debet e. g. fuit octo annis praesens, postea fit absens, debent octo illis annis adhuc quatuor addi. & si fuisset quinque annis praesens deberent decem addi, ut praescriberetur res immobilis. *Authent. Quod si quis quibusdam Cod. de praescript. longi temporis.* Quod si titulus non adit, requiritur, & sufficit praescriptio triginta, vel quadraginta annorum, ut est teste Schmalzgrueber *l. 2. tit. 26. de praescript. n. 100.* communis; nam ad praescriptionem triginta annorum titulus non requiritur, ut dictum *n. 416.* nec videtur discrimen faciendum inter bona mobilia, & immobilia: cumque jura citato numero allegata probent de immobilibus, non videntur mobilia, quae facilius praescribuntur, excipienda.

436. Dixi res privatorum; nam primo praescribi non possunt ea, quae principi ut principii conveniunt, hoc est in recognitionem supremae potestatis, ut sunt tributa, vel aliae pensiones publicae. *L. 6. Cod. de praescript. 30. ann.* ubi statuitur, nullam cujusunque temporis praescriptionem his posse opponi: ait tamen Haunoldus *tom. 1. de just. tr. 5. c. 2. n. 377.* immemorialis temporis praescriptionem contra ista posse valere; cum vim habeat privilegii. Alii vero, qui haec revocant ad jura majestatis, putant, ea nullo tempore posse praescribi, saltem quamdiu aliquis censeri vult subditus. Aliud est, si quis amplius subditus censeri nolit, & princeps, dissimulata suprema potestate, cum eo tanquam aequali contrahat.

Sunt etiam, qui dicunt non posse nisi quadraginta annis usucapi bona principis patrimonialia, seu res dominicae *ex L. 1. 2. & 3. Cod. Ne rei dominicae &c.* sed hoc negant Molina *tom. 1. de just. tr. 2. disp. 74.* citans Covarruviam: item Schmalzgrueber *l. 2. tit. 26. de praescript. n. 35.* & alii; quia ajunt non sat constat de tali privilegio; & sanè citatà Lege 1. quae de patrimonio principis loquitur, sermo est de iis, qui fraudulenter, hoc est, mala fide, se subtraxerunt obligationi colendi bona pa-

trimonialia. *Lex 2. loquitur quidem de rebus dominici juris, & Lex 3. de rebus ad sacrum dominum pertinentibus:* sed per has possunt intelligi bona spectantia ad coronam, quae non praescribuntur, nisi centum annis, ut Covarruvias, Molina, Schmalzgrueber, & alii docent; nam etiam contra civitates non citius praescribitur, si ipsis, vel legatum, vel donatum, vel venditum aliquid fuerit (quod hic statim dictum sit, ne repeti oporteat. ita habetur. *L. Ut inter. 23. Cod. de sacrosanctis Ecclesiis;* unde hoc privilegium multò magis videtur concessum regno, vel coronae, aut principati.

Docet quidem insignis quidam Jurisconsultus, quòd lex illa correctà sit, & praescriptio contra civitates, sicut contra Ecclesias Romanà inferiores (de quibus scilicet, & civitatibus parem, ait, esse rariorem) reducta ad quadraginta annos per *Novellam 111. & 131. c. 6.* attamen Layman. *l. 3. tr. 1. c. 8. n. 13.* ubi Covarruviam citat, & Schmalzgrueber *l. 2. tit. 26. de praescript. n. 34.* nil dicunt de hac restrictione: sed ad praescribendum contra civitates simpliciter requirunt centum annos: verosimiliter ea ratione, quòd Novellae istae tantum loquantur de Ecclesiis, & locis piis: non autem de civitatibus, adeoque in re odiosa non debeant ad istas extendi.

437. Praeter hæc ad Principem etiam spectent bona fiscalia, quae fisco incorporata jam sunt, & hæc tam mobilia, quam immobilia non nisi quadraginta annis possunt praescribi. *§. Res fisci 9. Instit. de usucap.* Si autem incorporata nondum sint, sed fisco commissa e. g. merces ob non solum vetigal, quinquennio contra fisci actionem praescribitur, ut habetur. *L. Neque commissum 2. Cod. de vetigal.* si autem bona sint aliunde vacantia, & nondum denunciata fisco, tempore ordinario, praescribuntur à bonae fidei emptore. *§. 9. Instit. de usucap. & longi. &c.* item *L. 18. ff. de usurpat. & usucap.* Si autem fisco denunciata sint, perfectioni, seu actioni fiscali, quadriennium continuum praefixum est. Sed de hoc plura Juristae. Adde *L. 13. ff. de diversis temporalibus praescript.* ita dicit: *In omnibus fisci quaestionibus, exceptis causis, in quibus minora tempora servari specialiter constitutum est, viginti annorum praescriptio constituitur.*

438. Rursus tempore ordinario non praescribuntur res Ecclesiarum immobiles; hæc enim non praescribuntur, nisi quadraginta annis & cum titulo, etiam ab una Ecclesia contra alteram. *C. 4. 6. & 9. de praescriptionibus:* quae tamen capitula cum loquantur tantum de rebus immobilibus, & in *Authentica. Quas actiones. Cod. de SS. Ecclesiis* expressè dicatur, usucapationem triennii vel quadriennii praescriptionem, in suo robore durare (intellige contra Ecclesias) nec alibi inveniatur aliter à sacris canonibus statutum, hinc Schmalzgrueber *l. 2. tit. 26. de praescript. n. 108.* ait, standum jure civili *ex*

C. Intelleximus. 1. de novi operis nunciatione. Et hæc communior est etiam Lessii. *de just. l. 2. c. 6. n. 22. Molina. tom. 1. tract. 2. disp. 68.* Haunoldus *tom. 1. de just. tract. 5. c. 2. n. 270.* Layman. *l. 3. tr. 1. c. 8. n. 13.* Sanchez, Wiestner, König & aliorum apud Schmalzgrueber *loc. mod. cit.* adeoque etiam Ecclesiarum Romanarum saltem inferiorum res mobiles, si non sint pre iosa, (quae immobilibus aequivalent) cum titulo, & bona fide &c. trienniali possessione praescribuntur. Advertendum hic tamen est, Ecclesias Religiosorum quorundam, uti & ipsae Religiosos ordines aliquos, habere specialia privilegia, ut non nisi sexaginta, vel etiam centum annis eorum bona, saltem immobilia praescribi possint, qua de re vide Illung *tract. 4. disp. 2. n. 327.*

439. Praecipue autem habet Romana Ecclesia speciale privilegium, ut bona immobilia ejus non nisi centum annis praescribantur. ita statuitur *Authent. Quas actiones. Cod. de SS. Ecclesiis,* quae ita habet: *Quas actiones alias decennales, alias vicennales, alias tricennales praescriptio excludit, haec, si loco religioso competant, quae a viginti annis excluduntur, usucapatione triennii, vel quadriennii praescriptione, in suo robore durantibus, sola Romana Ecclesia gaudente centum annorum spatio, vel privilegio.* In autem etiam ad bona mobilia Romanae Ecclesiae praescribenda requirantur centum anni, controversum est. Afirmant Hostiensis, Sylvester, Lessius *de just. l. 2. c. 6. n. 22. sub finem:* Haunoldus *tom. 1. de just. tr. 5. c. 2. n. 271.* Negant Molina Layman, locis numeris citatis. Palaus, Pyrrhing, König, & Lugo *de just. disp. 7. sec. 6. n. 69* qui tamen Romae scripsit, & gnarus quid in Curia Romana obtineat, Schmalzgrueber. *l. 2. tit. 26. de praescript. n. 108.* Quaestio hæc in nostris regionibus non est ad praxin, vide Haunoldum, & Schmalzgrueber, qui, cum inter se contrarii sint, rem aliquanto magis examinant.

440. Iterum tempore ordinario non praescribuntur res pupillarum, & quidem probabilius, siue sint mobiles, siue immobiles (quia non fit ullum discrimen in jure) ita, ut durante aetate pupillari ne longissimi quidem temporis praescriptio procedat, et si ea contra defunctum fuerit inchoata, nisi pupillo adhuc in utero existente compleatur; tunc enim adversus defunctum praescriptio censetur impleri: nec volunt jura, ob incertitudinem posthumi praescriptionem impedire, quamvis ei concedant deinde beneficium restitutionis in integrum. *L. 3. Cod. de praescript. 30. ann.* Haunold. *tom. 1. de just. tract. 5. c. 2. n. 365.* Lugo, Schmalzgrueber, & alii.

Ulterius etiam tempore ordinario non praescribuntur res minorum (qui tales sint, dictum est *n. 191.*) siue mobiles, siue immobiles, contra quos tantum currit praescriptio triginta annorum. *L. Sicut. 3. Cod. de praescript. 30. vel 40. ann. L. Non est. 3. Cod. quibus non obicitur longi temporis &c.* Quod *R. P. Ant. Mayr Theol. Tom. II.*

tamen ita intelligendum, ut, si contra minorem praescriptio inchoata fuerit, & e. g. decem anni completi, si iste interim fiat major, postea non amplius viginti anni, sed tertia pars decem annorum debeat completi, scilicet, uti diximus ex opposito *n. 435.* de eo, qui prius fuit praesens, & postea sit absens, debere dein plus spatij fluere. Idem etiam videtur dicendum de alijs rebus, quae dominos privilegiatos mutant. Ne autem hac ratione nunquam triginta anni requirantur, ait Lugo *de justit. disp. 7. n. 72.* posse rem ab uno minori ad alium devolvi. Haunoldus *tom. 1. de just. tr. 5. c. 2. n. 298.* dicit formaliter, & aequivalenter durare tantum tempus, quatenus, dum is, contra quem vis praescribere, est minor, proportionale spatium ad triginta annos requiritur e. g. possidisti decem annis, intra quos is, contra quem vis praescribere, fit majorenis, isti decem anni tantum implent tertiam partem praescriptionis; unde postea debes adhuc duas partes decennii implere, ut praescriptionem omnino compleas.

Tandem non possunt praescribi bona adventitia filiorum. in quibus pater habet usufructum, & per consequens administrationem. *L. 1. §. 2. Cod. de annali exceptione:* & hoc tam diu, donec filij emancipentur; quia prius agere non possunt.

ARTICULUS XI.

Quando Praescriptio dormiat, vel interrumpatur.

441. Quid sit dormire, aut interrumpi praescriptionem, dictum est *n. 341.* Dormit tempore belli. *C. Prima actio 16. q. 3.* ubi in fine dicitur: *Non enim erit obijcienda praescriptio temporis, ubi necessitas interest hostilitatis.* & *C. 10. de praescriptionibus, ibi. Praescriptio hostilitatis tempore non currente.* Quidam autem hoc restringunt ad tempus, dum ob bellum justitium servatur, seu jus non dicitur. Quidam autem Clarissimus Jurisconsultus testatur, novissimum recessum imperii, editum anno 1654. §. 127. permittere, ut tempus belli in genere detrahatur. 2. Dormit praescriptio tempore grassantis pestis, ut colligant doctores ex argumento earundem legum; quia scilicet non minus impedit lues ista, quam bellum, dominos à solita cura rerum suarum. 3. Dormit tempore vacantis Ecclesiae, vel etiam, ut ait Lugo *de just. disp. 7. sec. 8. n. 149.* si Praelatus Ecclesiae non potest agere propter excommunicationem, suspensionem, captivitatem, vel aliud impedimentum. *C. 4. de praescript. item C. 15. eod. tit.* & par videtur ratio de tempore schismatis: quo vel Ecclesia caret capite certo: vel certè caput ejus est impeditum à cura rerum temporalium Ecclesiae. 4. Si Ecclesia est laesa à proprio suo Praelato, dormit

his præscriptio, quamdiu is vivit. C. Si sacerdotibus. 16. q. 3. Alium casum de precario examinatum vide apud Haunoldum tom. 1. de just. c. 2. tr. 5. n. 352.

442. Jam præscriptio interrumpitur dupliciter: scilicet naturaliter, & civiliter. Et quidem interrumpitur naturaliter, quando deficit aliquid ex requisitis, e. g. bona fides, possessio, titulus &c. interrumpitur civiliter, quando quidem nihil deficit, sed tamen jus possidendi vocatur in dubium, vel extrajudicialiter per privatam denunciationem, vel judicialiter per litem contestationem, quæ Lege unica. Cod. de litis contestatione, explicatur his verbis: *Litis enim tunc contestata videtur, cum judex, per narrationem negotii, causam audire cæperit.* Ad quam legem glossa in rubrica ait: *Nec postulatio, nec libelli editio, faciunt litem contestationem, sed narratio cum contradictione.*

Per solam autem privatam extrajudicialem denunciationem, protestationem, ac contradictionem, interrumpitur præscriptio, si inducat malam fidem in possessore, vel lis feretur circa certos quosdam casus, quos Haunoldus tom. 1. de just. tract. 5. c. 2. n. 332. refert ex Lege 2. Cod. de annali exceptione, quæ lex ad alios casus extendi minimè potest. Scilicet interrumpitur civiliter præscriptio per solam privatam denunciationem &c. si adversarius sit absens, vel infans, vel furiosus, neque tutorem, aut curatorem habeat, vel in magna potestate constitutus; tunc enim sufficere adire præsidem, etque libellum porrigere: vel, si hic adiri non possit, satis erit adire Episcopum, aut defensorem civitatis: si neque hoc fieri possit, sufficere denunciationem, vel protestationem suam proponere publice ibi, ubi domicilium habet possessor, cum libello manu notarii subscripto: vel si nullus notarius haberi possit, cum libello à tribus testibus subscripto.

443. Item per citationem interrumpuntur præscriptiones illæ improprie dictæ, de quibus n. 405. quæ contra jus alterius ad aliquam servitutem fiunt ab eo, qui scit, se debere aliquid agere, vel pati, si is, qui habet jus, velit hoc jure uti &c. ita Haunoldus, Lugo, Molina tom. 1. tract. 2. disp. 78. ajens esse communem doctorum, & sumitur ex L. 7. §. i. Cod. de præscript. 30. vel 40. annorum ibi: *Nisi conventio (hoc est citatio, vel admonitio, aut petitio) aut atas, sicut dictum est, interceperit:* & rectè; nam tali citatione facta jam cessat taciturnitas, & patientia domini, qua sola nitebatur alterius præscriptio. Et hoc solum etiam probant L. 3. Cod. de præscript. 30. vel 40. ann. & L. 3. Cod. de annali exceptione.

Aliæ autem præscriptiones, per solam denunciationem, aut etiam citationem, non interrumpuntur: saltem jure communi antiquiore: hodie autem, ut putant, referentur Haunoldo tom. 1. de just. tr. 5. c. 2. n. 330. non ignobiles jurista præscriptio omnis interrumpitur oblatione libelli: favet autem

his jurista L. Sed etsi. 25. §. 7. ff. de heredit. petitione. ubi dicitur: *Post litem contestatam omnes incipiunt male fidei possessores esse: quin imò post controversiam motam; & quamquam enim litem contestata a mentio fiat in senatus-consulto, tamen & post motam controversiam omnes possessores pares fiunt, & quasi prædones tenentur: & hoc jure hodie utimur; cæpit enim scire, rem ad se non pertinentem possidere se is, qui interpellatur.* Sed de his plura docebit legitima praxis.

444. At verò per litem contestationem omnis præscriptio interrumpitur. ita sumitur ex L. 10. Cod. de acquirenda, & retinenda possessione. ubi dicitur, *non posse eum intelligi possessorem, qui, licet possessionem corpore teneat, tamen ex interposita contestatione, & causâ in judicium deductâ, super jure possessionis vacillet, & dubitet,* quod, ut explicat Haunoldus tom. 1. de just. tr. 5. c. 2. n. 333. intelligendum est, non quòd reverà possessionem amittat; sed quòd fingatur non possidere; quia quoad juris effectum perinde est, ac si non possideret, saltem securâ sententiâ condemnatoriâ. Idem habetur ex L. sed etsi §. si ante. 7. ff. de hereditatis petitione. ubi dicitur: *Post litem contestatam omnes incipiunt male fidei possessores esse:* quod utique in sensu Theologico verum non est: sed tantum fictione juris; cum res pendeat ex futuro eventu sententiæ ferendæ.

Unde rectè etiam notat idem Haunoldus tom. 1. de just. tr. 5. c. 2. n. 335. per litem contestationem tantum interrumpi præscriptionem respectu illius, qui contra præscribentem agit, non verò respectu aliorum, cum quibus nulla actio est; nam L. 2. Cod. quibus res judicata non nocet. dicitur: *Res inter alios judicata neque emolumentum asferre his, qui judicio non interfuerunt, neque præjudicium solent irrogare.* Consentit Lugo de justit. disp. 7. sec. 8. n. 154. Ex quo ipso confirmatur, quòd talis non perdat ipsa possessionem (aliâs etiam respectu aliorum præscriptio interrumpitur) sed tantum eam perdat fictione juris respectu actoris: quæ tamen fictio non se extendit ad alios non agentes.

445. Addendum tamen etiam hoc loco, effectum contestatæ litem, quoad interrumpendam præscriptionem pendere ex eventu sententiæ; si enim reus succumbat, censetur à tempore contestatæ litem non possidisse, adeoque præscriptio non completisse, etsi interim durante lite effluat tempus requisitum, e. g. viginti anni: at verò, si succumbat actor, non censetur interrupta esse præscriptio. ita Haunoldus tom. 1. de just. tract. 5. c. 2. n. 340. Lugo de just. disp. 7. sec. 8. n. 152. Molina tom. 1. tr. 2. disp. 78. n. 14. citans Covarruviam, & alios: rationem dat Haunoldus, ne cuius facile sit, lite, etiam calumniandi animo mota, præscriptionem interrumpere.

Nec obstat L. Sed etsi. ff. de heredit. petitione. dicens, post litem contestatam omnes esse male fidei possessores; hoc enim est

tantum intelligendum fictione juris; nam reverà non habent tales possessores malam fidem Theologicè talem: in super hæc fictio juris tantum procedit quasi conditionatè, ut scilicet, si condemneretur reus, perinde se habeat, quasi non possideret. Eodem modo, & in eodem sensu tantum dicitur Lege 10. Cod. de acquir. & retinend. possessione. neminem, eò quòd post litem contestatam super jure suo vacillet, posse intelligi possessorem.

Si tamen actor causam non prosequatur, tunc præscriptio tamen censetur interrupta per litem contestationem, & in hoc casu, si quis de novo velit præscribere, opus est quadraginta annis à novissimâ cognitione (qua scilicet judex de actione cognovit, five quando coram eo novissimè actum est de hac causâ, ita ut dein cessatum sit ab actione) numerandis, ut habetur Lege ultima. Cod. de præscriptione 30. annorum. ita Haunoldus tom. 1. de justit. tract. 5. c. 2. n. 338. Lugo de just. disp. 7. sec. 8. n. 154. ubi addit, si intra istos quadraginta annos actor, vel ejus hæredes iterum agant, & vincant, debere rem, licet interim fuisset præscripta, iterum reddi, ut etiam ait Molina ab eo citatus: & infertur ex eo, quòd aliâs talis actio, & victoria esset inutilis.

446. Hanc tamen interruptionem per litem contestationem Haunoldus, tom. 1. de justit. tr. 5. c. 2. n. 338. asserit, tunc tantum fieri, quando actor sine dolo malo actionem deserit: cui tamen assertioni teste Glossa apud Molinam tom. 1. tract. 2. disp. 78. contradicunt multi auctores: sed tamen ipse Molina (cui etiam omnino consentit Haunoldus) disp. modo cit. putat, inter se conciliari posse auctores negantes, & affirmantes, si dicatur, non semper ob quamlibet desistentiam à lite carere actionem institutam effectum interrumpendi præscriptionem: sed, si ex circumstantiis constet, vel vehemens præsumptio sit, arbitrio iudicis, litem contestatam esse, animo non litem prosequendi, sed tantum præscriptionem interrumpendi, seu, ut ait Haunoldus, actorem dolo litem movisse, ad præscriptionem prolongandam; tunc enim ait Molina, judicandum esse tam in foro conscientiæ, quam in foro exteriori, præscriptionem nec interruptam, nec prorogatam fuisse.

Hoc ait colligi posse argumento à contrario sensu Legis ultima. Cod. de præscript. 30. ann. Et sanè lex illa ultima tantum videtur velle succurrere ijs, qui meritò lugere possunt, res suas ad alios translatas; eò quòd à lite desiterint, vel ob potentiam, vel ob fugam adversariorum, vel alium casum sorti humanæ adscribendum: ex quo non sequitur eam legem velle etiam ijs favere, qui dum possent litem prosequi, tantum idè nolunt, ut alter non præscribat: qua ratione dominia rerum manerent incerta contra intentionem legum de præscriptione.

447. Quæstio adhuc superesse potest, an litem contestatione interrumpatur omnis præ-

scriptio: circa quam quæstionem conveniunt authores, impediri litem contestatione præscriptionem longi temporis 10. vel 20. annorum ex L. 26. Cod. de rei vindicat. *Mora litem causam possessoris non instrunt ad inducendam longæ possessionis præscriptionem, qua post litem contestatam in præscriptum æstimatur:* hoc est, ut explicat Glossa, etsi lis e. g. novem annis duret, isti non currunt præscriptenti, sed tantum attenduntur anni præteriti, seu elapsi ante contestatam litem. Ex hoc inferunt Haunoldus tom. 1. de justit. tr. 5. c. 2. n. 337. & Molina, tom. 1. tr. 2. disp. 78. n. 13. citans plures alios idem dicendum esse de præscriptione bonæ fidei triginta annorum sine titulo; nam ex defectu tituli propter excessum temporis æquiparatur præscriptioni longi temporis.

448. At verò de præscriptione triennali Molina, tom. 1. tr. 2. disp. 78. Haunoldus tom. 1. de just. tract. 5. c. 2. n. 336. Lugo disp. 7. sec. 8. n. 152. & communissimè etiam authores alij cum Glossa in L. Mora litem. num. præced. cit. tenent eam non interrumpi litem contestatione, sed perfici etiam durante lite: ita statuitur L. 2. §. ultimo. ff. pro emptore: ubi sic dicitur: *Si rem alienam emerit, & cum usucaperem, eandem rem dominus à me petierit, non interpellari usucapionem meam litem contestatione:* quæ verba Glossa ait, explicanda esse de usucapione rei mobilis, scilicet triennali; aliâs enim contradiceretur Legi: *Mora litem citata n. 447.* de qua triennali præscriptione, vel usucapione etiam est explicanda Lex. *Si quis alienam rem 2. ff. pro donato:* nisi quis malit dicere cum Glossa, in casu hujus legis litem non esse motam à vero domino (quod patet ex verbis legis) & consequenter aliis veris dominis, eam actionem, seu litem contestationem, non prodesse, ex dictis n. 444. contra hunc autem tantum apparenter dominum non opus esse præscriptione.

449. Addendum autem ex auctoribus supra citatis, quòd, etiam si præscriptio triennalis per litem contestationem non interrumpatur, imò etiam si durante lite præscriptio talis perfecta sit, si tamen postea possessor per sententiam iudicis condemnetur, debeat rem reddere illi, pro quo pronunciatum fuit; nam L. Si post acceptum iudicium. 18. ff. de rei vindicat. sic dicitur: *Si post acceptum iudicium (hoc est post admissum iudicium, vel contestatam litem) possessor usu hominem cepit, debet eum tradere eoque nomine de dolo cavere.* Ex quo clarè infertur, quòd, si possessor condemnetur, debeat reddere rem possessam, nec eum juvet præscriptio primum post litem contestatam impleta.

Unde Glossa ad L. Mora litem. cit. n. 447. & CLARIUS ad L. 2. §. ultimo ff. pro emptore, ait triennalem præscriptionem non quidem impediri quoad cursum, impediri tamen quoad effectum: qua etiam ratione explicari possunt leges aliæ, quæ fors videntur dicere, longi temporis præscriptionem non interrumpi per litem contestatam: scilicet di-

endum, quòd tantum velint, præscriptionem non interrumpi quoad cursum, interrumpi tamen quoad effectum, vel non quidem in rei veritate, sed tamen in fictione juris; ne leges sibi aperte opponantur. Quodsi autem actor litem non prosequatur, tunc ait Haunoldus *tom. 1. de just. tr. 5. n. 336.* usucapionem istam triennalem per litem contestationem non fuisse prolongatam.

Quodsi autem per pactum, aut transactionem, à lite recessum esset, tunc interruptio facta teste Haunoldo *tom. 1. de just. tract. 5. n. 342.* ad eum non nocet, ut perinde habeatur, ac si lis nunquam mota fuisset; quia hoc in pactum videtur deductum, ut quisvis eo jure gaudeat, quo gavissus fuisset, si lis mota non fuisset.

450. Addit autem Glossa *ad L. 2. §. ultim. ff. pro emptore* hodie videri etiam impediri præscriptionem triennalem, quoad cursum. Haunoldus quoque *tom. 1. de just. tract. 5. c. 2. quanquam n. 336.* dicat, triennalem præscriptionem lite contestata non interrumpi, tamen *n. 339.* ait, non ignobiles juristas apud Arnoldum Rhatt putare, libelli oblatione impediri omnem præscriptionem, sive ordinariam, sive extraordinariam.

Alius quidam etiam absolute asserit, si ve triennalem præscriptionem, sive vicennalem, litem contestatione impediri: attamen jura ab eo citata tantum loquuntur de longi temporis præscriptione excepta *Lege 2. §. ultim. ff. pro emptore*: quæ videtur universaliter loqui, sed explicata est supra. Item *L. Nemo 10. Cod. de acquir. & retinend. possess.* videtur loqui universaliter: sed tamen superiores leges videtur facere exceptionem. Explicat tamen idem author etiam jura sibi opposita sic, quòd illa quidem dicant, usucapionem in ijs casibus procedere, in rei veritate, sed non in fictione juris; nam etsi impleatur præscriptio, si tamen possessor vincatur, restituere cogitur omnia, ut conceditur etiam ab alijs, & supra est dictum: quoad praxin tamen inter hos auctores est hæc differentia, quòd juxta posteriores, cessante actore à lite sine dolo, prolongetur præscriptio ad quadraginta annos: juxta priores verò non prolongetur. Res potius spectat ad forum externum; nec facile in foro interno hic casus occurret.

ARTICULUS XII.

Quid sit, & quibus concedatur Restitutio in integrum.

451. **E**t si præscriptio qualiscunque legitime completa sit, datur tamen quibusdam Restitutio in integrum, quæ apud Haunoldum *tom. 1. de just. tr. 2. n. 462.* ex communi cum Glossa in *C. Auditis. 3. de in integrum restitutione* definitur. *Reductio in eum locum, in quo quis fuit ante lesionem.* sic enim ait dicta

Glossa: *Restituere in integrum est reducere in eum statum, in quo erat ante lesionem.* Datur autem primò minorennibus *L. unica Cod. si adversus usucapionem*: circa quos tamen minorenes Haunoldus *tom. 1. de just. tr. 2. c. 4. n. 477.* excipit casus aliquot: aitque 1. minorem, seu minorennem, non restitui, in venditione sui ad pretium habendum. 2. Neque, si major, seu majorennis factus raturum habuit quod minor gessit. 3. Neque si veniam ætatis impetravit. 4. Neque si nullius dolo inductus se finxit majorem &c. Plura vide apud ipsum Haunoldum loco modo citato.

Secundò conceditur restitutio ista Ecclesijs *C. 1. & 2. de in integrum restitutione.* Nomine autem Ecclesiarum veniunt etiam alia loca pia, ut hospitalia, monasteria, quæ gaudent privilegijs Ecclesiæ. Addit tamen Haunoldus loco modo citato, personas Ecclesiasticas, quoad bona propria, etiam ex beneficio acquisita, hoc privilegio non gaudere. Utrum hoc privilegio gaudeant respublicæ, aut civitates, vide ibidem expensum. Et favet his *L. penult. Cod. quibus ex causis majores &c.* ait enim: *Respublica minorum jure uti solet, ideoque auxilium restitutionis implorare potest.*

Tertiò conceditur hoc beneficium aliquando majorennibus ex certis causis, e. g. ob incussum metum, deceptionem dolo malo factam, absentiam reipublicæ causâ, minimam capitis diminutionem &c. quæ vide apud Haun. *tom. 1. de just. tr. 2. n. 475.* & colliguntur ex *Legibus ferme omnibus ff. de in integrum restitutione.*

An autem etiam his iustis causis accenseri debeat invincibilis ignorantia prioris domini, disputat Haunoldus. *tom. 1. de just. tr. 5. n. 344.* & quanquam fateatur affirmativam esse teste Gallo communem tamen *n. 345.* cum Fachinæo amplectitur negativam, quam probat ex *L. final. Cod. de prescript. longi temporis.* ubi dicitur: *Nulla scientia, vel ignorantia expectanda, ne altera dubitationis inextricabilis oriatur occasio.* Scilicet aliter lites nunquam finirentur. Unde ait Haunoldus *loc. cit. n. 347.* hanc restitutionem, non posse computari inter eas, quas dare potest prætor vi *Legis 1. ff. Ex quibus causis majores.* per illa verba: *Si qua aliam ibi causam justam esse videbitur, in integrum restituam, quoad ejus per leges, plebiscita, senatusconsulta, edicta, decreta principum licebit*: quæ verba dein *L. 28. §. 2. hoc titulo* explicantur: *si leges permittant*; nam ait hic auctor, leges licet non explicite, tamen implicite, & æquivalenter prohibere hanc restitutionem; eò quòd leges de præscriptione plenissimam securitatem præscribenti promittant & omnem regressum negent.

452. Debet autem restitutio hæc potestati intra quadriennium, quod minoribus currere incipit ex die, quo majores facti sunt. *L. ult. Cod. de temporibus in integrum restitutionis*: & hoc quadriennio non solum petendam restitutionem, sed etiam

causam finiendam esse, cautum est, *ibidem.* Majoribus autem incipit currere quadriennium ex die cessantis impedimenti. *cit. L. ult. juncta L. 1. ff. ex quibus causis majores.* saltem si non ex negligentia permisissent præscriptionem impleri, quando hæc necdum erat completa, dum impedimentum cessavit, & poterat adhuc commodè impediri: de qua exceptione vide *Molinam tom. 1. tr. 2. disp. 80.* & *Covarruviam. relect. in C. Possessor. p. 3. §. 3. n. 3. v. primum illud considerandum*, ubi tamen potissimum ait, non dari restitutionem, si ante impletum tempus præscriptionis dominus acquisiverit scientiam rei suæ ab alio detentæ: sed tamen ratio videtur esse eadem, si alia impedimenta cessent.

Ecclesijs autem ait Molina *loc. cit. modo cit.* dari restitutionem per quadriennium post completam adversus eas præscriptionem: & *Clement. unica de restit. in integrum.* de Ecclesiâ laica dicitur: *Causa restitutionis hujusmodi finire debet infra quadriennium continuum à tempore lesionis*: hoc est, impletæ præscriptionis. Sæpius jam citatus doctissimus Recentior Jurisconsultus ait, Ecclesijs, alijsve pijs locis, juxta sententiam in praxi receptam, currere illud quadriennium à tempore scientiæ, seu cognitiæ lesionis: quod tamen (addit) nonnulli limitant, ut, si quadraginta anni à læsione fluxerint, restitutio amplius peti non possit. Sed hæc plus quam satis Theologo de præscriptione: plura qui cupit, meritò à nobis ad Jurisconsultos remittitur.

QUÆSTIO III.

De alijs Modis Civilibus acquirendi Dominionum.

ARTICULUS I.

Quid juris tribuat Contractus circa rem turpem.

453. **T**ripliciter potest contrahi, seu potius aliquid dari ob rem turpem, vel ob turpem causam (ut loquuntur jura, in quibus extat titulus de conditione ob turpem, vel injustam causam: estque quintus *lib. 12. ff. & septimus lib. 4. Codicis*) Primò, ut turpitudine se teneat ex parte solius dantis, & non ex parte accipientis, saltem, ut nulla turpitudine detur ratione acceptationis. Exemplum est ex jure, si quis solvat meretrici, quod ei promisit ob prostitutionem corporis, actu jam præterito: in quo casu quidem clarum est, meretricem turpiter agere se prostituendo: sed non est clarum, eam turpiter agere promissam pecuniam accipiendo. Secundò, ut turpitudine tantum se teneat ex parte accipientis, e. g. si quis præcisè ad redimendam vexam det aliquid judici, ut pro se ferat sententiam justam: & iste datum accipiat; nam accipere aliquid pro eo, ad

quod quis jam tenebatur ex justitia, utique turpe est: vel si accipiat latro aliquid, non viatorem occidat. Tertio, ut turpitudine sit, tam ex parte dantis, quam accipientis, e. g. si quis det temporale pro spirituali, & alter accipiat: vel si quis judici det rem furtivam, ut ferat sententiam injustam, & hic illam scienter accipiat. Potest autem merces, sive res data etiam dupliciter considerari; nam potest esse res ex se saltem indifferens, ut pecunia: vel potest esse mala, ut si quis alteri scienti det furtivum, vel meretrix in compensationem prostituat corpus.

454. Jam si res, quæ pro mercede, promissa est, sit mala, certum est, nullam unquam posse dari obligationem ad illam dandam; neque enim potest dari obligatio ad peccandum. Certum item est, quòd ante impletum ex una parte contractum non obliget pactum turpe, seu inhonestum, aut injustum; quia non potest dari obligatio ad peccandum, debetque contractus iterum rescindi, e. g. ante admittam fornicationem debet rescindi pactum cum meretrice; quia, cum sine peccato impleri non possit, & hoc omnino vitari debeat, debet utique rescindi pactum. Et hoc est, quòd dicitur *C. In malis promissis. 22. q. 4. In malis promissis rescinde fidem: in turpi voto muta decretum: quod incaute vovisti, ne facias; impia enim est promissio, quæ scelere adimpletur.* Quo etiam casu clarum est debere restitui pretium, si quod acceptum est; nam conditione non impleta, & consequenter neque contractu impleto, utique solutio non debetur. Unde Molina *tom. 1. de just. tr. 2. disp. 94.* ait, sicarium, e. g. qui accipit pecunias ab alio, ut interficeret Paulum, si monitus antecædem, à conductore resiliente à contractu, tamen noluit resiliere, sed postea Paulum occidat, teneri pretium reddere, & damna etiam illata compensare.

455. Quæstio igitur tantum est, an si contractus talis ex una parte, etiam per scelus, fuit impletus, e. g. meretrix jam ante pecuniam acceptam prostituat fornicario corpus, vel sicarius, ex mandato non retractato, occidit Paulum, an in tali casu teneatur promittens meretrici, vel sicario, dare mercedem pactam, quæ merces per se fit res indifferens, & dari per se, vel donari sine peccato possit; nam si quis esset per leges incapax, vel inhabilis redditus ad alienandum, utique non posset saltem pro tunc, nec teneretur dare. In qua quæstione multas distinctiones faciunt: quibus brevitate causâ omiffis.

456. Dico. Impleto jam contractu turpi ex una parte, probabilius debet etiam, in foro saltem interno, impleri ab altera parte, & merces promissa, si tamen res indifferens sit, dari. ita Gormaz *de justitia n. 265.* Haunoldus *tom. 1. de just. tr. 2. c. 3. n. 354. & 360.* Layman *l. 3. sec. 5. de justit. tr. 4. c. 4. n. 8.* Lessius *de just. l. 2. c. 18. dub. 3. n. 18.* Ininger *de restitutione q. 3. a. 7.* Illung *tr. 4. disp. 2. n. 376.* ubi ait, esse communem Theologorum. Azor. *tom. 3. l. 4. c. 21.*

Molina tom. 1. de justit. tr. 2. disp. 94. Lugo de just. disp. 18. n. 59. & seq. Adhuc autem probabilius est, quod, si merces jam data fuerit, ea non debeat restitui; hoc enim præter citatos docent communiter etiam alij, & quod caput est, docet hoc S. Thomas. 2. 2. q. 32. a. 7. in corp. & q. 62. a. 5. ad 2. ubi expressè ait, meretricem non debere restituere quæstum meretricium.

Neque tamen S. Thomas, aut ullus alius, qui admittit, tale pretium acceptum non debere restitui, positivè negat, quod ex justitia debeat solvi, sed tantum de hoc tacent, seu id positivè non asserunt. Nec etiam videtur posse ulla lex assignari, quæ dicat, non debere quidem talem mercedem, vel pretium promissum solvi, at si solutum sit, non debere restitui: consequenter relinquatur hæc quæstio juri naturali, in quo merces, quæ non debet restitui, ex justitia debetur. Dixi tamen in foro interno; nam quod non possit iudex in pœnam delicti, saltem in aliquibus casibus, privare reum mercede etiam accepta, non dixerim. Addendum etiam, pretium non debere vi, & fraude majus acquisitum esse, ut est per se clarum. Quodsi tamen meretrices tantum blanditijs, vel lenocinijs aliquid extorqueant, cum hoc sponte, & voluntariè de tur, restitui non debet, ut habet Molina cit. disp. 94.

457. Probatur jam conclusio cum Gormaz de justit. n. 266. Perpetrato jam peccato, eoque præsupposito, ut puro termino solutio non est ampliùs peccaminosa, sicut non est peccaminosa pœna, præsupposita culpâ: ergo potest impleri pactum tale absque peccato, adeoque debet ex jure naturali: cumque leges positivæ, ut videbimus in objectionibus, nihil novi statuerint, absolute debet pactum tale impleri. antec. probatur ex ipso exemplo pœnæ modò adducto: & magis patebit ex solutione objectionum. consequentia autem quoad primam partem est clara: quoad secundam etiam probatur ex hac ratione; quia omne pactum onerosum, & utile contrahenti (quale etiam est istud) debet servari ex naturali æquitate, & justitia, si sine peccato servari potest: ergo.

458. Confirm. 1. Omnes docent, & lumen naturæ dicat, quod is, qui promisso conjugio induxit virginem ad peccandum, & hoc pacto eam dehoravit, teneatur ex justitia eam ducere, licet conjugium sit merces peccati præteriti: ergo a pari &c. Confirm. 2. Ex opposita sententia sequeretur, militem, in bello injusto militantem, teneari ad restitutionem stipendij: item fabricantem arma ad bellum iniquum ad restitutionem pretij: quæ sunt contra sensum communem, ut rectè ait Lessius de just. l. 2. c. 14. n. 56. & 57. & Gormaz n. 274.

Confirm. 3. L. 4. §. 3. Sed quod meretrici, ff. de conditione ob turpem vel injustam causam: dicitur, data meretrici repeti non posse, & additur ratio: illam enim turpiter facere, quod sit meretrix: non tur-

piter accipere, cum sit meretrix: quod idem est, ac dicere, pactum quidem non obligare ad fornicandum, quod est turpe: obligare tamen ad dandam mercedem, quæ præsupposito jam peccato honestè accipi potest. Licet autem meretrix turpiter faciat, etiam accipiendo mercedem ante peccatum, ut peccet; quia sic sinit, se induci ad scelus, tamen postea non facit turpiter eam retinendo; unde, licet accipiat mercedem ante peccatum, non tenetur postea isto præterito illam restituere.

459. Aliud dicendum est, si quis scienter accipiat aliquid furtivè, vel simoniacè pro beneficio alteri impetrando, vel dando, aut pro concessio religionis ingressu, vel collatis ordinibus sacris; tunc enim clarum est, tale datum retineri non posse; quia ipsa retentio mala est; cum alienum, cognitum tale, jure naturæ retineri non possit, & jura sint clara, quæ illam acceptionem simoniacam invalidam reddant. Item aliud est, si in specialibus casibus peculiaria jura acceptionem damnant, & invalident, e. g. quæ continentur in Bulla Gregorii XIII. Ab ipso Pontificatus. edita anno 1574. contra dantes, & accipientes aliquid pro justitia, vel gratia apud Sedem Apostolicam obtinenda, que est 28. va ex Bullis hujus Pontificis in Bullario.

Aliud rursus dicendum, si quis aliquid accipiat turpiter pro eo, quod aliunde jam ex justitia facere debet, e. g. si iudex pro ferenda sententia justa, quam supposito stipendio suo (vel, si hoc nondum habeat, saltem accepto illo, quod ex lege, vel consuetudine ei debetur) ex justitia ferre debet, adhuc aliquid accipiat, datum ex timore injustæ sententiæ, vel ad redimendam vexantem talis enim datio metu ita extorta; & consequenter etiam acceptio, cum manifestè justitiam violet, jus retinendi tribuere non potest. Et hinc L. Ut puta. 2. ff. de conditione ob turpem vel injustam causam §. 2. expressè dicitur, taliter datum posse condici: & in hoc casu etiam datur turpitudine ex parte accipientis, de quo casu L. Omne. 1. ff. de condici. ob turpem vel injust. causam §. 1. sic habet: Quod si turpis causa accipientis fuerit, etiamsi res secuta sit, repeti potest. Idem dicendum, si quis dare debeat aliquid latroni, ne se occidat, depositario, ut depositum reddat &c. de quibus, & similibus casibus vide Lugonem de just. disp. 18. sec. 3. n. 67. & seq. ubi fusè plures ejusmodi quæstiones examinat.

ARTICULUS II.

Solvuntur Objectiones.

460. **O**B. 1. Nostra sententia est contraria varijs legibus civilibus: ergo non est admittenda. prob. antec. 1. L. 6. Cod. de pæstis. ita habet: Pacta, qua contra leges, constitutionesque, vel contra bonos mores sunt,

funt, nullam vim habere indubitati juris. 2. L. 26. ff. de verborum obligationibus. Generaliter novimus, turpes stipulationes nullius esse momenti. 3. L. 35. eodem titulo: Si stipulor, ut id fiat, quod natura fieri non consedit, non magis obligatio consistit, quam cum stipulor, ut detur, quod dari non potest. 4. L. 123. eod. tit. Si flagitii (alii legunt plagii) faciendi, vel facti causâ, concepta sit stipulatio, ab initio non valet. Confirm. ex regula 18. juris in 6. Non firmatur tractu temporis, quod de jure ab initio non subsistit: & reg. 29. ff. de diversis regul. juris. Quod initio vitiosum est, non potest tractu temporis convalescere: ergo, si isti contractus ante perpetratum peccatum fuere nulli, non firmantur postea post illud commissum.

461. Resp. 1. retorq. argum. in casu, quo quis induxit virginem ad peccatum promissione nuptiarum: item militis pugnantis in bello injusto. Resp. 2. neg. antec. ad prob. explico leges objectas. L. Pacta. tantum vult, ea pacta non habere vim obligandi ad actionem pravam: non verò vult, ea nullam habere vim obligandi ad solutionem per se honestè faciendam; illud enim solum est indubitati juris: non verò istud; nam per jus indubitatum vult legislator intelligere jus naturale, & ut ait Gormaz de just. n. 271. istæ leges positivæ sunt declarationes legis naturæ. Eodem modo sunt explicandæ leges, secundo, & tertio loco objectæ. Quod attinet ad legem quarto loco adductam, præsertim quoad illud, quod asserit, stipulationem etiam eam nullam esse, quæ flagitij jam facti causâ concepta est, si intelligi deberet de quavis stipulatione ob crimen factum implenda, manifestè nimium probaret; est enim innegabile, quod multæ stipulationes, occasione commissi criminis initæ, valeant, estque exemplum manifestum in corruptore virginis sub promissione matrimonij postea contrahendi.

462. Unde Glossa in hanc legem ait, hunc casum esse dubitabilem, & tandem ponit casum, juxta aliam lectionem, Si plagij &c. quando scilicet aliquid tibi promitto, si reddas filium, quem plagio abstulisti. Sed hic casus jam est à nobis supra exceptus; quia ipsa acceptio esset turpis; esset enim accipere aliquid pro aliquo jam ante ex justitia debito; unde potest lex intelligi, si stipulatio, vel promissio sit facta occasione flagitij facti, cujus reparatio per stipulationem quaritur, ad quam tamen reparationem alter jam pro priori ex justitia tenetur, e. g. si quid promittitur pro solvendo fascino, quod veneficus posuit, & sine mercede solvere non vult, etsi teneatur. Ad confirm. neg. conseq. Jam diximus, hos contractus, nostra conclusione comprehensos, non esse omnino nullos: sed saltem conditionatè obligare, si scilicet altera pars, etiam per peccatum, conditionem requisitam impleverit. Et hoc aliquo modo videtur etiam innuere C. In malis promissis. 22. q. 4. citatum n. 454. ubi dicitur: Rescinda fidem; eoquod prius nondum sit rescissa.

463. Ob. 2. Aliæ leges adhuc obstant conclusioni: ergo. prob. ant. adducendo varias leges 1. L. 8. ff. de conditione ob turpem, vel injustam causam: ubi dicitur, quod ex turpi causâ à te datum e. g. Petro, repeti quidem non possit: at si necdum datum sit, sed tantum promissum Petro, exceptio doti mali Submovere eum possis: ergo non tenetur quis in conscientia taliter promissa solvere: quamvis, si solverit, non possit ea repetere. 2. L. Mercalem §. Cod. de conditione ob turpem causam. ubi dicitur, etsi taliter datorum non sit repetitio, tamen ex hujusmodi stipulatione denegandas esse actiones. 3. L. Si ex cautione 1. Cod. de condici. ob turpem causam. quæ ita habet: Si ex cautione tua conventi caperis, nullam pecuniam te accepisse, sed ob turpem causam, & quam fieri prohibitum est, interpositam cautionem: ei, qui super ea re cogniturus est, probandum est: & eo impleto absolutio sequetur. Resp. Has leges tantum probare, quod, si merces necdum data sit, ea non possit peti actione in foro externo. ita Lessius de just. l. 2. c. 18. dub. 3. n. 20. Gormaz de just. n. 274. Lugo de just. disp. 18. sec. 3. n. 74. Sub finem; quia ob turpem causam legibus prohibitam, non datur actio, ut clarè habetur L. Mercalem. modo citata. Unde L. 8. Si ob turpem causam. ff. de condici. ob turpem vel injustam causam. tantum ait, eum, qui petit talem solutionem, submoveri posse à petitione, seu actione, quod idem L. Mercalem. clarè sonat.

464. Quod spectat ad L. Si ex cautione. hæc inprimis agit de speciali casu, scilicet, si quis alicui lænæ, ut ab ea obtineat copiam alicujus mulieris, scribit cautionem, quasi ab ea mutuum accepisset id, quod promittit ob hanc turpem causam: in quo casu particulari potuissent utique jura etiam aliquid singulare statuere, non extendendum ad alios casus. Dein potest dici, quod hæc lex tantum velit, quod talis ex dicta cautione debitor tantum absolvatur, pro foro externo, relicta obligatione conscientia ante sententiam judicis (quamvis negare non velim, judicem posse, si causa est legibus prohibita, aliquando in pœnam omnino tollere obligationem solvendi, & fortè tale debitor applicare fisco, vel pauperibus) nec insolitum est, quod leges negent actionem in foro externo, ne nimium multiplicentur lites, relicta obligatione conscientia. Sic non datur actio ex pacto nudo, seu nuda promissione, quamvis detur obligatio in conscientia.

465. Quod autem etiam istæ leges per se ita explicandæ sint, colligitur, tum ex eo, quod obligatio dehorantis virginem sit ab omnibus admissa, nec etiam videatur negabile, deberi pretium fabro pro armis in bellum etiam injustum confectis: tum ex eo, quod accepta non debeant restitui; si enim non esset obligatio tale pretium dandi, vel debitum solvendi, tunc accipientes talem solutionem, non acciperent aliquid ex justitia debitum: adeoque, cum gratis etiam non detur, tenerentur accipientes ad restitutionem

nem, nisi quis vellet dicere, leges ratione folius acceptionis velle jus transferre, quod prorsus gratis affereretur: tum etiam ex eo, (ut ajunt Lessius de just. l. 2. c. 14. n. 57. & Gormaz de justit. n. 274.) quia leges positivæ, quantum fieri potest, interpretandæ sunt, ut dispositioni juris naturalis, & communi hominum sensui, consonent, quod fit, si dicatur, ut dici potest, eas leges tollere tantum obligationem pro foro externo; nec enim jus naturale aufert, aut communis hominum sensus putat auferri obligationem in conscientia intalibus casibus. Qui communis hominum sensus etiam juvatur autoritate communi Theologorum, nobis faventium; nam intelligentia legum pro foro interno etiam multam desumi debet ex sensu Theologorum.

456. Ob. 3. L. Si ancillam 2. Cod. de donationibus inter virum, & uxorem. dicitur: Si ancillam nummis tuis comparatam esse præfidi provincia probaveris; donationisque causâ focaria tua nomine instrumentum emptionis esse conscriptum, eam tibi restitui jubebit: ergo pactum donandi aliquid focariæ, id est, concubinæ, scilicet ob turpem causam, est nullum. Resp. neg. conseq. vel dist. pactum illud nullum est in casu particulari militis. conc. conseq. in aliis etiam casibus, & universaliter. neg. conseq. subjungit enim lex sequentia: Nam licet cessante jure matrimonii donatio perfici potuerit, milites tamen meos à focariis suis hac ratione, fictisque adulationibus spoliari nolo; unde sicut milites in aliis, e.g. testamentis, habent privilegia, & exemptiones; ita etiam possunt habere in hoc casu.

467. Ob. 4. S. Augustinus. ep. 54. ad Macedonium ita scribit: Si justitia sincerius consulatur, justius dicitur advocato: Redde, quod accepisti, quando contra veritatem sterxisti, iniquitati admissi &c. & infir: Quem prior non recta vitæ rectissime poenitet, etiam hoc facere debet, ut, si ille, qui inique litigavit, non vult admonitus corrigere iniquitatem, ejus tamen iniquitatis nolit iste habere mercedem: ergo advocatus non potest retinere mercedem ob turpem causam, seu injustam defensionem. Resp. cum Gormaz de justit. n. 297. & Lugo de justit. disp. 18. n. 56. qui citat Vasquium, S. Doctorem loqui de advocatis suæ patriæ, qui probabiliiter per leges municipales facti sunt incapaces accipiendi lucri ex defensione aperte iniqua; unde dictum extendi non debet ad alios.

Infer id Gormaz num. seq. seu 298. ex eo, quod loquatur S. Doctor de legibus usuris reddi jubentibus; nam de ijs S. Augustinum loqui clarum est ex textu, sic enim paulo post habet: Quid dicam de usuris, quas etiam ipsa leges, & judices reddi (id est solvi) jubent. An crudelior est, qui subtrahit aliquid, vel eripit diviti, quam qui trucidat pauperem senore. Hæc atque hujusmodi male utique possidentur, & vellem, ut restituerentur: sed non est, quo judice repetantur. At usuris solvi non jubet lex

naturalis: & quamvis jus civile usuram olim permitteret, vel permissas esse supponeret, ut colligitur ex Cod. de usuris. (qua de re tamen vide Schmalzgrueber l. 5. tit. 19. n. 10.) tamen quoad hoc à jure canonico correctum est; unde S. Augustinus non loquitur de jure naturali, sed de municipali, de quo nos non loquimur: saltem clarum non est, de quo jure loquatur S. Doctor, & dubia autoritas non debet nostris rationibus prævalere in forma neg. conf.

468. Ob. 5. Quando aliquid accipitur ob peccatum, maxime contra justitiam, injuste accipitur: ergo debet restitui. Confir. Quod accipitur simoniacè, debet restitui: ergo etiam, quod accipitur ob aliam turpem causam. Resp. neg. antec. si peccatum tanquam conditio jam præcessit; licet enim quis injuste egerit peccando, e.g. occidendo alium, & ex hoc capite etiam talis ob damnum occiso, vel ejus hæredibus illatum, teneatur ad restitutionem (de qua re inferius) tamen non agit injuste contra eum, cum quo pactus est, nec injuste mercedem accipit: & consequenter hanc restituere non tenetur. Idem dic de iudice si pecunia corruptus tulit injustam sententiam, ad quam ferendam utique prius non tenebatur; hic enim iudex, licet etiam teneatur ad compensationem, vel restitutionem læso faciendam, non tamen tenetur ad faciendam restitutionem danti pecuniam.

Ad confirm. neg. conseq. Extant circa simoniacos leges speciales, non autem in alijs casibus. Imò etiam tunc restitutio rei simoniacè acceptæ fortè non est faciendâ danti, sed Ecclesiæ, aut pauperibus, ut volunt Lessius, & plures alii: quanquam Layman. l. 4. tr. 10. c. ult. n. 81. cum pluribus alijs doceat, saltem ante sententiam iudicis, restitutionem danti esse faciendam. Videatur etiam Lugo de just. disp. 18. sec. 3. n. 69. ubi ait cum Sanchez, non in omnibus materijs simoniacis restitutionem fieri debere, sed tantum in materia beneficiorum, ingressus in religionem, & ordinis.

469. Ob. 6. Solutio illa, vel etiam acceptio pecuniæ, est approbatio prioris delicti: hæc nunquam est licita, neque potest ad illam dari obligatio: ergo. Confir. Illa solutio est inductio ad peccatum: sed non potest licite admitti inductio ad peccatum: ergo nec illa solutio. Resp. neg. mai. potest enim aliquis etiam jam per contritionem delevisse peccatum, & tamen veile solvere, ut impleat pactum: potest etiam meretrix jam conversâ promissam pecuniam acceptare, ut habeat, quo vitam sustentet. Quod autem sæpe concurrat malus affectus, est per accidens. Et posito etiam, quod solutio acceptetur tali cum affectu, cum hic non sit contra justitiam, non obligat ad restitutionem: potestque retineri acceptam, & debet solum mutari affectus.

Ad confirm. dist. ma. talis solutio est inductio ad peccatum, si fiat ante peccatum. conc. ma. si fiat primum post peccatum. neg. ma. & conc. mi. neg. conf. Jam diximus, pa-

tum illud ante commissum peccatum rescindendum esse, & acceptionem illam, utpote inductivam ad peccatum, peccaminosam esse; quamvis non sit peccaminosa contra justitiam; unde, si meretrix ante peccatum accepisset pecuniam, deberet utique pactum rescindere, & hoc rescisso deberet etiam pecuniam restituere. At verò, quia ea acceptio non est contra justitiam, hinc, si pactum, quamvis peccaminosè, impletum est, potest post commissum peccatum ea pecunia retineri: & eodem modo, vel magis, potest retineri pecunia prius nò post peccatum soluta; nam talis acceptio, vel retentio pecuniæ, non est per se inductio ad novum peccatum, sed ad summum per accidens. Quodsi tamen in aliquo casu negatio solutionis esset revocatio meretricis à malo statu, vel solutio esset occasio proxima novi peccati, quam quis teneretur impedire, non deberet tunc solutio præstari: attamen, quia jus meretricis non propterea extingueretur, deberet solutio tantum differrî.

470. Ob. 7. Peccatum non est vendibile; neque enim actio peccaminosa est digna pretio: ergo injuste accipitur pecunia, vel merces pro peccato. Resp. i. retorq. argum. ergo neque posset solvi labor, die festo contra præceptum Ecclesiæ exhibitus, e.g. à factore: vel neque posset solvi merx, quam mercator vendit contra votum, quod e.g. fecit, eam rem non vendendi. in forma disting. antec. peccatum, vel actio peccaminosa, non est vendibilis licite. conc. antec. non est vendibilis valide. neg. antec. & conseq.

In ordine ad venditionem actionis peccaminosæ non debet considerari ejus malitia, sed fidelitas, quæ præstita est: item delectatio, vel utilitas, quæ est percepta: rarius labor, periculum, detrimentum fortunatum, & similia, quæ executor, actionis illius causâ suscepit, & quæ apud homines utique digna pretio æstimantur, quamvis annexa sit illi malitia; & possunt illa seorsim considerari, quanti valerent, si à malitia separata forent, ut notant Cajetanus, Gormaz, Lessius, & Molina. Idem aliquando contingit in operibus pijs absque simoniâ, saltem in certis materijs; unde Lessius de just. l. 2. c. 18. dub. 3. n. 19. ait, si quis sacerdoti promittat centum aureos, si dicat sacrum in loco, ubi est periculum capitis, posse id fieri absque simonia. vide eundem loc. cit.

471. Ob. 8. contra dicta n. 459. Miles tenetur militare pro patria, & tamen potest recipere stipendium: ergo etiam iudex potest accipere promissam pecuniam pro sententia justa. Confir. Nuncius, qui pretio constitutus est à Petro, ut ferat literas suas, e.g. Monachium, tenetur ex justitia illuc ire, & literas ejus ferre: & tamen potest denuò pretium exigere pro ferendis literis Pauli: ergo potest aliquid accipi pro eo, quod jam aliunde debetur. Resp. dist. antec. miles tenetur militare sine stipendio.

R.P. Ant. Mayr Theol. Tom. II.

neg. antec. cum stipendio. conc. antec. & neg. conseq. Sic etiam servus debet operari domino, sed non sine sustentatione: iudex autem tenetur absque nova solutione ferre sententiam justam: si tamen in aliquo loco statutum esset aliquid, quod deberet dari pro sententia, essetque pars salarii iudicis, utique justè acciperetur, ut rectè ait Lessius l. 2. c. 14. dub. 9. n. 64. Ad confirmationem. conc. antec. neg. conseq. Nuncius non est obligatus Petro ad ferendas etiam literas Pauli; unde suscipit novam obligationem ferendi, & conservandi literas Pauli; hinc Paulus non solvit amplius iter nuncii, sed modicum quid dat pro portorio literarum.

472. Dices. Licet iudex teneatur ferre sententiam justam, tamen non tenetur illam ferre in tui gratiam: ergo potest saltem accipere pretium affectus. Et par est ratio de alijs actionibus, in genere quidem ex justitia debit, non tamen debit in hujus, vel illius gratiam. Resp. neg. conseq. Ut rectè docent Lessius l. 2. c. 14. dub. 9. n. 67. & Gormaz de justit. n. 304. si operatio aliqua, vel omisitio, secundum se non est pretio vendibilis, neque est vendibilis illo affectus; quia taliter obsequi, vel benefacere, non censetur apud homines dignum pretio, sed tantum dignum amicitia; alias posset quis etiam exigere usuram, non quidem pro mutuo ut sic, sed pro mutuo dato tibi ex speciali affectu: & collator beneficii potest aliquid exigere, non quidem pro collato in genere beneficio, sed pro collato tibi ex speciali favore: quæ natura rationali, & regulæ recti difformia sunt. An autem iudices possint recipere aliqua dona, quando clarum est, ea purè gratuito dari, pendet ex legibus alijs: de quo vide Lessium l. 2. c. 14. dub. 9. n. 72. & Lugonem de justit. disp. 37. sect. 11.

ARTICULUS III.

Quomodo obliget Promissio purè liberalis acceptata.

473. **E**Sset hic locus agendi de jure acquisito per diversos contractus, qui, quatenus regulas à jure statutas habent annexas, civilibus modis acquirendi annumerandi sunt: sed quia hæc magis ad morales Theologos spectant, & ex istorum lucubrationibus facile erui possunt, ea omittimus: quamvis plura ex hucusque dictis jam colligi possint: alia autem obvia ex praxi discenda, alia abstrusiora, quando opus erit, ex libris petenda sunt. Agemus modò tantum de vi, & efficacia obligandi, quam habet promissio, & quidem acceptata: ad quam ritè intelligendam præmitto, quòd aliud sit pollicitatio, aliud promissio. Illa, seu pollicitatio est folius offerentis oblatio, sive est promissio partialis: promissio autem, strictè sumpta, est oblatio offerentis, & simul acceptatio fa-

ita ab eo, cui aliquid offertur. Hæc oblatio, si fiat absque ulla promissarii, seu accipientis obligatione, vel onere, dicitur *purè liberalis*: at verò si fiat sub aliquo onere reciproco, est *contractus*, vel venditionis, vel locationis, aut conducti, societatis, commodati, depositi &c.

474. Unde omnis promissio, strictè dicta, est pactum; *pactum* enim est *duorum, vel plurium, in idem placitum consensus*. L. *Hujus edicti*. 1. §. 2. ff. *de pactis*. Et aliud quidem dicitur *pactum nudum*: aliud *vestitum*. Prius, seu *pactum nudum* est illud, quod est destitutum veste, seu quadam affectione, modo, aut solemnitate, vi cuius jus civile tribuat actionem; nam pactum nudum actionem non parit. *Vestitum* autem est, quod est affectum tali modo, aut solemnitate, & actionem in foro civili parit. Et quidem aliqua pacta sunt ex natura sua vestita, ut venditio, locatio &c. alia autem vestiuntur alijs modis, ab extrinseco adventantibus, de quibus Layman l. 3. sec. 5. tr. 4. c. 2. Jam *promissio*, de qua loquimur, est pactum purè nudum; quamvis enim utique etiam in venditione, locatione &c. interveniat aliqua promissio, quatenus fides hinc inde datur, tamen nos non loquimur de eo casu: sed de promissione purè liberali, nullo etiam juramento firmata.

475. Loquimur tamen de promissione acceptata; nam sola pollicitatio antecedenter ad acceptationem, sive per promissarium, sive per alium, ejus nomine factam, sive expressam, sive tacitam, ex communi obligationem, saltem stabilem non parit erga hominem, nisi in certis quibusdam causis exceptis, de quibus vide Haunoldum tom. 3. de just. tract. 9. c. 1. n. 22. ac Lugonem de just. disp. 23. sect. 3. n. 41. & seq. nam ex jure civili potest regulariter promittens, ante acceptationem promissarii, resilire, & promissionem annihilare. ita Haunoldus tom. 3. de just. tr. 9. c. 1. n. 19. & 21. & Lugo de just. disp. 23. sec. 3. n. 35. ubi ait, in hoc omnes convenire. Colligunt hoc auctores ex varijs juribus, de quibus vide Haunoldum cit. tract. 9. c. 1. n. 21. objectiones tamen aliquas solutas vide apud Lugonem de just. disp. 23. sec. 3. n. 37. nos interim hanc communem doctrinam supponimus.

476. Dixi, promissionem non acceptatam non parere obligationem *erga hominem*; ut præcinderem à voto, seu promissione facta DEO, vel Sanctis; quamvis istis etiam mentales nostri actus sufficienter innotescant, & ipsi promissiones nostras acceptare supponantur: sed quidquid de hoc sit, nos quærimus de promissione homini facta, & acceptata, an, & quomodo per se obliget, sub gravi, vel levi tantum, etiam si materia promissa sit gravis, e.g. aliquot aurei. Insuper adverte, nos quærere, qualem obligationem per se afferat talis promissio; nam potest utique contingere, ut per accidens ratione damni, alijs secuturi, detur obligatio gravis, etiam si per se materia promissa

sit levis; quia scilicet promissarius, fides promissioni, & postea spe deceptus, grave detrimentum subire cogitur: e.g. si equum promissum non commodes, & promissarius impediatur ab itinere omnino necessario: vel perdat occasionem navigandi &c.

477. In hac quæstione sunt tres sententiæ. Prima docet, tales promissiones acceptatas circa rem gravem obligare graviter in conscientia. Secunda docet, eas obligare tantum leviter ex fidelitate. Tertia docet, tales promissiones obligare juxta mentem promittentis: graviter, si hic intendat, se obligare ex justitia, quæ virtus ex genere suo graviter obligat: leviter, si tantum velit se obligare ex fidelitate, quæ virtus tantum leviter ex suo genere obligat. ita Molina tom. 2. de just. tr. 2. disp. 262. Layman l. 3. sec. 5. tr. 4. c. 12. n. 1. (quamvis dicat, eam promissionem, qua quis non vult, se obligare ex justitia, esse tantum promissionem improprie dictam) Gormaz de just. n. 648. Lugo de just. disp. 23. sect. 6. n. 90. pro qua asserione saltem stant etiam ij, qui tenent secundam sententiam, quos vide apud Gormaz loc. modo cit. & Lugonem sec. modo citata. n. 89.

478. Quod autem promissio possit obligare, tantum ex fidelitate (quod videntur negare Haunoldus, & Layman; eoque supponant, omnem promissionem obligare ex justitia) probatur ex Suarez in opuscul. relect. de libertate divin. voluntat. disp. 2. sec. 2. n. 19. sic. Pendet à voluntate promittentis, quo modo, & in quantum obligare se velit, & an velit facere simul etiam aliquam donationem juris ad rem: vel an tantum velit promittere, & necdum ullum adhuc jus tribuere, seu donare, sed tantum simplicem fidem dare, cui debeatur spes, & fiducia promissarii: & ut ait Gormaz de just. n. 646. videmus multos sæpe promittere, quin velint alteri jus dare: sed tantum dare testimonium suæ fidei: ergo promissio aliqua obligat ex sola fidelitate.

Idem confirmatur ex propositione 42. ab Innocentio XI. damnata, quæ ita habet: *Usura non est, dum ultra sortem aliquid exigitur, tanquam ex benevolentia, & gratitudine debitum: sed solum, si exigatur, tanquam ex justitia debitum*: ergo datur obligatio ex contractu, vel quasi tali, obligante, non ex justitia, sed tantum ex gratitudine, seu implicite ex grata fidelitate. Idem innuit S. Thomas 2. 2. q. 88. a. 3. in corp. ubi docet; *solvere promissa spectare ad fidelitatem; ait enim: Ad fidelitatem hominis perinet, ut solvat id, quod promissit. & ad 1. ait: Dicendum, quod secundum honestatem ex quavis promissione homo homini obligatur: & hæc est obligatio juris naturalis*; hæc autem honestas est honestas fidelitatis, de qua in corpore locutus est: & sic dicimus, inhonestum esse, non servare promissam.

479. Dico cum hac tertia sententia. Promissio, qua promittens se tantum vult obligare ex fidelitate, etiam si materia sit

gra

gravis, tamen per se tantum obligat sub levi. Probatur. Promittere ex fidelitate non est dare alteri jus, sed tantum dare fidem, & petere ab ipso, spem, & fiduciam de re facienda: sicut aliquid affirmans petit ab audiente fidem, & assensum: quare, sicut aliquid affirmans subit obligationem, ut, si deprehendatur falsus, aut mendax, subeat turpem notam hominis mendacis, aut saltem imperiti, ita etiam promittens subit obligationem, ut, si promissa non impleat, subeat turpem notam hominis infidelis, seu indigni, cujus promissis fides, vel spes, aut fiducia habeatur: quod est idem, ac obligari ex morali honestate: sicut scilicet docet S. Thomas num. præced. citatus.

Hoc autem totum, si aliud damnum non sequatur, ex genere suo non continet malitiam gravem, quemadmodum nec mentiri ex genere suo gravem malitiam continet; nam hæc virtutes, veracitas, & fidelitas, valde sibi coherent in modo obligandi. Confir. Ut ait Gormaz de just. n. 648. experientia, docet, non censeri eum graviter obligatum, qui ex sola fidelitate se obligat: secus verò, si se obligare velit ex justitia, ex qua obligare quisvis se potest, si velit; nam, sicut quis potest sola donatione rei jus in re transferre in alium, ita potest sua promissione alteri donare jus ad rem: & tunc erit obligatio gravis, si materia promissa gravis sit; quia justitia ex genere suo graviter obligat.

480. Sed petes, quandomam censetur quis obligare se ex justitia, quandomam ex sola fidelitate. Respondet Molina tom. 2. de just. tr. 2. disp. 262. n. 11. sub finem, id in conscientia foro desumendum esse ex intentione promittentis: in foro exteriori judicandum ex conjecturis: & hinc, si publicè scripturà, aut chirographo, se quis adstringeret, censendum in eo foro, quod voluerit se obligare ex justitia. Prius tamen eodem loco hic auctor dixerat, ut plurimum venire, ut homines in promissionibus (intellige gratuitis) se velint obligare ex sola morali honestate, seu fidelitate. Licitus de just. l. 2. c. 18. dist. 8. n. 55. etiam putet promissionem strictè dictam graviter obligare, tamen n. 58. ait, multorum promissiones, qui leviter promittunt, intelligendas esse ita, ut non significant animum verè promittendi, sed duntaxat propositum suum firmiter asserendi; cum nolint jus tribuere, aut serio se obligare.

Sanchez etiam, licet contrarius. l. 1. de matrim. disp. 5. n. 21. ait, plurimas violationes promissionum excusari à mortali; quia non intendunt homines se obligare, ut ait, *precisè*, hoc est *strictè*, sed ex quadam benevolentia, honestate &c. Addit, indicia arguentia defectum animi serio se obligandi esse, siquis requisitus nollet jurare, vel dicere, quòd se velit graviter obligare. Cardinalis de Lugo de just. disp. 23. sec. 6. n. 93. ait, si contractus, vel promissio sit reciproca, facilius præsumi animum se obligandi ex justitia; cum quis ex justitia teneatur, non decipere promissarium; tamen in gratuitis promissio-

nibus plerumque deesse animum obligandi se ex justitia: si tamen promittens dicat, vel le se graviter obligatum esse, hoc ipso velle eum esse obligatum ex justitia; cum ex fidelitate graviter non obligetur.

ARTICULUS IV.

Solvuntur Objectiones.

481. **O**B. 1. Juxta nos non differret promissio à simplici proposito verbis manifestato: hoc est falsum ex communi sensu: ergo. Confir. Saltem sequeretur, promissionem non magis obligare, quam simplex propositum: hoc est absurdum: ergo. Resp. neg. ma. Ut rectè ait Lugo de just. disp. 23. sec. 6. n. 92. aliud est precisè enunciare propositum: aliud promittere; nam S. Petrus, quando dixit Christo: *Matth. 26. v. 35. Non te negabo*: non fecit promissionem, seu votum. Prius non affert obligationem ex fidelitate: imò neque ex veracitate; quia veracitas tantum exigit, ut tunc, quando quis dixit, aliquid se facturum, animum habuerit id faciendum, etsi postea eum mutet, quod dein potest facere, ex justa causa licite, vel ex non justa causa illicite. Ad confirm. neg. ma. Ut dictum, veracitas non exigit rem faciendam: & sæpe quis sibi proponit aliquid facere, sed rursus mutat voluntatem: quam mutationem potest aliquando quævis ferme causa justificare, ut non sit levitas: at non ita potest quævis causa excusare post promissionem, ut non sit infidelitas.

482. Ob. 2. Promissio acceptata transit in pactum nudum: sed ex hoc oritur obligatio gravis: ergo etiam ex promissione, prob. min. sacri canones obligant ad implendum pactum nudum, & quidem aliquando sub excommunicatione: ergo. Confir. 1. Violare obligationem ad rem gravem est mortale: acqui promissio de re gravi est obligatio ad rem gravem: ergo. Confir. 2. Si promissio esset jurata, vel si esset facta DEO, adeoque esset votum, obligaret graviter, & tamen nec juramentum, nec votum affert obligationem justitiæ: ergo, etiam si promissio non obliget ex justitia, tamen potest graviter obligare.

Resp. cum Lugone, & Gormaz om. maj. disting. min. oritur obligatio gravis ex pacto nudo pertinente ad justitiam commutativam, conc. min. pertinente tantum ad fidelitatem. neg. min. & conseq. ad prob. om. antec. neg. conseq. nam sacri canones, vel tantum obligant ad implendum pactum, pertinens ad justitiam, ut vult Lugo disp. 23. sec. 6. n. 95. vel si aliquando in casu raro obligant, ad implendum etiam pactum ex fidelitate, tunc statuunt in eo casu aliquid singulare: & utique, sicut alia possunt per sententiam præcipi, ita etiam potest in aliquo casu præcipi adimpletio promissionis. Cæterum C. Antigonus. 1. de pactis. quod objicitur, loquitur de pacto ex justitia, ut

clare patet ex casu illius canonis, quem glossa ibi narrat, scilicet Antigonum Episcopum cum alio Episcopo Optantio pactum iniisse, ut nullus alteri subtraheret populum: ubi patet, fuisse pactum onerosum ex utraque parte, & utrumque pacifcentem fuisse capacem obligationis ex iustitia, adeoque debuisset se ex iustitia obligare, nisi alterum voluerit decipere: at nos loquimur tantum de promissione pure liberali, adeoque est disparitas ingens.

483. Ad 1. confirm. neg. ma. nam attendi debet, an virtus ex genere suo graviter obliget: quod si non faciat, uti non facit fidelitas, non erit mortale, eam obligationem violare. Nec est absurdum, dicere, ad rem gravem dari obligationem levem. Sic ipsemet Lessius l. 2. c. 18. dub. 8. n. 56. ait, materiam gravem pro furto non esse gravem pro promissione. Sic alii etiam ajunt, posse se aliquem obligare voto ad rem gravem sub levi peccato: de quo quidquid sit, saltem ex eo habetur, posse circa rem materialiter gravem dari obligationem levem.

Ad 2. confirm. om. ant. neg. conseq. Licet religio ex genere suo possit obligare graviter, ad servandum juramentum, vel vorum rei gravis, tamen non ita obligat precise fidelitatis erga homines; neque enim votum tantum affert obligationem qualemcumque fidelitatis, sed affert obligationem religionis, ob dignitatem eminentem DEI: non autem eminentia dignitatis unius hominis supra alterum evehit etiam obligationem ad gravitatem peccati mortalis, ut etiam tradit Suarez in opuscul. relect. de libertate divine voluntatis. disp. 2. sec. 2. n. 22. videatur etiam Lugo cit. disp. 18. n. 96. ubi recte etiam retorquet argumentum sic: vocare hominem in testem mendacii levis, non est injuria gravis; licet sit talis, vocare DEUM in testem mendacii levis: ergo neque erit per se injuria gravis, non servare fidem homini, licet sit injuria gravis, eam non servare DEO.

484. Ob. 3. Promissio stipulata obligat graviter: ergo etiam facta sine stipulatione; nam stipulatio non addit majorem vim obligandi. Confir. Promissio onerosa obligat ex iustitia, & graviter: ergo etiam gratuita. prob. conf. hac obligatio non est alterius generis, quam prior: ergo. Resp. dist. antec. promissio stipulata obligat graviter, si promittens habuit animum obligandi se ex iustitia. conc. antec. secus. neg. antec. & conseq. Id adversarij ipsi debent dicere; quia in multis talibus promissionibus deest animus, se graviter obligandi, & tamen intervenit interrogatio? Promittimus? & responsio: Promitto: quæ est formalis stipulatio. Quod autem in foro externo detur actio ob stipulationem, ratio est; quia præsumitur animus se graviter obligandi.

485. Ad confirm. om. antec. (de quo vide in tract. de incarnatione n. 388.) neg. conseq. ad prob. neg. ant. in reciprocis enim, & onerosis promissionibus, sæpe quis decipiet promissarium in aliquo contractu, nisi

se ex iustitia obligaret; nam reciproce illæ promissiones sunt saltem æquivalenter contractus aliquis commutationis, vel venditionis &c. & non sunt tantum promissiones qualescunque: in contractibus autem semper censetur quis se obligare ex iustitia commutativa: non ita se habet promissio tantum gratuita; unde est alterius speciei obligatio, nisi quis (ut diximus) possit etiam in promissione gratuita se ex iustitia obligatum velit.

Ex eo autem, quod in omni contractu involvatur promissio, & consequenter hæc sit quasi genus ad contractum tanquam speciem, non sequitur, promissionem jam se sola ex genere suo afferre obligationem ex iustitia, sed tunc tantum, si contrahatur ad certam speciem. Idem dic de fidelitate, quæ est fundamentum commercii humani. Quod autem promissio homines reddat magis securos, quam pura assertio, & hinc ab hominibus exigatur, inde est; quod, ut jam diximus n. 481. magis obliget promissio, quam purum propositum.

486. Ob. 4. Homines queruntur, sibi injuriam fieri, si promissio non servetur: ergo hæc affert obligationem iustitiæ. Confir. Obligatio promissionis transit ad heredem defuncti: ergo debet esse iustitiæ. Resp. om. antec. neg. conseq. Etiam homines queruntur, sibi fieri injuriam, si quis ipsis in faciem mentiarur, quin fit obligatio ex iustitia non mentiendi: quodsi aliquo modo inhonorentur per infidelitatem, sicut per mendacium, non est tamen per se inhonoratio gravis: nec est injuria ratione re. promissæ, & non præstitæ, sed potius ratione vilipensæ dignitatis promissarii: quæ tamen vilipensio, vel offensa, præcisè ratione infidelitatis erga hominem, non ascendit ad injuriam mortaliter gravem.

Ad confirm. conc. vel om. antec. neg. conseq. Etiam obligatio voti realis tranfit ad heredem, & tamen non est obligatio iustitiæ, sed religionis; unde potest etiam ista levis obligatio ex fidelitate ita tranfire; quia scilicet transit res ut affecta, saltem indirectè, ea obligatione, de qua re fufius agit Lugo de just. disp. 23. à n. 98. Tandem addo, quod multa ex objectis probarent, tantam obligationem à nobis contrahi ex promissione, quantam obligationem contrahimus ex contractu, quod tamen nec ipse Lessius admittit, ut videre est l. 2. c. 18. n. 57. nec Illung tr. 4. disp. 2. n. 372. quamvis & hic advertetur nostræ assertioni.

DISPUTATIO IV.

De Restitutione.

487. **E**Gimus statim sub initium hujus tractatus à n. 41. de iustitia, cujus officium n. 42. diximus esse, ut cuique jus suum tribuat, ubi etiam diximus n. 47. quod jus proprietatis, seu iustitia commutativa, quæ istud habet pro

pro objecto, obliget ad restitutionem, seu juris læsi reparationem: quæ quidem reparatio debet fieri proportionem arithmetica, quam iustitia commutativa exigit. Et de hac restitutione plurimæ quæstiones resolvendæ superfunt. Restitutio autem alia est late dicta, alia strictè dicta. Illa, seu late dicta ex S. Thoma 2. 2. q. 62. n. 1. in corp. à Lessio de just. l. 2. c. 7. dub. 4. n. 15. definitur, quod sit rei ablata restitutio: quæ definitio etiam convenit redditioni depositi, pignoris, & commodati &c. ubi nulla præcessit violatio juris. Altera autem, seu strictè dicta, definitur à Cardinali de Lugo de just. disp. 8. n. 17. Restitutio illius, quod per lesionem injustam, saltem materialiter talem, ablatum est: vel brevius à recentioribus, est juris alieni reintegratio: vel est actus iustitiæ commutativa, quo reparatur jus alterius materialiter, vel formaliter læsum: & in hoc posteriori, seu stricto sensu, restitutionem modò accipimus.

QUÆSTIO I.

De Obligatione Restitutionis in genere.

ARTICULUS I.

Quid sit Injuria, & an fieri possit volenti.

488. **O**Mnis obligatio restituendi supponit injuriam, vel materialiter talem, quæ scilicet fit sine peccato formaliter, vel formaliter talem, quæ fit cum peccato: quanquam non vicissim omnis injuria afferat obligationem restituendi, si aliud damnum non inferat, ut ex dicendis patebit: quare necessariò agendum est de injuria. Injuria autem à Theologis dicitur quælibet juris alieni violatio: à juristis vero sæpe illa aliter, & strictius accipitur, & per injuriam intelligitur sola læsio injusta honoris, aut contumelia: ex qua oritur dein actio injuriarum: quæritur jam, an injuria, tam latius, quam strictius sumpta, possit fieri volenti.

489. Dico cum S. Thoma 2. 2. q. 59. n. 3. & communi aliorum. Scienti, & valide volenti, seu valide consentienti non fit injuria. Prob. ex regula. 27. juris in 6. quæ ita habet: Scienti, & consentienti, non fit injuria, neque dolus. & regula 145. ff. de regulis juris: Nemo videtur fraudare eos, qui sciunt, & consentiunt. Ratio ulterior est. Consentire valide dicitur ille, qui consentit voluntate efficaciter cessiva juris, vel qui juris sui obligationem activam ita tollit, aut suspendit, ut actioni alterius non resistat: sed sic tam parum potest ei fieri injuria, quam parum potest dari legis sublata, vel suspensa violatio, ut consideranti facile patet: ergo.

Si autem voluntas cedentis jure, etsi sit naturaliter efficax (hoc est, quantum est in se, volens jure cedere) attamen sit inefficax civiliter, (hoc est, à lege impedita, ne effi-

caciter juri renunciari) adeoque in ordine ad cedendum jure, sit tantum inefficax, & hinc etiam consensus fit invalidus, tunc taliter volenti injuria fieri potest; nam in hoc casu manet resistentia juris, seu obligatio activa: consequenter actio ei contraria est injuria, si non naturaliter, saltem, ut ait Lugo de just. disp. 8. sect. 1. n. 11. civiliter: quod in ordine ad mores est idem.

Confirm. Si Prælati invalide dispensat, vel abrogat legem, peccatur adhuc contra legem, etiam ab iis, cum quibus ita in lege dispensatum est: ergo etiam, si is, qui habet jus, tantum inefficaciter, & invalide, istud tollit, aut suspendit, adhuc agitur contra ejus jus, seu fit ipsi injuria. Notant tamen authores, ceteris paribus minorem esse injuriam, quæ fit volenti etiam tantum inefficaciter, & invalide, quam, quæ fit omnino invito; quia quo magis dominus rationabiliter invitatus est, eo major læsio juris est.

490. Ob. 1. Qui clericum etiam consentientem, suadente diabolo, verberat, vel Religioso, etiam non invito, imò etiam petenti, graviter detrahit, facit utrique injuriam: imò ob verberationem incurrit poenam canonis: pro utroque autem crimine tenetur ad compensationem juris læsi: idem fit (ut ait Vogler de restitu. q. 2. n. 28.) si quis clericum etiam volentem convenit coram iudice seculari: ergo etiam volenti fit injuria. Resp. neg. conseq. vel enim tales non valide consentiunt, vel ipsis non fit injuria; si enim clericus valide renunciet juri suo, non committitur injuria contra illum ut personam privatam. At verò committitur injuria contra statum, seu communitatem clericalem, cujus juri, utpote non suo, clericus privatus, renuntiare non potest: cumque teste Lugone de just. disp. 8. sect. 1. n. 9. censura illa non tam posita sit in favorem personæ, quam status clericalis, talis verberans eam censuram incurret.

Idem Cardinalis eodem loco plures adducit, qui tradunt, quod, si clericus sibi ipsi cum peccato gravi violentas manus injiciat, etiam excommunicationem incurrat. An verò absolute clericus pro sua persona possit valide renunciare juri suo, dubium esse potest. Multi negant, multi affirmant; sed tamen etiam isti dicunt, clericum non posse cedere jure, quod habet status clericalis in communi. Quod attinet ad Religiosum, videtur hic valide renunciare juri suo; quia est dominus famæ, si saltem ejus infamatio non cedat in infamiam monasterii, ut diximus n. 202. consequenter, si consentiat, non fiet ei injuria: fiet tamen monasterio; quod sæpe ob unius crimen quanquam male, infamatur, cuius juri Religiosus privatus renunciare non potest.

491. Ob. 2. Marito, quamvis consentienti, fit injuria per adulterium uxoris: ergo volenti fit injuria, prob. ant. nisi marito in eo casu fieret injuria, non committeretur adulterium, sed simplex tantum fornicatio: atqui hoc est falsum, & damnatum ab Innocentio XI. in propositione 90. quæ ita habet:

habet: *Copula cum conjugata, consentiente marito, non est adulterium, adeoque sufficit dicere in confessione, se esse fornicatum*: ergo marito consentienti fit injuria. Resp. dist. antec. fit injuria marito invalidè consentienti. conc. ant. validè consentienti. neg. antec. & conseq. ad prob. quidam concedunt totum; quia sentiunt, maritum invalidè tantum consentire. Alii, qui putant, maritum validè consentire, negant ma. quæ ex mox dicendis magis intelliguntur.

Itaque Cajetanus, Dicastillo, Turrianus, Antonius Perez, Esparza, Maurus, Cardenas, Illsung, & alij censent, non posse conjugem validè consentire; quia non aliter ab uxore potest violari fides conjugalitatis, nisi quatenus violatur jus mariti, quod per contractum matrimonij acquisivit. Econtra Cardinalis de Lugo *de just. disp. 8. sec. 1. n. 13. & seq.* putat, id validè fieri; quia nulla lex valorem consensûs talis tollit; imo putat, id aliquando licitè fieri, ut habet *n. 14.* si e.g. uxor tamen etiam marito invito peccaret, & ipse hac ratione gravitatem peccati minueret. Concedit idem circa valorem talis consensûs etiam Lessius.

492. Non tamen propterea isti auctores dicunt, in hoc casu simpliciter tantum fornicationem committi; quia tamen ille actus habet specialem malitiam contra bonum conjugij, & prolis, quibus non potuit renunciare maritus; unde, ut ait idem Cardinalis *n. 10.* est adhuc adulterium: deberet tamen juxta ejus sententiam in confessione explicari hæc circumstantia; quia esset mutans speciem: non quidem, quod sic peccare sit aliquid gravius, sed quod sit levius; nam, cum communiter adulterium fiat marito invito, confessorius communiter subintelligit hanc circumstantiam; unde eam addere necesse non est: sed, ut hic auctor vult, necesse est eam demere, si non adfuerit.

493. Ob. 3. Si quis mortis metu adactus det pecunias latroni, aut alius, fraude deceptus circa substantiam mercium, pretium majus solvat, valet uterque contractus, ut plurimi docent: & colligitur satis aperte *ex §. 1. Instit. de exceptionibus. & L. 21. §. 5. & 6. ff. quod metus causa. & L. ult. Cod. de his, quæ vi metusve causa.* consequenter uterque validè consentit: tamen utriusque fit injuria: ergo injuria potest fieri scienti, & validè consentienti. Resp. quidam eas leges volunt tantum intelligi de contractibus onerosis, non autem de pure lucrativis, qualis est contractus cum latrone, qui tantum lucratur.

Sed, quidquid sit de hoc, quod negant Sanchez, Lessius, Lugo, & Palaus, dist. 2. p. antec. talis in dationem pecuniæ latroni, vel pretij majoris pro merce, validè consentit secundum quid. conc. ant. consentit simpliciter, & secundum omnes circumstantias. neg. ant. dist. etiam 3. p. ant. fit ei injuria quoad id, in quod validè consentit. neg. ant. quoad id, in quod non consentit. conc. ant. & neg. conseq. Talis a latrone invasus, vel fraude deceptus, etsi re-

nunciet juri reali in pecunias datas, non tamen renuntiat juri, quod habet adversus minas latronis, & ejus coactionem, vel deceptionem alterius: nec etiam renuntiat juri personali, quod acquirit per dationem iniquè vi, vel fraudibus, extortam; unde ejus jus perpetuo resistit retinentibus datas pecunias.

494. Ob. 4. Pupillus, dum alienat res suas absque consensu tutoris, aut judicis, sæpe renunciat efficaciter juri suo, & tamen patitur injuriam, à contrahente cum ipso, saltem in casu, in quo tenetur contrahens in conscientia contractum omittere: ergo, prob. antec. pupillus sæpe ita firmiter, & efficaciter vult, res suas alienare, ut nullam habeat, aut habere possit voluntatem contrariam: ergo. Resp. neg. antec. ad prob. conc. antec. neg. conseq. Ratio allata ostendit quidem, voluntatem pupilli esse efficacem naturaliter, sed non esse efficacem civiliter, qualem tamen requirimus, ut non fiat injuria, ex dictis *n. 489.* sic etiam irritus est contractus clandestinus matrimonij, & innumeri alij, si non adsint omnia à jure positivo requisita, etsi voluntas naturaliter efficax adit.

495. Unde in hoc casu pupillus est moraliter invitatus, quatenus invitatus est tutor, cujus voluntas moraliter imputatur pupillo: si tamen decepto oriretur ab ipso tutore, tunc voluntas reipublicæ invitæ esset moraliter voluntas pupilli. Fors dici etiam potest, pupillum esse invitum voluntate implicita, & generali prævalente, quatenus vult ea, quæ serviunt ad suam felicitatem, inter quæ est, ut ejus voluntas, mille deceptionibus obnoxia, non valeat sine consensu tutoris.

Nec afferas, aut his dictis opponas regulam *69. ff. de regulis juris in 6.* qua dicitur: *Invito beneficium non datur: ex quo videtur inferri, nec tali pupillo dari, vel concedi beneficium legis, vi cujus provideatur, ut jus ejus conservetur; nam respondetur, si leges non conservent jus talis pupilli, nec impediunt, quo minus is jure suo validè cedat, tunc ipsi non fieri injuriam.* Cum ergo supponatur, etiam in hoc casu esse injuriam fieri, regula illa non est admittenda, nisi sub distinctione: itaque distinguo. Beneficium non datur rationabiliter invito, conc. irrationabiliter tantum invito. neg. Certè sæpe invitatus æger sanatur; & potest etiam excommunicatus invitatus absolvi. Cum itaque reipublicæ intersit, & etiam ad communem utilitatem conferat, pupillorum res conservari, ne communitas abundet hominibus, ob immaturæ ætatis imprudentiam depauperatis, hinc istis etiam invitatis datur beneficium, ne possint jure suo cedere, & redduntur incapaces ad celebrandos validè contractus.

496. Ob. 5. Potest fieri injuria volenti e.g. si quis, insuperhabita, vel contempta permissione tua, te spoliat, spoliaturus te etiam, etsi resisteres: ergo. Confirm. Si debet injuriam patiens esse volens, tunc per-

necem non infertur injuria; quia in instanti necis, vel mortis, non amplius datur homo, aut volens: hoc est falsum: ergo. Resp. si permissio fuit omnimodè absoluta. neg. antec. tunc enim non fit injuria, saltem effectiva, sed tantum affectiva, circa rem ablatam: quamvis in tali casu possit fieri injuria ratione contemptus, nisi quis etiam ad hunc ipsum licentiam validam dederit. Ad confirm. neg. maj. nam anima utique post mortem adhuc existit, habetque jus; alias liceret mortuis detrahere, quod est falsum. Alii dicunt, sufficere, si quis extiterit immediatè ante actionem, eique restiterit. Dein injuria fit per mortem causalem, e.g. per ipsum vulnus, quod viventi infligitur.

497. Ob. 6. SS. Martyribus, quantumvis volentibus, fuit illata injuria à tyrannis: ergo. Resp. quantumvis ex SS. Martyribus plures ante mortem tortoribus omnem condonant injuriam, non propterea abdicant jus ad vitam, sed tantum ad iram, aversionem, indignationem, aut vindictam, in hac vita petendam: sicut multi condonant injuriam incendii, vel furti, & tamen exigunt compensationem rei ablatæ, vel destructæ. Dein probabilis, ut multi tenent, non potuerunt SS. Martyres efficaciter abdicare jus ad vitam; quia non erant domini vite. Et quamvis Lugo *de just. disp. 8. sect. 1. n. 7.* putet, eos potuisse jure illo cedere, tamen ait, id non fecisse; quia, cum per talem cessionem non imminuta fuissent peccata tortorum, qui eam cessionem, vel ignorantem, vel contententem, non minus peccassent: contra, cum martyres non cedendo suo jure, plura pro Christo, scilicet etiam injuriam, potuerint pati, noluerunt eo jure cedere.

Nulla autem modo potuerunt SS. Martyres renunciare juri, quod DEUS in vitam ipsorum habuit, cui proinde injuria certò facta est. Sed nec Martyres potuerunt in actionem tyrannorum peccaminosas licite consentire; unde ad summum, supposita jam prava voluntate tyrannorum, consensissent in acceptationem, & perpeffionem poenarum. in forma dist. antec. non fuit Martyribus illata injuria, si efficaciter consenserunt. conc. antec. si tantum ineffaciter consenserunt. neg. antec. & conseq.

498. Ob. 7. Usurarius, & Simoniacus faciunt injuriam illi, à quo pro mutuo, vel beneficio, pretium exigunt, & tententur ad restitutionem, quamvis à volente pretium datum sit: ergo etiam volenti fit injuria. Resp. cum Lugone *de just. disp. 8. sec. 1. n. 4.* non sufficere qualemcumque consensum patientis aliquid, vel facientis ad evitandum aliud, quod ei videtur majus malum: sed debere esse consensum voluntarium, vel liberum: solvens autem usuras non sponte, & plenè liberè, sed necessitate coactus, & quantum est in se, volens retinere jus ad pecunias, eas dat, & interius invitatus est: quin & promissio extorta ex necessitate est injuriosa. Pariter se res habet circa dantem

aliquid simoniacè, nisi in hoc, & etiam superioriori casu, intercurrat ignorantia, quæ etiam voluntarium tollit: si autem omnino sponte, & liberaliter aliquid donaret, usura propriè non esset. videatur Vogler *de restitutione q. 2. n. 31. & 32.*

ARTICULUS II.

Quomodo præcepta, aut necessaria ad salutem sit Restitutio.

499. Dico 1. Restitutio est præcepta, & necessaria ad salutem. ita omnes. Prob. ex Scriptura

in qua sapientissimè restitutio imperatur: sic dicitur *Exodi 22. v. 5. Si laeserit quisquam agrum, vel vineam. . . . pro damni estimatione restituet. & Tobia 2. v. 21. Reddite eum hædum dominis suis; quia non licet nobis edere ex furto aliquid.* item *Ezechiel 33. v. 14. & 15. Si . . . egerit penitentiam. . . . pignus restituerit ille impius, rapinamque reddiderit. . . . vita vivet.* Accedunt unanimiter SS. Patres, ex quibus S. Augustinus *ep. 54. longe post medium ait: Si enim res aliena, propter quam peccatum est, cum reddi possit, non redatur, non agitur penitentia, sed fingitur: si autem veraciter agitur, non remittetur peccatum, nisi restituatur ablatum: sed, ut dixi, cum restitui potest, quæ verba teste Salonio Concilium Turonense amplexam est, ut doctrinam Ecclesiæ: & certè modò omnes fideles ita judicant; hinc etiam ex his verbis desumpta est regula 1. juris in 6. *Peccatum non dimittitur, nisi restituatur ablatum.**

Prob. 2. ratione. Præceptum restituendi ablati est naturale: ergo ejus observatio est necessaria ad salutem. antec. prob. tum quia hoc præceptum fundatur in illo principio statuto à Christo Domino *Matth. 7. v. 12. Omnia ergo, quaecumque vultis, ut faciant vobis homines, & vos facite illis;* unusquisque enim exigit, ut in casu læsionis damnus ei reparetur: tum quia, sicut natura prohibet furtum, seu injustam acceptionem, ita etiam prohibet continuationem furti, seu rei furtivæ retentionem, adeoque præcipit ejus restitutionem. Quamquam autem juxta nos jus proprietatis homines non habeant à jure naturali, tamen, si quis à jure positivo habeat jus proprietatis in aliquam rem, tunc jus naturale vult illud, vel illasum servari, vel læsum reparari. Et certè, si non esset obligatio restituendi, janua panderetur amplissima furtis, & alijs læsionibus injustis: quod natura nequit permittere.

500. Dico 2. Restitutio non est necessaria necessitate mediæ, sed tantum præcepti, ita ferme omnes Theologi contra pauculos antiquos. Prob. Necessarium necessitate mediæ, ut communiter traditur, est illud, quod non tantum est quomodocumque in re, vel in voto, necessarium ad salutem: sed, quod est medium ordinatum ad conferendam per se primam gratiam; atqui restituo-

tio, licet post læsum jus alterius, sit absolute necessaria ad salutem, vel in re, vel saltem in voto, tamen non est medium institutum, vel ordinatum à DEO, ad conferendam primam gratiam, sicut e.g. sunt instituta, vel ordinata sacramenta baptismi, & pœnitentiæ, ut est per se clarum: ergo.

Confirm. 1. Restitutio non est aliter necessaria ad salutem, quam impletio cuiuslibet præcepti naturalis graviter obligantis: atqui, nisi fiat inutilis quæstio de voce, non omnis talis impletio est necessaria necessitate medii: ergo. Confirm. 2. Licet contritio perfecta sit votum baptismi, & restitutio, si hæc necessaria est, non tamen est votum utriusque eodem modo; nam contritio est votum baptismi, tanquam medii ordinati ad conferendam primam gratiam, & deletivi peccatorum: ac est votum restitutionis tantum ut evitativæ novi peccati, non autem ut per se, proximè, aut remotè, vel formaliter, vel saltem radicaliter, deletivæ præcedentium peccatorum: ergo.

501. Dico 3. Restitutio non est ita necessaria ad salutem, ut sine ea realiter facta, animæ non dimittantur è purgatorio. ita Theologi communissimè cum Gormaz de just. n. 741. apud quem Dicastillo oppositum vocat vulgarium hominum errorem. Prob. Vel defunctus in articulo mortis fecit, quantum sub gravi debuit, ad procurandam restitutionem, & solutionem debitorum, vel non: si secundum, spectat ad infernum: si primum, & insuper, ut supponimus, decessit in gratia, (aliàs iterum non purgatorium, sed infernum adire) manebit in purgatorio; donec satis passus fuerit: postea autem liberabitur; neque enim æquum esset, ut per se quis detineatur diutius in purgatorio propter omissionem id, quod ab ejus voluntate, & potestate amplius non pendet.

Confirm. 1. Hæredes malitiosè sæpe omnino negligunt restitutionem: imò aliquando nemo scit, eas faciendam esse; eò quòd inculpabilis obli. so intercesserit: num propterea defunctus semper, aut saltem usque ad diem iudicii, detinebitur in flammis? Confirm. 2. Talis moriens, faciens quantum potest in ordine ad restitutionem, potest lucrari indulgentias plenarias: & quid si in articulo mortis, ut antiquitus sæpe contingit, baptizaretur? quid si martyrio afficeretur? utique, cum ista deleant omnem reatum pœnæ, restitutio nondum realiter facta eum à cœlo non impediret?

502. Dico 4. Præceptum restituendi potius est præceptum affirmativum, quam negativum. ita plures cum Tamburino l. 8. in decalog. tr. 3. c. 1. n. 5. & Gormaz de just. n. 753. & 754. quos præcessit S. Thomas. 2. 2. q. 62. a. 8. ad 1. Est autem præceptum affirmativum seu ut etiam vocatur positivum, illud, quod directè per se obligat ad aliquem actum positivum, quamvis indirectè etiam obliget ad aliquam negationem: econtra præceptum negativum est, quod directè per se obligat

ad aliquam negationem, quamquam indirectè etiam aliquando obliget ad aliquem actum positivum: sic e.g. juxta omnes præceptum audiendi sacrum die festo est affirmativum; quia directè per se præcipit actum positivum auditio missæ, quamvis indirectè etiam præcipiat negationem lusûs, vel ambulationis eo tempore. Econtra præceptum non furandi juxta omnes est negativum; quia directè tendit in negationem contraactionis fraudulosæ rei alienæ invito domino, quamvis indirectè etiam obligare aliquando possit ad actum positivum, e.g. inventa, vel commodata reddendi; si enim non redderetur, furtum committeretur. His positis.

503. Probatur concl. Præceptum restitutionis per se, & directè præcipit actionem positivam reddendi alienum, quamvis indirectè etiam præcipiat negationem detentionis rei alienæ, quæ negatio necessaria est ad redditionem faciendam, sicut negatio, vel ommissio lusûs ad audiendum sacrum: ergo est præceptum positivum, seu affirmativum. antec. prob. tum ex eo, quòd præceptum restituendi distinctum sit à præcepto non furandi; aliàs enim, qui non furaretur, diceretur restituere, quod est insulsum: tum ex eo; quòd præceptum hoc non tantum præcipiat non retentionem, sed actionem positivam, compensativam juris læsi; nam fur, qui consumpsit furto ablata tantum ita, ut non sit factus dictior, nihil amplius retinet, & tamen propterea necdum restituit: adeoque restitutio non est tantum non retentio. Confir. 1. Si non detinere, & restituere, essent idem, tunc si fur rem clam acceptam proiiceret in flumen, restitueret: hoc est clarè falsum: ergo. Confir. 2. ex Gormaz de just. n. 756. Saltem supernaturaliter esset possibilis restitutio cum retentione rei, si scilicet res replicaretur: ergo restitutio non est negatio retentionis.

504. Neque dicant adversarii 1. præceptum hoc prohibere retentionem moraliter talem, qualis etiam datur in fure consumente furtiva: adeoque esse præceptum negativum, utpote prohibens retentionem; nam responderetur. Rem moraliter talem esse, sæpe, & etiam in hoc nostro casu, nihil aliud significat, quam æquivalere: & utique verum est, quòd talis fur æquale damnum inferat, ac alius, qui rem necdum consumptam detinet. Interim etiam sæpe moraliter æquivalent actio positiva, & negatio, e.g. æquivalenter detrahis, sive loquaris contra proximum, sive de eo taceas, quando sine ejus famæ læsione tacere non potes; unde ex moraliter æquivalentem non potest colligi, præceptum hoc esse negativum: ex ipso autem objecto ejus realiter tali nos clariùs colligimus, ipsum esse affirmativum: certè objectum hujus præcepti est compensare jus domini, quod per se est aliquid positivum.

Neque dicant isti auctores 2. retentionem prohibitam esse ipsam primam actionem furtivam moraliter perseverantem: adeo

adeoque præceptam esse non retentionem, esse idem, ac præceptam esse negationem illius actionis; nam responderetur, hoc non esse verum; alias esset idem præceptum non furandi, & restituendi, nec ad aliud teneretur fur, quam non fur, quod est falsum; nam etiam non fur, sive qui nondum est furatus, obligatur præcepto negativo non ponendi actionem furtivam: at fur, sive qui jam furatus est, tenetur ad aliquid amplius, scilicet ad reparationem damni, seu ad actionem reparativam juris læsi, in qua stat restitutio.

ARTICULUS III.

Solvuntur Objectiones.

505. **O**B. 1. contra 1. conclus. Christus Luc. 11. v. 41. ad Phariseos, prius ob rapinas reprehensos, ait: *Veruntamen, quod superest, date eleemosynam, & ecce omnia munda sunt vobis:* ergo non est absolute necessaria restitutio ad salutem. Resp. Hoc argumentum probaret, nec fidem, nec pœnitentiam esse necessarias ad salutem; unde neg. conseq. Vel Christus ibi loquitur ironicè ad Phariseos, tuis ante suam eleemosynam clangentes, ut vult Sa, & alii: vel sensus tantum est, eleemosynam esse valde efficaciam medium ad obtinendam salutem, saltem remotè, quatenus impetrare potest gratiam veræ pœnitentiæ, maximè de peccatis rapinæ, de quibus ibi est sermo: quasi Christus diceret: omnia munda erunt; quia obtinebitis gratiam veræ pœnitentiæ. ita Cornelius à lapide.

506. Ob. 2. Quilibet tenetur ex charitate, postponere bona sua temporalia spiritali salutem debitorum suorum, etiam furum: ergo etiam is, cujus jus læsum est, tenetur omnia remittere iis, qui restituere nolunt, ne scilicet damnentur ad infernum: ergo non est necessaria restitutio. Resp. Sic licitè redderentur omnes rapinæ, & injuriæ etiam corporales; quia quicumque læsus debet jure suo cedere, ne lædentes damnentur: hac autem ratione brevi everteretur totum commercium humanum. Resp. neg. conseq. Obligatio charitatis tantum datur, casu quo proximus est in necessitate, quando scilicet se ipsum liberare non potest ab æterna damnatione, vel alio gravi malo: si autem possit, aliter assequi salutem, & ex sua malitia nolit, sibi imputet suum interitum. Supponitur autem, furem, vel lædentem jus alterius, posse restituere; si enim non possit, eo ipso ad impossibile non teneretur.

507. Ob. 3. contra 3. conclus. Sæpius apparuerunt animæ purgantes, & petiere, ut restitutio fieret; eò quòd prius non essent liberandæ: & referunt tales apparitiones à B. Birgitta in suis revelationibus l. 6. c. 66. quæ magnam auctoritatem habent in Ecclesia Dei: ergo. Resp. neg. conseq. In revelationibus B. Birgittæ cap. cit. nihil habet R. P. Ant. Mayr Theol. Tom. II.

tur ad hanc quæstionem faciens: sed cap. 39. indicatur, quòd restitutio animabus defunctis plurimum profit: & dicitur quidem, quòd anima non liberetur ante factam restitutionem, nisi juvetur per preces Sanctorum, aut per eleemosynas, & opera amicorum, vel per purgationem, ad hoc dignam: quin lib. 1. c. 18. ait Christus, quòd, si quis restituere non possit, humiliet se contrito corde cum proposito emendandi, & addit: *Ego dives sum reddere, & possum restituere omnibus defraudatis partes suas, vel in presenti sæculo, vel in futuro.* Unde hoc argumentum tantum probat, animas citius liberari restitutione facta: hoc autem valde diversum est ab eo, quòd aliqui dicunt, nempe eas omnino prius non liberari, quam facta sit restitutio.

508. Quòd autem restitutio actualis ipsis profit, facile suadetur 1. Quia sæpe offertur restitutio pro defunctis, tanquam opus satisfactorium. 2. Si fiat expio, & supernaturali affectu commiserationis, potest esse loco orationis, & impetrare mitigationem pœnarum. 3. Accipientes restitutionem moventur ad fundendas preces pro defuncto. 4. Verosimiliter opera, quæ fiunt ex præcepto defuncti, possunt movere Deum, ut facilius exaudiat preces pro eo factas, vel etiam excitet alios ad orandum pro ipso. 5. Sicut effectus alij nostrorum peccatorum, ita etiam ommissio restitutionis (maximè quia ista sæpe est novum peccatum, & occasio aliorum, item causa damni, & afflictionis proximi) potest facere, ut Deus justo, sed occulto judicio, non moveatur ad acceptandas preces pro defuncto; ut enim ait Lugo de pœnitentiâ disp. 26. sect. 3. n. 33. congruum est, ut DEUS non moveatur ad minuendas ejus pœnas, propter quem alij patiuntur egestatem: qua ratione utique animæ diutius in purgatorio detinentur.

509. Dices. Animæ non eximuntur pœnis purgatorii, donec reddiderint novissimum quadrantem, hoc est, donec exhibuerint debitam satisfactionem: sed ad hanc requiritur restitutio: ergo. Confirmatur. Hæredes non restituentes injuriam irrogant defunctis: & hinc C. Qui oblationes. 13. q. 2. excommunicantur: ergo ista restitutio est defunctis necessaria ad acquirendam beatitudinem. Resp. neg. ma. Non satisfactio, sed satisfactio ab animabus illis requiritur: hoc est, ut patiantur tantam pœnam, quantum exigit justitia Dei vindicativa pro culpis præteritis, non verò, ut satisfaciant; quia juxta multos satisfactio est obsequium meritorium, in suo genere tantum, quanta est offensæ in suo: atqui animæ purgantes, utpote jam in termino, non possunt præstare obsequium meritorium: ergo nec possunt satisfacere. Unde, sicut defunctus per executionem restitutionis à se imperatæ, & post mortem primùm factæ, nihil amplius meretur, distinctum ab eo, quòd meritis est per actum voluntatis, seu imperium in vita elicitum, ita nec amplius satisfactio; neque etiam voluntas defuncti, post



post mortem elicita virtualiter in restitutionem influit, saltem non ita, ut hæc ab illa nunc humano modo procedat: & defunctus restitutionem jam nec procurare, nec impedire potest. Minime autem his dictis oppositus est S. Thomas in 4. dist. 45. q. 2. a. 1. ibi enim tantum docet, suffragia defunctis prodesse: quod etiam nos tenemus esse de fide.

§10. Ad confirm. Canon ille nullam prorsus mentionem facit injuriæ defunctis irrogatæ, sed ita sonat: *Qui oblationes defunctorum, aut negant Ecclesiis, aut diffculter reddunt, tanquam egentium necatores excommunicentur*: ubi non fit mentio injuriæ defunctis, sed Ecclesiis, & pauperibus illatæ. Fit tamen utique etiam injuria defunctis, si non fiat restitutio, ab ipsis imperata: at non propterea ipsi detinentur usque ad restitutionem, actu factam, in purgatorio: quanquam restitutio facta ipsis, ut dictum, multis modis proficit, & hæredes, vel executores, ad eam faciendam ex justitia obligentur, atque etiam ad eam obligationem implendam possint censuris compelli. Neque propterea prudenter fideles absterrentur à relinquendis piis legatis; nam utique voluntas efficax aliquid applicandi causis piis, valde est meritoria: sicut nec absterrentur homines ab exercendis actibus piis externis, licet communior Theologorum censet, eos per se non augere meritum actuum interiorum, ut dictum tract. de actibus human. n. 164.

§11. Ob. 4. contra 4. conclusionem Siquis e. g. furatus est canem, vel equum, & hic elapsus è domo furis recurrat ad dominum, sufficienter facta est restitutio (& par est ratio, si dominus, quacunquē demum ex causa, rem suam, etiam invito fure, recuperet) ergo præceptum restituendi tantum præcipit, rem alienam non detinere, adeoque est negativum. Resp. neg. antec. In tali casu non est facta restitutio formaliter talis, sed tantum ex defectu materiæ, seu objecti (id est, ex defectu juris læsi, & necdum in antiquum statum reducti) cessat obligare præceptum; sic etiam, si dominus furi condonet furtum, non est facta restitutio, etsi non amplius detur obligatio restituendi: certè non potest illa recuperatio rei suæ, nisi valde materialiter, dici restitutio.

§12. Ob. 5. Præceptum restituendi obligat semper, & pro semper: ergo est negativum. Confir. Paritas de auditione sacri adducta n. 502. non est apta ad nostrum casum: ergo. prob. antec. negatio lusus non est semper præcepta, sed tantum tunc, quando esset impedimentum sacrum audiendi: restitutio autem est semper præcepta: ergo. Resp. om. ant. neg. confeq. ex eo tantum sequitur, quod illud præceptum etiam indirectè præcipiat negationem dilationis, vel prohibeat retentionem, ut explicatum n. 503. & utique docent Theologi cum S. Thoma 2. 2. q. 62. a. 8. in corp. non posse differri restitutionem, sed statim debere eam

fieri, quamprimum moraliter fieri potest: si autem aliquod rationabile impedimentum per accidens occurrat, e. g. quia fur sine infamia non potest statim restituere, creditor, seu læsus, non potest rationabiliter esse invitatus ex eo, quod aliquantum restitutio differatur. videatur Gormaz de just. disp. 17. n. 876.

Ad confirm. neg. antec. ad prob. neg. confeq. nam hæc disparitas est tantum materialis; nos enim à pari tantum ostendere volumus, posse aliquod præceptum directè esse affirmativum, etsi indirectè sit negativum: quod tam benè statim eo præcepto, quod aliquid semper vetat, quam in eo, quod tantum pro aliquo tempore aliquid vetat. Adde, quod nec restitutio sit semper præcepta; nam casu, quo quis nihil abutitur, non est pro ullo tempore ei præcepta restitutio.

ARTICULUS IV.

Quenam sint Radices Restitutionis.

§13. Radix formalis, unde oritur restituendi obligatio, est quidem, ut sæpe diximus, jus alterius, quod compensari, vel æquari debet, quodque formaliter inducit eam obligationem: at modò loquimur de radice restitutionis quasi materiali, quæ radix restitutionis nihil est aliud, quam *objectum materiale*, quod occasione præbet obligationis illius formalis activæ, quæ à jure alterius inducitur. Has autem radices vario numero assignant authores; quidam enim septem assignant, quidam quatuor, quidam tres: communior tamen cum S. Thoma duas assignat. Abiis, qui septem numerant, hæc assignantur. 1. *injusta damnificatio*. 2. *injusta acceptio*. 3. *injusta retentio*. 4. *res accepta*. 5. *injusta cooperatio*. 6. *contractus*. 7. *quasi contractus*. e. g. ratione officij judicis, parochi &c. malè administrati. At verò ab iis, qui quatuor radices ponunt, hæc numerantur 1. *res accepta*. 2. *injusta acceptio*. 3. *contractus*. 4. *lex*. Qui tres statuunt, omissis duabus posterioribus substituant *radicem mixtam*: à S. Thoma autem, & alijs pluribus communiter statuitur tantum radix gemina, scilicet *res accepta*, & *injusta acceptio*.

§14. Dico cum hac ultima opinione. Radices restitutionis convenienter revocantur ad duas, nempe ad rem acceptam, & injustam acceptionem. Prob. Ad has duas radices revocari possunt omnes: ergo non debent frustra multiplicari. ant. prob. obligatio restitutionis oritur primò ex eo, quod quis habeat rem alienam in se ipsa, vel in æquivalenti (sive culpabiliter, sive, inculpabiliter habeat) ut est communis; si enim habeat adhuc ipsam rem, tunc, ut est pro-

verbium: *Res clamat post dominum*: adeoque debet restitui.

Si non amplius habet rem ipsam formaliter, sed habet eam æquivalenter (vel quia eam vendidit, & habet pro ea pretium æquivalens, vel quia alio modo ex ea factus est ditior, hoc est, accepit ex ea aliquid emolumentum, vel adhuc aliquid de ea re habendo, vel alijs suis sumptibus parcendo &c.) tunc saltem tenetur, rem restituere eatenus, quatenus ditior factus est ex L. 206. ff. de regul. juris. quæ sic habet: *Fur re natura æquum est, neminem cum alterius detrimento, & injuriâ fieri locupletiorum*: quod idem dicitur L. 14. ff. de conditione indebiti. & sanè naturale lumen exigit, ut, qui plus habet, quam ei ratione juris sui competit, reddat illi, qui minus habet, quam ei ratione juris sui debetur: & quidem reddat in illa re, in qua plus habet: sanè nisi deberet res ita restitui, dissolveretur commercium, pax, & tranquillitas humana: hæc autem obligatio quam optimè revocatur ad radicem rei acceptæ.

§15. Ubi tamen notandum, quod quis debeat factus esse ditior ex re aliena *causaliter*, & non tantum *occasionaliter*. Fit autem ditior tantum *occasionaliter* ille, qui rem alienam nunquam convertit in suam, nec formaliter, nec æquivalenter: sed tantum ejus occasione aliquid accipit. e. g. si fur, quia feliciter ei furtum successit, donaret aliquid revera suum Cajo, non teneretur ille hoc restituere. Pariter, neque debet quis plus restituere, quam factus sit ditior: sic qui dedit rem alienam pretiosorem, non daturus tam pretiosam, si hanc non haberet, non tenetur ex re accepta ad totam æstimationem hujus rei, sed tantum ad æstimationem illius, quam alii dedisset. Vicissim neque tenetur ad reddendum plus, quam valeat res aliena; hinc, qui dedit rem, alienam minus pretiosam; quia ad manum fuit, daturus aliam pretiosorem, non tenetur ad plus, quam valuit res aliena; quia plus effectivè non nocuit.

§16. Secundò oritur obligatio restitutionis ex eo, quod aliquis jus alterius læserit, sive dein lædens, rem, ratione cujus jus læsit, adhuc habeat, sive non, sed e. g. perdidit: sive aliquid verè acceperit; & utilitatem perceperit, ut fur: sive nihil acceperit realiter, ut incendiarius; nam, quod talis injustus laesor restituere debeat, saltem æquivalens, dubitari non debet ob communem autoritatem SS. Patrum, ex quibus S. Augustinum supra attulimus n. 499. & communissimum Theologorum sensum, qui docent, restituendas esse, non tantum res ablatas adhuc formaliter exstantes, sed etiam virtualiter, vel æquivalenter exstantes, quin & omne commodum, quod alteri quomodocunque injustè ablatum est, quodque priùs domino ex sua re provenerat: si tamen injustè: hoc est, contra justitiam res sit ablata, vel destructa; si enim rem, quam bona fide putas tuam, destruas, etiam luxuriando, vel alio modo

inhonesto, non destructurus aliam, si hanc non haberes, non teneberis ad restitutionem.

§17. Confir. 1. Nisi injusta acceptio (idem est de injusta læsione; nam ista duo hæc sumuntur pro eodem) induceret obligationem restituendi, periret pax, & commercium hominum, viâque aperiretur furtis, & rapinis &c. ergo jus naturale obligat ad talem restitutionem. Confir. 2. Jus alterius per furtum non tollitur, sed læditur: ergo dominus potest merito exigere, ut injuria compensetur, ne læsio in effectu perduret. Tandem sunt lumine naturali etiam barbaris notæ hæc veritates: *Quod tibi non vis fieri, alteri æ feceris*: & *Omnia, quæcumque vultis, ut faciant vobis homines, & vos facite illis. Matth. 7. v. 12.* ex quibus consequens est, quod nemini debeat fieri injusta læsio, & si facta sit, debeat reparari. Quare rectè dicitur, quod secunda radix restitutionis sit injusta acceptio, aut læsio.

Ad has autem duas radices omnes alie revocari possunt, etiam quæ ex contractu, vel quasi contractu, aut lege oriuntur: & hinc non malè Inninger de restitutione q. 1. a. 4. videtur has posteriores radices, scilicet ex contractu, vel quasi contractu, aut lege, reducere ad injustam acceptionem; quia, qui debet restituere ex lege, tenetur ex culpa juridica, vel acceptione civiliter injusta. Pariter, qui tenetur ex contractu, e. g. ad præstandos etiam castus fortuitos, quibus res periit, iterum juxta hunc auctorem tenetur ex quasi delicto, fictione juris; quia tunc damnum fortuitum se habet fictione juris, ac si contrahens illud suâ culpâ dedisset.

ARTICULUS V.

Solvuntur Objectiones.

§18. Ob. 1. contra 1. conclus. Injusta acceptio continetur in re accepta, tanquam species in genere: ergo est tantum una radix. prob. ant. non potest dari acceptio, quin detur res accepta: ergo. Resp. hanc objectionem multum habere de voce: adeoque standum potissimum autoritate. Est quidem verum, quod non possit dari acceptio, quin detur res accepta: cumque acceptio sit genus ad justam, & injustam, etiam res accepta, genericè sumpta, includet aliquo modo, tam justam, quam etiam injustam acceptionem, tanquam duas species: adeoque etiam injustam acceptionem: sed hoc argumentum æquè probaret, debere pro radice assignari acceptionem genericè sumptam, & non rem acceptam; eoque etiam acceptio genericè talis involvat, vel certè post se trahat rem acceptam, sive justè, sive injustè. Quia tamen communi autoritati magis placuit, non sistere in genere, sed descendere ad duas species, nos huic rectè assertionem nostram conformamus.

Videtur autem assignata fuisse duplex hæc radix in specie, ut intelligatur, aliquando restitutionem necessariam esse, etsi nulla formalis iniustitia præcesserit. Si ulterius petas, cur non assignetur acceptio iusta, & iniusta. Resp. Videtur mihi, auctores voluisse attendere ad hoc, an res adhuc extant, an non amplius extant: in primo casu claret obligatio statim ex ipsa re: in secundo autem ex præcedenti acceptione. Sed hæc satis de lite magnam partem de nomine,

§ 19. Ob. 2. Si quis tenetur ex re accepta, tenetur statim restituere; quia res semper clamat post dominum: sed hoc videtur valde difficile: ergo. Resp. conc. mai. neg. mi. statim enim, ac quis advertit certò, rem non esse suam, debet eam restituere; alias incipit esse possessor malæ fidei. Si autem tantum dubitat, debet inquirere, ut diximus n. 363. & si dubium vincere non potest, potest, ut ibi diximus, rem retinere, donec veritatem liquido, vel saltem probabiliter comperiat. Potest tamen contingere, ut etiam, qui certò comperit, rem esse alienam, possit aliquando aliquamdiu restitutionem differre, quando nempe, vel ob periculum, vel ob nimiam difficultatem, vel aliam causam iustam, dominus non censetur posse esse rationabiliter invitatus, ratione alicujus dilationis.

§ 20. Ob. 3. Qui inculpabiliter alicui detraxit, tenetur restituere famam: atqui non ex re accepta; quia illam non habet: neque ex iniusta acceptione; quia inculpabilis error eum excusat: ergo datur tertia radix. Resp. conc. mai. (saltem si id fieri possit sine gravi incommodo, ut docent communiter Lugo de just. disp. 15. sec. 1. n. 4. Lessius de just. l. 2. c. 11. dub. 22. Vogler de restitu. n. 61.) neg. mi. quia juxta Lessium, & complures alios famamoraliter, seu in communi æstimatione, detinetur à detractore, licet non detineatur physice, sed jam sit destructa; nam dicitur fama restitui, & non compensari, sicut tamen dicuntur compensari bona exteriora, si non eadem reddantur; unde titulus rei acceptæ urget.

§ 21. Alii cum Lugone, & Vogler loc. cit. dicunt, non esse propriè dictam restitutionem, sed potiùs non continuationem prioris læsionis: atque adeò præceptum reintegrandi famam non præcipere restitutionem strictè dictam, sed tantum vetare novam quasi læsionem, seu continuationem prioris. Similitudinem dat Lugo n. 4. in eo, qui inculpabiliter incendit domum: hic debet ex iustitia incendium restringere, quantum potest; quia debet ex iustitia, quantum potest, procurare, ne ex sua actione ulterius incendium sequatur: quæ extinctio non est restitutio, sed impeditio damni ulterioris. Pariter ait, qui incautè detraxit, debet etiam procurare, quantum potest, ne ex suis verbis sequatur damnum perdurans, imò ordinariè crescens.

Sed fors ex hoc videbitur sequi, quòd etiam is, qui inculpabiliter aliquid alterius destruxit, e. g. librum, quo, dum ille alter ca-

rere debet, non potest sua studia prosequi, teneatur etiam pro eo restitutionem aliquam facere, nisi dicatur, quòd hæc esset strictè dicta restitutio, & non tantum impedicio ulterioris damni, vel quòd damnum tale non esset à damnificante impedibile sine notabili suo damno. Prior responsio est expeditior, & sufficit in lite præsertim vocabularia, in qua ordinariè plus valet autoritas, quam ratio.

§ 22. Ob. 4. Ponatur casus, quòd quis rem alienam, e. g. pecunias, jam miscuerit indiscernibiliter cum suis, talis acquisitio dominium totius cumuli pecuniarum, consequenter etiam earum, quæ priùs fuerunt alienæ: ergo non semper debet quis restituere ex radice rei acceptæ. Resp. dist. antec. talis acquisitio dominium totius cumuli totalitate objecti. conc. antec. totalitate juris, neg. antec. & dist. conseq. non tenetur eas reddere in individuo. conc. conf. in æquivalenti, vel in specie. neg. 1. & etiam 2. conseq. Idem est, si dicas, talem acquisivisse quidem dominium sed non plenum, vel certè cum obligatione compensandi damnum alterius, ut diximus, quando egimus de commixtione & c. n. 266.

Quodsi alius eas pecunias accepisset à fure, antequam fur eas commiscuisset indiscernibiliter cum suis, & acquisivisset dominium, teneretur ad restitutionem etiam hic acceptor. At, si fur eas ita cum suis miscuisset, ut dominium acquisivisset, tunc alius ab eo postea accipiens non teneretur ad restitutionem; quia fur validè potuit dominium transferre. ita Sanchez l. 2. oper. moral. in decal. c. 23. n. 34. Et sanè, si non acquireretur in tali casu dominium, cum multi sæpe habeant iniustas pecunias, mixtas aliis, quas vero, & iusto dominio possident, dubitare semper possemus de donationibus, vel etiam solutionibus talium hominum, an valida essent.

§ 23. Nota insuper, in rebus usu consumptibilibus regulariter posse reddi unam pro altera, in æquivalente tamen mensura, & pretio, seu bonitate. Quod si res non sint usu consumptibiles, tunc ordinariè non licet, rem etiam æquè bonam, vel pretium reddere: sed debet reddi res in individuo; nam e. g. pro equo reddere pecuniam, esset tantum illum solvere: atqui non potest tantum solutio reddi pro re, si dominus non vult eam vendere: estque injuria eum cogere ad rem vendendam, vel etiam permittendam; quia potest dominus habere specialem affectum ad hoc individuum ob certam causam: & sic non esset contentus, etiam si redderetur aliquid in alio genere melius: si autem dominus esset contentus, vel moraliter certò crederetur contentus fore, si pretium, vel aliud redderetur, utique restitutio talis sufficeret.

§ 24. Ob. 5. Qui rem alterius bona fide emit modico pretio, potest, quando eam reddit, repetere pretium: ergo non semper tenemur ex re accepta. Resp. Si quis sciens, rem esse alterius, eam emat à latrone, vel fure,

vel raptore alio injusto; eoquòd putet, se domino in hoc præstare obsequium, quilibentius expensurus sit aliquid, quam omnino re sua cariturus: esset autem omnino cariturus, nisi levi pretio redimeretur; eoquòd possessor nullatenus eam gratis esset redditurus: si quis, inquam, in tali casu in gratiam domini emat talem rem, e. g. equos, vel boves ab hostibus abactos, ea intentione, ut domino restituat, potest pretium exigere tanquam utilis negotiorum gestor.

Imò, ut aiunt, Lugo disp. 17. n. 4. & Vogler de restitu. q. 4. n. 55. subinde potest exigere totum pretium, si scilicet totum pretium expendit; eoquòd sciverit, dominum ob affectum ad rem malle totum pretium dare, quam ea carere: si autem id falsò tantum putaret, & dominus non esset ita constitutus, totum exigere non posset; quia non esset utilis negotiorum gestor: & alias, si ob ignorantiam expendisset pretium excessivum, deberet dominus id reddere, & sic rem suam emere pretio excessivo: & hinc, ut ait Lugo cit. loc. in utili negotiorum gestione non attenditur gestoris opinio, sed effectus, & sibi debet imputare ignorantiam suam negotiorum gestor imprudens.

§ 25. Ubi nota, quòd, si quis rem alienam bona fide alteri donasset, non donaturus aliam, si hanc non haberet, ad nullam restitutionem teneatur; quia non est ditior factus: adeoque nec ex re accepta, nec ex iniusta acceptione tenetur. Si tamen fuisset donaturus aliam, cui hac ratione pepercit, ditior factus est, & tenetur restituere in tantum, in quantum ditior factus est. Pariter si quis rem alterius bona fide emit, & rursus bona fide vendidit, æquali, vel minori pretio, nihil tenetur domino restituere; neque enim tenetur ex re accepta; quia eam non habet, nec æquivalenter; cum non sit factus ditior: nec ex iniusta acceptione, quæ non fuit facta. Si tamen majori pretio vendidisset, attendendum, an excessus sit tantum fructus industrialis, e. g. si rem transtulit in alium locum, ubi plus valet; tunc enim istum excessum potest retinere. Idem dicendum ait Lugo de just. disp. 17. n. 21. & seq. si quis rem omnino immutatam rursus vendat summo pretio; nam excessus ille super medium pretium videtur esse fructus industrialis; alias enim, si esset fructus naturalis, tunc etiam, si dominus recuperaret suam rem, tamen deberet excessus ille ipsi dari, quod videtur falsum. Unde talis, qui priùs rem emit minore, postea autem adhibitâ suâ industria eam vendit majore pretio, etiamsi hac sua industria factus sit ditior, nihil tenetur domino restituere: si autem factus esset ditior ex ipsa re, e. g. si eam donatione accepisset, teneretur domino reddere æquivalentem rei ablata, & sic eum reddere indemnem: qualem tamen jam reddit pretium medium, quantum scilicet res naturaliter ex se censetur valere, adeoque, quod superat pretium medium, potest talis venditor tanquam fructum industrialem retinere; maxime cum ad acquirendum summum pretium requiratur

industria. Lugoni consentiunt Haunoldus tom. 1. de just. tr. 3. c. 3. n. 251. Molina tom. 3. de just. p. 2. tract. 2. disp. 721. & Layman l. 3. sec. 5. tr. 4. c. 17. n. 25. Non tamen sufficit in hoc casu, reddere domino duntaxat pretium infimum; quia infimo pretio non venditur res, nisi in magna necessitate, aut ex negligentia, nec videtur res in pretio infimo æquivalenter haberi.

§ 26. Econtra Sanchez l. 2. op. moral. in decal. c. 23. n. 28. & alii cum ipso docent, (non diffidente Molina loc. cit.) communiter oppositum ex eo; quia etiam pretium summum est fructus, seu æquivalens rei; alias esset injustum: adeoque cedit totum domino. Addit insuper Sanchez n. 29. quòd debeat etiam domino, quanquam recuperet rem, dari pretium, seu excessus, quem quis lucratus est, ejus venditione summo pretio: e. g. Cajus vendidit Titio talem rem summo pretio, dein quia Titium fors poenitet emptionis, iterum eam vendit Cajo minore pretio: restitutum Cajus, rem esse alienam: in hoc casu vult Sanchez, Cajum obligatum esse, ad domino comparenti reddendam non tantum rem, sed etiam illum excessum pretij, quem lucratus est ex priori venditione, & emptione.

Vult hoc Sanchez, confirmare L. Si rem. 22. ff. de petitione hereditatis. ubi dicitur, oportere restitui & rem, & quantum ex venditione ejus lucratus est: ad quem textum respondet Layman, & Molina locis citatis, eum agere de particulari negotio hereditatis. Aliiter respondet Lugo de just. disp. 17. n. 22. scilicet, eam legem fundari in præsumptione, quòd possessor hereditatis voluerit pretium loco rei substituere: quod videtur inveniari verbis Hadrijani in ea lege allatis, ut observat idem Lugo: talis autem præsumptio non habetur in aliis casibus.

Admittit autem etiam Sanchez, in eo casu pretium industriae (si aliqua specialis intervenit, e. g. res in alium locum translata est: vel simile quid factum: & utique ad acquirendum pretium summum sæpe aliqua necessaria est) posse retineri à possessore: si autem pretium majus sit fructus naturalis, e. g. quia vinea per maturitatem fructuum æstimabilior facta est, vel vitulus, aut equus crevit, tunc debet pretium illud restitui domino, saltem dempto pretio laboris, vel alimenti, ut habet Vogler de restitu. n. 56. cum communi: & ratio clara est; quia res fructificat domino suo.

§ 27. Ob. 6. Ponamus, quòd bona fide Titius donaverit Cajo equum Sempronij, Cajus autem equum vendat Stichò: in hoc casu non potest assignari, quis deberet facere restitutionem Sempronio: ergo, prob. mi, non debet eam facere Titius, qui rem nec formaliter, nec æquivalenter amplius habet; nam ponimus, non esse factum ditiozem: non debet eam facere Cajus, qui etiam equum non habet. Si dicas, Stichum debere restituere; eoquòd habeat ipse equum, tunc redit quæstio, quis debeat hunc ipsum Stichum reddere indemnem. Resp. in hoc casu

Titium ad nihil teneri, ut patet ex dictis: Stichum autem debere reddere Sempronio equum; quia res, ut dictum, clamat post dominum: & quia hic habet jus in re, seu in equo, potest eum sibi à quovis possessore vindicare. Sed Cajus debet Stichum servare indemnem, & reddere pretium; quia venditio valida non fuit, nec transfuit rei dominium in emptorem, adeoque Stichus jus habet ad rescissionem venditionis.

Quod si autem Stichus cum equo jam alio dilceisset, ita, ut Sempronius equum sibi vindicare non posset, deberet Cajus pretium acquisitum, quantum scilicet factus est ditior, Sempronio dare, & sic æquivalenter restituere equum; nam, cum rem alienam commutaverit in pretium, jus reale, quod Sempronius habuit in equum, conversum est propter acceptionem pretij in jus personale contra Cajum. ita Vogler de restitut. n. 58. & Gormaz de justit. n. 783. id implicite etiam tenet Sanchez l. 2. in decal. c. 23. n. 35. ubi cum Navarra ait, eum, qui vendidit equum furtivum, debere pecunias nondum mixtas domino reddere.

528. Sed quid si Cajus pecunias illas admisceat suis, & sic dominium acquirat, postea autem easdem in individuo, vel tantam summam Seio donet, & ita quidem, ut nihil dedisset, nisi equum dono accepisset, adeoque non factus sit ditior: quid tunc faciendum? Resp. Lugo de just. disp. 17. sec. 1. n. 14. Gormaz de justit. n. 783. & Vogler de restitut. n. 59. ad nihil Seium teneri; neque enim habet rem, seu equum Sempronij, nec ejus pecunias, sed pecunias Caji, quas hic valide ei donavit.

Sempronius tamen, si equus adhuc adsit, potest eum à Stichò repetere, quo casu eum Cajus debet indemnem facere, ut ait Gormaz de just. n. 784. nam in contractu venditionis non solum attenditur ad rem acceptam, vel injustam acceptionem: sed universaliter hoc implicite subintelligitur, quod res sit vendibilis, & venditor possit dominium transferre: & ut bene ait Voglerus n. 58. Stichus habet jus ad rescissionem contractus; unde in hoc casu videtur Cajus factam donationem damno suo debere adscribere; nam, ut habetur L. 1. ff. de evictionibus. Sive tota res evincatur, sive pars, habet regressum emptor in venditorem. vide etiam Sanchez l. 2. in decal. c. 23. n. 16. usque ad 23. ubi rem hanc fust, & clarè tradit: & consentit quoad omnia, si equum dominus repetat: dicit tamen n. 20. si dominus non sciat, sed solus venditor, equum adhuc adesse, hunc non teneri monere dominum, ut rem suam recuperet, si propterea ipse venditor deberet pati damnum; nam, ut ait, non tenetur ex justitia, sed tantum ex charitate monere dominum.

529. Si autem equus non amplius adsit, sed iterum à Stichò venditus sit, & auctus irrevocabiler, tunc Stichus ad nihil tenetur; quia equum non habet, nec ditior factus est: sed neque tunc Cajus Stichò obligatur: & videtur Sempronius debere

infortunio suo hunc casum adscribere, sicut si primus fur eum aliò avexisset. videantur authores citati, maxime Gormaz n. 785. ubi addit, quod, si talis equus furtivus, scilicet e. g. venditus, adhuc tamen adsit, & à domino vindicetur, non possit venditor ultimus in tali casu emptorem suum remittere ad priorem venditorem; à quo ipse emit; nam hoc esset actionem cedere, & eam dare loco pretij, quod non esset æquum; nec enim æquè utile, aut commodum tali emptori est, debere primum litigare cum aliis, quam accipere immediatè pretium, vel solutionem.

Addendum etiam ex Voglero de restitut. n. 66. si Cajus emisset equum Sempronij à Titio, & eum donasset Stichò, qui equum vendidisset, tunc Stichum debere reddere equum, vel ejus pretium Sempronio, tantum domino comparenti; quia, licet Cajus, si etiam Stichò vendidisset eodem pretio equum, ad nihil teneretur Sempronio; cum non esset factus ditior (quamvis fortè tunc teneretur Stichò, ob invalidam emptionem, sicut ipsi teneretur Titius, ut habet Gormaz de justit. n. 788.) tamen Cajus non potuit hanc suam immunitatem transferre in Stichum donatarium; nam non potuit facere, ut hic non sit factus ditior ex re aliena.

ARTICULUS VI.

An quævis Intentio Prava inducat Obligationem restituendi.

530. **E**X Occasione dictorum de re dice restituendi, orta ex injusta acceptione, quaeritur, an quævis illicita acceptio inducat eam obligationem: sive an etiam læsio aliqua, quæ per se justa est, & justè, seu sine peccato, potest fieri, fiat injusta, & obliget ad restitutionem, si fiat ex prava intentione, & animo lædendi alterum: e. g. Titius judex potest per se justè condemnare Cajum reum legitime convictum, sed hic & nunc, condemnat eum ex odio, & studio ei nocendi: quaeritur, an hic animus pravus reddat eam condemnationem injustam, & obliget Titium ad restitutionem.

Vel casus adhuc difficilior. Aliquis non habet jus alteri nocendi (sicut tamen habet judex respectu rei in casu supra dicto) sed tantum habet jus ad aliquam actionem, quæ potest nocere alteri: facit autem eam actionem studio nocendi: an talis teneatur ad restitutionem: e. g. Titius homo privatus non habet jus nocendi Cajo: habet tamen jus, ex causis per se honestis inducendi Sempronium, ut Cajo non omnia relinquat ab intestato, sed multa millia leget Stichò: si hoc Titius faciat animo, & studio damnum inferendi Cajo: utatur tamen externis mediis per se honestis: quaeritur, an injustè agat, & ad restitutionem teneatur.

Antequam respondeam, noto 1. Etsi in utroque hoc casu Titius fortè ageret affectivè, & interius in animo contra justitiam, actus tamen purè internus contra justitiam, nisi etiam reddat actum externum strictè injustum, non obligat ad restitutionem; nam actus purè internus, e. g. animus furandi, si non manderur executioni, non obligat ad ullam restitutionem, ut est certa sententia omnium, & habet Voglerus de restitut. in genere n. 53. Noto 2. Intentio tantum mala contra charitatem, vel aliam virtutem, à justitia distinctam, etiam non obligat ad restitutionem; quia nulla alia virtus, quam justitia, ad restitutionem adstringit. His suppositis.

531. Dico. In neutro hoc casu datur obligatio ad restitutionem. Et quoad primum quidem casum consentiunt communiter Theologi; quia, cum Cajus non habeat jus resistens illi damno, non fit ipsi effectiva injustitia, nec læditur ejus jus, consequenter non debet compensari. Quoad secundum casum affirmant fieri injustitiam, & dari obligationem restituendi quidam apud Lugonem de justit. disput. 18. n. 98. quorum tamen aliquos aliter posse explicari putat Haunoldus: negant verò eam obligationem Vasquez, Sanchez, Turrianus, Navarrus, Lessius, Esparza, Lugo loco modo citato, Haunoldus tom. 1. de justit. tract. 2. c. 2. n. 230. Ininger de restitut. q. 3. a. 6. Tannerus tom 3. disp. 4. de just. q. 6. n. 100. Vogler de restit. in gener. n. 402. & hoc teste plerique.

Probatur conclusio quoad utrumque casum. Justitia, cum sit virtus ad alterum, ex fine suo primario versatur circa actiones externas, quibus conservatur jus alterius indemne: adeoque (ut etiam jam dictum n. 530.) non obligat ad restitutionem propter actiones internas, nisi istæ ferantur in actiones externas, atque istas reddant strictè injustas, ita ut per eas lædatur jus alterius: ergo, si actiones externæ non lædunt jus alterius, etiam si conjunctæ sint cum actione interna mala, non ideo obligant ad restitutionem: atqui in neutro casu hujus conclusionis ab actionibus internis ita redduntur strictè injustæ actiones externæ, ut per has lædatur jus alterius, ut magis patebit ex mox dicendis: ergo.

532. Confirm. 1. Cajus non habet jus contra actionem Titij externam, e. g. preces justas pro Stichò: ergo, licet Titius eam actionem, seu preces ponat, non læditur effectivè jus Caji: nec magis nocet actio hæc, sive fiat ex bona, sive ex mala intentione: neque inducit majorem inæqualitatem, vel imminutionem juris in uno, quam in altero casu: ergo non videtur magis in uno, quam in altero casu asserre obligationem restituendi. Confirm. 2. ex Haunoldo tom. 1. de just. tract. 2. n. 231. Onus, quod adversarij imponunt, est valde grave, nec tamen sufficienter est probatum, nec satis accommodatum imbecillitati humanæ; nec consentaneum communi persuasioni (nam

plurimi homines multas actiones, alias sibi licitas, faciunt ex odio, vel invidia, e. g. mercatores vilius vendunt suas merces, ut alij eas vendere non possint: nec tamen propterea tanguntur scrupulo de obligatione restituendi) ergo non debet admitti.

533. Respondent adversarij, certum esse, quod aliqua actio, ex se indifferens, ut sit justa, vel injusta, sæpe fiat injusta propter solum actum internum, ex quo procedit: e. g. actio externa, qua accipio librum in mensa jacentem, est ex se indifferens, ut sit furtum, vel non, consequenter est indifferens, ut sit injusta, vel non. Si adest animus furandi, est actio injusta: si tantum est animus inspiciendi, vel domino reddendi, est actio justa: ergo sola intentio potest vitare actionem externam, & asserre obligationem restituendi.

Sed contra est. Nos non negamus, quod actio, ex se indifferens, possit ab intentione determinari ad justitiam, vel injustitiam, ad obligationem restituendi, vel non, quando determinatur ab intentione, ut alteri sit nociva, vel non: sicut etiam non negamus, quod actio Titij judicis, si ponatur ex odio, sit peccaminosa: quæ, si fieret ex zelo justitiæ, esset honesta, & meritoria: sed hoc dicimus, quod si actio externa jam ex se sit alteri nociva, & tamen secundum se licita, non fiat injusta, seu connexa cum obligatione restituendi, præcisè propter malam intentionem nocendi; quia in hoc casu non fit actio illa contraria juri alterius; cum alter nullum jus habeat contra illam actionem.

534. Dices. Etsi Cajus in dato casu non habeat jus contra actionem Titij, secundum se sumptam, e. g. contra preces pro Stichò, habet tamen jus contra eam, ne fiat ex mala intentione. Sed contra: sic posset pariter dici, quod reus etiam habeat jus contra judicem, vel carnificem, non quidem, ut non plectatur, sed tamen, ut non plectatur ex odio: adeoque etiam isti peccabunt contra justitiam, & tenebuntur ad restitutionem: quod ipsi adversarij negant; unde nego illatum. Cajus tam parum habet jus contra totam hanc actionem Titij in concreto sumptam, quam parum habet jus contra internum odium, quo eum Titius averfatur, quin tamen in actum externum illum prodeat. Unde actio interna, vel etiam hoc totum complexum, ex tali actione interna, & externa, non est prohibitum ex justitia, sed tantum ex alia virtute, e. g. ex charitate: sed quacumque tandem ex causa prohibitum sit, ista ad restitutionem non obligat.

535. Ob. 1. L. Fluminum. 24. §. finali. ff. de damno infecto. item L. Proculus. 26. eod. tit. & L. In summa. 2. §. 9. ff. de aqua, & aquæ pluvie arcende. statuitur, quod is, qui facit aliquid in edificio, vel fundo proprio, e. g. avertit torrentem, si hoc faciat ex animo, ut sibi prosit, non possit actione conveniri: at verò conveniri possit, si id faciat animo alteri nocendi: ergo

go mala intentio obligat ad restitutionem. Resp. neg. antec. si intelligatur de qualicumque intentione nocendi, & non de dolosa, vel aliter contra iustitiam commutivam peccante.

536. Primæ duæ leges nullam mentionem faciunt intentionis: sed prima ait, me tam altè fodere non posse, ut paries tuus corruat: & facillè concedam, etiamsi non adsit mala intentio. Altera lex ait, non licere damnum alteri positivè facere, quamquam possit quis alterum privare lucro: & videtur se explicare hoc casu: Ego habeo jus altius tollendi ædificium, quod si fecero, luminibus tuis officio, quæ lux fuit quasi tuum lucrum, tamdiu, quamdiu non ædificavi. Si jam ædificem, non cenfebatur tibi damnum intrulisse, sed lucrum non debitum abstulisse. Cæterum de intentione hæc lex nec verbum.

Tertia lex quidem ait, non licere avertere à suis bonis torrentem, eo animo, ut alteri noceat, licere autem, ne sibi noceat: sed hæc lex plus non videtur velle, quam non licere torrentem sibi non noxium avertere, in alterius fundum cum ejus damno; tunc enim meritò præsumitur dolus, & actio ex se jam est injusta: & hinc glossa. l. 2. dicit, talem de dolo teneri. Adde, quod leges civiles per se non considerent intentionem internam, sed actionem externam, ex qua inferunt intentionem malam internam: qualis actio externa etiam est aversio torrentis sibi non noxij, in fundum alterius cum hujus damno. Unde & ista lex tertio loco objecta, seu L. In summa (id quod etiam sententiam de duabus prioribus hæc objectis) loquitur de actione externa injusta, qualis est, quæ in ea lege adducitur, scilicet aversio torrentis sibi non noxij in fundum alterius cum hujus damno. Quare in casu hujus legis non intervenit tantum qualiscunque malitia intentionis, sed ipsa actio externa est jam injusta. vide etiam Haunoldum tom. 1. de justit. tract. 2. n. 239.

537. Ob. 2. Qui liberalius bibit, ea intentione, ut noctu patiatur pollutionem, peccat contra castitatem: at non peccat contra eam, qui liberalius bibit, non tamen intendendo eum effectum turpem, sed tantum prævisum permittendo: ergo etiam, licet non peccet contra justitiam, qui ponit actionem noxiam per se licitam, non ex intentione damni, quamvis damnum prævideat: peccat tamen contra justitiam, qui actionem dictam ponit ex intentione damni, & consequenter tenetur ad restitutionem. Resp. 1. hoc argumentum nimium probare; nam probat etiam, quod, si quis aliquid, ad quod præcisè tenetur ex charitate, omittat ex odio, e. g. succurrere pauperi, in necessitate gravi constituto, teneatur ad restitutionem; nam peccat etiam contra castitatem ille, qui omittit mortificationes ex ea positivè concepta intentione, ut non impediantur dictus effectus turpis: hoc autem effectum nimium.

In forma, neg. consèq. Pollutio est

per se contraria castitati: nec excusari potest, nisi per involuntarietatem; unde, si per positivam intentionem voluntaria fiat, non excusabilis est. At verò actio noxia, de qua nunc agimus, cum sit conformis juri meo, nec opponatur juri alterius, per hoc ipsum excusatur à ratione injustitiæ. Accedit, quod illa intentio impura à nulla alia virtute, quam castitate prohibeatur: at verò intentio invida prohibetur sufficienter à charitate.

538. Ob. 3. Quando mulier prægnans sumit medicinam, etiam talem, ex qua per se, vel ut plurimum, aut saltem sæpius, oritur mors prolis, si tamen eam sumat præcisè ad recuperandam sanitatem, in morbo gravi, non est rea homicidij, etsi infans moriatur: at verò est illius rea, si ea intentione medicinam sumat, ut infans moriatur: ergo sola intentio mala reddit actionem injustam.

Resp. neg. consèq. Occisio hominis, facta à privato, per se est semper contraria justitiæ, sicut (ut modò diximus) pollutio est semper contraria castitati: nec excusatur, nisi per involuntarietatem, neque unquam, nisi ex prorsus singulari licentia DEI, (quæ in tali casu non habetur) datur jus ad occisionem hominis innocentis directam, sicut tamen datur ad alias actiones, e. g. ad arceandam aquam. Unde, si mater positivè occisionem prolis velit, adeoque ista omnino voluntariè fiat, potest esse homicidium contra justitiam. Vogler tamen de restit. q. 23 n. 412. ait, dubitari de hoc posse, & forte esse tantum contra charitatem.

539. Ob. 4. Non est ratio, cur vis, metus, & fraus, sint contra justitiam, & non etiam odium: ergo etiam istud est contra justitiam; quia de illis id negari non potest. Confirm. S. Thomas 2. 2. q. 62. a. 2. ad 4. sic ait: *Aliquis potest impedire aliquem, ne habeat præbendam multipliciter ... alio modo injustè: puta, si intendat ejus nocuum, quem impedit, propter odium, vel vindictam, aut aliquam hujusmodi: & tunc ... tenetur quidem ad aliquam recompensationem: ergo odium est contra justitiam.*

Resp. neg. antec. Vis, & incussio metus, directè tollunt libertatem à coactione; cum tamen quilibet habeat per se jus ad actiones suas liberè faciendas. Fraus etiam tollit, aut minuit voluntarium, & impedit dominum à libero usu suarum facultatum, & bonorum: quod etiam est contra jus hominis; nam istud tribuit potestatem liberè disponendi. Odium autem ex communi est tantum contra charitatem; nec enim per hoc restringitur libertas alterius. Ad confirm. neg. consèq. S. Thomas, vel loquitur in casu, quo is, qui impeditur, habet jus e. g. ad præbendam: vel intelligit odium, utens mediis injustis, fraudibus &c. Quo casu non tam odium, quam fraudes &c. sunt contra justitiam: saltem non est contra justitiam odium, nisi ut conjunctum fraudibus: & sic etiam exponitur Scotus à mavello.

QUÆSTIO II.

De Obligatione restituendi ex Re Accepta.

ARTICULUS I.

Quenam Quantitas Rei Alienæ Acceptæ sit gravis.

540. Ob. 5. Qui lædit injustè Titium, ac prævidet, quod inde per accidens oritur sit damnum Cajo, e. g. occidit Titium, qui dein non amplius alit Cajum, quem hucusque liberaliter aluerat: vel nihil amplius legat Cajo, cui multa legare destinaverat, non agit injustè contra Cajum, nisi damnum illud intendat: si verò damnum positivè intendat, agit contra jus Caji, & securo damno tenetur ad restitutionem; quamvis enim illud damnum per se non connectatur cum injusta læsione Titij, prava tamen intentio supplet defectum illius connectionis: ergo. Resp. in hoc casu vel damnum ortum Cajo, est in se spectatum, contra justitiam, vel non datur obligatio restituendi. vide infra n. 728. & 737.

Illius tr. 2. disp. 3. n. 79. videtur vel esse contra justitiam; quia, ut ait, doctores unanimiter sentiunt, quod, si quis per vim Titio adhibitam eum impediatur, ne mihi beneficiat, non tantum agat injustè contra Titium immediatè læsum, sed etiam contra me, qui habeo jus, saltem ad hoc, ne quis per vim, aut fraudem, alium impediatur à conferendo in me favore, vel beneficio, ut etiam testatur Lugo de just. disp. 9. sec. 3. n. 33. esse communem.

Rursus hæc ipsa prævisio damni videtur læsorem constituere causam per se damni: quia, sicut ipsi prohibita est actio lædens Titium, ita & prohibita est actio lædens Cajum: adeoque erit causa per se. Quodsi tamen in aliquo casu, vel ex hoc, quod, ut quidam volunt, damnum sit nimis remotum, vel ex alia causa, talis læsio respectu Caji non sit in se injusta, tunc sola intentio mala, seu peccaminosa contra aliam virtutem, e. g. intentio ex odio concepta, quæ est contra charitatem, non assert obligationem restituendi, sed tantum facit actionem peccaminosam contra aliam virtutem. videatur Illung tr. 2. disp. 3. n. 77.

541. Ob. 6. Malè supponimus, quod justitia ex fine suo primario, & directè, tantum præcipiat, aut prohibeat actiones externas: ergo. prob. antec. judicium temerarium est actus internus, & tamen directè prohibetur à justitia: ergo. Resp. neg. suppositum antecedentis; non enim supponimus, quod soli actus externi sint contra justitiam; admittimus enim utique, quod multi actus interni, e. g. judicia temeraria, fraudulenta intentiones, desideria furandi, occidendi &c. sint contra justitiam: sed tantum supponimus, quod justitia ijs actibus solis non annectat onus restituendi; neque enim ob judicium temerarium pure internum datur obligatio restituendi, nisi velis absone dicere, ipsam cessationem à tali actu esse aliquam restitutionem. ad prob. antec. con. totum, sed nego, quod omnis actus, qui est aliquo modo contra justitiam, eo ipso afferat onus restituendi.

R. P. Ant. Mayr Theol. Tom. II.

542. Dico 1. Peccatum contra justitiam ex genere suo est grave. ita communis, & certa cum S. Thoma 2. 2. q. 59. a. 4. incorp. Peccatum autem ex genere suo mortale est illud, quod absque omni adveniente circumstantia, ad aliam speciem trahente, potest esse mortale: sicut ex genere suo leve est, quod sine adjuncta alia specie grave fieri nequit: sic mendacium, nisi ad aliam speciem, e. g. perjurij, vel injustitiæ contra proximum trahatur, leve semper manet. Prob. jam conclusio. Peccatum contra justitiam, e. g. acceptio furtiva rei alienæ in suo genere, vel sua linea, ita crescere potest, ut grave fiat; nam nemo dubitat, quod furtum, e. g. centum florenorum sit grave: ergo. Confirm. ex S. Thoma loc. modo cit. Peccatum ex genere suo mortale est, quod opponitur charitati; quia, cum charitas sit vita animæ, omne, quod huic contrariatur, assert mortem: sed peccatum injustitiæ ex genere suo opponitur charitati: ergo. prob. mi. charitas intendit bonum proximi: atqui huic bono contrariatur injustitia, quæ intendit damnum proximi: ergo. Dixi ex genere suo; hoc est, intragenus injustitiæ dari potest peccatum mortale: non verò ex toto genere; quoniam non omne peccatum injustitiæ est mortale (sicut tamen est omne perjurium, omnis hæresis, omnis blasphemia; quæ sunt peccata ex toto genere mortalia) nam utique potest peccari leviter etiam contra justitiam, non tantum ratione deficientis plenæ advertentiæ, sed etiam ratione materiæ: quis enim dicat, quod furtum unius crucigeri mereatur per se infernum? nam per accidens ratione extremæ necessitatis illius, cui crucigerum eriperem, posset esse peccatum mortale, sicut si sartori eriperem acum, ad vitam sustentandam unice necessariam.

543. Dico 2. Materia furto subtracta gravis, & ad restituendum sub gravi obligans, est illa, ratione cujus ablatæ dominus est rationabiliter graviter invitatus: vel quæ assert rationabiliter gravem animi dolorem, & tristitiam difficulter impedibilem: quæ videntur idem sonare. ita Gormaz de justit. n. 699. Haunoldus tom. 1. de just. tr. 2. c. 2. n. 322. & recentiores communiter, imò Gormaz ait, hanc assertionem esse certam. Prob. Talis materia furto sublata sufficit ad lædendam graviter charitatem, & pacem: ergo etiam sufficit ad peccatum mortale. Rursus talis materia sublata est notabile damnum proximi: ergo est peccatum mortale. ant. est clarum; nam tantum notabile damnum rationabiliter ferimus moleste, seu graviter.

Confir. 1. Furtum est, quod accipitur invito domino: ergo, quod accipitur domino graviter invito, est furtum grave. Confir. 2. S. Thomas 2. 2. q. 72. a. 2. volens explicare, quid sit contumelia, vel convitium, ait *in corp.* esse ablationem honoris: dein volens exponere, quodnam convitium sit grave, vel leve, explicat illud *ad 1. c. 3.* per contristationem, & ait, esse leve peccatum, si quis alterum leviter contristet; unde planè supponit, esse grave, si quis alterum graviter contristet: ergo illud est grave peccatum contra proximum, quo iste graviter contristatur: ergo etiam illud furtum est grave, quo dominus graviter contristatur; nam, sicut convitium est læsio, vel ablatio honoris, ita furtum est læsio, vel ablatio bonorum extrinsecorum.

544. Dico 3. Gravitas materiæ in furto non est universim eadem, sed diversa pro diversitate status personarum, quibus res aufertur. ita La Croix. l. 3. p. 1. n. 983. Gormaz de just. n. 693. Molina tom. 3. de just. p. 2. tr. 2. disp. 685. n. 2. §. Quidam. Layman l. 3. sec. 5. tr. 3. p. 1. c. 1. n. 3. Lugo de just. disp. 16. sec. 2. n. 23. Reginaldus, Bonnacina, Navarrus, Filliucius, & alij nunc satis communiter, contra Lessium, & alios, qui putant, eandem summam universaliter statuendam esse pro omnibus; tam divitibus, quam pauperibus: qui tamen auctores quoad praxin non discrepant ab alijs; nam dicunt, per accidens semper esse aliquam diversitatem inter pauperes, & divites.

Ajunt enim hi auctores, pauperibus sæpe inferri per summam minorem magnum damnum, quod eos rationabiliter graviter contristet: divites autem etiam circa summam per se gravem aliquando censerit, & præsumi, non esse graviter invitos: sed ex hoc ipso videtur probari, per se non esse eandem summam statuendam, respectu cujuslibet conditionis hominum. Lugo *loc. modo cit.* ait, hos auctores tantum velle, esse aliquam materiam absolutè gravem in genere furti, per quam omnibus grave damnum inferatur, ut adeò ad asserendum, quòd furtum talis materiæ sit graviter peccaminosum, necesse non sit, attendere diversam qualitatem personarum: quod, an verum sit, ipse inspectis auctoribus melius judicabis.

545. Probatur autem nostra conclusio. Non est materia gravis furti, nisi ea, cujus ablatio domino affert rationabilem gravem tristitiam, vel circa quam dominus meritò graviter est invitus: atqui talis materia non est eadem respectu omnium, pauperum, & divitum: ergo. ma. patet ex supra dictis. mi. prob. ex communi hominum sensu; nam ex communi æstimatione videretur irrationabile, si ditissimus quisque vellet æquè tristari, vel æquè esse invitus, propter ablationem alicujus rei, ob quam meritò tristatur pauper, e. g. ob ablationem viginti crucigerorum: ergo. Nec dicas, hanc

tristitiam oriri tantum per accidens; eo, quòd unus sit magis invitus, quam alter; nam videtur in ipsa rei natura, & in dispari conditione eorum, etiam præscindendo à dissimili voluntate, fundari, quòd rex minus debeat esse tristis, vel invitus, quam pauper, ob subtractionem viginti crucigerorum.

Confir. Non est eadem materia gravis respectu omnium in detractioe, seu ablatione famæ: ergo nec in ablatione bonorum exteriorum. conf. videtur admitti debere; quia disparitas formalis assignari non potest. ant. prob. si aliquem puerum dicas frequenter mentiri, non est res gravis: at, si de viro honorato id dicas, grave esse poterit: rursus, si aliquem infames de crimine affini iis, de quibus jam est publicè infamis, e. g. publicum fornicarium de obscœnis colloquiis, non est grave: at, si de his infames alium hominem gravem, honestum, & omnino castum, grave erit: ergo.

546. Jam quæstio gravis superest, quam tandem statuenda sit materia gravis in furto, diversa pro diversitate personarum, vel, ut alij loquuntur, respectiva: Et quidem, ut Lugo de just. disp. 16. sec. 2. n. 21. ait, DEus solus scit, quænam tandem in rigore reverè gravis sit, ita, ut immediatè minor sit levis; nam scimus quidem, furtum oboli leve esse, & furtum plurium aureorum esse grave: at quænam sit quantitas ultima levis, quam quilibet excessus faciat gravem: & contra, quæ materia sit ultima gravis, ita, ut quilibet defectus faciat levem, determinari certò non potest: quis enim in hoc, uti etiam in alijs multis, aliquid certi definit?

Sed & difficultas crescit ex eo, quòd hæc quantitas in certis rebus, vel etiam pecunijs, determinari universaliter nequeat; neque enim est eadem ubique æstimatio pecuniarum; nam utique plus æstimatur moneta, etiam parva argentea, vel aurea, apud nos, quam in regno Peruvie. Quin & merces non ejusdem ubique valoris sunt: sic utique merces Indicæ apud nos plus valent, quam in patria sua: & furtum quantitatis, quæ apud nos esset gravis, gravis non est apud Indos.

547. Unde auctorum opiniones hæc in re sunt valde disparatæ: quæ etiam aliquando alij loco, quam eorum patriæ, accommodari vix possunt, ex eo etiam, quòd nominant monetas, quarum valor vix nobis sit cognitus est, e. g. Julios, regales, patacones, scuta &c. sed & alij planè nimis sunt stricti, alij nimis laxi. Quidam anonimi apud Lessium de just. l. 2. c. 12. dub. 6. n. 29. requirunt ad grave peccatum centum aureos: at hoc manifestè est nimis laxum. Bannez, Sotus, Arragon, & Angelus, respectu cujusque postulant duos aureos; quòd planè est adhuc nimium. Navarrus e contra putat, posse saltem timeri fermè universaliter, ne materia gravis sit dimidij regalis Hispanicus, hoc est, quinque, vel sex, aut septem crucigeri: & hoc

est nimis severum. Covarruvias, & Salenius, assignant regalem integrum, seu Julium, aut Paulum Romanum; quia regalis, & Julius, vel omnino, vel propè coincidunt: Julius autem modò aucto valore monetarum in Germania, non verò in Italia, æquivalebit circiter tredecim crucigeris, & dimidio nummo.

Lessius de just. l. 2. c. 12. dub. 6. n. 31. & Medina assignant duos Julios, videturque se fundare in eo, quòd aliqui Episcopi excommunicationem fulminerint ob furtum duorum regalium: sed ipse Lessius loco modo cit. agnoscat, hoc fundamentum non esse sufficiens; quia post Tridentinum excommunicatio ferri non potest, nisi ob peccata mortalia non vulgaria: & hinc ait, non facile se excusaturum Episcopum à peccato, qui pro tribus, vel quatuor florenis excommunicationem vibraret. Valentia, & Rebellus assignant Julios tres: Sanchez, Toletus, & alij assignant quatuor: Vega quinque: Corduba, & alij aliqui valorem gallinæ: sed isti ultimi sine fundamento; nam §. Gallinarum. 16. Instit. de rerum divisione. in quo fundantur, non loquitur de una gallina in singulari, sed in plurali: dein, etiam dicatur ibi, furtum committi, non sequitur esse semper grave; cum actio etiam detur ob furtum leve. Et hi quidem auctores, cum potissimum velint statuere quantitatem absolutam respectu omnium, jam sunt rejecti conclusione n. 544. statuta.

548. Sed & inter eos, qui quantitatem respectivam assignant, diversitas notabilis est. Lugo de just. disp. 16. sec. 2. n. 28. cum Molina (quem citavit n. 26.) assignat aureum (quem n. 26. ait continere undecim Julios) respectu principum, & magnatum: sex, vel septem Julios respectu divitum: quatuor respectu artificum: respectu pauperum verò mercedem correspondentem labori diurno, quæ tempore medio inter hyemem, & æstatem datur. Attamen non videtur monetam Germanicam satis intelligere; nam ead. sect. n. 27. florenum nostrum æquat quinque Julijs, & quindecim bazeos sex Julijs, qui alibi etiam admittit, quanquam non tam ex sua; quam aliorum opinione, aureum pro principibus (ut mihi videtur in hoc sensu, quòd princeps ob tale furtum meritò censeatur graviter invitus, juxta dicta n. 544.) tamen per aureum juxta Gormaz n. 690. intelligit scutum, quòd, etiam aureum sumatur, multò minus valet, quam aurei nostrates, scilicet tantum decem, vel undecim Julios; cum aurei nostri valeant octodecim Julios.

Molina tom. 3. de just. p. 2. disp. 685. n. 4. respectu regis assignat ducatum (quem Lugo modò citatus, & Gormaz, etiam ipse Hispanus de just. n. 716. ajunt, in Hispania valere undecim Julios, hoc est, circiter duos nostrates florenos cum dimidio) imò idem Molina videtur sentire etiam dimidij ducati furtum regi factum esse grave. Lay-

man. l. 3. sec. 5. tr. 3. p. 1. c. 1. n. 3. in genere ait, furari victum diei esse furtum mortale; dein magis se explicans ait, à mercatore valde divite rapere duos, vel tres florenos: à cive mediocriter divite duodecim, vel quindecim bazios: ab operario tres, vel quatuor bazios: à mendico paucos numinos, esse mortale: respectu regis potentissimi autem ait, duos; vel tres duccatos esse certò mortale: non tamen ait, minorem summam non esse mortalem.

549. Filliucius tr. 31. n. 239. assignat aureum respectu etiam regis: quamvis respectu magnatum, & divitum, etiam assignet aureum: sed per aureum non intelligit, quod nos; nam numeris sequent. assignat respectu mediocrium dimidium aureum, vel, ut ait florenum, aut sex Julios, vel Paulos; nam Paulus, & Julius idem sonant Platelius p. 3. c. 4. §. 10. n. 778. statuit respectu illustrium, & regum quadraginta asses: respectu divitum viginti: respectu plebeiorum decem: respectu pauperum quinque, vel sex asses. assis autem non valet ubique idem: alicubi valet quatuor crucigeros, consequenter quadraginta asses essent duo floreni, & quadraginta crucigeri. Bonnacina Italus, agens de contractibus, & restitutione, disp. 2. q. 8. punct. 1. n. 7. pro illustribus, & splendidis, ait, summam gravem certò esse aureum: pro viventibus ex suis proprijs redditibus sine labore, & officio quatuor regales: pro artificibus duos regales: pro pauperibus mendicis unum, vel dimidium regalem. Gormaz de just. n. 715. c. 716. assignat pro materia gravi victum diei competentem: dein conditionatè addit: si pauperibus furari Julium sit mortale, tunc pro mechanicis statuendos esse duos Julios: pro mediocriter divitibus quatuor: pro valde divitibus, & regibus, seu ijs, qui splendide alunt familiam, decem, vel undecim Julios: & hanc sententiam videtur absolutè amplecti: atque, esse hodie communem sententiam.

550. La Croix l. 3. p. 1. n. 985. ait, mortale furtum esse subtractionem sustentationis diurnæ: sub qua tamen etiam intelligit vestitum, & habitationem, suo modo correspondentem: dein autem n. 987. assignat duos ducatos pro rege etiam ditissimo: intelligit autem, ut se explicat n. 987. monetæ valorem eum, qui nunc est, adeoque per aureum intelligit quatuor florenos, atque n. 998. communiter auctores statuere unum aureum pro rege; eo quòd loquantur de regibus non ditissimis; additque, eos nunc communiter non esse ditissimos: & n. 999. iterum ait, paucos reges esse ditissimos, & hinc etiam pro his variare regulam. Idem La Croix n. 987. statuit pro principe unum ducatum: pro perillustri persona, aut pro mercatore valde divite, unum imperialem: pro mediocriter divite mercatore medium imperialem: pro mechanico cive tertiam partem imperialis: pro cive tenui, aut rustico, duos solidos: pro utrunque paupere sesquifolidum.

dum: pro planè paupere unum solidum: sumit autem pecunias, ut nunc valent.

Busenbaum l. 3. tr. 5. c. 1. dub. 2. statuit unum, vel alterum aureum pro rege, vel valde divite: pro mediocriter divite quatuor regales, seu medium imperialem: pro mechanicis duos regales: pro pauperibus unum: additque, ita nunc pleurosq; sentire. Voglerus in *manuscriptis* (quæ dictavit anno 1700. à quo tempore valor monetarum modicè, aut nihil mutatus est) statuit pro rege, aut ditissimo principe aureum: pro magnatibus, & valde divitibus mercatoribus florenum: pro civibus mediocribus dimidium florenum: pro operarijs octodecim, vel viginti crucigeros: per accidens autem respectu omnino pauperum etiam valde paucos crucigeros. Alij, quos videre potui, in genere ferme tantum loquuntur, nec rem magis determinant. His præmissis

551. Dico 4. Mortale est furtum, si extraneus alicui tantum furetur, quantum proportionaliter ad ejus statum requiritur pro victu, vel sustentatione diurna: intelligo autem per victum, seu sustentationem, etiam vestitum, & habitationem statui convenientem. Hanc sententiam præter jam citatos tenet etiam Illsung. tr. 4. disp. 3. n. 152. Prob. conclusio. In primis sustentatio, seu victus, est omni homini communis; unde ex hoc capite potest melius, quam ex alijs assignari regula communis: sed & bonorum externorum finis est maximè sustentatio hominis: consequenter bene dicitur, esse grave in hoc genere, quod graviter est contra hunc finem.

Merito autem grave contra hunc finem censetur, auferre victum diurnum; nam merito æstimatur aliquid grave, posse integro die pro suo statu honestè subsistere: & cuique grave censetur, carere debita sustentatione integra die: ergo tantum furari est inferre notabile damnum, quod merito graviter displiceat, & dominum rationabiliter graviter invitum reddat, adeoque furtum grave, seu mortale constituat. ant. videtur patere ex communi omnium sensu, & probatur ab Illsung loc. cit. ex eo, quòd jejunium hominibus accidat grave, & necesse sit, eos ad istud præcepto Ecclesiastico gravi compelli: quod tamen jejunium non privat victu integræ diei.

Confir. Levitici 19. v. 13. dicitur: Non morabitur opus mercenarij tui apud te usque mane: hoc est: non differas solutionem mercedis in alteram diem: ergo non solvere, vel etiam contra justitiam diutius differre solutionem videtur grave; nam doctores videntur intelligere hæc verba de præcepto gravi: atqui hæc merces communiter censetur necessaria ad sustentationem, & victum operarij: ergo. Notanter autem dixi: si extraneus &c. nam de furtis domesticorum inferius paulò aliter loquendum. At, quid tandem assignandum sit pro victu diurno, varijs statibus

hominum, hic opus, hic labor est: ut tamen aliquid dicam,

552. Dico 5. In Germania nostra saltem aureus est absolutè materia gravis, ita, ut eum furari etiam regibus sit mortale. Hanc conclusionem aliter probare non possum, nisi communiore sensu auctorum; quia planè longè plures aureum absolutè statuunt esse materiam gravem in furto, etiam contra reges admissio: imò multi, maximè Hispani, & Itali, non intelligunt per aureum quod nos (nostrum enim aureum Itali *Ungarum* vocant) sed forte tantum undecim; aut duodecim Julios, ut colligi videtur ex dictis à n. 548. cum tamen, saltem Italis, Ungarus valeat octodecim Julios.

Nec dici potest, argentum, & aurum, minus æstimari in Germania, quam in Italia, aut Hispania; nam è contrario pecunia longè pluris apud nos, quam in illis regionibus æstimantur; nam in Italia, & Hispania omnia cariore pretio, & pluribus monetis emere necesse est, quam apud nos. Ait tamen Voglerus in *manuscriptis citatis*, quòd is, qui statuit materiam gravem pro rege, aut ditissimo principe, aureum, etiam si magna sit annonæ caritas, aut rerum pretium, non nimium arctet conscientias, nec nimium laxet, mediisque concedat inter sententias doctorum relatas: habeat etiam pro se communiorem sensum doctorum in Germania, quibus his in partibus potissimum credendum.

Jam proportionaliter progrediendo, respectu divitum mercatorum, & magnatum, ex iisdem fundamentis videtur statui posse florenum (quamquam aliqui liberales statuunt respectu horum duos florenos) respectu civium mediocris fortunæ, videtur statuendus medius florenus: respectu operarij diurni, octodecim, vel viginti crucigeri, quantum scilicet dari solet pro mercede diurna: respectu autem omnino pauperum etiam pauciores crucigeri: imò respectu mendicij pauperrimi in necessitate constituti, posset per accidens esse materia gravis unus cruciger, vel aliquando etiam obolus.

Sic etiam furtum materiæ levis potest esse peccatum grave, ratione damni inde secuti, ut, si sartori acum rapias, & aliam ipse habere non possit, adeoque à labore, & lucro cessare debeat: sed hæc, & similia per accidens se habent. Ultimò addendum, non tantum has quatuor classes inter homines dari, sed longè plures posse assignari intermedias, vel certè in his classibus dari individua differentia, quibus data regula cum proportionem applicanda est, judicioque prudenti moderanda, ut rectè cum alijs pluribus advertit Gormaz de *justit.* n. 717.

553. Querunt hic aliqui, maximè Gormaz de *just.* n. 723. Haunoldus som 1. de *just. tract.* 2. c. 3. n. 330. an materia gravis furti in indivisibili sit assignanda, e. g. an dicendum sit, quòd medius florenus

nus ita sit materia, gravis, ut, si obolo, vel teruncio minus auferatur, nondum sit materia gravis. Et quidem ita isti auctores sentiunt; quia alias putant, eundem esse in infinitum; eoque semper redeat quaestio, an, si adhuc obolo minus auferatur, sit materia gravis.

Opposita tamen teste La Croix l. 3. p. 1. n. 1001. est communior, cum qua videtur mihi dicendum, Deum quidem absolutè nosse in indivisibili materiam gravem, non tamen homines: & hinc respectu hominum materiam furti gravis non stare in indivisibili physico (quamvis dici possit, eam stare in indivisibili moraliter tali) & ideo rem istam à nobis esse moraliter accipiendam, ita ut, si ablati sit mediocri civi medius florenus, est non physicè, tamen moraliter totus, materia gravis ablata censetur, quod videtur contingere, si obolo tantum minus accipiatur; alias casu, quo modius tritici valeret medium florenum, adeoque eum furari à cive mediocri esset mortale, deberet dici, non esse peccatum mortale, si quis granum ex eo relinqueret: quod non est verum; utique enim læsus æquè graviter rationabiliter est invitus in uno, ac altero casu.

Nec propterea ibitur in infinitum; sicut non itur in infinitum in multis alijs, in quibus tantum moraliter res accipi debet, ut in dato exemplo de tritico. sic etiam materia consecranda debet esse moraliter præiens, non physicè: item debent materia, & forma Sacramentorum esse simul, ac moraliter, non physicè: nec tamen propterea itur in infinitum, quamquam contingere possit, ut aliquando alicui videatur res moraliter ita se habere, alijs autem non: quo casu quidem orietur aliquod dubium: sed hoc in multis alijs quoque contingit.

ARTICULUS II.

Solvuntur Objectiones.

554. **O**B. 1. contra 2. conclusionem. Nemo potest esse rationabiliter graviter invitus ob furta etiam graviora sibi facta: ergo nostra conclusio est nulla. ant. prob. quilibet ex charitate tenetur proximo remittere injurias, & vel maximè tenetur eum eripere ab inferno, si potest: ergo tenetur non esse graviter invitus, ne scilicet alter mortaliter peccet, & damnetur. Confir. Quilibet tenetur bonum suum temporale postponere bono spirituali proximi: ergo. Huic argumento jam supra responsum; ubi de defensione occisiva bonorum temporalium n. 245. & ibi jam ostensum, quòd hac ratione probaretur, licita esse omnia ferme peccata contra proximum, rapinae detractiones &c.

Breviter iterum in forma neg. ant. ad prob. dist. ant. tenetur quilibet proximo remittere injurias, ita ut ipse se non vindicet, vel vindictam per se sumat (si non sit iudex:) aut eam non petat tantum ratione sui, conc. ant. ut non petat aliquam compensationem

damni illati. neg. ant. & conf. quando autem dicitur, quòd homo teneatur ex præcepto alteri succurrere, ne damnetur: vel quòd teneatur damnum suorum temporalium bonorum postponere damno spirituali proximi, id intelligendum est, sub hac conditione, si alter sit in tali necessitate constitutus, ex qua se eripere nequit: non autem, in qua voluntariè hæreat; talis enim debet sibi ipsi impunitè interitum suum.

Dixi ad ista neminem teneri ex præcepto; poterit enim aliquis utique (si non cedat in præjudicium alterius) aliquando similia condonare ex heroica virtute, quæ tamen non facit, quòd injuriam inferens non graviter peccaverit; cum hic tamen contra jus alterius hæreat; quo alter se prius necdum abdicaverat, vel certè nesciebatur, se abdicasse.

555. Ob. 2. contra 3. conclusionem. Per accidens est, quòd unus, homo ditior sit altero. atqui jus naturale non attendit, ad ea, quæ sunt per accidens, sed quæ sunt per se: ergo non attendit ad divitias, vel paupertatem, adeoque statuit eandem summam gravem furti pro divite, ac pro paupere. Confir. Bonum absolutè magnum non fit parvum accessione alterius boni: ergo summa gravis, e. g. medius florenus respectu civis, non fit parva respectu valde divitis, apud quem scilicet accedit major summa pecuniæ. Resp. 1. retorqueo argumentum. Est per accidens, quòd proximus sit in extrema necessitate: ergo jus naturale non obligat ad succurrendum ei in illa. Resp. 2. neg. mi. nam jus naturale, suppositis casibus per accidens, variè obligat, ut potest ostendi pluribus exemplis. sic per accidens est fieri crimina, & tamen jus naturale exigit, ea aliquando puniri.

Ad Confir. neg. suppositum. Medius florenus non est bonum absolutè magnum, sed tantum respectu mediocris conditionis civilis; alias quomodo adversarij possent rationabiliter præsumere, divitem ob medium florenum furto ablatum non esse graviter invitum? Quando autem dicitur, æstimabilitatem pecuniæ non pendere ab indigentia, merito id negatur; nam pecunia æstimatur pluris à paupere, partialiter saltem ratione paupertatis, quam à divite. Et licet pecunia ubique habeat eandem æstimabilitatem intrinsecam, non habet eandem extrinsecam. Ex hoc tamen non sequitur, quòd dives, dando pecuniam pauperi pro merce, minus det, quam debeat; quia etiam alius pauper deberet eandem pecuniam dare, si emeret; nam sicut apud divitem est minor extrinsecam æstimatio pecuniæ, ita etiam mercium, adeoque fit sufficienter compensatio.

556. Ob. 3. Jus divitis ad medium florenum est æquè magnum, ac jus pauperis: ergo æquè graviter læditur. Confir. Possit magnum beneficium facere pauperi est bonum notabile divitis: sed hoc habet per medium florenum, quem donare illi potest: ergo hunc auferre diviti est auferre

bonum notabile. Resp. dist. ant. jus divitis est æquè magnum, & æquè ab ipso æstimabile. neg. ant. non æquè ab ipso æstimabile. conc. ant. & neg. conf. Etiam jus ad obolum est æquè magnum, quàm ad centum florenos, qui ex eodem titulo, e. g. hæreditatis possidentur: num etiam auferre obolum erit mortale, sicut auferre centum florenos? Unde injuria non desumenda est tantum ex magnitudine juris, sed etiam ex æstimatione ejusdem, quæ non est eadem, ut dictum *num. Superiori.* Ad confir. neg. ant. universaliter sumptum; nam etiam aliquando effert beneficium magnum respectu pauperrimi donare ei sex crucigeros: num istud est quid magnum respectu ditissimi regis, qui habet aliunde abundantissimè regis, de innumeris vicibus talia beneficia faciat?

557. Ob. 4. Non minus damnum patitur per detractionem is, qui plus habet, vel, ut ita loquar, ditior est in fama bona, quàm alius, qui minus habet, & est pauperior: ergo etiam non minus patitur dives in pecunijs, quàm pauper. Confir. Divites non debent esse peioris conditionis, quàm pauperes: atqui juxta nos essent deterioris conditionis; quia haberent plus periculi, ne ipsis auferretur: ergo. Resp. hoc argumentum probare, minus requiri ad mortale in furto contra divitem commissio; quàm in furto admissio contra pauperem: sicut minor per se materialiter detrahitio potest esse mortalis, si detrahatur homini optimæ famæ, quàm alteri vix ullius famæ: hoc autem est inauditum.

In forma om. ant. neg. conf. non tantum æquale, sed majus patitur damnum (ut omnes naturali instinctu sentimus) is, qui majorem habet famam, quàm alter: cum e contra in bonis fortunæ pauper majus damnum, saltem magis æstimabile, patiatur, quàm dives, si æqualia ipsis auferantur, ut iterum naturæ lumine videtur clarum: & hinc quoad hoc non est par ratio famæ, & bonorum fortunæ, sed est ratio opposita. Ad confir. neg. mi. utique tamen divites quoad multa sunt conditionis multo melioris, tum quia plus in suum victum honestè impendunt; tum quia habent plura media fures arcendi; tum quia finè tanta molestia plura amittere possunt: certè pauperes facillè conditiones divitum amplectentur.

558. Ob. 5. contra 4. conclusionem. Dives victum diurnum facillè aliunde compensat: ergo respectu illius non est quid grave, auferre quantitatem respondentem victui diurno. Confir. hæc regula non est universalis respectu ejusdem etiam classis, hominum; nam non idem infumit unus artifex, quod alter: ergo. Resp. neg. conf. nam, quæ dives aliunde habet, jam considerata sunt tanquam constituenta personam divitem, cujus victus necessarius est laetior, vel pretiosior: & à qua idè potest citra mortale plus surripi; unde non debent ea bis computari. Ad confir. neg. illatum; hæc regula enim comprehendit omnes sub prædicato communi, scilicet necessarii ad victum eorum proportionatum; licet autem

inter individua aliqua differentia sit, etiam in eadem classe, tamen illa non extrahit ista individua extra hoc prædicatum commune; nam si est aliquando differentia in alijs e. g. in divitijs, etiam erit differentia in victu proportionati. Hoc quidem fatendum est quòd hæc regula non determinet pro quovis individuo infimum ut sic victus proportionati, aut materiæ gravis: sed hoc ipsum non videtur posse ab ullo determinari, nec videtur posse ab auctoribus ullis assignari alia regula, simul universalis pro omnibus, & simul magis determinata.

559. Ob. 6. Materiæ graves furti deberent se proportionaliter tantum superare, quantum divitiæ se invicem superant: atqui rex incomparabiliter magis superat divitias civis communis, quàm aureus superet medium florenum: ergo. Resp. neg. ant. nam, cum reges habeant majora onera, frequentiora damna, & expensas, etiam ad conservationem status &c. longè majores, adeoque ratione status pluribus indigeant, non potest exigi, ut ipsi eousque non sint graviter inviti, donec rapiatur summa dicto modo proportionata; aliàs (quod nemo potest admittere) neque mille floreni, regibus ablati, essent peccatum grave. Quis enim dubitet, quòd rex quilibet habeat annuos redditus, plures, quàm duos miliones florenorum? cum interim plures civiles per annum minimè lucrentur mille florenos.

Dices: Ergo etiam ex eo, quòd pluribus divites indigeant, eadem summa, ipsi, & pauperibus, qui minoribus indigent, ablata, erit gravis. Resp. neg. illatum. Ipse status divitum, & plures divitiæ faciunt, ut non ob idem ablatum debeant carere toto suo victu, sicut pauperes: adeoque non tanta ijs inferatur molestia; cum insuper sæpe superflua apud ipsos reperiantur.

560. Ob. 7. Ad victum diurnum, vel sustentationem regis, non sufficit aureus: ergo nostra regula non est universalis. Resp. Nec principes, nec reges, debent per se quotidie epulari splendide, ut dives epulo *Luc. 16. v. 19.* certè Gormaz *de just. n. 722.* putat, se ex Molina *tom. 3. de just. p. 2. tract. 2. disp. 685.* rite inferre, quòd sufficienter etiam regibus undecim Julij, hoc est, quasi duo floreni cum dimidio: ipse autem Gormaz *de just. n. 716.* putat ijs sufficere decem Julios; quia, ut ait, si pauperi sufficit Julius, ipsis sufficit decies tantum: reliqua autem, quæ expenduntur, non ad victum, sed ad abundantiam, & delicias spectant. *La Croix l. 3. p. 1. n. 997.* ait, hoc patere à posteriori; nam, ut ait, sæpe maximi principes, regibus pares, pro suo victu diurno alicui economo (cum quo pepigerunt, vel ut modò barbarè loquuntur, cui admodiarunt mensam suam) non dant pro singulis accumbentibus nisi circiter ducatum (vix credo, quòd tantum dent) & tamen, ut ait rectè hic auctor, talis economus adhuc habet lucrum; hinc addit, regi

regi considerata solà personà suà secundum necessitatem victus, vestitus, & habitacionis, sufficere aureum. Aliam responsionem dat Lugo *de just. disp. 16. sec. 2. n. 29.* quam tamen alij cum Gormaz *de just. n. 697.* impugnant. Mihi sufficit ista.

561. Ob. 8. Multi sunt pauperrimi, etiam aliquando magnates aliqui, quamvis appareant ditissimi: ergo non potest dici, talibus posse plus eripi quàm pauperibus: & requiri respectu talium ad materiam gravem furti florenum integrum. Resp. quid igitur dicent adversarij? num de his poterit præsumi, eos non esse ita rationabiliter invitos circa summam, circa quam invitus est pauper alius? quia ex hoc, tanquam ex accidente volunt adversarij excusare à gravi peccato eum, qui alicui ex magnatibus, vel divitibus auferit medium florenum; cum communi persuasioni repugnet, tam parvam materiam ablatam, esse peccatum mortale, si ditissimo domino auferatur. in forma dist. conf. non potest dici requiri respectu talium plus, si sit rationale dubium, vel noticia de eorum paupertate conc. conf. Si non sit causa dubitandi, præsumitur dominus talis esse, quales communiter sunt homines ejus conditionis, vel qualem se exterius præfert, & à plerisque communiter habetur. Si tales studiosè se divites simulent, sibi impudent, si damnum aliquod per accidens inde patiantur: interim tamen splendida talis paupertas facilius trahet. Nec etiam ex hoc sequitur, quòd is alteri damnum per se inferat, qui ejus divitias manifestat; nam est prorsus per accidens, si quis ei propterea aliquid auferat: sicut vicissim nemo debet proflare suas divitias, ut alter sine mortali plus queat auferre.

ARTICULUS III.

Quid sit tenendum de Furtis Minutis.

562. Furta minuta sunt, quando materia ablata non est gravis: hæc tamen si sæpius repetantur, absque dubio possunt inferre damnum grave: idque potest contingere fermè tripliciter. 1. si unus uni sæpius furetur. 2. si unus furetur multis. 3. si multi uni furentur, ita tamen, ut quisvis accipiat tantum modicum. Quod attinet ad primum, si fur talis, dum uni, & eidem modicum quid rapit, habet intentionem sæpius furandi: & sic successivè auferendi summam gravem, peccat singulis vicibus lethaliter; quamvis enim materia externa sit levis, tamen intentio interna est graviter mala, denominatque actum externum imperatum etiam graviter malum. Id tamen fatendum est, acceptiones singulas illas non esse grave furtum exterius consummatum; unde infertur, quòd, si grave furtum prohibuit esset sub aliqua censura, vel esset casus reservatus, tamen talis fur, qui raperet aliquid leve eum intentione perveniendi ad summam

gravem, non incurreret censuram, aut casum reservatum, antequam materiam gravem abstulisset.

Si autem hanc intentionem fur non habet, tunc, quamdiu non advertit, se materiam gravem successivè abstulisse, non peccat graviter; quia scilicet eum excusat inadvertentia, ut supponimus, inculpabilis. Postea autem, quando advertit, se gravem materiam abstulisse, tenetur ad restitutionem; nam damnavit Innocentius XI. hanc propositionem 38. *Non tenetur quis sub pena peccati mortalis restituere, quod ablatum est per parva furta, quantumcumque sit magna summa totalis.* Nec enim dici potest, Papam tantum damnare propositionem, intellectam pro casu, quo quis habuerit animum successivè graviter damnificandi, & sic lethaliter peccaverit; nam auctores in hoc sensu propositionem illam non asseruerunt, adeoque damnatio fuisset inutilis. de qua re vide plura infra *n. 706. & 720.*

563. At verò si quis advertat, se jam tantum accepisse, ut si de novo modicum quid accipiat, gravem materiam compleat, tenetur novam acceptioem sub gravi omittere, sive adhuc habeat æquivalenter, vel formaliter prius accepta, sive non amplius habeat, ut teste *La Croix l. 3. p. 1. n. 1005.* habet communis cum Molina *tom. 3. de just. p. 2. disp. 688.* Sanchez. *l. 7. in decal. c. 21. n. 5.* & alijs. Ratio est; quia, licet acceptio in se sola sit levis, complet tamen cum alijs gravem læsionem. Nec refert, quòd quis prius accepta non amplius habeat; nam utique non excusabitur à peccato mortali, qui semper modica furatur, eaque statim consumit, si tandem ad summam plurimorum aureorum perveniat. Dein mortaliter peccat, qui sæpius eadem die jejunijs modicum quid comedit, ita ut tandem omnia comesta simul sumpta faciant quantitatem gravem, ut expressè habetur ex propositione 29. damnata ab Alexandro VII. & tamen hic nihil amplius habet de comestis: & pariter etiam mortaliter peccat, qui die festo sæpius per modicum tempus laborat, ita, ut tandem attingat tempus notabile, quanquam inutiliter etiam laboreat: item peccat graviter, qui in recitatione horarum canonicarum hinc inde aliqua omitit, quæ simul gravem materiam faciunt: ergo à pari etiam graviter peccat, qui per plures parvas acceptiones grave damnum infert proximo.

Advertunt tamen *La Croix l. 3. p. 1. n. 1001.* Gormaz *de just. n. 703.* Lugo *de just. disp. 16. sec. 5. n. 40.* excusari talem acceptioem posse à mortali, si accipiens animum habeat statim restituendi; nam non potest dominus per se esse ita invitus ob furtum etiam rei gravis ad modicum tantum tempus, quàm si in perpetuum auferretur. At verò, si quis videat, non posse se restituere, licet vellet (ut sæpe contingit in pauperibus) & tamen furtivè accipiat, talem graviter peccare docent Lugo *disp.*

go disp. 16, sec. 3. n. 45. & La Croix l. 3. p. 1. n. 1006. & apud hunc Sporer, Illung & alij; quia talis liberè consentit in grave damnum proximi, idque liberè complet. vide Lugonem loc. modo cit.

564. Quæri hinc ulterius solet, an qui jam vel simul, vel successivè, rapuit summam gravem, dein ulterius rapiat materiam seorsim levem, an hæc nova acceptio sit novum peccatum mortale toties, quoties repetitur, vel an tantum sit veniale. donec iterum successivè deveniat ad gravem materiam. Molina tom. 3. de just. p. 2. disp. 688. n. 2. docet, non esse novum peccatum lethale, sed tantum leve superadditum; quia talis non dat novum grave damnum, sed jam datum tantum leviter auget.

Econtra Lugo de just. disp. 16. sec. 3. n. 43. & 44. ubi citat Sanchez, & Rebel- lum: item La Croix l. 3. p. 1. n. 1007. (qui iusuper citat Dicastrillum, Amicum, Sporerum, Oviedum) docent quodd, siquidem fur invincibiliter oblitus sit prioris damni dati, leviter tantum hac nova acceptione peccat: at verò si recordetur damni prioris, per se loquendo peccat mortaliter. Ratio est; quia, sicut qui cum advertentia addit ultimam acceptionem ex se levem, sed una cum prioribus constituentem furtum grave, peccat graviter, ut faretur ipse Molina loc. cit. ita etiam peccat graviter qui furto prius gravi, vel materiæ ablatae gravi de novo addit aliam; sicut enim illa acceptio ultima complet damnum grave, ita hæc nova acceptio complet damnum gravius, quod totum est objectum hujus suæ malæ intentionis furandi; aliàs enim etiam dici posset, quod nunquam compleatur materia gravis, sed tantum prior venialiter, & leviter augeatur.

565. Ad hæc fortè Molina, & alij respondebunt, quod is, qui post completam materiam gravem iterum aliquid leve furatur, non committat novum peccatum grave, sed tantum prius commissum leviter augeat; nisi iterum per plures novas parvas acceptiones perveniat ad novam summam gravem; tunc enim iterum committet novum peccatum grave, sicut quando prima vice complevit materiam gravem. Negabunt etiam paritatem inter eum, qui priori materiæ jam completè gravi addit novam levem: & alium, qui pluribus prioribus levibus addit novam levem, & cum ista complet materiam gravem; hic enim advertit, se tandem inferre damnum grave: alter autem non advertit, se de novo inferre damnum grave (quia reverà non inferret) sed tantum advertit, se damnum prius jam factum aliquantulum aggravare.

Nec objectum novæ voluntatis, denuo aliquid leve furandi est totum complexum ex prioribus furtis, & isto novo; quia priora jam ablata non vult iterum furari: sed illa priora sunt tantum objectum cognitionis, qua cognoscit, se prius jam damnum grave intulisse; & à qua tantum non finit se retrahi ab additione novi furci parvi. Neq̄ talis idem facit, ac si totam collectio-

nem omnium præcedentium furtorum iterum admitteret, adeoque par damnum prioris, vel etiam majus faceret; nam hoc non facit ratione intentionis; quia, ut jam dictum, hoc non intendit, nec etiam, ut supponimus delectatur prioribus furtis, vel ea approbat: imò potest optare, & sæpe optat, ut prius nihil abstulisset: multò minus hoc facit re ipsa: ergo nullo modo.

566. Jam verò si quis furta minuta non contra unum, sed contra multos committat, ita, ut quidem materia rapta collectivè sumpta gravis sit, sed nemini seorsim per ea grave damnum illatum sit, queritur, an graviter peccetur. Qua in re omnes quidem admittunt, peccari graviter, si homines, quibus damnum factum est, ad eandem communitatem spectent; at si spectent ad diversas communitates, putat quidam apud La Croix l. 3. p. 1. n. 1013. non committi peccatum mortale: sed planè opposita est multò probabilior, imò ut Voglerus in manuscriptis ait, est certa.

Ratio autem est. 1. Juxta adversam sententiam non esset grave peccatum habere stateram dolosam, & extraneis diversarum communitatum vendere minori pondere, vel mensura minori, quam æquum sit: & tamen Deutron. 25. v. 13. universaliter dicitur: *Non habebis in sacco diversa pondera, majus, & minus: nec erit in domo tua modius major, & minor*... abominatur enim Dominus Deus tuus eum, qui facit hæc. Rursus Proverb. 11. v. 1. *Statera dolosa abominatio est apud Dominum.* 2. Sic posset aliquis ex alieno acquirere ingentes divitias injustè sine obligatione restituendi. modò plurimis ex diversis communitatibus furaretur. 3. Posset homo privatus à transeuntibus innumeris, saltem externis, exigere modicam gabelam unius oboli: quod tamen numeratur inter delicta Bullæ Cœnæ. 4. Licet hic modus furandi per se nulli seorsim graviter oblit, si tamen non esset sub mortali prohibitus, emergent gravissima damna reipublicæ: & passim induceretur usus mensurarum, & staterarum dolosarum, contra bonum universale societatis humanæ: quivis autem debet esse graviter invitatus respectu talium damnorum; unde hic modus furandi debet esse à natura graviter prohibitus.

567. Quodsi jam plures uni furentur, & quidem quilibet tantum aliquid leve, ita tamen, ut omnes simul furentur aliquid grave, e. g. uvas ex vinea in quantitate gravi auferant, tum, si ex conducto, vel inita societate, id faciant, omnes peccant mortaliter; quia quivis est causa moralis totius damni: si autem seorsim quivis agit absque societate, mutuo consilio, aut adhortatione, etiam advertant ab omnibus simul grave damnum causari, videntur non graviter peccare, ut habent Lessius de just. l. 2. c. 12. dub. 9. n. 52. Sotus, Sanchez, Tannerus, Malderus, Salas, & alij plures, quos citat, & sequitur Lugo de just. disp. 16. sec. 3. n. 55. item Bufenbaum l. 3. tr. 5. p. 1.

e. 1. dub. 3. & La Croix l. 3. p. 1. n. 1010. Ratio est. 1. quia in tali casu quivis est tantum causa damni à se illati, quod leve est: nec est causa, quod alij accipiant. 2. quia ex opposito sequeretur, quod semper, aut ferè semper, peccaret quis mortaliter, si diviti aliquid furiperet; quia regulariter alij prius etiam jam rapuerunt quantitates modicas, quæ cum hac ultima facerent summam gravem: quod esset nimis rigidum.

Quodsi autem exemplo mutuo alium seducat, putant quidem Lessius, & alij, non peccari contra justitiam: sed tantum contra charitatem ratione scandali. At Oviedo, Layman, & alij, quos citat, & sequitur La Croix l. 3. p. 1. n. 1009. oppositum censent probabilius: & videtur etiam consentire Lugo de just. disp. 16. sec. 3. n. 59. quamquam simul conjungat exemplum, & consilium, tacitè moventia. Ratio istorum authorum est; quia videtur contra justitiam esse, sine justa causa aliquid ponere, ex quo prævideo læsionem juris alieni; unde implicite, & indirectè censetur, talibus mutuo exemplo se ad faciendum damnum inducentibus, esse voluntaria illa læsio gravis. Dein etiam exemplum tacitè movet, & inducit ad faciendam injuriam, si scilicet tales sint circumstantiæ, ut aliquis meo exemplo moraliter moveri censetur, & ego id advertam: atqui movens, & inducens ad faciendam injuriam, peccat contra justitiam, atque tenetur ad restitutionem, vi propositionis 39. ab Innocentio XI. damnata, quæ sic habet: *Qui alium movet, aut inducit ad inferendam grave damnum tertio, non tenetur ad restitutionem istius damni illati.*

568. Quæres tandem, an eadem quantitas sufficiat ad mortale in pluribus acceptionibus minutis, quæ sufficit in una acceptione se sola gravi. Resp. Si parum temporis intercedat, e. g. tantum unus, aut alter dies, vel fiant acceptiones eadem hebdomade, eadem quantitas sufficit in uno, & altero casu; quia acceptiones censentur fieri eodem moraliter tempore, & esse moraliter idem damnum. ita Cardenas in crisi in propof. ab Innoc. XI. damnat. disert. 23. c. 3. n. 113. La Croix l. 3. p. 1. n. 1012. & alij. Si autem ablationes per mensem, vel dimidium separentur, putat Diana apud La Croix loc. modo cit. eas non uniri. Dicastrillo autem apud eundem ad hoc, ut non uniantur ex ablationes, exigit annum: quod etiam docet Sanchez, addens, idem sensitse viros doctos à se consultos: & potest utique ob longitudinem temporis contingere, ut omnino non coalescant ex acceptiones, e. g. si quis furatus denarium, post viginti annos denuo furetur eidem alium denarium. Sed alij cum Rebello dicunt, tamen adhuc tales ablationes continuari, etiam si quatuor annis separentur (quod La Croix l. 3. p. 1. n. 1011. ait esse probabilis) eoquod maneat damnum datum, & obligatio restituendi, quæ semper augetur per vices.

R. P. Ant. Mayr Theol. Tom. II.

569. Admittunt tamen Cardenas in crisi in propof. ab Innoc. XI. damnat. disert. 23. n. 114. (ubi pro hac sententia sua etiam citat Sanchez, Navarum, Grassis, Rebellum, Lessium, Emanuelem Rodriguez) & La Croix l. 3. p. 1. n. 1011. atque hoc teste omnes, admittunt, inquam, quodd, si fiant interpolationes longi temporis, e. g. anni, requiratur ad mortale duplo plus, quam si una acceptione auferatur totum. Rationem dat Cardenas ex Lessio; quia homines minus ægrè ferunt sibi auferri longo temporis intervallo quædam minima, quam eandem quantitatem simul: scilicet minus sentiuntur ista damna. Illung tr. 4. disp. 3. n. 155. ait, si interpolatio sit valde magna, dimidio plus posse admitti. Et hæc, si uni, eidemque res auferantur.

At verò, si per furta minuta plures lædantur, La Croix l. 3. p. 1. n. 1012. ait, quòd plures sint, qui damnificantur, eo plus requiri ad grave peccatum; quia damnum divisum in plures censetur minus. Idem sentiunt Illung tr. 4. disp. 3. n. 155. Cardenas cit. disert. 23. n. 115. Sanchez, Lessius, Rebellus, & alij. Putat tamen Cardenas, ultimam terminum constituendum esse aureum; & Sanchez eundem statuit respectu civitatis Conimbricæ (intelligunt autem opinor Hispanum) & videtur quoad aureum, quamvis fortè non quoad Hispanum, assentiri Vogler; quia hanc rationem dat, nempe de similibus civitatibus, aut communitatibus discurrendum ferè esse, sicut de principibus. La Croix econtra putat, probabile esse, non attingi mortale, si non attingantur duo aurei, quando furta talia fiunt diversis ex magna, & divite communitate. An autem hic auctor Germanos intelligat, vel Hispanos aureos, cum suam opinionem opponat Hispanis, non sat liquet.

ARTICULUS IV.

Solvuntur Objectiones.

570. **O**B. 1. contra dicta n. 563. Si fur in acceptione ultima minuta, e. g. crucigeri, qua complet materiam gravem, peccat mortaliter, sequitur, quod etiam satisfaciatur obligationi gravi restituendi, si reddat præcisè crucigerum: consequens non potest admitti: ergo. Resp. neg. mi. nam, quando quis facit, ut materia ablata, & recenta, non amplius sit gravis, facit etiam, ut ipse non amplius graviter obligetur ad eam restituendam. ita Lugo de just. disp. 16. sec. 3. n. 41. dicens, sic communiis, & verius sentire auctores: consentit etiam La Croix l. 3. p. 1. n. 1006.

Nec inferas. Ergo datur obligatio gravis ad restituendum crucigerum, qui est materia levis. Resp. enim: non datur obligatio gravis ad restituendum crucigerum seorsim spectatum, sub qua consideratione est materia levis: sed datur obligatio ad eum restit.

restituendum ut complementem gravem summam, quæ retineri non potest, sub qua consideratione est gravis. Alias objectiones, quæ hic fieri possent, itemque explanationem, & confirmationem fusiozem, ex propositione 38. ab Innocentio XI. damnata, vide infra n. 720. & sequentibus.

571. Ob. 2. contra dicta n. 567. Si Petrus fauciatus jam sit vulneribus pluribus, & ita debilis, ut, si leve adhuc vulnus addatur, moriatur, peccas mortaliter, si eileve vulnus infligas: & par est ratio, si eidem jam ferme ebrio, novum haustum ingeras, quo omnino inebrietur: ergo etiam, si Petrus sit jam ita læsus in bonis, ut, si modica læsio accedat, fiat graviter læsus, etiam peccas mortaliter, si levem læsionem, seu furtum addas.

Resp. neg. conf. Disparitas est, quod hoc ultimum vulnus, vel ultimus haustus, non tantum augeat malum illatum, sed sit causa novi effectus gravis, nempe mortis, vel ebrietatis: qui effectus indivisibilis est, nec causatus erat à prioribus, sed nunc causatur ab ultima causa. Unde vulnus istud, vel haustus, licet in se sit aliquid leve, in his tamen circumstantiis est quid valde grave. Econtra furtum leve superadditum, tantum auget malum illatum, nec est causa novi effectus gravis; non enim causat damnum præteritum, jam ab aliis independentem ab hoc ultimo furto causatum: insuper damnus, quod hic, & nunc causatur, divisibile est, neque ullus prudens totum illud ultimo levi furto attribuit, ut tamen attribueret mortem, vel ebrietatem in casu priori ultimo vulnere, vel haustui. vide La Croix. l. 3. p. 1. n. 1010.

572. Ob. 3. Si ex pluribus, etiam à se invicem independentibus, quilibet furetur aliquid minutum, ita tamen, ut omnes simul furentur aliquid grave, quilibet ex furibus concurrat ad damnus grave: ergo peccat graviter, & tenetur ad restitutionem. Resp. dist. ant. quilibet ex furibus in hoc casu concurrat ad damnus grave, tanquam causa physica, vel moralis totius damni, neg. ant. tanquam causa tantum unius partis damni. conc. ant. & neg. conf. Nec obstat, quod quis sciat grave damnus causari, in quod partialiter influit; quia tantum ex se influit in unam partem totius: & per accidens respectu ipsius est, quod alij in alias partes influant. Sic etiam, ut ait La Croix. loc. cit. si milleni donent medium solidum pauperi, licet ipse notabilem summam accipiat, tamen singuli, moraliter, & physice, donant aliquid leve, nec merentur per se plus apud Deum, quam quantum respondet elemosynæ dimidij solidi.

573. Dices 1. Ergo posset contingere, ut quis spoliaretur omnibus suis pecuniis, vel fructibus, e. g. vineæ, sine peccato mortali, & obligatione gravi restituendi: e. g. si haberet minuta omnia, & quilibet ex plurimis furibus raperet aliquid minutum: hoc videretur absurdum: ergo. Resp. ut rectè observat Lugo de justit. disp. 16. sec. 3. n. 59. hic casus rarè, & vix, aut ne vix quidem, est

possibilis; nam vel exemplo, & consilio mutuo, vel societate inita, fures isti jungerentur in commune lucrum: quo casu jam esset quivis moralis causa totius damni. Sitamen omnino id fieret ab iis, qui nulla ratione ab invicem penderent, vel totius damni dati causa essent, respondet Lessius de just. l. 2. c. 12. dub. 9. n. 55. & Sanchez l. 7. in decal. c. 21. n. 22. conc. illatum, & neg. esse absurdum, sicut, ajunt, non esset absurdum, si hoc damnus ab uno, sed per inculpabilem errorem datum fuisset, qui inde ditior factus non esset.

Lugo tamen cit. disp. 16. de justit. sec. 3. n. 59. putat, quod in tali casu, in quo plures concurrerent ad tale damnus simul, apertè, & scienter inferendum, e. g. si casu cista plena nummis (quorum singuli essent materia levis) effunderetur, & ex innumeris concurrentibus quilibet nummum auferret, putat, inquam, quod intalibus circumstantiis per accidens talis ablatio nummi graviter prohibita esset, & singuli graviter peccarent. Et in eandem sententiam etiam inclinat Viva part. 5. curs. Theol. disp. 4. q. 5. n. 9. ubi in exemplum affert ablationem acis, in circumstantiis factoris egentissimi graviter prohibitam.

574. Dices 2. Ergo, si excommunicatio lata esset in eos, qui vastant, vel diripiunt vineas, aut hortos, nullus ex talibus raptoribus incurreret censuram. Resp. om. illatum, supposito, quod tantum venialiter peccaverint; quia communiter saltem supponunt auctores, excommunicationis censuram non ferri contra peccantes tantum leviter, ut habet Gormaz de just. n. 719. in nostro autem casu saltem juxta Lessium, & Sanchez supra citatos, nullus graviter peccaret. Excipe tamen, nisi excommunicatio lata fuisset, non ob damnus illatum, sed ob aliam rationem, & consequenter direptio illa graviter prohibita esset, non ex titulo justitiæ, sed obedientiæ, vel alio; tunc enim talis direptor graviter peccaret: at non contra justitiam, sed contra obedientiam, vel aliam virtutem. Addit Lessius de just. l. 2. c. 12. dub. 9. n. 54. Si in tali casu sub excommunicatione imponeretur restitutio etiam levis exceptionis (quia potest ex justis causis sub excommunicatione præcipi id, ad quod quis alias non tenetur) tunc teneretur talis fur ad restituendum sub gravi ex obedientia: quanquam ibi addat Lessius, sibi videri, non posse restitutionem levem in omni casu imperari sub excommunicatione.

ARTICULUS V.

Quid tenendum de Furtis Domesticorum.

575. **D**omesticorum nomine veniunt ij, qui in eadem domo, sub eodem patre, vel matre familias, versantur: suntque uxor, liberi, propinqui, siqui adsint in domo, & famuli, qui ul-

alij tamen maximè videntur accedere ad externos. Isti, siquid subducant, invito paterfamilias, domum totam gubernante, utique furtum committunt: & quidem pro quantitate gravi etiam grave. Et de filiis quidem, qui tamen videntur minorem, quam alij, injuriam facere, clarè habetur textus Proverb. 28. v. 24. *Qui subtrahit aliquid à patre suo, & à matre, & dicit, hoc non esse peccatum, particeps homicide est.*

Sed rectè La Croix. l. 3. p. 1. n. 1015. advertit, non eodem modo de his omnibus statuendum esse; nam paterfamilias est minus invitus, si uxor, quam si filij, ipso infcio aliquid accipiant: rursus est minus invitus, si filij, quam si propinqui, itemque minus, si isti, quam si famuli, itemque minus est invitus respectu famuli valde diligentis, & valde utilis, quam respectu pigri, & negligentis. Ubi autem minus invitus est, major quantitas requiritur: & hinc Lugo de just. disp. 16. sec. 4. n. 63. ait, certum videri, ad furtum domesticorum, ut sit grave, non sufficere eandem quantitatem, quæ sufficeret ad furtum externorum; eoquod paterfamilias non ita strictè velit, jus suum adversus domesticos retinere, sicut adversus externos: & ut ait idem Lugo, ead. disp. 16. sec. 4. n. 78. domini sciunt, quod attenta fragilitate humana non possint à domesticis, etiam famulis, ita fideliter administrari res domesticæ, ut nunquam aliquid adhæreat manibus contrectantium.

576. Quæ autem quantitas ad gravitatem talis furti requiratur, ut rectè iterum ait Lugo loco modo citato. n. 78. non potest unà certà regulà definiri; cum hæc res ex pluribus particulibus circumstantiis pendeat; unde prudens confessarius debet considerare 1. qualitatem ipsam materiæ, an sint ablata pecuniæ, an esculenta, vel alia hujusmodi: an ad proprium usum, an ad dandum, vel vendendum alijs: an multum simul acceptum, an simul tantum parum, quanquam successivè multum &c. 2. conditionem, vel indolem patrisfamilias: an sit pauper, an dives, an habeat multos liberos, an paucos: an liberalis sit, an parvus: an bene, vel malè affectus erga furem. 3. personam furantis; ut enim diximus supra, minus censetur invitus paterfamilias respectu unius, quam alterius. Ex his dein ferri debet judicium, in ordine ad restituendum, vel non; nam minus invitus est paterfamilias in ordine ad esculenta, quam pecunias: minus etiam ad absumpta, quam vendita: minus si successivè, quam si simul notabilis quantitas subtrahatur.

577. Quidam apud Busenbaum l. 3. tr. 5. c. 1. dub. 4. permittunt uxori, quod possit vigesimam partem reddituum infcio marito expendere in elemosynas: sed rectè Lugo, & alij ajunt, hoc universaliter non esse verum; nam quis dicat, uxorem principis, habentis annuos redditus e. g. centum millia scutorum, posse eo infcio quinque millia expendere in elemosynas?

unde standum est ijs, quæ diximus n. 135. Aliqui etiam quoad filios nimis largè loquuntur: sic Bannez apud Lugonem de just. disp. 16. sec. 4. n. 76. dicit, ad grave furtum filij, qui habet parentem prædivitem, requiri quinquaginta aureos: quod certè universaliter est omnino falsum, nisi fortè sit filius principis divitis. Lessius de just. l. 2. c. 12. n. 76. putat, non statim censendum mortale, si filius parenti prædiviti furetur duos, aut tres aureos: secus verò, si parenti mechanico, vel non diviti: docet tamen n. sequenti, filium, si notabilem summam ex ijs pecunijs, quæ patrens ad honestos usus suppeditavit, e. g. ad vestes, libros &c. in turpes usus impendat, mortaliter peccare; quia illæ pecuniæ non absolutè illi donatæ sunt, nec ad ejus libitum concessæ.

Layman tamen l. 3. sec. 5. tr. 4. c. 120 n. 7. putat cum Navarro, & Molina, quoscitat, patrem, si filio, e. g. in Academiæ studijs, vel principis aula constituto, sumptus mittat, eidem ex centum aureis quinque permittere ad honestas recreationes, vel elemosynas: nec videtur contrarius La Croix. l. 3. p. 1. n. 1032. Sed de hac re certi aliquid vix, aut omnino non, potest determinari; cum non tantum æstimanda res sit ex quantitate ablata, sed ex pluribus circumstantiis alijs, quarum aliquas supra assignavimus.

578. Si autem filius, aut uxor, excessit quantitatem illam, quam absque peccato mortali accipere potuit, tenentur per se sub gravi postea restituere, ille ex castrensibus, vel quasi talibus, ista ex paraphernis: vel, si non habeant talia bona, debent post mortem patris ablata afferre in divisionem hæreditatis, nisi pater, vel tacite, vel expressè ea condonaverit. Addit tamen Lugo de just. disp. 16. sec. 4. n. 77. sæpe filium excusari ab ea restitutione post mortem patris; eo quod alij etiam filij, non minus, vel etiam plus, ex bonis paternis furati fuerint. Et eadem excusatio ferviret etiam uxori respectu aliorum cohæredum. Notat insuper Gobat apud La Croix l. 3. p. 1. n. 1025. non debere omnia, quæ licerent uxoribus, eis semper dici, ne abutantur: sed potius eis suadendum, ut promelliore Concordia faciant omnia, marito conscio, & consentiente.

Jam exigua furta in esculentis, quæ successivè à domesticis committuntur, Lessius l. 2. c. 12. dub. 8. n. 48. non censet esse gravia, etsi sensim ad notabilem quantitatem perveniant: si furentur, ut ipsimet consumant, & non, ut dividant, & quidem ea, quæ non solent accuratè includi; quia, ut ait, domini potius invitati sunt quoad modum, quam quoad rem ipsam. Idem tenet Busenbaum l. 3. tr. 5. c. 1. dub. 4. n. 10. citatque insuper Layman, & Escobar. Idem plures docent apud La Croix l. 3. p. 1. n. 1016. Sed contrarius apud hunc eundem est Sporer; nec enim vult credere, quod, si servus pistoris comedat pro pluri-

bus imperialibus panem similagineum, dominus tantum sit invitus quoad modum, aut si famulus per annum, mediam, ut ait, omam vini è cella bibat. Et utique hac in re etiam servandus est modus, atque ob varias circumstantias res limitandæ.

ARTICULUS VI.

An Occulta Compensatio sit Furtum.

579. **D**ico. Occulta compensatio, servatis certis circumstantiis, & conditionibus, nullatenus est furtum: sed est omnino licita. Hæc est teste Cardinale de Lugo *de just. disp. 16. sec. 5. n. 86.* certa sententia omnium ferme auctorum. Occulta compensatio autem tunc fieri dicitur, quando e. g. Petrus aliquid debet Paulo, e. g. decem florenos, & hic occultè, Petro nescienti clam subtrahit, vel ipsos decem florenos, vel aliquid æquivalens. Ut autem hæc compensatio licitè fiat, concurrere debent sequentes conditiones, quas affert La Croix *l. 3. p. 1. n. 961.*

Primo debet esse debitum strictæ justitiæ, non tantum convenientiæ, vel gratitudinis; nam debet compensans habere strictum jus; id quod auctores communi consensu requirunt, ita, ut La Croix oppositum dicat esse improbabile.

Secundo debet esse debitum, vel jus certum: nec sufficit, tantum probabiliter tibi aliquid deberi, ut, teste La Croix, Cardenas, & Thoma Sanchez, docent omnes; nam in dubio melior est conditio possidentis, nec licet à possessione aliquem deturbare ob rationes tantum probabiles, hoc est, à jure certo ob jus incertum.

Tertio debet esse debitum præsens: aliqui tamen cum Illung *tr. 4. disp. 3. n. 172.* Tannero, Diana, Sporero, admittunt, etiam licere aliquantum prævenire, & compensare id nunc, quod alter debebit e. g. post mensem; quia sic tantum removetur periculum, & indemnem se aliquis reddit; dummodo non nascatur damnum aliud debitori, ex anticipata compensatione; alias enim hoc evitari deberet.

Quarto debet res, quam accipis, esse debitoris; nam non licet, rem alterius accipere apud debitorem depositam, quod facile cederet in damnum tertij: id quod utique debet evitari; hinc etiam caveri debet, ne alius putetur furatus fuisse: quia tamen hoc per accidens est, si sine gravi tuo incommodo vitari non possit, juxta communem potes hoc non obstante compensationem pro tuo debito tibi accipere.

Quinto, ut fiat cum minimo damno debitoris; unde debet, abesse periculum, vel certè caveri, ne tibi, vel tuo hæredi, iterum solvatur: itémque curandum saltem ex charitate, ut alter, putans debitum nondum esse solutum, & nolens solvere, non maneat cum conscientia peccati. Addit ra-

men La Croix *l. 3. p. 1. n. 966.* si damnum debitoris non possis sine gravi incommodo tuo vitare, posse te tamen compensatione uti: si tamen debitor iterum solveret, deberet secunda solutio restitui.

Sexto debet compensatio fieri in eadem specie, ne debitor cogatur ad permutandam rem suam: si tamen res ejusdem speciei accipi nequeat, communis habet, licere etiam accipere rem diversæ speciei.

Septimo (quemadmodum habet Illung *loco modo citato*) non debet præjudicari creditori, habenti majus jus; hinc mortuo debitore non potest quis aliquid de relicta ab eo hereditate subtrahere; si hereditas illa non sufficeret solvendis alijs majus jus habentibus.

Octavo debet res debita non facile posse aliter obtineri. *L. Extat. 13. ff. quod metus causa.* ubi dicitur, vim etiam ille fecisse, qui, quod sibi deberi existimat, non per judicem reposcit, sed propria autoritate sibi accipit. Unde, si possis facile, vel exigendo, vel per judicem, sine magnis difficultatibus, acquirere debitum, non licet occulta compensatione uti. Ait autem La Croix *l. 3. p. 1. n. 965.* tunc non posse te facile debitum obtinere, si deberes per litem, vel publicam potestatem, debitorem cogere cum magnis expensis, vel jactura amicitiae, & gratiæ debitoris tibi multum utilis: atque, sic sentire Tamburinum cum multis alijs. Quod si tamen fur rem tuam habeat, consuetudo probat, posse te eam sine ullo peccato propria autoritate recipere. ita La Croix *l. 3. p. 1. n. 965.* ubi citat etiam Dicastillum.

Suppositis his conditionibus occultam compensationem non esse furtum, sed potius licitum medium obtinendi debita, communissimè admittitur, atque etiam probatur. Naturalis æquitas exigit, ut aliquid moraliter possibile medium, obtinendi sibi debita, sit licitum: atqui stantibus conditionibus supra positis nullum aliud medium obtinendi debita est moraliter possibile, quam occulta compensatio, ut consideranti patebit: ergo hæc debet esse licita. Certè sine hac plurimi deberent pati jacturam suorum debitorum, etiam sæpe maximorum; eoquod sæpissimè debitores nec sponte solvant, nec ad solvendum possint adstringi: & præsertim non possunt adstringi sine expensis ferè majoribus, quam sint ipsa debita, vel jactura alia majoris ferè boni. Confir. Creditor in tali casu accipit rem æquivalenter suam: ergo debitor non potest esse rationabiliter invitatus quoad substantiam acceptionis: sed neque potest esse rationabiliter invitatus quoad modum; quia hunc excusat necessitas, & impotentia acquirendi alià vià id, quod sibi strictè debitum est: ergo.

580. Huc spectat questio, an famuli possint uti occulta compensatione, quando salarii minus solvitur, quam dignus sit eorum labor: ad quam dissolvendam præmittit, ab Innocent. XI. damnatam esse

hanc propositionem 37. *Famuli, & famule domestica, possunt occultè heris suis surripere, ad compensandam operam suam, quam majorem judicant salarii, quod recipiunt.* Quæ damnatio non ferit docentes, posse famulos uti occulta compensatione in casu evidentis injustitiæ, quando ipsis e. g. non solvitur promissum salarii, idque aliter obtinere non possunt; nam sicut in tali casu habent jus evidens contra dominum, ita, si aliter non possunt illius compensationem acquirere, possunt eam ut alij creditores, occultè facere: uno verbo: quando omnes condiciones adsunt, quas supra requisivimus, non minus famulis, quam alijs, licita est occulta compensatio: si autem non adsint, non est licita.

581. Uade proposito damnata voluit, quòd famuli, quando judicant, mercedem minore esse suo labore, possint excessum, quem sibi debitum imaginantur, surripere: quod est falsum, & damnatum; quia non licet, aliquem statim decedere à possessione bonorum suorum, ex eo, quòd habeantur contra ipsum rationes probabiles; prævalet enim jus certum possidentis, quod habet dominus, juri tantum probabilis servi. videatur Cardenas *in crisi in propof. ab Innocent. XI. damnat. dissert. 23. c. 2. a. 1. & seq. ubi n. 59.* docet, neque iustificare, si tantum famulus judicet, sibi evidenter injuriam fieri; eoquòd, ut ait, amor sui sæpe decipiat homines, & credere faciat evidens, quòd est tantum probabile. Addit ulterius, requiri hæc in re judicium confessarij, non tantum mediocriter docti, sed valde docti; quia multæ circumstantiæ sunt ponderandæ, ut possit certò concludi, injuriam esse factam.

Adducit autem *n. 65.* maximè hæc consideranda 1. stipendium non debet esse commensuratum sustentationi integræ familiæ, quam fortè habet famulus: sed labori, & industriæ ipsius. 2. etsi stipendium videatur famulo tenue, tamen justum est, si fiat alijs, qui pro eodem servirent. 3. sicut merces ultroneè vilescunt, ita, cum famulus rogat herum, ut conducatur, justa erit conventio pro minori pretio. 4. si autem invitatus famulus servire debeat pro minori pretio, ita, ut totum salarii nec infimum laboris pretium attingat, erit manifesta injuria. 5. talis etiam injuria fiet famulo, si herus eum solvat rebus alijs, quam circa quas est contractum, & quibus famulus non eget, sed eas debet necessariò vendere pretio minori. 6. denique si famulus in ipsa conventionne condonet hero partem stipendij, non potest dicere, sibi factam esse injuriam. Ex quo infert La Croix *l. 3. p. 1. n. 975.* si servus paupertate pressus pacificè pro inæquali stipendio, cedere eum per contractum jure suo, & cum nulla domini culpa interveniat, debere stare contractu. Addendum (quod superius jam dixerat Cardenas *cod. n. 65.*) quòd, sicut pretium mercium, ita & famulatus, & obsequiorum, sit summum, medium, & infimum: men-

sura autem desumi debeat ex lege, vel sæpius ex consuetudine. videatur ipse Cardenas *loc. cit.* item La Croix *l. 3. p. 1. n. 971.* ac Lugo *de just. disp. 16. sec. 4.*

582. Per famulos autem (ut rectè Cardenas ait *cit. dissert. 23. n. 53.*) intelliguntur omnes, qui præstant obsequia, aut obeunt officia ob salarii: & de his omnibus intelligenda est damnatio Pontificia; ratio enim damnationis omnes complectitur; nam vult Pontifex compescere furta respectu eorum, à quibus salarii accipiuntur, & declarare, quòd non sufficiat ad occultam compensationem, existimare, se non habere sufficiens salarii: quæ ratio omnes complectitur: cumque lex pœnalis extendatur etiam ad similes casus, ubi est identitas rationis, expressa in lege, ut docent plures apud eundem Cardenas *cod. dissert. 23. n. 57.* non est, cur alij, e. g. vectigalium administratores, præfecti, judices, excipiantur à damnatione Pontificia: adeoque de his propositio, non minus, ac de alijs, strictiore in sensu famulis, debet intelligi; præsertim cum ratio naturalis, scilicet, quòd prævalet jus certum juri tantum probabili, antecederet ad omnem Pontificis damnationem, jam omnes homines apertè comprehendat.

583. Ob. 1. Dominus, cui aliquid per occultam compensationem eripitur, inauditus damnatur: hoc est injustum: ergo. Confir. 1. Occultè sibi compensans esset in propria causa judex: sed hoc est prohibitum *L. unica. Cod. ne quis in sua causa:* ergo. Confir. 2. Occultè compensans saltem determinat sibi ipsi æqualitatem: hoc autem non est ipsi permittum: ergo. Resp. diff: ma. dominus inauditus damnatur, quando certum est, eum esse reum, & in judicium trahi, non nisi difficillimè potest. conc. ma. secus. neg. ma. & dist. sic mi. neg. conf. Eadem responsio servit ad 1. confir. quia scilicet debitor ad alium judicem trahi non potest, & debitum est manifestum. Idem dicendum ad 2. confir. neque enim est difficile, determinare æqualitatem, si manifestum est, quantum debeatur. Si tamen compensans velit ex justa causa in alia specie compensationem facere, debet utique, vel ex propria notitia, vel ex aliena, pretium rerum justum prius rescire, ne plus rapiat, quam ipsi debeatur.

584. Ob. 2. Si licet occultam compensationem facere circa objectum justitiæ commutativæ, licebit etiam circa objectum justitiæ vindicativæ: ergo licebit propria auctoritate ulcisci injurias. prob. ant. sicut dato obsequio, & non soluto pretio, datur inæqualitas juris, ita etiam illatà injurià, & nondum posita satisfactio: ergo. Confir. In foro externo nunquam approbatur occultam compensatio: ergo nec est approbanda in foro interno. prob. conf. forum internum se debet conformare externo, nisi consistet de præsumptione falsi, aut ignorantia: ergo. Resp. neg. ant. ad prob. conc. ant. neg. conf. Disparitas est; quia justitia vindic-

vindicativa spectat ad solum superiorem, non autem commutativa; unde injuriam jam factam non licet privato ulcisci. Aliud est, quod contra injuriam nondum factam possit quis se munire, si superior non possit, aut non velit, eam impedire. Ad confir. dist. ant. occulta compensatio nunquam approbaretur in foro externo, si sciretur adesse omnes condiciones, à nobis requisitas. neg. ant. si hoc non sciretur, & consequenter præsumeretur compensatio facta sine justo titulo. conc. ant. & neg. conf. ad prob. om. vel conc. ant. neg. conf. quia, si in nostro casu non approbaretur in foro externo occulta compensatio, ageretur ex præsumptione falsi; cum forum externum præsumeret, non adesse condiciones à nobis requisitas.

585. Ob. 3. contra dicta n. 580. Saltem quando famulus aliquid ex mutuo accepto deberet domino suo, posset ex eo retinere tantum, quantum sibi videtur plus valere labor suus, quam salariam: ergo. prob. ant. in tali casu servus nihil surriperet, sed tantum retineret; dein non dominus, sed servus esset in possessione: ergo. Resp. cum Cardenas in crisi in propof. ab Innoc. XI. damnat. dissert. 23. n. 71. & La Croix. l. 3. p. 1. n. 972. neg. ant. ad prob. dist. 1. p. ant. servus nihil surriperet formaliter. conc. ant. æquivalenter. neg. ant. & conf. Pontifex in sua damnatione non attendit tantum ad formalem surreptionem, nec nostræ rationes tantum istam excludunt; quia alias, si servus accepisset pecunias, ut in utilitatem domini expenderet, posset eas æquè retinere. Pariter dist. 2. partem antec. non dominus, sed servus esset in possessione, quæ hic consideratur. neg. ant. in possessione, quæ hic non consideratur, nec venit ad rem. conc. ant. & neg. conf.

Noto 1. duplicem dari in hoc casu possessionem: unam pecuniæ in servo, alteram debiti in domino. Noto 2. possessionem rei non juvare in dubio, nisi dubium sit de ipsa re, quam possides, cujus sit; ut enim rectè advertit Lugo de just. disp. 18. sec. 1. n. 10. licet possideas adhuc pecuniam, dubites autem, an votum certò emissum de offerenda pecunia impleveris, ex communi teneris votum solvere; quia hic non dubitatur immediate de pecunia, sed de adimplerione voti: cumque votum sit certum, ejus autem impletio dubia, vincitur jus dubium à certo. Idem ait Lugo contingere in casu debiti certi, & dubiæ solutionis.

Jam etiam in nostro casu, non est dubium, cujus sit pecunia; nam per mutuum ejus dominium est certò translatum in servum: sed est dubium, an servus sufficienter solverit per sua obsequia debitum mutui accepti: in quo casu jus domini, antecedens ad omne dubium, est certum: jus famuli tantum est dubium: & consequenter possessio juris certi stat penes dominum, quod non eliditur per jus tantum probabile servi: possessio autem pecuniæ non venit ad rem (sicut in eo, qui certò scit, se vovisse, & dubitat, an votum impleverit, non venit ad

rem possessio e. g. pecuniæ, quam vovit) sed ad rem venit possessio juris certi ad exigendum debitum ratione mutui: quæ possessio est penes dominum.

586. Objicit 4. Lugo de just. disp. 16. sec. 5. n. 95. aliqua contra 2. conditionem n. 579. allatam, non quod contrarius sit, sed eruditionis potius gratiâ, quæ vide soluta ab eodem, & à La Croix. l. 3. p. 1. n. 962. Ad id tamen, quod fortè præcipue objici potest, scilicet licitum esse sequi sententiam probabilem, aut saltem probabiliorem, quamvis non certam, Resp. id tantum esse licitum tunc, quando probabilitas major versatur immediate circa licentiam actionis, ut explicatum est n. 384. sive, quando sententia est probabilis, vel probabilior, non tantum remotè, sed proxime de ipsa licentia actionis: non autem est proxime probabile, multò minùs est proxime probabilius, quòd talis famulus, qui putat, laborem suum esse majorem mercede, possit sibi occultam compensationem facere, aut, quòd propter jus dubium possit alter à certa possessione deijci.

Hinc, quando auctores quidam, qui requirunt certum jus ad compensationem faciendam, tamen dein videntur eam admittere in casu, ubi jus habetur tantum probabile, La Croix eos excusat, dicendo, illis visum esse jus certum, quod alijs visum est tantum probabile. Notat tamen idem cum Rebello, & Dicastillo, requiri, non certitudinem infallibilem, sed talem, ut viri prudentes non dubitent. Hinc rursus idem La Croix. cit. n. 962. negat 1. legatarium posse occultam uti compensationem, si hæres nolit solvere legatum; eoque testamentum sit nullum. Negat 2. posse occultè sibi compensare eum, qui à judice compulsus est solvere damnum, quod ab animali suo absque sua culpa Theologica datum est. Negat 3. læsum per detractionem posse in compensationem famæ occultè pecuniam surripere; quia in his casibus jus volentis uti compensationem est tantum probabile.

587. Dices. Sæpè tamen debito certo satisfit per solutionem dubiam: ergo ratio nostra non est firma. ant. prob. 1. certum est, requiri attentionem ad recitationem Breviarij, & tamen, qui prudenter, quamvis non certò judicat, se eam adhibuisse, non debet denuo illud recitare. 2. est certa lex obligans ad eliciendos actus fidei, spei, & charitatis, & tamen potest esse quietus in conscientia, qui prudenter, quamvis non certò, judicat, eos à se fuisse elicitos: ergo. Confir. Sæpè ob probabilem præsumptionem de consensu alterius licitè rem ejus destruo: ergo etiam surripio. Resp. dist. ant. satisfit debito certo per dubiam solutionem, si creditor contentus sit solutione probabilis, vel dubia. conc. ant. secus. neg. ant. & conf. ad prob. conc. ant. neg. conf. & ad primum casum dico, quòd, cum alias homines conjicerentur in infinitos scrupulos, & angustias, ratione distractionis, nunquam omnino evitabilem, bo-

nus DEUS contentus sit, si prudenter judicare possimus, nos attentionem sufficientem adhibuisse. Ad secundum verò dico, cum de actibus illis supernaturalibus certitudinem habere non possimus, utique DEUS contentus est, si prudenter judicare possimus, eam legem à nobis fuisse impletam.

Ad confir. om. ant. neg. conseq. si applicetur nostro casui. In casu antecedentis debeo prudenter præsumere posse, destructionem rei domino non displicere, eumque consentire: ad quam prudenter præsumptionem non sufficit semper probabilitas; nam e. g. si absque alia causa tantum in meum commodum rem volo destruere, e. g. aliquid comedere, debeo moralem certitudinem habere, dominum non esse invitum; hæc enim certitudo requiritur ad licentiam præsumptam. Si autem accedat aliqua causa, e. g. quia dubitatur, quid hic, & nunc, dominus faceret, si adesset, & tamen consili non potest: debeo prudenter posse cogitare, dominum, hic, & nunc, potius velle destructionem, vel hanc ei utiliorem esse; quia tunc reflexè sum certus, eum velle, ut id fiat, quod ipse videtur pensatis circumstantiis facturus fuisse, vel certè ei utilius futurum est.

ARTICULUS VII.

Quid teneatur restituere Bonæ Fidei Possessor.

588. Dico 1. Qui rem alienam etiam bona fide (multò magis, si mala) detinet, tenetur illam reddere domino suo, quamprimum advertit, non esse suam. ita omnes Theologi: constatque etiam ex jure civili, in quo passim conceditur domino vindicatio rei suæ, ubicunque fuerit: & ratio est; quia, ut supra diximus, res clamat post dominum, & manet semper devincta suo domino: atque adeò cum hoc onere, vel, si malis dicere, vicio, transit ad quemcunque possessorem: sive dein res accepta sit titulo gratuito, sive oneroso, etiam si e. g. emptor debeat incurrrere jacturam pretij, pro re furtiva expensis; nec enim licet avertere damnum suum cum injuria alterius. Et quidem hæc intelligi debent de restitutione faciendâ ante sententiam judicis; nec enim licet, rem alienam, cognitam qua talem, retinere, usque dum judex jubeat eam reddi, ut est per se clarum. Nec refert, an dominus sciat, an nesciat rem esse suam; quia res ipsa, & cognitio alieni juris sufficienter monet, & obligat.

589. Dico 2. Si res ipsa non amplius in se formaliter habetur à possessore, sed est alienata, per venditionem, permutationem &c. tenetur possessor bonæ fidei reddere, quantum factus est ditior (quid sit fieri ditio rem vide n. 514.) ita commu-

nis, & habetur L. Sed est. 25. §. 11. ff. de petit. hered. Ratio etiam est; quia pretium, vel utilitas quæcumque, adhuc existens ex permutatione, vel venditione rei est æquivalenter ipsa res; unde cum non possit restitui id, quod est res ipsa formaliter, debet restitui, quod est res æquivalenter; quia debet restitui, quantum potest: quod traditur etiam L. 14. ff. de conditione indebiti. ubi sic habetur: Nam hoc natura æquum est, neminem cum alterius detrimento fieri locupletiores: quod saltem verum est, si non aliunde constet, quòd legitima potestas justis de causis, dominum aliquando transfulerit. Hucusque dicta intelligi debent de re ipsa; nam quid dicendum de fructibus rei, postea decidemus.

590. Dico 3. Si possessor bonæ fidei rem alienam ita consumpsit, ut non sit factus ditior, ad nullam restitutionem tenetur: ita omnes: & videtur desumi ex L. 20. §. Prater hæc. ff. de petit. hered., ubi dicitur, eos, qui ex hereditate, quam bona fide possederant, aliquid distraxissent, non esse cogendos ad restitutionem, nisi quatenus locupletiores facti essent. Nec est ulla ratio, aut lex, ex qua colligi possit, hanc legem esse tantum exceptionem, ita, ut quidem nil restituendum sit in casu hereditatis, restituendum tamen sit in alijs casibus, imò ratio universalis etiam militat pro alijs casibus; nam, ut probavimus n. 514. duæ sunt radices restitutionis: scilicet res accepta, & injusta acceptio: atqui in hoc casu non datur amplius res accepta, nec formaliter, nec æquivalenter; quia est omnino consumpta: nec fuit injusta acceptio, quia data est bona fides. Quod si dicas, ex contractu talem teneri, certè non tenetur ex eo domino rei, cum quo non contraxit, sed ad summum emptori, si cui rem vendidit, & dominus rem suam ab eo vindicavit: qui casus est longè alius. Ex his

591. Inferitur 1. Si dominus vindicet rem suam, non tenetur ei, qui rem illam à fure, vel non domino emerat, restituere pretium; quia dominus non debet emere rem suam L. Sua rei. 16. ff. de contrahenda emptione. nisi emptor nomine domini, tanquam utilis negotiorum gestor, emisset, de qua re n. 524. eginus. 2. Si postceptam bona fide possessionem innotescat tibi, rem esse alienam, & tu tamen eam non restituas, data prima occasione, teneris postea restituere, quamvis interim consumas, ita, ut non ditior fias, vel res tibi inutiliter pereat; quia desiisti esse possessor bonæ fidei, & teneris ratione injustæ acceptationis, vel retentionis, ut infra dicitur.

Inferitur 3. Si res pereat durante bona fide, sive fortuito, sive etiam ex aliqua negligentia possessoris, non datur obligatio restituendi; quia ex nullo fundamento ea potest inferri; nec enim tenetur quis ex justitia, rem ideo magis custodire, ne fortè sit alterius. 4. Etiam non tenetur restituere possessor bonæ fidei, si rem malè, & pec-

cando, e. g. effundendo in meretrices, absumptis, modo non sit inde factus ditor; eoquod pepercerit alijs suis rebus, quas alias donasset; quia per alia crimina, quæ non sunt contra jus domini, non tollitur bona fides, ad possessionem requisita; unde non tenetur talis ad plus, quam alius bonæ fidei possessor.

592. Ob. Si debet bonæ fidei possessor restituere, quantum factus est ditor, debet etiam restituere is, qui in aliena domo comedit cibos furtivos, & sic pepercit suis cibis: sed talis non videtur debere restituere: ergo. prob. mi. si taliter comedens debet restituere, debet etiam restituere is, qui in aliena domo se calefacit ad ignem, ex lignis furtivis excitatum, vel naribus haurit odorem ex suffitu furtivo, si sic parcat suis lignis, vel odoribus: hoc autem est nimium; ergo. Hanc objectionem avertit Cardinalis de Lugo de just. disp. 2. sec. 3. n. 51. in ordine ad aliud intentum. Resp. conc. ma. neg. mi. ad prob. neg. ma. Disparitas est; quia calefaciens se, si non sit causa accensu ignis, sed tantum ad jam alia de causa accensum accedat, in communi æstimatione non censetur ipse ligna consumere, sed tantum per accidens, & passivè se habere: & idem dicendum est de odore attracto. At verò talis conviva in communi æstimatione non se habet per accidens ad consumendos cibos: nec præter, sed ex intentione eos assumit, & positivè deglutit: & quamvis bibat in sanitatem alterius, etiam hospitibus, tamen potus cedit potius in utilitatem bibentis.

ARTICULUS VIII.

Quos Fructus teneatur restituere Bonæ Fidei Possessor.

593. **G**eneratim Fructus dicuntur ea, quæ nascuntur mediatè, vel immediatè ex terra, aut videntur ab animalibus: communiter autem à Theologis assignantur triplices, scilicet *merè naturales*, *merè industriales*, & *mixti*: quamvis isti quoque à Juristis, vel etiam alijs, dicantur *industriales*. Primi, seu *merè naturales* sunt, quos natura gignit, nullà, aut minimà adhibita hominum industria, ut poma, gramina &c. *Merè industriales* sunt, qui quidem ex re aliqua, sed tamen potissimum ratione adhibitæ industriæ, & curæ, proveniunt, ut si quis alieno instrumento elaborat statuam, vel penicillo pingat imaginem. *Mixti* sunt, qui nascuntur quidem ex re, sed tamen non sine magna hominis industria, ut sunt segetes, vinum &c. circa quæ colenda ferè æquè operatur industria, ac natura. Addunt hic Juristæ etiam quartam speciem, scilicet *fructus civiles*, hoc est, qui proveniunt ex re propter alterius obligationem: & huc spectant usuræ, pensiones, mercedes, salaria, luca ex negotiatione &c. quæ, licet

fructus propriè non sint, ut habetur L. 127. ff. de verb. significat. tamen vim fructuum obtinent, ex L. 34. ff. de usuris. & L. 36. eodem. Revocantur autem isti à Theologis vel ad mixtos, vel ad industriales, prout scilicet vel corpus rei multum confert, vel industria potissimum operatur.

594. Fructus alij dicuntur *pendentes*; hoc est, nondum collecti, sed adhuc corpori fructificanti adherentes, e. g. segetes nondum demessa, poma ex arbore pendula, fœtus in utero animalium: alij *separati*; hoc est, non amplius adherentes solo, vel corpori, e. g. segetes messæ, vel jam in horreum invecatæ: alij *percepti*, qui scilicet jam separati sunt, quamvis, ut La Croix l. 3. p. 2. n. 207. dicit, foris adhuc jaceant, ubi creverunt: & in ordine ad hanc quæstionem (an eos scilicet bonæ fidei possessor acquirat) ita sumuntur ex L. Qui scit. 25. ff. de usuris. ubi dicitur, ad possessorem bonæ fidei fructus pertinere, si quoquo modo à solo separati fuerint; item ex varijs iurisbus citatis à Sanchez l. 2. oper. moral. in decalog. c. 23. n. 61.

Alterius, alij fructus dicuntur *percipiendi*, qui scilicet percepti non sunt, sed percipi potuerunt, aut potuissent: alij *extantes formaliter*, qui scilicet adhuc formaliter adsunt, & nec alienati, nec consumpti sunt: alij *extantes æquivalenter*, qui quidem non amplius adsunt in seipsis formaliter, sed tamen adsunt in aliquo æquivalenti, e. g. in pretio, quo venditi sunt: alij *consumpti*, qui non amplius adsunt (de quare plura inferius à n. 611.) & quidem alij dicuntur percepti, aut consumpti, antelitis contestationem, alij post eam contestationem: quæ notanda sunt propter infra dicenda.

Addenda hic *melioramenta*, quorum alia sunt *intrinsicca*, alia *extrinsicca*: illa sunt, quæ quasi transeunt in rem, quam meliorem efficiunt, ut stercoratio, implantatio &c. ista, quæ removeri possunt, salvo solo, aut corpore, ut domuncula mobilis, janua. Priora, ut dictum n. 268. & 269. ratione ædificationis, aut plantationis, accedunt domino soli, non autem alia. His positis.

595. Dico 1. Fructus merè industriales non tantum bonæ, sed etiam malæ fidei possessor, pleno jure facit suos, ita, ut nihil teneatur pro iis restituere, quamvis adhuc existent, & ipse ditor factus sit. ita communis, Probatur. Sicut fructus rei, ita fructus industriæ sequuntur industriam: ergo, quia industria fuit possessoris, etiam ejusdem erunt fructus. Confr. Insuper habetur, qui ideo, quod alius suo calamo elegantissimam scripturam fecerit, aut alius suo penicillo pretiosam imaginem pinxerit, vellet sibi eam scripturam, aut imaginem vindicare; ad summum enim datur obligatio solvendi domino valore usûs calami, vel penicilli: vel compensandi damnum, si quod interea dominus passus fuisset ob defectum penicilli, quo

Quos Fructus teneatur restituere Bonæ Fidei Possessor.

possessor mala fide usus est. Quando autem quidam Jurista apud Haunoldum tom. 1. de just. tr. 3. c. 3. n. 264. oppositum videntur dicere, revera oppositi non sunt, ut idem auctor advertit; quia non in eodem sensu loquuntur; nam Jurista vocant fructus industriales, quos Theologi appellant mixtos.

596. Dico 2. Fructus necdum percepti, seu à solo necdum separati (e. g. segetes agro adhuc adherentes, poma ex arbore pendencia, fœtus necdum geniti) sive naturales, sive mixti sunt, ad dominum rei fructiferæ pertinent, & una cum re ipsa vindicantur. ita communis. Probatur. Tales fructus censentur pars rei fructiferæ; sic enim sonat L. Fructus pendentes. 44. ff. de rei vindicatione. Fructus pendentes pars fundi videntur: ergo, cum debeat restitui integra res, debent etiam restitui fructus, qui pars ejus sunt. Idem prob. ex L. Julianus. 13. §. 10. Si fructibus. ff. de actionibus empti. ubi dicitur: Si fructibus jam maturis ager distractus sit, etiam fructus emptori cedere, nisi aliter convenit, exploratum est. Tenetur tamen dominus possessori bonæ fidei expensas utiliter factas, & æstimationem laboris solvere L. 11. Cod. de rei vind.

597. Dico 3. Bonæ fidei possessor, antequam legitimè præscribat, debet omnes fructus formaliter extantes, tam naturales, quam mixtos, restituere domino, subductis tamen expensis, & æstimatione laboris. ita Haunoldus tom. 1. de just. tr. 3. c. 3. n. 268. & Layman l. 3. sec. 5. de just. tract. 2. c. 3. n. 5. & plures ab eo citati: Estque communis teste La Croix l. 3. p. 2. n. 210. & 213. nec dissentiat Jurista. Probatur. L. Certum. 22. Cod. de rei vindicatione. sic habet: Certum est, mala fidei possessores omnes fructus solvere cum ipsa re præstare: bona fidei verò extantes: post litis autem contestationem universos: ergo etiam bonæ fidei possessor debet fructus extantes restituere. Confirm. ratione, quam assignat Layman loc. cit. Res quælibet domino suo fructificat: nec debet aliquis locupletari cum alterius injuria: quod fieret, nisi fructus extantes redderentur; cum nullo jure absolute transferatur in possessorem dominium eorum stabile: ergo

598. Dico 4. Possessor bonæ fidei ante legitimam prescriptionem probabilis restituere debet fructus tam naturales, quam mixtos, etiam æquivalenter extantes, seu in quantum ex eorum usû, venditione &c. factus est ditor, deductis tamen expensis, & æstimatione laboris. Suppono autem, conclusionem hanc agitari secundum jus commune; nam si e. g. jus Bavaricum (ut de eo testatur Haunoldus) vel aliud provinciale, aut municipale, aliquid aliud alicubi statuit, nos ei nihil opponimus. Dein dico, ante legitimam prescriptionem; quia, cum fructus sint res mobilis, citius possunt præscribi, quam fundus: & Sanchez in decal. l. 2. c. 23. n. 92. citans plures, ait, fructus

etiam consumptos triennio præscribi; quia, ut ait, succedit actio personalis, seu conditio rei vindicationi; unde, sicut contra hanc, ita etiam contra illam triennio præscribitur; cum debeat conditio imitari naturam vindicationis, ne major sit domini utilitas, re non amplius formaliter, sed tantum æquivalenter extante, quam si adhuc formaliter extet.

Alij tamen apud eundem Sanchez cap. cit. n. 91. negant, fructus consumptos ante triginta annos præscribi; eoquod conditio non citius præscribitur, & triennialis præscriptio exigat possessionem, quæ hic non datur: quæ tamen ratio tantum aliquid probaret, si fructus omnino essent consumpti, e. g. triticum in panes conversum, & absumptum. Si enim tantum venditi essent fructus, & revera apud alium extarent, e. g. triticum in granario emptoris servaretur, daretur adhuc possessio: & licet primus possessor non complevisset prescriptionem, implevisset tamen eam posteriores: sicut si pecunia bona fide possessa expenditur, & sic plures intra triennium dominos acquirunt, semper possidentur: & cum omnes tales bonæ fidei possessores possint uti accessione temporis, tandem præscriptio completur, sicut completur præscriptio agri, quem intra decem annos plures bona fide emerunt, aut vendiderunt, vel aliter possederunt.

Quidquid tamen de hoc sit, saltem fructus formaliter adhuc extantes certò citius præscribuntur, quam fundus. Unde, quamvis in aliquo casu debeat restitui fundus necdum præscriptus, non sequitur, etiam debere restitui fructus citius præscriptos: sicut econtra, ut habet Sanchez cum alijs à se citatis eodem l. 2. c. 23. n. 95. possunt aliquando fructus accessorii citius præscribi, e. g. si annus decimus est elapsus, & fundus præscriptus, eo ipso etiam præscripti sunt fructus illius anni: sumiturque hoc etiam ex L. Eos. 26. Cod. de usuris.

599. Conclusio hæc nostra est ita communis inter Theologos, ut ante Haunoldum, (qui dicit, se miratum fuisse, quòd Theologi tam pertinaciter nostram sententiam fuerint amplexi) nullus sententiam oppositam absolute tenuerit; licet enim Palao in eam inclinasse dicat; tamen ait, nostram, utpote communior, & juri naturali conformiorem esse tenendam. Alij, licet oppositam probabilem asserant, tamen nostram ut probabiliorem defendunt, adeo, ut Illung, licet Haunoldi discipulus, & sententiæ Magistris hæres tr. 4. disp. 3. q. 1. art. 8. n. 50. dicat, Theologos constanter, & unanimiter, nostram sententiam defendere. Ininger, nisi fallor, discipulus Illungi fateatur esse communissimam. P. Paulus Zetl, qui in suo Clerico curato p. 3. instruct. 5. n. 20. etiam oppositam amplectitur, tamen pro se alios, quam hos paucos, ex Theologis impios adducere non potuit. Quod autem n. 30. dicit, nempe se sententiam nobis contrariam amplecti; eoquod audiverit, eam à pluribus

judicibus in praxi observari, nil contra nos probat; nam praxis Bavaricæ, in qua hic author scripsit, potest esse conformis juri hujus provincie, de quo (ut *num. præced.* diximus) hic non agimus. Et hi quatuor soli ex impressis Theologis, saltem, quantum mihi constare potuit, oppositum tenent: quos quidam recentiores in manuscriptis sequuntur, dum tamen alij recentiores adhuc nostræ opinioni constanter inhærent, ut Voglerus, & La Croix *l. 3. p. 2. n. 211.*

Ex Jurisperitis quidem multi oppositum defendunt, sed à nobis stant etiam valde multi, quorum, & quidem gravissimorum auctorum catalogum longum exhibet Sanchez *l. 2. in decal. c. 23. n. 77.* & Covarruvias *var. resol. l. 1. c. 3. n. 6.* ubi plures citat, & dicit, Alciatum scribere, hanc esse communem: tandem ipsemet, licet ab initio videatur contrarius, tamen etiam consentit, ut ait, liberet ex ea ratione, quod videat, omnia jura pro adversariis adducta debere intelligi, nisi quis factus sit ditor. Idem sentit Joannes Christophorus Schambogen celeberrimus per 30. circiter annos in Universitate Pragensi professor, quo tempore ultra decem millia discipulorum ad eum audiendum accurrerunt.

600. Probat autem conclusio primo hæc ipsa communissima, & gravissima doctissimorum virorum autoritate, qui post examinatas etiam accuratè (ut patet ex tot citatis legibus &c.) leges civiles, tamen in hanc sententiam tam constanter convenerunt. Secundo, ut rectè ajunt Dicastillo, La Croix, Vogler, & alij, quando leges positivæ sunt dubiæ, standum potius est jure naturali certo: sed jus naturale de restituendis his fructibus, antecedenter ad leges positivas, est certum, ut fatentur adversarij ipsi, & habetur ex *L. 14. ff. de conditione indebiti*, quæ sic habet: *Nam hoc naturâ æquum est, neminem cum alterius detrimento fieri locupletiorum: & leges positivæ sunt dubiæ; nam planè dubium est, an aliquid aliud circa hanc rem disposuerint: ergo.*

Major est admittenda ab ipsis adversariis, qui sæpe dicunt, jus dubium debere assurgere juri certo. mi. quoad 2. partem, seu quod leges positivæ sint dubiæ, probatur, tum ex eo, quod difficulter possit capi, quod tot præstantissimi viri tam constanter tanquam sententiam probabiliorum defendant falsitatem certam, seu doctrinam oppositam certæ veritati: tum ex eo, quod ipse primus ex Theologis adversarius Haunoldus fateatur, jura esse valde intricata circa hanc rem; sic enim ait *tom. 1. de justit. tr. 3. c. 3. n. 275.* *Intricatissima res est de jure Casareo: tum ex eo, quod adversarij non audeant dicere, suam sententiam esse certam, sed eam tantum defendant ut probabiliorum: tum ex eo, quod legibus, contra nostram sententiam adductis, valde rationabilis solutio possit reddi, ut patebit ex solutione objectionum.*

Accedit, quod legum ab adversariis adduci solitarum intellectus, valde difficilis sit, & ex sæpe videantur sibi opposita, adeo, ut multi, non tantum Theologi, sed etiam Jurista, desperent, unquam fore, ut in concordiam reducantur: nec ipse Haunoldus audeat, eas ab omni antinomia excusare. Et certè, sicut occurrunt textus alij, qui quibus nos non omnino facilem responsionem damus, ita etiam sunt alij, qui adversarios æquè premunt, ut & ipsi debeant ad difficiles, & aliquando arbitrarias responsiones confugere, ac exceptiones, limitationes, modificationesque adducere: quæ præcipuè ideo excogitatae sunt, ut sententia opposita possit defendi: ex quo patet, leges has valde dubias esse.

Dices. Hoc argumentum: *Jus naturale est certum: jus autem positivum est dubium: ergo standum est illo:* assumit id, quod est in quaestione: ergo nihil probat. prob. ant. non quaeritur, quid absolute jus naturale disponat, sed an stantibus his juris positivi decretis adhuc jus naturale vigeat: ergo, Resp. ret. arg. in omnibus illis casibus, in quibus dicitur lex esse in possessione, in quibus censetur ab omnibus formari efficacia argumenta à tali lege, quæ tamen eodem modo eludi possent: e.g. si certum est, legem fuisse latam, dubium autem, an sit abrogata, posset dici, legem non esse amplius certam, nec quaeri, an extiterit, sed an de facto existat: quæ admitti non possunt.

In forma. neg. ant. ad prob. om. ant. neg. consèq. namque ex hoc ipso, quod jus naturale antecedenter fuerit certum, seu certa obligatio restituendi fructus virtualiter extantes, tamdiu, quamdiu jus positivum aliud non ordinaverit, & dubium sit, an hæc ordinatio à jure positivo sit facta, ex hoc ipso, inquam, infertur, jus naturale adhuc esse in possessione, & debere observari, sicut debet observari lex antecedenter lata, quando ejus abrogatio tantum est dubia: adeoque firma est nostra argumentatio. Adversarij, qui hæc objicit, vult evitari recessum à jure naturali, nisi clara ratio cogat; ita enim habet *in suo Candidato Jurisprudencia sacra abbreviato l. 2. tit. 14. n. 5.* *Sic explicare has leges cogit nos ratio, ne sequatur recessus à jure naturali, non sat clarè expressus: cum ergo, ut ex dictis, & dicendis sat patet, leges positivæ sint dubiæ, & recessus à jure naturali neutiquam sit sat clarè expressus, rectè leges dubiè oppositas ita exponimus, ut à jure naturali non recedant.*

Instabis, Lex confitendi peccata gravia est certa, & tamen, qui probabiliter judicat, se ea fuisse confessum, non teneatur illis rursum confiteri: ergo sæpe legi certæ potest contraveniri ex ratione probabilis, quæ reipsa est, dubia: ergo etiam legi naturali certæ de restituendis fructibus potest contraveniri ex legibus positivis dubijs. Resp. I. retorq. arg. in lege certò prius existente, & dubia ejus abrogatione, aut dispensatione, de qua supra. Resp. 2. om. ant. quod spe-

spectat ad tract. de penit. dist. conf. si aliunde constet, legislatorem esse contentum probabiliter posita implerione legis. conf. secus. neg. conf. Antecedens hujus objectionis non potest ex alio capite probari, quam ex hoc, quod Deus tali observatione suæ legis contentus sit, sicut contentus est simili observatione legis de recitando Brevariario, ob nimiam alias difficultatem, & orituros infinitos scrupulos. At hoc extendi non potest ad quavis præcepta, vel leges; alias universaliter satisfaceret debito certo per solutionem dubiam, quod est falsum: neque deberet observari lex certò lata, & dubiè tantum abrogata, quod iterum non est verum.

601. Confirmatur conclusio nostra ex jure civili. In petitione hæreditatis fatentur omnes, debere possessorem bonæ fidei restituere, non tantum rem, sed & fructus, in quantum locupletior factus est, id quod habetur *L. Item veniunt. 20. ff. de petitione hæreditatis. §. varijs & ex L. Sed et si. 25. §. 5. ff. eod. tit.* ubi de bonæ fidei possessoribus dicitur, eos debere restituere, in quantum facti sunt locupletiores: rursus *L. 40. ff. eod. titulo. §. 1.* dicitur: *In bonæ fidei autem possessore hi fructus tantum veniunt in restitutione quasi augmenta hæreditatis, per quos locupletior factus est.* item *L. 1. Cod. de petit. hæred.* ita habetur: *Fructus bonæ fidei possessores reddere cogendi non sunt, nisi ex his locupletiores extiterint.* Jam sic urgeo cum Sanchez, Layman, & alijs. Hæres ante aditam hæreditatem, & dum alius adhuc eam bona fide possidet, tantum habet jus ad rem, & non in re: & tamen debent ei evicta hæreditate reddi fructus æquivalenter extantes, seu quatenus prior possessor factus est ditor: ergo multo magis debent similes fructus etiam reddi domino rei, qui habet jus in re, adeoque jus strictius.

602. Respondebis cum Haunoldo, & alijs, hanc obligationem restituendi fructus æquivalenter extantes, seu in quantum quis factus est ditor, esse particularem in petitione hæreditatis, seu in judicio universalis, nec esse extendendam ad alios casus. Sed in primis communiter ex *L. Item veniunt. 20. ff. de petit. hæred.* probatur, quod quilibet bonæ fidei possessor universaliter exemptus sit ab obligatione restituendi fructus ita consumptos, ut non sit factus ditor: ergo leges dicto titulo positæ etiam ad alios casus extenduntur. 2. Si major ratio, & æquitas urget in alijs casibus, nec clarè ostendi potest, quod de ijs aliter statutum sit, non est ratio, eos excipiendi: atqui ex *n. 601.* urget hic major ratio: & quod clarum non sit, de alijs casibus aliter statutum, probabimus solutione objectionum. 3. Dein *§. Est in rem. 2. Instit. de officio judicis.* ita habetur: *Est hæreditas petita sit, eadem circa fructus interveniunt, quæ diximus intervenire de singularum petitione.* Jubetur itaque judex, eandem sententiam ferre circa fructus in petitione hæreditatis, seu judicio

universalis, qualem fert in petitione singularium. Unde vicissim, si in petitione hæreditatis debet judex imperare restitutionem fructuum, debet eandem etiam imperare in petitione singularium.

Dices cum Haunoldo, quod quidem etiam petantur fructus in alijs actionibus, sed non eadem latitudine, hoc est, non petantur etiam æquivalenter tantum extantes. Resp. Hoc prorsus est arbitrariè aliquid respondere, nec videtur menti legislatoris satis congruere; sic enim non eadem intervenirent, circa fructus in petitione singularium, & in petitione hæreditatis. Neg. dicas, Justinianum ibi nondum voluisse explicare differentiam inter unum, & alterum judicium: cur enim non? cum tamen æquè parva, vel minora ibi distinxerit, ac explicaverit. Licet autem fors dari debeat aliqualè accidentale discrimen, inter unum, ac alterum judicium; eoquod sit alia actio, non tamen sequitur, esse discrimen in eo, quod non æqualiter fructus sint à judice adjudicandi.

603. Dicunt, in hæreditate fructus accrescere hæreditati, & censi esse ejus corpus, ac hæreditarios. Sed hæc disparitas nulla est, ut ait Sanchez, vel, ut ait, Vogler, purè materialis; sicut enim fructus hæreditatis accrescunt hæreditati, ita fructus alij eodem modo accrescunt patrimonio illius, cujus res fructifera est. Nec fructus aliarum rerum tantum augent patrimonium possessoris, sed etiam patrimonium domini rei: saltem eodem modo, quo fructus hæreditatis hanc ipsam augent.

Neque enim magis possessor bonæ fidei aliarum rerum, est dominus fructuum, ab illis provenientium, quam possessor hæreditatis sit dominus fructuum ex hæreditate provenientium; nam & hic rem habet justo titulo, scilicet pro hærede: atque adeo non minus, quam quilibet alius bonæ fidei possessor titulo non improbato est dominus fructuum, ut fusè tradit D. Glettle *p. 2. sect. quest. 9. 19. n. 11.* quamquam dein *n. 21.* dicat, quod existimans bona fide, se esse hæredem, non sit dominus fructuum hæreditatis, sicut aliorum bonorum possessor: sed hoc arbitrariò dicit, & nullum jus hanc exceptionem facit, & bonæ fidei possessor, vel etiam est dominus fructuum hæreditatis, vel nullorum; nam quod fructus dicantur augere hæreditatem, plus non probat, quam quod eam augeant, sicut juxta adversarios fructus saltem formaliter extantes augent patrimonium domini rei, & juxta nos etiam idem augent fructus æquivalenter extantes. Quæro, potestne dici, hanc disparitatem datam esse ita certam, ut propterea juri naturali certo debeat præjudicari?

604. Alij adhuc textus juris adduci possent pro nostra conclusione, & adducuntur à Layman *l. 3. sec. 5. tr. 2. c. 3. n. 7.* & alijs. quin Lessius de *just. l. 2. c. 14. n. 10.* & Sanchez *l. 2. in decalog. c. 23. n. 77.* ac alij, adducunt textum, quem Lessius vocat aper-

apertum ex L. Si & me, & Titium 32. ff. de rebus creditis, si certum petetur. ubi dicitur: Quia pecunia mea (id est, mihi debita; nam sermo est de illa, quam debitor meus mihi debitam tibi dedit) ad te pervenit, eam mihi à te reddi bonum, & æquum est; quia scilicet, ut exponit Sanchez loc. cit. sic ex re mihi debita locupletior factus es. Rursus L. 15. ff. de condit. indebiti. dicitur. Indebiti soluti conditio naturalis est, & ideo etiam, quod rei soluta accessit, venit in conditionem, ut pura pars, qui ex ancilla natus sit, vel quod alivisione accessit: imò & fructus, quos is, cui solutum est, bona fide percipit, in conditionem veniunt. & L. 26. §. 12. ff. eod. tit. dicitur: Ut puta fundum indebitum debi, & fructus condico.

Certe hic sermo est de fructibus perceptis, ut ex L. 15. & etiam ex 26. patet; aliàs enim pendentes, cum essent pars fundi, non condicerentur quasi seorsim. Sed & leges hæc indefinitè loquuntur de fructibus extantibus, & non extantibus, & Glossa in Leg. 15. modo citatam, ait, eos fructus condici, per quos locupletior est... locupletior est autem, si tantum de suo erat erogaturus: quæ utique debent intelligi de fructibus tantum æquivalenter extantibus: quin etiam ipse Dominus Glettle, quamvis adversarius non negat, in hoc casu fructus æquivalenter extantes esse reddendos: sed respondet, accipientem indebitum censerì promittere, quòd rem, & accessiones ejus velit restituere. At unde probat, talem magis censendum esse, istud promittere, quam alium bonæ fidei possessorem? & quare non etiam negotium aliquod eodem modo agitur, implicitè, vel æquivalenter, inter hunc, & dominum, quam inter illum, & solventem?

605. Addi hic etiam potest textus ex L. 15. ff. de rei vindicatione. §. 1. ubi sic habetur: Si quis rem ex necessitate distraxit, fortassis huic officio iudicis succurratur, ut pretium duntaxat debeat restituere; nam etsi fructus perceptos distraxit, ne corrumpantur, æquè non amplius, quam pretium præstabit: ergo bonæ fidei possessor, qui fructus perceptos ex necessitate, vel ne corrumpantur distraxit, debet pretium ex ijs redactum restituere, scilicet, quantum ex ijs factus est ditior. Scio, Dominum Glettle respondere, agi ibi de eo, qui distraxit post litem contestationem: sed hoc arbitrariò dictum est sine ulla probatione; nam lex de hoc mentionem nullam facit. Insuper ibi mentio fit §. 2. agri petiti, & militibus assignati: difficulter autem capitur, agrum primum lite contestata esse divisum. Quòd autem titulus sit de rei vindicatione, etiam nil probat contra nos; quia lex Certum, qua tamen maximè nituntur adversarij, etiam est sub eodem titulo, nempe Cod. de rei vindicatione. Hi, & plures alij textus, qui possent adduci, licet directè conclusionem nostram non evidentè convincant, tamen ad minimum certè ostendunt,

responsa adversariorum dubia esse, nec certò nostras oppositiones solvi posse. Videamus jam, an non argumentis adversis possimus dare ad minimum æquè bonas solutiones, ac illi nostris; si enim hoc poterimus, jus naturale certum non debeat dubiæ juris positivi decisioni cedere.

ARTICULUS IX.

Solvuntur Objectiones.

606. **O**B. 1. contra 3. conclusionem L. Bone fidei. 48. ff. de acquirendo, vel amittendo rerum dominio. dicitur: Bone fidei emptor non dubiè percipiendos fructus etiam ex aliena re suos interim facit, non tantum eos, qui diligentia, & operâ ejus pervenerunt, sed omnes; quia, quod ad fructum attinet, loco domini pene est: ergo non tenetur ad restitutionem. Confir. 1. L. Qui scit. 25. ff. de usuris, & fructibus. §. 1. sic dicitur: Bone fidei possessor in percipiendis fructibus idem juris habet, quod dominus pradiorum tributum est: sed hi non tenentur ad restitutionem fructuum: ergo nec ille. Confir. 2. L. 28. eodem tit. dicitur de fructibus: Pleno jure sunt bone fidei possessoris, & fructuarij: ergo. Confir. 3. L. Sequitur. 4. ff. de usuris, & usurarij. §. 19. dicitur, lanam ovium furtivarum non debere à bonæ fidei emptore illarum ovium ufucapi, sed statim ejus esse: ergo.

Resp. huic legi, & alijs similibus, opponitur ab omnibus, etiam Juristis, alia lex apertissima Cod. de rei vindicatione, scilicet L. 22. Certum est, mala fidei possessores omnes fructus solere cum ipsa re prestare: bona fidei verò extantes, post litem autem contestationem universos; unde prior leges debent expositione aliqua limitari, & ad summum potest ijs probari, quòd possessor bonæ fidei habeat dominium aliquòd revocabile, seu interim, ut loquitur L. Bone fidei. primo loco citata: scilicet possessor habet dominium &c. quamdiu bonæ fidei est, & nondum res est evicta.

Dico dominium revocabile, & non tantum purum usum facti revocabile, qualem habent, e. g. Franciscani in rebus etiam usu consumptibilibus, qui non est dominium, aut jus, neque pro illo tempore, quo utuntur rebus, potestque revocari sine ulla causa, aut conditione pro solo libitu domini; cum tamen habens dominium revocabile pro eo tempore, quo illud habet, habeat verum jus, quod non pro libitu alterius, sed tantum ex certis causis, vel sub certis conditionibus potest revocari. Et sanè, quòd in jure non sit insolens, concedi dominium revocabile rerum, maximè verò fructuum, probatur ex L. 6. ff. de in diem additione. item tale dominium etiam habet maritus in dote uxoris, quod revocatur soluto matrimonio. in forma conc. ant. neg. conf. solutio patet ex dictis,

607. Ad 1. confir. Ut observat Glettle, in ea lege non dicitur in perceptis, sed in percipiendis: hoc est, potest talis possessor æquè, ac dominus, fructus percipiendos facere suos: sed tamen unus irrevocabiler, alter revocabiler; unde iterum neg. conf. Ad 2. confir. conc. ant. neg. conf. subintelligitur enim particula interim: sicut etiam hæres habet plenum jus in servum, conditionatè legatum alteri, pendente conditione, de quo diximus n. 99. Ad 3. confir. respondet Haunoldus, & Sanchez, non posse lanam ufucapi ad habendum dominium revocabile, sed tantum ad habendum dominium irrevocabile: quæ responsio, dari potest probabiliter: & aliter istæ leges concordari non possunt: imò Lugo existimat, quòd L. Sequitur. num. prac. citata, clarè sit opposita alijs. Sed de hoc viderint Juristæ, qui Digesta, & alias leges quandoque volunt, fermè ut Sacram Scripturam defendere.

Dices. Quid prodest dominium revocabile? Resp. servire ad hoc, ut, si possessor tempore bonæ fidei, fructus vendidit, non possit emptor à domino rei conveniri: neque etiam possessor actione vindicationis, sed tantum, vel implorato iudicis officio, vel conditione ex lege. Nec obstat L. Julianus. 13. §. 10. ff. de actionibus empti. nam ibi tantum dicitur, quòd, si ager distractus sit, fructibus jam maturis, isti cedant emptori: quod non video, quomodo nobis sit contrarium, maxime, cum non appareat, ibi sermonem esse de fructibus perceptis, sed de fructibus adhuc pendentibus.

608. Ob. 2. L. Fructus. 45. ff. de usuris. dicitur, virum, vel uxorem, ex agro sibi à conjugè donato, non facere fructus suos, nisi quos suis operis, vel serendo, acquisiverit: & additur: Sicut nec cuiuslibet bonæ fidei possessoris: subjungiturque ratio; quia non ex facto ejus is fructus nascitur: ergo saltem fructus mixti, seu ad quos industria concurrat, sunt bonæ fidei possessoris, ut non teneatur eos restituere. Confir. §. 35. Instit. de rerum divisione. bonæ fidei possessori relinquatur fructus agri pro cultura, & cura: ergo. Resp. Hæc leges mirabiliter torquent Juristas varios, ut eas concilient cum lege Bone fidei. citata n. 606.

Sanchez l. 2. in decal. c. 23. n. 68. observat, in objecta lege Fructus. non dici, sicut nullius: sed sicut non cuiuslibet: quod idem significat, ac non omnis, seu alicujus non: adeoque, ait, non posse universaliter inferri, quòd nullus possessor bonæ fidei, sed tantum, quòd aliquis non sit dominus, & quidem, ut ait, ille non sit dominus, qui rem habet titulo à jure improbato, qualis est donatio inter virum & uxorem. Hæc responsio quoad 1. partem est subtilis: sed altera pars, seu limitatio, & restrictio ad titulum reprobatur, est gratis asserta, nec congruit rationi adjectæ per illa verba: quia non ex facto ejus is fructus nascitur; per ea enim verba non excluditur titulus: sed

bonæ fidei possessor, qui non operatur, seu non concurrat facto suo ad fructus: hoc est: excluduntur fructus naturales, qui sponte, vel quasi sponte, crescunt.

609. Haunoldus tom. 1. de just. tr. 3. c. 3. n. 273. aliter respondet, & ait, donationem inter conjuges non esse invalidam, si donans non fiat pauperior; & hinc, licet invalida fuerit donatio fundi, non tamen fuisse invalidam donationem fructuum, si mulier donataria sementem sparserit; nam maritus per ablatos illos fructus (quos scilicet ipse non seminasset; quia agrum reliquisset sine semente jacere) non fit pauperior; quia etiam ipse nullos fructus habuisset, etiam si mulier eos non abstulisset; quia nec ipse, nec ipsa tunc seminasset. Sed etiam est prorsus gravis dictum, quòd lex hæc tantum loquitur de casu, quo vir agrum non coluisset, & tamen uxor coluerit.

Sed quidquid sit, etsi hæc explicatio admittatur, ne lex ista alijs contraria sit, tamen ex hac lege habetur, quòd possessor bonæ fidei non acquirat in fructus mere naturales dominium irrevocabile, seu excludens obligationem restituendi eos fructus, casu quo ipsa res fructificans restitui debeat; quod jam adversatur sententiæ istorum adversariorum, cum quibus modò pugnamus, & qui volunt, possessorem bonæ fidei acquirere dominium irrevocabile fructuum, non tantum juridicè industrialium, seu mixtorum, aut Theologicè, seu pure industrialium, sed omnino omnium. Et certe ex hac lege, si etiam vel maxime favorabiliter pro adversarijs explicetur, dominium irrevocabile inferri non potest; unde

Resp. expeditius, dist. conf. Fiunt fructus illi mixti bonæ fidei possessoris dominio revocabili. conc. conf. dominio revocabili. neg. conf. Certè vix aliqui sunt, etiam ex Juristis, qui fructus formaliter extantes adjudicent irrevocabiler bonæ fidei possessori: & tamen L. Qui scit. citata n. 606. & L. Fructus. citata n. 608. non faciunt discrimen inter formaliter extantes, & non formaliter extantes; unde optimè explicantur de dominio revocabili, de quo alias etiam leges infra explicabimus. Ad confirm. neg. conf. In dicto §. generatim dicitur, fructus esse possessoris bonæ fidei: sed non attribuitur ei dominium irrevocabile, nisi quando consumpti sunt; quid autem intelligatur per fructus consumptos, dicemus paulò inferius.

610. Dices. Etiam fructus naturales sunt possessoris bonæ fidei dominio revocabili, per L. Bone fidei. n. 606. citatam: ergo, si per legem Fructus. n. 608. citatam, tantum fructus mixti essent relictii possessori bonæ fidei: vel si etiam in §. 35. Instit. de rer. divis. ubi habentur illa verba pro cultura, & cura, intelligerentur etiam tantum relictii fructus mixti, & quidem dominio duntaxat revocabili, hæc leges sibi opponerentur. Respondet Sanchez l. 2. in decal. c. 23. n. 68. legem Bone fidei, intelligi de possessore habente titulum à jure non re-

probatum: legem *Fruetus* de possessore habente titulum à jure reprobatum, qualis est donatio inter virum & uxorem. Sed, ut jam est dictum *n. 608.* non congruit hæc expositio rationi à lege *Fruetus* additæ: nec verbis positis *§. 35. pro cultura, & cura.* Dicere autem, his verbis non indicari rationem legum istarum, saltem non principalem, ob quam latae sint, videtur gratis dici.

Quodsi igitur hæc responsio non sufficiat, nec melior assignetur (nam etiam quam ex Haunoldo attulimus *n. 609.* non est solidissima) admittam cum Lugone, & alijs, legem *Fruetus*, præsertim, cum extet in Digesto veteri, esse per leges posteriores correctam. Sanè etiam Covarruvias insignis Canonista *l. 1. variar. resol. c. 3. n. 7.* advertit, in tanta farragine legum, ex varijs Jurisconsultis collectarum, esse difficultimum, eas omnes excusare ab omni antilogia; cum & ipsi collectores homines fuerint, & in tanta multitudine rerum facile priorum potuerint oblivisci. Nec absolute ab hac responsione dissentit Haunoldus, qui ait, quoddam sua explicatio non admittatur, fatendum esse, priorem legem correctam esse per posteriorem. Certè in explicandis his, & similibus legibus, ipsi Jurisconsulti plurimum dissident: ex quo rursus firmatur, quod diximus, nempe jus positivum circa hanc rem saltem dubium esse, adeoque juri naturali certo prævalere non debere.

ARTICULUS X.

Solvuntur reliquæ Objectiones.

611. **O**B. I. contra 4. conclusionem. Lex *Certum.* citata *n. 606.* dicit, fructus consumptos non debere reddi, sed tantum extantes; ergo, si fructus sint consumpti, licet quis factus sit ditior, non tenetur ad restitutionem. Confirm. 1. *§. 35. Inst. de rerum divisione.* dicitur, dominum agere non posse contra possessorem de fructibus consumptis; ergo. Confirm. 2. *Ibidem* dicitur, fructus relinquere *pro cultura, & cura:* atqui, si ditior factus teneretur ad restitutionem, nihil haberet *pro cultura, & cura:* ergo.

Resp. neg. conf. Rectè dicimus, quod in jure fructus consumpti dicantur illi, qui omnino consumpti sunt, ita, ut consumens non maneat locupletior, seu ditior: hoc suadetur ex multis textibus juris. Primò enim *L. videamus. 17. ff. de eo, quod metus causa.* dicitur, quod, si primus hæres rem alienam, quam scilicet putavit spectare ad hæreditatem, consumpsit, conveniri postea possit hujus primi mortui hæres, seu secundus, & hic de ea re teneatur, licet nihil ad ipsum pervenerit ex re consumpta: ergo per consumptum intelligitur omnimodè consumptum; aliàs aliquid ad secundum hæredem pervenisset.

612. Secundò. *L. 24. §. 4. ff. de mi-*

noribus 25. annis. dicitur, eum, qui minori consumpturo pecuniam credit, non ignorare, eum perditurum: ergo consumere idem quasi est, ac perdere, hoc est, sine eo, quod quis ditior fiat, expendere. Tertiò *L. 72. ff. de legat. & fideicommissis.* ita habetur: *Non enim absumitur, quod in corpore patrimonij retinetur:* ubi sermo est de eo, qui aliena pecunia suos creditores solvit, & consequenter suis pecunijs pepercit: atque adeò alienas in corpus patrimonij vertit: in quo scilicet æquivalenter remanent, vel extant: ergo, quod æquivalenter, seu in patrimonio servatum est, non est absumptum, seu consumptum.

Quartò *L. 23. ff. de adimendis, & transferendis legatis* idem repetitur: *Non enim absumptum videtur, quod in corpore patrimonij versum est:* estque ibi sermo de pecunijs legatis, sed dein in emptionem boni stabilis impensis, in quo, tanquam in parte patrimonij, dicuntur retineri ea pecuniæ, & hinc non esse absumptæ. Quintò *L. 28. princ. ff. de donat. inter virum, & uxorem.* dicitur: *Si id, quod donatum sit, perierit, vel consumptum sit, ejus, qui dedit, est detrimentum merito; quia manet res ejus, qui dedit, suamque rem perdit:* ergo esse consumptum, & periisse, aut perditum esse, sumuntur pro eodem. Sextò *L. 16. ff. de bonorum possess. contra tabula.* dicitur: *Si suspectus avus sit, quasi consumpturus bona nepotis, non esse ei dandam bonorum possessionem:* ubi iterum omnimoda consumptio clarè intelligitur.

613. Septimò *L. 8. ff. pro emptore.* queritur, an, si quis, cum sciret venditorem pecuniam statim consumpturum, servos ab eo emisset, sit bonæ fidei emptor: & respondetur affirmativè; & additur ratio; quod aliàs nec is, qui emit ab eo, qui pecunias statim scortis daturus est, esset bonæ fidei emptor: ubi certè non potuisset esse ulla ratio dubitandi, nisi intelligeretur consumptio omnimoda. Octavò *L. 25. §. 1. ff. de pet. hæred.* dicitur: *Quemadmodum, si consumpsisset, in totum locupletior factus non videbitur. & eadem lege §. 15.* dicitur, non teneri eum, qui putans se ex asse hæredem, partem dimidiam hæreditatis sine dolo malo consumpsisset: utpote, ut ibi dicitur, qui locupletior factus non est: & mox additur: *Si is, qui hæres non erat, totum, quidquid apud se fuit, consumpsisset, sine dubio non tenetur; quasi locupletior non factus:* ergo clarè intelligitur omnimoda consumptio.

Nonò. *L. 8. Cod. de donat. inter virum, & uxorem.* ita habetur: *Si fructus eorum pradiorum, quæ in dotem accepisti, matrimonij tempore uxorem tuam percipere passus es, eosque uxor tua consumpsit, restitui tibi post divortium oportere nulla ratione contendis: si autem ex his locupletior facta est, in tantum potest conveniri.* ubi consumere apertè opponitur alteri: quod est fieri ditiozem, seu locupletiozem. Absolè autem Glettle-vult, etiam in posteriori constructione subintelligi iterum terminum consumpsit, ac si sensus sit: *si consumpsit ita,*

ita, ut ditior facta sit; non enim id sensus postulat: imò postulat contrarium; quia consumere alteri, nempe locupletiozem fieri, opponitur. Sed neque punctum majus interpositum patitur hanc explicationem tortissimam.

614. Quare non immeritò dicimus, cum omnibus ferme Theologis, & cum Baldo, ac plurimis Juristis, à Sanchez citatis (inter quos Pistorius id fusè probat) in jure intelligi omnimodam consumptionem, seu fructus omnino consumptos, quando ab onere restitutionis possessores fructuum eximuntur: per extantes verò fructus intelligi, vel formaliter in se, vel æquivalenter extantes in eo, quod accrevit patrimonio. Nec sufficit, quod Glettle tantum dicat, se hos textus non morari; deberet enim contrarium probare. Ait quidem, se probare id argumentis invictis: sed primo loco statuit legem *Certum*, ad quam dedimus tale responsum, ut ad minimum valde dubius sit ejus sensus, nec prævalere debeat juri naturali certo.

Ait iterum, se fateri, quod in aliquibus certis locis, & actionibus, significatio termini *consumptio* à nobis asserta debeat admitti, sed non sequi inde, in alijs etiam casibus eam significationem admittendam esse. Sed contra est 1. Etsi utique à particularibus per se non sit bona argumentatio ad universalem, tamen quando ratio universalis est, ac de omnibus æqualiter probat, debet admitti, legitimam esse argumentationem talem; aliàs, quodcumque ratio universalis applicatur ad determinatam materiam, dicam, eam non ampliùs esse universalem; adeoque dicam, quod in hac propositione: *Leo est animal; quia est videns:* restringatur ratio visus, ita, ut tantum de leone, non autem de homine probet animalitatem: quod esset absonum. 2. In textibus juris à nobis adductis nullum profus est indicium, ex quo illa significatio dicatur esse tantum ad illos particulares casus restricta. 3. Sunt disparatæ plures materiae, & casus diversi, in quibus significatio illa adstruitur: ergo ista limitatio est absque omni fundamento.

615. Ad 1. confirm. dist. ant. dicitur, dominum non posse agere de fructibus omnino consumptis. conc. ant. de fructibus tantum in sensu latiori dictis consumptis, hoc est, tantum non ampliùs formaliter extantibus. neg. ant. & conseq. Ad 2. confirm. retorqueo argumentum: quid haberet possessor juxta adversarios, si fructus adhuc formaliter extarent, quos utique etiam juxta ipsos tunc deberet reddere? certè, nisi adversarij dicant, in hoc casu dari speciale statutum, ad alios casus non extendendum, debent ipsi hanc legem (quæ videtur etiam formaliter extantes fructus possessori agrum colenti tribuere, & inde primum inferre, quod de consumptis non possit dominus agere) debent, inquam, ipsi hanc legem limitare, vel explicare, sicut alias duas citatas *n. 606.* quæ videntur etiam

fructuum formaliter extantium dominium possessori tribuere. Quare nullo modo possunt dicere, nos certò malè facere, dum similes leges exponimus; vel de dominio revocabili, vel de fructibus omnino consumptis: adeoque semper jus positivum est saltem dubium, & cedere debet juri naturali certo. in forma. neg. mi. habet enim possessor hoc, quod non debeat quidquam restituere ratione fructuum omnino consumptorum.

616. Dices. Hoc habet etiam bonæ fidei possessor, qui agrum non coluit. Resp. 1. legislatorem dicere *naturali ratione* relinquendos fructus, hoc est, in tantum, in quantum jus naturale eos relinquit, scilicet, in quantum non est ditior factus: & videtur quasi dicere: si alius bonæ fidei possessor non tenetur fructus reddere, tunc minus ille, qui agrum coluit. Hoc modo etiam respondet Glettle *p. 2. select. quest. q. 19. n. 12.* ubi ait, rationem principalem non fundari in cura, & cultura, sed in bona fide; unde, licet talis possessor, qui agrum coluit, non plus haberet, quam alius bonæ fidei possessor, haberet tamen pluribus titulis, sicut juxta adversarios habet extantes, donec compareat dominus.

Torquet autem planè Haunoldus *tom. 1. de just. tr. 3. c. 3. n. 281.* hunc textum, dum ait, legislatorem voluisse propter culturam plus tribuere, quam ei conveniat naturali ratione; cum tamen legislator manifestè illud *naturali ratione* applicet super illos alteros terminos *pro cultura, & cura;* quasi diceret, naturalem æquitatem poscere, ut pro suo labore aliquid recipiat, qui agrum coluit; unde, si colens agrum habet plus, quam alius, debet id habere *naturali ratione.* Hinc, si quis contendat, colentem plus habere debere, quam non colentem, dici potest, quod, qui agrum colit, habeat etiam fructus, quos seminavit, e.g. triticum; vel, si arbores coluit, habeat meliora, & plura poma; cum alter non colens fundum, seu agrum (de quo illa lege est sermo) nihil, aut tantum gramen habeat; quod est longè minus: item qui agrum coluit, non tantum pro omnino consumptis nihil debet restituere: sed etiam potest quandoque, non tantum ab æquivalenter, sed etiam à formaliter extantibus fructibus, expensas, & æstimationem laboris deducere, quod alius culturam negligens non potest.

617. Dices ex Haunoldo *tom. 1. de just. tr. 3. c. 3. n. 279.* Per fructus extantes, in judicij intelliguntur ij, qui realiter in seipsis, seu formaliter extant: alij autem censentur consumpti, licet habeatur adhuc pretium ex permutatione eorum, vel lucrum ex eo, quod alijs rebus sit paritum: ergo. Confirm. 1. Fructus consumpti opponuntur in jure fructibus extantibus: ergo. Confirm. 2. *L. sequitur.* 4. *§. Lana ovium. 19. ff. de usufructu.* æquiparantur fructus usufructu, & consumpti: ergo intelliguntur non omnino consumpti. Confirm. 3. Si intelligerentur tantum fructus omnino consumpti,

pti, jura magis faverent dilapidatoribus rerum suarum, quam diligentibus œconomis, qui res suas diligenter servarent: sed hoc dicere est absurdum: ergo.

Resp. dist. ant. per fructus consumptos intelliguntur fructus formaliter non extantes universaliter, etiam in judicijs secundum jus commune latis. neg. ant. intelliguntur in aliquibus judicijs particularium territoriorum. om. ant. & neg. conf. Dictum Haunoldi potest esse verum de Bavaria, ubi Haunoldus scripsit, & ubi, ut ipse ait, per jus speciale statutum est, non debere possessorem bonæ fidei restituere fructus tantum æquivalenter extantes, seu quibus factus est ditior: de quo jure modò non agimus: sed agimus de jure communi Cæsareo: nec etiam negamus, posse per jura specialia regnorum, aut provinciarum, aliquid aliud in hoc casu statui: prout videtur dicere Sanchez l. 2. oper. mor. in decalog. c. 23. n. 80. & 86. statutum esse per jura Hispanica circa fructus juridicè industriales: in quo tamen et Covarruvias, & ipse Hispanus, contradicit. Cæterum, quòd universaliter in judicijs isti termini ita accipiantur, ut Haunoldus vult, non credo; cum nobiscum stent etiam tot Juristæ, & tot textus juris, quos suprâ attulimus.

618. Ad 1. confirm. dist. ant. fructus consumpti opponuntur fructibus, sive formaliter, sive æquivalenter extantibus. conc. ant. tantum formaliter extantibus. neg. ant. & conf. nec plus colligitur ex textibus à Domino Glettle allatis, quos jam omnes attulimus, aut afferimus. Ad 2. confirm. neg. ant. L. Sequitur §. 19. cit. non comparat, aut æquiparat fructus consumptos, & usucaptos, sed potius è contrario dicit, agnos, qui §. 37. Instit. de rerum divisione. dicuntur esse in fructu, non posse usucapi: imò, ut n. 606. probavimus, ille textus probat tantum dominium revocabile. Quomodo autem, in ordine ad dominium irrevocabile, agni consumpti possint usucapi, difficultas est, nobis, & adversarijs communis. Dicit potest, si agni non sint omnino consumpti, posse usucapi pretium eorum, quo quis ditior est factus: si sint omnino consumpti, tunc nullo modo posse usucapi; quia nihil ex illis amplius habetur, & nihil pro illis debetur: nec hoc obstat dictæ legi, quæ tantum dicit, agnos usucapi non posse in ordine ad dominium revocabile: de usucapione autem in ordine ad dominium irrevocabile præcindit.

Nec dicas, nihil posse unquam usucapi in ordine ad dominium tantum revocabile, consequenter de hoc dominio legem non loqui. Resp. enim, hoc posse vocari in dubium, cum quandoque etiam completa omnino legitima præscriptione detur quibusdam restitutio in integrum, quo casu fors dici potest, per usucapionem tantum acquisitum esse dominium revocabile. Saltem innegabile est, dari dominium revocabile: quodsi igitur hoc per usucapionem acquiri non possit, eo ipso rectè dicitur res

in ordine ad hoc dominium usucapi non posse. Ad 3. confir. dist. ma. Jura magis faverent dilapidatoribus, quam diligentibus œconomis, per accidens. om. ma. per se. neg. ma. & dist. sic. mi. neg. conf. Hoc ipsum debent dicere adversarij in casu, quo non fructus, sed ipsa res, e. g. ipse ager, à dilapidatore bona fide venditus, & penitus consumptus est: quo casu jura hunc non obligant ad ullam restitutionem: obligant tamen alium diligentem œconomum, qui pretium agri venditi, vel ipsum agrum adhuc habet. Sic etiam, qui diligenti suarum rerum administratione acquisivit aliquas opes, vel facultates, debet ferre communia onera: non verò alius, qui omnia sua dilapidavit; unde per accidens est, ut jura dilapidatori faveant, hoc est, nihil ab eo exigant; cum omnia bona fide consumperit, adeoque ex nulla amplius radice teneatur: & talem favorem (si tamen propriè favor est) jura sæpe exhibent nihil habentibus. Opponi hucusque dictis etiam solet L. Certum. citata. n. 606. sed hæc dictis non obest; quia tantum loquitur de fructibus adhuc extantibus, sive dein formaliter, sive æquivalenter tantum extent.

619. Ob. 2. Praxis habet, ut judices non cogant bonæ fidei possessorem, restituere fructus æquivalenter tantum extantes. ergo. Confir. Consuetudo est optima legum interpres, seu optimè eas interpretatur: sed consuetudo habet, ut hi fructus non restituantur: ergo interpretatur leges in hoc sensu, quòd fructus non debeant restitui. Resp. dist. ant. habet id praxis quorundam specialium locorum, ob specialia jura. om. ant. habet id praxis universalis. neg. ant. & conf. Hæc praxis fortè est in ijs locis, ubi sunt statuta peculiariter: non autem id habet praxis universalis; nam Cardinalis Lugo de just. disp. 17. sec. 3. n. 47. sic habet: Imperatores.... videntur reduxisse totum hoc ad jus naturale, ut fructus extantes restituantur domino, non verò fructus consumpti, quod in praxi servatur, intelligendo, illos etiam esse æquivalenter fructus extantes, ex quibus possessor factus est locupletior: & licet alicubi fructus mixti consumpti non restituantur, etiamsi possessor factus sit locupletior, regulariter tamen fere semper restituere cogitur etiam eorum fructuum valorem, quatenus ditior est factus.

Potest fortè etiam esse, quòd aliquibus judicibus opposita sententia probabilior videatur: vel quòd, nescio quibus, reflexis principiis utantur, de quibus ipsi videntur. Interim, etsi praxin judiciorum alii qui afferant apud Sanchez in decal. l. 2. c. 23. n. 66. tamen non statim censendi sunt afferere universalem; nec, si affererent, id statim credendum esset paucis tantum, authoribus, qui dictum suum non facile probarent: & sanè non est facile credibile, quòd tot Canonistæ, & Juristæ, non plures ex judicibus habeant sequaces. Quòd si tamen alicubi hæc praxis legitime introducta fuisset

fuisset, consuetudo vim legis habere posset, præsertim ad denegandam actionem in foro externo.

620. Quod autem etiam alijs in locis non semper judices cogant possessorem bonæ fidei ad fructus restituendos, potest inde provenire, ut docet Sanchez l. 2. in decal. c. 23. n. 96. quòd ipsis non constat, possessorem bonæ fidei factum esse locupletiorum: nec hoc in judicio deducatur: nec ab actore, vel petitore probetur, cujus tamen esset, ut ait, probare: & prius n. 37. asseruerat, in dubio non præsumi, possessorem factum esse ditiorum; ad hoc enim non est satis, ut fructus impendantur in ejus utilitatem; nam possessor bonæ fidei potuit eos consumere lautius, & splendidius vivendo, quam alias vixisset, si hos fructus non possedisset: & tunc, cum non inveniatur auctum ejus patrimonium, non censetur locupletior, ut habetur L. Sed. est. 25. §. Si quis res sua. ff. de petit. heredit.

Cumque frequentius contingat, homines lautius vivere post accepta bona, potius præsumitur possessor lautius vixisse; unde actor deberet probare, quòd possessor factus sit locupletior. Accedit, ut ait Sanchez ibidem, quòd melior sit conditio possessoris, adeoque in dubio, an sit ditior factus, non sit ipse constringendus ad restitutionem. Ex quo ulterius infert n. 300. ad hoc, ut probetur quòd possessor factus sit ditior, non probandum tantum esse, fructus in ejus utilitatem fuisse impensos, sed eam utilitatem in ejus patrimonio permanisse, & istud tempore cessantis bonæ fidei, seu intentatæ, vel contentatæ litis, inveniri illa utilitate auctum.

Adde hic textum ex modo citata L. Sed. est. §. 11. ubi ita habetur: Nec, si donaverint, locupletiores facti videbuntur, quamvis ad remunerandum sibi aliquem naturaliter obligaverint. Plane, si antidota, id est, remunerationes acceperunt, dicendum est, eatenus locupletiores factos, quatenus acceperunt: quod significat, non esse censendos locupletiores factos illos, qui tantum ex gratitudine aliquo modo sibi alterum obligarunt, quamvis hæc sit etiam aliquis utilitas: at verò centeri factos locupletiores, si vicillim dona acceperint; quia hæc ipsa bonis donatis successerunt.

Ad confir. dist. ant. consuetudo est optima legum interpres, seu optimè interpretatur verba legis. neg. ma. obligationem legis hæc, & nunc, vigentem. subdist. interpretatur optimè pro ijs locis, ubi est consuetudo. conc. ma. universaliter pro omnibus locis. neg. ma. & dist. mi. consuetudo in omnibus locis habet, ut fructus formaliter non extantes non restituantur. neg. mi. in quibusdam tantum locis. conc. mi. & neg. seq. Consuetudo non interpretatur verba legis; nam aliquando abrogat legem, vel ei derogat: dein contrariæ consuetudines etiam contrariè legem interpretarentur, e. g. legem jejuni aliter interpretaretur consuetudo Italorum, aliter consuetudo Ger-

manorum: adeoque, si consuetudo interpretaretur verba legis, tunc utraque ex duabus his contrarijs interpretationibus esset optima, quod est per se impossibile.

Quare consuetudo tantum interpretatur, sive declarat obligationem legis, seu qualis hæc, & nunc vigeat, & quali observatione legislator contentus sit: & hoc consuetudo tantum facit respectu locorum, ubi ipsa datur: non autem respectu aliorum locorum, ubi ipsa non datur; aliis, ut jam dictum est, cum in varijs locis consuetudines contrariæ sint, si quælibet universaliter pro quovis loco declararet obligationem, etiam universaliter pro quovis loco darentur obligationes legis contrariæ.

621. Ob. 3. L. Sed. & loci. 4. §. 2. ff. finium regundorum. de fructibus dicitur: Aut enim bona fide percepit, & lucrari eum oportet, si eos consumpsit: & bonæ fidei possessor lucratur fructus consumptos: subsumitur 1. atqui non potest quis lucrari fructus omnino consumptos; implicat enim lucrum ex eo, cujus nihil jam extat: ergo debet lucrari fructus non omnino consumptos, sed adhuc æquivalenter extantes: subsumitur 2. lucrari est dominio irrevocabili fructus suos facere: ergo bonæ fidei possessor facit fructus, non amplius formaliter extantes, sed permutatione, vel venditione consumptos, irrevocabiliter suos, nec tenetur restituere, quantum ex eis factus est ditior.

Resp. neg. 1. subsumptum omn. Sanchez l. 2. in decal. c. 23. n. 96. certè juxta receptissimum modum loquendi dicitur quilibet lucrari causam, quando quis, accusatus de damno dato, absolvitur ab omni onere restitutionis, aut compensationis: & tamen in hoc casu non fit ditior. Rursus quando duo luserunt pro haustu, vel convivio, quod aliis non fuisset institutum, sed tantum occasione ludi paratum est, si victor convivio interfit, & postea nihil pro eo solvere debeat, ex omnium sententia dicitur lucratus convivium, etiam postquam jam fuit absumptum, & ipse non est amplius ex eo ullo modo ditior: quare igitur non possit dici pari ratione, quòd possessor bonæ fidei lucratus sit fructus, quos absumpsit, e. g. lautius, & splendidius vivendo, cum nihil debeat pro ijs restituere? certè non est parum lucratus, dum lucratus est eam voluptatem, vel honorem, quem percepit ex splendore victus, vestitus &c.

622. Dices 1. textum non dicere, eum lucratum esse, sed actu lucrari. Resp. Illud lucrari in ea lege significat æquivalenter idem, ac esse lucratum; nam non lucratur in judicio (quia, ut ibi dicitur, fructus in judicium non veniunt) sed jam lucratus est consumendo. Si dicas, debere saltem lucrari consumendo. Resp. etiam in nostro casu lucratur fructus consumendo; dum enim possessor omnino consumit fructus, actu sentit voluptatem, recipit splendorem: quod utique aliquod lucrum, vel aliqua utilitas est: & quidem de novo acquisita, atque

per omnimodam consumptionem irrevocabili-
biliter percepta, absque onere ullius com-
pensationis.

Dices 2. casum hunc esse valde rarum,
de quo jura non videntur curare. Resp. cum
Sanchez in decal. l. 2. c. 23. n. 37. forte
frequentius id fieri, quam oppositum; or-
dinariè enim homines post accepta bona no-
va vivunt splendidius, & statum suum exal-
tant. Neque tamen hoc est strictè inutili-
ter consumere, sed utiliter: quod addo, ne
objiciatur nobis, quòd tantum jura expli-
census de casibus, in quibus res inutiliter
consumuntur.

Sed & 2. subsumptum, quo supra n.
621. dicebatur, lucrari idem esse, ac domi-
nio irrevocabili acquirere, merito negatur;
nam vox *lucrari* non necessariò significat
acquisitionem dominij irrevocabilis: sed suf-
ficienter propriè ejus vocis significatio ad-
æquatur per acquisitionem dominium revoca-
bile. Sumitur hoc ex L. *Quotiens. 2. ff. de
in diem additione*, juncta L. *Item. 6. eod.
tit.* in priori lege dicitur, emptorem, cui
res in diem additur, lucrari fructus: in
altera autem dicitur, quòd, si alius emptor,
qui meliorem conditionem afferat, id est,
plus dare velit, superveniat, prior debeat
refundere fructus, non quidem emptori pos-
teriori, sed venditori, ergo prior emptor
fructus acquisivit tantum revocabili-
ter, licet dicatur eos lucratus.

623. Ob. 4. Possessor bonæ fidei,
dum ditescit fructibus, non omnino con-
sumptis, sed æquivalenter extantibus, non
ditescit ex re aliena: ergo non debet quid-
quam restituere. Confir. 1. Talis non tenetur
ex re accepta, nec ex injusta acceptione:
ergo ex nullo capite. ant. prob. non
tenetur ex re accepta; quia non habet alie-
num, sed suum: non ex injusta acceptione;
quia habet bonam fidem: ergo. Confir. 2.
Per consumptionem, etiam non omnimoda-
dam, destruitur dominium fructuum: ergo
non potest amplius revocari: res autem
illa, in qua æquivalenter extant fructus,
e. g. pretium, non subest dominio revoca-
bili, sed est in pleno dominio possessoris:
ergo hic nihil debet restituere.

Resp. 1. retorqueo argumentum in
specificatore bonæ fidei, e. g. qui ex ligno,
vel marmore alieno, quòd putavit bona
fide esse suum, fecit statuat; hic enim fit
dominus ligni, aut marmoris per ipsam spe-
cificationem, ut dictum n. 264. ergo etiam
non ditescit ex re aliena, adeoque nihil de-
bet pro marmore rependere, quod est fal-
sum: scilicet sicut, qui speciem facit, fit
dominus e. g. ligni, per specificationem,
ita, qui habet agrum alienum, fit perci-
piendo dominus fructuum (ut hic & nunc
omitto; nam fructuum pendendum; cum
sint pars agri, certò non fit dominus talis
possessor) fit autem dominus cum onere
eos restituendi, ut est clarum, si extent
formaliter: si autem non extent formaliter,
fit dominus cum obligatione eos compen-
sandi per aliud, sicut in specificatore idem
contingit.

624. Resp. 2. dist. ant. possessor non
ditescit ex re hic & nunc formaliter aliena.
om. ant. non ditescit ex re æquivalenter a-
liena, seu, quæ habet annexum onus re-
stituendi. neg. ant. & conf. Ad 1. confir.
neg. ant. ad prob. neg. vel dist. 1. p. ant.
talis non habet formaliter alienum. om. ant.
non habet æquivalenter alienum. neg. ant.
& conseq. Huc fertur etiam retorfo modò
data, saltem in ordine ad id, quod dicitur,
talem possessorem non habere alienum. Pa-
riter si Petrus equum Pauli, bona fide exi-
stimatum suum, vendidisset, & emptor sta-
tim aliò discessisset, teneretur juxta com-
munem Petrus dare Paulo pretium: non ex
injusta acceptione; quia Petrus bona fide
egit: nec ex re formaliter accepta; quia
hæc non amplius adest; eoque emptor
cum equo abierit, & pretium, seu pecunia
non fuerit ablata Paulo, neque defacto an-
te traditionem sit formaliter res Pauli: er-
go debet Paulo dari pretium ex re æquiva-
lenter accepta, quatenus nempe pretium est
æquivalenter res Pauli; cum hoc pretium,
ut diximus supra n. 527. succedat in locum
equi.

Ad 2. confir. dist. ant. per consum-
ptionem, etiam non omnimodam, destrui-
tur dominium fructuum formaliter tale. om.
ant. etiam æquivalenter tale. neg. ant. &
conseq. Si fructus sint permutati &c. e-
quidem transfertur dominium in emptorem,
& pretium quidem est sub dominio vendi-
toris bonæ fidei (hæc enim est vis dominij
revocabilis, ut jam insinuat n. 607.) sed
tamen talis dominus pretij gravatur obliga-
tione personali, ad compensationem priori
domino faciendam: sicut in simili dictum est
de specificatore.

625. Ob. 5. L. *Sed etsi.* & alijs le-
gibus citatis n. 602. obligatur quidem pos-
sessor hæreditatis, etiam bonæ fidei, resti-
tuere fructus, etiam absumptos, si factus
sit ditior: hæc autem clausula alibi omittitur:
ergo alij possessores non tenentur; nam ex-
ceptio firmat regulam in contrarium. Con-
fir. Nostra sententia esset occasio plurium
scrupulorum, & vix practicabilis; cum vix
possit sciri, quantum quis alijs suis peper-
cerit, aut aliter ex aliena rei fructibus di-
tior factus sit: ergo non est admittenda.

Resp. 1. neg. conf. Non est exceptio,
sed potius inclusio, ut probatum est n.
602. nam, ut probaretur, esse exceptio-
nem, deberet prius ostendi, dari regulam
universalem, quòd bonæ fidei possessores
nullos fructus restituere debeant: quod nec-
dum probatum est. Accedit, quòd sæpe
jura civilia insinuant id, quod est juris natu-
ralis, in uno, quin idem insinuant in alio loco;
quia jam aliunde constat; unde, licet non
semper meminerint non omnimoda consum-
ptionis, hæc subintelligi potest, & debet.
Resp. 2. neg. ant. vide n. 604. & 613.

Ad confir. neg. ant. In omnibus dubijs
de quantitate debitorum debemus moralem
diligentiam adhibere, & quantum, ad ad-
hibita, nos debere prudenter existimamus, debe-

debemus interim restituere, donec certius
quid innotescat. Certè possessor malæ fidei
debet non tantum hos fructus, sed lucra
cessantia, & damna emergentia præstare:
nec tamen ea sententia communissima est
ocasio scrupulorum, aut impracticabilis.
Sed & præscindendo à legibus civilibus jus
naturale certò obligat ad restituendos fru-
ctus æquivalenter extantes, & tamen jus
naturale non ponit legem impracticabilem.

626. Ob. 6. In dubio favendum est
potius bonæ fidei possessori: atqui in
nostro casu datur magna legum perplexitas,
& consequenter dubium: ergo. Resp. dist.
ma. In dubio favendum est potius possessor-
i, si omnia sint paria, & dubia. conc. ma-
secus. neg. ma. & om. mi. neg. conf. Sint
jura civilia dubia, tamen jus naturale est
certum, atque adeò in magna legum civi-
lium perplexitate, standum est jure naturali,
ut adversarij ipsi sæpius ajunt. Et, cur non
æque, vel magis favendum est domino rei,
quam possessori? certè Sanchez in decal. l.
2. c. 23. n. 96. ait, debere præponderare
præcedens rei dominium subsequenti bonæ
fidei possessioni, munita etiam titulo onero-
so, (hoc est, si possessor eam titulo oneroso,
e. g. expendendo pretium in ejus emptio-
nem acquisivit) eoque illud dominium sit
jus plenus, & perfectius, ac prius tempore:
adeoque ideo potius talis possessor, quam
dominus rei, carere debeat fructibus; quia
scilicet lex naturalis de obligatione est certa,
& stat pro domino: econtra exemptio per
jura civilia, quæ stat pro possessore, est tan-
tum dubia: ergo dominus est in possessione
juris certi, & prioris, à quo non debet re-
pelli per dubiam tantum exemptionem, ut
omnes dicimus in materia legum. Unde,
licet possessor sit in possessione fructuum,
non tamen est in possessione juris non resti-
tuendi, sed dominus est in possessione juris
exigendi compensationem: sequè res habet,
ut in casu, quo quis certò debet, at non
certò, sed tantum dubiè solvit: aut ferme sic
ut diximus in alio casu n. 585. quem vide.

QUESTIO III.

De Obligatione restituendi ex Injusta Acceptione.

ARTICULUS I.

Quid restituere debeat Possessor Malæ Fidei.

627. **P**otius est equidem hic articulus
addi priori questionij; quia
etiam malæ fidei possessor sæ-
pe tenetur ex re accepta; eoque rem
ipsam adhuc formaliter, vel æquivalenter
habeat: quia tamen etiam sæpe tenetur,
quando rem, nec formaliter, nec æquiva-
lenter, amplius habet: & prior questio
alias sat longa est, sub hoc titulo potius hunc

articulum statuendum putavi. Sunt autem
notandi hic duo termini frequentissimè oc-
currentes, *lucrum cessans*, & *damnum
emergens*. Primum, seu *lucrum cessans*,
est omnis utilitas, vel omne emolumentum,
quod aliàs ex re ad dominum pervenisset,
& hic, & nunc, cessat, seu ad eum non
pervenit: e. g. si auferatur instrumentum
artificij, statim oritur lucrum cessans; quia
nihil lucrari potest illo instrumento, vel
arte sua. Rursus, qui furripit alteri pecu-
nias, quibus negotiatus fuisset, vel
agrum, quem messuisset, est causa lucri
cessantis. Alterum, seu *damnum emergens*,
est omne nocumentum, distinctum à lucro
cessante, quod domino, re sua, privato,
oritur. Sic si alicui domus comburitur,
cum debeat locare aliam, pretium pro ha-
bitatione expensum, est *damnum emergens*,
& similiter, si quis ablato proprio debet con-
ducere pretio alium equum.

628. Dico 1. Malæ fidei possessor non de-
bet restituere fructus Theologicæ, seu mercè
industriales. ita communis. Conclusio jam
probata est n. 595. quinam autem sint fru-
ctus mercè industriales, dictum est n. 593.
Inter hos censetur lucrum ex pecunia; unde
siquis negotiatus fuit pecunià aliena, seu
bona, seu mala fide, non tenetur, ad re-
stitutionem lucri acquisiti (sed tantum ad
compensationem lucri cessantis, vel damni
emergentis, si hæc interea domino conti-
gerint) pecunia enim, formaliter ut pecu-
nia, est res unico usu suo consumptibilis;
nec est in ea distinctus usus à valore, & ut
habet Sanchez in decal. l. 2. c. 23. n. 46.
committitur usura, si petatur aliquid dis-
tinctum pro usu pecuniæ in commercio hu-
mano; hinc non censetur res fructifera.

Excipe, nisi pecunia adhibeatur ad
alium finem accidentalem, e. g. simonetæ
tantum commodos alteri, non dando mu-
tuas, sed, ut is tantum eas ostentet, vel,
ut, ceu medicinam, ad pectus aurum ges-
tet (ad quem usum pecunia formaliter ut
pecunia non solet in commerciis humanis
adhiberi) tunc enim talis pecunia se habe-
ret, ac si commodares torquem, aut scy-
phum aureum, quo casu pretium elocationis
est fructus ipsius rei, sicut pretium eloca-
tionis domus. ita Layman. l. 3. sec. 5. tr. 2.
6. 3. n. 6. Sanchez in decalog. l. 2. c. 23. n.
132. & 133. Lugo de just. disp. 17. sec. 3. n.
51. ubi probat, pretium elocationis cujus-
cunque rei, etiam pecuniæ, ad ostentatio-
nem, vel medicinam (non ad usum in com-
mercio humano; sic enim datur pecunia
mutua) esse fructum naturalem; cum non
proveniat ratione industriæ: sed quia ipsa
res, vel formaliter per se, vel accidenta-
liter, affert commodum, seu fructum, sal-
tem civilem (de quo n. 593.) sicut affert
domus elocata. Et quamvis dominus do-
mum non elocasset, tamen pretium, utpo-
te fructus naturalis, ipsi debetur, ut faten-
tur omnes: sic etiam admittunt communi-
ter, agrum sterilem oppigneratam, si fru-
ctus ferat apud pignoratarium, eos spectare
ad

ad dominum, licet apud hunc ager nihil tulisset: nec potest disparitas formalis in uno, & altero casu afferri.

629. Ex hoc principio decidi potest hic casus. Titius dominus dat Cajo famulo suo centum aureos in specie, ut extinguat debitum, quod Titius apud Stichum contraxit: Cajus autem loco monetæ aureæ dat argentem Stichum, & retinet auream, ac ex auro illo, quia fortè alibi plus valet, acquirit lucrum. Queritur, an sibi hoc lucrum possit retinere. Resp. affirmativè cum Lefio de just. l. 2. c. 23. dub. 2. n. 18. & Lugone de just. disp. 17. sec. 3. n. 49. ubi citat Molinam, Reginaldum, Rebellum, & alios; nam in hoc casu non fit injuria Titio; quia debitum ejus extinguitur; neque fit injuria Stichum, qui ante traditionem, vel acceptationem, non habet jus ad pecunias aureas præ argenteis. Aliud foret, si Titius aureos daret Sejo, qui esset famulus Stichum; non enim liceret Sejo mutare pecunias: disparitas autem inter hunc, & priorem casum est; quia per ipsam acceptationem Seji, tanquam instrumenti sui, eos aureos accipit Stichus, & fit dominus aureorum: non autem potest famulus licitè domino surripere pecunias meliores, & substituere viliores: & multò minus id licet, si dominus ex melioribus possit lucrum habere.

630. Dico 2. Mala fidei possessor debet restituere rem, ac fructus ejus, naturales, & mixtos, tam pendentes, quam consumptos, etiam si non sit inde ditior factus. ita communis Theologorum, & Juristarum. Et imprimis quòd debeat restituere rem ipsam, ratio est; quia nemini licet, rem alienam retinere, sed oportet eam restituere; hoc enim est præceptum naturale restitutionis, de quo n. 499. Quod autem debeat restituere fructus, ratio est; quia res per se domino suo fructificat, & nullo jure fructus hi mala fidei possessori attribuuntur: ergo, si fructus etiam sint consumpti, tenetur ad restitutionem ex injusta acceptatione, seu læsione juris alterius: si autem fructus adhuc extent, tenetur ex re accepta. Idem clarè habetur L. Certum. 22. Cod. de rei vindicatione, quam adduximus n. 606.

631. Dico 3. Mala fidei possessor debet restituere fructus etiam illos, quos dominus non percepisset, modò possessor percepisset: item debet restituere fructus, quos ipse non percepit, sed tamen percepturus fuisset dominus, si res ipsi non fuisset ablata. ita communis. Ratio 1. partis conclusionis est iterum clara, & eadem cum priorè; quia nempe res domino suo fructificat, adeoque fructus spectant ad dominum rei, consequenter sine ejus injuria retineri, vel consumi non possunt. Pars 2. conclusionis, habetur L. Fructus. 33. ff. de rei vindicatione. & ratio est; quia carentia talium fructuum est damnum domino emergens, quod utique debet compensari à faciente injuriam; aliàs non compensaretur totum jus læsum, ut est per se clarum.

632. Dico 4. Mala fidei possessor etiam debet restituere fructus, quos dominus singulari, sive extraordinaria diligentia percepisset, si hanc ipse adhibere paratus fuisset. ita Lugo de just. disp. 17. sec. 3. n. 56. citans Govarruviam, Sanchez, Lessium, & alios; nam & in istis dominus patitur damnum emergens, ut patet, & merito queritur, sibi ereptam fuisse occasione exercendæ industriæ singularis. Excipiunt tamen auctores fructus, quos dominus turpiter percepisset, e. g. prostituendo ancillam, sumuntque id ex L. Fructus 33. ff. de rei vindicatione. ubi dicitur, fructus restituendos esse, qui percipi honestè potuerunt: adeoque à contrario videntur, non esse restituendi illi, qui tantum inhonestè potuere percipi: nisi tamen hos inhonestos fructus possessor percepisset; tunc enim etiam restituendi sunt, ut habent Sanchez in decal. l. 2. c. 23. n. 102. & Lugo de just. disp. 17. sec. 3. n. 56. quia res, quomodocunque fructificet, domino fructificat. Accedit L. Ancillarum. 27. §. 1. ff. de petit. hered. ubi dicitur, etiam pensiones ex locationibus prædiorum; licet à lupanario perceptæ sint, præstandas: quæ utique inhonestè perceptæ sunt.

633. Dico 5. Possessor mala fidei debet etiam restituere fructus, quos percepisset intrinseca melioratione rei, quam explicavimus n. 594. quamvis dominus eos non percepisset. ita Sanchez in decal. l. 2. c. 23. n. 105. & 131. Lugo disp. 17. sec. 3. n. 57. Molina, Covarruvias, & alij. Ratio est. Talis melioratio, ut n. 594. dictum, cedit domino rei: ergo fructificat ipsi. Hinc, si plantentur in alieno fundo arbores, & istæ, & fructus earum, sunt domini. Aliud dicendum de melioratione extrinseca, & facile separabili, e. g. si domum alienam exornes, imaginibus, tapetibus, aliisque utensilibus, & propterea domum majori pretio eloces; ista enim, cum non ad dominum spectent, sed ad te, non necessariò illi fructificare debent. Alium casum, si nempe retentio rei melioratæ non sit nova injuria; eoquòd res restitui tunc nequeat, excipit Lugo, quem vide loco citato.

634. Dico 6. Mala fidei possessor non tenetur in foro interno reddere fructus, quos ipse non percepit, & de quibus constat, quòd eos etiam dominus non percepisset, licet potuisset ipse, vel dominus eos percipere. ita Sanchez in decalog. l. 2. c. 23. n. 118. ubi plures alios citat, Lugo disp. 17. sec. 3. n. 54. Glettle p. 2. q. 19. n. 30. in select. quest. ex 2. p. ff. Haunoldus tom. 1. de just. tract. 3. c. 3. n. 286. Prob. In foro interno, seu conscientia, justitia tantum obligat ad servandam æqualitatem, ita, ut dominus non patiatur damnum emergens, nec lucrum cessans: sed circa fructus, quos nec possessor percepit, nec ipse dominus percepisset, non patitur dominus damnum emergens, nec lucrum cessans; sive enim fuerit facta injustitia, sive non, tamen dominus, nec plus, nec minus, quantum ad dictos fructus attinet, habuisset: ergo.

Dixi

Dixi in foro conscientia; nam in foro externo condemnatur talis possessor ad restituendos fructus, non tantum perceptos, sed etiam eos, qui honestè percipi potuissent, ut tradunt Glettle loc. modo cit. n. 27. Haunoldus tom. 1. de just. tr. 3. n. 287. & alij ex L. 33. & L. 62. ff. de rei vindicatione. & pluribus alijs, quibus statuitur, mala fidei possessores debere restituere fructus omnes neglectos: quæ leges utique justè statui potuere ad coercendos rapaces homines: sicut fures potuere damnari in quadruplum. Nec obstat L. Si fundum vestrum. 17. Cod. de rei vindicatione, ubi is, qui preta denunciatione domini fundum alienum emerat, jubetur tantum restituere fructus perceptos; quia, ut respondet bene Glettle ibid. n. 28. de his solis principes responderunt; quia de his solis erant consulti. An autem hæ leges consuetudine temperatæ fuerint, mihi non constat. Cæterum non obligant ante sententiam judicis; quia sunt leges pœnales, statuatæ in odium mala fidei, ut observat etiam Glettle.

ARTICULUS II.

Solvuntur Objectiones.

635. **O**B. 1. contra 1. conclusionem. Si mala fidei possessor potest retinere fructus intrinsecos, poterit etiam famulus, vel œconomus, qui emit, vel vendit rem, nomine domini sui, retinere lucrum industriæ suæ, e. g. si rem, quam potest vendere medio, vel infimo pretio, vendat summo: vel vicissim, si rem quam potuisset emere summo pretio, emat infimo: consequens est contra torrentem auctorum: ergo. prob. ma. possessor mala fidei lucratur ex re injustè vendita, vel usurpata: famulus autem ex re justè vendita: ergo. Resp. neg. ma. ad prob. neg. cons. possessor ille vendit nomine suo, famulus nomine alieno; nam uterque contractus à famulo inicus fuit nomine domini: consequenter omne pretium, quod accipitur, vel expenditur, nomine alterius datur, aut recipitur: ergo, si venditio est justa, totum pretium est alterius: & si justa emptio, tota merx pro tali pretio est etiam alterius, scilicet domini. Unde non potest famulus ex pecunijs, quæ ipsa acceptatione sunt domini, aliquid sine furto accipere: & æquè parum potest sibi aliquid accipere ex illis alijs pecunijs, quæ, quia non fuere pro mercibus expensæ, manent sub priori dominio. Accedit, quòd famuli labor, & industria compensentur salario.

Siquis autem alius, non famulus, gratis talem venditionem, vel emptionem pro alio ineat, solet tale obsequium aliter rependi. Certè, ut advertit Molina tom. 2. de just. tr. 2. disp. 363. domini ordinariè existimant, gratis id sibi fieri: & si putarent, fieri oblationem: vel alium quærerent, & invenirent, qui id faceret gratis: vel ipsimet

emerent, aut venderent: vel famulos mitterent. Neque in hoc casu concurrunt eæ circumstantiæ, quæ ad occultam compensationem licitè faciendam requiruntur, & de quibus egimus n. 579. ut facile patet ex pendenti: neque etiam, ut Molina loc. cit. advertit, verecundia petendi licitam faciendi occultam compensationem cum tanto dispendio domini rei.

636. Exceptio tamen fieri debet. Primo, si præcessit pactum expressum, ut famulus tanti emat, vel vendat, & lucrum, siquod ultra faciat, sibi retineat. Secundo, si dominus expressè taxavit pretium, & merito potest præsumi, quòd lucrum ulterius factum relinquat negotiatori. Hanc tamen voluntatem non possunt præsumere famuli; nam dominus, determinando pretium medium, tantum determinat, ut res non minori pretio vendatur: non verò, ut non majore: nec credo, quòd mercatores e. g. suis famulis relinquere velint omnia, quæ supra medium pretium acceperint. An autem aliquando alius, qui non habet stipendium laboris, possit hanc voluntatem præsumere, dependet à varijs circumstantijs, tum domini; tum negotiatoris.

Tertiò, si famulus adhibuit, notabiliter majorem, & extraordinariam diligentiam; ad quam ratione sui salarii, aut officij, nec determinatè, nec indeterminatè, erat obstrictus, e. g. si rem transtulit in locum valde distitum, ubi multò majus invenit pretium, tunc licitè retinet saltem tantum, quantum digna est industria extraordinaria.

Quartò, si dominus alteri, quam famulo expressè taxavit pretium, quo velit rem emi: ille autem prius minori pretio vendit rem domino. In hoc casu potest talis id, quod plus est, accipere, & sibi retinere. Sed, ne hac in re dolus interveniat, debet talis emptor intermedium totum periculum rei emptæ in se suscipere: & si res domino non placuerit, debet rem sibi retinere, nec quidquam potest à domino exigere, nec eum ad emendum obligare.

Nunquam autem puto admittendum esse, ut sic famuli emant tacitè prius res à dominis suis, & dein alijs carius vendant: quis enim hoc ferat in famulo mercatoris? & par est ratio de alijs; quia domini non volunt unquam, nec implicitè, hunc contractum cum ijs inire. Sed nec videntur famuli posse ita sibi emere; nec enim domini constituunt, aut alunt eos, ut prius merces proprio nomine emant, & dein primum alijs carius vendant: sicut nec eos alunt, aut constituunt, ut prius sibi ipsis emant, & dein primum dominis carius vendant: sed domini volunt, ut famuli immediatè nomine suo, id est, dominorum, modo, quo poterunt, meliore, res emant, aut vendant.

637. Solet etiam à quibusdam dici, posse retineri id, quod venditor remittit à pretio in gratiam negotiatoris, e. g. sartoris,

ris, qui solet sæpe apud eundem mercatorem pannum pro aliorum vestibus emere; quia tunc, ut ajunt, censetur mercator residuum pretij specialiter sartori donare. Sed hæc limitatio non caret difficultatibus, nec facillè hæc praxis est admittenda; quia sapientissimè mercator eodem pretio domino venderet pannum, & tantum dicit, se in gratiam sartoris aliquid remittere: insuper apud alios saltem mercatores posset pari, aut minori pretio, idem pannus haberi: sartores autem spe lucri sui nec multum urgent venditorem, ut aliquid remittat, nec alios mercatores accedunt, sicut facerent in propria causa, & sine spe lucri. videatur Lugo de just. disp. 26. sec. 9. n. 153. Lessius de just. l. 2. c. 21. dub. 19. Molina tom. 2. de just. tr. 2. disp. 363.

638. Ob. 2. contra 2. conclusionem. Fructus omnino consumpti, si eos dominus non percepisset, non tenetur restituere malæ fidei possessor, neque ex re accepta, neque ex injusta acceptione: ergo ex nullo titulo. prob. ant. non tenetur ex re accepta; quia non amplius extant, nec æquivalenter: non ex injusta acceptione; hæc enim non obligat ad restitutionem, nisi quatenus est efficax causa damni: sed non est talis in nostro casu; quamvis enim dominus agrum e. g. possideret, ramen eos fructus non percepisset; ergo. Resp. neg. ant. ad prob. neg. mi. subsumptam; licet enim dominus nil accepisset; quia ager tunc non fructificasset, tamen ex suppositione, quod fructificaverit, eo ipso fructus ei proprii facti sunt: quos talis possessor injustè sibi accepit, & absumendo damnum domino intulit.

639. Ob. 3. Juxta communissimam Theologorum non debent restitui ea, quæ perierunt apud furem, si similiter periissent apud dominum: ergo neque debent restitui fructus, quos fur, vel malæ fidei possessor absumpsit: dominus tamen, etsi rem possideret, non percepisset. Resp. dist. ant. non debent ea restitui, si fur in estimatione morali non sit causa efficax damni. conc. ant. si sit efficax causa damni. neg. ant. & conf. nam in casu nostro est causa damni efficax, ut patet ex num. præced.

Ut hæc res clarior fiat, varij casus sunt distinguendi. Primò, si res furtiva, vel injustè possessa, casu perit apud furem, vel iniquum possessorem: & eodem casu, vel infortunio, periisset certò apud dominum, e. g. si fuit commune incendium, aut diluvium: probabilis fur ad nullam restitutionem tenetur. Sic docet Voglerus de restitutione in genere. q. 32. n. 501. citans Covarruviam, Medinam, Navarrum, & alios. item Molina tom. 3. de justit. p. 2. tr. 2. disp. 725. Lessius de just. l. 2. c. 12. dub. 15. n. 92. Valquez de restitutione c. 5. §. 1. dub. 11. n. 66. Lugo de just. disp. 18. sec. 6. n. 142. Haunoldus tom. 1. de just. tr. 2. c. 3. n. 369. qui ait, hanc esse communem Theologorum. Dixi: Si certò periisset; nam, si sit dubium, vel si dominus eam rem interim vendidisset, juxta Lessium

loc. cit. tenetur fur ad restitutionem; quia, ut ait, in dubio melior est conditio innocentis.

Ratio autem hujus assertionis est. In hoc casu fur non effectivè, sed tantum affectivè, damnum intulit, nec est efficax causa interitus rei; cum ad hanc non cooperetur, nec res pereat ratione injustæ acceptionis; eoque res etiam periisset apud dominum, etsi ablata non fuisset; unde causa adæquata interitus rei est casus fortuitus, vel infortunium universale. Probat hoc Lessius loc. cit. ulterius ex L. Si plures. 14. ff. de positi, vel contra. §. Sive autem. ubi dicitur, si depositum apud depositarium, (qui id noluit reddere, & ideo in judicium tractus est) perit, ita, ut (prout supponitur) etiam apud dominum peritum fuisset, absolvendum esse depositarium: & ratio redditur; Utiq; cum interitura esset ea res, etsi restituta esse actori.

640. Nec dici potest, furem in tali casu commutare jus in re, quod habebat dominus, in jus ad rem: seu commutare obligationem restituendi rem, in obligationem restituendi pretium; non enim ipse commutat voluntariè; quia non ipse destruit rem voluntariè, sicut si consumeret: sed istud ipso invito facit casus fortuitus: nec etiam commutat involuntariè; quia in hoc casu solus casus fortuitus est causa destructionis adæquata, & non injusta acceptio. Hoc tamen verum est, quod sæpe in tali casu domino restituendum sit pretium usque rei fure, quatenus scilicet ea potuisset uti ante casum fortuitum: similiter lucra cessantia, & damna emergentia ante illum casum.

Si autem res apud dominum non periisset, juxta omnes certum est, quod injustus possessor debeat restitutionem facere; quia tenetur ratione injustæ acceptionis. Insuper injustus detentor est in mora: ei autem, qui est in mora, imputatur etiam casus fortuitus: si tamen moram purgasset, rem domino offerendo, & hic noluisse accipere, non amplius detentor teneretur ex casu fortuito.

641. Secundò. Si res perijt apud furem, atque etiam periisset apud dominum: at non casu, sed injurià; eoque alius fur eam surripuisset, tenetur prior fur ad restitutionem. ita Lessius de just. l. 2. c. 12. dub. 15. n. 92. Haunoldus tom. 1. de just. tr. 2. c. 3. n. 371. Vogler de restit. q. 3. n. 499. & hoc teste omnes. Ratio est. Si alter fur prius raperet, teneretur ad restitutionem: ergo etiam tenetur iste, qui eum prævenit, & totam ejus obligationem in se suscepit: resque se habet, sicut, si quis positivè cooperetur ad damnum, quamvis illud etiam sine ejus cooperatione daretur, qui utique tenetur ad restitutionem, ut communissimè omnes tenent; quia scilicet tamen efficaciter effectivè in damnum influit, & illa conditionalis: Si ego non fecissem, alij fecissent: ut ait Vogler de restit. q. 16. n. 261. exploditur in tribunalibus: & nihil facit ad mores.

642. Tertiò. Si fur, aut iniquus detentor, consumpsit rem, quam certò scivit, aliàs perituram esse apud dominum, & apud se, e. g. diluvio, incendio, naufragio &c. ut servari non potuisset, probabilis non tenetur ad restitutionem. ita Lessius de just. l. 2. c. 12. n. 93. Vogler de restit. q. 32. n. 502. Valquez, Lugo, & alij; nam in tali casu res parum, aut nihil valet: nec potest dominus rationabiliter esse graviter invitatus: ad summum deberet aliquid pretium vilissimum reddi. Rectè tamen advertit Lugo de just. disp. 18. sec. 6. n. 146. hunc casum non facillè contingere; quia semper aderunt aliqui, empturi saltem pretio quodam minori, ad quod reddendum dein fur etiam tenebitur. Unde ulterius advertit Vogler loc. cit. in casu talis inevitabilis periculi interitus apud dominum opus esse multiplici observatione; si enim fur eripuit rem periculo, e. g. incendio, & locavit in tuto, non potest absumere sine obligatione restitutionis, ut habet etiam Haunoldus tom. 1. de just. tr. 2. c. 3. n. 368. Lugo de just. disp. 18. sec. 6. n. 148, & hoc teste omnes alij; quia melior status rei pertinet ad dominum. Ulterius ait Haunoldus tom. 1. de just. tract. 2. c. 3. n. 371. si res apud furem periret ex negligentia; eoque facillè posset eam servare, sed noluit, quanquam apud dominum etiam periisset, teneri furem ad restitutionem; quia propter furtum commissum suscepit in se obligationem custodiendi rem furtivam diligentia saltem communi.

643. Sed in hoc casu Lugo de just. disp. 18. sec. 6. n. 145. quidem consentit, si fur non possit pro tunc rem domino reddere, nec in priori loco, underapuit, constitutur; tunc enim, ait, videtur teneri saltem custodire, & non negligere, saltem negligentia gravi: at verò, si rem domino reddere possit, vel statuere in loco priori, ait, ad hoc tantum teneri ex justitia; per hoc enim, ait, desistit à furto: cum autem id domino parum, aut nihil prosit, addit, non peccaturum contra justitiam graviter, si id non faciat, sed rem consumat.

Sed non credo tam facillè, quod in tali casu liceat, rem restituere certò perituram; nam hoc esset quasi, si quis furtivè, vel non furtivè, vestes Petri extraxisset ex incensa ejus domo, ubi prius fuissent, & postea eas iterum in eandem domum accensam conjiceret, vel reponeret: quo casu quidem eas in eodem loco, & sub dominio domini constitueret: sed quia in his circumstantijs dominus propter grave damnum inde oriturum, meritissimo jure esset invitatus, nemo diceret, quod talis positio, vel collocatio vestium, non peccaretur contra justitiam: imò hoc non licere, & contra justitiam esse, docet ipse Lugo de just. disp. 17. sec. 2. n. 30. pariterque Haunoldus tom. 1. de just. c. 3. tr. 3. n. 255. qui ait, nec negari hoc ab adversarijs. Sed de hoc plura infra n. 648.

644. Quartò. Si fur destruat, aut absumat rem, quando nondum prævidetur

imminens periculum, de rigore juris tenetur restituere totum valorem, quamvis res apud dominum manens certissimè periisset casu fortuito. ita Lugo de just. disp. 18. sec. 6. n. 143. item Haunoldus tom. 1. de just. c. 3. tr. 2. n. 367. Ratio est; quia, quando periculum nondum prævidetur, res adhuc retinet totum suum valorem: ergo, quando adhuc eo tempore eam destruis, suscipis in te obligationem restituendi totum illum valorem: quæ obligatio manet, etsi postea periculum, vel causa interitus rei, e. g. incendium superveniat; nam sicut, si emisisses rem eo tempore, adhuc debuisses eam toto pretio emere, & dein istud solvere, etsi talis causa supervenisset, & te re illa privasset (quia obligatio, prius contracta, non extincta fuisset per supervententem interitum) ita etiam, si rem tunc voluntariè destruxisti, debet totum rei valorem restituere. Sicut enim in priori casu res etiam transit in dominium emptoris, & venditor habet jus in personam ejus, ita etiam in hoc casu dominus habet jus in furem; nam iste voluntariè rem auferendo, accedente dein destructione, commutavit jus in re, quod prius habuit dominus, in jus in personam, quod dominus modo habet contra personam furis, & quod manet, etsi res postea certissimè etiam apud dominum peritura fuisset.

645. Nec dicas, talem furem non esse causam efficacem injusti damni; nam certè est causa effectiva damni; quia est causa effectiva destructionis, quæ hic, & nunc damnicat. Quod autem res, etsi mansisset pro hoc tempore, postea tamen consumpta fuisset, non probat, rem illam, dum periculum nesciebatur, non habuisse totum valorem communem: neque res fermè habet, ac in casu, quo quis alteram occidit, nesciens, eum mox fulmine, vel apoplexià tangendum, qui pianè injustitiam committit.

Quinto. Multò magis tenetur fur ad restitutionem, si rem consumat loco, quo non periisset, vel post periculum, e. g. si furatus est Titius vestem pretiosam, è domo Caji, quæ postea cum omnibus mobilibus combusta est, ita, ut etiam vestis, si non ablata fuisset, certissimè absumpta fuisset. Ratio est clara; quia res, quomodo-cunque servetur, manet domini, sicut ovis è lupi faucibus extracta: & transacto periculo recuperat res omnem pristinum valorem. Sextò. Adhuc magis, (ut ex dictis inferitur) qui rapuit rem e. g. in casu incendij, vel ex aliquo alio loco, ubi res aliàs certissimè periisset, eamque adhuc habet, debet domino eam restituere.

ARTICULUS III.

An, qui rem alienam à fure emit, possit eam eidem restituere ad recuperandum suum pretium.

646. Hæc controversia commode reducitur ad hanc questionem.

nem, in qua potissimum de obligatione possessoris malæ fidei agitur; supponitur enim, in hoc casu possessorem esse malæ fidei: vel quia jam ante emptionem scivit, rem esse alienam, aut furtivam, adeoque fuit emptor malæ fidei, & mala fide possessionem incepit: vel quia, licet fuerit emptor bonæ fidei; eoque ante emptionem non sciverit, rem alienam esse, adeoque possessionem bona fide cepit: tamen ob supervenientem postea noticiam, quod res sit furtiva, incepit esse malæ fidei possessor. Quæritur autem hæc, an, qui talem rem emit, teneatur, eam immediatè reddere domino suo, vel an possit, eam reddere furi, à quo emit, ut sic ab isto recuperet suum pretium. Et quidem quæritur tam de emptore bonæ fidei, quam de emptore malæ fidei.

647. In hac controversia conveniunt authores 1. quodd, quando pretium non potest recuperari, e.g. quia fur jam aufugit, debeat res reddi domino; quia, ut communiter dicitur: *Res semper clamat post dominum*: nec potest quis retinere, quod scit esse alienum, & sibi à non domino venditum. 2. quodd, quando emptor non debet pati damnum, nisi rei emptæ, & non simul pretij expensæ, debeat rem immediatè restituere domino; non enim licet sine meo periculo, vel damno, rem proximi exponere periculo injustæ ablationis, aut detentionis.

Econtra etiam conveniunt 3. quodd, quando prudenter non dubitatur, rem ab ipso fure domino restituendam, possit ea furi reddi; quia in tali casu domino non est noxia ea redditio, nec is propterea incurrit damnum. At difficultas in eo stat, an talis emptor, bonæ, vel malæ fidei, possit rem reddere furi, de quo omnino incertum est, vel meritò dubitatur, an sit domino rem restitutus: quo casu per talem restitutionem rei, furi factam, dominus incurrit morale periculum, rem suam perdendi.

648. Dico 1. Emptor talis, sive bonæ, sive malæ fidei, non potest rem alienam positivè reddere furi. ita Molina tom. 3. de justit. p. 2. disp. 722. citans Joan. Medinam, Sotum, Govarruviam, Ledesnam, & alios. Layman l. 3. sec. 5. tr. 4. c. 17. §. 13. n. 24. citans Bartholom. Medinam, Majorem, Azorium, & alios. La Croix l. 3. p. 2. n. 100. citans insuper Cajetanum. Prob. conclus. Melior status, quem acquisivit res, spectat ad ipsam rem, & consequenter ad dominum rei: ergo, qui rem illam ex meliore statu iterum conjicit in deteriore, facit domino injuriam, atque adeo agit contra justitiam: atqui emptor talis, positivè reddens rem furi, è cujus manibus extracta jam erat, eam iterum conjicit in deteriore statu: ergo facit domino injuriam, & agit contra justitiam: atque adeo non potest licitè, rem positivè reddere furi. primum antec. communissimè admittitur; & si negetur, non potest dari ratio, quare is, qui eripuit rem alterius ex igne, vel aqua, non possit eam iterum conjicere positivè in eundem ignem, vel

aquam, quod nemo admittet. Et sanè, qui rem per suam emptionem è noxijs manibus furis extraxit, tam parum potest eam in eadem reponere, quam parum, qui rem extraxit è flammis, eam potest in eandem rursus rejicere.

649. Confir. ex Laymano loc. cit. Non tantum, postquam à domino interpellatus fuit iudex (post cujus sententiam utique datur sæpe obligatio, quæ ante eam non datur) sed jam antè potest dominus, si tantum certior factus fuit de re sua, apud talem emptorem existente, eam sibi statim vindicare, ut habetur L. Mater. 3. & L. Adversus. 4. Cod. de rei vindicatione: & si dominus tunc rem ab emptore repetat, non potest iste, ad se indemnem servandum, rem reddere furi, sed debet eam statim domino restituere, ut teste Molina cit. disp. 722. farentur adversarij: atqui hæc petitio, vel interpellatio domini; non tribuit huic novum jus, nec potest ostendi, ex quo capite sola isthæc interpellatio vim habeat, prohibendi, vel impediendi emptorem à recuperatione sui pretij, si hic non jam prius ratione rei apud ipsum existentis, ac melioris status, quem acquisivit, & quo spoliari non potest, fuisset prohibitus, vel impeditus à re furi restituenda: ergo ista restitutio jam prohibita est antecederet ad scientiam domini: consequenter, quando-cunque emptor scit, rem esse alienam, debet eam reddere domino, insuper habito periculo perdendi pretium: sicut scilicet deberet eam reddere, si fur aufugisset. Interim tamen semper habet emptor contra furem actionem de rei evizione: quam, si ob improbitatem furis, vel ejus fugam, persequi non potest, debet damnum pretij infortunio suo adscribere.

650. Hoc tamen addo ex Layman l. 3. sec. 5. tr. 4. c. 17. n. 24. & Molina de justit. tom. 3. p. 2. disp. 722. (ubi insuper profè citat Sotum, & Ledesnam) quodd, si quis bona fide putasset, sibi licere, ad recuperandum suum pretium, rem furi restituere, atque etiam ex hac persuasione actu restituisset, ad nihil amplius teneretur; non enim teneretur ex re accepta, neque ex injusta acceptione, nec ex alio titulo: non ex re accepta; quia eam non amplius habet, nec ex ea ditior factus est: non ex injusta acceptione; quia hæc per restitutionem retractata est, & post retractationem non est amplius causa damni domini, ut paulò post dicemus.

Sed neque ipsa restitutio facta furi fuit nova injusta acceptio, vel contractio rei, nec æquivalenter talis; quia facta est bona fide, & sine culpa Theologica: adeoque saltem in foro interno talis ad nihil teneretur: quamvis Molina loc. cit. dicat, si constaret in foro externo, quodd talis emptor, sciens rem esse alienam, & tamen furi eam restituent, ut pretium recuperaret, cogereur ad restituendum domino valorem rei, si fur jam abiisset, ita, ut ab eo res recuperari non posset.

An, qui rem alienam à fure emit, possit eam eidem restituere ad recuperandum &c. 169

651. Dico 2. Potest tamen emptor bonæ fidei repetere à fure pretium, & si hoc aliter recuperare nequeat, potest permittere, ut fur rem alienam iterum auferat. ita La Croix l. 3. p. 2. n. 99. ubi dicit, esse communem, Molina de justit. tom. 3. p. 2. disp. 722. §. Ad secundum dicendum. Layman l. 3. sec. 5. tr. 4. c. 17. n. 24. quibus à fortiori consentiunt ij, qui tradunt, quodd etiam positivè res furi restitui possit. Prob. conclusio. Etsi nemo possit licitè rem alienam ex meliore statu transferre in deteriorem, tamen etiam per se, & independentè à contractu, vel alia speciali obligatione, nemo tenetur, rem alienam cum magno suo damno in statu meliori custodire, vel conservare: atqui is, qui tantum permittit furi, rem alienam auferre, non positivè cooperatur ad ejus ablationem, nec positivè rem transfert in manus furis, tanquam in statum deteriorem, sed tantum eam non custodit: ergo nihil illicitum facit.

652. Dico 3. Idem per se, sive, si non adsint aliæ circumstantiæ, peculiariter impediens, vel prohibentes, potest permittere emptor malæ fidei. ita La Croix l. 3. p. 2. n. 100. ubi probat, esse eandem rationem de uno, ac de altero emptore: nec videntur dissentire Layman, & Molina, quamvis emptorem malæ fidei non expriment. Idem sentiunt Lugo de justit. disp. 17. sec. 2. n. 37. Haunoldus, Illung, & alij plures, qui defendunt, emptorem malæ fidei posse etiam positivè reddere rem furi, ut recuperet suum pretium.

Prob. conclus. Quando contractus rescinditur (ut fit in nostro casu) tunc non magis nascitur, aut continuatur injuria ratione talis permissionis, quam si emptio fuisset bona fide facta: nec talis emptor amplius mediatè, vel immediatè, influit in damnum domini, ut rectè notat Lugo loco citato: ergo talis emptor satisfacit suæ obligationi, quam incurrit ratione contractus mala fide initi: nec deinceps vi istius tenetur ad specialem custodiam rei alienæ, adeoque etiam ipsi talis permissio ablationis rei est licita.

Prob. conf. Ex una parte emptio illa, quamvis fuerit mala fide facta, postquam tamen est retractata, jam non est de facto causa, ut dominus debeat carere re sua; cum in hoc nec mediatè, nec immediatè influat, ut patet expendenti: ex altera parte injustus acceptor tantum debet facere, ne ob suam actionem dominus debeat carere re sua, vel damnum pati: atqui hoc facit talis emptor, retractando, & quantum potest annihilando contractum: ergo satisfacit suæ obligationi.

653. Sic, ut habet idem Lugo loc. cit. si quis ex stabulo furis abegisset bovem: postea autem in itinere adverteret, eum esse cornupetam, & sibi, vel reliquo gregi periculosum, posset retractata voluntate dimittere bovem, etsi sciret, eum rediturum ad stabulum furis; quia cum tanto incommodo non tenetur, domino bovem custodire.

R.P. Ant. Mayr Theol. Tom. II.

Dixi: Si non adsint aliæ circumstantiæ &c. nam. 1. si hic emptor se aliquo modo participem fecisset furti, præbendo recursum furi, vel per frequentem emptionem eum animando ad similia furta, 2. si rem diu detinisset, ita, ut hæc detentio injusta novum damnum causasset, aut difficiliorem reddidisset, vel furi restitutionem, vel domino recuperationem rei: vel similes aliæ circumstantiæ occurrerent, aliter esset loquendum. At si emptor tantum brevi tempore rem detinisset, ex tali modica moram nullum damnum notabile domino emerisset.

ARTICULUS IV.

Solvuntur Objectiones.

654. **O**B. 1. contra 1. conclus. Emptor restituens rem furi se habet, sicut si quis è stabulo furis abegisset bovem cornupetam, quem (cum dein sibi, vel suis animalibus, ab eo debeat timere periculum) potest iterum licitè dimittere, ut redeat ad stabulum furis, ut ipsimet n. preced. diximus: ergo etiam talis emptor potest licitè rem reddere furi. Confir. Si furi eripuissem pallium alienum, & ille vicissim rapuisset meum, non redditurus mihi istud, nisi prius ei reddidissem illud alienum, possem hoc ei licitè reddere: ergo etiam possum furi restituere rem alienam, si fur aliter non vult reddere pretium.

Resp. neg. ant. talis emptor non se habet ut præcisè dimittens bovem (nam sic se habet ille, qui juxta nostram secundam conclusionem tantum furi permittit, ut rem iterum auferat) sed ille emptor, positivè rem reddens furi, se habet ut is, qui positivè reduceret bovem in stabulum furis: quod æquè negamus esse licitum, ex eodem nostro principio, quodd nempe non liceat, per actionem positivam, rem alienam in deteriore statu ponere. Ad confir. iterum neg. ant. Neque in hoc casu possum positivè furi dare pallium alienum: sed tantum possum permittere, ut ipse alienum pallium auferat. Ratio patet ex dictis.

655. Dices 1. Sive pallium ipsimet dem furi, sive tantum permittam, ut ipse fur auferat, in utroque casu idem damnum sequitur domino, posito, quodd fur auferat: ergo nihil interest inter unum, & alterum. Resp. neg. conf. In priori casu ego positivè cooperor ad damnum domini, & sum causa damni, quodd est illicitum: in altero casu ego damnum tantum permitto, nec sum ejus causa, quodd sæpe est licitum. Sic quando e.g. milites in bello injusto incendunt domum mei vicini, idem damnum sequitur, sive etiam ego faces apponam, sive tantum incendium non impediam: attamen nullo modo, etiam ad evitandum magnum damnum, quodd mihi milites minantur, e.g. incendium domus meæ, possum faces apponere, & ad incendium domus proximi cooperari: possum tamen ad evitandum meum

meum damnum incendium illud permittere. videatur Molina tom. 3. de just. p. 2. disp. 722. n. 3. §. Ad secundum. ubi expressè ait, nec ad evitandum damnum corporale licitum esse, ponere actionem positivam contrariam juri tertij, nisi quis fortè paratus in animo esset, ad resarciendum domino damnum, quod sua actione causavit.

656. Dices 2. Possùm e. g. furioso, qui mihi minatur, quòd me velit sclopo traicere, nisi reddam ei gladium, cum quo vult egressi ad duellum, possum, inquam, ad evitandum hoc vitæ periculum, vel aliud simile malum, tali homini positivè reddere gladium, etsi videam, quòd isto seipsum, vel alium occisurus sit: ergo à pari potest etiam emptor, positivè reddere furi rem alienam. Resp. neg. conf. Si gladius est furiosus, ista actio non est contra justitiam, aut cooperatio ad eadem: sed neque in his circumstantijs est contra charitatem; quia charitas non obligat, ut ad servandam alterius æqualis vitam ipsemet par vitæ periculum incurram. Si etiam gladius sit alterius, cum non sit periculum furti; eoquòd furiosus non velit eum furari, dominus non potest in his circumstantijs esse rationabiliter invitatus, si alter ad servandam suam vitam gladium ejus ad aliquod tempus commodet: at in casu nostro emptor non incurrit periculum vitæ, sed tantum periculum perdendi pretij. Quodsi autem periculum vitæ quis incurreret, tunc considerari deberet, an in eo casu dominus posset esse rationabiliter invitatus, vel non: & certè sæpe posset. Huc spectat, quòd ex Molina n. præced. attulimus.

657. Dices 3. Si quis aliquid invenisset, dein autem propter eam rem incurreret aliquid periculum perdendi res suas, vel etiam periculum incurrendi infamiam, quasi rem furatus fuisset: in hoc casu posset is rem iterum positivè reponere in antiquo loco, etiam cum periculo, ne res furto auferatur, vel aliter pereat: ergo etiam emptor ob periculum perdendi pretium potest rem alienam iterum positivè reponere in manibus furis. Resp. Layman loc. cit. n. 650. è contrario vult nostram sententiam probare ex hoc ipso casu; ait enim, quòd, si Titius rem Caij invenerit, dein autem debitor Titij huic minetur, se aufugiturum, adeoque debitum non solutum, nisi Titius rem inventam reponat eodem loco, ubi priùs fuerat, ut scilicet ipse debitor eam postea auferat, vel furari possit; ait, inquam, Layman, quòd in hoc casu nemo dicitur sit, Titium sui damni vitandi causà id facere posse.

Certè, si inventor obligationi suæ satisfecit, & statim inquisivit in dominum, periculum infamiæ facile amovebit: si autem omisit diligentiam debitam, sibi adscribat suum damnum. Reponere in antiquo loco non potest; habet enim multa alia media liberandi se ab infamia; multi enim sunt modi occultè rem domino restituendi, e. g. per confessarium, vel alium tecto nomine

inventoris restituentem &c. in forma fortè alius negaret consequ. præsertim si periculum esset famæ, quæ est bonum altioris ordinis, & longè magis æstimabile, quàm tantum periculum pretij, quòd est bonum ordinis inferioris: sed expeditius, & melius negant.

658. Dices 4. Tamen ipse fur non tenetur incurere infamiam, & se prodere restituendo rem domino: ergo nec emptor, etiam, qui mala fide emit. Resp. conc. totum. Non dicimus, quòd emptor se debeat prodere cum sua infamia: at non propterea potest rem reddere furi; cum habeat alios varios modos, vel prætextus, rem sine infamia domino restituendi. Sic etiam fur, licet non debeat rem cum sua infamia restituere domino, tamen non ideo potest eam sibi retinere: sed debet uti occultis modis restitutionem faciendi, quos suppetere nemo dubitat.

Imò in tali emptore restitutio facta furi non potest esse medium necessarium ad evitandum infamiam; nam vel res est adhuc penitus occulta: vel jam rumor aliquis de ea percubuit; si primum: non est periculum infamiæ; quia, dummodo velit occultè rem reddere domino, salva est fama: si secundum: non video, quomodo emptor infamiam evitet melius, rem restituendo furi, quàm si occultam restitutionem domino faciat; quia, si furi rem reddat, dominus certior factus de eo, quòd res apud ipsam fuerit, contra eum agat; & licet neget, se eam habere, neque etiam convinci possit, tamen manebit suspectus, non minus, imò magis, quàm si res occultè restituta fuisset, ut expendenti magis patebit.

659. Ob. 2. In jure datur actio furi ad rem repetendam: ergo habet jus ad eam repetendam: ergo eam emptor illi justè restituit. Resp. ergo, si dominus certior factus de re sua, apud emptorem existente, eam immediatè ab hoc repereret (quod ei jura apertè concedunt per L. Mater. & L. Adversus. Cod. de rei vindicatione) faceret injuriam furi, quòd est falsum. Resp. in forma cum La Croix l. 3. p. 2. n. 100. dist. 1. conf. fur habet jus conditionatum. conc. habet jus absolutum. neg. 1. & simul 2. conf. Scilicet furi concedunt leges tantum jus sub conditione, si prudenter judicetur, velle rem restituere, & dominus rem aliter non esset accepturus; non enim volunt leges favere furi qua tali, sed tantum ut volenti satisfacere suæ obligationi; unde tribuunt ei jus ad rem repetendam, in eum finem, ut eam possit, prout debet, domino restituere: secus autem, si restituere nolit. Non autem negamus, quòd furi verè poenitenti, & ad restitutionem faciendam parato, possit res restitui, & ab eo pretium, quòd etiam debet reddere, recipi.

660. Ob. 3. Si emptor accepisset rem alienam à fure post contractum emptionis initum, ita tamen, ut solutio nondum fuisset facta, posset licitè contractum iterum rescin-

rescindere, & rem furi restituere, retento pretio: ergo idem potest præstita solutione; quia non magis læditur jus domini in uno, quàm in altero casu. Resp. dist. ant. potest in tali casu emptor rem reddere furi, si contractus plenè est initus, & res plenè tradita emptori, ita, ut sit plenè extracta è manibus furis. neg. ant. si res adhuc quasi pendeat, nec sit omnino extracta è manibus furis. om. ant. & neg. conf. Sanè non video, cur talis emptor, qui neque habet periculum perdendi pretium, possit rem positivè reddere furi. Quodsi etiam per accidens in aliquo casu, ad majora damna vitanda, aliquis deberet aliquid dare furi, quem nollet prodere, non video tamen, cur huic emptori, qui necdum solvit pretium, magis, quàm alteri, qui pretium jam solvit, liceat ponere actionem positivam domino noxiam: quamvis etiam hic emptor ad vitandum magnum suum incommodum possit permittere, ut fur rem denuo auferat. Si autem contractus nondum est plenè initus, nec res omnino extracta ex manibus furis, res nondum absolutè habet meliorem statum, adeoque non est par ratio cum isto, & nostro casu.

661. Ob. 4. Status iste melior non provenit ex ipsa re, sed ex libera voluntate ementis, èstque rei tantum extrinsecus: ergo, licet res eo iterum privetur, non sit injuria domino. Resp. neg. conf. Undeunde proveniat status melior si ve intrinsecus, si ve extrinsecus rei sit, spectat ad dominum, nec potest sine hujus injuria res eo privari; aliàs dicam, quòd, si res ab accurrente amico erepta sit incendio, possit iterum in incendium iniici; quia etiam tantum privaretur statu meliore extrinsecus, qui non provenit ab ipsa re, sed à favore amici, in tempore accurrentis.

Dices. Non est paritas cum iniiciente rem in ignem, & cum restituente rem furi: ergo retorsio hæc est nulla. prob. ant. prior ponit actionem, ex se physicè destructivam rei: alter ponit actionem, non physicè, imò nec moraliter destructivam rei; quia fur adhuc potest, imò debet rem domino restituere: ergo. Resp. dist. ant. non est inter eos paritas est omnimoda materialis. con. ant. non est formalis. neg. ant. & conf. ad prob. om. vel conc. ant. & sub data dist. conc. vel neg. conf. Concedo, quòd iniiciens rem in ignem ordinariè immediarius, & majus damnum inferat domino rei, quàm rem restituens furi; quia ille rei non tantum meliorem statum, sed omnem statum physicum, & si res non amplius ex igne extrahi possit, etiam spem omnem, eam recuperandi, aufert: quòd non facit restituens rem furi. Attamen per hoc non ostenditur, quòd talis restituens rem furi non inferat domino aliquid damnum, tollendo à re meliorem ejus statum, & reddendo difficillimam, sæpe etiam omnino impossibilem, ejus recuperationem: non est autem licitum, damnum etiam minus inferre domino.

Paritas ergo inter eum, qui rem ex

igne extractam denuo in eum rejicit, & inter illum, qui rem à fure emptam eidem restituit, stat in hoc, quòd uterque rem collocet in deteriori statu, ex quo, vel omnino non, vel non nisi valde difficulter extrahi possit; quia difficulter res ex igne extrahitur, & sæpe æquè difficulter ex manibus furis ignoti, vel jam elapsi. Unde uterque, tam iniiciens in ignem, quàm restituens furi, ponit positivè actionem noxiam domino, & contrariam ejus juri. Quòd autem una actio magis, altera minus noxia sit domino, non probat, ullam ex ipsis licitam esse.

662. Ob. 5. Si res est in manibus furis, est in statu meliore, quàm, si sit in manibus emptoris: ergo, si reddatur furi, non ponitur in statu deteriori: adeoque rationes nostræ nihil probant. prob. ant. facilius est restituere furi, quàm tali emptori: ergo major est spes, dominum rem suam recuperaturum à fure, quàm à tali emptore. prob. ant. fur tantum patitur lucrum cessans: emptor insuper damnum emergens; quia perdit suum pretium: ergo illi est facilius restituere, quàm isti. Resp. neg. ant. ad prob. neg. conf. Est utique major spes recuperandi rem suam ab homine honesto, & bonæ conscientiæ, quàm à fure. Nam inprimis etiam fur patitur, non tantum lucrum cessans (per hoc enim intelligitur lucrum necdum possessum; cum tamen fur rem jam possederit) sed etiam damnum emergens (per quòd intelligitur jactura rei jam priùs possessæ) sed quidquid de hoc sit: demus etiam, quòd facilius esset furi restitutio, quàm emptori, si tamen ille ex perveritate sua restituere nolit, vel certè magnum periculum sit, ne nolit, facilius dominus rem suam recuperabit ab homine pio, qui majorem difficultatem longè citius superabit, quàm fur minorem.

663. Dices 1. Emptori bonæ fidei non debet obesse sua pietas. Resp. dist. illat. non debet ipsi obesse in ordine ad felicitatem æternam. conc. illat. non debet obesse in ordine ad felicitatem temporalem. sub. dist. non debet obesse per se. omitt. non debet obesse per accidens, præsertim ob malitiam alterius. neg. illat. Certè sæpe pij ob aliorum malitiam debent etiam sub obligatione gravi pati damna temporalia; quia non semper suppetunt media licita avertendi ea damna: & Deus hæc sæpe permittit ad majorem servorum suorum gloriam in celo: quæ tamen damna temporalia non patiuntur mali; quia hi non verentur, adhibere media illicita ad ea avertenda.

Dices 2. Hac ratione emptor bonæ fidei esset deterioris conditionis, quàm emptor malæ fidei: hoc est absurdum: ergo. Resp. neg. ma. nam etiam emptori malæ fidei non est licitum, rem emptam alienam positivè reddere furi; si autem id faciat, e quidem non patitur damnum temporale bonorum fortunæ, sed tamen patitur damnum longè majus, nempe gratiæ Divinæ,

664. Dices 3. Saltem res est in deteriore

riore statu, si sit in manibus emptoris malæ fidei, quam si sit in manibus furis; quia, ut dictum, ille habet duas difficultates restituendi, ubi fur tantum habet unam: adeoque major spes est restitutionis faciendæ ab isto, quam ab illo: ergo emptor malæ fidei poterit rem furi restituere. Resp. dist. ant. res est in deteriore statu in manibus emptoris malæ fidei, si iste ita constitutus sit, ut velit, quantum potest, & debet, obligationem suam implere, & licet tantum agere: ad quam animi constitutionem ex iustitia obligatus est. neg. ant. si non sit ita constitutus. om. ant. & neg. conf. Questio hic procedit de eo, qui ita constitutus est, ut velit tantum licet agere; nam queritur, quid talis emptor possit, aut debeat facere, si velit licito modo rem aliena, & contracta inde obligatione se liberare: non autem queritur, quid possit facere homo projectæ conscientiæ, qui sive per fas, sive per nefas, velit esse indemnus.

Si autem emptor, qui prius mala fide emit, modo ita constitutus sit, ut velit tantum licet agere, tunc utique res habet meliorem statum apud ipsum, quam apud furem, de quo maximum dubium est, an unquam sit restitutus. Unde non queritur, an absolute melius sit, rem esse apud furem, quam apud emptorem; nam utique potest contingere, ut domino absolute melius, & optabilius esset, rem esse adhuc apud furem, quam apud alium, à quo sæpe longe difficilius potest eam recuperare; imò aliquando omnino non potest: sed queritur tantum ex suppositione, quod emptor ita constitutus sit, ut velit obligationi suæ satisfacere, ad quam ipsam animi constitutionem habendam est obligatus: quod addo, ne quis inferat: ergo saltem emptori obfirmato ad rem retinendam, si pretium suum non recuperet, licitum fore, eam furi restituere; nam hæc ipsa obfirmatio jam est illicita, & domino injuriosa.

665. Dices 4. Juxta nos emptor non tantum non posset rem in deteriore statu rejicere, sed deberet eam ad statum meliorem promovere: sed hoc est nimium: ergo. prob. ma. emptor non posset rem retinere, adeoque non posset eam relinquere in eo statu, quem habet apud se, sed deberet eam reddere ipsi domino: hoc autem esset eam promovere ad meliorem statum: ergo. Resp. neg. ma. universaliter acceptam; cum enim possit permittere, ut fur rem auferat, non tenetur, eam possit ad statum meliorem promovere: item potest dominum monere, ut ipsemet eam accipiat, & in meliorem statum transferat. Resp. 2. om. ma. neg. mi. Ut rectè Molina tom. 3. p. 2. disp. 722. n. 3 §. Ad primum. ait, emptor, cum non possit rem tradere furi, neque eam sibi retinere, tenetur illam reddere domino, & sic per accidens in meliorem statum transferre. Si tamen in hanc translationem expensæ essent faciendæ, ex communibus animi principijs desumendum est, quas expen-

fas, bonæ, vel malæ fidei possessor, possit deducere, de quibus infra.

666. Ob. 6. contra 2. & 3. conclus. Si ad recuperandum meum pretium licet, permittere furi, ut alienam rem auferat, poterit etiam licet eidem, volenti mihi eripere centum aureos, aperire cistam apud me depositam, ut ex ea possit auferre centum alios aureos, & simul permittere, ut eos auferat: sed hoc est falsum: ergo. Confirm. Saltem emptor malæ fidei non potest licet permittere, ut fur alienam rem auferat: ergo. prob. ant. injusta acceptio rei alienæ, per emptionem mala fide factam, imponit emptori onus servandi dominum indemnem: atqui non servat indemnem, si permittat furem auferre rem domini: ergo. Resp. neg. ma. Apertio cistæ est actio positive injuriosa domino, etque noxia: & præsertim in tali casu est positiva cooperatio ad ablationem aureorum; unde non est licita; etiam ad advertendum meum damnum: non ita se habet puta permissio, quam nos concedimus licitam esse emptori.

Ad confir. neg. ant. ad prob. neg. ma. Illa acceptio non imponit obligationem servandi dominum omnino indemnem, sed tantum indemnem ratione suæ acti. nis, ita, ut ex illa actione nullum omnino damnum sequatur: atqui, si emptio retractetur, & consequenter, quantum fieri potest, actio emptoris annihilatur, ita, et neque in se, neque in ullo effectu suo duret, non sequitur amplius ullum ex ea damnum domino; nam ista actio dein non est amplius causa, cur domino res non restituatur, aut diutius detineatur: sed omiſſæ restitutionis, vel ortæ dilationis causa sola est malitia furis, quam emptor tantum permittit. Illa etiam prior detentio rei apud emptorem, quam supponimus brevem fuisse, nec attulisse domino incommodum alicujus momenti (alias, ut dictum n. 653. esset exceptio faciendæ) etiam non obligat ad aliud, quam ad cessandum ab ea: quod emptor in nostro casu facit. Hoc totum magis declarat exemplum bovis cornupetæ, è stabulo furis abacti, ac dein iterum ad idem redire permissi, de quo eodem n. 653.

ARTICULUS V.

Ad quid teneatur Possessor Dubiæ Fidei.

667. Dico 1. Qui bona fide cepit rem possidere, si superveniat dubium, an non res sit aliena, debet morali diligentia inquirere, an sit sua, vel alterius. Si autem eâ diligentia adhibita dubium vinci non possit, non tenetur alteri rem dare, sed potest eam retinere. ita communissime doctores: & jam probata hæc conclusio est n. 363. & seq. Et quidem leges, ac jura ibi citata conducunt ad quietem, & tranquillitatem communem, atque iustissime potuerunt statui: nec sunt leges pœnales, sicut nec leges de præscriptione pœnales sunt; unde

unde in foro interno, & externo, vim habent: & certè, nisi etiam in foro interno vim haberent, finem suum non obtinerent, ut in simili diximus n. 340. Adde, quod possessor talis dubius, an res sit sua, an Titij, duplex habeat jus, unum proprietatis dubium, alterum possessionis certum: e contra Titius tantum habeat unum, scilicet jus proprietatis dubium: igitur debet jus duplex uni prævalere.

668. Dico 2. Qui occurrente dubio omittit inquisitionem, & postea deprehendit, rem fuisse alienam, tenetur domino restituere rem, & fructus etiam consumptos, ex eo tempore, ex quo cepit negligere inquisitionem, etsi non fuerit factus ditior. ita Lessius de just. l. 2. c. 14. dub. 4. n. 23. Sanchez in decal. l. 2. c. 23. n. 182. Molina tom. 1. de justit. tr. 2. disp. 36. §. Reliqua. Vogler in manuscriptis, & alij plurimi. Ratio est; quia, cum talis possessor teneatur in rei veritatem ex iustitia inquirere, si id non faciat, ceitat esse bonæ fidei, & incipit esse possessor malæ fidei, consequenter tenetur ad restitutionem, sicut alij malæ fidei possessores.

Quod si postea veritas non amplius possit sciri, tenetur talis, saltem compensare spem, quam alter potuit habere, ut docent Molina cit. disp. §. Sit ergo. Sanchez in decalog. l. 2. c. 23. n. 183. Lugo de just. disp. 17. sec. 4. n. 84. quibus Haunoldus avertitur, si dubitatum fuerit de particulari persona, non verò, si tantum in genere: sed ratio ejus non videtur mihi valde efficax; quia, sicut dubito de Petro, ita dubito de tota communitate: hoc tamen discrimine, quod fortè in casu dubij de communitate aliquid restituendo faciendæ sit pauperibus. Si autem postea talis possessor rescirer, se dominum verè fuisse, ad nihil teneretur; quia illa negligentia non inquit alteri damnum effective, sed tantum affectivè.

669. Dico 3. Si quis rem alienam bona fide accepit, & obortum postea dubium non potest morali diligentia vinci, potest etiam eam rem alienare. ita communis apud Lugo de justit. disp. 17. sec. 4. n. 89. Monere tamen prius debet emptorem de hoc ipso dubio; quia vendit rem viciosam, quam alter fortè non emeret. Ratio conclusionis est; quia, si talem rem non liceret alienare, dominium sæpe frustraneum, vel etiam possessio sæpe inutilis foret: imò, cum multæ res non possint servari, nec utiliter à possessore consumi, esset etiam noxium domino; quia res ejus deberet perire. Sed hæc conclusio, ut vera sit, exigit etiam hanc conditionem, ut possessor dubitans sit paratus, quod, si dominus verus ante impletam præscriptionem comparuerit, velit ei pretium restituere; quia taliter dubius nondum potest rem habere omnino ut suam, & nondum omnino extinctum est jus alterius.

Quare, licet possessor ita dubius possit rem vendere, ne sit inutilis: non tamen potest facere, ut domino sit impossibilis,

vel longè difficilior recuperatio suæ rei. videatur Lugo loc. cit. n. 90. & seq. ubi etiam solvit rationes aliquorum, qui putant sufficere, si dein talis venditor, quando fortè rescit, rem alienam fuisse, restituit domino, quantum factus est ditior. His accedit Haunoldus tom. 1. de justit. tr. 3. c. 3. n. 307. ex hac ratione; quia, ut ait, si possessor eam rem consumpsisset, non teneretur restituere, nisi in quantum factus est ditior: quod tamen merito negatur de possessore dubitante, seu dubiæ fidei, ante completum tempus præscriptionis; quia, licet hic possit rem retinere, non tamen videtur posse eam consumere; non enim omnimodè se habet ut alius, qui est bonæ fidei, & non dubitat.

670. Dico 4. Si quis initio dubia fide rem aliquam, sed absque peccato, possidere cepit: ille autem, à quo eam accepit, habuit saltem ab initio bonam fidem, potest hic secundus possessor rem eodem modo retinere, ut primus. ita Molina tom. 3. p. 2. tr. 2. disp. 723. n. 6. Haunoldus tom. 1. de just. tr. 3. c. 3. n. 308. Vogler in manuscriptis, & alij. Ratio est. Secundus possessor accepit rem cum omni jure, quod habebat primus; sicut ergo prior potuit rem retinere, ita & secundus: attamen, ut rectè ait Molina, talis debet morali diligentia in dominum inquirere: & si hic compareat, debet ei rem restituere, sicut debuisset prior possessor: quo tamen casu, si rem emisset, haberet regressum ad venditorem, nisi positæ fuissent speciales conditiones, quæ utique attendi debent.

Si autem venditor, vel qui rem transfert, semper habuit dubiam fidem, potest tamen alius, rem ab eo accipere, vel emere licet, modo habeat animum restituendi domino, si comparuerit: tenetur insuper adhibere diligentiam moralem in inquirenda veritate. Quod si dubium vinci non possit, tenetur tamen pro ratione dubij illi, circa quem dubitatur, an non sit dominus, iudicio prudentum aliquam compensationem, aut restitutionem facere; quia, si ab initio statim dubitatum est, non potuit quis sibi præ alio rem ab initio vendicare, ut colligi facile potest ex dictis à n. 357.

Quod si verò dubium sit tantum in genere, an res sit aliena, debet possessor rem conservare, & fructus procurare, tanquam diligens negotiorum gestor, cujus industria postmodum etiam pretium potest à domino comparente exigere. Si autem nulla spes agnoscendi dominum superfit, & dubium tamen perseveret, rectè ait Vogler, de his bonis distrahendum, ut de bonis inventis, sed dominum incertum habentibus, de quibus egimus. à n. 321.

671. Dico 5. Si quis incipiat rem dubia fide, & cum peccato possidere, e. g. si emat aliquid cum dubio, an furtivum sit, & tamen cum animo retinendi, tenetur talis postea pravum animum corrigere, ac diligenter in dominum inquirere, ut in casu num. præsed. allato. Quod si dein dominus non

non comparuerit, & dubium perseveret, videtur esse obligatio, talia bona, saltem pro ratione, & quantitate dubij, erogandi in pauperes; nam bona incerta ex delicto debent dari pauperibus, ut probatum à n. 333. atqui bona taliter possideri cepta sunt etiam bona ex delicto; quia per peccatum, & quidem contra iustitiam, acquisita sunt: ergo. Quodd autem non sint certò aliena, qualia supponuntur esse illa, quæ simpliciter dicuntur esse bona incerta ex delicto (in quibus scilicet tantum incertus est dominus, non verò incertum, quòd sint aliena) tantum probat, quòd non profus adæquate, sed duntaxat pro ratione dubij, arbitrio prudentis, sit facienda aliqua restitutio pauperibus.

672. Dico 6. Si quis rem prius bona fide, postea autem mala: vel vice versa, prius mala, postea bona fide possedit: tenetur ad restituendum rem cum fructibus omnibus, exceptis ijs fructibus, quos durante bona fide consumpsit, ita, ut non sit factus ditior. ita Lugo de just. disp. 17. sec. 3. n. 68. Vogler in manuscriptis, & alij. Ratio hujus exceptionis est; quia fructus istos, quos excepimus, verè consumpsit tanquam bonæ fidei possessor, adeoque non tenetur ad eos restituendos, nisi in quantum factus est ditior, ut probatum n. 590. si enim non tenetur per aliquid æquivalens restituere rem ipsam ita consumptam, multò minus tenetur restituere fructus. Ratio autem ipsius assertionis est. In ordine ad alios fructus talis est malæ fidei possessor: ergo tenetur eos restituere.

Nec refert, quòd talis possessor fructus durante bona fide perceperit; nam bonæ fidei possessor fructus durante bona fide perceptos, comparante rei domino adhuc formaliter, vel æquivalenter extantes, debet restituere: & si extantibus adhuc ipsis superveniat mala fides, tunc fit possessor malæ fidei, cui non licet, absque onere restitutionis eos consumere, etiam si non fiat ditior. Econtra etiam non refert, quòd durante mala fide fructus fuerint percepti, modò postea superveniente bona fide fuerint consumpti; quia hac adveniente purgabitur mala fides præcedens, & fructus possidens, hic & nunc, reputabitur bonæ fidei possessor, qui licet fructus consumit, ut supra satis est probatum. Noto tandem, in foro externo omnes, post litem motam, dici possessores malæ fidei, ut habetur L. Sed et si. 25. §. 7. ff. de hered. petitione. citata n. 443. in foro conscientie autem sunt ad minimum dubiæ fidei, saltem, nisi lis intentata sit omnino frivola.

673. Ob. contra 1. conclusionem. Qui bona fide cepit possessionem, sed postea dubium superveniens non potest vincere, si ulterius retinet rem, exponit se periculo retinendi injustè alienum: sed hoc non est licitum: ergo. Confr. Quando datur æqualis prætenio duorum, debet res æquivalenter dividi: sed hæc datur in dubio, quis ex duobus sit dominus: ergo. Resp. dist.

ant. talis exponit se periculo formaliter injustè retinendi alienum. neg. ma. tantum materialiter injustè. om. ma. & dist. sic mi. neg. conf. stantibus enim his legibus, licet res sit aliena, tamen licet eam retinet possessor, quamdiu non constat esse alienam; unde non peccat formaliter, sed ad summum materialiter: sicut, qui retinet rem, quam invincibiliter ignorat esse alienam.

Ad confr. neg. mi. nam possessori in eo casu favet duplex jus, & alteri tantum unum simplex, ut dictum n. 667. Afferri hic etiam solet casus dubij de conjugio: sed ad eum responsum jam est n. 394. Ulterius solet afferri ex C. Ad audientiam. 12. de homicidio. & alijs, illud quasi principium: In dubio tutior pars est eligenda: sed hæc quæstio longior est, quam ut paucis possit absolvi: fusè de ea egi tr. de actibus humanis à n. 245. ad quem locum me remitto. Breviter hic tantum dico, illud principium, seu quomodocunque vocetur, quamvis possit observari tanquam consilium, non tamen universaliter obligare tanquam præceptum: & minimè ita obligare in hac materia, in qua auctores communissimè oppositum docent: quinam autem casus excepti sint, in quibus obligare videatur illud principium, vel regula, vide loc. cit. de actibus humanis.

ARTICULUS VI.

Quales Expensas deducere licet possit Bonæ, & Malæ Fidei Possessor.

674. **D**iximus hucusque aliquoties, ex fructibus restituendis posse subtrahi pretium laboris, & industriæ, ac expensas in rem factas: ad quòd clariùs explicandum noto, quòd triplicis generis expensæ distinguantur ab auctoribus: scilicet *necessariæ*, *utiles*, & *voluptariæ*, seu, ut etiam vocantur, *voluntariæ*. Jam *expensæ necessariæ* sunt, quæ requiruntur ita, ut sine ipsis res periret, aut deterior fieret: tales sunt refectio domus labem passæ, aut passuræ, cultura agrorum, cura, & alimentia pecorum, & similia, de quibus agitur L. 1. ff. de impensis in res dotales factis. & L. 79. ff. de verbor. significat.

Expensæ utiles sunt, quæ rem magis fructiferam efficiunt, quamvis sine illis res maneret integra: e. g. si quis agros stercoreamentis, etiam non necessarijs, vel aquarum deductione, prata meliora efficiat: ita explicantur L. 5. §. 3. ff. de expensis in res dotales factis. & L. 79. ff. de verbor. significat. At *expensæ voluptariæ*, seu *voluntariæ* sunt, quæ rem duntaxat ornant, non autem fructum augent, ut aquæ salientes, incrustationes, picturæ: ita explicantur L. 79. modò citata. Hinc, licet fundus ratione expensarum harum, in tales e. g. aquas

Quales Expensas deducere licet possit Bonæ, & Malæ Fidei Possessor. 175

aquas factarum, fiat æstimabilior, & carius vendi possit, non tamen eas censentur expensæ utiles; quia fructus non augent, ut observat Lugo de just. disp. 17. sec. 3. n. 62. Adendum, per expensas, vel sumptus, etiam intelligi industriam, & laborem, quem possessor per se, vel per suos, rei alienæ, vel conservandæ, vel perficiendæ, seu meliorandæ, aut etiam ornandæ impendit; nam idem est, sive possessor pro pecunijs constituit e. g. architectum, vel pictorem: sive ipsemet arcium istarum peritus, vel aliquis ejus famulus laboret, & exerceat suam artem pro melioranda re aliena, ut est per se clarum. Hic autem labor, si necessarius, aut utilis est, expensis necessarijs, aut utilibus accensebitur: si autem tantum ad voluptatem, vel ornatum servit, accensebitur expensis voluptarijs.

675. Dico jam 1. Tam bonæ, quam malæ fidei possessor, potest deducere ex restitutione fructuum expensas necessarias. ita communis. Prob. 1. In jure per fructus strictè sumptos intelligi solet id, quod remanet deductis expensis necessarijs; ita habetur L. 7. principio. ff. soluto matrimonio: ergo, cum domino tantum debeant restitui res, & fructus strictè tales, expensæ possunt à fructibus latius talibus, seu à tota massa receptorum proventuum deduci. 2. Etsi expensæ hæc deducantur, dominus non patitur damnum; quia eas ipse facere debuisset, consequenter non plus ex fructibus habuisset, quam modò habeat: ex opposito non est æquum, ut dominus locupletetur cum jactura alterius. Excipi tamen debent expensæ factæ in alendum servum furto subreptum, de quo habetur specialis lex, scilicet L. 1. Cod. de infantibus expositis; quia tamen hæc ipsa lex penalitatis est, non obligat ante sententiam, possuntque detrahi expensæ in talem servum factæ, in quantum excedunt valorem servitij interea præstiti, ut habet Sanchez l. 2. in decal. c. 23. n. 137. & Lugo de just. disp. 17. sec. 3. n. 61.

Notandum insuper 1. tantum expensas posse deduci, non verò, quanti res pretio facta est, ut habetur L. In fundo alieno. 38. ff. de rei vindicatione. & ratio est; quia illud pretium est pars rei, quæ spectat ad dominum. Notandum 2. posse contingere, ut possessor faciat expensas necessarias sibi, quæ non fuissent necessariæ domino, e. g. in transferendo ad granarium suum valde distans tritico, vel vino in cellam valde distantem invehendo, quas non debuisset facere dominus, utpote fundo viciniore: quo casu quidem bonæ fidei possessor eas expensas potest deducere; quia, cum ratione istarum expensarum, ex fructibus minus locuples factus sit, minus etiam restituere debet. At verò malæ fidei possessor non potest eas expensas deducere; quia alias dominum non omnino redderet indemnem; nam hic plus ex fructibus percepisset; quia impensas in tantam translationem facere non debuisset. ita Lugo de just. disp. 17. sec. 3. n. 64. Sanchez l. 2. in decal.

c. 23. n. 140. Addendum ex La Croix l. 3. p. 2. n. 224. (ubi citat Dicastillum) expensarum nomine non venire casus fortuitos, aut damna per accidens causata, e. g. si ob laborem immodicum mortuus sit equus, vel ipse possessor ægrotare ceperit, & sumptus in medicinas facere debuisset: istæ expensæ detrahi non possunt; cum non sint expensæ ordinariæ.

676. Dico 2. Expensæ utiles, & melioramenta, quæ possunt, salvâ rei substantiâ, separari, non debet dominus solvere bonæ fidei possessori, sed potest permittere, ut eas auferat. ita Haunoldus tom. 1. de just. tr. 3. c. 3. n. 294. Vogler, & alij. Prob. Si dominus deberet hæc melioramenta compensare, vel solvere, deberet ea emere: atqui ad emendum nemo cogitur ex L. Nec emere. 16. Cod. de jure deliberandi: ergo. Addit tamen Haunoldus limitationem: si res separatæ adhuc possessori utiles essent; si enim per separationem redderentur inutiles, putat perinde habendas, ac si tolli non possint, ne utilis administratio rei sit damnosa possessori bonæ fidei, quod non videtur æquitati consonum.

677. Dico 3. Expensæ utiles inseparabiles potest bonæ fidei possessor deducere, vel casu, quo plus expenderit, quam fructuum receperit, potest eas repetere: hoc est, earum refusionem, seu solutionem petere: si dominus ita sit dives, ut solvere eas expensas possit absque rei suæ alienatione. ita Lugo de just. disp. 17. sec. 3. n. 61. Haunoldus, tom. 1. de just. tr. 3. c. 3. n. 295. Molina, Sanchez apud Lugo loc. cit. Vogler, & complures alij. Prob. conclusio. Talis possessor saltem utiliter gessit negotium domini: ergo non debet pati damnum: nec dominus debet cum alterius jactura locupletari: ergo. Si autem dominus ita pauper sit, ut, nisi rem vendat, prioris possessoris expensas solvere nequeat, ajunt Vogler, & Haunoldus loc. cit. (ubi citat etiam Arnoldum Rhat) possessorem non posse detinere rem possessam, sed debere tamen eam domino reddere; qui tamen manebit obligatus, ut, quamprimum potest, ex fructibus expensas illas solvat. Deducit hoc Haunoldus ex L. In fundo. 38. ff. de rei vindicatione. ubi dicitur, quòd, si sit dominus ita pauper, ut, si reddere id cogatur, laribus, sepulchris avitis cavendum habeat, debeat sufficere possessori, si permittatur tollere, quæ possit, ita tamen, ut fundus non sit deterior: quæ an intentum probent, non vacat disquirere: videtur tamen hoc æquitati conforme. Et quidem Glossa in hanc legem per lares avitos intelligit quamlibet rem, quam non est verosimile, quòd dominus propter aliquid alienaret.

Hæc tamen iterum limitat loco cit. Haunoldus primò, si dominus rem evictam venalem habeat; tunc enim debet expensas reddere, vel debet possessori, qui rem melioravit, vendere, & ex pretio expensas deducere. ita sumit hic author ex L. 29. ff. de rei vindicatio. ubi ipsi videtur esse similis casus,

fus; quamvis prima fronte non appareat. Melior ratio videtur esse; quod, cum in tali casu dominus facile possit restituere expensas, non habeat exculpationem. Videtur etiam favere Glossa in *L. In fundo. 38. ff. de rei vindicat. ad finem, & illa verba: Finge, eam personam esse domini, que receptum fundum mox venditura sit: nisi reddat, quantum prima parte reddi oportere diximus: eo deducto tu condemnandus es.*

Secundò limitat, si dominus expensas ipse facturus fuit, aut, cum fierent, approbavit ex eadem *L. 38. illis verbis: Finge & dominum eadem facturum fuisse: reddat impensam, ut fundum recipiat.* Tertio, si bonæ fidei possessor adhuc incertus, an res esset aliena, antequam ædificaret, denunciavit ei, qui se dominum dicebat, se ædificaturum, iste verò dissimulavit; nam tunc censetur hic consensisse, & tacite mandasse, *argumento L. 18. ff. mandati, vel contra: quæ ita habet: Qui patitur ab alio mandari, ut sibi credatur, mandari intelligitur:* hoc est, ut ait Glossa: *Te presente, & non contradicente, mandavi Titio, ut tibi decem daret: intelligeris mihi mandasse, ut Titio mandem, & teneris mihi mandati:* ergo etiam in priori casu dominus videtur teneri mandati.

678. Dico 4. In foro conscientie, & ante sententiam iudicis, potest etiam malæ fidei possessor deducere, & bonæ conscientie retinere expensas utiles. ita Molina *de just. tom. 3. p. 2. disp. 725. §. ultimo, Layman l. 3. sec. 5. tr. 2. c. 4. n. 4. Sanchez in decalog. l. 2. c. 23. n. 138. Lugo de just. disp. 17. sec. 3. n. 61. Palao, Lessius, Vogler, Haunoldus tom. 1. de just. tr. 3. c. 3. n. 298. & hoc teste Theologi communiter. Prob. In conscientia ante sententiam iudicis tantum tenetur malæ fidei possessor dominum habere indemnem: atqui habet indemnem, etsi expensas utiles detrahat: ergo. Confir. Universalis est regula, neminem ex iniusta acceptione sola teneri ad plus, quam ad compensationem damni: ergo, si plus injungatur à legibus, censendum est, eas esse pœnales, nec obligare ante sententiam.*

Confir. 2. In foro externo quidem non permittitur malæ fidei possessori deducere expensas utiles, minùs voluptarias, quæ separari non possunt salva rei substantiâ, ut habetur clarè *L. 5. Cod. de rei vindicatione, & L. 37. ff. eod. titulo:* sed æquitas harum legum, ut ait Haunoldus *tom. 1. de just. tr. 3. c. 3. n. 300.* fundatur in culpa malæ fidei, consequenter est pœnalis, nec obligat ante sententiam: ergo. Confir. 3. Licet in foro externo non liceat malæ fidei possessori deducere expensas, per actionem, vel retentionem, potest tamen expensarum utilium compensationem consequi officio iudicis, ex ea ratione, ne dominus ex aliena re lucrum faciat, ut habetur *L. 38. ff. de petit. hered.* hoc autem signum est, quod aliæ leges tantum obligent post sententiam: ergo.

679. Dico 5. Expensas voluptarias ause-

ribiles, salva re vindicata, potest tam bonæ, quam malæ fidei possessor recipere. Ratio est clara; quia dominus non patitur propter ea damnum ullum, & possessor sic suum recipiendo sibi consulit. Si etiam non sint auferibiles, attamen tales, quas ipse dominus facturus fuisset: e. g. ipsemet iussisset pingi muros, ut ædificium carius vendere posset: si insuper dominus postea rem venalem habeat, ac propter illas picturas eam carius vendat, potest bonæ fidei possessor eas expensas deducere; quia aliàs dominus locupletaretur ex alieno: & expensæ, sic consideratæ, sunt utiles, atque ijs deductis dominus adhuc haberet indemnis; unde infert Haunoldus *tom. 1. de just. tract. 3. c. 3. n. 301.* idem dicendum esse in foro conscientie, ante sententiam iudicis, de possessore malæ fidei.

680. Si tamen dominus eas impensas non fecisset, neque rem venalem habeat, non videtur bonæ fidei possessor posse deducere omnes expensas voluptarias. ita Lugo *de just. disp. 17. sec. 3. n. 62. Haunoldus tom. 1. de just. tr. 3. c. 3. n. 302. Layman l. 3. sec. 5. tr. 2. c. 4. n. 4. Palao, Sanchez, Rebellus, Vogler.* Ratio est; quia non videtur æquum, cogere dominum rei, ut emat justo pretio illa accidentaria ornamenta, quæ nunquam voluisset habere cum tanto dispendio rei familiaris. Interim tamen valde probabile est, posse bonæ fidei possessorem deducere saltem aliquam portionem expensarum; nam hæc ipsæ expensæ voluptariæ aliquo modo utiles sunt domino; quia ex ijs concipit spem lucri, quod facere potest, quotiescunque voluerit rem vendere; unde saltem, quantum talis spes valet, tantum videtur posse deducere bonæ fidei possessor. ita Lugo *de just. disp. 17. sec. 3. n. 63. Haunoldus tom. 1. de just. tr. 3. c. 3. n. 302.* qui id confirmat ex *L. Utiles. 39. ff. de petit. hered.* ubi dicitur, bonæ saltem fidei possessoribus prodesse doli exceptionem in talibus voluptarijs impensis.

Hoc etiam ad malæ fidei possessorem ante sententiam extendunt Illung *tr. 4. disp. 3. n. 56. Molina tom. 3. p. 2. tr. 2. disp. 725. §. ult.* quia scilicet etiam iste potest detrahere expensas utiles, ut dictum n. 678. Huic sententiæ favet etiam Lessius *de justit. l. 2. c. 12. dub. 17. n. 113.* ubi agens de malæ fidei possessore circa deducendas expensas voluptarias, ait, rem hanc prudentis arbitrio transigendam. Sanchez tamen in *decalog. l. 2. c. 23. n. 139.* cum Rebello, putat, dominum nihil debere pro impensis voluptarijsolvere, sed furem, vel malæ fidei possessorem, debere sibi imputare, quod in alienum tales expensas fecerit. Verùm, cum expensæ istæ domino aliquo modo utiles sint, & plures auctores eos saltem quoad aliquam partem detrahi posse doceant, manet prior sententia valde probabilis. Dixi: ante sententiam; nam si malæ fidei possessor per sententiam iudicis ad eas expensas perdas condemnatur, absque dubio debet pœnam illam subire.

681. Dico 6. Bonæ fidei possessor non potest deducere expensas, factas in fructus bona fide consumptos, licet ex his non sit factus ditior: at verò possessor malæ fidei potest eas deducere, ita La Croix *l. 3. p. 2. n. 223.* citans Molinam, & Dicastillum: & idem saltem tradunt Haunoldus *tom. 1. de justit. tr. 3. c. 3. n. 303.* ac alij. Prob. 1. p. conclus. Cum dominus nihil recipiat ex his fructibus, non videtur æquum, ut ratione istorum aliquid ei detrahatur: sed longè æquius est, ut quilibet suis impensis fructus percipiat: ergo. Prob. etiam 2. p. conclus. Malæ fidei possessor (ut rectè ait La Croix *loc. modò cit.*) cum debeat etiam fructus consumptos restituere, potest ex his ipsis fructibus consumptis, saltem ante sententiam, expensas subtrahere. Haunoldus *loco modò cit.* ait, in deductione expensarum computandum esse, quidquid fructuum nomine possessor etiam ante litis contestationem percepit, adeoque tanto minus ratione expensarum factarum deducendum, quanto plus fructuum perceptum est, idque colligit ex *L. Sumptus. 48. ff. de rei vindicatione.* ubi dicitur, sumptus exceptione doli servari, si fructuum ante litem contestatam perceptorum summam excedant: quod etiam habetur *L. Emptor. 65. eodem tit.*

Ex hac autem assertione, si universaliter accipiatur, sequitur, quod, si possessor fructus bona fide perceptos jam consumpserit, & ita quidem, ut non sit factus ditior, postea autem primùm novas expensas faciat, & post has factas fundus vindicetur, antequam possessor novos fructus percipiat, sequitur, inquam, in hoc casu, quod talis possessor ex fructibus extantibus nihil detrahere possit, ratione istarum novarum expensarum, dummodo priores fructus consumpti æquaverint suo valore etiam istas expensas, seu sumptus: quod, an Haunoldus admittat, an verò suam assertionem non ita universaliter accipi velit, non satis explicat: interim negari non potest, Glossam ad *L. Sumptus. modò citatam dicere, in hoc casu bona fidei possessorem fructus non lucrari.*

682. Queritur hic etiam, an, si res jam cum omnibus melioramentis, ante expensarum deductionem, domino reddita sit, postea primùm possit possessor malæ fidei repetere expensas, ante sententiam iudicis. Sanchez *l. 2. in decalog. c. 23. n. 143.* negat; quia in foro externo petenti tali possessori negarentur: & si deductæ ante fuissent, dominus eas posset repetere, & iudex possessorem illum damnaret ad restituendas expensas deductas; unde putat, eum nihil posse petere: quanquam *n. 144.* oppositum dicat esse valde probabile.

Econtra Lugo *de just. disp. 17. sec. 3. n. 66.* licet opinionem Sanchezij dicat tutam pro domino, tamen cum Navarra, & pluribus alijs (quos etiam citat Sanchez *cit. n. 143.* & quibus videtur accedere La Croix *l. 3. p. 2. n. 221.*) censet oppositum probabilius, scilicet, quod etiam possessor mar-

læ fidei eas expensas possit repetere. Ratio ejus est; quia, spectato jure naturæ, potest eas repetere: lex autem, concedens potestatem non solvendi, est pœnalis, quæ non obligat ante sententiam iudicis, nec privata autoritate potest executioni mandari; cum executio sit actus iudicis: & hinc dominus tantum habet jus nihil solvendi conditionarum, si scilicet ipse recurrere velit ad iudicem, & iudex ita pronuntiet, ac eam pœnam infligat. Rectè autem addit Vogler *in manuscriptis,* non posse in hoc casu possessorem malæ fidei auferre expensas, vel uti occulta compensatione; quia ejus jus non est certum; cum ei obset jus probabile domini.

683. Ob. 1. Possessor malæ fidei, sciens, rem esse alienam, eamque excolens, non laborat pro mercede, sed laborat gratis: ergo non potest deducere valorem laboris, & industriæ. Confir. Labor talis possessoris in alieno est injustus, & invito domino: ergo dominus non debet eum solvere. Resp. neg. ant. Possessor nequam laborat gratis, sed vult vel maximè mercedem iniquam, nempe retentionem rei, & fructuum; unde si hos non potest retinere, vult vel maximè pretium laboris. Ad confir. dist. ant. labor ille est aliquo modo injustus, simul tamen est utilis domino. conc. ant. est inutilis, neg. ant. & conf. quod autem solvatur labor injustus, & tamen utilis, nihil est absurdi, ut diximus *n. 468. & seq.*

Dices. Ergo etiam solvendus esset operarius, qui invito domino ingrederetur vineam, & laboraret in ea utiliter, absque ullo mandato domini. Resp. neg. illatum; quia talis operarius nec implicitè laborat ex voluntate domini, qui alios operarios jam constituit, vel constituet: at verò talis possessor ex implicita aliqua voluntate domini laborat; quia, cum dominus non possit in his circumstantijs alios operarios constitutere, vult rem suam à quocunque tandem utiliter coli.

684. Ob. 2. Si possessor malæ fidei potest auferre melioramenta, quæ separabilia sunt illæsa re, poterit etiam diruere ædificium, vel tollere materiam ædificij diruti, quod ante in solo alieno posuit: consequens est contra jura *§. 30. Instit. de rerum divois. & L. 7. §. 12. ff. de acquirendo rerum dominio:* ergo. Resp. 1. si minor est vera, tunc falsa est major; quia in hoc casu peculiare aliquid statutum est, eoquod ædificium pertineat ad dominum soli: quod statutum extendi non debet ad alia melioramenta separabilia; cum non sit eadem ratio; nec enim separabilia tantum adjectamenta statim cedunt domino soli.

Sed nec minor est certa; nam *L. 2. Cod. de rei vindicatione* dicitur: *Si verò fuerit dissolutum ædificium, ejus materia ad pristinum dominum redit, sive bona fide, sive mala extructum sit: si non donandi animo adificia alieno solo imposta sint.* Unde Haunoldus *tom. 1. de just. tr. 5. c. 1. n. 141.* putat,

putat, leges illas juris veteris, per hanc legem novam Codicis, esse correctas, nec posse illas cum hac conciliari: quod vult probare refellendo varias auctorum interpretationes. Quin etiam *L. Julianus. 37. ff. de rei vindicatione* dicitur de eo, qui ab initio bonam fidem habuit, sed primum, postquam rescivit, rem alienam esse, ædificavit, dicitur, inquam: *Sed hoc ei concedendum est, ut sine dispendio domini area tollat ædificium, quod posuit.*

ARTICULUS VII.

An oriatur Obligatio Restituendi ex Culpa merè Juridica.

685. **D**iximus, ex injusta acceptione oriri obligationem restituendi: injusta autem acceptio est illa, quæ est conjuncta cum peccato, vel culpa contra justitiam. Quærendum ulterius, an ex omni peccato, vel culpa, tum mortali, tum veniali, vel etiam ex culpa merè juridica, nascatur hæc obligatio: ad quæ intelligenda notandum, quod alia dicitur *culpa Theologica*, alia *juridica*. Prior, seu *culpa Theologica* est peccatum, seu reatus culpæ coram Deo, qui reatus potest esse, vel mortalis, vel venialis. *Culpa juridica* autem definitur à Lessio de justit. l. 2. c. 7. *dub. 6. n. 22. ommissio alicujus diligentia, unde sequitur aliquod incommodum.* Hæc potest esse conjuncta cum peccato Theologico, vel etiam non conjuncta. Culpa hæc juridica dividitur in *latissimam, latiore, latam, levem, levissimam.* Prima, seu *latissima* est dolus apertus: *latior* est dolus præsumptus, cui annumeratur ex *La Croix l. 3. p. 2. n. 170.* ignorantia juris communis: *lata* est ommissio diligentia, quam communiter adhibent prudentes in negotio similis conditionis: *levis* est ommissio diligentia, quam tantum adhibere solent prudentiores, aut providentiores: *levissima* est ommissio diligentia exactissima.

686. Exemplum affert *La Croix loc. cit.* si librum tibi commodatum des furi, non dicens expressè, attamen intendens, ut furetur, est culpa latissima: si relinquis librum in domo furis, est latior: si relinquis alibi extra cubiculum tuum, est lata: si relinquis in cubiculo, sed non clauso, est levis: si cubiculum clausisti, sed non tentasti postea, an bene clausum sit, casu quo postea revera non sit clausum, est culpa levissima: nisi, ut excipit Molina, sæpius expertus fuisses seram, aut clavem infidelem esse: quo casu esset culpa levis. Ex his infert *La Croix ibidem*, cum culpa juridica latissima, latiore, & lata, regulariter conjunctam esse culpam Theologicam: non item cum levi, vel levissima. At verò *Tanperus tom. 3. disp. 4. q. 6. dub. 2. n. 34.* advertit, sæpe culpam Juristis latam, aut latissimam, posse esse, ob deliberationem, & inadvertentiam, apud Theologos culpam nul-

lam: econtrà culpam Juristis levem, & levissimam posse, ob perversum delinquentis affectum, esse apud Theologos culpam gravem, seu mortalem: id quod esse posse consideranti facile patet.

Hic tamen insuper notandum, culpam, quæ in se spectata, & materialiter sumpta, esset levis, posse ratione objecti, circa quod versatur, fieri respectivè, & formaliter gravem; nam majorem diligentiam prudentes solent adhibere circa aurum, quam circa ferrum, aut lapidem: majorem etiam circa periculose ægrotantem, quam tantum circa leviter malè habentem. Ulterius etiam diligentia magna, major, & maxima, non stat in indivisibili, sed habet etiam suos gradus, ut pretium rerum; unde etiam diligentiam maximam adhibuisse aliquis dici potest, etsi supremum ejus apicem non attingerit.

687. Tandem hic addendum, quod in jure contineatur *Lex Aquilia*, seu potius *Plebiscitum Aquilium*, sic vocatum ab Aquilio Regulo Tribunoplebis, qui rogante populus eam legem tulit, de qua agunt plures tituli juris, ut *Titulus 3. l. 4. Instit. Titul. 2. l. 9. ff. Titul. 35. l. 3. Codic.* Habuit autem *lex Aquilia* olim tria capita: sed secundum non amplius extat, ut habetur *§. 12. Instit. de Lege Aquilia.* Primo capite statuitur, ut, qui mancipium alienum, aut pecudem (quo nomine veniunt animalia mansueta, gregatim pasci solita, ut *ibid. §. 1.* habetur) per injuriam occiderit, teneatur solvere mancipium, aut talem pecudem, *quanti plurimi*, hoc est, teneatur solvere, *quanti ea res in eo anno plurimi fuerit*: sive tanto pretio, quanto per illum annum tunc valuit, cum plurimum valuit. Tertio capite jubetur quis præstare, seu solvere, si quis servum, aut pecudem vulneraverit: vel aliud animal, non gregatim pasci solitum, ut canem, vel feram occiderit: item jubetur quis præstare quodlibet damnum injuriæ datum, & quidem etiam *quanti plurimi*: at non *quanti plurimi res fuit eo anno*: sed *quanti in diebus triginta proximis res fuerit*: ut habetur *ibid. §. 14.* & additur *§. 15.* etsi vox *plurimi* non fuerit hic repetita, eam tamen esse subintelligendam.

Per injuriam autem Jurisperiti hic intelligunt omne id, quod contra jus, vel non jure factum est, per culpam juridicam, etiam levem, & levissimam. Hactenus explicata est culpa juridica, in sensu strictè tali; nam in sensu latiore culpam juridicam aliam assignavimus supra *n. 517.* quæ tantum fictione juris est talis, quatenus obligatio restituendi, ex lege, vel contractu orta, reducta est ad radicem injustæ acceptionis: de qua tamen obligatione, vel culpa juridica latius dicta, hic non loquimur.

688. Dico itaque 1. Secluso contractu, sive exclusa obligatione ex contractu, vel quasi contractu, nemo ante sententiam judicis tenetur sarcire damnum ex culpa merè juridica datum. ita Molina *tom. 3. p. 2. disp.*

Resp. neg. conf. Gregorius expressè addit: *Si scire debuisti*: adeoque loquitur de ignorantia etiam Theologicè culpabili: & subjungit, eum non esse damnandum, qui *de contingentibus nil omisit*: at, qui facit omnia, quæ in foro interno sunt necessaria, nihil de contingentibus coram Deo omisit. Addit *Vogler de restit. n. 99.* etiam si Pontifex statuisset, præstandam esse culpam juridicam, tamen non esset certum, an voluisset, eam præstandam esse ante sententiam judicis. Ad confir. neg. conf. Negligentia illa est Theologicè culpabilis: certè est communis sententia, parentes peccare mortaliter, si extra casum necessitatis, & cum periculo suffocationis, liberos in eodem secum lecto collocent: imò est in quibusdam diæcesibus casus reservatus. Ad 2. confir. neg. ant. Non tantum aliqui, sed plerique Theologi, imò teste Haunoldo etiam Canonistæ, id communiter asserunt: & mirum esset, si eos lateret praxis, & usus hujus legis. Quod autem rudes aliqui scrupulis angantur, mirum non est; nam etiam aliqui scrupulis anguntur, ob damnum prorsus fortitudo datum, sine omni culpa etiam juridica.

694. Ob. 2. Siquis sclopeto e. g. trajicit ob recreationem anferes in lacu, vel flumine, animo damnum retarciendi, committit tantum culpam juridicam, & tamen tenetur ad restitutionem: ergo. *Resp. similes recreationes ordinariè non vacare culpam Theologicam, etiam quando adest animus damnum compensandi; tum, quia sæpe malignè præstatur solutio infimo pretio, & sæpe tantum solvitur pretium animalis, non verò spes, seu lucrum in futurum speratum; tum, quia non licet statim alium hac ratione cogere ad vendendum rem suam. Adde, quod sæpe dominis, quibus de animo non constat, præbeatur scandalum, & occasio irascendi, & blasphemandi &c. sed om. etiam ant. neg. conf. in hoc enim casu, si talis non tenetur ex culpa Theologica, tenetur ex contractu implicito, quo se obligat ad solvendum, & præsumit ratihabitionem domini; alias enim, si se non ita obligaret, Theologicè certò peccaret.*

695. Ob 3. Leges noxales obligant ex culpa tantum juridica: ergo etiam potest ita obligare *lex Aquilia*. Hæc objectio multa complectitur. Sciendum, per leges noxales hic intelligi eas, quæ extant *lib. 4. Instit. tit. 8. de noxalibus actionibus & tit. 9. Si quadrupes pauperiem fecisse dicatur.* Significat autem *pauperies*, (ut hic sumitur) *damnum sine injuria facientis datum* (sic enim eodem loco dicitur) estque communiter damnum ab animalibus brutis factum; quæ, quia ratione carent, injuriam ut *ibidem* dicitur, facere non possunt. Leges noxales etiam sunt, quæ habentur *lib. 9. ff. tit. 4. & libro 3. Cod. tit. 41.* Jam in jure, scilicet *Instit. Si quadrupes pauperiem &c.* statutum est, quod, si animal naturam suam mansuetum, ex lascivia, feritate, pa-

vore, præter consuetudinem, aggrediatur, lædat, vel interimat animal alterius domini, tunc dominus animalis lædentis, quantum nullam commiserit culpam, tamen teneatur, vel compensare damnum, vel animal noxæ dedere, hoc est, in compensationem damni læso attribuere. Præcedente autem *titulo 8. itemque locis ff. & Cod. supra citatis*, decretum est, ut, si servus furto, aut alio delicto, damnum alteri inferat, dominus, etiam culpæ non particeps, vel reparet damnum, vel servum noxæ dedat. Quæstio jam gravis est de his legibus, sicut de lege *Aquilia*, an, & quomodo obligent.

696. Censeo cum *Molina tom. 3. de just. p. 2. tr. 2. disp. 713. §. Nihil secundum. A. zor tom. 3. l. 4. c. 8. Lessio de just. l. 2. c. 9. dub. 17. n. 118. Layman l. 3. sec. 5. tr. 3. p. 1. c. 6. n. 2. Lugone de just. disp. 8. sec. 3. n. 46. Haunoldo tom. 1. de just. tr. 2. c. 2. n. 172. Illung. tr. 3. disp. 3. n. 5. & 6. Vogler de restit. q. 5. n. 72. qui n. 70. citat plurimos alios, nempe Navarram, Dicastillum, Rebellum, Tamburinum, Eparzam, Filiucium, Pontium, Herinx, Mezger, Sangallenses, Sporer &c. (compendiosius ait Haunoldus, hanc esse communem Theologorum; & Illung, ita communiter sentire doctores) censeo, inquam, cum his, leges istas, secluso speciali contractu, non obligare in conscientia ante sententiam judicis. Probatio eadem est, quam attulimus circa legem *Aquiliam*; neque enim istæ leges obligant jure naturali, neque positivo: ergo nullo: & præter has rationes, supra circa legem *Aquiliam* allatas, saltem quoad jus naturale, est clarus etiam textus *S. Augustini ep. 154. sub finem*, ubi ficat: *Neque enim reus est Christianus, si bos ejus aliquem feriendo, vel equus calcem jaciendo, aliquem occidat: aut ideo non debent Christiani boves habere cornua, aut equus ungulas.* & infra. *Abst. ut ea, quæ propter bonum, aut licitum facimus, aut habemus, si quid per hæc præter nostram voluntatem cuiquam mali acciderit, nobis imputetur.**

697. Specialiter autem circa id, quod statuitur hæc legibus, nempe dominum debere præstare damnum à servo datum, notandum est, defecto inter Christianos non esse propriè servos; unde non potest iudex dominum condemnare ob factum famuli, qui longè abest à conditione servi: potest tamen in certis casibus conveniri dominus ob malefactum famuli. 1. si dominus locupletetur ex delicto famuli. 2. si habeat famulum notoriè malum. 3. si famulus in ministerio sibi concredito damnificet alios, e. g. in stabulo, caupona &c. quod tamen etiam non est extendendum ad omnes casus; alias, si coquus, qui communiter habebatur bonus, præbuisset malitiosè venenum, posset dominus conveniri.

Obligant tamen leges noxales post sententiam judicis, ut tenent communiter doctores,

ctores, & suadet etiam rationibus allatis. *n. 691.* pro obligatione simili legis Aquiliae. Nec dici potest, legem naturalem non obligare ad praestandos casus fortuitos, consequenter nec posse obligare legem. vel sententiam positivam; disparitas enim est lata; nam, si lex naturalis obligaret ad praestandos casus fortuitos, obligaret ob paritatem rationis ad praestandos omnes, quod esset prorsus nimium; quia nullam humanam diligentiam possunt omnes vitari. At verò, si tantum obliget lex positiva, potest haec obligare, ad aliquos tantum casus praestandos, non ad omnes; quia legislator ex eo, quod prohibeat unum, non necessario prohibet etiam alterum simile: obligari autem tantum ad praestandos aliquos casus fortuitos non est nimium, praesertim, si tantum detur obligatio post sententiam.

698. Qui censent, leges noxales etiam ante sententiam iudicis obligare, his rationibus moventur. 1. Qui sentit commoda animalis, debet naturali jure etiam sentire onera: ergo debet praestare damna ab eo data. 2. Læsus malitiose à servo habet jus contra illum: ergo tenetur dominus, vel servum tradere, vel damnum pensare. 3. Lex Divina *Exod. 21.* approbat legem quadrupedariam: ergo haec obligat. 4. Leges noxales non sunt poenales; quia non supponunt culpam, ut est manifestum ex ipsismet: ergo obligant ante sententiam. 5. Ex opposita sententia sequeretur, quod dominus posset animal noxium mactare, vel occidere servum, ut sic læsus non posset proficere sui sum, quod videtur iniquum. 6. Tandem adducitur consuetudo, vi cuius animalia lædentia à læsis abducuntur, & servantur, donec pro damno satisfiat. Sed non est valde difficilis ad ista responsio.

Resp. Ad 1. Non quidem est iniquum, ut sentiens commoda etiam sentiat onus, & potest id imponi per sententiam iudicis: sed tamen etiam non est hoc positive necessarium, aut ex se jam debitum; aliàs deberet quis etiam compensare damnum, quod fieret à domo, vel statua ejus subito labente: imò & damnum à se dormiente datum. Aliud esset, si ex damno tali dominus ditor fieret, e. g. quia animalia aluntur, & pinguescunt ex alieno pabulo.

Ad 2. Læsus habet jus tantum posterius, dominus autem habet jus prius in servo; unde læsus potest quidem exigere compensationem à servo, si manumittatur, vel aliquid proprii quacunque tandem ratione acquirat; item potest agere coram iudice de injuria: at ante sententiam non habet jus contra dominum.

Ad 3. Lex illa est inter judiciarias veteris testamenti, quæ ex specialibus rationibus tunc temporis populo Judaico à Deo impositæ sunt, sed post mortem Christi omnino expirarunt. Quod si Pontifices aliquando similibus legum mentionem fecerunt, non eas propterea iustaurarunt, ut jure Divino obligent ante sententiam; quia Pontifex non condit jus Divinum. Sed neque

constat, quod Pontifices voluerint, eas leges vim juris Ecclesiastici habere. Insuper Pontifices tantum mentionem fecerunt legum, in quibus manifestè supponitur aliqua culpa. 4. Quamvis illæ leges non sint strictè poenales, sunt tamen quasi poenales; sicut enim iuristis dantur aliquæ obligationes quasi ex delicto. *Instit. lib. 4. tit. 5.* ita Theologi vocant aliquas leges quasi poenales; quia instar verè poenali non obligant ante sententiam, & etiam dicuntur obligare ex culpa, vel quasi culpa.

699. Ad 5. Si dominus vellet mactare illud animal, deberet paratus esse, post sententiam læso aliam compensationem facere; quia tenetur obedire iudici. Ad 6. Consuetudo tantum est abducendi animalia, si deprehendantur in pascuis, vel abducendi equites, & currus, per verita itinera pergentes; unde circa animalia non agitur de pauperie, sed de pascuis: circa equites est culpa saltem juridica: tandem aliud est, quod consuetudo det alteri potestatem animal abducendi, & sic dominum quasi ad iudicem trahendi: aliud est, quod dominus sponte ante omnem aliam petitionem, aut actionem, debeat damnum compensare.

His ita discussis Resp. in forma ad objectionem *n. 695.* factam. neg. ant. nam etiam istæ leges noxales non obligant ad compensationem damni ante sententiam iudicis. Alij assignant disparitatem inter legem Aquiliam, & leges noxales, ac dicunt, quod, si lex Aquilia obligaret ante sententiam, esset multò rigidior; quia damnum potest esse longè majus, quam, ut compensetur tantum traditione alicujus animalis, qua tamen sola leges noxales contentæ sunt.

700. Ob. 4. Datur obligatio restituendi, vel compensandi damnum, ex culpa juridica datum, post sententiam iudicis: ergo etiam datur obligatio ante sententiam. prob. consèq. iudex per sententiam non imponit novam obligationem, sed supponit, eam jam prius dari per legem: ergo, si post sententiam quis obligatur, debet jam ante sententiam obligari. Resp. neg. cons. ad prob. neg. ant. Iudex sæpissimè per sententiam imponit novam obligationem, quæ non dabatur ante sententiam: & in primis hoc contingit in omnibus censuris, quæ non sunt lætæ, sed tantum ferenda sententia: dein tenetur quis post sententiam, ad solvendam multam, ad quam ante illam non tenebatur: item, qui per falsa allegata, & probata, in foro externo est nocens, debet subire poenam &c. Scilicet bonus ordo reipublicæ exigit, ut quis etiam propter culpam juridicam, vel præsumptam Theologicam, à iudice condemnatus obediat; unde ad hoc in conscientia sub reatu quandoque etiam gravis culpæ obligatur, ne scilicet turbetur respublica, & bonus ordo, & ne omnia impleantur scandalis, & seditiosis tumultibus &c. Et sic Theologi etiam dicunt, post sententiam iudicis dari obligationem in conscientia solvendi poenam

disp. 698. n. 6. Azor *p. 3. l. 4. c. 7.* Sa in *aphorismis. v. culpa.* Lessius *de justit. l. 2. c. 7. dub. 6. n. 26.* Layman *l. 3. sec. 5. tr. 3. p. 1. c. 6. n. 2.* Pichler *Cand. juris l. 5. tit. 36. n. 15.* Illung *tract. 4. disp. 3. n. 5.* Gormaz *de justit. n. 792.* La Croix *l. 3. p. 2. n. 173.* Vogler *de restit. q. 6. n. 94.* citans *n. 93.* ultra triginta auctores pro hac sententia. Haunoldus *tom. 1. de just. tr. 2. c. 2. n. 187.* addens, hanc esse communem Theologorum, & Canonistarum.

Prob. conclusio. Si quis teneretur ad faciendum damnum, culpam tantum juridicam datum, vel teneretur ex jure naturali, vel ex jure positivo: sed neque tenetur ex jure naturali, neque ex jure positivo: ergo. prob. mi. quoad 1. partem. obligatio naturalis, quam paucissimi, aut vix ulli agnoscunt, probabilius non datur (nam leges naturales, etsi non omnibus, plerumque tamen multis, praesertim sapientibus sunt notæ) atqui obligationem, faciendi damnum, culpam tantum juridicam datum, paucissimi agnoscunt: ergo non est naturalis. Quin etiam authores, qui eam dari volunt, illam non inferunt ex jure naturali, sed volunt, eam colligere ex legibus positivis: ergo.

Confr. 1. Siquis obligaretur ex culpa juridica, etiam levi, & levissima, & quidem ex jure naturali, non sufficeret diligentia communis, sed opus esset diligentia valde exacta, ad non inferendum damnum proximo, qualem non solum quis adhibere in impediendo proprio damno: sed hoc traheret post se serupulos infinitos: ergo non debet admitti. Si autem dicitur, quod obligetur quis ex culpa juridica lata, vel ex levi, tantum tunc, quando hæc respective est gravis, quæque explicata est *n. 686.* contra est: in his casibus non possum ita lædere jus alterius, per culpam merè juridicam, nisi accedat quædam naturalis inadvertentia, oblivio, aut invincibilis ignorantia periculi, vel alia similis causa, quæ excuset à culpa Theologica: atqui læsio sic contingens non debet reparari de jure naturali, secluso speciali contractu; quia natura non obligat homines, ad humanae infirmitati impossibilia, prout est evitatio damnificationis in his casibus: & quæ ex tali infirmitate accidunt, coram Deo se habent ut casus fortuiti: ergo. Confr. 2. Talis damnificans non tenetur ex re accepta; quia nihil accepit, sed tantum damnum intulit: nec est injusta acceptio; quia, quod de jure naturali injustum est, culpa Theologica est: ergo vi juris naturalis ex nulla radice tenetur.

689. Probatur jam minor superior quoad 2. membrum. Si quis teneretur ad faciendum tale damnum de jure positivo, teneretur potissimum lege Aquilia: sed hæc, vel non obligat ad damnum ita datum compensandum ante sententiam iudicis: vel saltem hæc obligatio non est sufficienter manifestata: vel certè hæc lex cum tanto rigore non est usu recepta, adeoque saltem in actu secundo non obligat: ergo neque datur obligatio ex jure positivo. ma. non ne-

gatur. mi. habet tres partes. prob. 1. pars. nimis violentum videtur, ut quis se ultrò condemnet ad reparationem damni, quod sine omni culpa Theologica, adeoque coram Deo innocenter dedit: ergo; nisi efficaciter probetur hæc obligatio, non est adstruenda; maxime cum ansam præberet plurimis serupulis; eoquod difficillimum esset, in particularibus casibus discernere, quæ culpa sufficeret ad inducendam obligationem restitutionis; licet enim *Lex 44. ff. ad Leg. Aquil.* meminerit culpæ levissimæ, meritò tamen dubitatur, an non intelligatur culpa, materialiter quidem levissima, sed respectivè gravis, quæ *n. 686.* est explicata; si enim intelligatur culpa etiam respectivè, seu formaliter levissima, lex hæc planè esset difficillima. Confirm. Finis hujus legis, sive diligentia, & cautela hominum, sufficienter obtinetur, si lex obliget post sententiam: ergo non est adstruenda obligatio ante sententiam.

690. Prob. jam 2. pars conclusionis. Legislator in lege Aquilia, vel etiam legibus noxalibus, de quibus infra *n. 695.* non clarè exprimit, an velit obligare ante sententiam: imò videtur potius exprimere, quod tantum obliget post sententiam *L. 2. Cod. de leg. Aquil.* ubi dicitur: *Ut id damnum sarciantur, competentis iudicis auctoritate consequeris ... ejusdem iudicis curâ impetrabis.* Insuper hæc lex poenalis, vel quasi poenalis est: ergo potius est dicendum, quod non obliget ante sententiam; nam, ut habetur *L. 9. ff. de regul. juris. Semper in obscuris, quod minimum est, sequimur.* item *L. 56. cod. tit. Semper in dubiis benigniora præferenda sunt.* iterum *L. 192. cod. tit. In re dubia benigniorem interpretationem sequi, non minus justus est, quam tutius.*

Afferitur huic etiam à pluribus *Reg. 57. juris in 6. Contra eum, qui legem dicere potuit apertius, est interpretatio facienda.* Equidem Glossa in hanc regulam sub finem, & quidam alij etiam, non putant, eam esse accipiendam de legibus strictè dictis, tamen alij eam etiam de his accipiunt; nam, quod Glossa ait, leges esse claras, planè de multis non est verum; aliàs unde tot forent controversiæ circa intellectum earundem? Sed quidquid de hac regula sit, etsi ipsa hinc pro nobis non faciat, faciunt abunde satis priores. Confr. Theologi, qui potissimum expendunt obligationem in conscientia, communissimè negant, dari eam obligationem ante sententiam: quin etiam hodie homines, aut nulli, aut paucissimi, eam observant: ergo non videtur obligatio ista sufficienter manifestata esse, minus in praxin inducta.

Probatur jam 3. pars de non acceptatione legis Aquiliae, seu ejus per usum non receptione. Hæc est questio facti, in qua utique fidem merentur Theologi plerique, negantes, eam legem cum tanto rigore esse acceptatam: sicut merentur fidem Jurisconsulti, qui apud Haunoldum dicunt, legem Aquiliam non esse acceptatam quoad restitutionem quanti plurimi. At non soli

Theologi ita sentiunt: sed in hac materia ipsi consentiunt teste Haunoldo communiter Canonista. Tandem confirmatur totum membrum secundum minoris primi syllogismi ex eo, quod, cum jus naturale non obliget, jus autem civile dubium sit, non sit hæc obligatio tam gravis imponenda, ob jus tantum dubium.

691. Dico 2. Post sententiam iudicis præstari debet, etiam in foro conscientia, culpa juridica, saltem respectivè lata, quamvis nulla intercesserit culpa Theologica. ita longè frequentius authores, & interpretes legis Aquilia. Prob. conclus. Finis hujus legis ex communi doctorum est, ut homines fiant diligentiores, ad cavendum à damnis alteri inferendis: hic autem finis non ita obtineretur, si homines non tenerentur parere iudici, compensationem imponenti, quando culpa Theologica non intercesserit, sed tantum aliqua juridica, quamvis respectivè lata; quia sic homines non magis excitantur, ad adhibendam cautelam jure positivo, quam naturali: ergo.

Confr. 1. Lex Aquilia ab omnibus censetur iusta: ergo assert obligationem aliquam in conscientia, saltem post sententiam: sicut scilicet leges poenales afferunt obligationem solvendi multam inflictam. Confr. 2. Sæpe culpa juridica respectivè lata ob inconsiderantiam, oblivionem, & similia, excusatur à culpa Theologica, & tamen iudices imponunt compensationem, nec videntur semper præsumere culpam Theologicam: atqui tunc debent subditi illis parere; aliàs orientur turbæ, contemptus iudicum, & perturbatio in communitate: ergo datur obligatio faciendi damnum post sententiam.

Quamvis autem talis casus possit dici fortuitus in aliquo sensu Theologico, non est fortuitus in sensu juridico; quia *Theologicè fortuitum* est, quod præter intentionem, & voluntatem, potest omnia, ad quæ in conscientia, hæc & nunc, tenebaris, præstata, accidit: at *juridicè fortuitum* est, quod nullà providentiâ, aut curâ hominum, vitari potuit, aut debuit. Unde, si in loco periculoso ponas candelam accensam, cum animo statim removendi, sed dein ejus inculpabiliter obliviscaris, & nascatur incendium, est quidem hoc Theologicè fortuitum: non autem juridicè. Pari-ter, licet in hoc casu non detur injuria Theologica, datur tamen juridica; quia hæc etiam tunc fit, quando læditur jus alterius per culpam tantum juridicam.

Nec dicas, talem culpam etiam committere furiosos, & infantes, quos tamen lex Aquilia expressè excipit *L. 5. Sed etsi §. 2. ff. ad legem Aquilia*; negatur enim illatum; isti enim, cum usu rationis careant, nec legibus subint, non possunt culpam etiam tantum juridicam committere; cum non possint contra leges propriè agere; exigitur enim capacitas doli in transgrediente leges, non quidem, ut iste semper præsumatur, sed ut legibus aliquis sit sub-

jectus. Addo, condemnatum ob culpam juridicam ad aliquam multam, vel restitutionem, si, ut debet, eam solverit, vel subjerit, non posse occulta compensatione uti ad suum damnum resarciendum; quia talis nullo modo habet jus certum, quod requiri diximus *n. 579*.

692. Ait tamen Vogler *de restit. q. 6. n. 98*. si clarum sit, nullam intervenisse culpam Theologicam, non videri aliquem condemnandum ad excessum quanti plurimi, de quo *n. 687*. quia quoad hunc excessum lex Aquilia est purè poenalis, ut habetur *§. 9. Instit. de lege Aquilia*: & iudices, ut ait hic author, non solent infligere tam gravem poenam, nisi quando norunt, aut præsumunt culpam Theologicam. Docet idem *n. 97*. satis æquum videri, ut iudex non imperet compensationem totius damni, quando ex circumstantiis personæ, vel alijs, verosimiliter potest colligere, quod nulla, vel tantum minutissima, & moraliter inevitabilis culpa Theologica intercesserit, & quod damnum potius ex naturali quadam ignorantia, vel oblivione, fuerit profectum.

Idem *n. 96*. ut probabilius tradit, quod iudex vi legis Aquiliæ condemnare non possit ob culpam juridicam respectivè levem, vel levisimam; quia, ut observat Lugo *disp. 8. n. 54*. illa lex ferme semper loquitur de culpa lata, & exemplaria, à Juristis afferri solita in hac materia, pleraque continent culpam latam: & quanquam aliquando meminerit illa lex culpæ levisimæ, tamen non necessariò intelligitur formaliter levisima, ut dicitur *n. 686*. Certè lex ista esset nimis rigida, si juberet compenari damnum etiam gravissimum, ob omisam diligentiam majorem, vel maximam, quam dominus non exigit, & prudentes absque scrupulo sæpe solent omittere, videatur ipse Vogler *loc. cit.*

ARTICULUS VIII.

Solvuntur Objectiones.

693. **O** B 1. Gregorius IX. *C. Si culpa tua. 9. de injurijs, & damno dato*. obligat ad compensationem damni, sive ex imperitia, sive ex negligentia dati: additque, ignorantiam non excusare: ergo etiam aliquis obligatur absque culpa Theologica; quia hæc non patrat sine scientia, & advertentia. Confr. Stephanus V. *C. Consulisti. 2. q. 5. mandat parentibus*, ne infantes collocent secum in uno lecto, ne scilicet eos oppriment, aut suffocent, & homicidij rei sint: ergo negligentia tantum juridica sufficit ad reatum homicidij, & consequenter multo magis ad reatum restitutionis. Confr. 2. Gratis dicitur, legem Aquiliam non esse usu receptam quoad damnum ante sententiam iudicis præstandum; cum id tantum aliqui Theologi asserant: ergo.

Resp.

poenam, à legibus, poenalibus dictis, statutam: quamvis ante sententiam ea obligatio in conscientia non detur. Nec dicas, iudicem non habere majorem vim obligandi, quam legem; nam iudex imponit obligationem vi legis reflexæ, quæ jubet, sententiæ iudicis parere: nisi dicere velis, quod ipsa lex directæ, e. g. Aquilia, jam imponat obligationem, sed sub conditione sententiæ ferendæ à iudice: qua conditione purificata, seu latâ sententiâ, detur absoluta obligatio legis, non autem antè.

ARTICULUS IX.

An, & qualis oriatur Obligatio Restituendi ex Culpa Theologica Veniali.

701. **O** Riri obligationem gravem restituendi ex culpa Theologica contra iustitiam, tum ratione voluntarietatis, mortali, certum est omnibus; quippe, cum per eam inferatur injuria formaliter, & materialiter gravis, & conjuncta cum damno aliàs permanente, ut dicitur *n. 288*. utique contrahitur per se obligatio gravis jus læsum reparandi: quare obligatio restituendi gravis, orta ex peccato, ut dicitur, gravi, non hinc inquiritur, sed supponitur. Quæritur autem, qualis obligatio nascatur ex culpa veniali: neque tamen quæritur, an ex culpa veniali deliberatè commissa, e. g. ex furto crucigeri, oriatur obligatio levis restituendi crucigerum; hæc enim obligatio clara est omnibus; nam sicut ablatio, ita & retentio est venialis culpa.

Sed questio hinc instituitur de peccato veniali, quo quis alium, vel simul, vel successivè, graviter lædit; potest enim damnificatio etiam gravis fieri per peccatum veniale, sive, quod idem est, potest etiam inferendo grave damnum tantum venialiter peccari: idque potest fieri variis modis. 1. propter defectum plenæ deliberationis. 2. propter omissionem diligentis venialiter tantum culpabilem. 3. propter errorem, quo quis invincibiliter nescit pretium rei, e. g. si putet esse vitrum, quod est gemma. 4. propter alium errorem, quo quis ignorat gravitatem formalem, e. g. furatur aureum, invincibiliter existimans, non esse materiam gravem. 5. si furta minuta sæpius repetantur, ut tamen nunquam cogitentur, vel advertantur, ea coalescere, ac simul gravem materiam constituere.

702. Dico 1. Ex culpa veniali, propter defectum sufficientis deliberationis, non oritur gravis obligatio, ante sententiam compenandi totum damnum, vel partem notabilem damni. ita Sa *in aphorismis v. culpa. Lessius de justit. l. 2. c. 7. dub. 6. n. 27. Lugo de just. disp. 8. sec. 5. n. 56. Azor tom. 3. l. 4. c. 8. Sanchez l. 2. in decal. c. 23. n. 160.* addens, hanc esse communem sententiam. Gormaz *de justit. n. 704.* Haunoldus *tom. 1. de just. tr. 2. c. 1. n. 191.*

Et 195. Vogler de restit. q. 7. n. 109. La Croix *l. 3. p. 3. n. 185.* Illung *tr. 4. disp. 3. n. 10.* cum plurimis alijs ab his citatis, Soto, Henriquez, Navarra, Toletio, Amico, Esparza, Tamburino, Maffrio, Pontio, Metzger &c. Supponitur autem, cum, qui damnum intulit, non jam habere quidquam lucris ex illo, nec formaliter, nec æquivalenter, seu non esse factum ditiorum; aliàs enim utique teneretur ex re accepta.

Prob. conclusio. Natura non debet cenferi induxisse obligationem, in quam homines non essent consenturi, si antecedenter ad omnem casum, eorum consensus fuisset requisitus: atqui homines non fuissent consenturi in obligationem compenandi damnum, tantum cum semiplena libertate datum, si antecedenter fuissent requisiti: ergo. ma. prob. obligatio naturalis datur ad id, quod humano generi antecedenter ad omnem eventum magis expedit, aut prudenter est magis optabile: atqui talis obligatio non esset humano generi optabilis: ergo. prob. etiam mi. superior. obligatio restituendi est valde gravis, & nemo facilè, nisi coactus se spoliat suis rebus: ex altera parte culpa venialis, tantum semiplenè deliberata, est moraliter vix evitabilis, & quivis potest prudenter formidare, ne à se, & fors frequenter committatur: qua commissa utique nollet tam severè secum agi, ut deberet esse graviter obligatus ad resarciendum damnum, vel partem ejus notabilem, quæ sæpe posset ascendere ad ingentem summam, ut adeò propter culpam subrepticam ipse deberet sæpe spoliari omnibus fermè bonis: planè, ut ait Illung, mallet quivis pati damnum, ita quasi fortuito sibi illatum, quam esse ita severè obligatus, ut, si ipse ea ratione damnum grave inferret, id resarcire deberet: ergo homines, si antecedenter fuissent requisiti, non fuissent consenturi in hanc obligationem.

703. Confr. 1. Hæc obligatio abstereretur plurimos ab adeundis officijs publicis, in quibus facilè contingunt culpæ semideliberatæ: ergo natura, seu lex naturalis, hanc obligationem non inducit: de positiva autem lege, saltem quæ obliget ante sententiam, ad reparanda talia damna, non constat: ergo omnino non datur hæc obligatio. Confr. 2. ex Illung. Obligatio restitutionis ante sententiam iudicis, non fundatur præcisè in illatione damni, ut fatentur omnes; aliàs etiam restitui deberent omnia damna, omnino fortuito illata: sed vel fundatur in titulo rei acceptæ, vel in titulo injustæ acceptionis: vel si restitutio sumatur latius pro qualibet satisfactione, ex iustitia debita, fundatur in titulo iustæ conventionis, vel explicitæ, vel implicitæ: sed nullus istorum titulorum datur in casu nostræ conclusionis: ergo.

Prob. mi. Primus titulus in nostro casu non adest, ut supponitur: tertius etiam non adest; quia non adest explicita conventio: neque etiam implicita; quia, ut supra pro-

probatum, non fuit hominibus optabilis ea conventio, neque ipsi in eam obligationem antecederent consensissent &c. Secundus autem titulus non obligat in nostro casu; nam obligatio ex injusta acceptione, quamvis proprie poena non sit, est tamen instar poenae; quam jus naturale imponit solvendam, ante sententiam iudicis, ut homines absterreantur à damnificationibus injuriosis: sed poena, vel quasi poena tam gravis, scilicet obligatio compensandi damnum grave, per se, & seclusis alijs finibus, est improporcionata delicto levi per indeliberationem commissio: ergo.

704. Insuper per eam poenam non possumus sufficienter absterri ab actu semideliberato; quia per actum tantum semideliberatum, nec ad delictum, nec ad poenam sufficienter attendimus: & talis actus, ut dictum, moraliter evitari vix potest: ergo. Possent quidem absterri homines ab officijs, & commercijs, ut dictum n. 702. sed hoc non esset utile humano generi.

Hæ rationes non tantum probant, non oriri obligationem gravem refarciendi totum damnum grave, sed etiam non oriri obligationem gravem, fariendi partem notabilem, seu gravem damni, si scilicet damnum tam magnum sit, ut in plures partes graves dividi possit; nam & hæc obligatio, solvendi partem gravem, gravis est, & improporcionata culpæ levi: & tamen ob hanc ipsam improporcionem non datur obligatio refarciendi totum damnum grave. Confir. ex Haunoldo tom. 1. de just. tr. 2. c. 2. n. 192. Si illud damnum grave partiale, quod modò est tantum pars damni, esset damnum adæquatum, per eam culpam levem illatum, non daretur obligatio gravis ad illud refarciendum propter improporcionem: atqui eadem improporcionem manet etiam pro tunc, quando est tantum pars damni; quia est eadem quantitas: ergo.

705. Dico 2. Ex tali culpa veniali neque oritur obligatio levis ad refarciendum damnum grave, vel gravem ejus partem. ita Lessius de just. l. 2. c. 7. dub. 6. n. 28. Lugo de just. disp. 8. sec. 5. n. 58. & 59. Illung tr. 4. disp. 3. n. 10. Vogler de restit. q. 7. n. 110. & alij plures. Prob. Obligatio naturalis ad materiam gravem non est levis: sed hæc obligatio foret naturalis ad materiam gravem: ergo. prob. ma. natura, dum obligat, semper obligat tantum, quantum materia est capax: & certè, nisi hoc dicatur, non habetur ullum fundamentum naturale statuendi regulam obligationis gravis; si enim non possit desumi gravitas, aut levitas obligationis, ex gravitate, aut levitate materiae, ad quam datur obligatio, certè neque etiam ex alio capite ea desumi poterit; quia nullum, ex quo, attendendo præcisè jus naturale, desumatur, poterit ostendi: ergo, quando natura obligat ad materiam gravem, obligat graviter: consequenter, si non graviter obligat, omnino non obligat.

Confir. ex Lessio. Valde mirabile esset,

obligari hominem sub veniali, ad solvenda decem millia florenorum. Item ex Lugone. Meritò videtur absurdum, obligari aliquem sub levi, ratione homicidij per levem inadvertentiam commissi, ad subeundas poenas gravissimas homicidij: atqui idem esset, si quis ob damnum grave, per culpam levem datum, obligaretur sub levi ad gravissimam restitutionem, quæ, si non est poena, est tamen quasi poena. Nec dicas, quòd sic datur meritum congruum, ita etiam detur demeritum congruum; hoc enim admitti non potest; nam tale meritum sapit liberalitatem, demeritum autem congruum sapit crudelitatem punientis, quæ crudelitas non cadit in naturam, seu legem naturalem.

Ex hoc collige, neque dari obligationem restituendi, vel compensandi damnum, datum per negligentiam etiam respectivè levem, & venialiter tantum culpabilem, juxta dicta n. 686. ita docent Lugo de just. disp. 8. sec. 5. n. 57. & Vogler de restit. q. 7. n. 111. quia etiam hæc culpa est levis, & moraliter vix evitabilis: comittiturque etiam ab officialibus timoratis, atque esset oppidò durum, eos semper obligare ad gravissima damna refarcienda. Neque hæc obligatio, antecederet ad omnes eventus, esset humano generi exoptabilis. Sed neque in casu culpæ talis levis, datur obligatio gravis, ad refarciendam partem levem damni; quia, ut probatum n. 703. & seq. non datur obligatio gravis ad materiam levem. An autem detur obligatio saltem levis, ad compensationem aliquam levem, vel dandum aliquid leve, proportionatum culpæ levi, vide La Croix l. 3. p. 2. n. 191. & 192. & Haunoldum tom. 1. de justit. tract. 2. c. 2. n. 194.

706. Dico 3. Ex culpis venialibus, deliberatè commissis, oritur obligatio naturalis, fariendi totum damnum: consequenter, qui per plura peccata venialia; quia e. g. non advertit, se sensim ad summam gravem pervenisse, damnum grave intulit, tenetur postea sub mortali illud refarcire. ita nunc communissima. Equidem doctissimus quidam recentior ait, Lessium, Sa, Vivam sensisse oppositum, atque etiam Gormaz, & quidem hunc in facie Romæ. Sed Lessius, & Sa imprimis scripserunt ante propositionem 38. ab Innocentio XI. damnatam: dein prior l. 2. de justit. c. 12. dub. 8. n. 45. dicit, ablatam per furta minuta summam gravem debere restitui; eoquòd velle retinere talem quantitatem sit mortale: ex quo non inferitur, quòd dicat, talia non debere restitui, quando jam fuere consumpta, sed tantum, quòd Lessius abstrahat ab hoc casu secundo. Alter, seu Emanuel Sa in aphorismis v. furtum. nobiscum aperte sentit, quamvis oppositam dicat esse probabilem. Viva p. 1. trutin. Theol. in propof. 29. A. lexand. VII. n. 16. ubi occasionaliter agit de propositione 38. ab Innocentio XI. damnata, videtur quidem aliquo modo favere adversè opinioni: sed p. 5. curs. Theol. disp. 4. q. 5. n. 17. multò magis in nostram sententiam

tiam inclinat. Gormaz autem, à quo tanquam colendissimo meo Professore tractatum de justitia excepi, de hac quæstione minimè agit: certè nunquam ab ipso, vel à discipulis ejus, in ulla disputatione, aut de propositione ab Innocentio damnata, aut de casu nostro, est actum, quòd utique factum fuisset, si hanc quæstionem tractasset.

Agit Gormaz tract. de justit. n. 794. tantum de obligatione restituendi, orta ex peccato veniali, per semideliberationem admisso, ut est apertum ex eodem n. 794. ubi suam conclusionem probans ait, quòd actus moralis imperfectus, qualis est indeliberata damnificatio in re gravi, non auferat gravem obligationem: ite. n. agit de eo, qui minus deliberatè agit. Equidem postea n. 806. obiicit sibi furta minuta: verum ibi ait, ea obligare ad restitutionem, non quidem ratione culpæ, sed ratione rei acceptæ; cum nemo possit sibi appropriare rem alienam gravem: ex quo malè inferretur, quòd auctor hic tantum velli obligationem restituendi adtribuere, quando res accepta adhuc apud auctorem exiit; cum hoc nec verbo indicet; ad summum enim potest inferri, eum de altero casu, quando scilicet res jam consumpta est, non agere, sed abstrahere.

Prob. conclusio 1. ex damnata ab Innocentio XI. hac propositione 38. Non tenetur quis sub poena peccati mortalis restituere, quòd ablatum est per parva furta, quantumcumque sit magna summa totalis. Alij legunt per parva furta, sed sensus debet esse idem. Prob. conclusi. Obligatio naturalis refarciendi damnum grave est gravis, ut probatum est n. 705. sed in nostro casu datur obligatio naturalis refarciendi damnum grave: ergo est gravis. prob. mi. per plura furta coalescentia tandem fit damnum grave, ut dictum n. 562. & 563. & habetur ex omnium perquisitione omnium; cum omnes judicent, grave damnum inferri domino, si successivè fur clepat e. g. decem florenos, et si singulis vicibus tantum auferat unum, vel alterum denarium, si furta coalescant (de quo vide dicta à n. 568.) ergo. Confir. Hæc obligatio videtur antecederet ad omnes eventus exoptabilis humano generi; quia alias homines non sufficienter absterrentur à furtis minutis, deliberatis, & frequentibus, quibus sæpe magnum damnum inferitur.

Dices, per venialia illa peccata tantum contrahi obligationem refarciendi aliquid leve, proportionatum culpis levibus. Sed contra est. Per peccata illa plura venialia contrahitur obligatio refarciendi omnia illa damna minuta, quæ simul sunt aliquid grave; nam, qui tantum furatur unum denarium, tenetur sub veniali, eum restituere: quando autem addit alterum furtum parvum alterius denarii, non tollitur prior obligatio, sed augetur, & additur nova venialis materia, ita, ut modò sub veniali teneatur duos denarios restituere; aliàs patrocineretur furti furtum secundum, & magis tertium, aut

R.P. Ant. Mayr Theol. Tom. II.

quartum; quia semper proportionaliter minus de istis denarijs teneretur restituere; ne unquam propter venialia cogeret ad restituendam summam gravem, quòd meritò ex terminis inconveniens videtur Haunoldo tom. 1. de just. tr. 2. c. 2. n. 199. ergo tandem obligabitur talis fur ad materiam gravem, consequenter graviter.

707. Dico 4. Qui lædit alterum injustè, & cognoscit totam gravitatem materialem damni, quamvis ignoret gravitatem formalem, tamen tenetur ad restituendum totum damnum: e. g. furaris mercatori aureum, tamen bona fide putas, non esse materiam gravem respectu mercatoris: in hoc casu, etiam si dicitur factus non sis, aureum consumendo, tamen teneris, eum sub mortali restituere. ita Illung tr. 4. disp. 3. n. 16. & 19. Vogler de restit. q. 8. n. 125. ac alij. Prob. conclusio. Si teneris aureum restituere, quando successivè ad eam summam per plura venialia furta devenisti (ut num. preced. est probatum) etiam teneberis, si simul, per unicum furtum veniale deliberatum, eum eripuisti: imò fortè magis in isto casu; quia homines majorem aliquam in furto simultaneo, quam successivo, læsionem agnoscere videntur. Accedit, quòd hæc etiam obligatio expediens videatur generi humano, eodem modo, vel etiam magis, quam prior, de qua n. preced. ut expendenti constabit: adeoque etiam ista est admittenda.

ARTICULUS X.

Solvuntur Objectiones.

708. **O**B. 1. contra 1. conclusionem. C. Si culpa tua. de injurijs, citatum n. 693. dicitur, eum tantum excusari, à restitutione, vel compensatione damni, qui de contingentibus nil omisit: atqui committens culpam venialem aliquid de contingentibus omisit: ergo. Confir. 1. Etiam venialiter peccans lædit alterum injustè, sciens, & volens: ergo tenetur ad restitutionem. Confir. 2. Qui per errorem venialem graviter alteri famam detrahit, tenetur refarcire damnum in fama illatum: ergo etiam, qui per peccatum veniale alterum in bonis fortunæ damnificat, tenetur refarcire damnum, in istis illatum.

Resp. cum Lessio de justit. l. 2. c. 7. n. 30. Vogler de restit. q. 7. n. 112. & Illung tract. 4. disp. 3. n. 14. neg. mi. saltem in sensu capituli; nam ibi Pontifex loquitur de culpa lata, quæ circa materiam gravem est peccatum grave; intelligendus enim est de negligentia, quæ moraliter ab hominibus potest vitari. Sanè œconomus, aut officialis, nihil censetur moraliter de contingentibus omittere, et si aliquando per culpam indeliberatam, vel tantum semideliberatam, præbeat occasionem damni etiam gravibus. vide Voglerum de restit. q. 7. n. 112.

Aa

Ad

Ad 1. confir. dist. ant. etiam venialiter peccans lædit alterum, sciens, & volens, scientiã perfectã, & voluntate plena. neg. ant. scientiã imperfectã, & voluntate semiplena. conc. ant. & neg. conf. unde etiam ad inducendam tam gravem obligationem, non sufficit qualibet injustitia, sed tantum ea, quæ est plenè deliberala. Ad 2. confir. Etiam, qui per errorem inculpabilem detrahit, tenetur aliquo modo resarcire famam: consequenter etiam omnino inculpabiliter damnificans teneretur resarcire damnum in bonis fortunæ illatum: quod isti adversarij non admittunt. in forma conc. vel om. ant. neg. conf. vide dicta a n. 520.

709. Ob. 2. Aequius esse videtur, ut patiator nocens, quam innocens: sed, qui per culpam venialem lædit alterum, est saltem aliquo modo nocens, læsus verò est innocens: ergo. Resp. Eodem modo videri potest, esse æquius, ut potius patiator is, qui est causa damni, quam qui non est causa damni, sed istud patitur: ergo obligabitur etiam, qui casu prorsus fortuito damnum fecit. in forma dist. ant. videtur id æquius esse, attento tantum uno, aut altero casu particulari. om. ant. attentis omnibus casibus possibilibus simul sumptis. neg. ant. & conf. Non tantum inspicendum est, quid hæc, & nunc, sed quid universim expediat: non autem expedit, ob culpas moraliter inevitabiles imponere tantum onus: & facilius est pati damnum, quasi fortuitum, quam ita datum debere sub gravi compensare. Nec propterea læsis inferitur præjudicium: quia etiam ipsi possunt ita lædere: & tunc etiam ipsi non tenebuntur restituere. Dein ad explorandum, quid sit optabilius generi humano, debet considerari res, antecedenter ad omnes eventus: & tunc certè quivis videtur velle potius pati tale damnum, quasi fortuito datum, quam, si ipse damnum tali modo inferat, restitutionem maximam facere.

710. Ob. 3. Non est improporcionata levi culpæ etiam gravis pœna: ergo nec est improporcionata obligatio gravis ad restituendum. ant. prob. excommunicatio minor est gravis pœna, & tamen incurri potest ob veniale peccatum: item pœna purgatorij est valde gravis, & tamen imponitur ob veniale peccatum: ergo. Confir. Si non posset imponi gravis pœna ob peccatum leve, esset injusta lex Aquilia: hoc dici non potest: ergo. Resp. 1. cur non etiam ob furtum oboli imponitur obligatio restituendi mille florenos, vel omnino quis suspenditur? nam hæc pœnæ minores sunt pœnis purgatorij?

Resp. 2. neg. ant. ad prob. inprimis Cardinalis Lugo de just. disp. 8. sec. 5. n. 70. respondet, excommunicationem minorem non esse puram pœnam, sed potius medicinam: si hoc non placet, dist. 1. p. ant. est gravis pœna in consideratione æcetica, quæ tamen in ordine ad politicum regimen non ita attenditur. conc. ant. in consideratione morali, quæ prævalet in humano commerc.

cio. neg. ant. & conf. Excommunicatio minor facile tollitur per absolutionem; unde non adeo gravis censetur inter pœnas spirituales. Pariter dist. 2. p. antec. purgatorium est pœna gravis in foro humano. conc. ant. in foro Divino, à quo infligitur. neg. ant. & conf.

711. Ad confir. Ex hoc sequeretur etiam, ob damnum, per solam culpam juridicam datum, teneri aliquem ad restitutionem, quod isti adversarij non petunt. Dein neg. ma. ut enim Illung tr. 4. disp. 3. q. 1. n. 15. advertit, alia est punibilitas culpæ absoluta, seu ex natura sua: alia respectiva, seu in ordine ad certum finem: sic in ordine ad finem servandæ disciplinæ militaris furta minora militum sunt gravijus punibilia, quam sint ex natura sua, seu in alijs hominibus.

Unde etiam, licet damna per culpam venialem data, ex se, seu ex natura sua, non sint punibilia obligatione gravi restituendi, tamen possunt ita esse punibilia respectivè, seu in ordine ad excitandam diligentiam majorem hominum, in cavendis aliorum damnis: qui finis, etsi nondum sit tam efficaciter intentus à natura, ut propter ipsum omisum jam lex naturalis aliquem obliget, ad subeundum onus restitutionis (ut hucusque est probatum) tamen potuit efficaciter intendi à lege positiva, tanquam finis utilis reipublicæ: & consequenter potuit facientibus damnum, etiam per culpam venialem, quin etiam per culpam merè juridicam, imponi tanquam pœna hæc restitutoria, sicut militibus, non quidem à lege naturæ, sed à jure positivo militari, imponitur gravior pœna pro furtis minutis. Quia tamen hoc onus restituendi est pœna, non debet quis ante sententiam illud subire.

712. Ob. 4. Qui per culpam mortalem infert damnum, debet non solum solvere tantum, quantum damni prævidit futurum, sed totum damnum, adeoque etiam excessum invincibiliter ignoratum: e.g. qui projicit in mare gemmam, putans valere tantum aureum, cum valeat decem, debet restituere, non tantum unum aureum, sed decem: ergo etiam, qui per culpam venialem deliberatam alicui damnum infert, debet etiam restituere totum damnum. Resp. om. ant. neg. conf. Si antecedens est verum, tunc ratio est; quia injuria gravis, quæ in eo casu infertur, affert secum obligationem compensandi totum damnum; nam injuria gravis affert, ut ait Lugo de just. disp. 8. sec. 5. n. 63. obligationem reddendi omnino indemnem eum, qui injuria est affectus: in nostro autem casu non datur injuria gravis.

713. Dixi: om. ant. nam hoc neutiquam certum est. Id quidem asserit Lugo loco modo citato, & Illung tr. 4. disp. 3. q. 1. n. 22. (qui tamen posterior limitat assertionem ita, ut neget hanc obligationem, si damnum prorsus per accidens, & præter omnem prudentem credibilitatem perspicacis intellectus, secutum est) at negant id

Haunoldus tom. 1. de just. tr. 2. c. 2. n. 221. Esparza l. 8. de justit. q. 34. n. 5. Vogler de restit. q. 12. n. 189. & La Croix l. 3. p. 5. n. 194. qui ulterius citat Pontium, Dicastillum, & Dianam: isti, inquam, & alij negant, plus debere restitui, quam fuerit de damno præcognitum, si excessus sit omnino, & quidem invincibiliter ignoratus; nam, si confusè fuit cognitus, vel vincibiliter tantum ignoratus, admittit Vogler n. 198. & in casu vincibilis ignorantia etiam Haunoldus n. 220. aliquem teneri ad restitutionem totius damni; quia talis jam est causa moralis damni, & hoc ipsi sufficienter est voluntarium, & imputabile.

Quod si autem quis omnino, & invincibiliter, ignoret excessum damni, putant hi authores, eum non teneri, ad eum excessum resarciendum. Ratio eorum est; quia, ut ait La Croix, lex positiva, obligans ante sententiam, ostendi non potest, nec etiam adversarij ex ulla suam sententiam probare contendunt: lex autem naturalis, non obligat; quia excessus talis, hæc & nunc invincibiliter ignoratus nec suspicabilis, non est voluntarius; non enim est voluntarius in se, ut patet: non in causa; quia ignoratur connexio, adeoque est damnum fortuitum: independentem autem à contractu non debet præstari damnum fortuito datum: ergo. Addit Vogler n. 189. in fine. cum hæc sententia sit valde probabilis, saltem in praxi neminem esse obligatum ante sententiam, ut reparet talem excessum; quia, ut ait, cum taliter damnificans, jus possessionis suarum rerum habeat certum, & debitum oppositum tantum sit probabile, non debet privari certo rerum suarum dominio ob jus alterius incertum.

714. Haunoldus insuper tom. 1. de just. tract. 2. c. 2. n. 223. putat, obligationem naturalem resarciendi tale damnum non expedire; quia homines non absterrentur à damnis fortuitis, eo ipso, quod ignorentur. Equidem respondet Illung cit. tract. 4. disp. 3. n. 24. homines, licet non absterrentur ab omnino fortuitis, tamen absterrendos esse à gravibus damnis, scienter inferendis, si scilicet scirent, conjunctam ijs esse obligationem faciendi etiam excessus illos, quamvis ignoratos. Replicat tamen Vogler cit. q. 12. n. 193. hac ratione etiam posse dici, talibus damnis, per injuriam gravem illatis, connexam esse obligationem restituendi damna, prorsus per accidens tantum secuta; quia, si ista etiam resarciri deberent, possent homines adhuc magis absterri ab injurijs gravibus: sed hanc obligationem nec adversarij adstruunt. Addit, plerosque homines non absterrendos; eoquod damna invincibiliter ignorata paucos moveant: saltem, cum sæpius non adsint, spes plerumque foret, ea non adfutura: adeoque hic metus non videtur homines valde moturus. Adjungit, sufficienter homines posse absterri, si obligentur post sententiam judicis, ad quem læsus potest habere recursum: circa quam

tamen sententiam hic auctor docet n. 194. quodd, si excessus sit nimium exorbitans, non possit invincibiliter ignorans, neque per sententiam obligari ad totum restituendum.

715. Verum meritò dubitari adhuc potest, an talis obligatio, resarciendam excessum invincibiliter ignoratum, sit naturæ expediens, & an homines in eam antecedenter ad omnes eventus consensissent. Affirmat id quidem Illung: sed, ut dictum, negat Haunoldus cum La Croix, & uterque contra Illung putat, durius esse, ita datum excessum damni compensare, quam fortuito sibi illatum pati. Addit Esparza l. 8. de justit. q. 34. n. 4. in moralibus præcisionem rationis, ratione invincibilis ignorantia, se habere ut distinctionem realem: & sanè ex hoc capite, qui peccat cum famina, quam invincibiliter ignorat esse conjugatam, non contrahit malitiam adulterij: ergo, qui invincibiliter dat plus damni, quam cognoscit, non peccat ratione illius excessus, adeoque non videtur damnandus ad restitutionem: sicut, ut ait n. 3. præced., qui dat cibum lethalem, quem tamen invincibiliter putat causativum solius infomnij, non propterea tenebitur de toto damno, consecuro ad mortem hominis.

716. Ex quibus multò magis sequitur (quod etiam Lugo de just. disp. 8. sec. 5. n. 64. Illung tr. 4. disp. 3. n. 10. & 22. admittunt) quodd is, qui invincibiliter putat, damnum esse tantum leve, cum reipsa sit grave, sive qui ignorat materialem gravitatem rei, e.g. projicit gemmam, quam invincibiliter putat, esse tantum vitrum, non teneatur ad restituendum totum damnum; tum quia talis non facit injuriam gravem; tum quia culpæ veniali non est proportionata tam gravis pœna. Nec dicas, pro delicto, maxime pro gravi, sæpe imponi pœnam, quam peccans ignoravit; nam, licet talis pœna imponatur ignorantiam, non tamen imponitur ignorantiam totam actionis suæ malitiam; quia non committitur injustitia respectu partis invincibiliter ignoratæ.

Dices. Qui projicit talem gemmam, vult projicere id, quod habet in manu, ergo vult totum damnum inferre. Resp. 1. retorq. argum. sic etiam teneretur is, qui putaret, rem esse nullius valoris. Resp. 2. dist. conf. vult inferre totum damnum materialiter. conc. conf. formaliter. neg. conf. talis enim projiciendo gemmam, formaliter deliberatè, & imputabiliter, vult duntaxat inferre damnum juxta æstimationem, quam habet de ea re, non autem super illam: sic etiam, qui invincibiliter putat, esse feram, quod se movet intra virgulta, cum sit homo, vult id animal occidere, non tamen vult occidere formaliter hominem; unde homicidium formale non committit.

717. Quodd autem homicida debeat sæpe compensationem facere, vel hæredibus occisi, vel alijs cum eo connexis, inde est; quodd saltem confusè, & habitualiter cognoscit, esse damna, cum homicidio connexa

nexa, illis personis esse subsecutura: aut certe posset adhibita diligentia cognoscere: sicut etiam sacerdos, dum peccat contra castitatem, confusè saltem agnoscit, se sacrilegè contra votum peccare, licet de eo explicite non cogitet; quia scilicet agnoscit, gravius se peccare, quam laicum: itémque Religiosus, dum furatur, confusè cognoscit, se simul agere contra paupertatem: & sic respondet etiam Lugo de just. disp. 11. sec. 4. n. 90. Si tamen aliquis, per positivum iudicium contrarium, & invincibilem errorem, hanc circumstantiam excluderet, atque putaret, eum, quem occidit, calibem esse, & carentem liberis, tunc ait Lugo loco modo citato, & Vogler de restit. q. 12. n. 198. eum non teneri ad restitutionem liberis &c. faciendam; quia nec confusè cognoscit hoc damnum alijs securum, (uti tamen prior cognoscit) adeoque illis personis, quas positivo iudicio excludit, formalem injuriam non infert.

718. Pariter dicendum de fure in ordine ad restitutionem lucri cessantis, & damni emergentis; quia etiam hic confusè, & habitualiter cognoscit, ea esse connexa, saltem (ut habet Vogler de restit. q. 12. n. 199.) nisi damna essent extraordinaria, quæ rarissimè solent contingere: quo casu putat, furem nec ab adversarijs obligari ad eorum compensationem. Quando autem commodatarius in mora est, & res perit, vel aliquis equo iuritur invito domino) & equus moritur, tunc talis ad restitutionem tenetur ex contractu, sive explicito, sive implicito, ferme, ut dictum n. 694. de trajiciente anseres alienos.

Accedit, quòd, ut ait Lugo de just. disp. 18. sec. 4. n. 89. actiones quædam expolitæ sint multis periculis, ne res aliena pereat, etiam casu fortuito, adeoque à justitia prohibeantur specialiter, ex hoc fine, ne res pereat, & sub obligatione restituendi, si pereat etiam casu fortuito: tales autem sunt etiam detentio commodati, vel usurpatio equi alieni. Addit Vogler de restit. q. 12. n. 200. talem commodatarium non posse teneri, nisi ex contractu saltem implicito; cum equus in tali casu pereat fortuito; & damna fortuita etiam juxta adversarios præstari non debeant.

719. Ob. 5. contra 2. conclusionem. Non repugnat obligatio levis ad rem gravem: ergo nostra probatio nulla est. ant. prob. in casu n. 570. allato: rursus potest dari obligatio levis ad rem gravem ex fidelitate, in promissione rei gravis, ex dictis n. 478. & seq. ergo. Confir. 1. Talis obligatio esset proportionata culpæ levi: ergo. Confir. 2. Ex nostra conclusione sequeretur, quòd aliquis nec teneretur ad levem aliquam partem restituendam: hoc est nimium: ergo. Resp. dist. ant. non repugnat obligatio talis voluntaria, quam homo liberè imponit sibi, vel alijs. conc. ant. obligatio necessaria, quam imponit natura, vel justitia. neg. ant. & conf. nam natura, necessariò obligans, obligat juxta capacitatem materiæ. ad prob. in

eo casu non datur obligatio levis ad rem gravem: sed potius videri posset, dari obligationem gravem ad rem levem; quamvis nec ista detur; nam, ut num. cit. ad illum casum responsum jam est, in illis circumstantijs non est materia levis. vide Haunoldum tom. 1. de justit. tr. 2. c. 2. n. 193. Quod spectat ad alteram obligationem ex fidelitate, hæc etiam est libera, adeoque non necessariò commensurata materiæ.

Ad 1. confir. neg. ant. nam quando æquè grave onus est subeundum, parum, ut ait Illung tr. 4. disp. 3. n. 11. curatur, an gravis, vel levis sit obligatio; quia effectus, & difficultas est par: nec esset parvum onus, aut rem gravem restituere, aut semper manere in statu peccati venialis. Ad 2. confir. neg. ma. quia talis obligatio potest esse proportionata culpæ, & injuriæ venialiter damnosæ, qualis hic datur. ita La Croix l. 3. p. 2. n. 191. quamvis à læso videatur parum curari, si pro damno, e. g. centum florenorum, fiat restitutio aliquot crucigerorum. Cæterum Vogler de restit. q. 7. n. 121. negat. mi. si saltem damnum quoad omnes partes indeliberatè (quam particulam, ut patet ex contextu in eodem numero, sumit pro particula semideliberatè) datum sit: quod etiam Haunoldus tom. 1. de justit. tr. 2. c. 2. n. 194. censet. Si tamen aliquis deliberatè aliquam levem injuriam committat, quam scilicet cognoscit, sumus extra casum.

720. Ob. 6. contra 3. conclusionem. Propositio damnata ab Innocentio XI. citata n. 706. tamen, ut jacet, est universaliter falsa, quin ex ea probetur nostra conclusio: ergo. prob. ant. potest ea propositio intelligi. 1. de eo, qui adhuc rem habet, quam per furta minuta accepit. 2. potest intelligi de eo, qui rem consumpsit cum conscientia gravis injustitiæ, quamvis res non extet. 3. de eo, qui furatus est cum animo perveniendi successivè ad summam gravem: qui omnes certò tenentur, vel ex re accepta, vel ex graviter injusta acceptione: ergo. Confirm. Propositio damnata est universalis negativa: Non tenetur quis, seu aliquis: & idem significat, ac: Nullus tenetur: ut notum est ex summis: sed huic contradictoria non est: Omnis tenetur: sed: Aliquis tenetur: ut iterum docemur ex summis: ergo satisfit damnationi Pontificiæ, modò dicatur aliquis teneri: atqui hoc dicitur ab ijs, qui admittunt, aliquem teneri in dictis tribus casibus: ergo ab ipsis satisfit huic damnationi.

Resp. neg. ant. ad prob. neg. iterum ant. Ut plures advertunt, nemo auctorum docuit, quòd in tribus dictis casibus aliquis non teneatur restituere: atqui Pontifex non damnavit propositionem in eo sensu, quem nullus auctorum tradidit; cum ejus intentio fuerit, laxiores quorundam doctrinas restringere. videatur etiam Cardenas in scrib. in propof. ab Innoc. XI. damnat. disert. 23. c. 3. n. 98. & seq. Ad confir. non nego, ab adversarijs adhuc posse ostendi, quòd doceant

ceant propositionem aliquam, in rigore summulistico contradictoriam propositioni damnatæ; sed hoc non sufficit intentioni Pontificis: & si locus foret subtilitatibus his dialecticis, periret robur damnationum Pontificiarum. Et cur non dicunt pariter adversarij, eum, qui dixisset: Nullus Sanctus est in celo? sufficienter revocasse suam hæresin, dicendo. Aliquis, scilicet Christus, qui simul est DEus, est in celo? nam & hæc propositio esset contradictoria priori: scilicet non semper sufficit propositio contradictoria, quando ex intentione damnantis satis clarè colligitur, plus peti.

721. Ob. 7. Furta illa minuta censeri debent damnum fortuitum: sed hoc non debet præstari: ergo. Confir. 1. Peccata inæqualia non debent æqualiter puniri: atqui id juxta nos fieret; cum & venialia, & mortale, punirentur eadem obligatione restituendi: ergo. Confirm. 2. Damnum grave, per talia furta illatum, non est voluntarium; quia non est cognitum: ergo non datur gravis obligatio illud relatiendi. prob. conf. nemo tenetur sub gravi, reparare damnum sibi involuntarium: ergo. Resp. neg. ma. cur enim damnum sit fortuitum, quod est deliberatè datum? quin etiam cognita fuit collectio tota damnorum, saltem materialiter; quia cognita sunt omnes ejus partes. Quòd autem ea collectio non fuerit cognita formaliter, seu sub ratione unius collectionis, quamvis excuset à peccato mortali, non tamen reddit illa damna involuntaria, & fortuita: nec excusat ab onere restituendi, ut rectè docet Haunoldus tom. 1. de just. tr. 2. c. 2. n. 211.

Ad 1. confir. neg. mi. etsi enim conveniant in hoc, quòd afferant eandem obligationem restituendi, & sic aliqua pars pœnæ sit æqualis, tamen non est æqualis tota pœna; quia obligatio ad restitutionem non est tota pœna peccati mortalis, sed iminet adhuc tota inferni æternitas. Ad 2. confir. dist. ant. damnus tale non est voluntarium, aut cognitum qua grave formaliter, seu qua graviter peccaminosum. conc. ant. qua grave materialiter, seu qua graviter domino nocivum. subdist. non est voluntarium collectivè, seu qua totum collectivè sumptum. om. ant. non est voluntarium distributivè, sive totum quoad singulas partes acceptum. neg. ant. & conf.

Sufficit autem in isto casu, damnus esse ita voluntarium: sicut idem voluntarium sufficit, ad obligationem gravem in mutuo, quam quis per leves partes, sed tamen successivè gravem contrahit, etiam quando non cogitat de prioribus levibus obligationibus antea contractis: item, sicut sufficit tale voluntarium, ad gravem obligationem, quam quis contrahit per plures seorsim leves promissiones ex justitia factas. Dico ex justitia; nam ex fidelitate non oriretur gravis obligatio, qualis tamen oritur ex justitia; nam non est verum, quòd quis possit, se obligare ex justitia ad aliquid grave sub levi; cum justitia per se obliget juxta capacitatem materiæ.

722. Ob. 8. Furta venialia non dant rationabilem causam gravis offensæ: ergo non obligant sub gravi ad restitutionem. Confir. Talia furta non obligant ex re accepta: neque ex injusta acceptione: neque etiam ex contractu: ergo ex nulla radice restitutionis, adeoque omnino non obligant ad restitutionem. prob. ant. quoad 1. membrum. res furtivè ablatæ supponuntur omnino consumptæ: ergo non datur obligatio ex re accepta. prob. 2. membrum. acceptio est tantum venialiter peccaminosa: atqui gravis obligatio non est proportionata pœna tali acceptioni, seu veniali peccato: ergo. prob. 3. membrum. contractus nullus intercessit: ergo non datur obligatio ex contractu. Resp. dist. ant. furta venialia non dant rationabilem causam gravis offensæ seorsim accepta. conc. ant. non dant simul accepta, subdist. si adsit animus restituendi. om. ant. si non adsit animus restituendi, etiam postquam pervenerint ad summam gravem. neg. ant. & conf.

Ad confir. Resp. cum Lugo de justit. disp. 8. sec. 5. n. 69. Haunoldo tom. 1. de just. tr. 2. c. 2. n. 207. Vogler de restit. q. 8. n. 128. neg. ant. quoad 2. vel 3. membrum: & dico 1. teneri ex injusta acceptione, si ad hanc radicem: (ut diximus. n. 517.) etiam reducatur obligatio ex contractu, vel ex quasi contractu, ne scilicet multiplicentur radices restitutionis: si autem admittatur tertia radix restitutionis ex contractu vel quasi contractu, dico talem teneri ex quasi contractu.

723. Quare talis fur, per furta minuta successivè deveniens ad summam gravem, tenetur ad restitutionem sub gravi, saltem ex quasi contractu, seu conventionio naturali, & tacitè omnium gentium; ut enim probat Esparza. l. 8. de justit. q. 25. Omnis obligatio restitutionis ex injusta acceptione tandem resolvitur in naturalem, & tacitam, omnium gentium conventionem; seu consensum, quo antecederet ad omnes eventus volunt homines, se esse illæfos, & si lædantur, volunt damnus reparari: consequenter etiam volunt, id à se respectu aliorum debere fieri, juxta illud: Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris: & vicissim. Certè, cum hæc conventio fuerit maximè necessaria humanæ felicitati, seu tranquillitati, & societati publicæ conservandæ: cum insuper omnes velint, esse felices, hæc conventio ab omnibus est admissa.

724. Hinc, ut infert Haunoldus tom. 1. de just. tr. 2. c. 2. n. 209. omnis voluntaria læsio habet annexam hanc quasi conventionalem voluntatem compensandi læsionem: & hæc pœna non est pœna involuntaria, sed conventionalis, quam quisque sibi voluntariè imponit, & quam quasi ex justitia promittit solvere. Quare, sicut plures promissiones ex justitia tandem simul, ratione materiæ promissæ, obligant graviter (ut habet Sanchez l. 1. in decal. c. 4. n. 16. & Haunoldus etiam loco modo cit. viderur-

que ex se innegabile) ita etiam obligant graviter plura venialia furta, quae tamen simul sumpta afferunt grave damnum.

Et, licet talia levia furta non obligent graviter praecise, quatenus sunt culpa, sub qua ratione trahunt tantum poenam involuntariam, quae tam gravis non esset, obligant tamen graviter (ut recte ait Haunoldus tom. 1. de just. tract. 2. c. 2. n. 208.) quatenus habent annexam eam tacitam obligationem, solvendi poenam conventionalem; haec autem poena, cum oriatur ex injusta acceptione, recte ad eam reducitur, ut non assignari debeat radix nova restitutionis; praesertim cum obligatio omnis ex contractu, ut diximus n. 517. reduci convenienter possit ad acceptionem, saltem civiliter injustam. Si tamen adversarius plures radices restitutionis admitti debere contendat, potest etiam dici, in nostro casu dari obligationem ex quasi contractu: & juxta hanc responsum negatur tertium superioris antecedentis membrum, & ad probationem dicitur, sufficienter initum fuisse contractum, per ipsam tacitam omnium gentium conventionem, de qua modo dictum.

QUESTIO IV.

De Obligatione Restituendi ob Læsionem in Bonis Corporis.

ARTICULUS I.

Quenam facienda sit Restitutio ob Homicidium, vel Mutilationem.

725. Considerari hic debet damnum, tum personae immediate laesae, tum personarum mediate laesae, & hoc damnum dividitur in immediatum, quod est carentia vitae, caulata per caedem, vel carentia membri, caulata per mutilationem: & in mediatum, quod sequi solet in bonis fortunae, scilicet damnum emergens ob expensas, in medicamenta faciendas, & lucrum cessans laeso, ob impeditionem prius exercitorum laborum, seu inhabilitatem ad officia &c. itaque lucrum cessans personis conjunctis, quae prius ab occiso e. g. sustentabantur, vel alia emolumenta recipiebant. Queritur igitur, quanam restitutio facienda sit, ante sententiam iudicis; ad quid enim iudex possit reum condemnare, huc non spectat.

726. Dico 1. Injustus occisor, aut mutilator, tenetur restituere omne damnum emergens, & omne lucrum cessans in bonis fortunae. Ita communis. Prob. conclusio. Omnis injustus damnificator in bonis fortunae, debet ista restituere, ut est clarum omnibus: atqui talis laedens etiam est injustus da-

mnificator in bonis fortunae; alias non daretur damnum emergens, aut lucrum cessans, ut iterum patet: ergo. Unde debet restituere 1. expensas factas in medicos, & chirurgos, & si quae aliae fieri debuerunt ex causa vulneris, aut homicidij, ut habetur C. 1. de injurijs, & damno dato. intellige tamen expensas necessarias, & proportionatas conditioni personae; ad excessum enim, si quis fiat, laedens per se non tenetur.

Debet 2. restituere omnia emolumenta, quae laesus ex officio, beneficio, artificio &c. acquisivisset: nunc autem ratione vulneris percipere non potest. Quidam volunt detrahere aestimationem laboris: sed hoc tantum tunc verum est, si artifex non laborasset, vel non libenter. Recte autem advertit Lugo de justit. disp. 11. sec. 2. n. 33. §. Haec. neminem optare quietem cum dolore ex vulnere, & quemlibet malle sanum laborare, quam quiescere ob defectum membrorum, vel virum. 3. Si laesus factus est perpetuo inhabilis, ad comparandam sibi sustentationem, tunc laedens debet ei de sustentatione congrua providere, vel transactione, aut alia ratione contentum reddere. 4. Pariter, si foeminam ratione vulneris deformem, & ad nuptias meliores inhabilem fecit, debet dotem augere, & sic damnum pensare. 5. Quod attinet ad expensas funeris, si quis occisus est, has non tenetur occisor reddere; nam alias faciendae fuissent, quantumvis serius: nisi tamen tunc ratione caedis debuerint fieri majores, e. g. quia cadaver in longius distantem locum transvehendum fuit.

727. Dico 2. Occisor tenetur damnum emergens, quod non potest restituere occiso, restituere ejus haeredibus; nam, vel damnum emergens in bonis fortunae, ortum est, dum laesus adhuc viveret, & tenebatur occisor illi viventi facere restitutionem: quam, si non fecit, devolvitur post mortem occisi, jus ad ejus haereditate: vel damnum ortum est; & quia post mortem ex bonis haereditarijs expensae fieri debuerunt: & manifeste laesi sunt haereditate.

Quod verò attinet ad lucrum alijs cessans, e. g. ad sustentationem, quam recipiebant aliqui ab occiso, in primis dicendum cum communi omnium, teneri occisorem restituere lucrum cessans ijs personis, quae ob arctiorem conjunctionem habentur una persona cum occiso, quales censentur uxor, & liberi, nepotes ex filio, & filia, praedecessoris, qui jure representationis succedunt avis in stirpes: item parentes occisi, qui, si egant, possunt jure naturali petere alimenta à filijs. Lucrum autem cessans in isto casu, intelligendum est cessans tanto tempore, quanto tempore ille, qui occisus est, lucrum allaturus fuisse moraliter aestimari potest: & sic, cum plus de juvene, quam de valde jam sene, sperari potuerit, etiam per se plus restituendum est, si occisus fuerit juvenis, quam si fuerit senex.

Resti-

Restitui autem debet, vel compensari personis conjunctis, non lucrum ipsum, quod necdum consecuti erant, sed spes, quam moraliter concipere potuerunt, de lucro faciendò: quae spes est minus aestimabilis, quam ipsum lucrum. Ratio hujus est; quia, ut modo dictum, lucrum ipsum nondum fuit factum, sed tantum concepta fuit spes lucri, quae vel morte naturali, vel varijs alijs de causis, potuit everti. vide Lugonem de just. disp. 11. sec. 2. n. 41. & seq. Docet tamen recte Ininger de injurijs. q. 1. n. 12. lucrum cessans, vel spem debere compensari istis personis, si ab occiso acceperunt emolumentum; si enim occisus fuisset dilapidator bonorum, vel ex alia causa cessasset ipsis spes, ex eo lucrum habendi, ad nihil ex hoc capite teneretur homicida. Quantum autem restituendum sit, ordinariè transactione, per prudentes viros facta, determinandum est. videri potest etiam Lugo loc. modo cit. & Haunoldus tom. 1. de just. tract. 2. c. 6. n. 666.

728. Dico 3. Quod attinet ad alias personas minus conjunctas, quas occisus alebat ex liberalitate, e. g. familiares, clientes &c. non videtur homicida teneri ad restituendum ijs lucrum cessans. Haec conclusio videtur mihi optimè probari 1. ex eo; quia est longè communior; tenent enim eam Lugo de just. disp. 11. sec. 4. n. 77. (qui n. 75. jam dixerat, oppositam esse contra praxin omnium confessoriorum, & poenitentium, atque inferri ex ea obligationem restituendi etiam ea, ad quae tamen homicidas obligandos esse nemini in mentem venerit) Layman l. 3. sec. 5. tr. 3. p. 3. c. 6. n. 3. Lessius de just. l. 2. c. 9. dub. 26. Molina de just. tom. 3. part. 2. tr. 3. disp. 83. n. 6. Platelius p. 3. c. 4. §. 9. n. 769. Bufenbaum l. 3. tract. 5. c. 2. n. 2. Filliucius tr. 32. n. 209. Dicastillo de justit. & jure. tr. 2. de restit. disp. 7. n. 79. Haunoldus tom. 1. de just. tr. 2. c. 6. n. 669. (dicens, hanc esse sententiam communiorem, & in praxi observatam, cum n. 668. dixisset, alteram esse contra praxin, & sensum communem) Tannerus tom. 3. disp. 4. de just. q. 6. dub. 4. n. 122. La Croix autem l. 3. p. 2. n. 310, licet absolute nihil videatur decidere, ait tamen, communiter ita cense. Plures alij citantur à Voglero de restit. q. 24. n. 395. scilicet Corduba, Sotus, Bannez, Ledesma, Salon, Arragon, Angles, Lopez, Mercado, Tamburinus, Herinx, Sporer, Mezger, & alij, à quibus ipse non dissentit.

729. Probatum conclusio 2. ratione Haunoldi tom. 1. de justit. tr. 2. c. 6. n. 668. Ex opposita sententia, & ejus rationibus sequeretur, occisorem debere facere restitutionem omnibus ijs, qui aliquale damnum passi sunt ob eam caedem, e. g. amicis, quos occisus solebat invitare ad convivium: pauperibus, quibus solebat dare elemosinas: templis, in quibus solebat facere oblationes: clientibus, quibus solebat impetrare gratias: item, si occisus erat cau-

fidicus, etiam ijs, pro quibus advocatum acturus erat, qui postea coacti sunt, alium minus periculum assumere, & fortè ideo causam perdere. Certè nunquam deerunt, qui possint pretendere spem aliquam lucri ex occiso, adeoque quasi in infinitum teneretur homicida: quae certè durissima sunt, nec sine urgentissima ratione sunt hominibus imponenda; unde & ipsi adversarij quarunt causas excusantes.

Nec dicas 1. cum Illung. tr. 4. disp. 3. n. 78. requiri saltem scientiam, vel advertentiam ad eas personas; nam hoc quidem verum est; alias enim non daretur injuria formalis contra has personas: at non requiritur semper scientia, vel advertentia explicita: sed sufficit saepe confusa, quae saepissime adest, vel saltem deberet adest, ut dictum n. 717. Nec dicas 2. debere intendi damna; pro quibus debeat fieri restitutio; nam hoc rectè impugnat Illung. tr. 4. disp. 3. q. 2. n. 77. vel enim talis actio, materialiter in se spectata, est contra jus illarum personarum, & jam obligans ad restitutionem, vel non: si secundum; intentio non facit esse injustam, vel obligantem ad restitutionem ex n. 531. si primum; tunc sufficit praevio, nec requiritur intentio.

730. Quoad creditores autem, quibus debebat occisus solutionem ex justitia, vel etiam alios, quos e. g. solvere debuit ex justitia, quidam putant, ijs restituendum esse tantum, quantum patiuntur damnum, si id praevideatur ab occisore. Ita Haunoldus tom. 1. de just. tr. 2. c. 6. n. 671. Layman l. 3. sec. 5. tr. 3. p. 3. c. 6. n. 4. Molina de just. tom. 3. p. 2. tr. 3. disp. 83. n. 8. & alij. Negant autem hanc obligationem Lugo de just. disp. 11. n. 83. & 85. ac alij. Ut tamen advertunt Molina, & Lugo loc. cit. raro contingit debere restitui aliqui creditoribus, etiam si aliqui adfint: quia raro damnum patiuntur; nam occisus, vel relinquit bona sufficientia, ex quibus solvantur: vel, etiam si adhuc viveret, ordinariè non esset magis satisfactorius in vita, quam modo post mortem satisfieri possit ex bonis relictis.

An autem occisus, vel mutilatus, remittere possit, laedenti obligationem restituendi, pendet ex eo, an tantum jus ipsius sit laesum; sic e. g. sumptus factos in curationem brachij abscissi, potest ipse supervens remittere; quia ipse dominus est facultatum suarum, & haereditate necdum habent jus in illis, nec ad illas, nisi quatenus possunt legitimam petere. At verò, si filij, vel parentes egant, nec se alere possint post mortem occisi, ipsi statim acquirunt jus contra homicidam, quod ab occiso non videtur posse remitti. Sed de hoc vide plura apud Lugonem de just. disp. 11. sec. 3.

731. Dico 4. Pro ipsa vita, vel membro abscisso praecidendo à damno, in bonis fortunae secuto, non videtur aliquid debere restitui. Ita Magister Sententiarum l. 4.

l. 4. diff. 15. §. ult. ubi ait, vitam, & membra restitui non posse: quæ debent ita intelligi, ut non tantum non possint formaliter, sed nec æquivalenter restitui; aliàs non esset discrimen inter hæc, & bona fortunæ destructa, vel consumpta: possetque, ac deberet fieri restitutio æquivalens, quæ sæpe fit pro bonis fortunæ jam consumptis. Confentiunt Lugo de just. disp. 11. sec. 1. n. 5, ubi ait, esse communem recentiorum, Lessius de just. l. 2. c. 9. dub. 23. n. 141. Esparza l. 8. de just. q. 37. a. 2. Illung tr. 4. disp. 3. n. 71. ubi ait, esse communiter receptum, Layman l. 3. sec. 5. tr. 3. p. 3. c. 6. n. 2. La Croix l. 3. p. 2. n. 299. ubi triginta circiter auctores citat, & insuper ait, esse communem sensum omnium doctorum.

732. Prob. conclusio 1. Exodi 21. v. 9. dicitur, percussorem fore innocentem, id est, liberum, si percussus non moriatur, dummodo solvat operas læsi, & impensas in medicos: sed non esset innocens, si deberet adhuc aliquid pro vulnere: ergo. Confr. 1. ex jure civili, ubi pluribus locis supponitur, pro vita, aut membro hominis liberi (nam pro membro, aut vita ablata servo, restituendum est domino, quantum utilitatis huic decessit) præcendendo ab operis, vel alijs utilitatibus impeditis, nihil esse restituendum. ita L. 3. ff. Si quadrupes pauperium &c. ubi dicitur: Cum liberum corpus æstimationem non recipiat. Item L. 7. ff. de his, qui effuderint, vel dejecerint. dicitur: Cicatricum autem, aut deformitatis, nulla fit æstimatio; quia liberum corpus nullam recipit æstimationem: non autem videtur credibile, ut rectè ait Lugo cit. disp. 11. sec. 1. n. 5. Jurisconsultos peritissimos, & principes etiam Christianos, absolvere suis legibus percussorem, à restitutione jure naturæ debita pro vita; cum præsertim hoc non videatur exigere bonum commune, vel tranquillitas publica, vel alia ratio efficax: ergo jure naturæ nulla debetur restitutio: & multo minus jure civili, ut patet ex modò dictis: ergo ex nullo jure debetur aliqua restitutio pro vita &c.

Confr. 2. Ut ait La Croix loc. modò cit. hæc assertio est conformis communi omnium sensui; quia nemo, nisi condemnatur ad aliquam solutionem, tanquam poenam (quam utique à iudice imponi posse concedimus) putat, se in conscientia obligari; nec confessarij solent obligare ad aliquam restitutionem pro istis: ergo. Confr. 3. Non posset determinari, quantum restitui deberet, e. g. pro oculo; cum enim hic in se sit æstimabilior, quam omnis pecunia, læsus semper posset plus exigere, & lædens deberet, saltem omnia dare, quæ haberet; quod videtur durissimum. Nec potest hic recurri ad arbitrium prudentum; quia, si debitum esset ex jure naturæ, & inadæquabile, non teneretur læsus acceptare arbitrium, sed posset exigere, quantum debetur: cumque tantum dari nunquam posset, semper posset exigere plura, & plura.

733. Probatur 2. conclusio. Restitutio, si non potest fieri in bonis ejusdem ordinis, non debet fieri in bonis diversi ordinis: atqui occiso, vel mutilato, non potest fieri restitutio, in bonis ejusdem ordinis; non enim potest illi restitui alia vita, aut huic aliud e. g. brachium: ergo. ant. prob. inprimis pro hoc La Croix l. 3. p. 2. n. 299. affert auctores plurimos: dein probatur ratione. Justitia commutativa, quæ obligat ad restitutionem, tendit ad æqualitatem arithmeticam: ergo, ubi non potest dari æqualitas arithmetica, non datur obligatio justitiæ commutativæ: atqui in bonis diversi ordinis non potest dari æqualitas arithmetica: ergo. ma. est communis omnium, ut supposuimus n. 44. & 58. prob. subsump. bona diversi ordinis, e. g. pecunia, & vita, in se, nec formaliter, nec æquivalenter sunt arithmetice æqualia, nec pecunijs adæquari potest ulla pars vitæ, vel membri: imò nec potest per se comparari ullis bonis spiritualibus, quamvis nobilioribus: ergo. Adde, quod, ut ait La Croix l. 3. p. 2. n. 299. cum ista bona sint ordinis diversi, non habeant communem mensuram, ut omnes docent: ergo non possunt, se invicem adæquare.

Nec dicas, illum etiam reddere æquale, qui reddit, quantum potest, ut dictum n. 58. nam inprimis n. cit. non est dictum, eum reddere effectivè æquale, sed tantum aliquo modo affectivè: dein in tali, vel simili casu, debet quis saltem posse aliquam partem debiti adæquare, ut contingit in eo casu: at in hoc casu, quando vita est ablata, vel membrum, nullam omnino partem adæquare quis potest.

734. Confr. 1. Si bona ordinis superioris, e. g. membrum, deberet refarciri bonis ordinis inferioris, e. g. pecunijs, deberet etiam is, qui aliquem abstraxit à statu perfectiori, e. g. clericali, restitutionem ei facere in pecunijs, si aliam restitutionem jam facere non posset: consequens, ut ait Lugo de just. disp. 11. sec. 1. n. 9. est contra omnium hominum sensum, & à nemine admittitur: ergo.

Confirm. 2. Adversarij ipsi dicunt, quod, si quis poenâ talionis afficiatur, e. g. homicida capite plectatur, nihil amplius debeat restituere pro vita: sed quæso, quid prodest læso, vel ejus liberis, poenâ alteri inflicta? & hinc, ut testatur Illung tr. 4. disp. 3. n. 82. communior negat; per eam poenam tolli obligationem restituendi damna in bonis fortunæ, quanquam sæpe læsi nihil ultra exigant: quod tamen per accidens est; quia illa poenâ non ad satisfactionem pro damno, sed in supplicium culpæ ordinata est (de quo vide Lugonem de just. disp. 11. sec. 2. n. 49.) ergo, si talis, poenâ talionis affectus, nil teneretur restituere pro vita, neque teneretur alius, eâ poenâ non punitus.

Ait tamen Lessius, rectè imponi à confessorijs homicidæ, ut preces fundat, vel sacri-

sacrificia procuret pro occiso: imò Lugo cit. disp. 11. sec. 1. n. 3. cum Navarra docet, siquis homicidio suo causa fuerit, quod occisus passus sit damnum in spiritualibus, quod reparari potest, e. g. si occisor cæde sua sit causa, ut non legantur jam sacra pro occiso, quæ ipse testamento suo fieri curasset, debere hoc damnum refarciri: sed hæc tamen, ut per se patet, non est restitutio pro vita, vel membris.

ARTICULUS II.

Solvuntur Objectiones.

735. **O**B. 1. contra 1. conclusionem. Si injustus occisor teneretur ad restitutionem ibi memoratam, teneretur ad eandem etiam is, qui provocatus ab alio, vel injustè invasus, excederet moderamen inculpatae tutelæ, & invasorem occideret: sed hoc videtur nimis durum: ergo. Resp. 1. Cardinalis de Lugo de just. disp. 11. sec. 3. n. 66. docet, ex communi, ut ait, quod, qui provocat alium, censetur implicitè consentire in damnum, si quod sibi inferatur, & renunciare juri suo; unde infert, quod ipsi restitui nil debeat: quidquid sit de alijs personis connexis, de quibus etiam videri potest idem Lugo ead. disp. 11. sec. 3. n. 71. ubi ait, nihil etiam his deberi; quia, ut ait, actio illa occisiva non amplius est injusta; eoquod volenti non fiat injuria: consequenter talis occidens non amplius per fraudem, aut vim, impedit alimenta aliorum. At fortè hoc ipsum est in quæstione, an ita cedere possit provocans, vel invadens, jure ad suam vitam: & vel maximè est in quæstione, an possit cedere eo jure, quantum ad alios, seu cum præjudicio istorum. vide etiam Molinam tom. 3. de just. p. 2. tr. 3. disp. 85.

Resp. 2. dist. ma. talis provocatus tenetur ad restitutionem, si excedat moderamen inculpatae tutelæ graviter, conc. ma. si excedat tantum leviter. neg. ma. & dist. sic mi. neg. conf. Similiter etiam respondèdo de injustè invaso; nam taliter invasus, vel excedit moderamen inculpatae tutelæ graviter, vel tantum leviter. Si ponatur secundum, non tenetur, saltem ad restitutionem damni gravis, ut jam dictum n. 701. & confirmatur ex eo; quod (ut rectè ait Tannerus tom. 3. disp. 4. q. 6. dub. 4. n. 103.) sit ferè moraliter impossibile, servare ad unguem illud moderamen sine ullo excessu, adeoque ex parvo excessu non possit oriri tam gravis obligatio. Si autem ponatur primum, seu excessus gravis, videtur taliter excedens planè teneri ad restitutionem. ita Tannerus loc. modò cit. Lugo de just. disp. 11. sec. 2. n. 50. & 54. Illung tr. 4. disp. 3. n. 83. & La Croix l. 3. p. 2. n. 305. Ratio est; quia talis infert gravem injuriam; neque enim privatus habet jus occidendi alterum, nisi

in quantum id necesse est ad se defendendum, nec alter potest dare licentiam se occidendi: quia non est dominus vitæ.

736. Ob. 2. contra 3. conclusionem. Videtur, quod etiam hæredibus debeat restitui lucrum cessans ex eo, quod, si occisus diutius vixisset, pinguiorem hereditatem reliquisset; hoc enim lucrum ipsis injustè eripitur: ergo. Resp. cum Molina de just. tom. 3. p. 2. tr. 3. disp. 82. n. 71. & Lugo de just. disp. 11. sec. 4. n. 78. hæredes regulariter nullum pati damnum; quia hereditas, vel non esset postea futura major, quam nunc sit: vel si futura etiam amplior fuisset, excessus compensatur ex anticipata successione, & certitudine, qua certò capiunt id totum, quod occisus potuisset, & fortè voluisset, quoad magnam, vel majorem partem, alijs relinquere.

Insuper possunt hæredes, bona illa omnia conservare, nihil de eorum redditibus, vel fructibus infundendo per tantum tempus, quanto victurus credi poterat occisus, qui, si vixisset, suam sustentationem inde habere potuisset. Unde, ait Molina, ordinariè hæredes potiùs commodum referunt, quam detrimentum patiantur. Adde, quod lucra illa nondum erant debita occiso, sed ad summum jus ad spem: quodsi etiam dicamus, illud jus transferri ad hæredes, ut vult Illung, tamen longè minus valet, & ordinariè saltem compensatur modis nunc allegatis: quidquid sit, in an extraordinario aliquo casu aliud fieri possit, vel debeat.

737. Ob. 3. Qui per vim, aut fraudem alicui adhibitam, vel etiam per mendacium alteri dictum, impedit tertium à consecutione boni, liberè, & licitè ei conferendi, peccat contra justitiam, & tenetur ad restitutionem, quanti valebat spes boni: sed talis injustus occisor per vim impedit occisum, ne ulterius ijs beneficiat, quibus priùs ex liberalitate beneficiebat; ergo tenetur istis ad restitutionem, ma. est communissima doctorum: & ratio est; quia ille tertius, licet non habeat jus absolutum ad bonum, habet tamen jus absolutum ad hoc, ne ipse fraudibus, aut vi, à consecutione boni impediatur: & licet vis immediatè inferatur alteri, tamen mediatè saltem inferatur etiam ipsi tertio, cui lucrum propterea cessat; & hinc immediatè agitur contra aliquod ipsius jus: certè consentiant omnes, quod, si aliquem mendacijs, vel vi, impediatis, ne leget Titio, quod legare volebat, injustitiam committas, & ad restitutionem tenearis. mi. etiam syllogismi est clara: & consequentia legitima: ergo.

738. Hoc argumentum utique difficile est: sed quia, ut patet ex n. 729. nimis multum probaret, hinc auctores eo non sunt moti: interim tamen in eo solvendo non convenerunt, sed variè responderunt. Lugo ait, debere intendi nocumentum alterius, quod, cum in casu conclusionis non fiat, hinc ait, neque oriri obligationem in eo aliquid restituendi. Sed hoc non est verum; sæpius enim sufficit gravitas: licet

sicut etiam in casu conclusionis sufficit prævideri damnum uxoris, & liberorum, nec debet istud intendi: sed neque intentio semper affert obligationem restituendi, si non sit actio ipsa iniusta ex dictis à n. 531.

Alij dicunt, hæc damna tantum oriri per accidens. Sed hi auctores, vel volunt, ista damna se habere per accidens; eoquod non prævideantur ab homicida: & utique dicimus, requiri aliquam prævisionem, saltem consulam, vel culpabilem omissionem inquisitionis: attamen sæpius datur ea prævisio, vel attentio consula, ut dictum n. 717. & tamen neque tunc communiter homicida obligatur ad omnia ista damna compensanda: Vel volunt, ea damna se habere per accidens; quia non sunt intenta: sed, ut iterum jam dictum, sæpe nec uxoris, nec liberorum damnum intenditur, nec alia damna ex mutilatione secuta: quæ tamen censentur damna per se, debentque compensari. Vel dicunt, hæc damna se habere per accidens; quia hæc actio potuisset sine ijs damnis fieri: sed redit retorsio de uxore; nam etiam potuisset occisus mansisse caelebs. Vel dicunt, ea se habere per accidens; eoquod nihil fiat contra jus illorum, quibus prius occisus benefaciebat: sed hoc est in quæstione, & objectio videtur probare, quod agatur contra jus eorum.

Alij dicunt, hæc damna esse remota: sed cur damnum fraude impediti legatarij est propinquius? Alij dicunt, spem boni consequendi debere esse propinquam, aliàs non esse æstimabilem: verum, si etiam hoc admittatur; tamen multis sæpe præcisã est spes propinquissima, e. g. famulis, clientibus, ac alijs, quos occisus aiebat ex liberalitate, quibus tamen non videtur obligatus homicida per se ratione homicidij.

739. Mihi præplacet responsio Vogleri de restitu. q. 24. n. 395. ubi ait, universali consuetudine videri receptum, ut iniustus occisor non debeat restituere omnibus, qui quomodocunque patiuntur incommodum ex iniusta nece: sicut ergo genus humanum potuit, aliquos ob graves rationes eximere, ab obligatione restituendi ea, quæ aliàs de jure naturæ deberent restitui, ut patet in præscriptione: ita potuit etiam alios non obligare, vel ab obligatione (si tamen supponi potest, quod tam difficilis obligatio jure naturæ detur) eximere, ex hac ipsa causa; quod hæc obligatio nimis difficilis foret. Quod autem non possit ostendi lex, eximens homicidas ab ea obligatione, non refert; quia, quod potest lex, id etiam potest consuetudo legitima, præsertim tam universalis.

Nec dici potest, hanc consuetudinem inducere ad homicidia paranda; nam, cum non afferat positivum lucrum, & relinquat plures alias obligationes restituendi, homicidis impostas, non inducit ad homicidia, nisi velimus dicere, quod omnis mitigatio pœnæ inducat ad culpas, quod est falsum. Longè aliud est de præscriptione cum mala fide, quæ, cum afferret positivum lucrum,

positivè ad peccandum alliceret: unde ista forma dist. ma. qui per vim, vel fraudem impedit tertium &c. tenetur ad restitutionem, nisi ex universali consuetudine habeatur, eum non obligari, vel obligatione esse exemptum. conc. ma. secus. neg. ma. & dist. sic mi. neg. conf.

740. Aliam responsionem subjungit idem auctor loc. eod. dum ita ait: *Qui per vim, aut fraudem, impedit liberalitatem alterius, ex communi iudicio tenetur quidem ad restitutionem ijs, quos proxime per actionem suam impedit, ita, ut moraliter ijs nocere velle videatur: non item alijs quibuscunque promiscuè, quos remotè tantum impedit.* Videtur igitur velle dicere, non quidem requiri, ut homicida ipse intendat damnum alterius; sed tamen, ut hoc damnum ita propinquè cum eade connexion sit, ut in æstimatione hominum se habeat, quasi occisor id intendisset: quod potest contingere, etsi positivè illud damnum non intenderit, dummodo illud præciverit, vel præscire debuerit, & damnum valde propinquum sit: quæ tamen propinquitas iterum metienda est juxta communem æstimationem, juxta quam damna eorum, (de quibus actum in conclusione tertia) non censentur ita propinqua: at verò ita propinquum censetur damnum uxoris, ac liberorum, in casu cædis: & damnum Titij legatarij, in casu avertentis aliquem per mendacium à legato faciendo Titio: imò in hoc casu sæpe damnum est formaliter intentum; quia talis vult Titio nocere, maximè, si mendacium sit detractio Titio injuriosa, qualis sæpissime est, dum quis scilicet illum mendacijs denigrat, ut ipse plus acquirat. Prior responsio tamen videtur evitare aliquas replicas, quæ contra hanc fieri fors possent de propinquitate damnorum; unde videtur præferenda.

ARTICULUS III.

Solvuntur Reliquæ Objectiones.

741. **O**B. 4. contra 4. conclusionem. Debet fieri restitutio pro servo occiso: ergo etiam pro alio homine occiso: adeoque pro vita ablata, & consequenter pro membro etiam abscisso. ant. est certum. conf. prob. non est disparitas inter hominem liberum, & servum: ergo, si debet fieri restitutio pro isto, debet etiam fieri pro illo. Confirm. Absurdum est, debere fieri restitutionem pro bove occiso, & non debere eam fieri pro homine occiso: sed hoc contingeret juxta nostram sententiam: ergo. Resp. dist. ant. debet fieri restitutio pro servo, hoc est, pro utilitate, quæ prius ex ejus vita fuit percepta, & modò non amplius percipi potest. conc. ant. pro ejus vita, præcisã ab utilitate. neg. ant. & conf.

Sic etiam servus emitur, hoc est, in quantum utilis est: & eatenus censetur bo-

num fortunæ. Unde etiam sæpius debet solvi utilitas liberi hominis occisi, e. g. debet filijs, quorum pater occisus est, solvi utilitas, quam ex ejus vita percepissent, si ulterius vixisset: non tamen aliquid formaliter debet restitui pro vita ejus. Disparitas autem sæpe est hæc, quod liber homo non sit bonum fortunæ, nec censeatur esse in alicujus patrimonio, adeoque sæpe nec utilitas solvi debeat.

Ad confir. Etiam vita bovis, formaliter sumpta in se, præscindendo ab utilitate, nec emitur, nec solvitur, aut compensatur: sed tantum ejus utilitas, in ordine ad laborandum, vendendum, comedendum: quia tamen ista utilitas ordinariè confunditur cum ipso bove; eoquod ista principaliter in bove consideretur, hinc dicitur ipse bos occisus compensari; unde huic modo loquendi nos accomodando neg. ma. nam bos est bonum fortunæ. Nec dicas, majorem injuriam fieri, occidendo hominem, quam bovem; nec enim semper ex majori quantitate injuriæ infertur major obligatio restituendi, nisi jus læsum sit reparabile; aliàs, si quis aliquem fraude induxisset in peccatum, atque ad eò in infernum, deberet restitutionem facere in pecunijs ejus hæredibus: quod rectè La Croix ait, esse contra sensum omnium.

742. Ob. 5. Exod. 21. v. 22. dicitur *Si rixati fuerint viri, & percusserit quis mulierem prægnantem, & abortivum quidem fecerit, sed ipsa vixerit, subjacebit damno, quantum maritus mulieris expectavit, & arbitri judicaverint*: ergo pro vita prolis debet fieri restitutio. Confir. 1. L. Prator edixit. 7. ff. de injurijs 6. dicitur: *Possè hodie de omni injuria, sed & de atroci, civiliter agi, Imperator noster rescriptis*: ergo ob quamvis injuriam, adeoque etiam occisionem, potest agi civiliter, ad impetrandam compensationem pecuniariam. Confir. 2. L. 1. Prator ait. 5. ff. de his, qui effuderint. dicitur, si per dejectionem homo liber perierit, quinquaginta aureos solvi debere à patrefamilias: ergo. Resp. neg. conf. Lex illa Exodi 21. judicialis, & pœnalis est, nec propriè dictam restitutionem, sed potius multam imponit, quanquam applicandam læso. Idem respondendum ad utramque confirmationem: quoniam imò L. Prator ait. expressè dicitur: *Sed, cum homo liber perierit, damni æstimatio non fit in duplum; quia in homine libero nulla corporis æstimatio fieri potest.* Unde illi quinquaginta aurei non sunt solutio corporis, vel vitæ, sed multa: an autem multa semper læso applicetur, vel non, nil facit ad hanc controversiam.

743. Ob. 6. Qui bovem occidit, non potest bovem restituere formaliter, sed tantum in æquivalenti, scilicet in pecunijs, vel alijs rebus utilibus, & tamen debet eam restitutionem facere: ergo par erit ratio de eo, qui occidit hominem, vel eum mutilavit. Confir. 1. Qui non potest restituere famam, debet damnum compensare honore:

qui est bonum alterius generis: ergo etiam, qui non potest restituere vitam, debet eam compensare bonis fortunæ, licet sint alterius generis. Confir. 2. Qui læsit alium in honore, & non potest aliter compensare, nisi conferendo e. g. vel parochiam, vel toparchiam, tenetur eam conferre, ut habet Haunoldus tom. 1. de just. tr. 2. c. 6. n. 665. ergo etiam mutilans debet membrum compensare pecunijs.

Resp. neg. conf. vel ejus suppositum; quia nihil potest reddi æquivalens vitæ, vel membro, si præscindatur ab utilitate; nam quantumcunque pecuniarum alicui tribuas, non potest is comparare per illas vitam, vel membrum simile (quod tamen requireretur, ut æquivalenter quis pecunias haberet membrum, & ut damnum esset reparatum) sicut tamen potest quis comparare equum, aut bovem, priori similem, aut meliorem.

Ad 1. confir. Lugo de just. disp. 11. sec. 1. n. 17. videtur negare ant. quam disp. 15. sec. 2. n. 33. id admittat: quod etiam admittit La Croix li 3. p. 2. n. 302. uterque ex eo capite; quia honor, & fama, sunt bona valde connexa, & ad humanos usus reputantur pro eodem, atque ex honore exhibito communiter sequitur fama bona. Unde putò admittendum, quod, si fama reddi non possit, debeat exhiberi honor, saltem tunc, quando honor est restitutio implicita famæ, qualis sæpissime est; nam, quando aliquem multum honoramus, eo ipso sæpissime excitamus in alijs magnam de eo æstimationem, & implicitè sic revocamus, quæ prius de eo male vulgavimus; quia, dum eum honoramus, fatemur ipsum honore dignum, & indicamus, nos habere de eo majorem æstimationem, quam mereretur, si jure ea mala de ipso dixissemus. Ad 2. confir. dist. ant. talis debet id facere, si collatio illa est causa reparans famam. om. ant. secus. neg. ant. & conf. sæpe enim tales collationes sunt causativæ honoris, vel famæ, e. g. quia ratione toparchiæ habet quis sessionem inter nobiles &c. at pecuniæ; vel alia bona fortunæ, non reparant vitam, vel membrum.

744. Ob. 7. Libertas, & nobilitas, sunt bona superiora, & tamen emuntur pecunijs, quæ sunt bonum inferius; ergo potest bonum superius compensari inferiore. Confirm. Pecuniæ sunt mentura, & pretium rerum omnium: ergo potest per eas quodvis bonum compensari. Resp. neg. ant. Non ipsa libertas, aut nobilitas emitur, sed tantum jus ad multa commoda, spectantia ad bona fortunæ, quæ ex libertate, vel nobilitate proveniunt, e. g. ut quis gaudeat immunitatibus, titulis &c. quod si etiam emens directè veller pretium dare pro nobilitate, tamen strictè eam non emerit, sed, ut ait La Croix li 3. p. 2. n. 303. cederet jure ad pretium, & nobilitas ei donaretur, vel gratis daretur: sicut, si quis rem spiritualem, e. g. sacras reliquias emere veller, posset quidem

quidem cedere jure ad pecunias, ac recipere reliquias: non tamen posset istas emere; cum res spiritualis ex omnium sententia pretio temporalis emi nequeat. Ad confir. dist. ant. Pecuniae sunt mensura rerum omnium, spectantium ad bona fortuna. conc. ant. absolute omnium. neg. ant. & conf.

745. Ob. 8. Quamvis argentum sit inferioris ordinis, quam aurum, tamen sapius multiplicatum potest adaequare, imò etiam superare aurum: ergo potest bonum superius compensari inferiore. Confir. Pauper mallet perdere digitum, & habere decem millia aureorum, quam retinere digitum, & carere aureis, ac semper cum paupertate luctari: ergo potest pro membro sufficiens fieri compensatio in pecunijs. Resp. conc. ant. dist. conf. potest bonum superius compensari inferiore quoad utilitatem, seu compensari in genere utilitatis. conc. conf. potest compensari quoad intrinsicam aestimabilitatem moralem, seu in genere intrinsicam, & tali bono propriae aestimabilitatis. neg. conf.

Argento copiosiore potest compensari aurum in genere utilitatis; quia multum argenti est aequè utile in commercio humano, quam parum auri: attamen in alio genere non potest compensari, e.g. multum argenti non tantum prodest in medicina, quam parum auri: quia autem ordinariè tantum attenditur utilitas, utique potest majori pondere argenti compensari minus pondus auri: imò pro argento copiosiore potest semper haberi etiam aurum, sicut bos, & equus: at pro argento, vel pecunijs, non potest haberi vita, aut membrum, imò nec per se fama virtutis; quia, licet hæc per actiones liberalitatis, effundendo pecunias, possit acquiri, non tamen potest proprie emi.

Ad confir. neg. conf. non enim propterea compensatur, aut compensari potest jus læsi; nam per compensabilitatem juris non intelligitur tantum, quod tribui possit aliquid, quod læso est gratius, vel etiam in se utilius; alias, qui hæreticum, cui furatus esset decies mille florenos, converteret ad fidem, sufficienter restitueret: sed per compensabilitatem juris intelligitur, quod dari possit aliquid tale, ut per id læsus habeat iterum æquivalenter, vel in simili illud, quod perdidit: atqui vitam, vel membrum nunquam habebit per pecunias, nec æquivalenter, ut dictum n. 707.

746. Ob. 9. Communis est sententia cum Lugone de just. disp. 13. n. 45. & 46. quòd is, qui tenetur ad restitutionem, nec potest eam aliter facere, debeat eam facere etiam cum aliquo detrimento suæ famæ, e.g. debeat rem restituere per alium, adeoque cum aliqua infamia apud illum, cui debet furtum suum manifestare: ergo debet restitutio fieri in bonis alterius ordinis. Confir. Mutilans injustè causavit dolorem mutilato: ergo tenetur ex justitia, hunc dolorem tollere: ergo, si aliter non potest, tenetur tollere dando pecunias.

Resp. neg. conf. non enim talis dat famam læso in compensationem: sed tantum, ut restituatur ablatum, opus est subire aliquam infamiam: sicut etiam potest contingere, ut quis teneatur subire aliquam jacturam in bonis fortunæ, in ordine ad restituendam famam, si e.g. debet propterea iter facere, vel scribas, aut notarios solvere, non sine expensis pecuniarijs. Unde quidem est aliquando obligatio, restituendi bonum unius ordinis, vel generis, cum aliqua jactura bonorum alterius: sed non est obligatio, dandi bona unius generis pro bonis alterius generis. Quando autem, & quousque detur obligatio, restituendi bona fortunæ cum jactura famæ, vide La Croix l. 3. p. 2. n. 304. Ad confir. neg. ultimam conf. si enim non possit dolorem tollere per collationem bonorum ejusdem generis, non tenetur eum tollere per collationem bonorum alterius generis.

747. Ob. 10. Gratis dicimus, quòd justitia tantum respiciat æqualitatem inter bona ejusdem generis, vel ordinis: ergo. Confir. Judex potest præcipere, ut pro membro, vel honore læso, fiat compensatio in pecunijs: ergo etiam id potest exigere justitia, ne scilicet læsus careat omni prorsus compensatione. Resp. neg. ant. hic enim, ut dictum 733. est sensus communis. Accedunt omnes rationes à n. 731. pro conclusione allata. Adde, quòd justitia formaliter intendat unicuique dare, quod suum est: ad hoc autem non servit dare pecunias pro membro; quia per istas nunquam membrum abscissum recuperari potest, ut jam sæpius dictum.

Ad confir. neg. conf. Judex potest, ex titulo justitiæ vindicativæ, imponere talem compensationem, tanquam multam: sicut potest imponere multam pro alijs sceleribus: sed non sequitur, quòd talem compensationem jam antecedenter exigat ipsa justitia commutativa; multa enim à judice imperari possunt, quæ independentè à sententia non debentur. Neque judex in tali casu imperat compensationem strictè dictam, quæ impossibilis est: sed tantum vult, læso præstare aliquod solatium. vide Esparzam l. 8. de just. q. 37. ad 3. Ait quidem Lessius l. 2. c. 9. dub. 23. n. 145. posse contingere, ut occisor ex charitate teneatur, aliquando aliquid dare valde pauperi læso, vel occisi hæredibus: Lugo tamen de just. disp. 11. sec. 1. n. 15. ait, sibi videri, hanc obligationem carere sufficienti fundamento. Equidem debet aliquid dari tali, vel talibus, ratione damni emergentis in bonis fortunæ: at non immediate ratione vitæ, aut membri. Rectè tamen facit confessarius, si homicidæ pro penitentia injungat, ut curet fieri pro defuncto aliquot sacra, aut alia pia opera satisfactoria.

748. Ob. 11. S. Thomas 2. 2. q. 62. n. 2. ad 1. ait, *Et ideo, quando id, quod est ablatum, non est restituibile per aliquid æquale, debet fieri recompensatio, qualis possit*

QUÆSTIO V.

De Obligatione Restituendi ob Læsionem Famæ, vel Honoris.

ARTICULUS I.

Quid sit Detractio, vel Contumelia, & quale peccatum.

750. **F**ama Juristis est *illusa dignitatis status, vitæ, & moribus comprobatus*: seu, est bona opinio, & sermociatio plurium de virtute, & moribus alterius. At honor. (qui duplex est, alius nempe *internus*, alius *externus*) etiam dupliciter definitur. *Internus* est assensus internus de excellentia alicujus cultus, vel submissio, sive dein hic cultus, aut submissio ab honorante, sive ab alijs, ex voluntate honorantis exhibetur; sic enim DEUS Sanctos honorat, dum eos, non quidem per se, sed per alios colit. Unde honori opponitur *contumelia*, famæ opponitur *detractio*. Illa est *injuria honoris imminutio scienter facta*; hinc debet fieri præsentem, cum ejus vilipensione, & cum intentione, saltem virtuali, eum inhonorandi, ita, ut, si non formaliter intendatur inhonoratio, saltem intendatur actio, ex qua contumelia per se sequitur, e.g. si virum honestum fuisse percussit. *Detractio* autem est *denigratio injusta famæ alienæ per verba, vel alia signa*: & hæc potest committi, vel adversus absentem, ut sæpius solet, vel etiam adversus præsentem, quo casu etiam erit contumelia.

751. Dico 1. Detractio, & contumelia, sunt ex genere suo peccata mortalia, ita communis. Prob. conclusio eadem ratione; quia n. 542. probavimus, peccata contra justitiam ex genere suo esse mortalia; nam, tam detractio, quam contumelia, intra suam lineam, absque junctis alia specie, possunt grave damnum in honore, vel fama, afferre. Et quidem peccata ista per se graviora sunt furto; quia nempe majus bonum per ea eripitur: leviora tamen homicidio, vel mutilatione, ex ratione opposita; nam honor, & fama, sunt quidem majora bona, quam bona fortunæ: non tamen majora, quam vita, aut membra.

Nec tantum detrahere vivis, sed etiam defunctis, est ex genere suo mortale; quia, cum anima adhuc vivat, & moraliter censetur permanere in possessione famæ, atque per hanc in hominum memoria vivere, adeoque fama post mortem valde appetibilis sit, utique eam auferre mortuis potest esse injustitia gravis. Ex quo sequitur, non minus etiam mortuis famam læsam, esse restituendam, quam vivis, ut docent aperte Lessius de just. l. 2. c. 11. n. 114. & Illung tract. 4. disp. 3. n. 109. Quando gratem per contumeliam, & detractioem, gra-

possibilis est: puta, cum aliquis alicui abstrulit membrum, debet ei recompensare, vel in pecunia, vel in aliquo honore: ergo debet etiam restitutio fieri pro ipso membro. Confir. Scotus in 4. dist. 15. q. 3. etiam videtur nobis oppositus: ergo. Resp. neg. conf. Dominicus Bannez, insignis Thomista in 2. 2. seu de jure, & justitia. dub. 4. ad 1. ait, S. Doctorem intelligendum esse de damno consequenti, seu de ablata utilitate membri.

Ne autem dicas, Angelicum de hac non loqui; eoque loquatur de illo damno, quod ad æqualitatem compensari non potest: Resp. quòd neque utilitas ista possit compensari strictè, & perfectè ad æqualitatem, etiam in sensu morali; quia utilitas pecuniæ nulla est tanta, quanta utilitas manuum; quis enim prudens, ut acquirat aliquam pecuniæ summam, permittet sibi abscindi manus, sine quibus vitam miseram viveret? Potest ergo dici, quòd S. Thomas velit, debere pro hac utilitate ablata restitutionem fieri, quanta potest: non verò pro ipso membro: de vita autem S. Doctor omnino non loquitur.

749. Et sanè videtur difficile creditum, quòd ab Angelico adstruatur sententia, contra Magistrum Sententiarum, & aliorum communiorem, quæ tamen nulla ratione peculiari ab ipso probetur; cum præsertim ad ejus intentum necessarium non sit, eam adstruere, uti revera necessarium non est; nam loc. cit. S. Doctor tantum vult probare, quòd restitutio necessaria sit ad salutem, si scilicet fieri potest; si enim fieri non potest, ut millies accidit, sine ea potest obtineri salus: adeoque, si etiam pro membris, vel vita; non possit fieri restitutio, etiam non erit necessaria ad salutem. Et hinc alij volunt, S. Doctorem tantum voluisse loqui conditionatè, seu quòd debeat fieri hæc restitutio, si possibilis sit, id quod sufficiebat ad ejus intentum.

Ad confir. neg. ant. Scotus imprimis ait, satis esse, si occisor patiatur poenam talionis, quæ tamen non est restitutio, ut patet, & jam dictum est. Addit, si alicubi non sit statuta poena talionis pro homicidio, expedire, ut occisor vitam suam in bello pro fide exponat, ut scilicet hoc bono opere juret defunctum apud Deum: at non dicit, homicidam ad hoc obligari: & bene; quis enim hanc obligationem universaliter imponat? Addit, confessarios malè facere, si homicidis restitutionem non imponant: sed potest explicari de restitutione pro utilitate vitæ &c. nam statim loquimur de parentibus, ac alijs damnorum passis. Ait quidem, etiam spiritualia opera pro anima defuncti imponenda esse: & hoc utique rectè fit: sed, etià nomine restitutionis venire ista debeant, erunt tantum restitutio pro utilitate vitæ, quatenus scilicet vita longior fuisset occiso utilis, ad facienda plura opera bona meritoria.

viter peccetur, alia certior regula dari non potest, quam similis illi, quam dedimus n. 543. circa furtum, scilicet tunc dari gravem detractorem, vel contumeliam, quando læsus, attentis omnibus circumstantiis, meritò est graviter invitatus, vel meritò graviter contristatur, ut etiam innuit S. Thomas 2. 2. q. 72. a. 2. ad 3.

752. Præcipue autem considerandæ sunt circumstantiæ, ut habet La Croix l. 3. p. 2. n. 1194. nempe qualitas personæ, cui fit injuria, autoritas, vel conditio facientis injuriam: item bonus, vel malus affectus istius: levitas, & gravitas materiæ in se spectatæ: iterum varia dispositio audientium, vel spectantium; cum enim fama, quam sequitur honor, consistat in existimatione hominum, hujus existimationis jactura erit mensura injuriæ, per detractorem factæ: existimatio autem hominum varia est pro varietate circumstantiarum; unde facilius erit injuria gravis, si detrahatur personæ, magnæ aliàs existimationis; quia sæpe ob unum defectum etiam suspectæ redduntur aliæ virtutes: & consequenter plus longè famæ, & existimationis detrahatur, quam si idem dicatur de alio, non habente tantam existimationem. Pariter, si persona detrahens sit magnæ autoritatis, majorem impressionem facit in animis audientium, & facilius fidem invenit. Rursus, si auditores solent, rem saltem in animo suo augere, & pessimè omnia interpretari, plus utique nocetur apud illos, quam apud alios, non ita constitutos.

Hinc non videtur regula congrua, quam quidam statuunt, dicentes, revelationem peccati mortalis esse detractorem gravem; nam e.g. respectu militis, aliàs notoriè ebriosi, non est per se gravis detractio, dicere, eum fuisse ebrium; vel respectu notoriè rixosi dicere, eum provocasse ad duellum; quanquam sint peccata mortalia. Econtra dicere de Episcopo, vel alio Ecclesiastico Prælato, communiter habito pro valde perfecto, quòd soleat sæpe, etiam tantum leviter mentiri, planè grave videtur. Hinc regula nostra superior est optima: quando autem quis meritò graviter contristetur, pensatis omnibus arbitrio prudentum est determinandum.

753. Contumelia potest fieri, vel verbis, vel scriptis, vel factis, aut alijs plurimis modis. Detractio fit communiter his octo modis, quos ex S. Thoma colligit Lessius de justit. l. 2. c. 11. n. 8. nempe 1. imponendo crimen falsum. 2. amplificando crimen verum, 3. pandendo crimen occultum, 4. sinistrè interpretando alterius factum, 5. negando rectè facta, vel dotes alterius. 6. ea extenuando. 7. tacendo bona alterius eo casu, quo taciturnitas accipitur tanquam tacita vituperatio. 8. simulatè, & frigidè laudando, quando quis simulat, se aliquem laudare, & tamen nihil laudè dignum affert. Ex quibus patet, de proximo non facilè, nisi laudabiliter, loquendum esse.

754. Excusat tamen præter levitatem

materiæ, aliquando peccato gravi 1. Si detur inadvertentia, & quidem inculpabilis, ad grave damnum: quæ tamen sæpius culpabilis est. 2. Si persona, cui detrahitur, sit omnino incognita, nec aliquando cognoscenda: vel sit jam ob crimen simile infamis, & necdum credatur emendata, vel nullus sit famæ. 3. Si habeas rationabilem causam crimen manifestandi, qualis est correctio proximi; servata lege charitatis: vel petitio consilij necessarii, vel aversio damni proprii, aut alieni gravis. Si tamen præter imminutionem famæ immineret alteri, cujus crimen manifestas, aliud malum, debet, ut ait Lugo, malum quidem, quod tibi times, non esse tam grave, quam damnum alterius, tamen etiam debet non esse leve, respectivè ad damnum alterius subsecuturum. vide ipsum Lugonem de just. disp. 14. sec. 7. n. 112.

Item 4. Si crimen jam est notum in una civitate, vel quia publicè patratum, vel quia per sententiam judicis, aut aliorum divulgationem est divulgatum (quanquam aliquando in tali casu peccari possit contra charitatem etiam graviter) tamen non videtur peccari graviter contra justitiam, divulgando illud in alia urbe, cum qualiter commercium est, ut docet Illung tr. 4. disp. 3. n. 107. Lessius de justit. l. 2. c. 11. dub. 13. n. 75. Lugo de just. disp. 14. sec. 6. n. 72. Filliucius tr. 40. n. 99. & seq. Haunoldus tom. 1. de just. tr. 2. c. 5. n. 541. La Croix l. 3. p. 2. n. 1220. p. & alij; nam in primo casu, judex per sententiam privavit reum famam (uti aliquando privat alijs bonis) & consequenter dedit licentiam, ita de eo loquendi: in secundo casu, qui publicè crimen patrat, eo ipso censetur cessisse jure ad famam: in tertio casu, publicè ita infamis non censetur habere amplius jus ad famam. Denique, ut ait Filliucius tr. 40. n. 100. confirmat hanc opinionem consuetudo totius orbis, referentis alibi crimina publica, scribentis per literas, commendantis ea historijs: & certè, ut ait La Croix l. 3. p. 2. n. 1220. considerata humana societas, nimis durum foret, non posse loqui de publicis.

755. Hæc saltem videntur dicenda, si infamatio non fuit injusta; si enim injusta fuisset, negant apud La Croix loco citato Bonnacina, & alij, posse talè crimen ulterius vulgari; quia, cum causa publicitatis fuerit injusta, manet læso jus ad famam, & non nisi per injuriam continuatur infamia. Interim tamen Lessius de just. l. 2. c. 11. n. 77. & alij apud La Croix ibidem, putant, etiam in hoc casu licere; quia tamen alter jus ad famam amisit: & certè aliàs vix unquam liceret de crimine publico loqui; quia primi sermones sæpius fuerunt injuriosi. Hoc tamen certum videtur, si detractio sit ideo injusta, quia crimen falsum est, licet publicè verum habeatur, non posse eum, qui scit, crimen falsum esse, id ulterius vulgare; quia alter non perdidit jus ad famam: & hoc solum dicit

dicit Haunoldus tom. 1. de just. tract. 2. c. 5. n. 545. Item, si crimen sit omnino oblivioni datum, ita, ut famam recuperaverit reus, non licet denuo, obliteratum jam peccatum evulgare.

756. Rursus non licet, etiam tantum uni, absque justa causa alterius crimen occultum revelare, si criminis revelatio pluribus facta peccatum esset; nam, si judicium temerarium est grave peccatum; quia est gravis imminutio famæ alterius apud se ipsum, cur non sit grave peccatum imminutio famæ æqualis apud alterum? Nec dicas, temerariè judicantem grave crimen alteri falsò imponere: non verò revelantem crimen verum; nam inprimis potest dari judicium temerarium, etsi alter, qui judicatur, verè sit reus, modò judicans non habeat sufficientia fundamenta ad judicandum, quo casu nullum crimen falsò imponit: dein hæc ipsa impositio non esset gravis injuria, nisi imminutio famæ, etiam apud unum, esset grave damnum, ut observat Illung tr. 4. disp. 3. n. 105.

757. Quæres autem, quando crimen, extra casum publicationis juridicæ, seu sententiæ à judice late, dici possit publicum per famam. Antequam respondeam, noto notorium plus esse, quam tantum publicum, ut habetur C. Tua nos. 8. de cohabitatione Clericorum. ex eo enim canone notorium est, quod nulla tergiversatione potest celari: & si ita publicatum est sententiæ judicis, dicitur notorium notorietate juris: si autem tantum per famam ita vulgatum est, dicitur notorium notorietate facti. At publicum seu ita notum, ut aliquis infamatus esse censendus sit, ex Molina tom. 3. de just. p. 2. tr. 4. disp. 31. n. 4. videtur esse illud, quod jam ita limites occulti egressum est, ut prudentis viri arbitrio, attenta conditione humana, & qualitate communitatis, in qua factum scitur, judicetur istud adeò esse propalatum, ut moraliter sit ejus notitia ulterius diffundenda: quo casu, ait hic auctor, taliter infamatus censendus est ea in re famam amisisse. Idem sentit Layman l. 3. sec. 5. tr. 3. p. 2. c. 3. n. 8. dum ait: tum notorium, aut famosum (hoc est, publicum) aliquid censeri, quando spectata humana imbecillitate impossibile est cohibere, quò minus in aliorum cohabitantium notitiam deveniat: nec dissentit Lugo de justit. disp. 14. sec. 6. n. 70. ac alij.

758. Ut autem rem magis declaret Molina (qui loco cit. meretur legi) ait, aliud esse, aliquem esse infamatum, vel ejus crimen esse publicum in aliqua domo: aliud, esse id publicum in civitate, vicinia, populo, aut regno: & subjungit, quo major sit domus, eò plures debere crimen scire, ad hoc, ut publicum dici possit in domo: non tamen semper porportionem strictè geometrica; nec enim, si in parva domo debet scire media pars, idem requiritur in majore; nam, modò plures sciant, jam crescit difficultas reticendi.

Hinc pergit, si domus constet octo in-

quilinis, fortè requiri, ut crimen quatuor sciant: si viginti, sufficere fortè septem, aut saltem octo: si sint centum, sufficere quindecim, aut ad summum requiri viginti. Ulterius ait, in Academia, constante mille studiosis, rem fore publicam, si eam sciant viginti, modò isti non sint in una, aut duabus domibus, aut collegijs. Pariter ait, in vicinia, constante quatuor, aut quinque domibus, in quibus quadraginta, vel quadraginta quinque personæ numerantur, publicum aliquid censendum esse, si id norint octo, aut decem in diversis domibus: in oppido constante quadraginta domibus, si norint viginti personæ. Addit, quendam non ineptè docuisse, in oppido, constante quinque millibus civium, ad minus requiri, ut norint factum triginta, in diversis domibus: quibus verbis innuit, hoc sufficere. Pergit, si quis in curia sit infamatus, vel alio illustri loco, quo homines ex toto regno confluere solent, censendum esse ejus crimen publicum in toto regno; quia scilicet facile per totum regnum fama spargitur. Ad finem subjungit, has regulas potius esse nimis strictas, quam nimis laxas. Idem ferè totum ex Molina, quem etiam citat, refert Lugo de just. disp. 14. sec. 6. n. 70.

759. Quæres rursus, quomodo peccent ij, qui audiunt detrahentes. Resp. 1. Si sint causa inductiva, vel excitativa, ad detractorem; coquòd animet, hortentur, sciscitentur, approbent &c. peccant non tantum contra charitatem ratione scandalii, sed etiam contra justitiam: & tenentur ad restitutionem famæ, ita omnes. & ratio est clara; quia injustè cooperantur ad damnum proximi, quoad famam læsi. Resp. 2. Si tales audientes, se habeant merè passivè, audiendo ex curiositate, delectatione, non peccant contra justitiam, nisi ex officio, vel alio titulo justitiæ, teneantur detractorem impedire. Ratio est; quia tales detractorem tantum non impediunt: nemo autem per se ex justitia tenetur, impedire damnum proximi. ita rursus communis, & teste Lugo de just. disp. 14. sec. 8. n. 124. certa. Peccant tamen contra charitatem illi, qui, etsi non sint causa detractiois, tamen eam non impediunt; cum facile, seu sine notabili incommodo, possent; quia charitas obligat ad impediendum peccatum detrahentis, & damnum proximi, qui læditur in fama, ita communis, & certa ex Lugone disp. 14. sec. 8. n. 125. unde debet ostendi saltem aliqua displicentia de similibus sermonibus, vel certè nulla positiva complacentia, & aliquando debet etiam adhiberi correctio.

760. Hæc tamen correctio, licet sæpius fieri debeat superioribus (de quo vide Lugonem de just. disp. 14. sec. 8. n. 130. tamen, ut idem hic author loco cit. & Inninger de injurijs q. 4. n. 5. tradunt, raro sub obligatione debet fieri ab æqualibus, & rarissimò ab inferioribus, respectu superiorum. Ratio est 1. quia plerumque audi-

ens non fuit, an non jam res sit publica; licet enim res necdum ad aures tuas pervenerit, tamen potest esse publica; nec enim, ut ait Inninger, loco modo cit. debet narrans statim ut detractor condemnari. 2. Ut docet Illung *tr. 4. disp. 3. n. 108.* debet supponi, loquentem habere justam causam hæc dicendi, quando contrarium non moraliter constat: circa quam rem nimium sæpe angi, & falli scrupulosos, admonent hi auctores. 3. Sæpe melius est, sine re alios loqui, ne abrupto sermone adhuc aliquid pejus suspicentur alij: & potest finitus discursus corrigi, ostendendo ejus falsitatem. 4. Sæpe quis non potest sine gravi offensâ corrigere detractorem, qui in publico argui ægerimè ferret, & fortè contentiosius confirmaret jam dicta. 5. Sæpe narrans tale crimen habet aliam causam loquendi, e. g. loquitur petendi consilij gratiâ, vel monendi te ipsum. Tandem, sicut discurretur de præcepto correctionis fraternæ circa alia peccata: ita quoque circa istud est discurrendum, ut rectè Lugo *de just. disp. 14. sec. 8. n. 126.* scilicet dicendum, non obligare, si non possis corrigere sine gravi tuo incommodo.

An autem rubor, aut verecundia, semper censendum sit tale incommodum, disputatur. Inninger cum alijs, à Lugone *disp. 14. sec. 8. n. 129.* citatis, ait regulariter tale esse; Lugo autem *cod. num.* ait, attendendum esse etiam malum proximi, ex detractone oriturum; hoc enim, si ingens sit, ait, utique prævalere verecundiæ: posse autem etiam damnum proximi non esse tantum, ut cum tali rubore tenearis illud impedire. Tannerus *tom. 3. disp. 4. q. 8. n. 151.* ait, ex negligentia, timore, aut verecundia, non repellere detractorem, communiter censeri solum esse peccatum veniale in aequalibus, nisi grave damnum ex detractone proximo oriatur.

ARTICULUS II.

Qualis Restitutio debeat pro Detractione, vel Contumelia.

761. Dico jam 2. Detractor debet restituere famam læso: & quidem, si graviter læsit, tenetur, eam restituere sub mortali, ita omnes. Prob. Jus alterius graviter læsum debet reparari; ergo debet fama restitui. Unde, qui falsam crimem alteri injustè imposuit, debet dicta sua retrahere, etiam cum æquali, vel etiam (ut ait Lugo cum pluribus, quos citat *de just. disp. 15. sec. 2. n. 24.*) cum paulò majore damno proprio. Hinc Illung *tr. 4. disp. 3. n. 111.* cum Lessio *de just. l. 2. c. 17. dub. 22. n. 117.* (melius 116.) & alijs docet, quòd, si infamatus incurrisset periculum mortis, debeat cum simili periculo recantari detractio: & si auditores non velint credere, debeat juramentum adhiberi: imò & testes, ut cum alijs docet idem Lugo *de just. disp. 15. sec. 2. n.*

25. & 26. quia non videtur ista difficultas tanta, ut propterea quis sit excusandus.

Qui autem verum crimem, sed occultum evulgavit, non quidem potest dicere, se fuisse mentium: tamen potest, & debet dicere, se errasse, & alterum non posse talem iudicari: verbo, debet modis ijs uti, quibus salva veritate uti potest, ad malam opinionem de altero conceptam, in audientium animis delendam. Rectè tamen Lugo advertit *de just. disp. 15. sec. 2. n. 34.* coram doctis, & noscentibus vim æquocationum, non semper istis utendum; quia aliàs tantum magis radicatur opinio mala. Si detractor famam aliter restituit non potest, debet in alijs læsum laudare, & sic famam novam ei conciliare: fortè etiam honorem deferre, ex dictis *n. 743.* si tamen nullo ex his modis potest famam reparare, non tenetur facere compensationem in pecunijs ex iisdem rationibus, quibus probavimus *n. 731.* non debere, pro vulnere, vel vita fieri compensationem pecuniarum: & ijdem auctores, qui ibi, etiam hinc nobiscum sentiunt.

Quod si quis etiam tantum venialiter peccavit detrahendo; eoquòd non putaverit, gravem esse detractionem, tenetur tamen omnino famam reparare, ex eadem ratione, ex qua in simili diximus, restituenda esse bona fortunæ *n. 707.* videatur etiam Inninger *de injurijs q. 4. n. 6.* Si quis etiam ob inadvertentiam, aut non plenam deliberationem, venialiter peccaverit vel ob bonam fidem putavit, se aliquid licitè posse dicere, tamen debet reddere famam, ut habet communis, saltem si potest sine gravi suo incommodo: sive quia tenetur ex re quasi accepta, ut dictum *n. 520.* sive quia aliàs daretur continuatio læsionis, ut dictum *n. 521.*

762. Dico 3. Detractor tenetur sub gravi etiam ad restituenda damna fortunæ, si quæ læsus incurrit ob imminutionem famæ: si tamen per culpam gravem (nam culpa levis non videtur inducere gravem obligationem) læsit proximum, ita omnes. Prob. Detractor talis non tantum læsit proximum in fama, sed etiam in bonis fortunæ, quorum jacturam ipse causavit injustè: ergo tenetur etiam ista restituere. Et hoc non tantum est verum, quando falsum crimem imposuit, sed etiam, quando verum, attamen occultum injustè manifestavit; nam etiam talis detractor verè gravem injuriam intulit: & hoc docent communis auctores, prout videre est passim, maxime apud Lugonem *de just. disp. 15. sec. 2. n. 22.*

Hinc, si quis ratione criminis sui evulgati deponatur ab officio, debet ei pro hoc fieri restitutio: si quis propterea non accipitur beneficium, quod præstaverat, debet compensari saltem ipes. Addit Inninger *de injurijs q. 4. n. 6.* si quis evulget homicidium alterius occultum, & fama inde defertur ad iudicem, qui ex causâ diffamativa procedat ad inquisitionem, & reconvicta procedat ad sententiam relegationis, pri-

privationis officij &c. debere detractorem facere compensationem omnium damnorum. Ad hanc autem compensationem non tenetur, qui inculpabiliter, e. g. quia bona fide putavit, crimem jam esse publicum, id ulterius evulgavit; nam non fecit formaliter injuriam, sed tantum materialiter talem.

763. Dico 4. Qui alterum læsit in honore, inferendo ei contumeliam, debet etiam compensationem facere, aliqua exhibitâ honoratione externa, secundum prudentis viri arbitrium, vel consuetudinem regionis. ita communis. Probatur. Lædens alterum in honore læsit strictum cui ipsius, & intulit, non tantum qualemcumque injuriam, sed verè damnum in honore, vel dignitate, sicut detractor in fama, ut docet Lessius *de just. l. 2. c. 11. dub. 27. n. 141.* quia dignitas vilior redditur; & hinc, qui contumeliâ affecti sunt, solent dicere, dignitatem suam imminutam fuisse: ergo, qui contumeliam intulit, tenetur læsum honorem compensare. Modi autem compensandi eam læsionem possunt esse ex Lessio *de just. l. 2. c. 11. n. 144.* si superior lædens amicè salutet subditum: si æqualis æqualem invitet ad mensam, honorificum locum inter convivas dando: vel honorificè de eo loquatur: vel si æqualis etiam veniam humiliter petat: ad quod tamen teste Lessio *ibidem* regulariter superior non tenetur. videatur etiam Lugo *de just. disp. 15. sec. 4. n. 53.*

764. Causæ excusantes ab onere restitutionis famæ, præter generales, quæ excusant etiam à restitutione bonorum fortunæ, possunt esse. 1. si nullum reipsâ secutum sit damnum; quia audientes non crediderunt. 2. si aliunde proximus famam recuperavit, e. g. quia falsitas detecta est. 3. si infamia abolita est oblivione auditorum. 4. si infamatus aliâ viâ postea perdidit famam in eadem materia. 5. si infamatus condonavit restitutionem famæ, casu quo potest; quia non semper potest, quando scilicet infamatio vergit in detrimentum aliorum. 6. Inninger *de injurijs q. 4. n. 6.* ait, esse communem doctorum, excusari posse aliquem à restitutione famæ, per mutuam compensationem, seu, ut ait Illung *tr. 4. disp. 3. n. 111.* per justam exceptionem, sive oppositionem similis obligationis, si scilicet ab altero priùs æqualiter infamatus sis; nam, licet non possis licitè infamare alterum; cum non licitè possis damnum inferre, si tamen, quamvis malè, postea eum infamasti, potes quasi ejus famam retinere pignoris loco, & restitutionem differre, donec alter tibi famam restituat.

ARTICULUS III.

Quid sit Judicium, vel Suspicio Temeraria, & quale peccatum.

765. Subjungendum hinc aliquid de læsione honoris per actus inter-

nos, quorum communiter solent assignari tres classes, nempe *dubium temerarium, suspicio temeraria, & judicium temerarium.* Primum, seu *dubium temerarium* est, cum sine causâ fluctuas tecum, & suspensis assensum de eo, an proximus commiserit aliquid certum crimen, an non, ita, ut saltem inhæreas sine ratione huic dubio; aliàs enim præcisè suspendere assensum, de illius innocentia, & ad alia cogitanda se vertere, per se non est injuriosum proximo. Inninger tamen *de injurijs q. 4. n. 3.* putat, in hac quæstione dubium non debere accipi pro suspensione judicij, sed potius pro judicio temerario, quo quis absque justa causâ judicat, alterius probitatem esse ambiguam: sed explicatio prior est S. Thomæ *2. 2. q. 60. a. 3. in corp.* & communior. *Suspicio temeraria* est assensus, vel judicium, temerè conceptum, quo quis judicat, fortè hoc, vel illud crimem à proximo commissum fuisse, ita tamen, ut in judicio hoc non sit firmus: vel est assensus, quo quis temerariò judicat, adesse aliquid fundamentum, licet non omnino sufficiens, ad assensum firmum, de crimine à proximo patrato. Denique *judicium temerarium* simpliciter tale est, cum quis firmiter judicat, alium esse malum, quamvis non habeat motiva, quæ prudenter possint ad tale judicium movere: adeoque temerè, & ex determinatione malæ voluntatis agit.

Rectè tamen Inninger *loc. modo cit.* notat, posse adesse fundamenta, ad prudenter dubitandum, quin adsint ad suspicandum: & posse adesse ad suspicandum, quin adsint ad firmiter judicandum. Addendum, aliud esse, judicare, vel suspicari de proximo: aliud esse, metuere, ne fortè proximus ad malum aliquid faciendum se ex occasione, aut alia ratione sinat induci; suspicio enim, vel judicium, versatur circa improbitatem actualem, quam dari suo modo asserit: metus autem, seu cautela, versatur circa improbitatem possibilem, dum quis timet, ne futurus sit improbus, & ideo proximus cavet, ne fiat: præcisè autem sentire, hominem posse fieri malum, vel etiam, si ignotus sit, cogitare, eum posse esse malum, non est suspicio temeraria; cum certum sit, homines ignotos posse esse malos: & hinc à peregrinis meritò exiguntur testimonia scripta.

Sic etiam, non quidem licet mercatori, sine indicij, vel præsumptionibus vehementibus, judicare, vel suspicari, famulos suos esse infideles: potest tamen timere, ne fors occasione, aut alia ratione, inducantur ad infidelitatem: & hinc potest, res suas custodire, famulis invigilare, rationes exigere, observare actiones, aliàsque debitas cautelas adhibere. Ubi tamen vitandus est nimius excessus, ne prudens cautela degeneret in indiscrētam diffidentiam, & nascantur animorum aversiones, ac similia mala.

766. Dico jam 5. Judicium temerarium est ex genere suo peccatum mortale.

ita communis cum S. Thoma 2. 2. q. 60. a. 3. in corp. Prob. Judicium temerarium potest afferre grave nocentem famæ, & gravem tristitiam, ac dolorem ei, de quo fertur tale iudicium: ergo. ant. prob. si grave est, afferre famam apud alios, etiam grave est, eam auferre apud semetipsum: ergo. Dein experientia probat, homines tristari, & ægerimè ferre, si in gravibus rebus temerè iudicentur. Adde, quòd gravis sit confessio peccati (etiam si sigillum sit tam arctum) non ex alio capite, quàm quòd infamatio etiam tantum apud unum sit gravis: ergo meritò tristatur graviter is, quem tu innocentem apud temetipsum infamas.

Licet autem proximum iudicium tuum occultum nesciat, tamen jam est injuriosum, sicut furtum occultum; sufficit enim, ut sit aptum ad movendam justam indignationem, si resciat. Confirm. Ut habet S. Thomas loc. cit. hoc iudicium, sæpe saltem, affert contemptum gravem proximi, & minuit etiam honorem externum: ergo. Debet tamen, ut hoc iudicium sit grave peccatum, materia gravis esse, seu quæ pro detractioe esset gravis. 2. debet esse habitum cum plena deliberatione; nam, quòd alicui tantum incidat aliquid mali de proximo, vel quòd quis etiam indeliberatè alium iudicet, humanum est, & sæpe tantum se habet per modum tentationis, vel consensûs indeliberati, aut semideliberati.

767. Dico 6. Suspicio temeraria, & multò magis dubicatio, ordinariè non sunt peccata mortalia. ita communis cum S. Thoma. loc. cit. num. preced. Licet autem ibi verbotenus tantum agat de suspitionibus, per has tamen intelligit etiam dubicitationes, ut est apertum; nam primum gradum suspitionis ponit, ex levibus indicijs de bonitate alicujus dubitare: ubi addit: Et hoc est veniale, & leve peccatum. Explicat dein ibidem iudicium, quod statuit pro secundo gradu suspitionis, his verbis: Cum aliquis pro certo malitiam alterius aestimat ex levibus indicijs: quod ait, esse grave peccatum. Quòd autem ibi hoc iudicium dicat esse secundum gradum suspitionis, non obest dictis nostris superioribus de suspicione; nam S. Doctor non intelligit suspicionem in nostro sensu acceptam, seu pro iudicio, quo non firmiter, aut certò iudicatur: sed tantum existimatur, rem fortè ita se habere: & hinc nullo modo censet, suspicionem in nostro sensu acceptam esse peccatum grave: sed suspicionem in nostro sensu acceptam annumerat dubicitationibus.

768. Probatur jam conclusio. In dubijs, aut suspitionibus, vel non adest plenè deliberatus consensus: vel iudicium est valde debile, & cum formidine oppositi: vel etiam non est magna temeritas, dum quis, non ex omnino nullis, sed tantum ex non sat gravibus indicijs, paulò ultra meritum istorum, ex prava voluntate progreditur: adeòque non videtur proximi famæ grave damnum inferri: cumque, ut dixi-

mus, minora indicia sufficiant ad suspicandum, quàm ad certò iudicandum, raro contingit, ut suspicio, aut dubicatio, sint grave peccatum. Potest tamen (ut Lessius de justit. l. 2. c. 29. dub. 3. n. 21. Inninger de injurijs q. 4. a. 3. Illung tr. 4. disp. 3. n. 122. Lugo de justit. disp. 14. sec. 2. n. 14. & hoc teste recentiores communiter docent) etiam aliquando suspicio esse grave peccatum; quia potest esse crimen tam enorme, & rationes tam leves, ut læsus meritò graviter dolcat, quòd talia etiam tantum de eo suspicemur, e. g. ait Inninger loco modo citato, si quis de viro, qui passim patrat miracula, & habetur sanctus ab omnibus; etiam ob vitam inculpata, vellet temerè suspicari, eum esse magum. Quod autem attinet ad restitutionem, pro iudicio temerario, nulla alia necessaria est, quàm cessatio ab eodem, (quæ tamen probabilis propriè restitutio non est, ut habet Molina tom. 3. de justit. p. 2. tract. 2. disp. 715. n. 9.) nam, cum aliud damnum ortum non fuerit, reparari etiam nil aliud debet.

ARTICULUS IV.

Solvuntur Objectiones contra præcedentes sex conclusiones.

769. **O**B. 1. contra 1. conclusionem. Saltem, qui detrahit alteri tantum coram uno, seu revelando uni tantum, absque causa alterius crimen, etiam in materia per se gravi, non peccat mortaliter: ergo conclusio nostra non est universaliter vera. prob. ant. paterfamilias sæpe matrifamilias, vel vicium revelat peccata filiorum, famulorum &c. & tamen non censetur peccare mortaliter: ergo. Confirm. Fama est opinio multorum: ergo, qui perdit bonam opinionem tantum apud unum, non perdit famam, adeòque non læditur graviter: ergo. Resp. neg. ant. cum communi; quia etiam hoc est grave præjudicium famæ, & potest contingere (ut ait Filliucius tract. 40. n. 90.) ut quis ægrius ferat, famam sibi minui apud unum virum gravem, quàm apud tres, aut quatuor alios. Addit La Croix l. 3. p. 2. n. 1197. (quod etiam notavimus n. 766.) ex difficultate confitendi, seu revelandi tantum uni suum peccatum, posse colligi, quàm ægrè id hominibus faciat.

Accedit, quòd communiter iudicium temerarium, ut diximus n. 766. censetur esse grave peccatum: sed non ob aliam rationem, quàm, quia est gravis imminutio famæ; non enim sat bene Lessius dat disparitatem in hoc, quòd iudicium temerarium sit injuria gravis; nec enim ex alio capite est gravis injuria, nisi ex capite famæ imminutæ. ad prob. dist. ant. paterfamilias revelat peccata, & non peccat graviter, si id faciat ex inadvertentia, vel ex rationabili causa, quæ potest utique dari inter conjuges, præsertim quoad delicta domesticorum. conc.

conc. ant. secus. neg. ant. & conf. Ad confirm. dist. conf. qui perdit bonam opinionem tantum apud unum, non perdit famam totaliter. conc. conf. non perdit eam partialiter, & quidem secundum partem moraliter gravem. neg. ant. & conf.

770. Dices. Hac ratione etiam peccaret mortaliter, qui tantum referret delictum alterius nondum publicum, eadem fide, qua accepisset, per modum historię, addendo, se ab hoc, vel illo id audivisse: hoc videtur nimis rigorosum: ergo. Resp. cum Inninger de injurijs q. 4. a. 4. si auctor, quem citas, est gravis, seu magnæ autoritatis, peccas pro capacitate materiæ mortaliter; quia, si id propria autoritate dices, graviter peccares; cur non, si in doctorum confirmationem adducas auctoritatem majorem? At si quis tantum rem narret, tanquam acceptam incerto rumore vulgi, non videtur ordinariè peccare graviter; quia narratio talis tantum est nata parere suspicionem, non autem firmum iudicium; suspicio autem, ut dictum n. 767. ordinariè est tantum peccatum veniale, nisi sit casus, in quo ipsa suspicio ex ibi dictis sit gravis; tunc enim talis narratio etiam esset gravis. Item talis narratio gravis foret, si quis prævideret, auditores esse ad omnia mala credenda pronos, & malevolos, facilisque ad propagandum ulterius delictum; quia tunc grave damnum prudenter timeri posset, adeòque caveri deberet. Ubi tamen addendum, ad hoc, ut peccetur in hoc casu, debere adesse temeritatem, & abesse bonam fidem; si enim quis ex eo, quòd putaverit, alterum justè rem narrasse, & publicasse, e. g. quòd aliàs jam publica fuerit, eandem auditam bona fide aliis narret, non peccabit.

771. Ob. 2. contra dicta n. 754. & seq. Qui amittit famam in uno loco, adhuc eam retinet in alio: ergo non licet eum alibi infamare. Confirm. 1. Videtur esse poena nimis gravis, & improporcionata, ut quis propter unum delictum infametur in toto orbe: ergo. Confirm. 2. Ad publicum requiritur, ut possit saltem in notitiam venire: atqui, si regio est valde remota, non potest in ea occultum crimen in notitiam venire: ergo non est publicum, & consequenter non licet ibi crimen manifestare. Resp. cum Lessio de just. l. 2. c. 11. n. 76. & Filliucio. tract. 40. n. 100. dist. ant. qui amittit famam in uno loco, retinet eam in alio de facto. conc. ant. de jure. neg. ant. & conf. si enim jus ad famam perdidit, non fit ei injuria rem propalando.


Ad 1. confirm. Resp. eam infamationem non tam esse poenam, quàm effectum necessariò sequentem ex re, quæ facta est publici juris. Dein non video, cur non per sententiam possit hæc poena imponi, sicut possunt in fronte inuri stigmata cum ignominia universali. Ad 2. confirm. dist. ma. ad publicum requiritur, ut per se possit venire in notitiam. conc. ma. ut per accidens in omnibus circumstantiis possit venire in notitiam. neg. ma. & dist. sic mi. neg.

conseq. Sæpe propagatio notitiæ per accidens impeditur: sic, ut rectè Lugo de just. disp. 14. sec. 6. n. 84. si quis eremitario inclusus neminem ad se admittat, non potest ad eum notitia rei pervenire, quamvis sit publica; unde, quæ publica sunt, etsi per accidens non possent alicubi manifestari; quia nemo illuc venit, possent tamen per aliquem, qui illuc appulsus vellet ea narrare, manifestari: quanquam non negem, charitatem sæpe talia prohibere.

772. Ob 3. Sicut se habet domus ad domum, vel monasterium ad monasterium, ita se habet civitas ad civitatem: sed, licet aliqua nota sint in una domo, vel monasterio, non licet, ea propalare in alio, ubi adhuc occulta sunt: ergo etiam non licet talia propalare in alia civitate. Resp. neg. ma. Ut observat Lugo de just. disp. 14. sec. 6. n. 83. communiter, quæ tantum in domo, seu familia nota sunt, non sunt simpliciter publica: nec domesticis conceditur eadem libertas, loquendi cum externis, de rebus domi gestis, quæ conceditur civibus cum omnibus promiscuè loquendi, etiam cum advenis, & peregrinis, de rebus gestis in urbe. Nec Religiosis est concessa libertas loquendi de omnibus gestis in monasterio cum sæcularibus, etiam intra claustra venientibus.

Sicut enim senatores non possunt liberè loqui, de auditis in senatu, etsi ea tantum ex diversis domibus audiverint; quia ratione peculiaris obligationis secreti, ea non censentur publica: ita ratione unionis in eadem domo, etiam intra illam gesta, non censentur publica: censentur autem absolute publica ea, quæ publicè gesta sunt in civitate, & hoc ex consensu omnium. An autem publica in uno monasterio, possint scribi in aliud, vide apud Molinam tom. 5. de justit. tr. 4. disp. 33. n. 7. ubi id admittit, si illa monasteria ita inter se communent, ut Religiosi soleant de uno in aliud mitti, & res nota sit notorietate juris, seu sententiæ; tunc enim faciunt omnia illa monasteria quasi unam rempublicam, in ordine ad finem spirituales: non verò, si res non ita nota sit, sed tantum de facto multò minus, si monasteria non ita communent. Addit tamen, & verissime, timoratos, & magis pios religiosos, id non facere. Idem habet La Croix l. 3. p. 2. n. 1221. ubi insuper citat Rebellum.

773. Ob 4. Si ea, quæ publica sunt in uno loco, possunt publicari in alio, etiam, quæ publica sunt uno tempore, poterunt publicari alio tempore: consequens est falsum: ergo & id, unde sequitur. prob. mi. in primis hoc licitum esse negatur à Molina, Lugone, Illung, Inninger, & alijs authoribus communiter: & ratio est; quia, quando infamia ob decursum temporis fuit oblitterata, & crimen oblivioni datum, non licet rursus illud manifestare; nam, ut Lugo de just. disp. 14. sec. 6. n. 85. ait, per oblivionem res deducta est in eum statum, in quo fuerat, antequam publicaretur, adeòque iterum induit



naturam rei occultæ, quam manifestare non licet: ergo. Resp. neg. ma. quæ debuisset probari; nam minor non negatur. Disparitas autem inter publicum in aliquo loco, & publicum aliquo tempore, debet dari ex ratione Lugonis modò addita: scilicet de cursus temporis, quo res omnino oblivioni traditur, facit, ut res omnino iterum fiat simpliciter occulta: ac distantia loci non facit rem simpliciter occultam; quia verè est publica: sed ad summum facit rem occultam secundum quid: quod non impedit, quo minus publicari possit, ut probatum est n. 754.

774. Ob 5. contra 2. conclusionem n. 761. positam. Ordo charitatis exigit, ut bonum proprium præferatur bono alterius: ergo saltem non tenetur quis restituere famam, quando eam non potest restituere sine propria æquali, vel etiam aliquanto majore, infamia. Confirm. 1. Justitia tantum exigit æqualitatem: atqui, si restituo famam alteri cum mea infamia, non datur æqualitas; quia ille habet integram famam, ego verò læsam: ergo. Confirm. 2. Posset dici, saltem sufficere laudare infamatum in alio genere, & famam augere in alia specie; sic enim jam daretur compensatio: ergo. Resp. dist. ant. exigit ordo charitatis, præferre bonum proprium, nisi bonum aliquod sit debitum proximo. conc. ant. secus, neg. ant. & conf. Hac ratione nullum etiam damnum fortunæ deberet compensari; quia semper restituens debet præferre bonum alterius bono proprio.

Ad 1. confirm. dist. ant. justitia exigit æqualitatem inter lædentem, & læsum, neg. ant. inter jus læsum, & ejus compensationem. conc. ant. & neg. conf. aliàs nullus pauper deberet ditiori ullam restitutionem facere. Quando igitur jus læsum reparari aliter non potest, quam cum meo damno, debeo hoc adscribere meæ malitiæ, qua injustè læsi. Ad 2. confirm. neg. ant. quia non sufficit restituere aliquid in alio genere, vel specie, si res ablata, vel læsa, ipsamet restitui potest; non enim cogendus est proximus, ad vendendam, vel permutandam quasi unam famam pro alia. Sic etiam, si fur potest adhuc restituere equum, non licet pro eo dare pecunias. Accedit, quòd sæpius laus non sit tam utilis, quam noxia fuit detractio.

775. Ob. 6. Ex nostris principiis sequeretur, quòd, si quis alicui graviter detraxerit, & per dimidium annum distulerit redintegrationem famæ, postea non tantum teneatur restituere famam, ita, ut revocet dicta, sed etiam, ut compenset, quocunque tandem modo, infamiam illam, quam alter passus est per dimidium annum: hoc autem, ut ait Molina tom. 5. de just. tr. 4. disp. 42. est contra communem doctorum sententiam, & communem Ecclesiæ usum, ac praxin; nam confessarii non imponunt ullam restitutionem pro eo tempore infamiae toleratæ: ergo. ant. prob. aliàs enim non habe-

tur indemnis proximus; quia damnum etiam famæ passus est per totum illud tempus.

Resp. neg. ma. & ratio negandi est ipsa hæc communissima praxis. Dein, ut habet Lugo de just. disp. 15. sec. 2. n. 20. tempus infamiae præteritæ, in se ipso, vel in proprio genere, non potest reparari, & pecuniis, vel aliis bonis diversi ordinis reparari non debet, ut dictum n. 761. vel etiam si aliquando posset compensari laudibus, in alio genere datis, & bonum utique sit, ita læsum laudare, tamen non videtur ad hoc obligare justitia; quia, ut idem auctor dicit, ipsa recantatio detractiois restituit in æstimatione morali etiam famam priorem; nam infamatus, post agnitum ab audientibus errorem, eodem modo se habet apud illos, ac si semper cum bona fama fuisset, & bona existimatio, nunc reddita, quasi retrahitur ad totum tempus præteritum, ita, ut auditores judicent, se toto tempore fuisse saltem opinatos: adeoque deleatur etiam moraliter opinio præterita. Hæc de præciso damno infamiae; si enim læsus interim ob detractioem damnum passus esset in aliis bonis, e. g. ob multam, innocenti impositam, debuisset expendere pecunias, vel fuisset privatus officio, ac salario &c. non est dubium, debere etiam pro his restitutionem fieri.

776. Ob. 7. Si debet restitui fama, sequitur, quòd quis detractioem non tantum debeat retractare coram immediatis auditoribus suis, sed etiam coram mediatis, seu coram iis, quibus priores crimen, per detractioem patefactum, narraverunt: hoc est durum: ergo. Resp. 1. Lessius de just. l. 2. c. 11. dub. 20. n. 111. ait, distinguendum esse: si detractor sub secreto dixit crimen iis, à quibus non credebatur illud evulgandum, ait, non teneri; quia revelatio ulterior est per accidens: si autem adverterit probabile periculum ulterioris divulgationis, judicat, eum teneri; eoquòd verè sit causa etiam hujus læsionis famæ. Hæc responsio teste Lugone de just. disp. 15. sec. 2. n. 15. est etiam satis communis. Ipse tamen Lugo putat, praxin confessariorum, & poenitentium, esse contrariam, & ex ea haberi, quòd sufficiat, si detractio apud immediatos auditores revocetur, etiam si res non sub secreto narrata sit; quia supposito, quòd quis recantavit sua dicta coram immediatis auditoribus, hi ipsi tenentur, ulterius dicta coram ijs suis auditoribus revocare, quibus crimen evulgarunt, ut ait etiam Inninger de injuriis q. 4. a. 6.

Imò ait Lugo n. 16. primus detractor hac ipsa sua recantatione implicite auditoribus suis committit, ut detractioem revocent, & dum isti commissionem non rejiciunt, eam acceptant; maxime, cum detractor primus ordinariè non noverit, vel omnino nesciat personas, quibus alii evulgarunt. Si autem primo detractori constaret, vel non velle, famam læso apud mediatos auditores restituere, teneretur ipse id facere, quan-

quantum posset; cum verè sit causa etiam illius damni.

777. Ob. 8. contra 3. conclusionem n. 762. statutam. Damnum fortunæ, ex detractioe secutum, est tantum per accidens ortum, & præter intentionem detractantis: ergo non debet compensari. Confirm. Si crimen est verum, & aliquis punitur, causa poenæ est ipsum crimen, manifestatio autem est tantum conditio applicans causam: ergo talis non est causa damni. Resp. neg. ant. nam ad hoc, ut quis verè sit causa damni, non debet illud intendere, modò illud damnum per se sequatur ex actione ejus, & ipse id prævidet, vel prævidere debeat, ut patet in infinitis alijs; tunc enim ei jam moraliter imputatur; adeoque in tali casu damnum non est fortuitum. Ad confir. Etiam, qui applicat ignem ad domum, non eam comburit; hoc enim facit ignis: ergo nec iste tenebitur ad restitutionem, in forma neg. ant. illi enim, qui scienter applicat causam effectus, moraliter imputatur effectus, & in sensu moraliter ipse est causa illius; sic enim etiam mandans tantum applicat causam physicam, & tamen juxta omnes est causa actionis: quæ, si obligationem restitutionis post se trahat, vel maxime mandans obligatur.

778. Ob. 9. contra 5. conclusionem n. 766. positam. Corruptela naturæ humanæ, & multitudo peccantium, sunt sufficiens fundamentum a priori, judicandi de alterius peccato: ergo nunquam datur judicium temerarium, consequenter conclusio nostra est inutilis. Confirm. Regula 8. juris in 6. dicitur: *Semel malus semper præsumitur esse malus*: sed prima malitia non est sufficiens fundamentum asserendi secundam: ergo licet etiam sine fundamento secunda vice judicare, proximum esse malum. Resp. dist. ant. corruptela &c. sunt fundamentum sufficiens judicandi de alterius peccato possibili, seu quòd possit peccare. conc. ant. de actuali peccato, seu quòd actu peccet. neg. ant. & conf. potest enim homo, utique etiam in hoc statu naturæ corruptæ, per gratiam Divinam liberè à peccato abstinere.

Ad confir. Regula illa, ut videri potest in glossa, multas patitur limitationes, nec locum habet universaliter, sed tantum in certis circumstantijs, in quibus aliquando unum delictum, non emendatum, potest esse fundamentum judicandi, quòd secutum sit aliud novum, in forma, dist. mi. prima malitia non est semper, & universaliter tale fundamentum. conc. mi. non est in certis circumstantijs, in quibus valet ea regula. neg. mi. & conf. Fortè etiam potest dici, semel malum tantum negativè præsumi sæpius malum, hoc est, non præsumi bonum, sed suspendi judicium.


779. Ob. 10. contra 6. conclusionem, n. 767. statutam. Sæpius aliquis longè levius ferret magnam jacturam pecuniæ, quam suspicionem tantum de aliquo gravi pecca-

to: ergo etiam suspicio est mortale peccatum. Confir. Dubia ex S. Thoma 2. 2. q. 60. a. 4. in corp. sunt interpretanda in meliorem partem: ergo nunquam licet dubitare de alterius innocentia. Resp. neg. conf. Inprimis hoc ordinariè non fit. 2. non fit semper rationabiliter, sed ultra meritum injuriæ. 3. fortè quis dives facilius ferret etiam magnam pecuniæ jacturam, quam suspicionem, etiam tantum de levi re, quin propterea etiam suspicio de re levi sit mortale peccatum. 4. non colligenda est levitas, vel gravitas alicujus rei, ex comparatione cum rebus alterius ordinis; nam etiam, in hoc ipso genere, vel ordine famæ, debet dari aliquid leve; aliàs suspicio ex toto genere esset gravis; quod est falsum.

Ad confir. dist. ant. dubia sunt interpretanda in meliorem partem, semper positivè, neg. ant. negativè, seu suspendendo assensum, vel ea non accipiendo positivè in deteriorem partem. subdist. si non habeatur ratio prudens dubitandi. conc. si habeatur talis ratio. neg. ant. & conf. Quamvis autem non habeatur semper ratio, omnino sufficiens ad prudentem suspicionem, non sequitur, suspicando statim peccari mortaliter; potest enim sibi intra limites venialis peccati, vide Illung tr. 4. disp. 3. n. 123. ubi etiam docet, per accidens posse contingere, ut dubia positivè debeant accipi in meliorem partem, si scilicet dubitatio de alterius bonitate, vel tentatio potius contra illam, aliter compesci non possit.

780. Ob. ultimò. S. Augustinus. tr. 90. in Joan. circa medium ait: *Suspiciones intelligere* (alij cum glossa longè melius legunt *vitare*; nam prior vox facit sensum oppidò difficilem) *non possumus; quia homines sumus.* & paulò post: *Profectò, si erratur suspicione, in hominibus venialis est humana tentatio: quæ verba adducit glossa in 1. Cor. 4. & ex hac S. Thoma 2. 2. q. 60. a. 3. in corp. atque ex his verbis infert idem Angelicus, suspensionem esse tantum veniale peccatum, ajens: Est veniale, & leve peccatum: ergo nulla suspicio est mortale peccatum. Resp. dist. conf. ordinariè nulla suspicio est mortale peccatum. conc. conf. nulla omnino, etiam in raro casu. neg. conf. SS. Augustinus, & Thomas (ut advertit Illung tr. 4. disp. 3. n. 122.) loquuntur, ut alij SS. Patres sæpissimè, de communiter, & regulariter contingentibus.*

Hæc de jure, & justitia, atque de ijs quæstionibus, quas in hoc tractatu Theologi scholasticè examinare solent, sufficiant; plura, ad Theologiam potius morale, vel jurisprudentiam spectantia, facillè suppeditabunt auctores obvijs; unde finio, revocando in memoriam illud monitum. S. Tobia c. 13. v. 8. *Facite justitiam coram DEO, credentes, quòd facies vobiscum misericordiam suam.*



INDEX.

Disputationum, Quæstionum, & Articulorum.

In Tractatu de Jure & Justitia.

DISPUTATIO I.

De Jure, & Justitia in genere. 2

QUÆSTIO I.

De Jure.

- Art. I. Quid sit jus, & quotuplex. 3
 Art. II. Solvuntur Objectiones. 9
 Art. III. Unde proveniat jus proprietatis. 26

QUÆSTIO II.

De Justitia.

- Art. I. Quid, & quotuplex sit justitia. 41
 Art. II. Solvuntur Objectiones. 52
 Art. III. Quodnam Objectum, & quam alia predicata habeat justitia. 65
 Art. IV. Solvuntur Objectiones. 72

DISPUTATIO II.

De Dominio, 82

QUÆSTIO I.

De Dominio Proprietatis in genere.

- Art. I. Quid, & quotuplex sit dominium proprietatis. 83
 Art. II. Solvuntur Objectiones. 94
 Art. III. An sit possibile dominium duorum in solidum 106
 Art. IV. Solvuntur Objectiones. 112

QUÆSTIO II.

De quibusdam Dominijs in specie.

- Art. I. Quale dominium habeant Clerici saculares. 123
 Art. II. Probationes secundæ conclusionis. 136
 Art. III. Statuitur tertia conclusio. 142
 Art. IV. Solvuntur Objectiones. 148
 Art. V. Solvitur Objectio ultima. 165
 Art. VI. Quale dominium habeant Religiosi. 171
 Art. VII. Solvuntur Objectiones. 176
 Art. VIII. Quale dominium competat conjugibus, & servis. 183
 Art. IX. Quale dominium competat filijsfamilias. 191

QUÆSTIO III.

De Objecto Dominijs.

- Art. I. Quinam, & quarum rerum dominium habeant. 198
 Art. II. Solvuntur Objectiones. 208
 Art. III. An homo juxta allegata, & probata nocens, at juxta privatam scientiam judicis innocens, possit condemnari. 218
 Art. IV. An quis possit occidere injustum aggressorem. 237
 Art. V. Solvuntur Objectiones. 245

QUÆSTIO IV.

De Prima Rerum Divisione.

- Art. I. Quomodo, aut quo jure facta sit prima rerum divisio. 253
 Art. II. Solvuntur Objectiones. 257

DISPUTATIO III.

De Modis Acquirendi Dominium. 260

QUÆSTIO I.

De Modis Acquirendi Dominium Naturalibus.

- Art. I. Explicantur modi naturales. 261
 Art. II. Quid sit venatio, & quod ejus objectum. 272
 Art. III. An, & quomodo venatio sit prohibita. 276
 Art. IV. Solvuntur Objectiones. 288
 Art. V. Quid sentiendum de thesauris inventis. 303
 Art. VI. Quid sentiendum de alijs rebus inventis. 319
 Art. VII. Solvuntur Objectiones. 328

QUÆSTIO II.

De Modo Acquirendi Dominium per prescriptionem.

- Art. I. Quid juris tribuat Prescriptio, vel Usucapio. 337
 Art. II. Solvuntur Objectiones. 342
 Art. III. Quomodo bona fides requiratur ad prescriptionem. 355
 Art.

Num.

- Art. IV. Expediuntur reliqua de bona, & mala fide. 373
 Art. V. Solvuntur Objectiones. 382
 Art. VI. Solvuntur reliqua Objectiones. 395
 Art. VII. Qualis requiratur possessio ad prescriptionem. 407
 Art. VIII. Qualis requiratur titulus ad prescriptionem. 412
 Art. IX. Quæ res præscribi possunt. 423
 Art. X. Quantum tempus requiratur ad prescriptionem. 433
 Art. XI. Quando prescriptio dormiat, vel interrumpatur. 441
 Art. XII. Quid sit, & quibus concedatur restitutio in integrum. 451

QUÆSTIO III.

De alijs Modis Civilibus acquirendi Dominium.

- Art. I. Quid juris tribuat contractus circa rem turpem. 453
 Art. II. Solvuntur Objectiones. 460
 Art. III. Quomodo obliget promissio pure liberalis acceptata. 473
 Art. IV. Solvuntur Objectiones. 481

DISPUTATIO IV.

De Restitutione. 487

QUÆSTIO I.

De Obligatione Restitutionis in genere.

- Art. I. Quid sit injuria, & an possit fieri volenti. 488
 Art. II. Quomodo præcepta, aut necessaria ad salutem, sit restitutio. 499
 Art. III. Solvuntur Objectiones. 505
 Art. IV. Quanam sint radices restitutionis. 513
 Art. V. Solvuntur Objectiones. 518
 Art. VI. An quævis intentio prava inducat obligationem restituendi. 530

QUÆSTIO II.

De Obligatione Restituendi ex Re Accepta.

- Art. I. Quanam quantitas rei aliena accepta sit gravis. 542
 Art. II. Solvuntur Objectiones. 554
 Art. III. Quid sit tenendum de furtis minutis. 562
 Art. IV. Solvuntur Objectiones. 570
 Art. V. Quid tenendum de furtis domesticorum. 575



Num.

- Art. VI. An occulta compensatio sit furtum. 579
 Art. VII. Quid teneatur restituere bona fidei possessor. 588
 Art. VIII. Quos fructus teneatur restituere bona fidei possessor. 593
 Art. IX. Solvuntur Objectiones. 606
 Art. X. Solvuntur reliqua Objectiones. 611

QUÆSTIO III.

De Obligatione Restituendi ex Injusta Acceptatione.

- Art. I. Quid debeat restituere possessor mala fidei. 627
 Art. II. Solvuntur Objectiones. 635
 Art. III. An, qui rem emit à fure, possit eam eidem restituere ad recuperandum suum pretium. 646
 Art. IV. Solvuntur Objectiones. 654
 Art. V. Ad quid teneatur possessor dubia fidei. 667
 Art. VI. Quales expensas possit deducere bona, & mala fidei possessor. 674
 Art. VII. An oriatur obligatio restituendi ex culpa mere juridica. 685
 Art. VIII. Solvuntur Objectiones. 693
 Art. IX. An, & qualis oriatur obligatio restituendi ex culpa Theologica veniali. 701
 Art. X. Solvuntur Objectiones. 708

QUÆSTIO IV.

De Obligatione Restituendi ob Læsionem Corporis.

- Art. I. Quanam facienda sit restitutio ob homicidium, vel mutilationem. 725
 Art. II. Solvuntur Objectiones. 735
 Art. III. Solvuntur reliqua Objectiones. 741

QUÆSTIO V.

De Obligatione Restituendi ob Læsionem Fame, vel Honoris.

- Art. I. Quid sit detractio, vel contumelia, & quale peccatum. 750
 Art. II. Qualis restitutio debeat pro detractio, vel contumelia. 761
 Art. III. Quid sit judicium, vel suspicio temeraria, & quale peccatum. 765
 Art. IV. Solvuntur Objectiones contra præcedentes sex conclusiones. 769

†††

(S) (S)

TRACTATUS
THEOLOGICUS.

In Tertiam Partem
DIVI THOMÆ AQUINATIS.
DE INCARNATIONE.



Angelicus Doctor considerationi virtutum, ac vitiorum, quam secundam parte absolvit, subjungit in tertia parte tractationem de Christo, à quo omnium virtutum exempla præstantissima, & omnium vitiorum remedia efficacissima, nobis obveniunt. Tria autem in hac parte profequitur. 1. agit de Christo Salvatore, & SS. Incarnationis ejusdem mysterio. 2. de sacramentis, 3. de fine animæ immortalis, seu statu ejusdem post mortem. Noster modo de primo est labor, seu de Christo Redemptore, atque de ejusdem SS. Incarnatione tractatus: cujus objectum attributionis est Verbum incarnatum; hoc enim primariò consideratur à nobis, & in ordine ad istud etiam alia attinguntur, de qua re vide dicta *tr. de virt. Theol. n. 32.* De reliquis autem, quæ ulterius S. Doctor tertia parte tradere pergit, vel in alijs tractatibus agemus, vel alijs doctoribus exponenda relinquemus. Dicemus autem in hoc tractatu, de essentia, & existentia incarnationis, ejusque causis: inde de intellectu creato, itémque voluntate creata Christi Domini, sive de ejus scientia, libertate, & gratia. Scire ista vel maxime decet sacerdotes, utpote Christi ministros, ne, dum in sermonibus ad populum de Capite suo loqui volunt, sæpe turpiter hallucinentur.

DISPUTATIO I.

De Essentia, & Existentia Incarnationis.

2. **V**ox *Incarnatio* per synecdochen accipitur, seu, ut intelligatur ex parte totum; neque enim tantum carnem hominis, sed & animam, totamque hominis naturam, Christus assumpsit: attamen juxta modum loquendi Scripturarum, per modò dictum.

R.P. Ant. Mayr Theol. Tom. II

tropum sæpe *caro* pro toto hominè accipitur. Sic dicitur *Gen. 6. v. 12. Omnis quippe caro corruerat viam suam.* & *Luce 3. v. 6. Videbit omnis caro salutare DEI.* Eodem autem in sensu dicitur *Joh. 1. v. 14. Et Verbum caro factum est.* Potius autem hoc mysterium à carne, quam ab anima, denominatur; quia, ut advertit Gormaz *de incarnat. n. 1.* caro patentius significat exinanitionem Filij DEI, de qua Paulus *ad Philippens. 2. v. 7. Semetipsum exinanivit formam servi accipiens:* itémque infirmitatem humanam, quam assumere dignatus est DEUS.

Vocatur hoc mysterium etiam *adventus, descensus, missio, & æconomia Verbi:* sed, ut habet Valentia *tom. 4. disp. 1. g. 1. punct. 1.* magis usitatum est vocabulum *incarnatio:* quod si hæreticis ut minus Latinum displicet, non displicuit SS. Patribus, Latinae linguæ optimè gnaris, ut S. Augustino *l. 10. de civit. c. 24. & 29.* & alijs à Valentia *ibidem* citatis: sed & omnibus nationibus, ac linguis usitatum est, sæpe novis rebus nova nomina imponere. Nec refert, quòd hæc vox in Scripturis non reperitur; utriusque enim licuit Ecclesiæ, ad rem pro varietate temporum melius explicandam, novam etiam, & necdum in Scripturis expressam vocem adhibere; certè id jam fecerunt antiquissimi Patres, quibus assurgere debent novelli hæretici.

QUÆSTIO I.

De Essentia, & Possibilitate Incarnationis.

ARTICULUS I.

An sit possibilis Incarnatio, vel an sit contraria lumini naturæ.

3. **Q**uæstio hæc institui potest vel de incarnatione universaliter, seu metaphysicè accepta: vel particulariter, aut potius individualiter, & physicè sumpta. Primo modo accepta incarnatione tantum significat, DEUM (præscindendo, an sit trinus in personis, an

tantum unum) esse unitum humanæ naturæ: at verò incarnatio in secundo sensu, seu individualiter sumpta, sive prout Catholici credimus, eam contigisse, significat, secundam Personam Deitatis assumpsisse naturam humanam, quin eam assumpserit prima, vel tertia Persona: atque adeò involvit totum mysterium SS. Trinitatis; sic enim loquitur Concilium Toletanum XI. in confessione fidei. *De his tribus Personis solam Filij Personam pro liberatione humani generis hominem verum sine peccato, de sancta, & immaculata Maria Virgine, credimus assumpsisse, de qua novo ordine, novaque nativitate est genitus.* Unde incarnatio rectè definitur *Divina natura cum humana in eadem hypostasi, seu personalitate conjunctio: seu unio hypostatica Verbi Divini cum natura humana.*

4. Dico. Mysterium incarnationis possibile est, & nullatenus contrarium lumini naturæ: ita Catholici omnes. Et quidem possibilitas ista efficaciter probatur ex fide, ex qua, ut infra videbimus, habetur, Christum esse ipsum Verbum incarnatum, seu DEUM, & hominem, adeoque incarnationem actu existere, & consequenter possibilem esse. Quanquam autem, ut infra dicemus, naturali lumine hæc possibilitas cognosci non possit, tamen non ideo est lumini naturali contraria: sicut nec eidem contrarium est mysterium SS. Trinitatis, quod eodem modo incognoscibile est; nam lumini naturali (quod est participatio sapientiæ Divinæ) nihil verum potest esse contrarium; aliàs enim participatio esset difformis illi, quod participatur.

Confirm. Vel incarnatio Verbi esset contra lumen naturæ, aut rationis ut sic: vel esset contra lumen naturæ, aut rationis ut limitatum: neutrum potest dici: ergo. prob. mi. non est contra lumen rationis ut sic; nam etiam lumen Divinum est aliquod lumen rationis, & huic incarnatio contraria non est: non est contra lumen rationis ut limitatum; quia incarnatio non est contra, sed supra hoc lumen; limitatio enim intellectus creati facit, ut non possit hoc lumen se extendere ad mysteria Divina, quæ longè sunt supra ejus captum: imò ipsum lumen naturæ docet, DEUM esse ens, quod creatura capere nunquam possit.

5. Ob. 1. Si Verbum uniretur humanitati, deberet mutari: sed Verbum, utpote DEUS, mutari non potest: ergo. prob. maj. Verbum unicum se haberet intrinsicè aliter, atque haberet novam denominationem intrinsicam; esset enim homo, quod prius non erat: ergo mutaretur. Confirm. 1. Verbum transiret à privatione unionis ad habitum: hoc est mutari: ergo. Confirm. 2. Humanitas Christi saltem esset in statu violento; quia careret propria subsistentia: hoc videtur absurdum: ergo.

Resp. In hoc utique stat difficultas hujus mysterij universaliter sumpti, quæ excedit quidem captum humanum, non tamen est contraria lumini rationis; unde

neg. maj. ad prob. dist. antec. Verbum haberet se aliter intrinsicè, & haberet novam intrinsicam denominationem, ita, ut melioraretur, vel deterioraretur. neg. antec. ita, ut hoc non fieret. conc. ant. & neg. conseq. Ad 1. confirm. neg. maj. privatio enim est negatio formæ in subiecto capaci: Verbum autem non est subiectum capax formæ; quia omnis forma reddit subiectum, vel melius, vel deterius; unde Verbum etiam non est capax privationis.

6. Unio autem hypostatica non est intrinsicè per modum formæ, Verbo tanquam subiecto; cum Verbum non possit esse subiectum; hoc enim significat aliquid perfectibile. Neque tamen etiam potest dici unio illa extrinsecè Verbo; cum Christus verè sit physicè homo, & DEUS, atque Verbum, non tantum moraliter affectivè, seu extrinsecè, sed physicè intrinsicè, seu unionem physicè intrinsicam sit unitum humanitati: attamen ita, ut hæc unio Verbum, nec melius, nec deterius reddat, adeoque istud non mutet. Et hic modus essendi intrinsicè est specialis huic mysterio ob ipsam infinitam DEI perfectionem; hinc quamvis in creatis finis unionis physicæ sit, ut se mutuo extrema perficiant, vel unum saltem alterum, tanquam subiectum, hic tamen non est finis unicus, & essentialis unionis physicæ ut sic: sed finis hujus est totum complexum extremorum unitum, vel totum compositum inde resultans.

Ad 2. confirm. neg. ma. Humanitas Christi non est in statu violento; nam utique defectus subsistentiæ propriæ plusquam sufficienter compensatur Personalitate Divina: sic non patiuntur violentiam Beati in cælo, etsi careant beatitudine naturali; cum habeant supernaturalem. Quamvis autem Verbum non supplet defectum subsistentiæ humanæ creatæ, faciendo formaliter id, quod faceret subsistentia humana creata, sufficientissimè tamen eum defectum supplet, faciendo id eminenter, seu conferendo aliquid melius.

7. Ob. 2. Si DEUS in tempore de novo aliquid cognosceret, vel vellet, mutaretur: ergo etiam mutatur, si de novo ipsi aliquid uniatur. Confirm. Hæc unio Verbo affert novam perfectionem, scilicet posse mereri, & condignè satisfacere: ergo per eam Verbum perficitur, adeoque mutatur. Resp. neg. conseq. Ut dixi *tr. de DEO a n. 521. 2.* Actus DEI contingentes sunt adequatè ipsi intrinsicè, & identificati, adeoque, si DEUS de novo aliquid cognosceret, de novo actus ei identificaretur: qua ratione utique mutaretur. Qui admittunt complementum extrinsecum, negant, DEUM aliquid de novo intrinsicè recipere: quo posito clarum est, eum nunquam mutari.

Ad confir. Vel argumentum loquitur de DEO ut incarnato, hoc est, de Christo: & nego suppositum; quia Christus potest novam perfectionem recipere, non in natura Divina, sed in humana: vel loquitur de DEO, seu Divinitate præcisivè, aut seorsim

spektata: & neg. ant. nam neque post unionem potest ipsa Divinitas mereri, vel satisfacere: sed tantum se ipsam communicando tribuit actionibus creatis eam dignitatem, & vim infinitam merendi, & satisfaciendi: hanc autem dignitatem, aut vim, jam habuit antecedenter ad unionem: applicatio autem, ut ita loquar, dignitatis (sicut in unione; de quo infra) non est perfectio adveniens DEO: sed est perfectio adveniens actionibus, vel humanitati Christi.

8. Ob. 3. DEUS, vel Verbum, deberet esse pars Christi: item Verbum deberet esse forma, respectu humanitatis tanquam subiecti: sed hæc sunt imperfectiones: ergo. Confirm. 1. DEUS deberet moveri motu humanitate; quia motu uno, movetur etiam alterum unitum, e. g. anima movetur motu corpore: sed hoc iterum est imperfectum: ergo. Confirm. 2. Deberet saltem unio DEUM unire, modò in hoc, modò in alio loco: hoc non videtur admittendum: ergo.

Resp. neg. ma. Verbum non esset pars; quia per hanc intelligitur aliquid perfectibile à comparte, & aliquid minus composito: quæ DEO non conveniunt; unde à Theologis Verbum vocatur *terminus intrinsicè*, & non pars. Pariter Verbum non est forma strictè in sensu philosophorum (nam in aliquo sensu latiore est forma juxta Apostolum *ad Philipp. 2. v. 6. Qui, cum in forma DEI esset*) per formam enim strictè dictam intelligunt philosophi partem perfectibilem, & complebilem: imò forma substantialis est constitutivum naturæ, cujus est forma: quod etiam non convenit Verbo respectu humanitatis. Sed neque Verbum est causa materialis; quia unio ex ipso non educitur.

9. Ad 1. confir. neg. ma. Ratio addita esset vera, nisi jam alterum unitum esset in loco, quo per motum deferretur prius, sicut tamen DEUS ratione immensitatis jam est ubique. Sic neque debet unum unitum esse ubique, ubi est alterum; nec enim debet ubique esse humanitas Christi, ubi est Verbum: sicut non debet ubique esse pes, ubi est anima ipsi unita. Ad 2. confir. quomodo unio unit animam, & corpus, modò in hoc, modò in alio loco? in forma. neg. mi. Nec est paritas cum cognitione, quæ non potest, modò hoc, modò illud representare; nam cognitio essentialiter respicit obiectum: non autem unio locum. Quodsi velis dicere, unionem hypostaticam debere, modò unire hanc virtualitatem immensitatis DEI, correspondentem loco A, & postea aliam, correspondentem loco B, negatur suppositum, seu negatur, dari tales virtualitates, sive quasi partes immensitatis, virtualiter distinctas.

10. Ob. 4. Uniri est pati, seu perfici: ergo repugnat DEO. Confirm. 1. DEO nihil potest addi: ergo nec uniri. Confirm. 2. DEUS non potest uniri supposito creato: ergo nec naturæ creatæ. Confirm. 3. DEUS, & homo, infinite distant, adeoque non datur inter eos proportio: sed inter unibilia

debet dari proportio: ergo. Confr. 4. Forma hirci, & forma cervi, magis inter se conveniunt, quam DEUS, & homo, & tamen non possunt invicem uniri: ergo minus possunt uniri homo, & DEUS: prob. ant. aliàs daretur hircocervus, qui juxta omnes est Chimera: ergo.

Resp. dist. ant. uniri ut sic est perfici. neg. antec. uniri recipiendo unionem tanquam ejus subiectum, saltem informationis. conc. ant. & neg. conseq. non enim DEUS recipit in se unionem tanquam ejus subiectum. Ad 1. confirm. dist. iterum ant. DEO nihil potest addi, quod in ipso tanquam in subiecto recipiatur, vel quo ipse perficiatur, aut deterioretur. conc. ant. nihil profus potest addi, etiamsi per illud non perficiatur &c. neg. ant. & conseq. Ad 2. confirm. neg. conseq. Suppositum, præter naturam, vel dicit negationem unionis cum ente perfectiori: & est evidens, quod hæc negatio in nostro casu non possit dari, consequenter neque suppositum uniri DEO: vel suppositum dicit modum quandam essentialiter exclusivum unionis cum alio: & iterum est clarum, non posse, stante eo modo, humanitatem Verbo uniri: nihil horum datur in unione cum sola natura. Sed de hoc pluribus infra.

11. Ad 3. confirm. disting. ma. DEUS, & homo distant infinite entitative. conc. ma. in ordine ad unionem. neg. ma. & dist. mi. debet inter unibilia dari proportio entitativa, seu in essentia. neg. min. in ordine ad unionem. conc. mi. & neg. conseq. Debet tantum dari aliqua proportio obediencialis, ut humanitati non repugnet, elevari ad subsistentiam Divinam, itemque, ut humanitas sit perfectibilis, & Verbum perfectivum. Ad 4. confir. neg. 2. p. ant. ad prob. disting. ant. daretur hircocervus, in eo sensu, in quo censetur implicare. neg. ant. in alio sensu. conc. ant. & neg. conseq. Non repugnat, in una materia mediata inter se uniri formam hirci, & formam cervi; quia non repugnat, eandem materiam supernaturaliter informari duabus formis substantialibus, ut suppono ex philosophia: quo casu duæ ex bestia videntur convenire in unum tertium suppositum: & tunc fortè etiam dabitur inter eas communicatio idiomatum, & hircus poterit dici cervus, & vicissim cervus dici hircus: nisi fors quis contendat, communicationem idiomatum non dari, nisi inter duas naturas completas, in eodem supposito: quod tamen fors gratis diceretur, nam certè propter duas formas accidentales in eodem supposito dicitur: *Hoc album est dulce.* Sed quidquid de hoc sit, de quo iterum a. 131. & 182. censetur tantum implicare hircocervus per identitatem talis, ita, ut forma hirci identificetur formæ cervi: & sic etiam non possunt per incarnationem Divinitas, & humanitas inter se identificari.

ARTICULUS II.

An Incarnatio sit naturaliter cognoscibilis.

12. **D**ico 1. Mysterium incarnationis metaphysicè sumptum, non potest ab intellectu creato, solis viribus naturæ relicto, demonstrari, imò nec positivè probari possibile. ita ferme omnes Theologi apud Gormaz. *de incarn. n. 6.* Prob. conclusio in primis pluribus textibus Scripturæ: sic ad *Ephes. 3. v. 9.* vocatur *œconomia incarnationis dispensatio sacramenti absconditi à sæculis in DEO, & ad Coloss. 1. v. 26.* dicitur *mysterium, quod absconditum fuit à sæculis, & generationibus.* Adde SS. Patres, ex quibus S. Ambrosius in *1. Cor. 2. c. 6.* (vel quisquis est auctor illorum commentariorum) ait: *Abscondita est ergo DEI sapientia, dum non in verbis, sed in virtute est, non humana ratione possibilis, sed spiritus efficacii credibilis: & Concilium Toletanum XI. in confessione fidei: Qui partus Virginis, nec ratione colligitur, nec exemplo monstratur. Quod si ratione colligitur, non erit mirabile: si exemplo, non erit singulare.* Plura vide apud Lugonem *de incarnat. disp. 1. sec. 1. n. 1.*

Prob. concl. 2. ratione. Intellectus creatus non invenit in toto ordine naturæ, rationes evidentes, aut positivè probabiles, ex quibus possit inferre, ens infinitum, & simpliciter perfectissimum, posse absque intrinseca sui mutatione, uniri intrinsecè, & physicè, enti finito in unitatem personæ: sed hoc requiritur ad mysterium incarnationis metaphysicè sumptum: ergo. ma. prob. omnia, quæ intellectus naturaliter cognoscit uniri, videt semper mutari, hoc est, perfici, vel deteriorari: imò intellectus, sine captivitate sui, vix potest assentiri, quòd physicè unita non mutò perficiantur: ergo.

13. Dixi: *demonstrari, vel positivè probari*; nam, ut Gormaz *de incarnat. n. 10.* & Cardinalis de Lugo *de incarnat. disp. 1. sect. 1. n. 8.* tradunt, potuit intellectus creatus de possibilitate hujus mysterii, metaphysicè sumpti, naturaliter habere aliquam suspicionem; potuit enim cognoscere, DEUM esse simpliciter infinitè perfectum, imperfectibilem, & immutabilem: itemque plura posse facere, quàm creatura possit capere, juxta illud S. Augustini *ep. 3. ad Volusianum ante medium: Demus, DEUM aliquid posse, quòd nos fateamur investigare non posse.* Ex primo possit inferre, vel saltem suspicari, quòd DEUS, licet uniretur alteri, tamen non esset perficiendus: ex altero possit inferre, aut saltem suspicari, quòd DEUS possit producere talem unionem, quam nos capere non possumus: quæ sufficerent ad suspicionem de possibilitate hujus mysterii habendam, quamvis forte eam nemo habuisset. Non tamen ideo potuisset intellectus creatus absolutè inferre, ne probabiliter quidem, eam unionem esse possibilem.

14. Confirmo intellectus humanus cognoscit DEUM, & humanitatem, Angelicus intellectus cognoscit etiam substantiam Divinam, & creatam: item, si substantia crea-

ta est tantum aliquid negativum, cognoscit, eam aliud non esse, quàm negationem unionis cum ente perfectiori: si autem substantia ista est aliquid positivum, cognoscit ista unionem substantiæ cum natura: adeoque potest intellectus creatus, saltem Angelicus, suspicari, an non substantia Divina possit uniri naturæ creatæ (cum natura creatæ ratione sui non evidenter excludat unionem cum altero perfectiore) & sic illam negationem unionis tollere; vel, si substantia creatæ sit aliquid positivum, potest suspicari, aut dubitare, an non substantia Divina possit supplere munus substantiæ creatæ: quòd idem est, ac Personam Divinam uniri humanitati.

Itaque intellectus creatus habet de hoc mysterio species sufficientes ad suspicandum; unde paritas hic institui non potest cum aliis, de quibus, cum intellectus creatus nullas omnino species habeat, suspicari nullatenus potest. Addit Gormaz *de incarnat. n. 12.* posse evidenter negativè demonstrari possibilitatem hujus mysterii: per quòd tamen aliud non intelligit, quàm posse monstrari, quòd hoc mysterium non sit evidenter impossibile, sed possit rationibus in contrarium aliqualis solutio reponi, vi cujus ostendatur, eas non esse evidentes. Et hoc utique potest naturaliter intellectus creatus ostendere ex iis, quibus probavimus *n. 4.* quòd mysterium hoc non sit contra lumen rationis, item ex solutione objectionum data *n. 5.*

15. Dico 2. Incarnationem physicè, seu individualiter sumptam, non potest intellectus creatus naturaliter, & sine sui captivitate, etiam tantum suspicari possibilem. ita Gormaz *de incarn. n. 4.* & Cardinalis de Lugo *de incarnat. disp. 1. sec. 1. n. 5.* ubi docet, mysterium ita acceptum, naturaliter nullo modo esse cognoscibile. Prob. conclusio. Incarnatio in hoc sensu accepta, includit mysterium SS. Trinitatis, ut explicatum est *n. 3.* sed hoc intellectus creatus, naturaliter, seu viribus suis relicto, nequit suspicari possibile: ergo. prob. mi. in primis intellectus creatus ex rebus creatis tantum agnoscit DEUM ut unum, non verò ut trinum, nec datur ei ulla, ansa suspicandi, eum simul esse trinum: dein principium illud: *Quæcumque sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se:* intellectum viribus suis relicto, ita obruit, ut nec suspicionem de opposito concipere possit, prout experientia satis docet: & certè nemini, nisi fide nostra instructo, vel intellectum captivanti, incidit suspicio in oppositum: ergo.

16. Dixi: *sine sui captivitate*; nam, si quis velit naturaliter captivare suum intellectum, in gratiam alicujus alterius creaturæ, assentiri, hoc mysterium physicè sumptum esse possibile, & sic naturaliter talis creaturæ dicto fidem adhibere, non video, cur id facere nequeat; sicut enim quis possit, naturaliter assentiri falso, e. g. rusticus credendo quaternitatem in DEO; quia hoc parochus dicit, quo casu naturaliter captivaret intellectum in gratiam parochi: ita non

ARTICULUS III.

Solvuntur Objectiones.

non videtur, cur non possit aliquis etiam credere, vel, quòd adhuc minus est, suspicari, captivando naturaliter intellectum suum, in obsequium alicujus creaturæ dicentis, hoc mysterium, metaphysicè, vel physicè sumptum, esse possibile.

17. Dico 3. Non potest intellectus creatus, solis viribus naturæ relicto, sine facta revelatione, certò cognoscere mysterium incarnationis jam factum, saltem prout defecto contigit. ita Theologi communiter contra Scotum. Conclusio probatur iisdem argumentis, quibus probatur; Angelos non posse naturaliter cognoscere supernaturalia, qua de re egi *tract. de Angelis n. 70.* Scilicet mysterium hoc est omnino supernaturale quoad substantiam: ergo transcendit omnem ordinem naturæ: ergo etiam ejus intelligibilitas passiva, eidem identificata, transcendit eundem ordinem naturæ, seu naturalem intellectivitatem. Confr. 1. Principium illud: *Quæcumque sunt eadem uni tertio &c.* vehementissimè resistit omnibus rationibus naturalibus: & intellectui, naturæ viribus relicto, videtur, quòd etiam se extendat ad DEUM: ergo impedit assensum naturalem eorum de hoc mysterio.

18. Dixi: *sine revelatione*; nam si quis assentiat revelationi per actum naturalem, non formaliter, sed tantum adhaerè, & extrinsecè certum (de quo egimus *in tract. de virt. Theol. n. 509.* & quali aliquando assentiuntur hæretici, qui non eliciunt actum supernaturalem fidei Theologicæ) potest mysterium incarnationis certò cognoscere: & sic hoc cognoscunt hæretici: plures etiam sic explicant illud *fac. 2. v. 19.* *Et demones credunt, & contremiscunt:* ajuntque, demones cum tremore credere mysterium incarnationis; eoque recordentur revelationis sibi factæ in celo, de Christo venturo: quam ipsis factam plures Theologi docent, qui in hoc peccatum Angelorum constituant, quòd exituro Homini DEO, aut humanitati suo tempore uniendæ Verbo (quæ unio olim futura ipsis revelata fuerat) noluerint se submittere.

Docent itaque isti auctores, quòd, cum demones hujus revelationis recordarentur, scirentque, se propter illam suam superbam inobedientiam esse damnatos, postea etiam viderent miracula Christi, habuerint saltem sub mortem Christi cognitionem adhaerè certam de ejus Divinitate, & consequenter de hoc mysterio. Hæc tamen certitudo orta non est ex motivis purè naturalibus, sed ex fundamento supernaturali, naturaliter aliquo modo cognito. Miracula autem sola, licet admittatur, ea potuisse causare in creaturis, e. g. Angelis, cognitionem probabilem de Divinitate Christi, non tamen potuerunt causare cognitionem certam; cum miracula illa omnia potuisset purus homo facere, per specialem DEI assistentiam, ut Christus Dominus ipsemet docet *Joan. 14. v. 12.* *Qui credit in me, opera, qua ego facio, & ipse faciet, & majora horum faciet.*

19. **O**B. 1. contra 1. conclus. Evidens est, DEUM omnia posse, in quibus non ostenditur evidens implicancia: sed non ostenditur evidens implicancia in incarnatione Verbi: ergo. Confirm. 1. Evidens est, DEUM aliquid posse, quòd creatura capere non potest: ergo etiam evidens est, eum posse producere unionem hypostaticam. Confirm. 2. Potest naturaliter argumentis contrarijs reddi solutio positiva: sed hæc est saltem argumentum probabile: ergo naturaliter probari potest possibilitas incarnationis. Confirm. 3. Naturam humanam esse separabilem à negatione unionis cum ente perfectiori, est prædicatum identificatum, naturæ: ergo naturaliter cognoscitur ab Angelo, eam naturam comprehendente: ergo ab hoc naturaliter cognoscitur, posse eandem naturam uniri enti perfectiori, adeoque etiam DEO: ergo naturaliter cognoscitur, mysterium hoc esse possibile.

Resp. neg. ma. licet enim non possit ostendi in aliqua re implicancia evidenter, modò ea ostendatur probabiliter, jam non est evidens, DEUM posse illam producere. Quodsi apparetur sit magna implicancia (qualis est in nostro casu, in quo, attenta sola ratione naturali, DEUS, apparetur saltem, deberet mutari, & non mutari) tunc, neque est positivè probabile, DEUM eam rem posse producere. Quin imò principium illud: *Non implicat: ergo est possibile:* si in hoc sensu sumatur: *Non apparet implicancia: ergo non datur: vix tantum valet, ut ex eo possit inferri iudicium probabile:* sed, omisso etiam, quòd plus valeat, tamen nil valet in nostro casu, in quo datur magna implicancia apparsens.

Ad 1. confirm. conc. ant. neg. conf. Etiam DEUS non posset producere unionem hypostaticam, tamen adhuc multa posset producere supra captum creaturæ; cum enim Angelo etiam perfectissimo, ad summum debeatur cognitio omnium naturalium in hoc universo, non autem cognitio omnium, quæ in alijs universis possibilibus DEUS operari posset: adhuc in ordine naturæ, saltem in alijs universis, DEUS multa posset producere supra captum cujusunque creaturæ, etiam si poneretur, non posse producere incarnationem.

20. Ad 2. confirm. dist. ma. potest argumentis contrarijs reddi solutio positiva, hoc est, quæ positivè probat, assumi in argumento falsum. neg. ma. potest reddi tantum aliquo modo solutio positiva, seu tantum talis, quæ præcisè sufficiat, ad negandam evidentiam contrariorum argumentorum. conc. ma. & dist. sic mi. neg. conf. Nec dicas, illis argumentis dari solutionem, quæ positivè probat, DEUM non mutandum per unionem, & consequenter probat assumi

falsum; nam retorquetur argumentum; eodem enim modo probaretur, DEUM non mutari, etsi de novo aliquid cognosceret; quia DEUS nec per actum vitalem perfici de novo potest.

Ubi probatur quidem ex una ratione naturali, DEUM non mutari: sed simul ex alia apparenter probatur, eum mutari. Scilicet ratione infinitæ perfectionis non mutaretur DEUS, & ratione unionis intrinsecæ receptæ mutaretur, ut saltem videtur intellectui solis viribus naturalibus relicto. Insuper rationibus naturalibus non probatur positivè, falsum esse, quod omne unitum perficiatur, & mutetur; quia, si hoc probaretur, probaretur ex eo, quod DEUS immutabilis possit uniri: hoc ipsum autem probari nequit ratione naturali: ergo. Non tamen propterea excluditur etiam suspicio de possibilitate incarnationis; cum enim contradictoria ista non eviderent sequantur, manet locus suspicioni de opposito.

Ad 2. confirm. In primis æquè est prædicatum identificatum naturæ, esse separabilem ab omni subsistentia creata, modali positiva: ergo patroni illius sententiæ hoc non possunt nobis objicere. dein dist. ant. naturam esse separabilem est prædicatum identificatum naturæ, respiciens tamen terminum, vel actionem, aut effectum supernaturalem. conc. aut. respiciens terminum, actionem, aut effectum naturalem. neg. ant. & omnes consequentias. Non omnia talia prædicata, identificata naturæ, debet cognoscere etiam cognitio comprehensiva; quia hæc cognitio tantum debet cognoscere naturam, seu objectum, quantum cognoscibile est in ordine ad terminos, vel actiones, aut effectus naturales; unde cognitio comprehensiva non debet cognoscere potentiam obedientialem objecti ad, nescio quos, effectus supernaturales, sicut nec potentiam inveniendi inadæquatè in visione beatificam &c.

21. Ob. 2. contra id, quod dicunt Lugo, & Gormaz, citati n. 13. nempe posse saltem haberi suspensionem de isto mysterio. Mysterium hoc in Scripturis vocatur novum, & novissimum: ergo neque potest de eo dari suspicio. Confirm. 1. Sunt aliqua DEO possibilia, quæ homo nec potest suspicari: ergo etiam tale est hoc mysterium; quia istud videtur præ alijs difficile captu. Confirm. 2. S. Ambrosius, & Patres Concilij Toletani citati n. 12. dicunt, hoc mysterium non posse ratione humana colligi possibile: ergo. Resp. conc. ant. neg. consequ. Ille modus loquendi Scripturarum ad summum excludit suspensionem actualem, quæ non adstruitur ab his auctoribus: non autem excludit suspensionem tantum possibilem, quæ sola asseritur. 2. respondetur, novum, & novissimum vocari hoc mysterium, physice, vel individualiter sumptum, de quo neque suspensionem possibilem esse facile admittitur. Ad 1. confir. neg. conf. Illa possibilitas debent esse talia, ut creatura nullas habeat de ijs species: de hoc mysterio au-

tem creatura habet aliquas species. vide dicta n. 14. Ad 2. confirm. neg. conf. Sermo illis Patribus ibi est de assensu positivo probabili: non verò de suspensione tantum.

22. Ob. 3. contra 3. conclus. Luc. 4. v. 41. de Christo dicitur: *Increpans demonia non sinebat ea loqui; quia sciebant ipsum esse Christum*: ergo demones sciebant, Verbum esse incarnatum: non super naturaliter; quia actus supernaturalis capaces non sunt damnati: ergo naturaliter. Confir. Sibyllæ; quæ fuerunt gentiles, sciverunt hoc mysterium, ut patet ex eorum libris: sed non sciverunt id supernaturaliter: ergo naturaliter. Resp. 1. dist. consequ. hoc est, demones habuerunt veram scientiam de incarnatione. neg. conf. factum, se habere scientiam; cum tantum habuerint suspensionem, vel aliqualem probabilitatem, quæ aliquando, late loquendo in communi usu, etiam vocatur aliqua scientia, id est, notitia. conc. consequ. si enim omnino certi fuissent demones de incarnatione jam posita, accedens demon tentator non dixisset Christo Matth. 4. v. 3. *Si filius DEI es, dic, ut lapides isti panes fiant*.

Hæc explicatio traditur à Gonetio cum pluribus Thomistis, & à Bernal cum pluribus nostris, apud Gormaz de incarnat. n. 53. estque conformis S. Ignatio Antiocheno ep. ad Philippenf. ubi demonem alloquens ait: *Ignoras tu, quis sit ingenuus, qui omnium rerum scientiam tibi vendidit? Amultra te latuerunt, Maria virginitas, & admirandus ille partus*. Eandem explicationem amplectitur S. Thomas 3. p. q. 41. a. 1. ad 1. citatque etiam S. Ambrosium: & sanè iste l. 4. in c. 4. Luc. ubi agitur de tentatione Christi, à diabolo facta, ait: *Sed quid sibi vult talis sermonis exorsus: si filius DEI es: nisi quia cognoverat, DEI filium esse venturum, sed venisse per hanc infirmitatem corporis, non putabat*. Certè diabolus tunc nondum videtur certò scivisse, hunc hominem esse simul DEUM.

Responderi potest 2. eam scientiam à demone non habitam fuisse, tantum ex ratione naturali, sed etiam ex revelatione juxta dicta n. 18. Responderi potest 3. eam scientiam fortè fuisse philosophicè supernaturalem, de qua numero sequenti. Ad confir. neg. mi. SS. Patres communiùs volunt, quòd eas sacras notitias Sibyllæ haulerint ex revelatione Divina, eæque fuerint veræ prophetiæ gentilium. Potest fors etiam dici, eas hausisse suam scientiam ex lectione Sacrarum Scripturarum, prophetarum &c. nam etiam gentiles legisse Sacram Scripturam, quæ illis temporibus extrabat, innegabile est: & S. Augustinus l. 10. de civitate c. 29. scribit, se audivisse à S. Simpliciano, Platonicum quemdam philosophicè dixisse, initium Evangelij S. Joannis (utique à se lectum) esse *auris literis conscribendum*: & per omnes Ecclesias in locis eminentissimis proponendum.

23. Ob. 4. Judæi, damnati ob negatam

Christi

Christo fidem, cognoscunt modò in inferno naturaliter existentiam incarnationis; quia cognoscunt, se justè fuisse damnatos, adeoque Christum, dum se asseruit Filium DEI, vera dixisse: ergo potest naturaliter cognosci mysterium hoc jam factum. Confirm. Angelus naturaliter cognoscit falsitatem actus Judæi negantis Christum: ergo infert certò, incarnationem dari. Resp. 1. antec. posse in dubium vocari; dici enim posset, actum illum, non quidem Theologicè, sed tamen philosophicè esse supernaturalem, hoc est, connexum cum ente superno; quia status damnationis non excludit ens philosophicè supernaturale, ut patet in igne, qui philosophicè supernaturaliter cruciat spiritus damnatos.

Imò character, tum baptisni, tum ordinis, cum sit indelebilis, manet in damnatis, & tamen est Theologicè supernaturalis, seu, non tantum est quomodocumque connexum cum ente superno, sed etiam per se ordinatus ad vitam æternam, licet in damnatis impediatur, quo minùs eam attingat. Ex quo deducitur, quòd quidem in statu damnationis, inordinabilis ab beatitudine, non possit incipere ens Theologicè supernaturale, possit tamen in eo statu perseverare, si non sit principium elicictivum actus supernaturalis: quale principium non est character: at tamen sunt habitus virtutum per se infusi, qui propterea etiam ob defectum finis sui in inferno cessant.

24. Ref. 2. dist. ant. Judæi illi cognoscunt incarnationem per actum certum certitudine formali. neg. ant. per actum certum certitudine adhæsiva. subdist. & hoc ex rationibus purè naturalibus. neg. ant. simul ex revelatione. conc. ant. & neg. consequ. Judæi damnati non ex solo peccato, tanquam ex ratione purè naturali, cognoscunt existentiam incarnationis; quia potuissent peccare ratione conscientia erronea, etiam casu quo non fuisset incarnatio: sed, ut incarnationem cognoscant, debet etiam supponi præcessisse revelatio de Christo, quæ est supernaturalis, eo ipso, quòd habuerit connexionem cum Christo, tanquam composito supernaturali: & hæc revelatio debuit ipsis applicata fuisse per miracula. Ad confir. neg. ant. cum enim ille actus sit falsus, ex respectu ad terminum supernaturalem, quem Angelus naturaliter non cognoscit, etiam non cognoscit naturaliter falsitatem ipsius actus.

25. Ob. 5. Angelus naturaliter cognoscit, humanitatem Christi carere subsistentia propriâ: ergo infert, quòd habeat subsistentiam Divinam. Confirm. Angelus, quia naturaliter cognoscit exigentiam animæ ad unionem, etiam cognoscit naturaliter, possibilem esse resurrectionem: ergo etiam, quia cognoscit exigentiam humanitatis ad subsistentiam, cognoscit naturaliter possibilem esse incarnationem. Resp. neg. ant. Si subsistentia ster in negatione, hanc Angelus in se ipsa videre non potest; nec naturaliter in alio; quia etiam unionem hypostaticam

naturaliter videre non potest. Si autem subsistentia sit aliquid positivum, tunc Angelus non scit, an desit, an verò tantum occulterur; cum enim utrumque DEUS facere possit, & in utroque debeat miraculosè agere, nescit Angelus, quid DEO præplacuerit facere. Aliud foret, si unus casus esset naturalis, alter miraculosus; tunc enim per se credibilis foret, DEUM naturaliter agere.

Insuper, cum difficultates ob immutabilitatem DEI, itémque ob principium: *Quæcunque sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se*: valde pugnant contra existentiam incarnationis, forsitan Angelus, puræ naturæ relictus, faciliùs opinaretur, subsistentiam tunc esse occultatam. Ad confir. om. ant. neg. conf. Equidem communiùs negant, quòd anima exigat secunda vice uniri: & sanè censetur miraculum primæ classis resuscitatio mortui. Si autem omnino probes, resurrectionem esse naturalem, Angelus quidem eam agnosceret: sed tamen neg. consequ. quia unio hypostatica non est naturalis. Adde difficultates, apparenter oppositum suadentes, & habebis sufficientem disparitatem.

26. Ob. 6. Angelus naturaliter cognoscit, DEUM posse acquirere condignam satisfactionem pro offensâ mortali: ergo cognoscit, possibile esse hoc mysterium; quia pura creatura condignam satisfactionem præstare non potest. Confirm. 1. Angelus cognoscit libertatem DEI in actu secundo: hæc saltem in sententia auctorum admittentium, actus DEI contingentes adæquatè identificari cum DEO, non est minus mysterium, quam incarnatio: ergo. Confirm. 2. Angelus potuit facta revelatione ex miraculis inferre incarnationem: ergo idem potuit antecederet ad revelationem ex miraculis solis. prob. conf. alias miracula haberent majorem vim suadendi post revelationem, quam ante: hoc non est verum: ergo. Resp. neg. ant. Naturaliter non agnoscitur, ad gubernatorem optimum requiri, ut possit habere condignam satisfactionem pro omni offensâ: sed tantum, ut offensâ nulla ipsi noceat, & ipse possit, ex qualibet elicere bonum, licet illud bonum esset minus, quam offensâ fuerit malum.

27. Et quanquam S. Augustinus dicat, DEUM non permissurum mala, nisi ex eis eliceret bona, tamen non videtur velle dicere, quòd eliceret semper majora bona: minora autem potuisset DEUS habere, independentes ab incarnatione. Sic SS. Patres complures dicunt, DEUM prudenter permisisse tyrannos, & eorum sævitiam, ut haberet martyres, quanquam martyrium non sit tantum bonum, quantum malum est sævitia tyrannorum. Ad 1. confirm. dist. ma. Angelus cognoscit libertatem DEI, quoad an est. conc. ma. quoad quomodo est. neg. ma. & om. mi. neg. conf. sic etiam Angelus naturaliter quidem cognoscit DEUM quoad an est, seu quòd existat: non verò quoad quomodo est, seu, an tantum sit unus

nus, an simul trinus. Ad 2. confirm. neg. conf. ad prob. neg. ma. non enim propterea miracula haberent majorem vim, sed tantum haberent vim magis determinatam, ad hoc potius, quam illud probandum; ex se enim, independenter à revelatione, miracula erant indifferentia, ut provenirent à DEO homine, vel à puro homine, ut dictum n. 18. nec incarnationem præ alio fidei articulo determinatè significabant.

QUESTIO II.

De Convenientia, & Necessitate Incarnationis.

ARTICULUS I.

An *Mysterium Incarnationis fuerit conveniens DEO, & Creaturis.*

28. **D**ico 1. *Mysterium hoc fuit conveniens DEO, ita cum S. Thoma 3. p. q. 1. a. 1. in corp. omnes.* Non autem debet intelligi conclusio, quasi diceretur, esse DEO conveniens, ita, ut DEO afferat utilitatem intrinsecam (hujus enim capax non est summum bonum) sed tantum utilitatem aliquam extrinsecam; unde debet conclusio intelligi de convenientia decentiæ, seu, quod juxta dictamen rationis DEUM decuerit hoc mysterium, vel ei honorificum fuerit: non quidem ita, ut oppositum eum positivè dedecet, sed ut ob incarnationem, & speciales per eam manifestatas perfectiones, peculiaris ei laus debeat.

Prob. jam conclusio. Illud est conveniens DEO, quod ejus perfectiones manifestat: atqui hoc facit istud mysterium: ergo. ma. est clara; quia id DEO est gloriosum. mi. patet; quia ex hoc mysterio elucet ejus bonitas in communicatione sui ad extra: misericordia erga hominem lapsum: item justitia in danda satisfactione condigna pro offensa gravi Divina: omnipotentia in producendo opere, omnem captum creaturam excedente: sapientia in inveniendi remedio, tam apto ad redemptionem generis humani &c. quas perfectiones fusè alii explicant.

29. Dico 2. *Mysterium hoc fuit conveniens etiam naturæ humanæ assumptæ, ita iterum omnes.* Probatur. Incarnatio attulit humanæ naturæ assumptæ summam gloriam, summam utilitatem, & delectabilitatem; fuit enim natura humana in aliquo individuo per incarnationem elevata super omnes Angelos ad dextram DEI, & recepit dona gloriæ, ac gratiæ maxima: reliquis etiam humanæ naturæ individuis attulit incarnatione summam honestatem, ob conjunctionem, quam habent in natura cum humanitate, Christi: insuper attulit summam utilitatem, ob allatum remedium peccati, & satisfactionem condignam pro eodem, ac omnia reliqua bona, quæ Christus innumera attulit generi humano. Quando autem

S. Thomas 3. p. q. 1. a. 1. ad 2. ait, incarnationem non fuisse convenientem carni humanæ, secundum conditionem suæ naturæ, intelligit, tantum, (ut manifestè patet ex ejus verbis) non fuisse connaturalem, seu juxta ipsius exigentiam, sed supra eam: in quo sensu omnes cum S. Doctore facile admittunt, incarnationem homini non fuisse convenientem.

30. Dico 3. Incarnatio fuit etiam conveniens toti universo. ita rursus omnes. Prob. Homo habet quandam quasi cognitionem cum omnibus creaturis; sic enim ait S. Gregorius homil. 29. in *Evang. Omnis autem creatura aliquid habet homo; habet namque commune esse cum lapidibus, vivere cum arboribus, sentire cum animalibus, & intelligere cum Angelis:* ergo ex homine assumpto, tanquam cognato, redundat aliqua dignitas in reliquis creaturas: præter complura alia bona, quæ à Christo proveniunt creaturis rationalibus, & irrationalibus. Arriaga quidem tom. 6. de *incarn. disp. 1. sec. 4. n. 54.* putat, eandem cognitionem cum omnibus creaturis etiam habere Angelum: sed certè major est cognitio hominis cum entibus materialibus. Verum, quidquid de hoc sit, ex eo, quod conveniens quoque fuisset toti universo, si DEUS assumpsisset naturam Angelicam, non sequitur, non fuisse conveniens, quod assumpserit naturam humanam.

Tandem, ut ait Gormaz de *incarnat. n. 69.* ex meritis Christi minuuntur pœnæ dæmonibus, & damnatis: item ex hominibus pauciores damnantur: ex quo iterum sequitur aliqua pœnarum imminutio (nam ex desperata illa multitudine, & societate, nascitur major pœna) unde damnatis quoque fuit conveniens incarnatio. Et quamvis dæmon ex perversissima sua invidia mallet plus pati, modò plures damnarentur, & sic mysterium istud non sit conveniens huic inordinatissimo ejus appetitui, tamen convenientissimum est ejus voluntati, si rationaliter velit operari.

ARTICULUS II.

Solvuntur Objectiones.

31. **O**B. 1. contra 1. conclus. Per incarnationem Verbum fuisse conversum in carnem: sed hoc est inconveniens: ergo. prob. ma. Joann. 2. v. 9. ait Scriptura, *aquam vinum factam*, quando scilicet in nuptijs Canæ Galilææ aqua conversa est in vinum: ergo, si Verbum factum est caro, etiam conversum est in carnem. Resp. neg. ma. nam, quod convertitur in alterum, non manet: sic aqua in illis nuptijs non permanit aqua: Verbum autem semper manet, & quidem immutatum, etiam post incarnationem. ad prob. neg. conseq.

Vox *factus* est indifferens ad significandam conversionem, vel eam non significandam: & ex circumstantijs debet determinari.

minari: sic dicitur homo fieri sanus; quin convertatur in sanitatem: sic Gen. 2. v. 7. dicitur: *Factus est homo in animam viventem:* quin in hanc sit conversus. In nostro autem casu ea vox conversionem significare non potest; quia Verbum Divinum semper manet. Unde, quando S. Justinus Martyr. *apolog. 2. sub finem* dicit, quod sicut per *Verbum DEI factus est JESUS Christus*, ita per *preces sermonis panis*, & vinum, fiant caro, & sanguis Christi: tantum vult dicere, quod unum tam verè fiat, ac alterum: non verò, quod fiat eodem modo, seu per similem conversionem. Quod idem dicendum est, si aliorum Patrum dicta simile quid sonare videntur; nam est certa doctrina Ecclesiæ, & Patrum contra Eutychem, duas in Christo dari naturas.

32. Ob. 2. DEUS, gubernator mundi, factus esset infans, passibilis, mortalis: hæc DEUM dedecet: ergo non sunt convenientia. Resp. neg. mi. DEUS non ita factus est infans, ut perdidit infinitam suam sapientiam, qua mundum gubernat: neque ita constringebatur infantilibus membris, ut non tamen immanentia sua cœlum, & terram impleteret, de quo vide S. Augustinum *serm. 2. de epiph. qui est 30. de tempore*, ubi inter alia ait: *in præsepi jacebat, & magos ab oriente ducebat: abscondebatur in stabulo, & agnoscebat in calce.* Passibilitas autem, & mortalitas, non affecit naturam Divinam, sed tantum humanam, in qua passus est Christus: quod non affert indecentiam, sed monstrat infinitam misericordiam. Neque pati, & mori, est malum morale, seu dedecens: sed tantum est malum physicum, quod DEUS absolute potest velle, ut patet in pœnis damnatorum, quas utique DEUS vult infligi.

33. Ob. 3. Homo, & DEUS, minus sunt ad se invicem proportionati, quam caput humanum, & collum equinum: sed ista duo non possunt convenienter jungi: ergo nec DEUS, & homo. Confir. DEUS depressisset suam majestatem ad vilitatem conditionis humanæ: hoc autem eum non decet: ergo. Resp. neg. ma. Aliud est, quod DEUS, & homo, magis distant ab invicem, sicut etiam magis distant inter se spiritalis anima, & corpus materiale hominis, quam istud, & collum materiale equi: aliud est, quod minus apti sint se perficere. vide dicta n. 11. Ad confirm. neg. ma. nihil enim profus de sua majestate, nec ullam perfectionem perdidit DEUS. Occultavit quidem DEUS suam majestatem in carne, in qua factus est similis homini, ut dicit Apostolus ad *Philippens. 2. v. 7. Semetipsum exinanivit formam servi accipiens:* at hoc indecens non fuit: sed, ut ait idem Apostolus *1. Tim. 3. v. 16. Magnum est pietatis sacramentum.*

34. Ob. 4. DEUS assumpsisset naturam infectam peccato: hoc vel maximè dedecet: ergo. prob. ma. Gen. 6. v. 12. dicitur: *Omnis quippe caro corruperat viam suam super terram:* ergo omnis humana R.P. Ant. Mayr Theol. Tom. II

natura est lapsa. prob. etiam mi. non potest decenter infinita sanctitas conjugi peccato: dein DEUS non potest à se excludere naturam innocentem: ergo neque potest admittere lapsum. Resp. neg. ma. Natura individualis, quam assumpsit Christus, non fuit infecta peccato (quia non fuit ipse conceptus ex semine Adam, sed de Spiritu Sancto) imò nec natura individualis B. Virginis Immaculatæ, de qua alibi.

Ad prob. dist. conf. est lapsa natura humana omnis in sensu accommodo. conc. conf. omnis in sensu stricto. neg. conf. imò textus ille literaliter tantum loquitur de hominibus existentibus ante diluivium, qui peccato actuali infecti erant: nec de illis omnino omnibus; nam Noè ibi excipitur: unde minimè is textus attingit Christum Dominum, vel B. Virginem, tum nondum existentes. Quod attinet ad probationem minoris, si per naturam lapsum intelligatur natura individualiter lapsa, & actualiter adhuc in peccato existens, omitto iterum totum; nam alibi redibit hæc questio: si autem intelligatur tantum natura in specie lapsa. neg. conf. nam quod attinet ad 1. partem, non conjungeretur sanctitas cum peccato; hoc enim pro priori deleteretur: quod attinet ad 2. partem: si DEUS non potest à se excludere, vel à sua unione separare, naturam jam semel assumptam (quod pro hic, & nunc omitto) ratio est; quia videretur esse contrarium liberalitati DEI, spoliare innocentem donis jam concessis: & hoc videtur insinuare Apostolus ad *Rom. 11. v. 29.* dicens: *Sine penitentia enim sunt dona, & vocatio DEI.* At verò assumere naturam lapsum non est contrarium liberalitati DEI: sed est opus maximæ misericordiæ, & liberalitatis. Quod si per excludere à se intelligeretur, naturam excludere ab unione morali per visionem, id defecto non potest DEUS respectu naturæ innocentis; quia DEUS non potest, stantibus suis promissis, auferre innocentibus hereditatem, quod per gratiam acquisivit.

35. Ob. 5. Non est conveniens, dare idem justo, ac peccatori: sed hoc factum esset per hoc mysterium: ergo. Confir. Peccantibus non debebat favor, sed potius pœna: ergo non decebat DEUM, prestare ijs tantum beneficium. Resp. dist. ma. non est conveniens, idem dare justo, & peccatori, tanquam præmium, & compensationem meritum. conc. ma. tanquam purum beneficium bonitatis Divinæ. neg. ma. & om. mi. neg. conseq. Certè, nisi negemus omnino DEUM, admitti debet, plura beneficia Divina esse malis, & bonis communia: sic se habet ipsum beneficium creationis, & conservationis: sic sol omnibus lucet; quare etiam beneficium incarnationis potest esse commune.

Neque propterea injustitia committitur; quia hoc beneficium non datur in præmium malis: & justis præmiantur præterea vitæ æternæ. Neque DEO deest medium aliud, alliciendi homines ad bonum, &

absterrendi à malo; habet enim adhuc præmia, & supplicia infinita. Ubi tamen notandum, hoc beneficium longè plus fructus afferre bonis, seu electis, quam malis, seu reprobis; quia bonis plus gratiæ, & gloriæ, mediante incarnatione confertur, quam malis: quibus quidem confertur gratia sufficiens, sed non gloria, ob sua peccata; unde etiam idem beneficium diversis diverso modo confertur. Ad confirm. neg. 2. p. ant. Propriè non debetur pœna reo; non enim hic habet jus ad pœnam, sed tantum habet debitum eam sustinendi: iudex autem habet jus pœnam infligendi, quo tamen aliquando ex misericordia potest cedere; & loco pœnæ favorem facere. vide *tr. de just. n. 44.*

36. Ob. 6. Si daretur incarnatio, magis essemus obligati Filio Divino, quam Patri, aut Spiritui Sancto; hoc est absurdum: ergo. prob. ma. illi sumus magis obligati, qui plura beneficia nobis fecit: sed plura fecisset Filius: ergo. Hoc argumentum ex Granado, quem citat, affert Gormaz *de incarn. n. 70.* atque, esse debile. Resp. neg. ma. ad prob. neg. mi. Debet inprimis distingui ipsum beneficium, & ipse benefactor: beneficium præcisè materialiter sumpto, tanquam dono, & sub hac ratione, non sumus obligati; nemo enim est obligatus pecuniis, vel etiam mancipiis, si donata fuerit. Rursus beneficienti non sumus obligati, præcisè propter bonum collatum, sed propter benevolentiam voluntatem, ex qua beneficium fecit; si enim non ex bona voluntate bene fecisset; non propterea debereamus ei grates; sic quidam ab hoste inclusus carceri, liberatus est podagrâ: alius, funibus circa tempora crudeliter ligatus, liberatus est prioribus capitis doloribus: non tamen receperunt isti beneficia, quamvis receperint bona, scilicet, ex defectu bonæ voluntatis in conferentibus.

Unde ulterius sequitur, quod, ubi est eadem bona voluntas, ex qua donum oritur, oriatur etiam eadem obligatio gratias agendi: atqui in omnibus tribus SS. Personis est eadem voluntas Divina; quia tantum est una; ergo eadem est obligatio respectu omnium trium, nec uni sumus magis obligati, quam alteri, maxime, cum communis etiam omnibus tribus sit omnipotentia, quæ operata est incarnationem, seu beneficium produxit. Igitur, quod Verbum simul sit benefactor, & beneficium, seu donum datum, non affert ex hac præcisè ratione majorem obligationem. Tantum potest adhuc peti, an non saltem humanitati Christi aliquid debeamus, quæ liberimè pro nobis passa est, adeoque non tantum fuit beneficium, seu datum, sed etiam benefactor. Respondetur, non esse dubium, quod infinitas ei grates debeamus: ex quo tamen non sequitur, quod Christo ut DEO plus debeamus, quam Patri: sed ad summum aliquo modo Christo in complexo debeamus extensivè plus, quam Christo tantum ut DEO; quod absurdum non

est: sicut non est absurdum, si præter DEUM debeamus alteri Sancto, vel etiam homini adhuc in terris degenti, grates ob beneficium, quod DEUS per illum liberè cooperantem nobis contulit: quanquam hæc ipsa cooperatio denuò sit beneficium DEI, qui auctor est omnium bonorum.

37. Ob. 7. contra 2. & 3. conclus. Incarnatio quibusdam Judæis, & aliis hominibus, fuit in ruinam, juxta illam prophetiam Simeonis *Luc. 2. v. 34. Positus est hic in ruinam, & in resurrectionem multorum:* ergo non fuit ipsis conveniens. Confirm. Nihil boni faxis, & elementis provenit ex incarnatione: ergo non videtur, quomodo toti universo fuerit positivè conveniens. Resp. dist. ant. Incarnatio fuit quibusdam in ruinam per accidens, & ex malitia ipsorum. conc. ant. per se, & ex intentione DEI. neg. ant. & conf. Plurimi abutuntur alijs beneficijs Divinis, in bonum ipsorum collatis: non tamen propterea ista sunt illis disconvenientia: & sic nec fuit disconvenientis beneficium incarnationis, per quod DEUS, ut ait Paulus *1. Tim. 2. v. 4. Omnes homines vult salvos fieri.* Ad confir. dist. ant. nihil illis entibus provenit boni intrinseci. om. ant. boni extrinseci, quatenus natura, ipsis aliquo modo cognata, fuit exaltata. neg. ant. & conseq. Dixi, om. ant. quia Gormaz *de incarnatione n. 89.* ait, foret ea diutius conservari propter homines redemptos.

ARTICULUS III

An Incarnatio fuerit necessaria.

38. PRæmitto, quod alia sit necessitas antecedens, alia consequens. Illa est, quæ est independentens à libertate, vel libera voluntate ejus, qui necessitatur: sic captivus est antecederet necessitatus à catenis, ad remanendum in carcere: & quilibet homo ad aliquando moriendum. Altera est, quæ dependet à voluntate libera, & eam supponit: sic, qui liberè sibi pedem abscidit, est necessitatus ad claudicandum. Ultraque hæc necessitas subdividitur in *metaphysicam, physicam, & moralem.* Prima, seu *necessitas metaphysica* est, quæ neque supernaturaliter potest evitari, vel vinci. Altera, seu *necessitas physica* est, quæ saltem naturaliter non potest vinci. Tertia, sive *necessitas moralis* est, quæ naturaliter quidem potest vinci, sed tamen cum tanta difficultate, ut moraliter loquendo non sit vincenda.

In DEO necessitas, saltem metaphysica, & physica, sunt idem: imò meo judicio etiam moralis strictè dicta; quia, cum DEUS æquè facilè supernaturaliter, ac naturaliter agat, & quando potest agere, agat sine omni difficultate: sanè, quando res ab eo non potest fieri, vel omitti sine difficultate, vel non connaturaliter ejus viribus, seu omnipotentia, tunc omnino fieri, aut omitti non potest; adeoque nulla necessitas DEI strictè dicta.

An Incarnatio fuerit Necessaria.

dicta vinci potest. Sed neque DEUS potest ab alio agente superiore juvari (sicut tamen creatura, suis viribus impotens aliquid facere, vel aliquam necessitatem vincere, potest juvari ab agente superiore, nempe à DEO supernaturaliter agente; qua de causa potest tolli, seu vinci necessitas physica, aut moralis creaturæ) non enim datur agens superius respectu DEI.

Jam, dum quaeritur, an incarnatio sit necessaria, non instituitur quaestio de necessitate consequente; nam supposito decreto libero DEI de ponenda incarnatione, utique hæc necessaria est; DEI enim voluntas absoluta, nec mutabilis, nec impedibilis est: sed quaestio instituitur, an antecederet ad decretum suum liberum DEUS jam necessitatus fuerit ad ponendum istud mysterium.

39. Dico 1. DEUS antecederet ad liberum suum decretum non fuit absolutè necessitatus ad ponendam incarnationem: imò neque ex suppositione mundi producti. ita Theologi omnes: solus fortè Raymundus Lullus contrarium opinatus est, ut Vasquez *tom. 1. in 3. p. disp. 1. c. 2. n. 10.* refert, se ex ejus discipulis intellexisse. Prob. conclus. DEUS inprimis ad omnia opera ad extra est liber: & sicut potuit per totam æternitatem à parte post, esse sine omni creatura, se solo felicissimus: ergo non fuit absolutè necessitatus, ad ponendam unionem hypostaticam, seu incarnationem. Sed neque ex suppositione mundi creati fuit ad eam necessitatus; nam mundus naturalis non exigit ens supernaturalis: & potuisset utique DEUS omnes creaturas in statu puræ naturæ relinquere, ut est clarum ex damnatione plurium propositionum Michaelis Baii, quas vide *tr. de beatitudine n. 27.*

40. Dico 2. DEUS neque necessitatus fuit ex suppositione peccati originalis ad incarnationem. ita Theologi communissimè. Prob. Scripturæ, & Patres dicunt ubique, reparationem humani generis esse gratiam: ergo non fuit DEUS ad illam necessitatus. conseq. patet; quia, si fuisset DEUS ad eam necessitatus, illa non fuisset gratia, seu, quod idem est, non fuisset favor gratuitus, ac liber, aut non debitus: ergo. prob. ant. sic dicitur *Joan. 3. v. 16. Sic enim DEUS dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret.* & ad *Tit. 3. v. 5. Secundum suam misericordiam salvos nos fecit.*

Nec videntur sufficienter his textibus respondere ij, qui dicunt, gratiam DEI in eo stetit, quod DEUS, supposita prævisione peccati, tamen hominem creaverit, quamvis supposita creatione necessario incarnatus fuerit; nam planè textus hi videntur dicere, quod supposito jam mundo creato, tamen primum DEUS singulariter misericordiam, & charitatem ostenderit: & ita sentiunt communissimè Patres; nam hi in redemptione agnoscunt distinctam gratiam à creatione (qualis non foret juxta memoratam explicationem) expressè enim Patres

dicunt, DEUM non debuiffe hominem liberare à peccato: ergo non necessariò, sed gratuito facta est incarnatio, etiam supposito peccato. Confirm. Sicut DEUS noluit succurrere Angelis lapsis, ita potuisset etiam nolle succurrere hominibus: ergo etiam supposito peccato Adami, vel aliorum, potuisset nolle incarnationem.

41. Dico 3. Neque ex suppositione decreti reparandi hominem lapsum, DEUS fuit necessitatus ad incarnationem. ita SS. Patres, Athanasius, Eusebius Emisenus, Augustinus, Gregorius, Leo, Bernardus, & alii; unde Suarez. *tom. 1. in 3. p. disp. 4. sec. 2. §. Dico secundo.* ait, oppositum non posse dici sine temeritate, & incommodo fidei. Prob. S. Augustinus *de agone Christiano c. 11.* dicit: *Sunt autem stulti, qui dicunt non poterat aliter sapientia DEI homines liberare, nisi susciperet hominem.* S. Leo *serm. 2. de nativitate. Verax namque misericordia DEI, cum ad reparandum humanum genus ineffabiliter ei multa suppeterent, hanc potissimum consulenda viam elegit.* S. Athanasius *serm. 3. contr. Arian. longe ante finem: Poterat etiam sine ullo adventu Christi solummodo loqui DEUS, & solvere maledictionem.* Hugo de S. Victore *l. 1. de sacram. p. 8. c. 10. Veraciter profitemur, quod redemptionem generis humani etiam alio modo DEUS perficere potuisset, si voluisset.*

S. Thomas quoque *3. p. q. 1. a. 2. in corp.* ita habet: *DEUM incarnari non fuit necessarium ad reparationem humanae naturæ; DEUS enim per suam omnipotentem virtutem poterat humanam naturam multis aliis modis reparare.* Similia habent alii; unde etiam Apostolus *ad Hebr. 2. v. 10.* non dicit fuisse necessarium, sed convenientem, & decens, DEUM pati pro nobis: *Decebat enim eum, propter quem omnia, qui multos filios in gloriam adduxerat, auctorem salutis eorum per passionem consummare.*

Ratione autem probatur conclusio sic. Potuisset DEUS absque accepta satisfactione condigna, vel etiam congrua, remittere liberaliter offensam, vel per infusionem gratiæ, independentis à meritis Christi, quæ possibilis esset, vel etiam per condonationem purè extrinsecam, ut plures præsertim nostri, communis docent; nec enim in his videtur ulla assignabilis implicancia: ergo DEUS potuisset hominem reparare, seu à peccato liberare absque incarnatione.

42. Dico 4. DEUS neque moraliter, strictè loquendo, fuit necessitatus antecederet ad liberum suum decretum, ad ponendam incarnationem. ita Lugo, Arriaga, Gormaz, & alii. Prob. Moralis necessitas, propriè dicta, est, quæ sine difficultate vinci non potest, consequenter, ut ait Lugo *de incarnat. disp. 2. sec. 1. n. 14.* arguit debilitatem potentia, sententis difficultatem, circa aliquid physicè possibile: at quis, ut ait idem auctor, dicat, dari in DEO difficultatem circa aliquid physicè possibile?

ergo, cum negatio, vel omisio incarnationis, physicè possibilis sit, ut probatum est, potuit eam omissionem DEUS suo modo ponere, absque ulla difficultate: ergo non fuit moraliter necessitatus ad ponendam incarnationem.

Confir. Vel res sunt inter se metaphysicè connexæ, ita, ut posita una, metaphysicè debeat poni altera: & tunc, si DEUS unam velit, vult virtualiter etiam alteram: consequenter utraque est tantum necessaria necessitate consequenti: aut certè secunda non est tantum moraliter, sed metaphysicè etiam necessaria. Vel res sunt tantum physicè connexæ: & tunc DEUS tam facile potest per suam omnipotentiam separare unam ab altera, quam, si non forent connexæ; neque enim necessitas, se tenens ex parte creaturarum, debet transferri in DEUM; quamvis enim ignis necessitate physicè calidus sit, non tamen DEUS physicè necessitatur ad calorem ei relinquendum: sed facillimè eum illi eripit, ut contigit in igne Babylónico.

Hinc, quando dicitur, quod DEUS ut author naturæ, hoc, vel illud, non possit facere, significat idem, ac id non posse, si liberè velit, se accommodare exigentiis creaturarum: quæ est necessitas ex parte DEI tantum consequens. Quare, licet daretur (quod tamen est falsum) incarnationem esse physicè connexam cum reparatione hominis lapsi, nunquam tamen DEUS ad eam moraliter necessitaretur. Rursus, vel omisio rei est positivè dedecens DEUM: & positio illius est metaphysicè necessaria; quia metaphysicè necessarium est, DEUM non agere indecenter: vel omisio rei non est positivè dedecens: & non datur ulla, nec moralis necessitas.

43. Respondent adversarii, DEUM esse necessitatum moraliter ad optimum faciendum: incarnationem autem esse optimum: ergo, ita Granado, qui ex hoc principio infert, DEUM ita moraliter esse necessitatum ad incarnationem, ut, si eam non poneret, non foret DEUS. Sed hæc planè esset necessitas metaphysica; DEUS enim est metaphysicè necessitatus, ad non ponendum id, ex quo sequeretur ejus destructio. Dein, ut rectè Arriaga de incarnat. disp. 2. sec. 3. n. 48. si hoc ita se haberet, potuisset Adamus DEO dicere, quod salvando genus humanum DEUS magis causam propriam egisset, quam causam Adami, aut generis humani; quia de re graviori periclitabatur DEUS, quam Adam, vel genus humanum: quod planè est absurdum.

44. Sed neque absolutè verum est, DEUM absolutè necessitari ad optimum; vel enim per optimum intelligitur, quod DEO magis placet: & tunc, cum ea, quæ DEUS produxit, ei magis placuerint, in ordine ad finem ab eo intentum, quam alia possibilis non producta, illa fuerunt optima, adeoque DEUS ad ista producenda fuit necessitatus: quod est falsum; quis enim dicat, DEUM fuisse necessitatum, ad producendum quemlibet sca-

rabæum? Vel intelligitur, quod est optimum, ad finem à DEO intentum: & DEUS potuisset omittere ipsum finem, consequenter etiam medium, neque ad hoc fuit necessitatus. Vel intelligitur, quod est optimum positivè, seu entitativè melius, quam alia res: & DEUS necessitaretur ad plura possibilis, meliora rebus jam existentibus: imò probabilissimè ad Chimeram; nam est longè communior in philosophia sententia, quod creatura perfectissima sit impossibilis. Vel intelligitur optimum aliquod, indeterminatè, seu vagè acceptum: & in his datur progressus in infinitum, nec unquam potest dici, ad quid DEUS necessitetur, & in quo hæc ratio optimi stet: præterquam, quod nihil indeterminatum possit produci: ergo nullo modo DEUS necessitatur ad optimum.

Respondent 2. DEUM necessitari moraliter ad ponendum optimum; quia necessariò se amat, & debet sibi procurare majorem gloriam suam extrinsecam. Sed contra est. De ratione se amantis non est, procurare sibi gloriam, seu bonum extrinsecum, cum imminutione boni intrinseci majoris: atqui, si DEUS cum hac necessitate deberet sibi procurare suam gloriam, extrinsecam, id fieret cum imminutione intrinsecæ suæ libertatis, quæ est infinites melior, quam omne bonum extrinsecum, seu gloria extrinsecæ: ergo. Verbo: voluntas DEI est simpliciter indefectibilis, & summè independens à bono creato defectibili: ergo nec ab hujus amore, nec ab ulla ejus perfectione necessitatur: imò, cum bonum creatum sit in se finitum, non potest dici, quod ab eo necessariò moraliter trahatur DEUS infinitus.

ARTICULUS IV.

Solvuntur Objectiones.

45. **O**B. contra 1. conclus. S. Augustini l. 3. de lib. arbitrii. c. 5. sic dicit: *Quidquid enim tibi vera ratione melius occurrerit, scias, fecisse DEUM.* Idem S. Doctor. l. de quantitat. anima c. 33. post medium ait de justitia DEI: *Qua etiam factum est, ut non modo sint omnia, sed etiam sic sint, ut omnino melius esse non possint.* Rursus. l. 1. contra adversarium legis c. 14 ait: *Aut verò usque adeo desipiendum est, ut homo videat, melius aliquid fieri debuisse, & hoc DEUM vidisse non putet: aut putet, vidisse, & credat, facere voluisse: aut voluisse quidem, sed minime potuisse?* Avertat hoc DEUS à cordibus piorum: ergo DEUS necessariò facit optimum, adeoque incarnationem. Confir. Concilium Francofordiense m. 794. sub Hadriano I. in epist. ad Episc. Hispaniæ sub finem sic ait: *Credamus, cum DEUM omnia velle, quæ meliora sunt, & omnia posse, quæ vult:* ergo. Resp. dist. conf. DEUS necessariò fecit optimum, seu incarnationem, necessitate antecedenti. neg. consequ.

necessitate consequenti. conc. conf. Certè primus textus plus non probat: imò nullam prorsus probat necessitatem, præsertim, cum S. Doctor eodem capite præmittat: *Cujus perfectio largissima bonitas justissime laudaretur, etiamsi aliquo inferiore creatura gradu nos condidisset:* ergo juxta S. Augustinum potuisset nos DEUS entitativè imperfectiores creare.

Secundus textus S. Augustini ad summum probat, quod ea, quæ sunt, sint optima, in sensu explicando num. seq. non autem, quod necessitate antecedenti talia esse debuerint. Accedit, quod S. Doctor ibi probare velit, quod anima humana possit, adjuvante justitia DEI, pervenire, ad talem munditiam, ut non timeat mortem, quam prius timebat ex eo, quod fors à DEO tanquam polluta sit repellenda: ergo loquitur de justitia DEI, ut mundante, & perticiente animas humanas: & hinc de eadem justitia addit: *Cui se anima in opere tam difficili mundationis suæ adjuvandam, & perficiendam, piissime, tutissimeque committit:* quæ omnia apertè significant perfectionem, & meliorationem per gratiam, quæ à DEO liberrimè fit.

Tertius textus S. Augustini non est ad rem; quia ex eo, & præsertim ex voce *voluisse* tantum infertur, quod DEUS omnia, quæ fecit, liberè fecerit modo meliori: non autem infertur, quod aliqua debuerit facere. Ad confirm. neg. conf. Textus Concilii Francofordiense potius probat nostram conclusionem; nam ait, *DEUM velle:* ergo liberè vult, non ex necessitate antecedente; qua enim ratione probabitur, Concilium docuisse, DEUM necessariò velle? certè ex contextu id probari non potest, ut patet legenti. Plura, Patrum testimonia similia exhibet Lugo de incarnat. disp. 2. sec. 2. n. 34. ad quæ omnia respondetur, DEUM voluisse, & fecisse optimum, non materialiter, sed formaliter, de quo plura n. seq.

46. Hic etiam observo, adversarios, nec posse, nec velle dicere, DEUM esse necessitatum ad optimum materialiter, seu entitativè; (nam sic evidenter esset necessitatus ad condendum mundum multò meliorem, qui utique possibilis est) sed tantum dicere, DEUM esse necessitatum ad optimum formaliter, seu, quod hinc & nunc, in his circumstantiis, est convenientissimum. Hæc autem ratio optimi facillimè non stat in entitate ipsa rei, nec in ullo alio, quam in conformitate cum libera voluntate DEI; nam voluntas DEI est regula omnis honestatis; quin etiam lex (quæ est regula honestatis, seu moralitatis, ut dixi. tr. de act. hum. n. 176.) stat in voluntate DEI: & quidem sæpius in libera voluntate DEI, antecedenter ad quam res plurimæ sunt indifferentes, adeo, ut, si DEUS eas prohibeat, ut potest, sint inhonestæ: at verò, si eas præcipiat, vel suadeat, sint honestæ.

Quod confirmant Vasquez. tom. 1. in 3. p. disp. 1. c. 3. & Gormaz. de incarnat.

n. 103. ex illo Apostoli ad Rom. 9. v. 19. *Voluntati enim ejus DEI quis resistit?* nam, ajunt, ideo non dici potestati, sed voluntati, ut ostendatur, voluntatem DEI esse regulam moralitatis; nam potentia obstitit per aliam potentiam: voluntati autem, utpote rationali, resistitur ratione: cum ergo voluntati Divinæ nulla ratione resisti queat, infertur, eam semper esse conformissimam rationi, & honestati; imò rationem ei se conformare, adeoque ipsam esse regulam omnis honestatis. Unde, quod voluntati Divinæ est conforme, hic & nunc est optimum: & in hoc sensu utique DEUS semper necessariò facit optimum; verum non necessitate antecedenti, sed consequenti; ut manifestum est; quia non potest, ante liberam suam voluntatem facere, id, quod est conformeliberæ suæ voluntati.

47. Ob. 2. DEUS est perfectissimus artifex: ergo debet semper facere optimum, adeoque debet ponere incarnationem. Confir. DEUS habet summam inclinationem communicandi se mundo: ergo debet incarnari. Resp. neg. conf. quia DEUS absolute nihil debet facere, vel dist. conf. debet facere optimum, ad finem ab ipso intentum, & secundum rationem liberæ suæ voluntatis. conc. conf. in alio sensu optimum. neg. conf. Regula optimi, ut jam dictum, est voluntas Divina: non perfectio entitatis productæ. Adde, quod neque in creatis artifex optimus debet necessariò semper facere artefactum optimo modo; nam ad denominationem optimi artificis sufficit, ut id possit. Ad confirm. dist. ant. DEUS habet inclinationem, antecedentem ad suum decretum liberum. neg. ant. consequentem. conc. ant. & neg. consequ. sed de hoc iterum inferius.

48. Ob. 3. contra 2. conclus. Quidam SS. Patres dicunt, DEO indecorum futurum fuisse, si homines dæmonis fraude perirent: item non potuisse ipsum relinquere hominem sine remedio; quia necessariò debet indigentibus benefacere: adeoque necessariò incarnatum fuisse: ergo. Resp. 1. cum Gormaz de incarnat. n. 111. ubi ait, hanc suam responsonem etiam esse Eximii Doctoris, & communem nostrorum: respondeo, inquam, dist. ant. SS. Patres dicunt, futurum fuisse indecorum, hominem lapsum relinquere, vel incarnationem omittere, adeoque hanc necessariam fuisse, necessitate consequente ad decretum redimendi homines. conc. ant. antecedenter ad istud decretum. neg. ant. & conf. Simili ratione etiam Eximius tom. 1. in 3. p. disp. 4. sec. 2. explicat aliud S. Athanasii dictum, nempe DEUM non potuisse, illa sua veritate, ac justitia, homini poenam condonare, ac mortem remittere; ait enim Eximius, id DEUM non potuisse, supposito suo decreto, quo hanc poenam statuit Adamo, dicens Gen. 2. v. 17. *In quocumque enim die comederis ex eo, morte morieris.*

Respondendi etiam potest 2. dist. aliter. ant. & SS. Patres per necessitatem tantum intel-

intelligunt magnam convenientiam. conc. antec. intelligunt strictè dictam necessitatem. neg. ant. & conf. SS. Patres accipiendi sunt, ut non opponantur aliis suis dictis n. 41. allatis, nec Sacrae Scripturae, ex qua sanè videtur inferri oppositum; nam sup. 12. v. 12. dicitur: *Quis sibi imputabit, si perierint nationes, quas tu fecisti? non enim est alius DEUS, quam tu.* Responderi potest 3. cum Suarez tom. 1. in 3. p. disp. 4. sec. 1. similia SS. Patrum dicta continere nonnullam exaggerationem, adeoque piè interpretanda esse, ut significant, non indecentiam aliquam positivam, sed tantum aliquo modo negativam, supposita intentione DEI, de ostendenda maxima sua misericordia, vel supposito alio decreto: qua de re vide plura circa similem casum dicta infra n. 240. & seq.

49. Unde, quando S. Augustinus l. 4. de Gen. ad literam c. 16. de DEO ait: *Bona facere si non posses, nulla esset potentia: si autem posses, nec faceres, magna esset invidentia: debet mitius exponi; aliàs DEUS per totam aeternitatem à parte antè fuisset invidus.* Pariter, quando Clemens Alexandrinus l. 6. Stromat. n. 8. seu sub finem libri. de DEO dicit: *Cum sit bonus, si cessarit unquam benefacere, DEUS quoque esse cessabit: debet etiam mitius exponi; aliàs posset inferri, DEUM ante conditum mundum, non fuisse DEUM: saltem debuisset aliquando creaturam condere, quod est aperte nimium;*

Quare debent similes textus explicari, vel de convenientia tantum: vel de necessitate consequente ad liberum decretum: vel, ut ait Gormaz de incarnat. n. 153. debet dici, Patres istos tantum esse argumentatos ad hominem; cum enim gentiles dicerent, non decuisse DEUM fieri hominem, ipsi vicissim dicebant, non decuisse DEUM, hominibus non benefacere: & sic etiam S. Athanasius de incarnat. Verbi DEI. non longe à principio dixit: *Absurdum, indecorumque erat, ejus opera intirere, idque potissimum sub ipsius opificis conspectu: quasi diceret: Sicut vobis prima fronte videtur indecorum, quòd DEUS se demittat, ad assumendam naturam humanam, ita posset etiam videri indecorum, si DEUS non benefaciat, vel creaturam suam perire sinat. Verum utriusque indecentia, vel decencia, asserenda est, non ex eo, quod prima fronte videtur, sed ex eo, quod DEO liberè placuisse probatur, cujus sanctissima voluntas prima est regula moralitatis.*

50. Solus fortè S. Anselmus l. 1. cur DEUS homo. c. 4. & 25. videri potest dicere, quòd esset DEO indignum, si homo prorsus periret, vel nullus homo ad id perduceretur, ad quod factus est, scilicet ad coelestem gloriam, ad quam peccati reus pervenire non potest: ex quibus videtur colligi posse, quòd S. Anselmus senserit, incarnationem, sine qua ista contingere deberent, esse omnino necessariam. Et tamen hunc S. Bonaventura, & Alexander Aletis, cum Suarezio tom. 1. in 3. p. disp. 4. sec. 2. §. Sed primò.

mitius exponunt, vel de necessitate ex suppositione decreti, vel de necessitate majoris decentia, & convenientia.

Sed difficilior est, quod dicit idem S. Anselmus l. 1. cur DEUS homo. c. 13. & 16. scilicet esse indecens, quòd DEUS peccata impunita dimittat, adeoque DEUM id non posse: cumque etiam, ut modò dictum, S. Anselmus doceat, quòd DEO indignum sit, hominem perire, inferitur, DEUM necessariò peccata hominis in alio, nempe in Christo punire. Hinc Vasquez tom. 1. in 3. p. disp. 1. c. 4. & Lugo de incarnat. disp. 2. n. 41. videntur, S. Anselmum relinquere, Arriaga autem de incarnat. disp. 2. n. 61. ait, eum defendendum esse, si esset contrarius: addit tamen n. 62. probabile esse, S. Anselmum adhæsisse communi opinioni; cum eam etiam ipse defendat super illa verba ad Rom. 5. v. 8. *Commendat autem charitatem suam DEUS* ubi docet, Christum dignatum esse pro peccatoribus mori, quod non fecisset, nisi nimiam charitatem erga nos habuisset: dignari enim aliquid facere ex charitate, non est esse necessitatum. Interim Bellarminus de script. Eccles. dubitat, an illi commentarii in epistolas S. Pauli sint S. Anselmi.

Quare, si salva communi opinione explicari non possint textus hi, ex S. Anselmo objecti, assentiendum est Vasquio, atque Lugoni. Attamen videntur textus illi probabiliter posse exponi, ut non sint communi nostrae sententiae contrarij, dicendo, S. Anselmum tantum voluisse, DEUM non posse impunita relinquere omnia hominum peccata: quod, etsi omitatur, non est contra hanc nostram conclusionem; quia, etsi DEUS deberet, aliqua peccata punire, non inde posset inferri, eum debere pro illis querere satisfactionem condignam; potuisset enim esse contentus satisfactione minori, & sic addita aliqua condonatione perducere hominem ad gloriam. Gormaz de incarnat. n. 115. putat, DEUM antecederet posse, omnia peccata impunita relinquere, tanquam iudex supremus, & ab omnibus independens, licet id non possint iudices creati; quia isti, utpote iudices non supremi, debent obedire legi Divinae, jubenti malefacta puniri. Mihi difficultas ex eo oritur, quòd multi philosophi demonstrationem immortalitatis animae fundent in eo, quòd DEUS non possit, omnia gravissima scelera impunita relinquere. Sed, quidquid dicas, nihil est contra hanc nostram sententiam.

51. Ob. 4. Si DEO esset libera incarnatio, videretur agere contra iustitiam, exigendo tantam satisfactionem ab innocente Christo: hoc dici non potest: ergo. Confirm. Si incarnatio non esset necessaria, esset inordinatum, liberè ordinare Christum, ejusque vitam infinites nobiliorem, ad salutem hominis infinites inferioris: sed hoc juxta nos feret: ergo. Resp. 1. retorq. arg. DEUS neque necessariò potest injustè, aut inordinatè agere, & hinc neque potest esse necessitatus ad iustitiam, aut

aut inordinationem. in forma. neg. ma. Christus, ut infra dicemus, liberè factus est fideiussor pro hominibus, & inquit partem cum Patre de perficienda redemptione humani generis; unde cum omni iustitia DEUS Pater. ab ipso petit satisfactionem, & mortem.

Ad confirm. Resp. 1. neg. ma. ordinare enim aliquid perfectius ad aliquid imperfectius, tanquam ad finem proximum, quem illud perfectius perficiat, seu cui per quem illud perfectius tribuat, est ordinatissimum: sic sepe instrumentum longè nobilius, e. g. circinus aureus, ordinatur ad perficiendam aliquam figuram, vel simile quid longè imperfectius in charta. Resp. 2. dist. ma. esset inordinatum ordinare Christum, ejusque vitam, ad salutem hominis, tanquam ad finem qualemcumque, neg. ma. ordinare ad finem ultimum, & solum. conc. ma. & dist. sic. mi. neg. conf. licet enim ordinetur hic & nunc incarnatio, vel Christus, etiam ad salutem hominis, tamen ultimus ejus finis est gloria DEI.

ARTICULUS V.

Solvuntur reliquæ Objectiones.

52. C. B. 5. ulterius contra 3. conclusionem. Si DEUS voluit reparare hominem lapsum, voluit eum restituere in statum gratiae; hæc enim saltem in hac providentia sunt inter se connexa: sed status gratiae est necessariò connexus cum Christo: ergo, ex suppositione voluntatis reparandi hominem, incarnatio fuit necessaria. prob. mi. status gratiae exigit caput; non enim potest esse acephalus: & exigit caput, non tantum universale, quale est DEUS: ergo particulare, quale est Christus.

Resp. om. ma. neg. mi. ad prob. neg. 2. p. ant. cum enim status gratiae non exigit caput physicum, sed tantum morale, hoc est, gubernatorem, & dispensatorem gratiae, potuit tale caput esse solus DEUS, qui simul esset caput universale omnium creaturarum, & simul particulare hominum, ad statum gratiae elevatorum: sicut Romanus Pontifex est caput universale totius Ecclesiae Catholicae, & simul particulare diocesis Romanae: nec in hoc est ulla monstruositas: neque est etiam paritas à corpore physico ad morale; aliàs etiam turpe foret, si præter Christum DEUS esset caput universale; in corpore enim physico esset monstruositas, si darentur duo capita.

53. Unde Christus non fuit necessarius; quamvis valde conveniens fuerit, ut ipse esset caput meritum, & condigne satisfaciens, simulque præbens exempla virtutum. Et hanc convenientiam, ut dictum n. 48. intelligunt SS. Patres per necessitatem. Angelicus autem non docet, ut quidam volunt, quòd Angeli inferiores metaphysicè exigant superiores: sed id tantum congruum censet, ut exponunt inter-

pretis. Quòd si tamen S. Doctor assereret, metaphysicè necessarium esse inter Angelos ordinem, & connexionem, ex alia causa id doceret, & fortè ideo; quia quemlibet Angelum specie ab altero diverum constituit; certè ex connexionione Angelorum non putavit posse inferri, reparationem hominis lapsi exigere Christum; cum expresse doceat oppositum, verbis n. 41. citatis.

54. Ob. 6. DEUS tam parum potuit ponere statum gratiae sine Christo, quam parum mundum sine creatura rationali: sed mundum non potuit ponere sine creatura rationali: ergo. Resp. Quidam negat mi. atque defendit, DEUM absolute posse creare mundum plenum, e. g. muscis; & vespis, sine ulla creatura rationali; eoque, si ipse velit, ipsa ejus voluntas, utpote regula honestatis, & decentiae, faciat creationem istam decentem: possitque præterea DEUS intendere pro fine, habere scientiam visionis de illo mundo infinite perfectam, simulque exercitè sibi ostendere omnipotentiam suam: insuper habiturus esset gloriam extrinsecam, ex tali opere, non quidem, quæ sit formaliter talis, seu clara cum laude notitia, quam scilicet irracionales creaturæ habere non possunt: sed tamen illam, quam tales creaturæ dare possent, scilicet fundamentum talis notitiae: at non opus est, ad hanc responsonem devenire.

Resp. igitur neg. ma. si DEUS tale universum penitus irracionale ponere nequit, ideo nequit; quia gloriam, & laudem debitam inde habere non potest: at hæc ratio nullatenus militat pro adversarijs; nam etiam sine Christo DEUS potest habere laudem formalem, quamvis inferiorem illa, quam Christus daret; hanc autem ordinis altioris necessariam esse, nunquam probabitur. Similis est responsio ad id, quod à quibusdam obiicitur, scilicet, DEUM non posse omnes homines producere sine capite, omnem ignem sine calore &c. nam, si hoc nequit, ideo nequit; quia positivè eum dedecent opera imperfecta, vel miracula deturpativa, ut vocant, naturæ: quæ tunc darentur, ut ajunt, quando DEUS aliquam creaturam spoliaret aliquo bono debito, nec faceret aliquam compensationem universo: quæ tamen an reverà semper DEUM dedecent, videtur merito posse in dubium vocari; cum enim DEUS sit dominus supremus, non video, quare non pro libitu possit disponere de suis creaturis: & posset homini, sine capite existenti, tamen omnes sensus ei necessarios tribuere, vel aliter providere. Quòd autem nobis videantur tales turpes futuri, nil refert: etiam videntur nobis turpes æthiopes; quia raro eos videmus. Sic, si etiam homo esset sine capite, vel tantum cum una aure, in medio vultus posita, nobis videretur turpis: si tamen omnes ita constituti essent, assuetis placerent.

55. Ob. 7. S. Augustinus serm. 22. de nat. Domini, qui est 26. de tempore. ait: *DEUS sequendus erat, qui videri non poterat: ut ergo exhiberetur in homine,*

qui ab homine videretur, & quem homo sequeretur, DEUS factus est homo: ergo Christus necessarius venit, ut homo haberet exemplum virtutum visibile. Confir. Christus dicit Joann. 15. v. 5. Ego sum vitis, vos palmites: in quem locum S. Augustinus tr. 80. in Joann. ait: Secundum hoc dicit, quod est caput Ecclesie, nosque membra ejus: ergo, sicut vitis, & palmites connectuntur, ita connectuntur fideles, & Christus: sed illa connexio est necessaria: ergo; unde S. Augustinus ibidem post pauca subjungit: Propter quod, cum esset DEUS, cujus natura non sumus, factus est homo, ut in illo esset vitis humana natura, cujus & nos homines palmites esse possemus.

56. Resp. neg. conseq. Non ideo fuit necessitas antecedens, mittendi Christum: sed consequens tantum ex congruentia, & misericordii voluntate DEI; si enim DEUS nolisset dare exemplum, sed tantum præcepta, & gratiam, tamen homines potuissent, esse difficiliter, bona facere: sicut potuerunt fideles antiqui testamenti. Ad confirm. dist. conseq. fideles connectuntur cum Christo necessitate antecedente ad decretum DEI liberum, neg. conf. necessitate consequente ad decretum ponendi Christum, tanquam radicem gratiæ, & meriti, conc. conseq. Si DEUS nolisset Christum mittere, hic non fuisset vitis: nec nos palmites: est autem Christus vitis, postquam cum DEUS liberè misit; unde S. Scriptura non explicat ibi, quid necessarius fieri debuerit, sed quid misericorditer factum sit.

57. Ob. 8. Gratia facit nos cohæredes Christi, ut ait S. Paulus ad Rom. 8. v. 17. ergo debet dari Christus; nec enim possunt esse cohæredes, si non sit hæres. Confirm. 1. Dona gratiæ sunt nobilissima: ergo debent profuere à capite nobilissimo, hoc est, à Christo. Confirm. 2. Per habitus supernaturales, seu dona supernaturalia, instruitur homo, ut habeat mores Divinos, juxta illud Matth. 5. v. 48. Estote ergo vos perfecti, sicut & Pater vester caelestis perfectus est: ergo isti habitus habent connexionem cum Christo. Resp. dist. ant. gratia facit nos cohæredes Christi in hac providentia, seu posito hoc decreto libero DEI. conc. ant. in omni providentia, seu antecedenter ad decretum. neg. ant. & conf. Ad 1. confirm. neg. conf. Illa dona sufficientissime possent profuere à DEO, tanquam capite infinite perfecto. Ad 2. confirm. iterum neg. conf. quam non video, quomodo ex antecedenti adversarij inferant; sufficit enim connexio habituum illorum cum DEO.

58. Ob. 9. Est juxta naturam habitus fidei credere in Christum, & in ejus verbum miraculis applicatum: ergo iste habitus exigit Christum. Confirm. Habitibus fidei, & alij infusi, maxime Theologici, reddunt nos aptos, ut agere possimus cum Christo: ergo exigit Christum. Resp. dist. ant. est juxta naturam habitus fidei credere in Christum, ex suppositione, quod dicitur Christus. conc. ant. etiam independen-

ter ab hac suppositione, neg. ant. & conseq. Christus, prout est objectum materiale fidei, non exigitur ab habitu fidei; quia habitus non necessariò connectitur cum omni objecto materiali. Et si autem non daretur Christus, tamen daretur veritas Divina revelans, vel dicens, quæ est totum objectum formale, quod habitus fidei exigit; unde, licet Christus exigat habitum fidei, quo in eum credamus, non tamen vicissim iste habitus exigit Christum. Ad confirm. neg. conseq. in qua iterum confunditur capacitas cum exigentia, quæ tamen sunt inter se valde diversæ.

59. Ob. 10. contra 4. conclus. Etiam si admittatur ista necessitas moralis summa, vi cujus DEUS non esset DEUS, si optimum non faceret, non tamen sequitur, quod DEUS possit non esse DEUS: ergo nihil absurdum sequitur. prob. ant. ista argumentatio non est bona: Si non fieret actus prædefinitus, frustraretur prædefinitio: atqui potest non fieri: ergo potest prædefinitio frustrari: ergo neque ista est bona: Si DEUS non produceret optimum, seu incarnationem, non esset DEUS: atqui potest, non producere optimum, seu incarnationem: ergo potest non esse DEUS. Resp. neg. conseq. nam tamen sequitur hoc absurdum, quod in DEO detur necessitas metaphysica ad ponendum optimum: sicut, licet ex eo, quod DEUS non foret DEUS, si non esset trinus, non sequatur, quod DEUS possit non esse DEUS: tamen sequitur, quod sit metaphysicè necessitatus ad hoc, ut sit trinus.

Ad prob. in primis neg. ant. nam si subintelligitur in sensu composito, tam in majori, quam minori, prout debet, tunc argumentatio est formaliter bona, sed materialiter falsa; quia falsa est minor. Si autem in majori subintelligitur in sensu composito, & in minori in sensu diviso, qui sensus divisus possibilis est, tunc argumentatio est formaliter mala ob mutationem terminorum, & conclusio est nulla: sed tunc neg. conseq. quia nihil tale contingit in secundo syllogismo; nec enim DEUS posset in sensu diviso Deitatis non producere optimum; quia hic ipse sensus divisus est impossibilis.

Similiter respondendum ad hanc argumentationem: Si homo in statu natura lapsa, instructus tantum auxilijs ordinarijs non peccaret venialiter, non esset homo: sed potest non peccare: ergo potest non esse homo; est enim argumentatio, bona quidem formaliter, sed non materialiter; quia major est falsa; nec enim in eo casu homo mutaret naturam hominis, sed tantum faceret aliquid, quod nemo speraret eum facturum: scilicet resisteret plurimis tentationibus, inclinationibus concupiscentiæ &c. per vires debiles, physicè tamen sufficientes; debet enim homo physicè posse non peccare; alias non esset liber, nisi forrè ratione libertatis habitæ in Adamo, quæ tamen libertas non sufficit ad peccandum, ut clarum est ex da-

monitione propositionis 1. ab Alexandro VIII. proscriptæ: In statu natura lapsa ad peccatum mortale, & demeritum, sufficit illa libertas, qua voluntarium, ac liberum fuit in causa sua, peccato originali, & voluntate Adami peccantis.

60. Ob. 11. Non obest DEO necessitas ad non peccandum: ergo neque ad optimum ponendum. Confirm. 1. Melius est, creaturas necessitari ad optimum: ergo e-tiam melius est, necessitari DEUM. Confirm. 2. Si quis nunquam totâ vitâ peccaret, posset in fine vitæ à DEO petere gratiam finalis perseverantiæ, & si præsertim Sancti omnes pro eo intercederent, DEUS necessitaretur moraliter, ad eam gratiam ipsi dandam: ergo ea necessitas moralis non obest libertati Divinæ.

61. Resp. conc. ant. (& est hæc necessitas metaphysica) neg. conf. Si DEUS peccaret, non amplius esset infinite sanctus, adeoque neque DEUS: nihil tale sequitur ex omissione productionis optimi. Ad 1. confir. conc. ant. intellectum de necessitate morali (quidquid sit de necessitate physica in statu vitæ, quæ tolleret libertatem) neg. conf. Illa necessitas creaturis afferret bonum intrinsecum, & æternam felicitatem, qua compensaretur facultas, vel facilitas, aliter operandi: at verò nullum bonum creatum, quantumcunque sit magnum, compensare potest libertatem DEI.

62. Ad 2. confirm. neg. ant. DEUS in eo casu necessitaretur non moraliter, sed metaphysicè: non tamen antecedenter, sed consequenter ad decretum suum, quo statuit, ordinariè tales exaudire, & illis dare perseverantiam. Quod si etiam fingatur facta exceptio, pro casu rarissimo, soli Divinæ scientiæ reservato, tamen possumus, & debemus prudenter judicare, talem hominem obtenturum perseverantiam; quia ad prudens judicium sufficit fundamentum, ordinariè inferens rem, quantum in casu rarissimo possit ea non dari. Sic, licet DEUS in casu rarissimo statuerit, non concurrere cum igne ad comburendum, ut contigit in fornace Babylica, tamen, quia fecit decretum ordinariè concurrenti, prudenter judicamus, ignem etiam nunc uturum: nec, nisi imprudenter manum immitteremus in ignem ex spe, quod non simus amburendi.

63. Ob. 12. Patres dicunt, quod Divinus amor compulerit DEUM ad agendum: ergo DEUS fuit moraliter necessitatus. Confirm. Luc. 11. v. 13. dicitur DEUS habere majorem inclinationem, ad beneficiendum hominibus, quam habeant patres, ad beneficiendum filijs, & Isa. 49. v. 15. dicitur: quod, est futurum esse, ut mater obliviscatur infantis sui, non tamen futurum sit, ut DEUS obliviscatur hominum: ergo DEUS habet saltem necessitatem moralem, ad hominibus beneficiendum. Resp. dist. conf. ergo DEUS fuit necessitatus consequenter. conc. conf. antecedenter. neg. conf. Ipse ille amor DEI non est necessarius, sed liber;

non enim est in DEO amor per modum appetitus innati, sed eliciti: nec DEUS necessariò amat creaturas, sed liberè: sicut etiam non complacet sibi in illis necessariò, sed tantum liberè: habetque voluntas DEI majorem vim se retrahendi, quam habeant creaturæ, eam ad se attrahendæ; quia DEUS esset sine omnibus creaturis felicissimus, & perfectissimus. Etiam cognitio DEI de creaturis non attrahit DEUM ad has amandas, nisi modo, quo ipsi bonum est, scilicet cum libertate.

64. Ad confirm. dist. ant. dicitur DEUS habere majorem inclinationem liberam. conc. ant. necessariam. neg. ant. & conseq. Parentes necessariò amant liberos; quia sunt subjecti imperfectionibus compassionis, sympathiæ &c. quæ etiam dantur in brutis, sed non in DEO. Unde sensus, ibi dictorum est iste: licet homines sint mali, tamen ex sympathia &c. benefaciunt suis liberis: quanto magis DEUS, qui malus non est, & consequenter in suis promissionibus fidelis, atque in decretis immutabilis, dabit spiritum bonum petentibus se, quem decrevit rogantibus dare: quæ tamen inferunt necessitatem tantum consequentem.

65. Ob. 13. Amor DEI etiam erga creaturas est infinitus: ergo aliquo modo DEUS necessitatur. Resp. neg. conf. nam etiam libertas DEI est infinita ad resistendum. Dein, licet amor DEI erga creaturas in se essentialiter sit infinitus, non tamen movet, seu necessitat DEUM infinite; alias DEUS deberet omnes creaturas producere: scilicet complacentia, seu amor Divinus, etiam suo modo proportionatur objecto; utique enim DEUS magis complacet sibi in actibus perfectioribus, quam imperfectionibus, & magis in B. Virgine, quam in quovis alio homine, illamque magis amat, quam alium quemcunque.

Ubi etiam notanda est differentia, inter volitionem efficacem DEI, & complacentiam. Volitio efficax movet juxta mensuram volitionis; unde, si DEUS efficaciter velit, res debet fieri, quamvis physicè sit imperfectior, quam altera, quam hic & nunc DEUS non vult. At verò complacentia movet juxta mensuram objecti, in quod tendit, illud approbando, vel æstimando; quare, licet DEUS possit efficaciter velle aliquid imperfectius præ perfectiori, non tamen potest in illo sibi magis complacere, quam in isto. Ex quibus tandem ultimò inferitur, quod, cum nullum objectum extrâ DEUM sit infinitum, nullum etiam eum physicè, vel moraliter necessitet.



QUÆSTIO III.

De Existentia Incarnationis.

ARTICULUS I.

Referuntur varij Errores, & Hæreses circa Mysterium Incarnationis.

66. **E**Rrores circa mysterium istud possunt reduci ad Paganismum, Judaismum, Mahometismum, & Hæreses. Pagani, seu Ethnici (quibus accensendi hac in questione sunt ij, qui Philosophismum profitentur) omnino negant, DEUM assumpsisse humanam naturam, aut eam esse assumpturum. Judæi credunt quidem, Messiam aliquem sibi esse promissum, in lege, negant tamen, eum jam venisse: & communissimè etiam negant, eum DEUM futurum, putantque purum hominem fore. Mahometani asserunt quidem, Christum esse magnum prophetam: sed negant esse DEUM, & Mahometi postponunt. Tandem Hæretici, qui se scilicet à vera Ecclesia Catholica per falsas doctrinas, præsertim circa hoc mysterium, vel etiam circa mysterium SS. Trinitatis (quod, ut ita loquar, supponitur ab Incarnatione) se separarunt, varijs temporibus varij fuere: quorum, saltem, plurimum, errores circa mysterium incarnationis, & propter connexionem, etiam errores circa mysterium SS. Trinitatis, breviter refero, ex Bellarmini brevi chronologia, libro de scriptoribus Ecclesiasticis subnexa, & ex Francolini Tyrocinio Theologico.

67. Itaque. Sæculo I. statim, & adhuc tempore S. Joannis Evangelistæ, fuit Cerinthus, quem secutus est Ebion ejus discipulus, Menander, & alij. Hi docuere, JESUM esse purum hominem, ex Josepho, & Maria natum: & de his intelligendum est illud 1. Joam. 4. v. 3. Omnis spiritus, qui solvit JESUM, ex DEO non est. ita Bellarminus tom. 1. controu. 2. de Christo l. 3. de incarnat. c. 6. §. Præterea. & §. Ad hæc omnia. quia scilicet isti separabant JESUM, quem dicebant esse purum hominem, à Christo, quem dicebant esse Filium DEI: qui textus etiam valet contra alios hæreticos, præsertim Nestorianos, qui Cerinthum imitati sunt, de quibus inferius.

Sæculo II. Saturninus, & Basilides, Menandri discipuli, docuerunt, Christum tantum apparenter, & quoad speciem, hominem esse factum: non autem reverà carnem & animam assumpsisse. Eodem sæculo fuit Carpocrates, auctor Gnosticorum, qui etiam docuit, JESUM Christum ex Josepho esse natum.

Sæculo III. Hermogenes statuit in DEO tantum unam Personam. Hoc etiam sæculo Sabellius docuit, Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum, esse unam Personam, sed nomina tria. Rursus Paulus Samosatenus affirmavit, Christum non esse DEUM, sed

hominem tantum. Eodem etiam sæculo Manichæi teste Bellarmino tom. 1. controu. 2. de Christo l. 3. c. 2. docuere, Christum non habuisse veram humanitatem.

Sæculo IV. Arius presbyter Alexandrinus docuit, Filium DEI esse tantum creaturam, & non esse coæternum Patri: Christum hominem non habere animam, sed ejus loco esse Verbum. Quamvis autem deum Semiariani, & alij, visi sint admisisse, Verbum esse æternum: non tamen voluerunt admittere, esse consubstantiale Patri. Eodem tempore Photinus Sirmiensis Episcopus docuit, Christum non esse DEUM, sed purum hominem: nec DEUM esse trinum. Eodem etiam Macedonius Episcopus Constantinopolitanus docuit, Filium quidem per omnia Patri similem, sed Spiritum S. esse creaturam. Rursus Aëtius, & Eulomius ejus discipulus, docuere, Filium esse omnino dissimilem Patri, & Spiritum S. esse creaturam Filij. Apollinarius Laodicenus, docuit, Verbum accepisse carnem sine anima rationali: addidit, Divinas Personas esse inæquales, Spiritum S. esse magnum, Filium majorem, Patrem maximum.

68. Sæculo V. Nestorius Episcopus Constantinopolitanus anno 430. docuit, B. Virginem non esse matrem DEI: & in Christo duas esse personas, alteram Divinam, alteram humanam: cui oppositam hæresin mox docuit Eutyches Abbas, scilicet in Christo unam esse Personam, & unam naturam. Thyrsus Gonzalez in manduc. ad convers. Mahometanor. p. 2. l. 3. c. 5. n. 46. ait, Eutychem asseruisse, ante incarnationem duas fuisse naturas, Divinam, & humanam: post unionem verò utramque fuisse permixtam, & unam tertiam ex utraque resultasse. Eodem sæculo Petrus Gnaphæus, seu Fullo, Episcopus Antiochenus ad errores Eutychetis addidit, ut in Trisagio Sanctus DEUS, Sanctus fortis, Sanctus immortalis: apponeretur: Qui crucifixus est pro nobis. ex quo videbatur sentire, totam SS. Trinitatem esse crucifixam.

Sæculo VI. Julius Halicarnassæus fuit auctor eorum, qui docuerunt, Christi corpus à conceptione fuisse impassibile. Eodem sæculo Agnoitæ, auctore Themistio, diacono Alexandrino, docuerunt, Christum ignorare diem judicii.

Sæculo VII. Joannes Philoponus auctor fuit Tritheitarum, qui scilicet tres Personas Divinas voluerunt esse tres DEOS. Eodem sæculo etiam orti sunt Monothelitæ, auctore Gyro Episcopo Alexandrino, & Sergio Constantinopolitano, qui docebant, in Christo unam tantum fuisse voluntatem, & unam operationem: ex quo sequebatur, unam tantum in eo fuisse naturam.

Sæculo VIII. Felix Urgelitanus, & Elipandus Episcopus Tolertanus, docuerunt, Christum esse Filium DEI adoptivum: qui in Concilio Francofordiensi damnati sunt, tanquam renovantes Nestorianismum.

Sæculo XII. Petrus Abeilardus tempore S. Bernardi docuit, gradus esse inæquales in Divinis Personis &c. respicit autem postea, & poenitens obiit.

69. Sæculo XVI. quidam Memnon, ex signiferis Anabaptistarum (teste Bellarmino, tom. 1. controu. 2. de Christo l. 3. c. 1.) docuit, Christi corpus ex Patris substantia creatum delatum in uterum Virginis. Eodem sæculo Michaël Servetus Hispanus docuit, nullam esse in DEO realem generationem, nec Personarum distinctionem &c. qui tandem Geneva an. 1555. ipso Calvino procurante, fuit combustus. Eodem tempore David Georgius Batavus prædicavit, se esse filium DEI, JESU Christo majorem, & anno tertio post mortem resurrecturum. Eodem Casparus Schvvenckfeldius docuit, quod humana Christi natura post ascensionem mutata fuerit in Divinam. Eodem Joannes Brentius docuit, Christi humanitatem statim ab incarnatione semper fuisse ubique; unde nati sunt Ubiquistæ: hujus tamen erroris Bellarminus tom. 1. controu. 2. de Christo l. 3. c. 1. putat potius auctorem fuisse ipsum Lutherum, promotorem Brentium, & Jacobum Fabrum, seu Schmidelinum. Eodem etiam sæculo circa an. 1558. Valentinus Gentilis docuit, in DEO dari, non tantum tres Personas, sed etiam tres naturas Divinas, seu dari tres spiritus æternos, essentiali numero differentes. Cum autem videret Deorum trinitatem, non posse ullo modo defendi, deflexit ad Arianismum, atque asseruit, Patrem esse majorem Filio, ac Spiritu S. Quare primò à Genevensibus, quanquam hæreticis, apud quos retractationem suorum errorum simulaverat, ad publicam poenitentiam condemnatus est: sed postea denuo Arianismum renovans, à Bernensibus etiam ipsis hæreticis, captus, & capite plexus est, de quo videatur Bellarminus tom. 1. controu. 2. de Christo in præfatione.

Tandem eodem sæculo Franciscus David, cum cæteris ministris Transylvanis, novis Samosatensis, & Ebionitis, docuit, solum Patrem esse DEUM verum, Filium verò, & Spiritum S. esse virtutes DEI, quæ à Patre non sint distinctæ personæ, vel relatione, vel essentiali: Christum esse purum hominem, sed dici Verbum DEI; quia verba DEI annuntiavit: sicut Joannes Baptista dicitur vox. Hic hæresiarcha anno 1580. cum negaret, Christum esse invocandum, à principe Transylvaniæ ad perpetuos carceres damnatus est, in quibus paulò post in phrenesin incidit, & post biduum extinctus est. vide Bellarminum tom. 1. contr. 2. de Christo l. 1. c. 1.

70. Hos omnes errores singillatim refutare nimis longum foret, nec etiam nostri esset fori: sufficienter confutati erunt, si probatum fuerit, solum religionem Catholicam esse veram: qua de re vide tractatum de virtutibus Theol. à n. 262. Quod attinet ad Paganos, ac Turcas, iis probanda est veritas hujus mysterii ex signis cre-

dibilitatis (de quibus copiosè actum est in tract. de virt. Theol. à n. 224.) ex iis enim probatur veritas nostræ religionis præ aliis: consequenter etiam veritas doctrinæ, quam ipsa tradit de Christo incarnato. Contra Judæos, atque etiam hæreticos, eadem veritas probatur ex iisdem signis, & eodem modo: insuper contra Judæos efficaciter probatur ex prophetiis legis antiquæ, quas ipsi tanquam veras admittunt, de quibus est actum, eod. tract. de virt. Theol. à n. 238. item ex pœnis eorundem Judæorum, de quibus eod. tract. de virt. Theol. à n. 230.

Unam tamen, & alteram prophetiam, hic magis examinabimus, quam ibi breviter insinuavimus: probabimus quoque, Christum Dominum esse DEUM, & hominem: ex quo etiam ruent omnes hæreses, quæ Christum, aut hominem negant, aut minorem Patre, secundum naturam assumptionem, asserunt: sed & ex Concilijs probabimus, solum Filium Divinum, & non Patrem, aut Spiritum S. assumpsisse humanam naturam, sive incarnationem fuisse; item solum Filium fuisse Christum, seu Messiam, atque in humana natura pro hominibus passum: qua ratione omnes hæreses circa incarnationem erunt refutatae.

ARTICULUS II.

An Christus, seu Messias jam venerit.

71. **D**ico cum omnibus Catholicis, imò Christianis, contra Judæos. Messias in lege promissus jam venit. Præter probationes autem num. præced. indicatas, probatur assertio 1. ex prophetia Patriarchæ Jacobi Gen. 49. v. 10. Non auferetur sceptrum de Juda, & dux de femore ejus, donec veniat, qui mittendus est: & ipse erit expectatio gentium. Hac prophetia promittitur Judæis potestas regia, vel saltem ducalis, usque ad Christum, ut vel ipsi Judæi prudentiores fatentur: atqui de facto est certum, quod non habeant, jam à mille septingentis, & amplius annis, nec regiam, nec ducalem potestatem, sed sint vagi, exules, & sine principe Judæo, vel liberè ab ipsis electo: ergo Christus jam debuit venisse.

Unde, licet in assignando tempore, vel modo, quo prophetia hæc completa sit, vel principatus omnis Judæorum cessarit, diversitas aliqua auctorum sit, tamen id certissimum est, prophetiam jam esse impletam, & quoad substantiam conveniri debere. Cum insuper ex historijs manifestum sit, circa tempus adventus Christi Domini, ablatum esse ex integro sceptrum de Juda, quando scilicet potestas regia in Judæam à Romanis translata est in Herodem Alcalonitam, clarè colligitur, ipsum Christum Dominum fuisse Messiam promissum, & jam advenisse.

72. Nec dicas, sceptrum Judææ jam translatum fuisse tempore captivitatis Babylonice, quando Sedecias, vel Joachim, à Nabuchodonosore captus est; licet enim tunc rex ille captus fuerit, tamen rex man-

sic: quin in ipsa captivitate Judæi habebant potestatem etiam in vitam, ut patet ex historia Sufannæ *Danielis* 13. quin etiam Joachim, seu Jechonias, trigesimo septimo anno captivitatis, nomen, & solium regium iterum obtinuit, ut habetur *4. Reg. 25. v. 27. & 28.* quando ab Evilmerodacho rege Babylonis fuit iterum in solium restitutus, & titulus regius ei redditus: quamvis non videatur Hierosolymam redire permittus, sed Babylone retentus, ut colligitur *ex v. 29. & 30.* ubi sic habetur: *Et comedebat panem semper in conspectu ejus Evilmerodachi cunctis diebus vite sue. Annonam quoque constituit ei sine intermissione, qua dabatur ei à rege per singulos dies omnibus diebus vite sue.*

Post captivitatem autem, Zorobabel nepos, vel abnepos Joachimi, ut habetur *1. Paralip. 3. v. 19.* aliique duces ex Juda, populo præfuerunt usque ad Machabæos: quanquam (ut habet Suarez *tom. 1. in 3. p. disp. 1. sect. 1. §. Secunda ergo.* ubi citat Genebrardum, & traditionem Hebræorum) regio diademate propter Persas non uteretur. In historijs, etiam illorum ducum genealogia ferme prætermissa est; quia tunc temporis major auctoritas videbatur reside- re in pontificibus: certè Josephus *in libris de antiq. Judaor.* de his temporibus agens de pontificibus crebrius mentionem facit. In Machabæis dein sceptrum duravit usque ad Herodem Afcalonitam.

Cornelius à Lapide *in c. 22. Jerem. v. 30.* (ubi DEUS propheta de Jechonia dicit: *Scribe virum istum sterilem, virum, qui in diebus suis non prosperabitur; nec enim erit de semine ejus vir, qui sedeat super solium David, & potestatem habeat ultra in Juda*) dicit, Zorobabelem Jechoniae nepotem, inprimis non tenuisse sceptrum, seu non fuisse regem, sed tantum ducem: neque etiam fuisse ducem, nisi modico tempore, scilicet in reditu Judæorum in patriam, & durante ædificatione templi, ac urbis: postea autem rediisse Babylonem, ibique fuisse mortuum: deinceps autem usque ad Herodem principatum Judæorum fuisse penes pontifices: pro qua sua sententia citat Josephum, & Eusebium. Similia habet Tyrinus *in idem c. 22. Jerem. v. 30.* Juxta quam sententiam, de scepro penes Judam illis temporibus permanente, loquendum est, sicut loquemur *n. 75.* de eodem scepro penes Judam permanente tempore Machabæorum.

Sed nec objici potest, Pompejum cum Romano exercitu jam subegisse Judæos ante Herodem; ipse enim Judæam tantum fecit vespigalem Romanis, idque non proprio motu; sed advocatus ab Hircano, quem frater Aristobulus regno ejecerat: Pompejus autem post captum Aristobulum Hircano sceptrum restituit. Quod autem ex eo tempore Judæa Romanis vespigalis manserit, non infert, eam spoliatam fuisse scepro; nam sæpe antiquis sub regibus vespig-

galis fuit, etiam ante Ezechiam, & sub ipso ubi indubitatos reges habebat.

Dices fortè, Christum primum anno trigesimo quinto Herodis natum, adeoque jam triginta quinque annis sine rege, & duce Judæos fuisse: sed respondet Cornelius à Lapide, tam parvum intervallum in tanta serie temporum, scilicet bis mille sexcentorum, & nonaginta quinque annorum, à morte Jacobi ad Christum elapsorum, pro nihilo reputari: & sufficere ad veritatem hujus prophetiæ, quod sub eodem rege Herode, sub quo defecit sceptrum de Juda, Christus sit natus; nam, ut ait, vox *domec* non significat, præcisè annum, mensē, vel diem determinatum adventus Christi, sed tantum confusè significat, quod sub illud idem tempus, hoc est, sub eodem rege, sub quo deficiet sceptrum de Juda, Christus sit nasciturus.

73. Difficultas apparenter major est, an non jam tempore Machabæorum defecerit sceptrum de Juda; cum Machabæi, teste Josepho, alijsque historicis, & quod caput est, teste ipsa Sacra Scriptura *1. Machabæorum 2. v. 1.* fuerint ex genere sacerdotali, adeoque ex tribu Levi, & non Juda. SS. Cyrillus, Hieronymus, Epiphanius, Augustinus, item Josephus, & communiter alij apud Suarez *tom. 1. in 3. p. disp. 1. sect. 1.* putant, Machabæos saltem per lineam femininam ortos fuisse ex tribu Juda; nam habentur exempla in ipsa Sacra Scriptura, ex quibus colligitur, licita fuisse matrimonia inter duas has tribus: & ipsa S. Elisabeth, quæ fuit ex tribu Levi *de filiabus Aaron Luc. 1. v. 5.* cognata fuit B. Virginis, quæ fuit ex tribu Juda.

Ista sententia utique probabilis est: at tamen ei potest opponi. 1. ut ait Cornelius, incertum est, an conjugia talia à Machabæis sint inita. 2. hac ratione prophetia Jacobi videretur æquè tangere tribum Levi, ac tribum Juda, cujus tamen peculiaris benedictio fuit: nisi dicatur, quod saltem diutius, seu pluribus annis retrò, sceptrum in tribu Juda fuerit. 3. ut observat Suarez *loc. cit.* hac ratione dici posset, etiam B. Virginem duntaxat secundum lineam maternam descendisse ex tribu Juda, vel ex domo David, & hoc satis esse, ut Christus dicatur fuisse de illa tribu, vel domo: quod videtur esse contra communissimam opinionem.

74. Alij itaque putant, ex tribu Juda conflatum fuisse Concilium, *Sanedrim* dictum, quod fuit, ut ita dicam, Parlamentum Judæorum. At contra est 1. istud Concilium fuit conflatum ex personis variarum tribuum; unde juxta hanc sententiam sceptrum non fuisset magis in tribu Juda, quam in alijs tribubus, quod dici non potest. 2. juxta Suarez *tom. 1. in 3. p. disp. 1. sect. 1.* fuit *Sanedrim* potius Concilium sacerdotum, quam aliorum, etque præfuit summus sacerdos, juxta illud *Deutron. 17. v. 8. & 9.* *Ascende ad locum, quem elegerit Dominus DEUS tuus: veniensque ad sacer-*

dotes Levitici generis. quanquam idem Suarez non neget, etiam aliquos de tribu Juda in eo Concilio sedisse. 3. Illi, ut ita dicam, Parlamentarij, non fuere reges, aut duces, sed tantum consiliarij: nec habebant sceptrum regni.

Alij videntur velle, Machabæos non possedisse principatum Judæorum, tanquam proprium, sed duntaxat quasi depositum, eumque administrasse tantum eousque, donec veniret dux promissus ex tribu Juda. Sed hoc dici non potest; nam planè Machabæi se gesserunt, non ut administratores tantum, sed ut verè principes, & quidem per annos circiter centum sexaginta quinque. Certè, si hæc responsio admitteretur, eodem modo posset quis dicere, Herodem non fuisse verè regem, nec ullum unquam fuisse Judæorum verè dominum, sed omnes tantum fuisse depositarios regiæ potestatis, donec suo tempore veniret Messias. Aliqui videntur innuere, sceptrum Judæ promissum, tantum significare speciale aliquam dignitatem, quam habuerit tribus Juda ex eo, quod Christus ex illa nasciturus esset. Sed contra est 1. Hæc prærogativa valde improprie dicitur sceptrum. 2. Hæc dignitas adhuc perseveraret, juxta opinionem Judæorum in tribu Juda: nec possent Judæi juxta hanc sententiam convinci de sceptri ablatione. 3. Non est alia dignitas ex eo, quod Christus sit nasciturus, quam ex eo, quod sit natus; unde juxta hanc sententiam sceptrum non auferretur; dicere enim futuritatem nativitatis ex aliqua tribu esse aliquam hujus dignitatem, non verò existentiam nativitatis, videtur satis absolum.

75. Mihi itaque cum Eximio nostro *tom. 1. in 3. p. disp. 1. sec. 1.* & Cornelio à Lapide *in Gen. 49. v. 10.* item Saliano *adam. mundi 2345. n. 23. & 25. item 4017. n. 18.* & alijs, verosimilium videtur, in hac prophetia Jacobi signari peculiariter tribum Juda; nam hæc benedictio ei specialis fuit, & propterea *ibidem v. 8.* præmittitur: *Juda, te laudabunt fratres tui adorabunt te filij patris tui:* insuper, ut aliæ benedictiones, alijs filijs à Jacobo factæ, ipsis specialia sunt, ita etiam hæc Judæ specialis esse censenda est, nec omnibus ejus fratribus communis, ut videntur velle ij, qui hinc per Judam totum populum Judaicum intelligi volunt. Id tamen cum auctoribus supra citatis censeo, quod hinc tribus Juda non ita strictè sumenda sit, ut excludantur prorsus omnes, eidem ex alijs tribubus aggregati, & cognatione, ac connubijs commixti; nam sciendum est, tempore Roboami filij Salomonis divisum esse regnum Israël: & decem tribus deseruisse Roboamum, eique tantum remansisse tribus duas, scilicet Juda, & Benjamin.

Hæc dein duæ tribus sumptæ sunt per modum unius, & vocatæ sunt *tribus Juda:* & sic *3. Reg. 12. v. 20.* dicitur: *Nec secutus est quisquam domum David præter tribum Juda solam:* quamvis etiam sequere- tur tribus Benjamin, ut habetur eodem ca-

pite statim *v. 21.* ubi dicitur de Roboamo: *Congregavit universam domum Juda, & tribum Benjamin, centum octoginta milia electorum virorum bellatorum:* adeoque Roboam inter suos milites etiam censuit Benjamitas: cujus tamen tribus (vel quia ipsa non fuit integra, ut habet Suarez, vel quia tribus Juda fuit longè excellentior) ferè non haberetur ratio: & sic rursus dicitur *4. Reg. 17. v. 18.* *Non remansit, nisi tribus Juda tantummodo.* Mixti autem his erant etiam Levitæ, qui aliàs jam erant sparsi per alias tribus. Sed & summus sacerdos Hierosolymis mansit, prope templum habitans: insuper, post defectionem Israël ad idololatriam sub Jeroboam, multi constantes in vera religione, transfulerunt habitationem suam in terram Juda.

76. Postea autem à Salmanasar rege Assyriorum regnum Israël, seu decem tribuum, fuit eversum; nec unquam rediit: at verò regnum Juda etiam quidem fuit concussum à Nabuchodonosore, & vehementer afflictum: sed tamen postea, expletis septuaginta annis captivitatis, reversa est tribus Juda, seu tribus illæ duæ, quæ in unam quasi coiverant, unà cum sacerdotibus: ex quo tempore, teste Josepho. *l. 11. antiquitatum c. 5.* omnes communi nomine vocari cœperunt Judæi, propter hanc fortasse causam, quod sola tribus Juda terram illam colere credita sit: adeoque tunc idem quasi fuit tribus Juda, & regnum Juda. Et in hoc sensu, paulò latiore, accipienda videtur hinc tribus, pro illo scilicet complexo, quod quidem maxima ex parte constituebant orti ex semine Juda, sed tamen ex aliqua parte etiam alij. In hoc autem complexo, cujus pars quoque Machabæi fuere, mansit usque ad Herodem, qui à Romanis per vim rex Judææ impositus est, sceptrum regium, vel certè potestas ducalis (nam disjunctivè una perseveratura promittebatur, seu, non simul, aut collectivè, utraque defectura prædicebatur) & quidem semper mansit sceptrum ex eo tempore, ex quo in Davide in tribum Juda translatum est.

Addit Cornelius cum alijs adhuc aliam explicationem valde probabilem, scilicet, ipsam strictè dictam tribum Juda tenuisse sceptrum in hoc sensu, quod ipsa semper habuerit jus eligendi, sibi que reges, aut duces constituendi, vel ex gremio suo, seu dicto complexo, vel etiam aliunde assumptos: prout fecit, quando elegit, seu constituit Machabæos: fermè sicut semper dicebantur imperare Romani, licet aliquos imperatores Hispanos, vel Thraces, aut ex aliq natione elegerint: item sicut etiam nunc sceptrum, & regnum est penes nationem Polonam, licet externos quandoque in reges eligat. Nemo autem opponat, hac ratione dici posse, neque Christum Dominum fuisse ex posteris Judæ strictè dictis; nam responderetur, ex pluribus alijs Scripturæ locis probari, quod Christus ortus sit ex posteris Judæ strictè acceptis; sæpius enim di-

citur filius David, qui fuit de tribu Juda strictè accepta: sed & utraque genealogia Christi, apud SS. Matthæum, & Lucam, Christum apertè deducit à David, & Juda.

77. Altera prophetia sumitur ex *Danielis* 9. v. 24. ubi Gabriel Archangelus ita loquitur propheta: *Septuaginta hebdomades abbreviata sunt super populum tuum, & super urbem sanctam tuam, ut consummetur prevaricatio, & finem accipiat peccatum, & deleatur iniquitas, & adducatur iustitia sempiterna, & impleatur visio, & prophetia; & ungetur sanctus sanctorum. Scito ergo, & animadverte. Ab exitu sermonis, ut iterum adificetur Jerusalem, usque ad Christum ducem, hebdomades septem, & hebdomades sexaginta duas erunt: & rursum (id est interim, seu currentibus septuaginta hebdomadibus) edificabitur platea, & muri in angustia temporum (seu parvo tempore per Nehemiam, ut 2. *Esdra* c. 6. v. 15. habetur) Et post hebdomades sexaginta duas occidetur Christus, & non erit ejus populus, qui eum negaturus est. Et civitatem, & sanctuarium dissipabit populus Romanus cum duce Tito venturo: & finis ejus vastitas, & post finem belli statuta desolatio. Confirmabit autem pactum multis hebdomada una (hoc est ultima) & in dimidio hebdomadis ultimæ deficiet hostia, & sacrificium (abrogata scilicet lege veteri, & sacrificijs ejus per mortem Christi) & erit in templo abominatio desolationis, & usque ad consummationem, & finem perseverabit desolatio: hoc est, templum non amplius restaurabitur: intellige in usus sacrificiorum Judaicorum; nam, cum sub Juliano Apostata Judæi id restaurare vellent, varijs prodigijs impediti sunt: quando autem anno Christi 643. restauratum aliquatenus est, factum id fuit in usus Saracenorum: nec tamen tunc vel à longè antiquam magnificentiam recuperavit: & vel maxime ob superstitionem Mahometanam desolatio permansit.*

78. In hac prophetia continentur plurima, ex quibus apertè colligitur, Christum jam venisse. Ad eam autem intelligendam notandum est, per hebdomadam, hoc est, septenarium, intelligi, hic non hebdomades septem dierum, neque tantum hebdomades hebdomadarum, aut mensium; hoc enim esset apertè nimis parvum temporis spatium; nam septuaginta hebdomades mensium conficerent quadraginta annos, & decem menses, quos tantum fluxisse usque ad terminum, à Daniele significatum, nemo asserit: certè ipsi Judæi fatentur, usque ad eum terminum longè plus temporis fluxisse, quam conficerent tot hebdomades, aut menses.

Sed nec intelligi possunt hebdomades Jubilæorum parvorum, seu semper septies quadraginta novem anni; tales enim septuaginta hebdomades facerent annos vigentes quater mille, & decem, quod spatium utique esset nimis longum, contra quod ait *Aggæus* c. 2. v. 7. *Adhuc unum modicum*

est. Et veniet desideratus cunctis gentibus. Accedit, quod post illas hebdomades destruentum sit templum, & urbs, non autem antè; cum tamen hæc jam dudum destructa sint, nec tamen illi anni effluxerint.

Sed nec in Scriptura unquam invenitur, quod septem Jubilæa vocentur hebdomades, seu septimana: at verò invenitur in Scriptura hebdomades dierum, & hebdomades annorum: sic *Lev.* 25. v. 8. dicitur: *Numerabis quoque tibi septem hebdomadas annorum, id est, septies septem, qua simul faciunt annos quadraginta novem:* similis etiam hebdomades videtur describi *Gen.* 29. v. 27. & tales hebdomadæ annorum: hic intelligendæ sunt, quarum septuaginta faciunt annos quadringentos nonaginta.

An autem anni solares, vel lunares, qui undecim diebus breviores sunt, sint censendi, disputatur. Diversitas esset annorum circiter quatuordecim, quæ non debet magni aestimari, in comparatione tanti temporis, nempe quadringentorum nonaginta annorum. Sed neque multum curari debet, si scriptores historici profani non conveniant cum Scriptura Sacra; cum ijs temporibus isti fuerint valde rari, nec adeò semper exacti, adeoque facillè potuerint aberrare.

79. Dicuntur autem istæ hebdomades abbreviata, non quod fuerint breviores factæ, quam fuerant antè, sed quod fuerint præcisæ, & definitæ, ac breves respectu illius temporis, à quo jam Messias expectabatur: sicut etiam *Matth.* 24. v. 22. dicuntur dies tribulationis ante mundi finem breviati. Hic autem numerus septuaginta hebdomadarum inferius iterum alijs verbis repetitur, cum dicitur, esse hebdomades septem, & sexaginta duas, hoc est, simul sexaginta novem, quibus accedit hebdomas illa, in cujus medio Christus occiditur, adeoque conficiuntur rursus septuaginta. Nec debet obesse, quod dicatur Christus occidendus post hebdomades sexaginta duas; rectè enim notat Cornelius, per hebraicum subintelligendas esse, etiam memoratas septem hebdomades: quasi diceretur: post dictas hebdomades sexaginta duas, quibus septem aliæ conjunguntur; aliæ enim pugnaret hic versus cum præcedentibus; quia citius Christus moreretur, quam adveniret, seu prædicatione, aut miraculis, se mundo offenderet (sub qua ratione Christus hic adveniens intelligitur, nempe prædicans, & thaumaturgus) cum primum dicitur advenire, hebdomade septuagesima, quæ incidit in annos prædicationis, ut rectè advertit *Arriaga de incarnat. disp.* 1. sec. 1. n. 2.

80. Jam initium harum hebdomadarum sumi debet ab exitu sermonis, ut iterum adificetur Jerusalem: seu ab eo tempore, à quo permillum est Judæis, iterum adificare suam civitatem: circa quod tempus, quamvis sit discrepantia auctorum, tamen non obest efficacis argumenti, ex hac prophetia deducti; nam constat, initium de-

debere sumi à tempore durantis imperii Perfarum, à quo usque ad nostra tempora ad minimum quater fluxerunt quadringenti nonaginta anni; unde Messias jam dudum debuit venisse. A quo autem præcisè anno debuit initium istud ducendum sit, vide *Suarez tom.* 1. in 3. p. disp. 1. sec. 2. §. *Ex hac ergo. Cornelium à Lapide in hunc locum, seu c. 9. v. 25. Danielis. Salianum ad annum mundi 3596. & 3609.*

81. Duæ autem præ aliis probabiliores sententiæ sunt. Prima statuit, initium sumendum esse ab anno septimo regni Artaxerxis Longimani (qui probabilissimè idem est cum Assuero conjugè Estheris) ita Cornelius à Lapide. in c. 9. *Daniel.* v. 25. §. *Dico secundo.* & favet vel maxime hujus opinionis, quod ab illo anno usque ad prædicationem Christi (quæ contigit anno decimo quinto Tiberii, quando Christus in baptismo maxime apparuit, tanquam dux populi, & à Patre talis declaratus est, per vocem cælo lapsam *Matth.* 3. v. 17. *Hic est Filius meus dilectus*) fluxerint juxta chronologos quadringenti octoginta tres anni, hoc est, sexaginta novem hebdomades: inde Christus post tres annos, adeoque post sexaginta novem hebdomades, & tres annos, sive in dimidio ultimæ hebdomadis, seu anno decimo octavo Tiberii, est mortuus: & tunc quoque cessavit per mortem Christi sacrificium legis antiquæ.

Difficultatibus tamen non caret hæc sententia: & prima est, quod eo anno quidem data fuerit Judæis potestas adificandi templum, sed non urbem Jerusalem: cui tamen responderet, jam tunc, implicitè saltem, fuisse datam illam potestatem; nam 1. *Esdra.* 7. v. 6. dicitur: *Dedit ei rex secundam manum Domini DEI ejus super eum omnem petitionem ejus:* atqui *Esdras* utique petierit etiam adificationem Jerusalem. Dein v. 18. dicitur: *Sed & si quid tibi, & fratribus tuis placuerit, de reliquo argento, & auro, ut faciatis juxta voluntatem DEI vestri, facite:* sed utique ei placuerit, reedificare Jerusalem. Hæc responsio præ alijs melior est: quamvis adhuc possit replicari, hunc non esse sermonem, de quo Danieli Angelus meminit; eoquod non sit publicum decretum: sed rursus respondetur, esse sermonem sufficienter publicum; quia fuit ad principem populi directus.

82. Secundo opponi potest, Nehemiam primum anno vigesimo regni Artaxerxis petiisse facultatem adificandi Jerusalem, ut videtur colligi ex 2. *Esdra* 2. v. 5. certè ibi v. 6. & 8. explicitè facta est potestas adificandi urbem. Sed ad hoc iterum responderi potest, prius jam fuisse datam licentiam urbem adificandi: modò autem fuisse de novo concessam, seu confirmatam: quod probat Cornelius, tum ex jam dictis: tum ex eo, quod cives tunc jam reducti fuerint, utique non, ut sine civitate habitarent: tum ex eo, quod Nehemias, ut habetur. 2. *Esdra.* 1. v. 3. anno vigesimo audivit murum Jerusalem destructum, & po-

stea etiam dissipatum invenerit, ut habetur 2. *Esdra.* 2. v. 13. non autem destructum à Nabuchodonosore (hoc enim non erat aliud ei incognitum, & novum; cum jam ante septuaginta annos contigerit) sed modò iterum destructum ab inimicis, qui murum, ante tredecim circiter annos reparatum, denuò destruxerunt.

Probatum hoc etiam ex *Aggai* 1. v. 4. (de quo etiam fit mentio 1. *Esdra* 5. v. 1.) qui increpabat populum, quod domus laqueatas, utique ex permissione regis, neglecto templo adificarent: sed & ex 2. *Esdra.* 4. v. 5. & 24. videtur colligi, Darii permisisse denuò urbem muris cingi; quia permisisse videtur id totum opus, quod erat coeptum, & ob inimicorum machinationes, atque accusationes, fuerat prohibitum: atqui erat etiam coepta adificatio urbis, item, ut supra jam dictum, 1. *Esdra* 7. v. 6. dicitur Artaxerxes dedisse *Esdræ* omnem petitionem; utique autem hic etiam petierit potestatem adificandi urbem, ne templum inter rudera solvendum adstaret. At verò dein anno Artaxerxis vigesimo potestas præ alijs amplissima, data est adificandi urbem, ut habetur 2. *Esdra* 2. v. 6. & 8. Et juxta hanc opinionem possunt sumi anni solares, qui abbreviati dicuntur, non quod breves sint, sed quod præcisè, & determinati, & breves tantum respectivè ad tempus expectationis Messias, ut supra diximus.

83. Petavius l. 12. de doctrina temporum c. 32. ut hanc difficultatem effugiat, ait, septimum, & vigesimum annum Artaxerxis esse eundem, in hoc sensu, quod septimus annus sit, ex quo regnavit Artaxerxes solus, vigesimus autem, ex quo simpliciter regnavit; cum jam prius cum patre tredecim annos regnaverit. Nec gratis conficta est hæc assumptio Artaxerxis in consortium regni; nam filios regum ita assumptos fuisse, ex chronologia regum Juda est eruditus notum, & Salianus ostendit, id sæpe necessaridè debere dici: præsertim verò regibus Perfarum id facere moris fuit, dum expeditionem graviolem susciperent: atque hac ipsa ratione Xerxes à suo patre assumptus est, & quidem ante Artobazanem fratrem natum majorem; eoquod Xerxes porphyrogenitus fuerit, non autem Artobazanes. Hinc etiam incredibile non est, Artaxerxem præ fratre natum majore Dario ad solium vocatum; cum probabilissimè etiam Darius non fuerit porphyrogenitus; quia Herodotus refert, ei à patre post Salaminiam cladem (quæ contigit anno circiter octavo regni Xerxis) jam sponsam esse datam, quo tempore credibilissimum est, cum plus, quam octennem fuisse, adeoque ex Xerxe necdum regem natum.

84. Altera opinio est, initium hebdomadarum istarum sumendum ab anno vigesimo Artaxerxis, ex quo solus regnavit; anno enim vigesimo Artaxerxis, ut clarè habetur 2. *Esdra* 2. v. 6. Nehemias à rege est missus ad reedificandam sanctam urbem. ita Salianus ad annum mundi 3609. n. 3. &

& alii, Verum in hac sententia difficultas est magna in eo, quod non facile inveniantur ab eo tempore anni quadringenti nonaginta, vel quadringenti octoginta sex cum dimidio, usque ad Christum patientem, ut dici possit Dominus mortuus in dimidio hebdomadae: sed tantum inveniantur anni quadringenti septuaginta octo. At respondet Sallianus, annos istos sumendos esse lunares, qui, cum habeant tantum trecentos quinquaginta quatuor dies, sunt undecim diebus breviores annis solaribus: & addit, hoc videri intelligendum per hebdomades abbreviatas, scilicet, quod futurae sint breves, seu annorum lunarium. Docet insuper, Judaeis annos lunares in usu fuisse, quamvis negari non possit, eos etiam solaribus usos. Si dicas, Judaeos consuevisse, intercalare annos lunares, hoc est, aliquando mensem interponere, ut lunares anni aequarentur solaribus, respondent patroni hujus sententiae, hos mentes omisisse Angelum, tum, ut anni abbreviati manerent, tum, ut prophetia, sicut sepe semper solet, aliquid aenigmatis haberet: id quod Suarez non omnino improbat *tom. 1. in 3. p. disp. 1. sect. 2. §. Nihilominus.*

85. At necdum difficultas omnis exhausta est; nam quadringenti septuaginta octo anni solares faciunt, non tantum quadringentos nonaginta annos lunares, sed quadringentos nonaginta, & duos, cum trecentis duobus diebus, seu ferme quadringentis nonaginta, & tres annos; unde adhuc aliquid restat conciliandum, quod hac ratione fieri posse putatur. Inprimis annus vigesimus Artaxerxis, qui ex Salliano tantum adhuc tres menses duravit, negligi potest, sicut & ultimus mortis Christi, qui etiam integer non fuit: imò cum illa parte anni vigesimi Artaxerxis vix dimidium annum facit: adeoque duobus annis solaribus rejectis rejiciuntur duo anni lunares cum viginti duobus diebus. Ulterius anni solares non tantum undecim diebus, sed etiam sex horis circiter, sunt longiores: quae hora intra quadringentos septuaginta sex annos denud conficiunt dies centum, & novendecim: qui sufficienter compensant illos trecentos, & duos dies residuos; neque enim ob incertitudinem chronologiae profanae, & durationis imperii Persarum, atque Graecorum, potest ista res ad momentum determinari.

Opponit tamen adhuc potest huic opinioni, hac ratione Christum non esse mortuum post hebdomadam sexagesimam nonam, nec in dimidio hebdomadae septuagesimae, sed in fine hujus. Verum ajunt patroni hujus sententiae, aliud esse medium, aliud dimidium; istud enim esse totum illud, quod sequitur medium: adeoque inferunt, quod, si Christus ultima die hebdomadae septuagesimae esset mortuus, tamen fuisset verificatum, quod in dimidio, hoc est, in parte dimidia, nempe in posteriori, esset mortuus. Hoc tamen, ut fateor, videtur satis tortum, & praepalacet mihi sententia Cornelii, seu potius Petavii, utpote omnia multo facilius componens.

86. Tertia propheta desumitur ex *Aggai 2. v. 7.* ubi ita habetur: *Hac dicit Dominus DEUS exercituum. Adhuc unum modicum est, & ego commovebo caelum, & terram, & mare, & aridam: & movebo omnes gentes: & veniet desideratus cunctis gentibus, & implebo domum istam gloria, dicit Dominus exercituum. Meum est argentum, & meum est aurum, dicit Dominus exercituum. Magna erit gloria domus istius novissima, plus quam prima.* Ille desideratus gentibus est Messias: vel quia inter gentes semper fuerunt pii, qui eum desiderarunt: vel quia saltem fuit desiderabilis: vel, ut Suarez *tom. 1. in 3. p. disp. 1. sec. 3.* ait, desideratus significat, more prophetico, desiderandus; quia propheta saepe utuntur praeterito pro futuro.

Iste ergo desideratus ibi promittitur post modicum: ergo jam debuit venisse; nam, licet quingenti, & septendecim, vel viginti anni (quot scilicet annis ante Christum propheta vit Aggaeus) possint dici modicum (quia, ut ait Cornelius *in hunc locum* modicum erant respectu temporis jam elapsi ab origine mundi) tamen etiam respectu aetatis mundi non possunt dici modicum bis mille ducenti, & plures anni, ab Aggaeo ad nostra tempora elapsi: & praesertim tot anni non sunt modicum spatium, respectu Judaeorum afflictorum, & avidissimum jam tunc expectantium consolationem, & redemptionem.

Adde, quod gloria illius domus praedicta, si statuta maxime in eo, quod Messias venturus esset in illud templum: quod, si huculque factum non esset, non amplius fieri posset, templo illo jam funditus everso. Nec dici potest, esse adhuc prius templum; eoquod pars, vel fundamenta prioris manserint; nam propheta expressè distinguit primam domum à secunda, licet hac etiam fundamentis prioris fuerit inaedificata: ergo in sensu hujus prophetae non possunt modicæ prioris templi reliquiae, vel fundamenta dici prius templum.

87. Nec dicas, Herodem destruxisse templum Zorobabelis, & novum tertium aedificasse, adeoque etiam Christum juxta nos in secundo templo non fuisse; hoc enim negant Cornelius, & Hegesippus, dicentes, Herodem tantum prius templum ornasse, imò etiam Rabini tantum duo, Salomonis scilicet, & Zorobabelis, templa agnoscent. Quamvis autem Josephus videatur dicere, Herodem novum templum aedificasse, non propterea ei statim est assentiendum; nam ejus fides saepe vacillat, ut Baronius, Sallianus, & alii notant: imò Baronius *anno Christi 31.* ait, Josephum circa fabricam templi sibi contradicere, dum *l. 15. antiquit. c. 14.* insinuat, integrum templum Zorobabelis Herodem fuisse demolitum, & tamen *l. 20. c. 8.* asserit, permansisse porticum, vel saltem murum Salomonis, altum quadringentos cubitos, ex lapidibus quadratis, ex quibus quilibet erat viginti cubitos longus, altus vero sex cubitos, Insuper idem Josephus

l. 2. de bello Judaico. c. 16. scripsit, templum ab Herode tantum fuisse instauratum; ait enim de ipso: *Anno regni sui quintodecimo, & templum instauravit &c.* quin etiam *l. 15. antiquit. c. 14.* videtur tantum velle, partem templi fuisse à fundamentis de novo erectam, & priori templo additam, idemque templum magis perfectum. Certè refert orationem Herodis, in qua hic dicit, majores Judaeorum non potuisse perficere templum, & deesse illi sexaginta cubitos altitudinis, asseritque, se velle, opus ex necessitate imperfectum relictum, perficere, & integrum DEO praebere. vide etiam Cornelium à Lapide *in c. 2. Aggai v. 10.*

Hanc sententiam validè etiam propugnat Sallianus *ad an. mundi 2035.* cum Joanne Ekio, & Serrario, ac aliis, etiam ex eo capite, quod templum, tempore Christi stans, ex testimonio Judaeorum quadraginta sex annis structum sit, ut habetur *Joan. 2. v. 20.* Herodes autem tantum octo annis aedificaverit, adeoque non totum templum construxerit, sed tantum restaurationem, & ornatum priori addiderit. Hoc igitur templum Zorobabelis, ab Herode restauratum, gloriosius erat futurum ipso Salomonico; quia in illo tantum erat Arca, quae dicebatur *gloria Israël 1. Reg. 4. v. 22.* in hoc autem futurus erat ipse DEUS Salvator; sic enim hanc gloriam magnam templi secundi plus, quam primi, seu majorem, omnes Christiani explicant teste Cornelio *in Aggai 2. v. 10.* & S. Augustinus *l. 18. de civit. DEI c. 45.* etiam hunc locum de Christo exponit: quamvis non rejiciat etiam illos, qui ex versione septuaginta interpretum eum explicant, de membris Christi electis, seu de novo testamento.

ARTICULUS III

Solvuntur Objectiones.

88. **O**B. 1. Catholici varias excogitarunt interpretationes prophetiae Jacobi: ergo etiam licitum est Judaeis, similes excogitare: ergo non debet explicari de Christo. Confirm. 1. Potest dici, quod debeat auferri sceptrum à Juda, hoc est, transferri in aliam tribum: sed hoc nondum est factum: ergo, Confirm. 2. Ubi vulgata legit: *Donec veniat, qui mittendus est:* in Hebraeo legitur: *Donec veniat slob:* ergo intelligi potest, vel ipse locus Silo dictus: vel, donec veniat aliquis coronatus in Silo, ubi scilicet fuit arca DEI tempore judicum, saltem tempore Heli, ut habetur *1. Reg. 4. v. 4.* talis autem fuit Jeroboam, vel fortè Nabuchodonosor: ergo.

Resp. dist. ant. Catholici excogitarunt interpretationes varias, quoad substantiam prophetiae. neg. ant. quoad aliqua accidentalit, quae non sunt de fide. subdist. & id fecerunt cum magna ratione, considerando plura Scripturae testimonia, mutuo se juvenia, & explicantia, atque admittendo, quantum *R.P. Ant. Mayr Theol. Tom. II.*


tum fieri potuit, proprietatem verborum. conc. ant. secus. neg. ant. & conseq. Judaei autem absque ratione, & contra Scripturam, tantum fingunt. Ad 1. confirm. neg. ma. de hoc enim Scriptura altum tacet; unde gratis omnino fingitur.

89. Ad 2. confirm. neg. conf. Inprimis Rabini Christo antiquiores, ut Galatinus refert apud Suarez *tom. 1. in 3. p. disp. 1. sec. 1.* per vocem *slob* intelligunt Messiam, & Chaldaica paraphrasis eam vertit *Messias.* Dein vox *slob* si derivetur à verbo Hebraeo *Salah* (à quo eam derivaverit vulgatus interpretres; eoquod fortè invenit literis convenientibus scriptam) significat missum: si autem aliis literis scribatur, quibus modo vocem *slob* scriptam Biblia Hebraea referunt, significat abundantiam pacis, seu pacificum, quod Messia etiam maxime competit. Neque intelligi potest locus Silo; nam illi non congruunt sequentia adjuncta: *Gen. 49. v. 11. Lavabit in vino stolum suam, & in sanguine urae pallium suum: pulchriores sunt oculi ejus visis &c.*

Ulterius nullus potest ostendi, cui illa verba congruant, ita, ut ejus tempore tribus Juda scepro privata sit; nam una cum Jeroboamo regnavit Roboam: neque etiam usquam Scriptura meminit, quod Jeroboam coronatus sit in Silo: sed verosimilius id factum in Sichem, quam dein aedificavit, & inhabitavit, ut habetur *3. Reg. 12. v. 25.* Sed nec Sauli competit ea prophetia; quia ejus tempore necdum tribus Juda posita erat scepro, multò minus spoliata; nam postea primum in Davide ea tribus est ad thronum evecta. Imò etiam Saul probabiliter non fuit coronatus in Silo; quia Saulis tempore arca erat in Carthagini: *1. Reg. 7. v. 1.*

Minimè autem dici potest, eam prophetiam intelligendam esse de Nabuchodonosore (ut voluit Julianus Apostata apud Cornelium *in Gen. 49. v. 10.*) qui sua vita nunquam legitur fuisse in Silo: nec ei quidquam convenit de aliis dotibus Messiae; non enim liberavit, sed perdidit Judaeos. Adde, quod Danielis prophetia praedicta, venturum Christum, saltem totis septuaginta annorum hebdomadibus, post Nabuchodonosorem. Si dicas, non intelligi hunc Messiam, sed tantum alium quomodocunque missum, sicut etiam Nabuchodonosor missus est ad Judaeos, non salvandos, sed puniendos, falsum dicis; nam missus simpliciter dictus, in Scripturis intelligitur Messias, qui debet esse expectatio gentium: Nabuchodonosor autem tam longè abfuit, ut esset expectatio gentium, ut potius esset metus, & terror earum: insuper nec alia hujus prophetiae verba ei conveniunt, ut expediendi patebit: nec ullus, quantum scio, Judaeus, saltem ante Christum, fuit, qui hanc prophetiam non de Messia accipiendam duxerit.

90. Ob. 2. Potest dici, imperatorem Vespasianum, qui Judaeos subegit, & in quem à Juda sceptrum translatum est, fuisse Messiam.



am; nam insuper fecit aliqua miracula, scilicet cæcum sputo, & manum ægram calcando sanavit: ergo. Resp. neg. ant. Certè Vespasianus fuit hostis Judæorum, & non Messias, ruina, non salus: sed neque fuit ex tribu Juda, aut semine David, ex quo tamen oritur Messias Judæis est certum: imò Eusebius *l. 3. historia Ecclesiast. c. 12.* refert, quod Vespasianus jussit, in posteris omnes Davidis inquiri, ex qua causa Judæis gravissima persecutio exorta est: miracula autem ejus ficticia fuere, & magiæ vim non superantia. vide *tr. de virt. Theol. n. 100.*

91. Ob. 3. Posset saltem dici, Messiam fuisse Herodem Ascalonitam, qui parvulos innocentes interfecit; nam ipse ædificavit templum pulcherrimum, quod Messiam facturum prædictum est: item ille eo tempore vixit, quo sceptrum à Juda translatum est, & quidem hoc ipsum ei à Romanis est traditum; unde fuere orti Herodiani (de quibus *Matth. 22. v. 16.*) qui hunc Ascalonitam, teste S. Hieronymo, S. Epiphonio, & aliis, Christum esse crediderunt: ergo. Resp. neg. ant. Non est prædictum, Messiam ædificaturum templum: sed tantum ob præsentiam Messie templum posterius fore præ priori gloriosum. Licet autem Herodes eo tempore vixerit, non tamen alia ei conveniunt; nam inprimis ipse non est de familia David, non de tribu Juda, non salvator, sed oppressor Judæorum, non expectatio, sed terror gentium, non est sanctus sanctorum, sed homo pessimus: adulatorem autem illos Herodianos non moramur.

92. Ob. 4. Potest dici, à tempore captivitatis Babylonice mansisse hucusque in regione Babylonica principes Judæorum, & istos adhuc regnare, de jure saltem, in omnes per totum orbem dispersos Judæos: ergo sceptrum nondum est translatum. Confirm. Post Christum Herodes Agrippa, ex Judæis ortus, regnavit in Judæa: ergo sceptrum nondum erat translatum. Resp. neg. apt. nam fingere quilibet non est rationabiliter discurre: & sunt utique multi Judæi adhuc in regione Babylonica: at nullus habet principatum, aut regiam, vel similem potestatem: sed omnes ibi subsunt Mahometanis, vel aliis dominis. Dein, ut rectè Pererius ait, Jacob loquitur de sceptro in terra promissionis, ut patet ex iis, quæ addit S. Patriarcha de fertilitate illius terræ, quæ sorte Iudæis obvenitura esset: in Palestina autem nullus Iudæis dominatur jam à mille, & pluribus centenis annis.

Ad confirm. neg. conf. Sub Herode Ascalonita ablatum est sceptrum: hic autem, cum duxisset Mariamnam Judæam, Hircani principis, ex Machabæis orti, filiam, & ex ea genuisset Aristobulum, ex hoc ei genitus est nepos Herodes Agrippa, qui favore Cæsaris imperatoris regnum Judææ obtinuit; unde sceptrum iterum quidem restitutum est, quod futurum prophetia non negat: sed tantum affirmat, non ante transferendum, quam Christus veniret. Quanquam hæc

recuperatio modicum duraverit; nam Agrippa junior, supradicti, sive senioris filius, jam non amplius rex Judææ, sed tantum rex Chalcididis & postea etiam Trachonitidis, factus est, favore Claudii imperatoris. Imò in aliquo sensu, etiam sub Agrippa seniore, sceptrum ablatum mansit; quia hic Agrippa senior sceptrum Judææ accepit, non ex nativitate, neque ex electione, vel collatione facta à tribu Juda: sed ex voluntate Romanorum, id est, alienigenarum. vide dicta *n. 76.*

93. Ob. 5. Quamvis Machabæi, seu ut etiam vocantur Asamonæi, fuerint duces ex electione Judæorum, tamen non fuerunt de femore Judæ: atqui prophetia exigit, ut sint de femore ejus, id est, Judæ: ergo. Respondent multi, dist. ma. Machabæi non fuerunt de femore Judæ per lineam masculinam, conc. ma. per lineam femininam. neg. ma. & dist. sic min. neg. conf. Sed contra est; quia sic etiam potuisset Christus dici, ex tribu Levi, modò B. Virgo per lineam femininam ab ea descendisset: qui descensus non omnino probabilis videtur; quia cognata B. Virginis S. Elisabeth fuit orta ex tribu sacerdotali *Luc. 1. v. 5.* & sic Christus esset etiam sacerdos secundum ordinem Aaron, quod tamen expressè negat Apostolus *ad Hebræos 7. v. 11.*

Respondet tamen Gormaz de incarnat. *n. 221.* sacerdotium Aaronicum fuisse annexum sexui masculino; eo quod femina non esset capax sacerdotii: adeoque, ut Christus diceretur sacerdos secundum ordinem Aaron, non sufficere genus maternum: at non ita sceptrum fuisse alligatum sexui masculino; cum femina ejus fuerit capax. Sed quidquid de hoc sit, saltem hac ratione Christus posset dici de tribu Juda, vel de femore Judæ, aut etiam David, modò per lineam femininam B. Virgo descendisset à Juda, vel Davide, quod tamen non videtur posse admitti.

Aliter igitur respondet Cornelius à Lapide in *Gen. 49. v. 10.* seu in hac verba: de femore ejus: & ait, illud: *Donec veniat &c.* non referri ad illud: *Dux de femore*: sed tantum ad præcedentia: *Non auferetur sceptrum*; nam Scriptura sæpe aliquid subjungit duobus, quod tamen tantum refertur ad unum: sic *Gen. 15. v. 13.* dicitur Abrahamo: *Scito prænoscentem, quod peregrinatum futurum sit semen tuum in terra non sua: & subicient eos servituti, & affligent quadragesimo annis*; cum tamen verba *quadragesimo annis* tantum referantur ad peregrinationem: non verò ad servitutem, & afflictionem; nam Israelitæ tantum ducentis quindecim circiter annis fuerunt in Ægypto, & ex his per septuaginta, & unum annos, quibus vixit Joseph, post ingressum Jacobi in Ægyptum, item annis viginti duobus, quibus Levi vixit ultra Josephum, & forte adhuc diutius (de quo vide Lorinum in *c. 7. Act. Apost. v. 6.*) non fuerunt servituti subiecti, nec afflicti. Quare, ait Cornelius, istud: *Dux*

de femore: significat tantum, fore complures reges, & duces, ex ipso semine Judæ strictè dicto, non verò omnes.

Potest etiam dici, accipiendo verba prophetiæ ad omnem summularum rigorem, quòd ea prophetia, seu propositio Jacobi Patriarchæ, sit collectiva, adeoque significet, non esse simul auferendum sceptrum, & ducem, seu utrumque conjunctim: ex quo non inferitur, utrumque semper simul, seu conjunctim mansurum, donec veniat Messias; modò enim unum maneat, jam non utrumque auferatur: atqui usque ad Herodem mansit saltem sceptrum, seu potestas suprema in Juda: ergo utrumque non est ablatum; unde in forma om. ma. neg. min.

94. Ob. 6. Ubi vulgata Biblia habent sceptrum, Hebræa habent *scheveth*: quòd genericè significat virgam: per virgam autem intelligitur quidem aliquando sceptrum, ut *Psal. 44. v. 7. Virga directionis, virga regni tui*: sed etiam intelligitur supplicium, poena, vel tribulatio, ut *Psal. 2. v. 9. Reges eos in virga ferrea*: ergo potest explicari prophetia, quòd non auferetur tribulatio, vel supplicium à Juda, seu Judæis, donec veniat Messias: sed hæc nondum recessere ab ipsis: ergo. Confirm. 1. *Sheveth*, significat etiam tribum: sic *Psal. 77. v. 67.* ubi dicitur: *Tribum Ephraim non elegit*: Hebræa Biblia pro voce *tribum* habent *sheveth*: ergo iterum non debet intelligi sceptrum. Confirm. 2. Potest dici, prophetiam illam esse conditionalem, si scilicet Judæi semper manserint pii: ergo. Resp. neg. confeq. Significatio illius vocis *sheveth* hoc loco sufficientissimè determinatur à circumstantiis, quibus expositio ad verba minimè congruit; voluit enim Jacob Judæ prædicere fastid, ob quæ eum laudent fratres ejus: atqui juxta hanc explicationem prædixisset tristissima. Rursus subjungitur: *Dux de femore*: quod non quadrat explicationi adversariorum, ut patebit expendent. Tandem est falsum, non recessisse tribulationem per illud tempus, à tribu Juda; cum tribus Juda sub Davide, & Salomone, fuerit felicissima, & florentissima.

95. Ad 1. confirm. neg. confeq. Inprimis huic versioni hoc loco contrarij sunt communiter Hebræi ipsi, item paraphrasim Chaldee, septuaginta interpretes, & ferme omnes versiones. Dein sic Jacob nihil dixisset singulare, sed tantum prædixisset, non auferendam tribum Juda usque ad Christum, quod commune fuit etiam alijs tribubus, ad minimum tribubus Levi, & Benjamin; nam & sacerdotes adhuc fuere, qui debuerunt esse ex tribu Levi, & S. Paulus *ad Rom. 11. v. 1.* expressè ait, se esse de tribu Benjamin. Ad 2. confirm. neg. ant. nam si aliqua prophetia conditionalis est, vel habet conditionem expressè additam, vel ex alijs Scripturæ locis, ad ratione clara, debet conditio posse cognosci; aliàs possemus semper dicere, prophetias esse conditionatas, & Messiam nunquam venturum; eoquod

conditiones non sint impletæ, neque implendæ: sic autem eluderentur omnes prophetiæ, nec quidquam certi ex ijs colligi posset.

ARTICULUS IV.

Solvuntur Reliquæ Objectiones.

96. Ob. 7. In Danielis prophetia etiam dicitur, quòd in illis septuaginta hebdomadis futurum sit supplicium Judæorum, scilicet eversio urbis, ac templi: atqui hoc non contigit tempore Christi, sed primùm quadraginta annis post mortem Christi: ergo septuaginta hebdomades non sunt finitæ in morte Christi. Resp. neg. ma. Non dicit Angelus, illis septuaginta hebdomadis futurum etiam excidium urbis &c. sed tantum dicit, futurum immediatè post illas. Non autem dicas, ex hoc inferri, quòd neque Christus debuerit immediatè occidi post illas hebdomades; nam jam priùs dixerat Angelus, ab exitu sermonis futuras esse tot hebdomades ad Christum: quòd clarè indicat, Christum tunc esse venturum, & signato tempore occidendum.

Rursus dicitur, in dimidio hebdomadis septuagesimæ cessaturum sacrificium: hoc est, Christi sacrificium in cruce consummandum, post quod cessent hostiæ antiquæ. Dein expressè dicit Angelus, septuaginta hebdomades esse abbreviatas, hoc est, esse determinatas ad Christum: non autem dicit, esse determinatas ad excidium: sed tantum ad confirmationem majorem prophetiæ addit, post hæc futuram desolationem. Nec refert, ait Suarez *tom. 1. in 3. p. disp. 1. sec. 2. §. Sed quæres*, quòd in sermone Angeli non omnia prædicantur eo ordine, quo posita facta sunt; hic enim modus loquendi communis est apud prophetas, ut & occultentur mysteria, & nonnulla obscuritas misceatur.

97. Ob. 8. Posset dici, Cyrum hac prophetia fuisse designatum, qui Judæos iterum in libertatem asseruit: ergo non necessariò designatur Christus. Resp. neg. ant. Cyrus enim non est sanctus sanctorum, nec etiam unctus est: nec fuit dux populi fidelis; nec occisus est pro populo: imò Cyrus jam regnabat, cum Daniel hanc visionem accepit; unde non potuerunt usque ad illius regimen fluere quadringenti nonaginta anni, sive septuaginta hebdomades annorum.

Alia est quæstio, an non septuaginta hebdomades incipi jam debeant à Cyro: ad quam probabilissimè responderetur negativè; nam Cyrus non dedit potestatem ædificandi civitatem, sed tantum templum: nec etiam ex *Isaia c. 44. v. 28.* clarè habetur, Cyrum daturum esse potestatem, vel imperium ædificandi civitatem; nam ibi dicitur tantum: *Qui dico Jerusalem: Edificaberis*: non verò dicitur: *Edificaberis à Cyro*: certè non videtur sub ipso, sed sub ejus successore Artaxerxe

xerxe primùm ædificata; nam rectè ait Sallianus *ad an. mundi. 3609. n. 6.* si alius præter Nehemiam, templum, & civitatem ædificavit, quare hic solus celebratur à Scriptura *Ecclesiastici 49. v. 15.* & nullus alius? cum tamen etiam ij, qui condendis urbibus operam dedere, et si non omnino eas absolvent, ut Romulus, Ninus &c. soleant ab historicis celebrari; unde, quamvis interpretes dicant, ibi prædici civitatem ædificandam à Cyro, videtur per Cyrum intelligenda esse ejus familia, vel successores ejusdem.

98. Adde, quòd quadringentesimo nonagesimo anno à Cyro, nullus inveniatur, in quem possint convenire illa, quæ in prophetia adduntur; nam tunc à Salliano *ad ann. mundi 3973.* notatur Jannæus rex, & Pontifex Judæorum, de quo tamen nemo unquam inventus est dicere, quòd fuerit Messias. In eadem absurda inciditur, si incipiantur istæ hebdomadæ à Darij Hystaspis anno secundo; nam nec iste civitatem ædificare concessit, & annus ab eo quadringentesimus nonagesimus incidere in sexagesimum annum ante Christum: quo tempore Judææ præfuit Hyrcanus II. sed nec secundus, nec primus Hyrcanus, fuit sanctus sanctorum, nec alia prophetiæ verba eis conveniunt: nec primus occisus est, ut tamen Christus occidi debuit.

Dices. Et si nec Cyrus, nec Hircanus fuerit sanctus sanctorum, tamen de uno ex ipsis potest intelligi prophetia: ergo prob. ant. per illud: *Lingatur sanctus*: non intelligitur Christus, sed intelligitur templum, quòd est sanctum sanctorum: ergo. prob. ant. ubi noster interpretes legit *sanctus sanctorum*, in Hebræo legitur *sanctitas sanctitatum*: ergo intelligitur templum. Resp. neg. ant. ad prob. neg. ant. ad hujus prob. neg. conseq. Etiam si legatur *sanctitas*, non refert; quia Christus dicitur sanctitas: sicut rex vocatur sua majestas, princeps sua celsitudo &c. neque dici potest, post septuaginta hebdomadas unctum templum; quia post has potius fuit profanatum, & à Romanis combustum.

99. Ob. 9. Quando Aggæus dicit, majorem fore gloriam templi secundi, potest intelligi, quòd diutius sit duraturum: at qui diutius duravit: ergo non debet dici, in eo præsentem fore Messiam. Confirm. Hucusque nondum est commotum cælum, & terra, & mare &c. ergo necdum impleta fuere signa, à propheta isto prædicta, ante adventum Messiae futura. Resp. neg. ma. nam in primis templum secundum illis annis, quibus stetit diutius, quam primum, sæpe fuit pollutum ab Antiocho Epiphane, à Pompejo, à Cassio, & tandem à Tito; unde non tam ad gloriam, quam ad ignominiam templi fuere illi anni. Dein propheta gloriam non constituit in duratione, sed in eo, quòd venturus sit in templum desideratus cunctis gentibus.

Ad confirm. neg. ant. nam cæli suo modo commoti sunt ideo, quia Angeli ex

ijs descendere ad pastores: quia stella nova regibus in cælo apparuit &c. Rursum in baptismo Christi, vox Patris de cælo intonuit, & Spiritus S. descendit &c. Terra mota est plurimis antè bellis, donec Christo nato pax universalis fuerit orta. Ulterius plurima miracula contigerunt, quæ homines in terra moverunt, & in ipsis terram: sicut scilicet *Psal. 113. v. 7.* dicitur, ob prodigia in Ægypto patrata: *A facie Domini mota est terra.* Mare quoque commotum est plurimis bellis navalibus, etiam inter Romanos, item quibusdam etiam prodigijs. Gentis motæ sunt, tum ob bella prævia, tum ob descriptionem orbis, ab Augusto factam, tum ob varia prodigia &c. vide Cornelium *in c. 2. Aggæi v. 7.*

100. Ob. 10. Necdum sunt visa signa adventus Messiae, prædicta *Isaia c. 2. v. 2.* ubi dicitur fore *mons in vertice montium*, & *c. 11. v. 6.* & *7.* ubi dicitur, leonem, & vitulum, & ovem: item lupum, & agnum, simul accubituros: nec serpentes nocituros. Rursum *Amos 9. v. 13.* prædicitur, stillaturos montes dulcedinem: & uno verbo, summam fore fertilitatem terræ: ergo. Resp. has prophetias Judæi, qui pro more fabulas plurimas vendunt, literaliter volunt intelligi, dicuntque, tempore Messiae montem Sion per tres leucas attollendum, ac montibus Carmelo, & Thabor imponendum. Eodem modo putant, lupos verè physicè tales post Messiae adventum agnis non nocituros: item sperant, Messiam temporalem regem futurum, & omnem temporalem felicitatem, ac terrenas delicias allaturum.

Sed hæc sunt solita eorum ineptiæ; nunquid enim etiam, quando in prophetia Iacobi dicitur *Gen. 49. v. 9.* *Catulus leonis Juda*: ipse Iudas, vel ejus poster, debere fieri verè literaliter leones? & quæso, cur DEUS naturam animalium ita invertat? Ista igitur spiritualiter accipienda sunt, & metaphoricè, de exaltanda, & fundanda Ecclesia super montes, hoc est, Apostolos, & Patriarchas: item de moribus hominum, qui prius brutis fuere similes, ad omnem virtutem immutandis: de conferendis bonis spiritualibus Ecclesiae, de qua loquitur Amos. videatur Gormaz *de incarnat. à n. 226. & seq.* ubi, præsertim *n. 228.* rectè docet, bona, ratione Messiae promissa, afferre veram salutem, & cunctis mortalibus esse communia, qualia non sunt terrena. Adde, quòd Messiam Scriptura nobis proponat, maximè *Isaia 53. v. 3.* *despectum, & novissimum virorum, virum dolorum, & scientem infirmitatem &c.* ergo Messias non affert bona ista terrena, in sensu literali accepta: sed meliora, in sensu spirituali intelligenda.

101. Ob. 11. Ante Messiam debet venire Elias, ut habetur *Malachia 4. v. 5.* item debet Messias pugnare cum Gog, & Magog, ut habetur *Ezechielis 38. & 39.* rursum debet esse Berthelemita *Mihæa 5. v. 2.* cum tamen Christus noster sit Nazarenus: ergo Messias, necdum venit. Resp. Mala-

chiam loqui, non de primo, sed de secundo adventu Christi ad iudicium; quia ita ait *loc. cit.* *Ecce ego mittam vobis Eliam prophetam, antequam veniat dies Domini magnus, & horribilis.* Pariter de secundo adventu loquitur Ezechiel; quia loquitur de Gog, & Magog, de quibus etiam loquitur S. Joannes. *Apoc. 20. v. 7.* scilicet gentes illæ venient cum Antichristo ad debellandos fideles Hierosolymis. vide Cornelium *in c. 38. & 39. Ezechielis.* Quod ad tertium attinet, quamvis Christus sit origine, & diuturna habitatione Nazarenus, tamen nativitate est Berthelemita, ut notant omnes *ex Matth. 2. v. 1. & Luc. 2. v. 4. & 7.*

ARTICULUS V.

An Christus Dominus sit Messias, ac DEUS, & Homo.

102. Dico 1. Messias promissus, & jam dudum missus, est Christus Dominus, quem nos authorem fidei nostræ veneramus. Conclusio non quidem immediatè, sed tamen mediatè inferitur ex dictis. Primò; quia supposito, quòd Messias jam venerit, in nullo alium cadunt illa signa, quæ de Messia prædicta sunt, quam in Christum. Secundò; quia alii, qui assignantur à quibusdam paucis Iudæis, nullo modo salvatores fuere, ut patet ex responsis, hinc inde datis ad objectiones præcedentis articuli. Tertio; quia prophetiæ illæ à *n. 71.* allatæ, maximè congruunt tempori, quo Christus Dominus est natus. Quarto; quia Christi Domini miracula, vita, & mors, à prophetis tanquam de Messia prædicta fuere. Quintò; quia ejus prodigia, doctrina, aliæque signa credibilitatis, clarè probant (supposito saltem, quòd Messias jam venerit) hunc fuisse ipsum Christum Dominum. Sextò; quia supposito, quòd Messias jam adveniret, non difficulter Iudæi concedunt, eum fuisse Christum. Huc spectant etiam dicta *in tract. de virt. Theol. à n. 227.* de auctoritate Christi Domini, ejusque apud alios, etiam non Christianos, maxima veneratione.

Quærendum nunc ulterius est, tum contra Judæos, tum contra hæreticos, an Christus Dominus, simul DEUS, & homo fuerit. Dixi contra Judæos, & hæreticos; non enim modò agimus contra gentes, contra quos, ut expendenti patebit, probationes modò adducendæ ex Scripturis, quas gentiles non admittunt, non sufficientem vim haberent; hinc gentilibus debet prius probari, ex signis credibilitatis Ecclesia vera, & ex hujus doctrina Christi Messias, ejusque Divinitas, atque humanitas. At verò contra Judæos, & hæreticos, qui Scripturas Sacras admittunt, ex his ipsis efficaciter probari potest, Christum esse DEUM. Itaque

103. Dico 2. Messias non tantum est homo, sed etiam DEUS. Probat 1. contra Judæos præsertim, dein etiam contra

hæreticos, saltem plures, ex testimoniis legis antiquæ, & prophetiis de Messia, seu Salvatore, in quibus passim hic dicitur esse DEUS. Sic *Isaia 35. v. 4.* dicitur: *DEUS ipse veniet, & salvabit vos*: quòd autem propheta sermo sit de salute, per Messiam faciendam, probatur ex eo, quòd subjungat *v. 5.* signa, & miracula, quæ sunt prædicta à Messia patranda: *Tunc aperientur oculi caecorum, & aures surdorum patebunt &c.* & hinc ex hoc testimonio contra Judæos arguuntur sæpe S. Patres Athanasius, Cyprianus, Irenæus, apud Suarez: *tom. 1. in 3. p. disp. 2. sec. 3. §. Secundum testimonium.*

Idem *Isaia c. 9. v. 6.* ait: *Parvulus enim natus est nobis, & filius datus est nobis, & factus est principatus super humerum ejus: & vocabitur nomen ejus admirabilis, consiliarius, DEUS, fortis, pater futuri sæculi, princeps pacis*: quo loco paraphrasis Chaldaica expressum habet nomen Messiae. Nec dici potest, nomen DEI non sumi propriè; nam & Hebraicum nomen est proprium DEI: & ita etiam septuaginta verterunt: insuper Scripturæ non tribuunt nomen DEI absolute, & simpliciter, præsertim cum appellatione fortis, & aliis majestatem significantibus, nisi vero DEO. Urgent hoc testimonium Eusebius. *l. 7. de demonstr. Evægel. c. 4. & l. 9. c. 8. S. Chryostomus homil. 5. de incomprehensibili DEI natura. apud Suarez. sec. modo cit. §. Secundo principaliter.*

104. Rursum *Jeremia 23. v. 5.* dicitur: *Ecce dies veniunt, dicit Dominus: & suscitabo David germen justum: & regnabit rex, & sapiens erit: & faciet iudicium, & justitiam in terra. In diebus illis salvabitur Juda, & Israel habitabit confidenter: & hoc est nomen, quod vocabunt eum: Dominus justus noster.* Hoc loco clarè est sermo de Messia, tanquam germine David, & rege futuro, atque de ejus nomine *Dominus justus*: atqui in Hebræo habetur nomen *Tetragrammaton*, seu *Jehova* (ut legunt omnes Latini, Græci, & veteres Hebræi) quod nomen est proprium solius DEI: ergo Christi nomen est DEUS: & quia verè ei tribuitur, verè etiam DEUS est.

Simillima prorsus habentur *Jeremia 33. v. 14.* Nota tamen, quòd, licet vulgata Latina legat hic iterum: *Hoc est nomen, quod vocabunt eum*: Hebræi legant: *Hoc est nomen, quod vocabit eam*: scilicet Jerusalem, aut Ecclesiam: ubi, cum iterum habeatur vox *Jehova*, quæ vertitur *Dominus*, advertit Cornelius, juxta hanc versionem (quæ tamen authentica neutiquam est) dicendum esse, quòd Christus Dominus communicet nomen suum sponsæ suæ Ecclesiae, ut ipsa Christum semper in ore habeat, etiam dum se ipsam nominat, & dicat semper: *Dominus Christus est justitia mea.*

105. Iterum *Mihæa 5. v. 2.* scribitur: *Et tu Bertheleem Ephrata parvulus es in millibus Juda: ex te mihi egredietur, qui sit dominator in Israël: & egressus ejus ab initio,*

initio, à diebus æternitatis. Hic agitur de Messia, in Bethleem nascituro, ut Judæi facile concedunt, & teste S. Matthæo c. 2. v. 5. Herodi ex hoc textu significarunt, Christum ibi oriturum: ergo, cum dicitur: *Egressus ejus ab initio, à diebus æternitatis*: significatur esse æternus: sicut, quando *Ecclésiastici 24. v. 12. dicitur: Ab initio, & ante sæcula creata sum*: ergo Christus est æternus, non secundum naturam humanam: ergo Divinam: ita arguunt S. Hieronymus, & Eusebius.

106. Ulterius Baruch 3. v. 36. ita habetur: *Hic est DEUS noster, & non estimabitur alius adversus eum. Hic adinvenit omnem viam disciplinae, & tradidit illam Jacob puero suo, & Israël dilecto suo. Post hac in terris visus est, & cum hominibus conversatus est.* Hic sermo est de vero DEO, qui legem, & disciplinam tradidit Israël: de eo autem dicitur, ipsum visum esse, non tantum in apparitione quacunque, e. g. mediantibus Angelis (nam sic non tantum post hac, sed jam antè sæpius visus fuisse) sed per incarnationem, sive in natura assumpta, in qua etiam cum hominibus conversatus est.

Hinc ex hoc textu Judæos impugnant SS. Gregorius Nazianzenus, Cyprianus, Chrysostomus, Augustinus, Ambrosius, Basilus, item Eusebius: quoniam aliqui eorum prophetam Baruch confundant cum Jeremia; quia scilicet Baruch fuit scriba Jeremia; ut clarum est ex ipsa Jeremia; prophetia; unde etiam ortum est, quod antiquiora aliqua Concilia omiserint, hunc librum Baruch explicite ponere in canone sacrorum librorum; quia scilicet sub Jeremia, tanquam ejus appendix, comprehendebatur. vide Bellarminum tom. 1. controu. 1. l. 1. de verbo DEI c. 8. & Cornelium in proæmio ad Baruch. Plura similia testimonia ex testamento veteri vide apud Suarez tom. 1. in 3. p. disp. 2. sec. 3. §. Tertium testimonium. & Gormaz de incarnat. n. 209.

107. Probatur jam conclusio ex novo testamento contra hæreticos, qui istud admittunt: & primò quidem sic. Quod in veteri testamento tribuitur soli vero DEO, in novo tribuitur Christo: ergo Christus est DEUS. prob. ant. sic *Isaia 6. v. 1. dixit propheta: Vidi Dominum sedentem &c.* & in eadem visione dictum est v. 10. *Excava cor populi hujus &c.* at *Joan. 12. v. 41. dicitur, quod Isaias tunc viderit Christum: Hec dixit Isaias, quando vidit gloriam ejus, & locutus est de eo.* Iterum *Isaia 40. v. 3. dicitur: Vox clamantis in deserto: Parate viam Domini.* & v. 10. *Ecce DEUS vester, ecce Dominus DEUS in fortitudine veniet:* at *Matth. 3. v. 3. dicitur illa vox fuisse Joannes præcursor Christi.* Item *Isa. 45. v. 24. dicitur: Mihi curabitur omne genu:* at *ad Rom. 14. id applicatur Christo; dicitur enim v. 10. nos omnes staturos ante tribunal Christi: & ratio additur v. 11. Scriptum est enim: Vivo ego dicit Dominus, quoniam mihi flectetur omne genu.*

Rursum *Numer. 11. v. 1. item c. 21. v. 5. populus murmurat contra verum DEUM:* at *1. Cor. 10. v. 9. & 10. dicitur populus murmurasse contra Christum.* Item *Exod. 20. v. 2. dicitur DEUS eduxisse populum de Aegypto:* at *epist. S. Jude v. 5. dicitur, id fecisse JESUS:* ergo novum testamentum agnoscit Christum esse verum DEUM.

108. Probatur ulterius ex aliis textibus, in quibus, vel ipse Christus se DEUM dicit, vel ab aliis DEUS dicitur. *Joan. 10. v. 30. Christus dicit: Ego, & Pater unum sumus:* quæ verba ipsi Judæi intellexerunt de unitate consubstantiali; nam propterea Christum vocarunt blasphemum, & minitari sunt ei lapides; eoquod faceret se DEUM. *Joan. 8. v. 58. dicit Christus: Antequam Abraham fieret, ego sum: quod sum significat æternitatem, seu incommutabilem existentiam, & consequenter Divinitatem, ut exponunt Patres: ideòque iterum tanquam contra blasphemum Judæi sustulerunt lapides.* *Joan. 20. v. 28. dicit S. Thomas ad Christum: Dominus meus, & DEUS meus.*

Clarissime autem *Joan. 1. v. 14. dicitur: Et Verbum caro factum est:* de quo statim v. 1. dictum erat: *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud DEUM, & DEUS erat Verbum. Hoc erat in principio apud DEUM. Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil.* Ex quibus ultimis verbis acutè infert S. Augustinus *tr. 1. in Joan. circa medium.* ipsum Verbum factum non esse; aliàs esset factum, aut per se ipsum, aut per aliud Verbum prius, seu *Verbum Verbi*: de quo subjungit S. Antistes: *Ipsum dico ego unicum filium DEI.* Ulterius *1. Joan. 5. v. 20. dicitur: Filius DEI venit:* & additur: *Hic est verus DEUS, & vita aeterna.*

S. Paulus quoque de Christo scribit ad *Phil. 2. v. 6. Qui, cum in forma DEI esset, non rapinam arbitratus est, esse se æquale DEO.* Idem ad *Hebræ. c. 1. & 2. fuse probat, Christum esse DEUM.* Iterum ad *Rom. 1. v. 1. ait, se legatarum esse, nempe ad prædicandum Evangelium DEI, quod ante promiserat per prophetas suos in Scripturis Sanctis de filio suo, qui factus est ei ex semine David, & c. 9. v. 5. ait: Ex quibus Judæis est Christus secundum carnem, qui est super omnia DEUS benedictus in sæcula. Amen.* Plura vide apud Suarez tom. 1. in 3. p. disp. 2. sec. 2. vide etiam Thyrium in *Manuductione Mahometanorum p. 2. l. 3. c. 1. & seq.*

109. Dico 3. Christus est etiam verus homo. prob. Plurima sunt testimonia Sacræ Scripturæ, in quibus Christus absolutè, & simpliciter dicitur homo, atque dicuntur de eo, quæ tantum vero homini conveniunt: ergo. ant. prob. non adducendo textus; quia nimii forent: sed tantum eorum sensum insinuando: sic Christus dicitur conceptus, filius David, de femore Judæ natus, filius hominis: dicitur comedisse, fatigatus fuisse, passus, & mortuus: dicitur etiam homo simpliciter absque omni addito sepiissime: imò se ipsum sepiissime vocat hominem,

nem, vel filium hominis. Sic *Joan. 8. v. 40. Quæritis me interficere, hominem, qui veritatem vobis locutus sum.* *Joan. 9. v. 11. Ille homo, qui dicitur JESUS, lutum fecit.* *Joan. 10. v. 33. dicunt Judæi: Homo cum sis, facis te ipsum DEUM.* *Ad Rom. 5. v. 12. & 15. Christus, & Adamus, dicuntur homines, ille auctor gratiæ, hic causa peccati.* Superfluum esset plura adducere, cum sint prorsus ubique obvia similia testimonia, quæ omnia in alienum sensum, de phantastico tantum homine, velle torquere, planè est insulsum.

Confirmatur hæc, & simul priores etiam conclusiones. Scripturarum testimonia, si plura sint, seque mutuo juvent, & explicent, debent simul considerari, & dein inferri id, quod maximè congruè proprietati verborum, ut videtur esse per se clarum: atqui, si hoc fiat, videbitur, proprietatem verborum in omnibus textibus, qui pro his conclusionibus adducti sunt, optimè fervari, si Messias dicatur esse simul DEUS, & homo: debere autem verba valde absquè torqueri, si aliter de Messia sentiantur: ergo.

ARTICULUS VI.

Solvuntur Objectiones.

110. **O**B. 1. contra 2. conclus. Notæ probationes desumptæ sunt ex S. Scriptura: sed Manichæi rejiciunt testamentum veteris: Judæi novum: Schvvenkfeldiani utrumque: ergo nihil probamus. Resp. Idem faciunt ethnici; unde, sicut contra hos, ita etiam contra illos potest, & quandoque etiam debet, prius probari ex signis credibilitatis Ecclesiæ, & ex hac dein veritas Scripturæ. Interim nos arguimus ad hominem: & contra Judæos, admittentes testamentum veteris, ex isto argumenta depromimus. Solum posset opponi, librum Baruch à Judæis non admitti: sed etiam dempto eo testimonio, abundanter rem conficiunt alia. Dein etiam prudenti homini debet major esse auctoritas tot Patrum doctissimorum, & piissimorum, quam aliquorum Rabinorum. Manichæos autem urgemus argumentis ex novo testamento. Equidem verum est, eos dicere, quod novum testamentum in textibus sibi contrariis sit corruptum: sed, si volunt sibi credi, debent suum assertum probare; aliàs utique plus fidei merentur tot Concilia, & Patres, quam stulti illi hæretici, qui absurdissima quæque alia fixere.

111. Ob. 2. ex Erasmo Roterodamo, homine dubiæ fidei. Quando *Joan. 1. v. 1. dicitur: Verbum erat apud DEUM:* additur in Græco articulus elevans dictionem: quasi Latine diceretur: *Erat apud ipsum DEUM:* ut denotetur significari verus DEUS: cum verò dicitur: *DEUS erat Verbum:* non additur ille articulus: ergo ex hoc textu non probatur efficaciter Christi Divinitas. Resp. esse potius Grammaticum hoc argumentum, quam Theologicum: sicut

ipse Erasmus fuit quidem bonus Grammaticus, non autem Theologus. in forma. neg. conseq. Non semper, ubi etiam certò sermo est de vero DEO, additur articulus, ut eodem capite v. 6. *Fuit homo missus à DEO:* & v. 18. *DEUM nemo vidit unquam.* Econtra *Joan. 20. v. 28. ad nomen DEUS Christo attributum additur articulus.* Loco autem illo: *DEUS erat Verbum:* omittitur ideo, ut vult Suarez tom. 1. in 3. p. disp. 2. sec. 2. sub finem: & Cornelius in hunc versum *Joan.* ne videatur significari, eadem etiam Persona; cum priori loco sermo sit de Persona Patris.

112. Ob. 3. Christus *Joan. 12. v. 28. dicit: Pater major me est:* ergo Christus non potest esse DEUS. Confr. *Moyse Deutr. 18. v. 15. dicit: Prophetam de gente tua, & de fratribus tuis, sicut me, suscitabit tibi Dominus DEUS tuus:* & hic textus *Act. 7. v. 37. à S. Stephano explicatur de Christo:* ergo Christus est similis Moyse: sed hic fuit purus homo: ergo. Resp. neg. conseq. Christus enim est DEUS simul, & homo: ut DEUS unum est cum Patre, quo in sensu dicitur *Joan. 10. v. 30. Ego, & Pater unum sumus:* ut homo minor est Patre, imò etiam paulò minoratus ab Angelis, scilicet secundum naturam. Christus autem loco objecto loquitur de se tanquam de homine: quod patet ex verbis immediatè præmissis: *Quia vado ad Patrem;* hoc enim ipsi tantum convenit ut homini; nam ut DEUS est immensus, & non vadit, sed est ubique.

Ad confirm. dist. 1. conseq. Christus est similis Moyse, quoad omnia. neg. conseq. quoad aliqua. conc. conf. & conc. mi. subsumpta neg. 2. conseq. Erat scilicet Messias futurus similis Moyse quoad aliqua; quia erat futurus etiam propheta, legislator, homo, dux populi, mediator inter DEUM, & hominem &c. sed non erat futurus similis prorsus quoad omnia; aliàs debuisset etiam esse natus in Aegypto, & mortuus extra terram promissam: nec debuisset esse redemptor &c. Quando autem ibi dicitur, prophetam illum ideo dandum, ne populus debeat audire DEUM loquentem, intelligendum est, ne debeat audire loquentem eum tanto terrore, inter ignes, & tonitrua (certè hæc ratio ibidem adducitur) sicut locutus est in Horeb: non autem, quod populus non audiret sit loquentem DEUM in assumpta humana natura, totum benignum, amabilem, & affabilem.

113. Ob. 4. DEUS est omnipotens, & omniscius: Christus non est talis: ergo. prob. mi. Christus ipse *Marci 13. v. 32. ait, se nescire diem judicii.* item *Matth. 20. v. 23. & Marci 10. v. 40. fatetur, se filijs Zebedæi non posse dare sedes ad dextram, vel sinistram suam:* ergo nec est omniscius, nec omnipotens. Resp. Utraque hæc objectio, prout præcisè requireretur ad tuendam hanc nostram conclusionem, facile solveretur dicendo, quod Christus ista nec sciverit, nec potuerit ut homo sciverit verò, & potuerit ut DEUS. Quia tamen alia

alia de causa dici non potest, Christum etiam ut hominem omnino absolute, & simpliciter nescivisse diem iudicii, respondi in tract. de virt. Theol. n. 82. Christum de die iudicii tantum non habuisse scientiam communicabilem. vide ibi dicta.

Quod attinet ad potestatem dandi sedes ad dextram & ad sinistram, notandum, Christum non dicere tantum: *Non est meum dare*: sed: *Non est meum dare vobis*: id est, ut explicat Beda apud Cornelium in *Matth. 20. v. 23. vobis superbis*. Quod si urgeas, illud *vobis* deesse in textu Græco, & Syro, non refertur; nam adest in vulgata Latina, quæ est majoris autoritatis: quod si etiam abesset, facile subintelligeretur. Potest etiam dici cum Gormaz de *incarn. n. 238.* quod Christus non habeat eam potestatem, consequenter ad suum decretum, quo cum Patre decrevit, non dare sedes illas, nisi meritis: qua ratione etiam Pater non habet potestatem dandi, nisi ijs, quibus paratum est, scilicet habentibus proportionata merita.

114. Ob. 5. contra 3. conclusionem. Christus ingressus est ad discipulos januis clausis *Johannis 20. v. 19.* ergo fuit penetratus cum illis: ergo non habuit corpus. Confirm. Juxta Apollinaristas Verbum assumpsit carnem sine anima rationali, cujus vires supplevit Divinitas: ergo non fuit homo. Resp. neg. ultimam consequentiam; penetratio enim corporum admittitur ab omnibus Catholicis, Philosophis, & Theologis, tanquam supernaturaliter possibilis, & necessario contingit in Eucharistia, ubi Christi membra in sacra hostia debent esse compenetrata: nec potest in compenetratione corporum ostendi ulla implicancia, ob quam omnipotentia Divina negari possit: fines autem habet DEUS sibi gloriosos in eo miraculo innumeros.

Ad confirm. neg. conseq. licet enim hæretici aliquid dicant, non ideo est verum: & hæc falsitas est clarè contra Scripturam; dicit enim Christus: *Tristis est anima mea usque ad mortem. Matth. 26. v. 38.* & eadem verba repetuntur *Marci 14. v. 34.* Rursum *Matth. 27. v. 50.* dicitur de Christo: *Erigit spiritum. & Luc. 23. v. 46.* Christus ait: *Pater in manus tuas commendo spiritum meum*: ergo Christus habuit animam, & quidem spiritualem, seu humanam. Taceo alios plures textus, quibus Apollinaristæ aperte refelluntur.

QUÆSTIO IV.

De Communicatione Idiomatum.

ARTICULUS I.

Quid sit, & an detur in Christo Communicatio Idiomatum.

115. **I**dioma vox græca est, & ut habet Suarez. *tom. 1. in 3. p. disp. 35. ante sec. 1. à Patri-*

bus Græcis desumpta est. Latine autem per eam significatur, in specie quidem, & frequentiori hujus vocabuli usu *proprietas sermonis*: ac verò in genere significatur quæcumque *proprietas*: & in hoc sensu generico à Patribus, ac Theologis hæc vox hic accipitur: ex quo facile intelligitur, quod *communicatio idiomatum* sit *communicatio proprietatum*, seu attributorum: ex quo ulterius sequitur, quod, si in Christo detur hæc communicatio, debeant in ipso proprietates Divinæ, & humanæ naturæ, mutuo de DEO, & homine prædicari, ita, ut dicatur: *DEUS est homo, est crucifixus, & passus*: & vicissim dicatur: *Homo est DEUS, est omnipotens, omniscius &c.*

Magnum autem discrimen est, inter talem prædicationem, factam abstractivè, sive in abstracto, e. g. si dicatur: *Deitas est nata, passa: humanitas est omniscia*: & inter talem prædicationem, factam in concreto, e. g. si dicatur: *DEUS est natus, passus: homo est omniscius*; ut enim ex summis notum est, differunt inter se valde *termini concreti, & abstracti*. Illi significant subjectum, & formam e. g. *Homo est habens humanitatem: Album est habens albedinem*: at verò isti tantum significant solam formam, ut *humanitas, albedo*.

Ex hac differentia oritur magnum discrimen inter prædicationem terminorum conereterum, & abstractorum; nam, cum ad veritatem propositionis per se requiratur, & sufficiat, identitas recti subjecti cum recto prædicati, potest aliqua propositio, in qua subjectum, & prædicatum, sunt termini concreti, esse verissima, etsi formæ, seu obliqui subjecti, & prædicati, inter se non identificentur: sic verissimè dicitur de lacte: *Hoc album est dulce*; quamvis dulcedo, & albedo in lacte sint inter se, imò etiam à lacte distinctæ. At, si prædicentur, vel subjiciantur termini abstracti, cum in hoc casu ipsæ formæ sint subjectum, vel prædicatum, debet forma ipsa tanquam rectus identificari cum recto prædicati; unde falsa est hæc propositio: *Albedo lactis est dulcedo*: imò etiam falsa est ista: *Albedo est dulcis*. Hæc nota sunt ex summis logices; unde non ulterius explcantur, His notatis

116. Dico 1. In Christo non datur communicatio idiomatum inter naturam humanam, & Divinam, in abstracto sumptas. ita Catholici contra hæreticos quosdam Lutheranos Ubiquistas apud Bellarminum. *tom. 1. controu. 2. de Christo l. 3. c. 9.* qui Ubiquistas hanc communicationem vocant realem inter naturas, ita, ut humanitas realiter facta sit omnipotens, & ubique existens. Prob. conclusio. Vel essent hæ denominationes tantum derivatæ à quibusdam accidentibus, seu accidentalibus participationibus immensitatis, omnipotentia &c. & inprimis non essent in rigore simpliciter veræ; quia nulla limitata accidentalis participatio omnipotentia e. g. facit simpliciter omnipotentem: secundo Christo non tantum accidentaliter, sed substantialiter, communi-

unicata est omnipotentia per unionem hypostaticam.

Vel essent denominationes substantialiter, derivatæ ab ipsa omnipotentia intrinsecè unita, sicut corpus denominatur vivens ab anima substantialiter unita: & hoc est impossibile 1. quia attributa Divina non possunt esse forma respectu humanitatis tanquam subjecti, sicut est anima respectu corporis. 2. hoc esset (ut ait Suarez *tom. 1. in 3. p. disp. 35. sec. 1. §. Si autem dicatur secundum*) incidere in errorem Eutychetis; quia esset admittere unionem in natura: quasi Divinitas, & humanitas convenissent in unitatem naturæ (sicut scilicet anima tanquam forma, & corpus tanquam subjectum, conveniunt in unam naturam humanam) & facta esset compositio unius naturæ ex utraque, atque Divinitas unita fuisset humanitati per modum formæ.

Confirm. 1. Ut habet idem Eximius *loc. modo cit.* si daretur talis communicatio idiomatum, seu attributorum, tunc unio hypostatica potius fuisset facta in natura, quam in Persona; quia hæc attributa ad naturam, & essentiam DEI pertinent: sed hoc est falsum: ergo. prob. mi. quod DEO convenit ratione naturæ, convenit omnibus tribus Personis: ergo, si unio potius facta fuisset in natura, conveniret omnibus tribus Personis esse unitas humanitati: quod est aperte hæreticum. Confirm. 2. Ut detur communicatio idiomatum, debent etiam prædicata hominis communicari DEO, adeoque juxta adversarios prædicata humanitatis etiam communicari Divinitati: ergo etiam humanitas deberet esse forma respectu Deitatis, & hæc illius subjectum: item Divinitas deberet reddi mutabilis, passibilis, mortalis &c. sed hæc sunt aperte falsa, & hæretica: ergo.

117. Si autem dicatur, Divinitatem quidem esse formam respectu humanitatis, non verò humanitatem esse formam respectu Divinitatis, & ideo attributa Divinitatis denominare humanitatem, non verò vicissim; tunc inprimis tamen jam admittitur compositio unius naturæ ex his duabus; sicut nempe ex anima, & corpore, fit una natura in quovis homine: dicere autem naturam Divinam, & humanam, coalescere in Christo in unam naturam, est Eutychianum. Dein sequitur, prædicata humanitatis non posse dici de DEO, adeoque non posse dici, DEUM esse ex B. Virgine natum, sed tantum hominem: quod est Nestorianum. Insuper, etsi daretur (quod tamen est falsum) Divinitatem esse formam respectu humanitatis, tamen non daretur communicatio idiomatum talis, qualem adversarii volunt; nam, licet anima rationalis uniat corpori, tanquam forma, non ideo datur communicatio idiomatum inter terminos abstractos; nec enim verum est dicere: *Corpus est anima, est rationalitas &c.* quia non sufficit ad prædicationem tantum unio: sed requiritur identitas rectorum, subjecti, & prædicati, ut dictum n. 115. atqui non datur i-

R.P. Ant. Mayr Theol. Tom. II

dentitas inter Divinitatem, & humanitatem, & oppositum dicere est falsissimum, atque ad minimum Eutychianum: ergo.

118. Dico 2. Communicatio idiomatum in hoc mysterio stat in hoc, quod ratione unionis hypostaticæ, prædicata Divina, & humana, de eadem Persona, sive de Christo, in concreto prædicentur, ita, ut verè, & propriè possit dici: *DEUS est homo: Homo est DEUS*. ita omnes Catholici. Prob. Hac ratione cum veritate tribuuntur proprietates, seu prædicata Divina homini, & humana DEO: sed in hoc stat communicatio idiomatum: ergo hac ratione rectè ista explicatur. mi. patet *ex n. 115.* ma. prob. ad veritatem prædicationis sufficit identitas rectorum, subjecti, & prædicati, ut dictum n. 115. sed, quidquid sit de alijs conereticis substantialibus (de quibus inferius) in his conereticis, *hic homo*, intelligendo Christum, & *hic DEUS*, intelligendo Filium DEI, rectum est Persona Filij DEI: ergo, quando dicitur: *Hic DEUS est homo: Verbum est homo*: vel: *Hic homo est DEUS*: datur identitas rectorum; quia tam ex parte prædicati, quam ex parte subjecti, rectum est Persona Verbi: consequenter vera est prædicatio, prædicatorum humanorum de DEO, & Divinorum de homine, in quo formaliter stat communicatio idiomatum.

119. Confirm. 1. Vera est hæc propositio de saccharo in concreto: *Hoc album est dulce, & arridet gustui*: quamvis albedo non sit dulcis, nec arrideat gustui; imò quamvis nec ipsum subjectum, seu compositum ex materia, & forma, immediatè, & ratione sui, arrideat gustui, dummodo arrideat immediatè accidens unitum ei composito, seu subjecto: ergo etiam vera est hæc propositio: *Verbum est homo*: vel: *Hic DEUS est homo*: licet Divinitas non sit homo, imò licet ipsum Verbum immediatè, & ratione sui solius, non sit homo, modò habeat unitam sibi humanitatem.

Confirm. 2. Juxta omnes de aqua calefacta cum veritate dicitur: *Hæc aqua est urens*: licet ipsa ratione sui non urat, imò, nec ratione accidentis connaturalis, sed tantum ratione accidentis violentè uniti: ergo etiam Verbum, vel DEUS, potest dici homo in concreto, licet ratione sui Persona Verbi non sit homo, modò habeat sibi humanitatem unitam, præsertim, cum ista non sit ipsi violenta, sicut calor est violentus aquæ. Dixi semper *hic DEUS*, in quo termino complexo particula *hic* sumitur in sensu restrictiori, ut non tantum determinet hanc naturam Divinam, sed hanc personalitatem, id est, secundam: sæpe tamen omittitur ea particula, & simpliciter dicitur: *DEUS est homo*: sed tunc *DEUS* sumitur, sicut potest sumi, pro Filio DEI, qui vi unionis hypostaticæ supplet subsistentiam humanam, & cum natura humana complet hominem.

120. Dico 3. Non solum potest dici: *DEUS est homo: Homo est DEUS*: sed etiam, quæ dicuntur de DEO, seu de Filio DEI in

concreto, possunt dici de homine Christo in concreto, e. g. esse æternum, omnipotentem, omniscium &c. verbo: quidquid essentialiter, vel personaliter prædicatur de Filio DEI, potest dici de hoc homine: & vicissim, quidquid dicitur de hoc homine, potest dici de Filio DEI, e. g. esse passum, mortuum &c. ita rursus omnes Catholici cum Concilio Ephesino in epistola ad Nestorium in capitulis, seu anathematismis pluribus, maxime verò quarto, sexto, & præsertim duodecimo. Adverto tamen, prædicationes has fieri non reduplicativè, sed specificativè, sicut scilicet dicitur: *Album est dulce.*

Probatur autem hæc conclusio, sicut prior. Idem est rectum in his prædicationibus, scilicet eadem hypostasis Verbi: ergo sunt legitima; ac veræ: sic veræ sunt hæc propositiones: *DEUS est natus, passus, mortuus, ascendit ad cælos.* Ex quo rectè inferitur, propositiones contradictorias: *DEUS non est passus, non est mortuus:* esse falsas; nam particula *non* est malignantis naturæ, adeoque hæc propositiones significant, nullam Personam, quæ est DEUS, adeoque nullam Personam SS. Trinitatis esse passam in ulla sua natura: quod est falsum, & hæreticum. Nec in istis propositionibus, juxta receptam communiter à Patribus, & Theologis earum intelligentiam, subintelliguntur limitationes, quæ si adderentur, propositiones possent habere sensum verum, e. g. si limitarentur dicendo: *DEUS Pater non est passus:* vel: *DEUS non est passus secundum naturam Divinam.*

121. Nec dicas cum Arriaga in summulis. disp. 1. sec. 9. n. 68. in hac propositione de Christo: *Hic homo est mortuus:* rectum prædicari non esse personam; cum persona, utpote Divina, non sit mortua; nam sic in propositione superiori n. 119. *Hæc aqua est urens:* etiam non esset rectum prædicari aqua; cum ipsa ratione sui non urat, consequenter propositio non esset vera, quod est contra communem sensum, & modum loquendi.

Sicut ergo ista propositio habet hunc sensum: *Aqua est id, quod habet unitam formam immediatè urentem:* & altera: *Album est dulce:* habet hunc sensum: *Album e. g. saccharum, est id, quod habet unitam formam immediatè gustivè dulcem:* ita hæc propositio: *Hic homo est mortuus:* dicendo eam de Christo, habet hunc sensum: *Hæc persona Verbi est persona, quæ habet unitam humanitatem, quæ immediatè in se est mortua;* certè, nisi admitteretur ista explicatio similium propositionum, non posset defendi ut verè hæc propositio: *DEUS est mortuus:* quam tamen propositionem ut veram debent omnes admittere, atque etiam admittit Arriaga tanquam veram, & quidem ratione communicationis idiomatum: sed hoc ipsum optime explicatur, dicendo, eam verificari ratione identitatis rectorum.

122. Prudenter tamen hæc advertunt auctores, in hæc materia plurimum atten-

dendum esse ad usum, & auctoritatem Patrum: itémque ad sensum, quem communiter propositiones facere censentur; cautè enim in his materijs loquendum est; unde quedam propositiones, quæ licet per se, ratione communicationis idiomatum, verum sensum facerent, & consequenter de Christo admitti possent, tamen, quia ex acceptione, primò hæreticorum, dein Patrum, qui cum hæreticis disputantes, in eodem sensu cum illis eas propositiones acceperunt (aliàs ipsos non potuissent impugnare) quia, inquam, illæ propositiones ex tali acceptione sensum hæreticum, vel falsum acceperunt, neutiquam simpliciter præferendæ sunt, sed ad summum, addita limitatione, quæ eas veritati Catholicæ consentaneas reddat.

Sic istæ propositiones: *Christus est creatura: Verbum est mutatum: Verbum incepit esse in tempore: Christus est ubique:* non sunt simpliciter admittendæ; nam prima ex acceptione Arianorum, cui se accommodarunt Patres, significat, Christum esse puram creaturam: secunda ex mente Eurychianorum, significat, ipsam naturam Divinam esse mutata: tertia ex mente iterum Arianorum significat, Verbum, seu Filium DEI, etiam secundum naturam, quam habet præter humanam, incepisse in tempore, & consequenter non esse DEUM: quarta ex mente Ubiquitarum significat, Christum etiam secundum naturam humanam esse ubique: qui omnes sensus sunt hæretici.

Imò nec ista propositio: *Christus incepit esse:* si simpliciter, absque omni addito limitante, præferatur, est admittenda; quia Dominus ait de se Joann. 8. v. 58. *Antequam Abraham fieret, ego sum.* & S. Paulus ad Hebræos 13. v. 8. *JESUS Christus heri, & hodie: ipse est in sæcula:* dein falsum est, hoc suppositum incepisse, nisi addatur limitatio secundum humanitatem. Interim possunt admitti hæc propositiones cum limitatione, seu explicacione adjecta: *Christus est creatura secundum humanitatem: Verbum est mutatum in humanitate, & quoad istam:* si non in ipsa unitate (quod negat Suarez tom. 1. in 3. p. in commentario. q. 16. a. 6. post disp. 35. ex eo capite, quod unitio nondum supponat unionem, sed tantum sit via ad illam: communicatio autem idiomatum primùm sequatur unionem) saltem ratione aliarum actionum humanitatis postea secutarum. Similiter Christus quoad naturam humanam incepit esse in tempore: non autem quoad Divinam: & vicissim idem Christus secundum naturam Divinam est ubique, non verò secundum humanam.

123. Dices. Tamen DEUS dicitur simpliciter homo, natus ex virgine, passus &c. sinè his limitationibus, quæ tamen æqualiter debent subintelligi; nam etiam tantum secundum humanitatem DEUS est natus, passus &c. non verò secundum Divinitatem: ergo etiam simpliciter potest dici: *Christus est creatura &c.* Confirm. Conceptus hominis

minis essentialiter imbibit conceptum creaturæ: ergo non est opus his limitationibus. Resp. neg. conf. Si hæretici non appropriassent supradictis propositionibus malum sensum, tunc quidem eas possent ita intelligi, ac proferri: at modò id facere non licet, ne videamur ipsis consentire. Illæ autem propositiones, quæ in antecedente sunt posita, non habent appropriatum sibi malum sensum, sed jam subintelliguntur istæ limitationes, sicut & in hac propositione sæpius adducta: *Album est dulce:* jam subintelligitur *secundum albedinem*, non verò *secundum albedinem.* Ad confirm. neg. conf. Ratio patet ex modò dictis.

124. Plures adhuc propositiones examinat S. Thomas, & post ipsum Suarez, ac alii auctores, an de Christo dici possint, an non: & 1. quæritur, an, sicut dici potest: *DEUS factus est homo;* quia Joann. 1. v. 14. dicitur: *Verbum caro factum est:* eodem modo etiam possit dici: *Homo factus est DEUS.* Resp. cum S. Thoma 3. p. q. 16. a. 7. in corp. & Suarez tom. 1. in 3. p. in comment. q. 16. a. 7. post. disp. 35. hanc propositionem in rigore non esse veram; quia significat, vel hanc Personam esse factam, vel Deitatem esse factam: sive actionem facientem terminatam esse, vel ad Personam, vel ad Deitatem (istæ enim duæ se tenent ex parte prædicati) quarum tamen neutra cum veritate dici potest facta, nec ad ullam earum actio est terminata.

Si aliqui Patres propositione ista utuntur, non sumunt eam in rigoroso sensu, sed tantum in hac significacione: *Factum est, ut homo sit DEUS:* quo in sensu æquivaler illi: *DEUS factus est homo:* quæ utique, ut dictum, vera est, ideo quoque; quia etiam strictè sumpta tantum significat, DEUM per aliquam actionem, terminatam ad humanitatem, acquisivisse humanitatem. Nec est legitima conversio: *DEUS factus est homo:* ergo: *Homo factus est DEUS;* sicut non est bona conversio: *Puer factus est senex:* ergo: *Senex factus est puer:* nec enim ita converti debet prior propositio, sed sic: *id, quod factum est homo, est DEUS:* quæ est vera. Aliud est, si tantum dicatur: *Homo est DEUS;* hic enim nihil significatur factum.

125. Quæritur 2. an dici queat: *Christus est homo Dominicus.* Resp. propositionem hanc in sensu obvio rejicit S. Thomas 3. p. q. 16. a. 3. in corp. & Suarez tom. 1. in 3. p. in comment. q. 16. a. 3. post. disp. 35. atque etiam alii: imò S. Augustinus eam prius à se usurpatam deinde retractavit l. 1. retract. c. 19. sub finem. Ratio est; quia *Dominicus* significat, quòd Christus non tam sit Dominus, quam Domini; cum tamen ipse sit Dominus, & non ad Dominum spectet. Nec de hac acceptione hujus vocis est ulterior ratio petenda; quia ipsa vocum acceptio tota pendet ab auctoritate, & usu.

Quando autem Christus dicitur *Filius Divinus*, istud prædicatum ei rectè tribuitur; nam prædicatum *Divinus* non tantum

significat, quod est DEI, sed etiam, quod est DEUS; ab omnibus enim dicitur *essentia Divina*, quæ est vel maxime DEUS. Quamvis vox *Divinus* utique etiam significet id, quod tantum est DEI, vel spectat ad DEUM, aut ab eo productum est: & sic dicitur *cultus Divinus, gratia Divina.* Hinc Nestoriani, ut suam hæresin palliant, dicebant, quòd Christus sit *homo Divinus;* intelligendo, eum specialiter ad DEUM referri, non tamen reipsa DEUM esse. Quare etiam ista propositio: *Christus est homo Divinus:* non est admittenda.

Alii dicunt prædicatum *Divinus* tribui Christo relatè ad Patrem, cujus est; nam, ut ita loquar, Christus spectat ad Patrem. Equidem Suarez. loc. modò cit. docet, si per Dominum intelligatur DEUS Pater, posse Christum dici esse Domini, seu Dominicum; at, cum communiter intelligatur illud *Dominicus* non relatè tantum ad Patrem, sed ad totam Trinitatem, vel ad DEUM, abstraendo à relationibus, hanc propositionem, ait, communiter non esse admittendam.

Arriaga tamen disp. 46. de incarn. sec. 1. putat, fundamentum hoc Eximii (quod idem etiam est S. Thomæ) per se non esse undequaque solidum; nam, ait, rex dicitur *persona regia*, & essentia DEI dicitur *essentia Divina*, Sed, ut jam dictum est, verborum significatio pendet ab acceptione hominum: & vox *Dominicus* ex acceptione communi significat distinctionem à Domino (ideo enim à Nestorianis Christus vocabatur homo Dominicus) unde non est paritas cum aliis vocibus, quarum significatio ex communi acceptione non requirit talem distinctionem: & tales voces sunt *regius, Divinus, humanus* &c. Addit tamen Arriaga sec. cit. n. 4. hunc modum loquendi, seu dicendi Christum hominem Dominicum, rejectum fuisse à Patribus; eoquòd Nestorius his phrasibus *homo Dominicus, homo Divinus*, solitus fuerit suas hæreses tegere.

126. Quæritur 3. quid sentiendum de his propositionibus: *Christus in quantum homo, seu secundum quod homo, est DEUS, & in quantum DEUS est homo.* Respondeo, utramque in rigore esse falsam; quia particula *in quantum* in rigore reduplicat supra naturam: falsum autem est, quòd ratione naturæ humanæ Christus sit DEUS, vel ratione naturæ Divinæ sit homo. Tolerabilius esset, si diceretur *in quantum hic homo;* tunc enim ratione vocis *hic* reduplicatio fieret in suppositum.

Quæritur 4. quid censendum de hac propositione: *Christus est Divinitas, & humanitas.* Resp. non esse veram, si subiectum tantum sumatur denominativè; nam suppositum, vel Persona in Christo, non est humanitas. Si tamen sumatur subiectum reduplicativè, quiddativè, concretivè, vel potius, ut ita dicam, collectivè, hoc est, ut omnia constitutiva veniant in recto, propositio potest dici vera; tunc enim habet hunc sensum: *Complexum hoc Christus est Divinitas, & humanitas.* ita Gormaz de incarnat.

n. 580. Suarez tom. 1. in 3. p. disp. 35. sec. 2. §. Solet verò hic. Lugo de incarnat. disp. 10. n. 17. & seq. ubi ostendit, plures Patres hoc modo loquendi de Christo uti.

127. Quæritur 5. de hac propositione: *Christus in quantum sive secundum quod homo, est persona.* Resp. cum S. Thoma 3. p. q. 16. a. 12. hanc propositionem habere posse varios sensus: ex quo statim inferri videtur, simpliciter prolata non facile esse admittendam, ne videamur favere Nestorio; si enim sensus sit: *secundum quod hic homo:* ait S. Doctor, utique esse personam, ut etiam diximus. n. præced. Si verò sensus sit, Christum habere personalitatem, humanæ naturæ naturaliter debitam, propositio est falsa, & Nestoriana. Si autem sensus sit, humanam naturam Christi esse, ut ait S. Doctor loc. cit. in aliqua persona: seu non esse, ut ita loquar, vagam, aut universalem, sed esse terminatam substantiâ Divinâ, sive esse suppositum humanæ naturæ, propositio est verissima.

Quærit tamen Eximius tom. 1. in 3. p. in commentario q. 16. a. 12. post. disp. 35. ulterius, an possit dici: *Christus, in quantum homo, est persona humana:* de qua idem Eximius etiam agit in comment. ejusdem q. a. 1. §. Sed urget. & hic ait, si quidem intelligatur persona propria, & connaturalis humanitati, utique in Christo non dari personam: si autem tantum intelligatur persona subsistens in humanitate, posse ita appellari Christum personam humanam, & ita appellari à SS. Ambrosio, & Damasceno. dein comment. a. 12. §. Solum queri. ait iterum, Christum in hoc sensu posse dici personam humanam, & addit rationem; quia Christus, ut est sub humanitate, est persona composita, ut Patres loquuntur: & licet ab humanitate non habeat, ut sit persona, habet tamen, ut sit humana. Hanc tamen propositionem, in rigore acceptam, omnino rejicit Gormaz de incarnat. n. 625. quia, ait, ad rationem personæ requiritur, ut natura, cum qua constituitur persona, & à qua hæc denominatur, e.g. Angelica, humana, maneat sui juris: quod utique non contingit in humanitate Christi: & certè, si hunc sensum faceret ea propositio, non esset vera; hinc sine explicatione non est admittenda.

Magis autem mihi videtur attendendum esse ad hanc propositionem: *Christus est persona creata:* certè enim personalitas creata in ipso non est; unde hæc propositio, ut jacet, ob periculum Nestorianismi non est simpliciter admittenda: sicut n. 122. diximus, ob periculum Arianismi non esse admittendam istam propositionem: *Christus est creatura.* Si tamen limitetur, vel explicetur, ita, ut tantum intelligatur, personalitatem Divinam constituere in Christo cum natura humana suppositum, inæquate, seu secundum unam naturam creatum, tollerari potest. Fateor tamen, sensus hic non videtur esse obvisus hujus propositionis. Uno verbo: similibus propositionibus non sine magna cautela utendum est; quia facile er-

ror incurritur; unde Gormaz de incarn. n. 569. neque admittit hanc propositionem simpliciter prolata: *Christus est persona Theandrica;* quia posset latere error Eutycheus.

128. Quæritur 6. an possit dici: *DEUS, vel Christus est sanguis, est anima, est corpus.* Resp. has propositiones non admitti; non enim datur communicatio idiomatum inter partes naturæ, seu partiales naturas, sed tantum inter naturas completas in concreto. Sic nec de homine puro, e.g. Petro, dicitur: *Petrus est sanguis, est anima:* neque enim, ut rectè ait Gormaz de incarn. n. 579. licet fingere pro arbitrio significationes nominum, vel propositionum: sed debemus uti iis, quæ communi usu receptæ sunt. Hinc in triduo mortis, licet Persona Verbi fuerit unita sanguini, etiam effuso, item corpori, & animæ, non tamen potuit dici: *DEUS est sanguis: DEUS est effusus:* minus: *DEUS est corpus;* quia præsertim hæc propositio ex acceptione Manichæorum significaret, ipsam Divinam naturam esse corporalem.

Interim est innegabile, aliquas propositiones similes ex usu Ecclesiæ in sensu legitimo esse admittas: sic in symbolo Apostolorum, dicitur de Christo Filio DEI, quod sit sepultus, quod descenderit ad inferos; cum tamen tantum corpus sepultum sit, & sola anima ad inferos, seu limbum descenderit. Hic autem modus loquendi ideo admittitur; quia in sensu morali, ab hominibus communiter usitato, quoad sepulturam, & apparitiones hominum, sumitur, saltem per syn. dochen, pars pro toto, e.g. corpus, vel anima pro toto homine; nam dicimus etiam de puro homine, e.g. Petro, eum esse sepultum, eum apparuisse post mortem, & auxilium petiisse: sic etiam S. Augustinus tract. 47. in Joan. multum post medium ait, dici, S. Paulum & esse cum Christo, scilicet secundum animam, & esse Romæ in sepulchro, scilicet secundum corpus: & sic etiam hic sumitur pars pro toto Christo: legatur S. Augustinus cit. tractatu. Non tamen licet ubique adhibere similes tropos, sed tantum, quando ab Ecclesia, vel doctoribus communiter usurpantur: multò minus licet, per communicationem idiomatum quævis prædicare.

129. Quæritur 7. an Christus debeat dici unus, vel duo. Resp. Debet dici simpliciter unus; quia masculinum significat personam: & hinc in SS. Trinitate datur alius, & alius: sed non aliud, & aliud; quia dantur plures Personæ, non plures naturæ: at in Christo tantum datur una Persona. Si ulterius quærat, cum in Christo dentur duæ naturæ, an non possit Christus dici duo neutraliter, hoc est, unum, & aliud; genus enim neutrum, seu nomen neutraliter acceptum, significat naturam.

Resp. cum S. Thoma 3. p. q. 17. a. 1. in corp. & Suarez tom. 1. in 3. p. in commentario q. 17. a. 1. §. Secunda assertio. post disp. 35. Christum etiam neutraliter acceptum debere dici simpliciter unum tantum; nam unum

unum neutraliter, vel substantivè acceptum, significat, vel unum suppositum, vel unum individuum, vel unum ens: & quandocunque dicuntur duo simpliciter, intelliguntur duo individua, vel supposita distincta: atqui Christus est sub triplici dicta ratione tantum unum (non quidem simplex, sed compositum, compositione tamen substantiali, ex qua resultat ens unum per se) nec est duo individua, vel supposita: ergo Christus debet dici unum, & non duo. Dicit tamen potest, quod in Christo sit aliud, & aliud, scilicet duæ naturæ distinctæ: item potest dici, quod Christus ex alio, & alio neutraliter, constituatur, ut expressè loquitur Nazianzenus apud Suarez loc. cit. §. In hac re. dicens: *Aliud, & aliud sunt, ex quibus est Salvator: non tamen alius, atque alius; ambo enim hæc connexionem unum sunt.*

ARTICULUS II.

Solvuntur Objectiones.

130. **O**B. 1. Sap. 14. v. 21. dicitur de idololatriæ: *Incommunicabile nomen lapidibus, & lignis imposuerunt:* hoc est, DEOS vocarunt: ergo nomen DEI est incommunicabile: ergo non potest homo esse DEUS. Confirm. 1. Hæc propositio: *Homo est DEUS:* est in materia remota, seu impossibili: ergo non potest esse vera. Confir. 2. Psal. 80. v. 10. dicitur: *Non erit in te DEUS recens:* atqui, si homo esset DEUS, foret DEUS recens: ergo. Resp. dist. 1. conseq. Nomen DEI est incommunicabile, per identitatem naturæ, alteri DEO. conc. conseq. est incommunicabile per unionem personæ, & communicationem idiomatum. neg. 1. & 2. conf. Idololatræ pluribus attribuebant per identitatem naturam Divinam, non ita Christiani.

Ad 1. confirm. dist. ant. illa propositio est in materia impossibili, si intelligatur, homo esse DEUS per identitatem. conc. ant. si intelligatur esse DEUS tantum per unionem, & communicationem idiomatum. neg. ant. & conseq. Sic etiam est in materia impossibili hæc propositio: *Hircus est cervus:* quia significatur identitas naturarum, de qua re vide n. 11. Ad 2. confir. neg. mi. Homo non est alius DEUS, quam ille, qui jam est ab æterno.

131. Ob. 2. Magis conveniunt tres Personæ Divinæ ad invicem, quam humana natura, & Divina, & tamen inter illas tres non datur communicatio idiomatum; non enim est vera propositio: *Pater est Filius, aut Spiritus S.* ergo nec datur ea communicatio in his duabus naturis. Resp. neg. conf. intelligendo communicationem idiomatum, non inter naturas in abstracto, ut jam diximus, sed in concreto. Ratio autem est; quia communicatio idiomatum fundatur in convenientia ratione suppositi, quod est rectum propositionis: at tres Personæ non conveniunt in ratione suppositi,

sicut tamen conveniunt duæ naturæ in Christo: adeoque est lata disparitas.

Unde, ut in casu, quo unirentur eidem materiæ forma hirci, & cervi; posset dari communicatio idiomatum (quam aliqui videntur tunc admittere) deberent duæ illæ formæ convenire in unum suppositum: in quo nunc nullam video implicentiam; nam, si subsistentia sit negatio, tunc, non quidem daretur subsistentia hirci, aut cervi; quia tam hircus, quam cervus, essent uniti enti perfectiori, nempe composito tertio, ex duabus naturis resultanti: attamen daretur negatio unionis hujus ipsius compositi cum ente perfectiore, seu cum alio adhuc perfectiore composito: si autem subsistentia non stet in negatione, sed sit modus, etiam non video, quare non sit possibilis modus, terminans simul utramque naturam: si autem talis subsistentia foret impossibilis, tunc inter hircum, & cervum, communicatio idiomatum non daretur.

132. Ob. 3. Anima, & corpus, non prædicantur de se invicem, quamvis sint unita: ergo neque possunt de se invicem prædicari DEUS, & homo in Christo, prob. conseq. in symbolo S. Athanasii dicitur: *Sicut anima rationalis, & caro, unus est homo, ita DEUS, & homo, unus est Christus:* ergo. Confirm. 1. Verbum non prædicatur ab humanitate: ergo non datur ista communicatio. Confirm. 2. Nihil est magis proprium humanitati, quam esse humanitatem: & Divinitati, quam esse Divinitatem: & tamen istæ proprietates non prædicantur de se invicem; non enim est vera propositio: *Divinitas est humanitas:* vel vicissim: ergo neque possunt prædicari aliæ proprietates.

Resp. conc. ant. neg. conseq. nam ista sunt abstracta, non concreta, neque naturæ completæ, sed tantum partes naturæ. ad prob. neg. conf. Licet ista aliquo modo similia sint, non tamen sunt omni modo similia, sive, licet decur aliqua similitudo, non tamen datur omnimoda. Similia quidem sunt in hoc, quod, sicut anima, & caro faciunt, per unionem substantialem ens per se unum, ita etiam homo, & DEUS, in Christo faciunt unum ens per se per unionem substantialem hypostaticam: at non eodem modo faciunt unum in natura; nec enim, ut anima, & corpus, faciunt unam naturam completam, ita etiam in Christo DEUS, & homo, faciunt unam naturam; cum in Christo sint duæ integræ naturæ. Secundò (quod maxime huc facit) anima, & corpus, sunt tantum termini abstracti, vel partes concreti, seu naturæ incompletæ, quæ ex n. 128. non possunt de se invicem prædicari: at DEUS, & homo, sunt termini concreti, & involvunt naturas completas, quæ de se invicem in concreto possunt prædicari.

133. Ad 1. confirm. conc. ant. neg. conf. Communicatio idiomatum non exigit perfectibilitatem, sed unibilitatem, & unionem. Ad 2. confirm. dist. ant. & humanitas, ac Divinitas, sunt termini abstracti.

Et. conc. ant. sunt termini concreti. neg. ant. & dist. conf. ergo nec prædicantur aliæ proprietates in abstracto. conc. conseq. in concreto. neg. conf. non enim est verum dicere: *Christus est mortalitas, passibilitas*: sed tantum: *Christus est mortalis, est passibilis*.

Nec dicas, etiam hominis, in concreto sumpti, propriam esse animam, vel humanitatem; quia non potest sine ista esse. Resp. enim, esse proprietatem quidem concreti, sed non in concreto, sive non esse terminum concretum, & proprium, qualis hinc intelligitur: sive non esse prædicatum aliquod, in concreto affirmabile de homine; non enim est verum dicere: *Homo est anima*: vel: *Homo est humanitas*. Unde Suarez tom. 1. in 3. p. disp. 35. sec. 2. §. Quarto sequitur. ait de hac propositione: *Christus est Deitas*: eam esse tantum veram in sensu identico, scilicet Christus est Verbum, sive DEUS, & Verbum, sive DEUS, ac Deitas, realiter identificantur, Addit Eximius, hanc locutionem non esse propriam, nec formalem, & hinc non posse assumi ad inferendas aliquas propositiones, quæ sensum formalem faciunt, & falsæ sunt, de quibus modò.

134. Ob. 4. contra dicta n. 126. Vera est ista propositio: *Christus est Divinitas, & humanitas*: sed Christus est mortalis, imò passus: ergo Divinitas, & humanitas sunt mortales, passibiles, & passæ: quod est falsum. Resp. retorq. Petrus est anima, corpus, & unio: sed Petrus est rationalis, liber, & homo: ergo etiam anima, & corpus, & unio, sunt rationales, liberæ, imò homines. Eodem modo probaretur, quòd in saccharo dulci, & albo, etiam albedo esset dulcis. in forma. neg. conf. Major propositio est identica, & collectiva omnium partium, seu constitutorum Christi: & Christus in ea est quidditative acceptus: in minori autem est denominative acceptus, seu pro supposito, habente humanam naturam passibilem &c. Dein in conclusione partes sunt distributive acceptæ, & prædicatum, quod saltem quibusdam non convenit, nisi in concreto, est tributum ipsis in abstracto: ergo est alia suppositio terminorum.

Neque etiam concludit iste syllogismus: *Christus est Deitas: sed Christus est passibilis, & mortalis: ergo Deitas est passibilis, & mortalis*; nam in majore Christus sumitur formaliter pro Persona Divina: in minore sumitur pro natura humana in concreto: ergo est mutatio terminorum. Dein Deitas est quidem realiter identificata cum secunda Persona SS. Trinitatis: at tamen etiam est virtualiter distincta, estque syllogismus hic similis huic: *Christus est Deitas: sed Deitas est Pater: ergo Christus est Pater*.

Hæc autem propositio, olim aliquando asserta: *Deitas est passæ*: excusari debet, ut ait Suarez tom. 1. in 3. p. disp. 35. sec. 2. §. Sed contra. nam lumbetur tunc in sensu

identico; & minùs proprio, Deitas pro DEO: atque addebatur limitatio, scilicet Deitatem esse passam secundum carnem; aliàs propositio illa, simpliciter prolata, in rigore non est vera, & in Concilio Chalcedonensi action. 5. in definit. fidei. damnatur dicens, Deitatem esse passibilem. videatur etiam Lugo de incarnat. disp. 23. n. 32. Nullo autem pacto dici potest: *Christus est humanitas*; quia humanitas non est realiter identificata Personalitati Divinæ, quæ datur in Christo, uti tamen est identificata Deitas: nec etiam humanitas est adæquatè homo, nec in sensu identico, uti tamen Deitas in sensu identico est adæquatè DEUS. Alia etiam propositio, in qua communicatio idiomatum videtur adstrui, inter terminos abstractos, afferri solet ex antiphona Ecclesia in festo S. Crucis. *Mors mortua tunc est, in ligno quando mortua vita fuit*: sed rectè respondet Eximius loco modò cit. per vitam metaphoricè significari Verbum, seu DEUM, qui in natura humana est mortuus.

135. Ob. 5. Non potest de Christo in concreto prædicari hoc prædicatum *creatura*: ergo nec istud homo. prob. conf. creatura est genus: homo est species: sed de quo non potest prædicari genus, etiam non potest prædicari species: ergo. Confir. Ea, quæ prædicantur de DEO, & sunt prædicata absoluta, conveniunt toti SS. Trinitati: sed tale prædicatum absolutum est prædicatum homo: ergo, si prædicatur de DEO, convenit toti SS. Trinitati: hoc est falsum; nam nec Pater, nec Spiritus S. est homo: ergo. Resp. dist. ant. de Christo non potest hoc prædicatum *creatura* prædicari per se. neg. ant. non potest prædicari per accidens, scilicet ob accidentalem malam acceptionem, & determinationem hujus prædicati ad malum sensum. conc. ant. & neg. conf. ad prob. dist. mi. subsump. de quo per se non potest prædicari genus, etiam non potest prædicari species. conc. mi. de quo tantum per accidens non potest prædicari genus. neg. mi. & conf. cum enim accidentaliter illa mala acceptio, & determinatio ad malum sensum, non adsit in specie, seu prædicato hominis, non est, cur istud non possit prædicari.

136. Ad confir. neg. mi. ita enim habet S. Thomas 3. p. q. 16. a. 4. ad 4. *Hoc nomen homo prædicatur de DEO ratione unionis in persona, qua quidem unio relationem importat: & ideo non sequitur regulam eorum nominum, qua absolute prædicantur de DEO ab aeterno*. Scilicet concretum hoc homo, prout prædicatur de DEO, involvit suppositum secundæ Personæ Divinæ: adeoque est relativum. Eodem modo respondendum est, si invertatur hæc obiectio, & dicatur: DEUS prædicatur de homine: sed DEUS est Pater: ergo etiam de homine prædicatur Pater; responderetur enim: hoc nomen DEUS, prout nunc de homine Christo prædicatur, formaliter, & concretivè, supponit pro Filio DEI: vel, si in alia providentia esset alia Persona incarnata

DISPUTATIO II.

De Constitutivis Intrinsicis Incarnationis.

138. Explicanda hinc veniunt, quæ Christum, seu Verbum incarnatum, intrinsicè constituunt: atque aded agendum de subsistentia, persona, hypostasi &c. inde de unione hypostatica, an sit aliquid ab extremis distinctum, an entitas absoluta, an modalis, an una, vel duplex. Examinandum quoque, an sola secunda Persona humanitatem assumpserit, & cur aliæ Divinæ Personæ nequeant dici incarnatæ: an potuissent aliæ Personæ humanitatem assumere, & an omnes tres eandem, vel una Persona tres humanitates: an assumi à DEO potuisset natura, prius peccato infecta: an natura etiam irrationalis: an etiam accidens: & similia, quæ vel per se, vel ex occasione tractabimus. Sitigitur

QUESTIO I.

De Subsistentia.

ARTICULUS I.

Explicantur termini in hac questione usitati.

139. Explicandi hinc sunt aliquot termini, scilicet, *natura, persona, suppositum, subsistentia, &c.* sine quorum intelligentia quæstio hæc clarè decidi non potest. *Natura*, ut à Theologis accipitur, significat essentiam, seu rationem specificam uniuscujusque substantiæ, præscindendo, an sit una, vel multiplex, an per se, vel in alio subsistat. A Boëtio l. de duab. naturis, non longe ab initio sic natura definitur: *Unamquamque rem informans specificâ differentiâ: paulò autem inferius persona sic definitur: Natura rationalis individua substantia: quæ vox substantia hinc Boëtio idem significat, ac subsistentia; nam adhuc inferius ait: Persona vero rationalis natura individua subsistentia.*

Hanc Boëtij definitionem quoad personas creatas admittit etiam Richardus à S. Victore. l. 4. de Trinit. c. 23. at vero c. 22. vult, quòd Persona Divina debeat definiri: *Natura Divina incommunicabilis existentia: quam definitionem etiam quoad personas creatas amplectitur Joannes Theologus in Concilio Florentino sess. 19. in editione Colonien. §. Quoniam non me. In editione Severini Binij, quæ eam sessionem in minores §§. dividit §. In genere autem humano. ubi dicitur Joannes sic loquitur: Persona dicitur esse natura, rationis capax, incommunicabilis existentia. Jam suppositum differt à persona, sicut genus à specie; nam dicitur de omnibus communiter, e. g. dicitur suppositum equi, suppositum bovis, suppositum etiam hominis: at non dicitur persona equi, aut bovis, ut rectè advertit Boëtius loc. cit. & hinc communiter dicitur quòd*

nata, supponeret pro illa: & semper saltem indeterminatè supponit pro aliqua ex Personis, quæ non est communis tribus: non autem in abstracto, quæ communis est. Si tamen urgere velis, hoc nomen, saltem in sensu identico, posse supponere pro Deitate in abstracto. Resp. dari distinctionem virtutalem. vide etiam n. 134.

137. Ob. 6. Hæc propositio: *Due natura, Divinitas, & humanitas, sunt unus Christus*: est quarta inter propositiones Hussij, damnata à Concilio Constantiensi sess. 15. ergo falsa est etiam ista ei æquivalens: *Christus est Divinitas, & humanitas*: quam tamen n. 126. admisimus in aliquo sensu. Resp. cum citatis ibi auctoribus. dist. antec. illa propositio damnata est in sensu diviso, in quo eam affirmabat Hussius. conc. ant. in sensu collectivo, vel reduplicativo. negant. & conf. Hussius volebat, quòd illæ naturæ, non tantum conjunctim, sed etiam divisim sumptæ, sint Christus, ita, ut hic de singulis posset prædicari: quod nos utique non admittimus.

Constat hoc ex Thoma Waldensi tomo 2. l. 1. doctrinalis fidei antiquæ n. 3. c. 39. & seq. maxime c. 42. ubi late ostendit, quòd Wicleffus (cujus discipulus, & assecla fuit Hussius, atque idem cum illo sensit) voluerit, quamlibet illarum duarum naturarum seorsim acceptam, esse Christum; imò etiam singulas partes naturæ humanæ: quas hæretes ibi Waldensis impugnat, non verò prædicationem utriusque naturæ, seu duarum naturarum conjunctim, quam approbat, ut patet ex titulo capituli 39. quo in capite Waldensis simul excusatur S. Augustinum, qui tr. 47. in Joan. prope finem. videtur dicere, Christum esse animam, esse carnem &c. excusat inquam, eum, quòd per synecdochen locutus sit: quam tamen tropicam locutionem, seu per synecdochen, rejiciebat Wicleffus, ut habet Waldensis c. 40.

Tandem addendum, de Christo non verificari propositiones contradictorias; non enim est verum dicere: e. g. *Christus est passibilis, & non est passibilis*: ut dictum n. 120. verificantur tamen prædicata apparenter contraria: e. g. *Christus est ab aeterno: est natus in tempore: est mortuus: est immortalis*: quæ tamen reverà non sunt contraria; quia propriè loquendo sibi non opponuntur; nam, cum prædicata ista convenient Christo ratione diversarum naturarum, reverà sibi non opponuntur; nec enim est vera, & propria oppositio, si dicatur: *Christus est immortalis secundum naturam Divinam, & mortalis secundum naturam humanam*: sicut non est oppositio, si dicas: *Ethiops est albus secundum dentes, & non albus secundum reliquum corpus*; quia aliud est prædicatum albus secundum dentes. & aliud albus secundum reliquum corpus: particula autem negativa tunc tantum facit contrarietatem, vel contradictionem, quando semel præponitur, semel non præponitur eidem prædicato, vel propositioni, ut notam est ex summulis.

quod persona sit nomen dignitatis; unde tantum dicitur persona humana, Angelica, Divina: & hinc persona aliud non est, quam suppositum rationale, seu intellectuale. Definitor autem suppositum, ferme ut persona, omissa vix non sola voce *rationalis*: scilicet: *Suppositum est natura individua completa incommunicabilis existentia.*

140. Ad suppositum igitur in genere, & consequenter ad personam, requiritur primum, ut sit substantia, vel ens per se existens, & non existens in digniori; hoc enim petit etymologia huius vocis *subsistens*, ut scilicet *sistat* in se, & non trahatur per unionem ad aliud dignius compositum, tanquam pars, vel tanquam forma ad subiectum; unde accidens non est suppositum: imò neque partes essentielles, vel integrales compositi naturalis, ut pater. Hinc etiam humana natura in Christo non est suppositum; quia non *sistat* in se, sed ratione unionis hypostaticæ trahitur ad dignius, & *sistat* in Verbo. Econtra Verbum in Christo est suppositum; quia, licet uniat humanitati, non tamen uniat digniori, nec *sistat* in digniori; cum Christus non sit aliquid dignius, quam sola Verbum.

Secundò requiritur ad suppositum, ut sit substantia completa, seu habens naturam completam; hinc anima separata non est suppositum, ut docet S. Thomas 1. p. q. 29. a. 1. ad 5. saltem simpliciter dictum, sed tantum cum addito *incompletum*: multò minus aliæ partes hominis integrales, e. g. manus, pedes, sunt supposita, ut *ibidem* docet Angelicus. Addit Gormaz de *incarnat. n. 631.* habere quidem partes essentielles, e. g. animam, & materiam, substantias partiales; quia in triduo mortis Christi etiam aliquid fuit in anima corpori non unita suppletum: non tamen dici, partes separatas suppositum, ut modò dictum. Aliter loquitur hic auctor n. 632. de partibus continui, e. g. guttis aquæ; ait enim, has quidem, quando unitæ sunt, non dici plura supposita, e. g. mensura aquæ est tantum unum suppositum, quanquam plures guttas contineat: at verò, quando tales partes separantur, seu ab invicem seunguntur, ait, singulas partes, e. g. singulas guttas aquæ, esse suppositum; quia scilicet quælibet earum guttarum totam speciem continet, quam non continent partes essentielles seorsum sumptæ.

Tertiò debet suppositum esse substantia individua, id est determinata, & singularis, atque incommunicabilis pluribus realiter distinctis per identitatem; unde natura humana, ut constituens universale, non est suppositum: sed nec natura Divina, utpote incommunicabilis tribus Personis realiter distinctis, est suppositum, licet sit *subsistens*, ut dicitur *tract. de DEO. n. 732.* nam, quamvis admittatur, quòd præter tres substantias relatiyas, etiam detur substantia absolute, naturæ Divinæ virtualiter quoque identificata (quam admittimus *tract. de DEO n. 733.*) quia tamen ista non est incommunicabilis tribus, facit quidem naturam Di-

vinam *subsistentem*: non verò suppositum, aut personam. Insuper nec spiratio activa, imò nec spirator activus qua talis, est suppositum; cum hoc prædicatum DEI, & Filio, sit commune: at verò tres Personæ Divinæ sunt tria supposita realiter distincta, de quibus rursus inferius.

141. *Hypostasis* est vox, de qua olim tempore S. Hieronymi fuit lis inter Patres; cum quidam vellent, eam significari substantiam, seu naturam, & consequenter tantum unam admitterent in DEO hypostasin: alij econtra vellent, per hanc vocem significari personam, consequenter tres in DEO hypostasies statuerent. Et hæc sententia prævaluit, ac defacto tenemur, in DEO admittere tres hypostasies: sicque loquuntur plura Concilia, & Patres apud Ruiz de *Trinit. disp. 31. sec. 4.* unde modò hæc vox significat idem, ac suppositum: sæpe tamen in sensu restrictiore accipitur pro persona.

Subsistentia olim à pluribus accepta est pro supposito: nunc autem, maximè in scholis, fumitur in abstracto, pro forma, vel ultimo complemento formæ, denominantis rem *subsistentem*, vel pro eo, per quod res per se *subsistit*. *Suppositivitas*, aut *personalitas*, communiter accipiuntur pro forma, vel ultimo complemento formæ, denominantis suppositum, aut personam, seu pro ratione, per quam aliquid *subsistit* in supposito, vel persona: quanquam, saltem in Divinis, sint realiter idem cum persona.

142. Superest explicanda *prima, & secunda substantia*, qui termini non quidem formaliter, sed argutivè desumpti sunt ex Aristotele 5. *metaphys. c. 8. text. 15.* Et quidem aliqui volunt, quòd Aristoteles per primam substantiam intellexerit suppositum: per secundam substantiam verò naturam, ut contradistinctam à substantia: sed hoc non facile crediderim; ut enim rectè recentior quidam ingeniosus ait, ratio personæ, & suppositi, primum nobis innotuit ex mysteriis SS. Trinitatis, & incarnationis, quæ mysteria non possunt fingi, iam fuisse revelata in prædicamentis Stagyritæ: certè ex verbis Aristotelis hic sensus erui nullatenus potest.

Verosimiliùs Aristoteles per primam substantiam, seu ut loquitur, *ipsum ultimum subiectum*, tantum intellexit individuum, seu substantiam singularem, aut illam, quæ non ulterius dicitur, seu prædicatur de pluribus, sed tantum de uno, e. g. Petro: per secundam verò substantiam, seu ut ait, *quod, cum quod quid sit, etiam separabile fuerit*, intellexit substantiam universalem, quæ prædicatur de pluribus: e. g. homo universaliter sumptus dicitur de Petro, Paulo &c. sicque per conceptum à quolibet est separabilis: sub quaceptione natura Divina non est substantia secunda; quia revera est una individualis singularis substantia. Interim (ut dictum) quidam auctores docent, per substantiam primam ab Aristotele intelligi suppositum, seu personam: per secundam verò intelligi naturam, contradistinctam à sub-

sistentia: cum quibus litigare nolim: quamvis, ut jam dixi, mihi persuadere non possum, in hoc sensu Aristotelem hos terminos accepisse: in hac autem acceptione etiam natura Divina erit secunda substantia.

143. Jam certissimum est, substantias Divinas non esse puras negationes, sed esse substantias positivas, realiter naturæ identificatas (eas tamen virtualiter à natura distinctas suppono *ex tract. de DEO. n. 722. 732 & 775.*) certum etiam est, in creatis suppositum à natura distinguì, saltem inadæquatè; ita enim docetur in *Generali Synodo VII. seu Nicæna II. actione 6.* (*quæ est divisa in sex tomos, quæ vox Græcis significat sectionem*) tomo 3. §. *Nequaquam*, ubi Epiphanius diaconus, & cubicularius, de Eutylianis hereticis sic loquitur: *Nihil aliud agunt, quam, ut offendant, naturam, & hypostasin, idem esse, quæ sane inter se differre veri Ecclesie Catholice alumni cognoscunt.* Idem docet S. Joannes Damascenus l. 3. *orthodoxæ fidei c. 3.* ajens: *Verum hoc hereticis inducit errorem, quòd idem dicant naturam, & hypostasin, suppositumve, ac personam.* Gormaz de *incarnat. n. 650.* ait, naturam, & substantiam in creatis essentialiter esse à se distinctas, ita, ut non possit natura creata ob limitationem suam habere identificatam sibi substantiam.

Certè ex hac confusione personæ, & naturæ, ortæ sunt geminæ contrariæ hæreses, Nestorii, & Eutychetis. Ille sic arguebat: *Dantur in Christo due naturæ: ergo etiam dantur due personæ.* Ille verò sic: *In Christo datur tantum una persona: ergo etiam datur tantum una natura:* quanquam Eutyches dixerit, ante adunationem, seu unionem, fuisse duas naturas, sed post unionem, seu in unionem, factam esse tantummodo unam: ex quo eum Gelasius accusat, tanquam Nestorianismum propinquum. Voluit autem Eutyches, post unionem in Christo fuisse naturam confusam, seu compositam ex Divina, & humana, ad eum modum, quo ex anima, & corpore, seu materia, resultat tertia natura, ut refert idem Gelasius l. 4. *de duabus naturis, sub medium*, qui liber habetur. tom. 4. *Bibliothec. Patrum*: non tamen est, ut quidam volunt, S. Gelasii Papæ, sed verosimiliùs Gelasii Cyziceni. vide Bellarminum de *Script. Eccles. in utroque Gelasio.* videatur etiam Gormaz de *incarnat. n. 578.*

144. Unde non promiscuè utendum est nominibus significantibus suppositum, & naturam, e. g. termino *homo* pro sola humanitate, vel termino *humanitas* pro toto homine. Equidem antiquiores nonnulli Patres utebantur termino *homo* pro sola humanitate, & sic dicebant, Verbum assumpsisse hominem. In hoc sensu locutus est S. Augustinus l. *de vera relig. c. 16.* sic scribens: *Unicus Filius, consubstantialis Patri, & coæternus, totum hominem suscipere dignatus est.* & S. Athanasius in *symbolo* dicens: *Sicut anima rationalis, & caro, unus est homo, ita DEUS, & homo, unus est Christus.* rursus SS. Ambrosius, & Augustinus in *R.P. Ant. Mayr Theol. Tom. II.*

hymno: Te DEUM laudamus: sic canunt: Tu ad liberandum suscepturus hominem, non horruisti Virginis uterum.

At verò Patres posteriores, ne viderentur Nestorianis accedere, non amplius dixerunt, Verbum assumpsisse hominem, sed humanitatem. Quare modò non licet dicere, Verbum assumpsisse hominem; sed debemus dicere, tantum assumpsisse humanitatem; quia personam humanam Verbum non assumpsit: sed Persona Verbi Divini reddita est etiam persona huius hominis, qui est Christus, attrahendo ad se hæc humanitatem, & verè efficiendo, ut illa non remaneret sua, sed evaderet propria Filii DEI. videatur Gormaz de *incarnat. n. 586.*

145. Quæ hæc jam est, an id, quod suppositum, vel persona, in creatis superaddit naturæ, & per quod ab hac distinguitur, sit aliquid positivum, an verò tantum aliquid negativum. Equidem negari non potest, multos, & magnos auctores defendere, substantiam creatam formaliter acceptam, quam suppositum involvit præter naturam, esse aliquid positivum, & ut communiter hodie tradunt, esse aliquam entitatem modalem (sicut est unio, actio &c.) cujus officium sit, reddere naturam hanc in se *subsistentem*, & alteri incommunicabilem, quæque essentialiter excludat unionem cum ente perfectiori. Addunt plures, hæc entitate modalis naturam nec divinitus posse carere, nisi detur supplementum illius; eoquod natura non possit existere, si nec in se, nec in alio *sistat*: Ex quibus clarè inferitur, Verbum non assumpsisse personalitatem humanam; cum utique modus, essentialiter excludens unionem cum alio, non possit cum ista stare.

146. At verò etiam oppositum multi, & magni auctores affirmant, scilicet, substantiam creatam consistere formaliter in pure negativo, seu in negatione unionis cum ente perfectiori: atque adeò suppositum creatum aliud non esse, quam naturam, vel substantiam creatam completam, singularem, non unitam alteri substantiæ, cum qua constituat totum aliquid perfectius, ac dignius, cui tanquam principio intrinseco operationes tribuantur. Ex quo iterum clarè inferitur, in Christo non dari suppositum humanum, vel personalitatem, aut personam humanam in sensu stricto, seu illo, quem primo loco explicavimus n. 127. nam natura humana unita Verbo utique existit in digniori, scilicet in Verbo, & constituit cum eo nobilissimum totum, nempe Christum &c. Tenent hæc sententiam Scotus in 3. *diff. 1. q. 1. a. 3. §. Contra primam viam.* item Okamus, & Nominales. Maffrius in 3. *diff. 1. q. 3. a. 1.* & hæc teste potiores Scotti. Ex nostris tenent eandem Martinon, Platelius, Semeri, Fabri, Salmeron, Molina in 1. p. q. 29. a. 2. *diff. 3. Thyrsus tom. 3. disput. select. disp. 27. sect. 4. n. 23.* & recentiores plurimi in thesibus impressis, & manuscriptis. Quis S. Thomas censuerit, mox patebit ex dicendis.

ARTICULUS II.

An Subsistentia creata sit aliquid positivum, an negativum.

147. **D**ico cum secunda sententia. Subsistentia in creatis non superaddit naturæ singulari, nisi negationem unionis cum ente perfectiori. ita præter auctores citatos etiam S. Thomas, quem rectè ait Ihyrsus tom. 3. disp. select. di. 27. sec. 4. §. 1. n. 24. esse manifestum assertorem hujus sententia, non minùs, quam Scotum: sic autem loquitur Angelicus l. 1. contra gentil. c. 25. Hoc (quòd scilicet aliquid dicatur ens per se) non videtur importare, nisi negationem tantum; dicitur enim ens per se ex hoc, quòd non est in alio, quòd est negatio pura. Iterum q. 9. de potentia. a. 1. ad. 4. ait de substantia, quòd dicatur subsistere, in quantum non est in alio. Rursus in 3. dist. 6. q. 1. a. 2. ad 5. Hoc, quòd facit, conjunctum ex anima, & corpore, esse hominem, non est præter animam, & corpus, & unionem, aliquid positivum: sed ex hoc ipso, quòd ipsum compositum ex anima, & corpore, non adjungitur alteri, subsistenti in natura composita, sequitur, quòd conjunctum sit homo; unde, si Christus humanam naturam, quam assumpsit, deponeret, eo ipso esset homo illud conjunctum ex duabus substantijs.

Iterum 3. p. q. 2. a. 3. cum sibi opposuisset S. Doctor, quòd in Christo sit quædam alia substantia particularis præter hypostasim Verbi, adeoque etiam alia hypostasis, respondet ad 2. Humana natura in Christo, quamvis sit substantia particularis; quia tamen venit in unionem cujusdam completi, scilicet totius Christi, prout est DEUS, & homo, non potest dici hypostasis, vel suppositum. Rursus 3. p. q. 4. a. 2. ad 2. ait: Dicendum, quòd natura assumpta non deest propria personæ propter defectum aliquis, quòd ad perfectionem humana natura pertineat: sed propter additionem aliquis, quòd est supra humanam naturam, quòd est unio ad Divinam Personam. Item 3. p. q. 2. a. 2. ad 3. ait: Non quodlibet individuum in genere substantia, etiam in rationali natura, habet rationem personæ: sed solum illud, quòd per se existit: non autem illud, quòd existit in alio perfectiori: & paulò post addit de natura humana Christi: Licet ergo hæc humana natura sit quoddam individuum in genere substantia; quia tamen non per se separatam existit, sed in quodam perfectiori, scilicet in Persona Dei Verbi, consequens est, quòd non habeat personalitatem propriam: quæ verba clara sunt pro nostra sententia, ut explicatione non egeant.

148. Prob. conclusio 1. Varia Concilia, & Patres docent, Christo nullam deesse proprietatem humanam, quæ ab auctore DEO hominibus insita sit, vel reprehendi non mereatur: atqui, si personalitas huma-

na esset quid positivum, esset proprietates, humanæ naturæ à DEO insita, & non mereretur reprehendi: ergo Christo non deesset: consequens hoc est fallum: ergo etiam antecedens. mi. est clara, & consequens in forma, subsumptum etiam est definitum contra Nestorium: sola probanda est ma. quæ probatur, adducendo Conciliorum, & Patrum testimonia: & in primis Concilium Lateranense sub Martino I. celebratum an. Chri. 642. sub finem. ubi 20 canones statuit, canone 9. sic habet: Si quis secundum Sanctos Patres non confiteatur, proprie, & secundum veritatem, naturales proprietates Deitatis ejus, & humanitatis, indiminuè in eo, & sine deminoratione salvatas, condemnatus sit. Concilia etiam alia ubique clamant, Christum assumptam naturam humanam integram cum proprietatibus suis.

Ex Patribus S. Augustinus in enchiridion c. 34. de incarnatione Verbi scribit: Nichil humana natura in illa susceptione facta est dicere desuisse: sed natura ab omni peccati nexu omni modo libera. S. Damascenus l. 3. orthodoxa fidei c. 6. Neque enim DEUS Verbum quicquam eorum, quæ, cum nos initio fingeret, natura nostra inseruit, prætermisit: sed omnia assumpsit, hoc est, corpus, animam intelligentem, & ratione præditam, eorumque proprietates. Et hanc sententiam S. Damasceni allegat S. Thomas in 3. dist. 6. q. 1. a. 2. arg. 5. sic scribens: Præterea secundum Damascenum Christus assumpsit, quidquid in nostra natura plantavit. & 3. p. q. 4. a. 2. arg. 2. ait: Damascenus dicit, quòd Filius DEI assumpsit ea, quæ in nostra natura plantavit.

149. Confirmatur 1. S. Cyrillus Alexandrinus in epistola, nomine Concilij Alexandria congregati, scripta ad Nestorium, quæ habetur apud Binium in actis Concilij Ephesini tom. 1. c. 14. & incipit. Cum Salvator noster: aliud à Nestorio non petit, quam, ut admittat veram naturalem, seu physicam unionem: sive, ut confiteatur, quòd in Christo humanitas sit unita Verbo, non ita, quasi homo eam tantum conjunctionem sortitus sit, quæ in sola dignitatis, vel auctoritatis unitate, hoc est, æqualitate, posita sit; non enim honoris æqualitas naturas unit... nec rursus appositione, vel quadam quoque contiguatione, aut conglutinatione, eam unitatem metimur; ea enim ad naturalem unionem constituendam satis esse nequit. & infra capitulo, seu anathematismo 3. sic habetur: Si quis post unionem hypostases in Christo distinguit, eaque duntaxat conjunctione easdem inter se necit; quæ est secundum dignitatem, vel auctoritatem, vel potestatem, & non eã potius, quæ est secundum naturalem unionem, anathema sit.

Idem S. Cyrillus in alia epistola ad Nestorium, quæ habetur apud Binium actione 1. Concilij Chalcedonenfis, & quidem duplici editione, quarum prima incipit: Obloquuntur: Secunda: Comperi quosdam: scribitur juxta hanc secundam editionem, quòd filius DEI

An Substantia creata sit aliquid positivum, an negativum.

DEI factus sit homo, & nuncupatus sit etiam filius hominis, non nuda tantummodo voluntate, sed nec assumptione sola persona: sed quòd diversa quidem natura in unum convenerint... per arcanam illam, ineffabilemque copulationem ad unitatem. Atque hanc epistolam tandem sic finit S. Cyrillus: Hæc igitur pro charitate in Christo scribo, quarens te tanquam fratrem, & contestans coram Christo, & electis Angelis, ut hæc nobiscum, & sentias simul, & doceas, ut Ecclesiarum pax salva servetur, & concordia, charitatisque vinculum indissolubile maneat sacerdotibus DEI. Ubi obiter nota, in editione Conciliorum Colonienfis haberi quandoque unum, aut alterum verbum aliud, sed sine diversitate sensus: item epistolam priorem inscribi nomine Concilij Ephesini, cum tamen apud Binium inscribatur nomine Concilij Alexandrini, quòd probabilius videtur: rursus quædam ex secunda epistola, in editione Colonienfis, fuisse translata in primam: sed hæc omnia substantiam rei non mutant; quia tamen mens S. Cyrilli, & Concilij, satis aperte patet.

Ex quibus rite inferitur, quòd, si Nestorius admisisset veram physicam unionem inter Verbum, & humanitatem, fuisset pax in Ecclesia DEI; ergo tunc non amplius admisisset duas personas in Christo: adeoque, quòd duas admiserit, inde fuit ortum, quòd admiserit negationem unionis physicae inter Verbum, & humanitatem: adeoque hæc negatio est personalitatis.

150. Theodorus etiam Hagiopolitanus in disputatione cum Nestoriano (quæ habetur tomo 2. auctarij Bibliothecæ Patrum) sic ait: Quia igitur pars Christi est assumptum corpus animatum, idcirco non est hypostasis, sed hypostaticum. Ulterius, quando Nestoriani petebant, quid igitur persona humana præter naturam involveret, SS. Patres non aliam reddiderunt responsonem, quam, quòd humana natura sit Verbo tanquam digniori unita: certè, si agnovissent modulum illum adversariorum, debuissent eum assignare. Gratis autem adversarij dicta ista, vel similia, explicant, non in sensu formali, sed tantum in arguitivo, quasi Patres tantum causaliter, non verò formaliter, rationem personalitatis collocarint in negatione unionis, ita, ut hæc negatio sit tantum causa illativa entitatis modalis, in qua formaliter stet ratio personalitatis, gratis, inquam, hæc dicunt; nec probant.

Confirm. 2. Dicta Conciliorum, & Patrum commodissime explicari possunt, modò dicatur, idcirco humanitatem in Christo carere subsistentia propria; quia natura humana verè est Verbo, tanquam digniori physice unita, & cum hoc intrinsicè componit Christum: ergo non debet admitti entitas aliqua modalis, quæ naturæ superaddita faciat eam esse personam, & quæ in humanitate Christi non detur. consequentia patet ex illo principio, quòd entia

non sint multiplicanda sine necessitate. ant. patebit ex solutione objectionum.

151. Probatur conclusio 2. Persona ex n. 139. est natura rationalis individua substantia, vel incommunicabilis existentia, hoc est, non quomodocunque existens, sed existens, vel subsistens in se, adeoque persona debet esse incommunicabile subsistens: ergo ad personam duo requiruntur, scilicet subsistere, & esse incommunicabile: utrumque habetur in quavis substantia rationali, e. g. humanitate, per solam negationem unionis cum ente perfectiori, vel digniori: ergo. prob. subsumptum. subsistere, vel per se existere, est non existere in alio, tanquam partem in toto, vel tanquam formam in subjecto: atqui hoc habet quævis humanitas, quæ habet negationem unionis cum alio, ut per se patet; nam tunc ipsa sistit in se, & non in alio complexo (quòd eo ipso in creatis esset nobilior, quam sola natura una) neque est forma, nec subjectum alterius compositi majoris, seu nobilioris: ergo.

Quod jam attinet ad incommunicabilitatem, hæc non debet ita intelligi, quasi suppositum, vel persona, non debeat posse ulli alteri communicari per unionem; alias enim Persona secunda in Divinis, quæ communicatur per unionem naturæ humanæ, perderet rationem personæ: sed debet intelligi 1. quòd non debeat posse communicari per identitatem alteri personæ, sicut natura Divina communicari potest tribus Personis Divinis: & hinc licet, a multis (quibus in tr. de DEO n. 733. consensu) admitatur, quòd natura Divina sit aliqua subsistentia absoluta, tamen non admittitur, quòd natura Divina sit ratione sui persona: 2. debet intelligi, quòd suppositum, vel persona, non debeat posse communicari pluribus per prædicationem, sicut communicatur natura universalis, vel substantia secunda explicata n. 142. e. g. homo ut sic, vel equus ut sic, qui potest prædicari de pluribus individuis: & hinc etiam natura, ita universaliter sumpta, non est suppositum, vel persona, ut n. 140. dictum est. 3. debet intelligi, quòd suppositum, vel persona, non debeat posse communicari per unionem alteri digniori; alias enim tollitur ratio subsistentiæ (ut dictum eodem n. 140.) sine qua non datur ratio personæ ex n. 139. & hinc persona creata debet esse etiam incommunicabilis per unionem; quia, si uniretur alteri, eo ipso resultaret compositum dignius, & ipsa non amplius in se subsisteret.

152. Jam verò quælibet natura singularis, seu individualis creata, habet ex se ipsa, quòd non possit per identitatem pluribus communicari (alias admitteretur mysterium SS. Trinitatis in creatis) item, quòd ut talis non possit de pluribus prædicari, ut notum est ex logica: insuper stante negatione unionis habet, ut etiam sit incommunicabilis per unionem; quia unio non potest simul dari cum negatione unionis: ergo quælibet natura creata habet, partim per

seipsam, partim per negationem unionis cum alio, tam esse incommunicabile, quam esse subsistens: adeoque habet omnia, quæ in definitione suppositi continentur: & si insuper sit natura rationalis, habet quoque omnia, quæ in definitione personæ continentur, consequenter etiam habet ipsam rationem personæ: hinc gratis ab adversariis adstruitur entitas aliqua modalis: certè hæc deberet gravibus rationibus ab ipsis positivè probari, quod non fit, ut patebit ex solutione objectionum.

ARTICULUS III.

Solvuntur Objectiones.

153. **O**B. 1. ex Arriaga. S. Thomas, quæ docuit textibus citatis n. 147. revocavit in Summa: ergo nihil ex ijs probatur. Confirm. 1. ex Mauro. Potest dici, quod S. Doctor 3. p. q. 4. a. 2. ad 2. (ejus verba adduximus n. 147.) loquatur de defectu proprietatis, pertinentis ad constitutionem naturæ in abstracto, non verò tantum pertinentis ad constitutionem totius suppositi: atqui sic textus etiam verificatur juxta adversarios: ergo. Confirm. 2. S. Thomas q. 9. de potentia a. 2. sic scribit: *Persona significat naturam cum quodam modo existendi, qui modus est per se existens*: ergo ipsa personalitas est quid positivum. prob. conf. per se existere non convenit negationi: ergo.

Resp. neg. antec. quod non probatur: imò adduximus plures textus ex ipsa Summa, qui stant pro nobis. Ad 1. confirm. neg. ma. nam ibi S. Doctor assertit objectionem, quæ volebat, Verbum assumpsisse personalitatem in natura plantatam, adeoque non ut constitutivam, sed ut perfectivam naturæ; unde S. Doctor in eodem sensu loqui censendus est. Et hinc etiam est, quod Angelicus ibi dicat: *Natura assumpta non deest propria personalitas propter defectum alicujus, quod ad perfectionem humanæ naturæ pertinet*: ecce dicit ad perfectionem, non ad constitutionem. Sanè, si Angelicus judicasset, adversarios suos velle, quod personalitas sit proprietatis constitutiva naturæ, facile eos rejecisset, negando, personalitatem constituere naturam. At non ita respondet, sed simpliciter negat, personalitatem esse proprietatem naturæ, & ait, eam non adesse propter additionem alicujus, quod est supra humanam naturam, quod est unio ad Divinam Personam.

154. Ad 2. confirm. Verba objecta toto illo articulo non habentur: sed ad 2. habentur tantum ista: *Nomen persona significat solum naturam rationalem sub tali modo existendi*: hunc autem modum explicat S. Doctor *ibidem ad 1. & ad 7.* quod debeat esse natura individualis, & incommunicabilis: quod utrumque facile explicatur in nostra sententia: scilicet individualitas per hoc, quod sit determinatum individuum: incommunicabilitas per hoc, quod habeat

negationem identitatis, & unionis cum alio, qua negatione stante, natura est manifestè incommunicabilis.

Verum, etiam omiſſa citatione tanquam legitima, neg. conf. nam modus individualis existendi, quem S. Doctor expresse ait intelligi in nomine hypostasis, vel personæ, est positivus: modus autem incommunicabilis, seu per se, est secundum S. Doctorem negativus, & existit in eo sensu, in quo communiter dicimus, negationes existere; hinc ad prob. neg. antec. nam etiam negationes dicuntur existere suo modo, scilicet per alienationem: nec difficultatem habent particulæ per se; ut enim patet ex n. 147. ad mentem Angelici, tantum inferunt puram negationem.

155. Ob. 2. Varii textus S. Thomæ adversantur nostræ conclusioni: ergo. prob. ant. Primò l. 4. contra gentiles c. 49. ad 10. ait. *Humana natura etiam in Sorte, vel Platone, non est hypostasis, sed id, quod in ea subsistit, hypostasis est. Quod autem substantia sit, & particularis, non secundum illam significationem dicitur, quia hypostasis est particularis substantia; substantia enim secundum Philosophum dupliciter dicitur, scilicet de subjecto in genere substantia, quod dicitur hypostasis: & de eo, quod quid est, quod est natura rei*: ergo præter naturam datur alia substantia in homine: ergo subsistentia est modus substantialis.

Secundò. 1. p. q. 3. a. 3. in corp. ait: *In rebus compositis ex materia, & forma, necesse est, quod differat natura, vel essentia, & suppositum.* & post pauca: *Humanitas significatur ut pars formalis hominis, & iterum: In his igitur, quæ non sunt composita ex materia, & forma . . . oportet, quod ipse forme sint supposita subsistentia*: ergo humanitas est forma, & personalitas est subjectum: atqui negatio non potest esse subjectum humanitatis: ergo. Tertio. 3. p. q. 2. a. 2. in corp. ait: *Suppositum significatur ut totum, habens naturam sicut partem formalem, & perfectivam sui*: atqui negatio non perficitur à natura: sed neque eam perficit; quia cæcitas non perficit hominem cæcum: ergo.

Quartò eodem a. 2. ad 2. ait: *Personalitas in tantum pertinet ad dignitatem alicujus rei, & perfectionem, in quantum ad dignitatem alicujus rei, & perfectionem ejus pertinet, quod per se existat*: ergo personalitas, qua natura per se existit, spectat ad ejus dignitatem, & perfectionem: atqui negatio non pertinet ad dignitatem, vel perfectionem ejus: ergo. Quintò. 3. p. q. 16. a. 12. in corp. ait, quod in Christo non detur personalitas . . . causata ex principiis humana natura: ergo in aliis datur personalitas ita causata: atqui negatio non causatur: ergo. Sextò. l. 4. contra gentiles c. 43. docet, quod humana natura ante unionem non habuerit hypostasin propriam: & inter alia sic ait: *Si verò hypostasis, vel persona illa non remaneret in ea natura, in qua assumenda à Verbo præexistit,*

set, hoc sine corruptione accidere non potuisset: similia habet. 3. p. q. 4. a. 1. ad 3. atqui negatio non potest corrumpi: ergo non est personalitas. Septimò. 3. p. q. 4. a. 2. ad 3. sic scribit: *Pro tanto dicitur Persona Divina consumpsisse personam humanam, licet improprie; quia Persona Divina sua unione impedivit, ne humana natura propriam personalitatem haberet*: atqui negatio non consumitur; nec enim dicitur cæcitas consumi in eo, qui recipit visum: ergo. Hi sunt potissimi textus, qui ex Angelico contra nos solent afferri, quos unum in locum conjicere volui, ut solutiones, quæ aliquando coincidunt, simul positæ magis clarescant.

156. Resp. neg. ant. ad prob. repono explicationem textuum, ex qua colligetur, eos nihil contra nos probare. Itaque ad primum. Etiam juxta nos verissimum est, quod natura particularis, & hypostasis differant: & hypostasis in alio sensu dicatur substantia, quam natura sola; ut enim Ferrariensis in hunc locum S. Advertendum. rectè docet, natura, vel substantia particularis dupliciter potest considerari: primò, pro ut opponitur tantum substantiæ communi, seu universaliter sumptæ, & adhuc indifferenti, ut sit in se, vel in alio: & sic considerata natura non est substantia particularis in eo sensu, in quo hypostasis dicitur particularis substantia: sed est tantum natura particularis, seu individualis; nam in Christo etiam est natura humana particularis, seu individualis, aut singularis, & tamen non est personalitas, seu hypostasis humana.

Secundò potest considerari natura, vel substantia particularis, non ut indifferens ad subsistendum in se, vel in alio, sed ut jam determinata ad subsistendum in se: & sic accepta, est substantia particularis in eo sensu, in quo hypostasis est substantia particularis, etique subjectum in genere substantiæ. Et certè strictè loquendo de substantia ut hypostasi, & substantia tantum ut natura particulari, debet dici, quod istæ non tantum in hominibus, sed etiam in Angelis differant; nam Angelicam quoque naturam, eamque particularem, potuisset DEUS eodem modo assumere, sicut assumpsit humanam, ut supponunt SS. Patres: & plures probant ex verbis S. Pauli ad Hebr. 2. v. 16. *Nusquam enim Angelos apprehendit, sed semen Abrahæ apprehendit.* Eo autem in casu, ait rectè Gormaz de incarnat. n. 622. fuisse quidem aliud compositum, sed non aliud suppositum, nec alia persona, quam nunc.

Si autem tunc fuisset eadem hypostasis, vel persona, quæ nunc est, nempe Divina, & non Angelica, certè debet hypostasis, seu persona Angelica differre, seu aliquo modo distingui à natura Angelica; nam ista tunc mansisset, sicut nunc mansit natura humana in Christo. Quamvis autem admittenda sit differentia inter hypostasin, & naturam tantum quomodocunque particularem, tamen tota differentia unius conceptus ab altero habetur per puram negationem, ut

fatis hucusque ostensum. Nec adversarii putent, per vocem *hypostasis* solam significari personalitatem, ut contradistinctam à natura, ex quo inferretur, ipsam personalitatem ut contradistinctam esse quid substantiale; hypostasis enim est idem, ac suppositum.

157. Secundus textus, non video, quomodo magis sit oppositus nobis, quam adversariis; ex eo enim sequitur, in Angelis idem esse naturam, ac personam; unde S. Doctor ibi vocem suppositum in latiori significatione accipit pro individuo: quod patet ex contextu; nam *ibidem* dicit, hominem præter humanitatem includere etiam accidentia individuantia: econtrà ait, in iis, quæ non componuntur ex materia, ipsas formas per se individuari, adeoque esse supposita. Ad id, quod volunt inferre ex hoc textu, quod scilicet ipsa personalitas, ut distincta à natura, debeat esse subjectum humanitatis, patebit solutio ex responsione ad tertium textum.

Tertius textus, si quid probaret contra nostram negationem, non minus probaret contra modum adversariorum, nempe, neque istum esse personalitatem; cum ipse potius naturam perficeret, quam ab ea tanquam parte perficeretur; & multò magis esset forma respectu humanitatis, quam ejus subjectum; unde dicendum, Angelico ibi sermonem esse de parte perfectiva, seu perficiente, vel totum concretum, tanquam subjectum inadæquatè secum identificatum, sicut omnis pars perficit compositum: vel de parte formaliter perficiente seipsam realiter acceptam, sicut rationalitas dicitur perficere animalitatem realiter identificatam: & sic humanitas perficit hominem, quatenus constituit ipsum in concreto, seu suppositum humanum: & quidem perficit tanquam pars formalis, seu aliquo modo forma; nam forma denominans suppositum non est sola negatio, sed etiam humanitas est forma partialis: sicut non sola negatio visus est forma denominans cæcum (alias enim denominatio cæci esset merè negativa, & non privativa) sed ipsa humanitas ut exigens visum, & carens visu. Dein, sicut formæ metaphysicæ e. g. rationalitas, perficiunt seipsas realiter acceptas, tanquam subjecta formaliter tantum distincta: ita etiam potest humanitas perficere hominem, tanquam subjectum formaliter distinctum, imò etiam realiter saltem inadæquatè. Quod autem hac ratione perficiat etiam seipsam realiter acceptam, non est absurdum, ut ex dictis patet.

158. Quartus textus etiam juxta nos est verissimus; quia per se, & ordinariè dignus est, esse ens completum, & suppositum, quæ tantum partem suppositi, ut est manus, pes &c. Dixi ordinariè; quia utique dignius est subsistere in Verbo, quam in se: ad hæc subsistentia in Verbo est quid extraordinarium. Sed & sæpe potest negatio aliqua spectare ad dignitatem, e. g. negatio vinculorum, vel signi subjectionis in vestitu, spectat ad dignitatem liberi hominis.

Quintus textus bene explicatur, dicendo,
F 3 per-

personam causari inadæquatè sumptam, seu secundum naturam, sicut causatur cæcus. Sed & dicitur causari negatio, e. g. mors à DEO, per puram non conservationem.

Sextus textus æquè difficilis est adversarijs, ac nobis; nam *l. 4. contra gentiles c. 43.* unde objectio desumpta est, S. Doctor non tantum dicit, non potuisse naturam jam præexistentem assumi sine corruptione personalitatis, sed etiam, non potuisse eam assumi sine corruptione naturæ; sic enim post pauca ait: *Sic igitur oportuisset, illum hominem corrumpi, qui unioni præexistisset, & per consequens humanam naturam in eo existentem.* & *3. p. q. 4. a. 1. ad 3. seu loco ibidem etiam objecto* ait de illa corruptione: *Quod neque convenit incorruptibilitati natura ejus: id est Angeli; unde potius sequitur, personalitatem identificari naturæ.* Videtur autem explicandus S. Thomas de corruptione tantum improprie dicta, qua etiam corrumpuntur negationes, e. g. si palmo nectatur alius palmus. Sanè, si pictor appingat aliquid superfluum imagini, e. g. nasum longiorem, dicitur corrumpere picturam, quatenus ei aufert negationem, requisitam ad pulchritudinem.

Septimus textus, quo dicitur, personam humanam fuisse consumptam à Verbo, intelligendus est, ut ait ipse Angelicus *loco objecto*, de consumptione, quæ non importat destructionem alicujus, quod prius fuerat, sed impeditionem ejus, quod aliter esse posset. Jam verò etiam negationes impediuntur; sic enim sæpe solemus dicere, impeditam fuisse ruinam, cæcitatem, mortem &c. & sic quoque potest dici impedita personalitas humana in Christo, sive suo modo consumpta per impeditionem.

ARTICULUS IV.

Solvuntur Alie Objectiones.

159. **O**B. 3. Nostra sententia facit ridiculas definitiones Patrum, & Conciliorum contra Nestorium: ergo non est admittenda. ant. prob. quando Patres deciderunt, Verbum assumplisse naturam humanam, non verò personam humanam, juxta nos sensus decisionis fuisset, quòd Verbum sibi univertit naturam humanam, non tamen univertit eam ita, ut careret hac eadem unione: quod idem esset, ac multis in senatu, & diu perpenfis, tandem ridiculè decidere, hominem, dum currit, non sedere: ergo. Confirm. Patres statuerunt, ex duabus personis, vel naturis completis, non posse fieri unum ens per se: sed hoc iterum in nostra sententia esset evidens, & indignum ullo Concilio propterea habendo: ergo.

Resp. retorq. arg. Juxta adversarios etiam Patres decidissent, Verbum non assumplisse illum modulum, essentialiter unioni repugnantem: quod non minus fuit clarum, quam currentem non sedere: & eodem modo est evidens, ex duobus, quorum

unum affectum est modulo adversariorum, non posse fieri unum per se, quam ex duobus, quorum unum affectum est negatione unionis cum altero. in forma neg. ant. ad prob. dist. ant. sensus ille fuisset directè, formaliter, & explicitè intentus. neg. ant. implicite ex eo sequens. conc. ant. & neg. consequ.

160. Patres primò voluerunt decidere, in Christo tantum dari unam personam, in quocunque tandem steterat ratio personalitatis humanæ: nec apertè definiverunt in Concilio, an sit aliquid positivum, vel negativum: quamvis aliquorum dicta, citata n. 149. nobis faveant. Secundò Patres voluerunt vel maximè decidere, quòd Verbum unione physica, & substantiali, sit unitum humanitati, & non tantum unione aliqua affectiva, vel morali, qua univertunt duo amici, ita, ut dicantur esse unum, licet sint duæ personæ. Ad excludendam ergo unionem moralem, & clarè exprimendam, unionem physicam, quæ facit unum per se, deciderunt, non fuisse assumptam à Christo personam humanam, nec fuisse in Christo duas personas, tantum moraliter ipvicem unitas: quæ omnia non erant ita clara, ut clarum est, hominem currentem non sedere: sed erant digna orbis Catholici senatu. Quare, si Nestorius unionem physicam inter Verbum, & naturam humanam, admisisset, unitatem personæ etiam non negasset, & ut ait S. Cyrillus citatus n. 149. fuisset *Ecclesiarum pax salva.*

161. Hinc etiam Patres in Concilio Ephesino maximè fuere solliciti de unione physica; sic enim *capitulo, vel anathematismo 3. hujus Concilij, juxta editionem Coloniensem* habetur: *Si quis in uno Christo dividit substantias post unitatem, sola eas connexionem conjungens eâ (per errorem typi habetur e. maque) quæ secundum carnis dignitatem sit, vel etiam auctoritatem, & potestatem, ac non potius conventu, qui per unitatem factus est naturalem, anathema sit.* Eadem ferme verba leguntur apud Binium *anathematismo 3. Cyrilli in Synodo Ephesina, appendice tomi, seu sect. 5.* certè sensus est idem; sic enim habetur: *Si quis in uno Christo dividit substantias post unitatem, sola conjungens eas copulatione, quæ est secundum dignitatem, hoc est, auctoritatem, vel potestatem, & non potius conventu, qui secundum unitatem naturalem factus est, anathema sit.*

162. Pariter in Concilio Constantino-politano II. quod est Oecumenicum. V. *actione 4. editionis Colonienfis, capitulo, ut inscribitur, seu canone 4.* anathematizantur, qui non consentunt, sicut SS. Patres docuerunt, unitatem DEI Verbi ad carnem animatam anima rationali, & intellectuali, secundum compositionem, id est, secundum substantiam factam: & propterea unam ejus substantiam. in editione Binii, quæ verba hæc ponit *collatione 8.* invenitur una, vel altera alia vox, vel syllaba, quæ sensum minimè mutat. Ex quibus apparet, Patres, & Con-

& Concilia maximè urisse, ut admitteretur unio physica, & ex hac intulisse negationem duarum personarum. Ad confirm. respondeo, Patres potius cum Nestorio supposuissent, quòd ex duabus naturis completis, vel duabus personis, non possit fieri unum ens per se, nec quoad hoc hæreticum hunc ipsis fuisse contrarium, nec hac de re litem in eo Concilio motam esse; unde potest negari ma. non enim Patres id primò statuerunt, sed supposuerunt.

163. Dices. Ergo tota lis inter Patres, & Nestorium fuit de nomine; nam Nestorius utique admisisset, quòd Verbum non potuerit simul uniri, & non uniri; unde, si per personalitatem intellexisset negationem unionis, facile admisisset, quòd in Christo non fuissent duæ personæ. Resp. neg. illatum. Primaria quæstio fuit de re gravissima, scilicet, an detur unio physica inter Verbum, & humanitatem: & hanc negabat Nestorius. Utique dein secundariò etiam quærebatur, in quo steterat ratio personæ: sed neque ista est quæstio de nomine; nam quæreret, in quo steterat ratio personæ, vel etiam, an personalitas dicat negationem, an modum superadditum, non est quæstio de nomine: imò in hac quæstione, in quo steterat persona, & an sit distincta à natura, Nestorius fundabat suam realem hæresin; nam ideo volebat, naturam, & personam, esse unum, & idem, ut, sicut Patres in Christo admittebant duas naturas, ita etiam deberent admittere duas personas: cùmque inter duas personas non detur unio, nisi moralis, & affectiva, hanc etiam solam volebat admitti iste hæreticus inter Verbum, & humanitatem; unde multum ejus intererat, quid intelligeretur per personam, nec hæc quæstio poterat dici tantum vocabularia. Sanè, qualiscunque ea quæstio fuisset dicatur, connectebatur cum alia quæstione gravissima, de unione inter Verbum, & humanitatem.

164. Ob. 4. Concilia, & Patres eodem modo accipiunt vocem *hypostasis*, quando agunt de Personis Divinis, ac quando agunt de humanis: sed in Divinis ea vox significat aliquid positivum: ergo etiam in humanis. Resp. 1. retorq. argum. Hypostasis in Divinis non significat entitatem modalem, seu modum physicum: ergo neque in humanis. Resp. 2. neg. ma. ut patet ex jam dictis: vel eam distingo. Patres accipiunt eam vocem aliquo eodem modo, seu in aliqua significatione lata, quatenus per eam significatur res particularis in se subsistens. conc. ma. accipiunt eam omni eodem modo, seu etiam quatenus significare debet totum positivum, nullam involvens negationem. neg. ma. & conc. mi. neg. conf. Etiam in humanis ea vox juxta adversarios non significat totum, nullam involvens modum physicum, quale totum tamen significat in Divinis.

Unde, si dicere nolimus, quòd incommunicabilitas præcedens, an sit negativa, vel positiva, univocè dicatur de DEO, &

creatura, potest omitti, quòd nomen personæ quoad id, quod superaddit naturæ, non strictè univocè convenit Personis Divinis, & humanis: neque Christo, & aliis hominibus; in illis enim, hoc est, in Christo, & Personis Divinis, involvit negationem tantum logicam: in aliis autem hominibus physicam; in illis incommunicabilitas est positiva, in his est negativa. Nec hoc dicitur absque autoritate; nam etiam S. Thomas *1. p. q. 29. a. 3. in corp.* sic ait: *Conveniens est, ut hoc nomen persona de DEO dicatur: non tamen eodem modo, quòd dicitur de creaturis, sed excellentiori modo.* Et nunquid modulus ille physicus adversariorum convenit, univocè in ultima specie cum personalitatibus Divinis? quis hoc dicere audeat?

Interim tamen Christus est homo ejusdem speciei nobiscum; quia species humana, seu homo in specie, nihil aliud dicit, quam naturam, seu animalitatem, & rationalitatem, quæ dantur in Christo ejusdem speciei nobiscum. Ratio autem, cur natura Divina exigat personalitates positivas, non est, ut quomodocunque subsistat (nam juxta multos, cum quibus etiam sensu in *tract. de DEO n. 733.* ipsa natura Divina est subsistentia aliqua absoluta, à tribus relativis virtualiter distincta) sed, quia ex essentia sua, & perfectione infinita, est per identitatem communicabilis tribus realiter distinctis, & exigit fieri suppositum triplex incommunicabile, quale non fieret per negationem, quæ tantum redderet non communicatam: non autem redderet non communicabilem. At verò natura humana, ex limitatione sua, jam est incommunicabilis pluribus per identitatem.

165. Ob. 5. Justinianus in *edicto fidei*, quod, licet non statim ab initio, tamen postea fuit approbatum à Vigilio Papa, & Concilio Oecumenico V. ut videre est apud Severinum Binium *tom. 2. Conciliorum. in notis ad hoc edictum. folio mihi 499.* (ipsum edictum habetur fol. 492. inter epistolas Vigili) in hoc inquam edicto ante medium imperator sic loquitur: *Omnes enim sancti Patres consonanter nos docent, aliud esse naturam, sive substantiam, & formam, & aliud esse subsistentiam, sive personam: & naturam quidem, vel substantiam, & formam hoc, quod est commune, significare: subsistentiam autem, sive personam hoc, quod est speciale: atqui esse aliud, & quidem speciale, est esse aliquid positivum: ergo, Confirm. 1. S. Damascenus c. 40. *dialectica* ait: *Persona est, quæ per suas actiones, & proprietates, perspicuam, atque circumscriptam eorum, quæ ejusdem natura sunt, declarationem nobis præbet: ergo persona est aliquid positivum.**

Confirm. 2. Concilium Ephesinum *can. 3.* sic loquitur: *Si quis conatur introducere in mysterio Christi duas subsistentias, anathema sit; neque enim adjectionem personæ, vel subsistentiæ SS. Trinitatis suscepit ex incarnato uno de eadem Trinitate Verborum ergo*

ergo supponit substantiam naturæ adjici: sed quod adjicitur, est aliquid positivum: ergo. Resp. dist. mi. esse aliud, & speciale est esse aliquid adæquatè positivum. neg. mi. inadæquatè positivum. om. mi. & neg. conseq. Aliud significat non idem, quod convenit quoque negationibus: & speciale significat non commune, seu non communicatum, vel non communicabile, juxta explanationem datam n. 151. quod iterum non dicit plus, quam negationem.

Ad 1. confirm. Textum hic objectum non potui in capite citato invenire: sed neque in aliis capitibus, quamvis frequenter agat S. Pater de hypostasi: si tamen fors alia versio ex Græco ea verba haberet, resp. ant. dist. conseq. ergo persona est aliquid adæquatè positivum. neg. conf. inadæquatè positivum. conc. conseq. Persona juxta nos non tantum significat negationem, sed naturam ut affectam negatione, seu divisione ab aliis, & sic in se substantem, aut suppositum totum, cui actiones, & proprietates attribuuntur. Dein hic textus eodem modo est solvendus adversariis; nam modulus, quem illi adstruunt, non producit actiones, quæ ipsi attribuantur; non enim ens modale agit ut causâ. Hinc modus ille tantum deberet terminare naturam, ac intra se cohibere: non autem deberet physicè ad actiones concurrere: adeoque non est necessarius; quia ad naturam intra se cohibendam sufficit negatio. Ad 2. confirm. neg. ant. non ita habet ille canon, sed prout eum citavimus n. 149. aut n. 161. Sed neque mi. subsumpta est universaliter vera; nam sæpe dicitur addi, vel adjici aliquid negativum: e. g. dicitur aliis privilegiis addi immunitas à solvendis certis tributis, quæ est negatio obligationis. dein, sicut consumimus personam (ut n. 158. dictum) significat eam impediri, ita addi personam, significat eam non impediri, adeoque addi ita, ut augetur numerus personarum: quæ additio non debet esse positiva.

166. Ob. 6. Quando Patres dicunt, Christo nullam deesse proprietatem naturæ humanæ, possunt intelligi, vel de proprietatibus accidentalibus, vel de metaphysicis, inter quas non est substantia positiva: ergo nostra prima probatio, n. 148. adducta, est nulla. Confirm. Potest dici, aliquas proprietates exigi à natura sibi soli relicta, alias à natura unita Verbo, sicut charitas exigit aliquas proprietates in via, e. g. fidem; non verò in patria: hoc posito potest ulterius dici, Patres tantum voluisse, Christo nullam deesse proprietatem, quam natura exigit pro statu unionis: atqui pro hoc statu non exigit substantiam, ut est clarum: ergo.

Resp. neg. ant. nam, cum Patres dicant, nullam deesse Christo proprietatem, in aliis nominibus plantatam, vel insitam, signum est, eos non loqui tantum de accidentalibus, aut metaphysicis proprietatibus, sed etiam de physicis: cumque S. Thomas nullo modo confugiat ad hanc responsum,

sed dicat, nullum in Christo fuisse defectum, sed tantum aliquam additionem, signum est, hanc responsum Patribus non placuisse. Ad confirm. neg. ant. Patres sua dicta non restringunt, ad diversam exigentiam naturæ pro diverso statu; cum naturam humanam in Christo comparent aliis puris, & in se substantibus naturis humanis, adeoque exigentiam illius cum exigentiis aliarum naturarum humanarum.

167. Ob. 7. Juxta nos non errasset philosophi antiqui, non distinguendo naturam à supposito: hoc est falsum: ergo. prob. ma. illi tantum compararunt inter se: creata supposita, inter quæ negatio unionis est necessaria, consequenter identificata natura: ergo. Confirm. Juxta nos posset dici, Verbum assumpsisse hominem: sed hoc est contra dicta n. 144. ergo. prob. ma. qui dat alteri modium tritici, quamvis non det negationem majoris mensuræ, quæ constituit modium, dicitur dare totum modium: ergo etiam, si Verbum assumpsit omnia positiva hominis, licet non assumpsit negationem, potest dici assumpsisse totum hominem.

Resp. neg. ma. ad prob. om. ant. neg. conf. nam suppositum creatum non tantum debet comparari cum alio creato, sed etiam cum increato supposito; quia non tantum dicit negationem cum alio supposito creato, sed etiam, & magis cum increato, seu digniore; ab hoc enim maxime potest ad se trahi; unde in hac ipsa comparatione philosophi antiqui errarunt. Ad confirm. neg. ma. ad prob. neg. conseq. Modium tritici ex communi acceptione censetur tribuere ille, qui dat, quidquid est positivum in illo modio: non autem censetur, aut dicitur, assumere hominem ille, qui non etiam assumit personalitatem, quæ est quid negativum. Et universaliter, in his denominationibus, spectanda est communis acceptio, quæ aliquando tantum attendit ad positivum, aliquando etiam ad negativum: sic non dicitur dare statuum, qui tantum dat lignum sine negatione partium superfluarum.

ARTICULUS V.

Solvuntur denuo aliæ Objectiones.

168. Ob. 8. Commune est axioma philosophorum: *Actiones sunt suppositorum*: nec dicitur esse naturarum: ergo suppositum debet addere naturæ aliquid positivum; nam actio non posset adscribi negativo. ant. est communiter admittum: & videtur fundari in Aristotele 7. metaph. c. 8. vel text. 28. idemque assumpsit Joannes Theologus, in Concilio Florentino contra Græcos disputans *sess. 19. ante medium*. ubi ait: *Joseph enim à Jacob supposito per ipsius Jacob naturam, ut per principium, quod quidem communicabile est, generatur, quandoquidem actiones sunt suppositorum, ut sæpe numero dictum est.*

Resp. conc. ant. neg. conf. non ideo

ideo debet suppositum addere naturæ aliquid positivum: sed tantum debet suppositum esse aliquid inadæquatè positivum; nam modò sit inadæquatè positivum, jam potest totum supposito, sive complexo ex positivo, & negativo, adscribi actio; non enim axioma dicit, quòd actiones sint substantiarum in abstracto, sed tantum suppositorum in concreto: imò neque adversarij audent dicere, quòd modulus ille, quem adstruunt, physicè influat in actionem; cum hoc entitati modalis non congruat: sed tantum dicunt, quòd sit conditio substantialis, quæ naturam complet, & facit totum concretum, seu denominat naturam suppositum, cui actio adscribitur.

Unde sensus hujus principij est iste: Omnes actiones, quia necessariò terminantur ad effectus singulares, eliciuntur etiam ab agentibus singularibus, & substantibus ita, ut actiones non tribuantur naturæ soli, ut contradistincta à substantia, sed ut habenti substantiam: & hinc actiones elicite ab humanitate Christi, subsistente in Verbo, sunt infinitæ dignitatis, ut infra fusiùs docebimus. Ex quo etiam deduco, quòd juxta nos, nec natura Divina, nec spiratio activa, generet, aut spiret; cum non sint supposita, ex dictis n. 140. sed Pater generet per naturam, & Pater, ac Filius spiret per spirationem activam.

169. Ob. 9. In Concilio Florentino sumptememoratus Joannes Theologus, nomine Ecclesiæ Latinæ disputans contra Græcos, negantes processionem Spiritus S. à Filio, *sess. 19. post medium*. inter alia sic definiit: *Substantia duobus modis à doctoribus solet intelligi: uno quidem pro rei ratione, qua definitionem, quod quid esse rei significan- tem, vel alio nomine entitatem, atque naturam rei, significat: altero verò modo substantia pro supposito capitur, quemadmodum Aristoteles in 5. metaphysica libro, juxta omnium doctorum expositionem, dicere videtur: quod quidem suppositum, in predicamentali substantia linea, speciebus, atque generibus, apud Porphyrium subsistat, ut Socrates, atque Plato: qua alio quoque nomine hypostasis, vel existentia, vel res natura, solet appellari: atqui ista significant aliquid positivum: ergo.*

Resp. 1. Mihi valde difficile esse creditur, quòd Gormaz de incarn. n. 602. asserit, nempe omnia, quæ Joannes Theologus in ea sessione, & calore disputandi, protulit, censeri debere tanquam dicta nomine totius Concilij, & ipsius Pontificis, non quidem definitis, sed tractatis, & per eum quasi disputatis. Certè ibi multa habentur valde subtilia, quæ non omnia censenda sunt doctrina Concilij. Quanquam autem Andreas Archiepiscopus Colossensis eadem *sess. 19.* de hoc Joanne dicat: *Bene, scitque Pater hic reverendus locutus est: nihil id probat; nam idem statim Marcum Ephesinum alloquens addit: Tuque, Pater præstantissime, acutissime respondisti: quare his verbis aliud dicere non voluit, quam*

R.P. Ant. Mayr Theol. Tom. II.

eos non indoctè discurrisse; nam Ephesinus certè vera non dixit.

Dein Colossensis ille Archiepiscopus tantum fuit unus ex Patribus, cujus solius autoritas non est irrefragabilis. Legatur illa sessio, & videbitur difficile creditur, omnia ibi dicta à Joanne Theologo esse doctrinam Concilij. Sanè, licet quis doctor constituatur, ut disputet contra hæreticos in præsentia Catholicorum, non propterea censendum est, debere acceptari omnia ejus dicta, tanquam dicta communi omnium ore; cum in genere tantum sit constitutus. Neque etiam debent semper interrumpi talis disputatoris dicta in calore disputationis, ad hunc finem, ne censeantur approbata, hoc enim est omnino insolitum: & jam aliunde scitur, quòd non omnia disputantium dicta statim ita approbentur.

170. Sed his insuperhabitis, tandem omnia dicta Joannis Theologi revocantur ad ista, quòd substantiam, secundo modo acceptam, seu alias dictam substantiam primam, vocet suppositum, hypostasin, existentiam, & rem naturæ: quæ non sunt contra nos; nam, ut ex his ipsis verbis habetur, per substantiam illam non intelligit Joannes modulum adversariorum; hic enim, se solo, nec est hypostasis, nec suppositum: sed intelligit suppositum in concreto, seu naturam in se substantem, cui utique isti tituli omnes conveniunt: cumque hic idem Theologus ead. *sess.* det definitionem personæ, à nobis supra n. 139. datam, quæ tota sal- vatur per solam negationem naturæ additam, ut sæpe dictum, non est nobis contrarius.

Adde tantum, Patres Concilij Francofordiensis in epistola ad Hispanos (in qua etiam pro se citant Paschasium Cardinalem l. 2. de Spiritu S. quod opusculum jam laudavit S. Gregorius in suis dialogis, ut ipsi dem affirmant) sic loqui post medium epistole: *Persona personam consumere potest: substantia verò substantiam non potest; si quidem persona res juris est, substantia res nature;* unde prædicatur, quòd Patres isti tribuerunt naturæ, hoc Joannes tribuit personæ: quæ ut conciliantur, Joannis dicta intelligi ita debent (quòd etiam videtur ex contextu sessionis illius elucere) ut significent, quòd persona contrahat naturam genericè acceptam ad aliquid reale, vel eandem naturam reddat sui, ac proprii juris, & re ipsa dominantem actionibus à se elicitis: quòd totum salvatur per divisionem, seu separationem naturæ ab alia substantia, cum qua constituat aliud totum, quòd sit principium operationum, & cui natura tanquam supposito instet: quæ divisio, seu separatio, sufficienter habetur per negationem dictam.

171. Ob. 10. Natura humana, quia completa est in ratione naturæ, non potest substantialiter uniri naturæ Divinæ, & cum hac constituere unam naturam: ergo, si etiam natura humana est completa in ratione substantiæ, non potest uniri substantialiter in unam personam. Resp. conc. to- tum

tum, & nego suppositum: sive nego, quod iuxta nostram sententiam natura humana se sola sit completa in ratione suppositi, vel personæ; ad hoc enim requireretur, ut natura se sola haberet omnia, tam positiva, quam negativa constitutiva suppositi, vel personæ: atqui ista non habet; nam utique negatio unionis cum digniori est distincta à natura humana, ut patet in natura humana unita Verbo, quæ est natura tota, & integra sine illa negatione. Consequenter autem facile concedimus; nam si natura est completa in ratione personæ, seu si habet negationem unionis, & quamdiu illam habet, utique non potest uniri alteri in unitatem personæ.

Dices I. Natura saltem est completa quoad omnia positivè requisita ad constitutionem personæ: ergo non potest uniri alteri in unitatem personæ. Resp. neg. conf. si enim non etiam habeat negativè requisita, non est persona: ergo potest rationem personæ ab alio, cui unitur, recipere. Potest etiam aliter distingui consequenter. Natura est ita completa tantum naturaliter, supernaturaliter autem adhuc complebilis. conc. conf. est etiam supernaturaliter completa, & non amplius complebilis. neg. conf. Natura humana, licet quoad ea, quæ positiva sunt, sit completa naturaliter in ordine ad substantiam, vel personam, ita, ut ad esse suppositum, nihil aliud positivum requiratur, sed tantum aliquid negativum: tamen supernaturaliter est adhuc complebilis ulterius; quia scilicet potest trahi ad personalitatem Divinam; hinc potest uniri supernaturaliter Verbo in unitatem personæ.

Noto hic, in antecedente objectionis rectè positum, naturam humanam completam non posse uniri Divinæ, ut constituat cum ea unam naturam, seu non posse uniri, in unitatem naturæ: quod cur fieri non possit, rationes afferemus *num. seq.* An autem natura Divina possit immediatè uniri humanitati in unitatem subsistentis, dependet ex ea questione, an præter tres subsistentias relativas detur subsistentia absoluta, quæ non est persona *ex ut. n. 140.* si enim hæc detur (ut cum pluribus, imò cum communi Thomistarum, ac Scotistarum, & pluribus aliis dixi *in tr. de DEO n. 733.*) poterit natura Divina ita uniri, & naturam humanam reddere subsistentem: quo tamen casu omnes tres Personæ Divinæ essent incarnatæ. vide *Gormaz de incarn. n. 713.*

Dices 2. Ex duobus entibus completis non potest fieri unum ens per se: sed Christus est unum ens per se: ergo non potuit fieri, nec est factus ex duobus entibus completis: ergo natura humana est incompleta in ratione personæ. Ad hanc instantiam multipliciter potest responderi. I. dist. ma. ex duobus entibus completis non potest fieri unum ens per se, si illa entia sint tantum ita completa, ut solum naturaliter non possint ulterius compleri. neg. ma. si sint ita completa, ut nec supernaturaliter ulterius compleri possint (de quo paulò ante

dictum) conc. ma. & conc. mi. sub eadem dist. conc. vel neg. primam conf. secundum verò consequens iterum dist. natura humana est incompleta in ratione personæ, ita, ut supernaturaliter ulterius compleri possit. conc. conf. ita, ut naturaliter ulterius compleri possit. neg. conf.

Secundò potest etiam juxta paulò ante dicta aliter distingui secundum consequens. natura humana est incompleta in ratione personæ, ita, ut ei desit aliquid positivum, neg. conf. ut ei desit tantum aliquid negativum, conc. conf. Terriò potest simpliciter concedi secunda consequenter, quia corpore, quod naturæ desit aliquid negativum, necessarium ad constituendam personam, est in ratione personæ incompleta, ut jam *sub initium hujus numeri* dictum.

172. Si quæras, cur ergo non etiam possit natura humana uniri naturæ Divinæ in unitatem naturæ. Resp. hoc ideo fieri non posse; quia vel utraque natura deberet transmutari, aut corrumpi, sicut quando ex elementis mutatis exurgit mixtum: & hoc pugnat cum incorruptibilitate, atque immutabilitate Deitatis: vel deberet una natura converti in aliam: & sic non fieret una ex duabus, sed maneret tantum una natura, sicut, quando lignum convertitur in ignem, non dicitur, lignum, & ignem, convenisse in unam naturam: vel denique deberet natura Divina advenire naturæ humanæ tanquam forma, & pars, sicut scilicet ex anima, & corpore, fit una natura hominis: & nequit Deitas esse pars, aut forma; quia nequit esse complebilis à comparte: quin etiam nequit esse intrinsicè ordinata ad alteram naturam, sicut forma est ordinata ad materiam: nihil simile repugnat unioni in unitatem personæ; nam ad hanc nihil horum requiritur, sed tantum opus est, ut humanitas non sistant in se, sed à Verbo Divino attrahatur, ut dictum est.

173. Ob. 11. Subsistentia Verbi supplet personalitatem humanam: sed non potest supplere negationem: ergo. prob. mi. Subsistentia Verbi non potest facere officium negationis illius; non enim potest facere humanitatem non unitam: ergo. Confir. Subsistentia humana dicitur esse consumpta à Verbo: sed negatio non potest consumi: ergo. prob. mi. quod consumitur, debet existere: negatio non existit: ergo. Resp. I. retorq. argumentum. Subsistentia Divina etiam non potest facere officium modi; quia non potest facere naturam subsistentem in se.

Resp. 2. in forma. dist. ma. Subsistentia Verbi supplet personalitatem humanam, faciendò formaliter, quod faceret personalitas humana. neg. ma. faciendò id eminenter. conc. ma. & dist. sic mi. neg. consequenter. Si Subsistentia Verbi formaliter faceret id, quod facit personalitas humana, faceret suppositum humanum, & redderet naturam in se subsistentem: quod utique Verbum non potest facere. At verò eminentè id facit, dum facit suppositum longè nobilius, & Divinum, in quo, tanquam in digniori, subsi-

sit humanitas illa, & cui digniori, tanquam principaliori, attribuuntur actiones Christi.

Si dicas, hac ratione etiam posse dici, quod à luce suppleri possint tenebræ. Resp. si possit assignari etiam aliquis effectus lucis, eminenter continens effectum tenebrarum, e. g. si tam lux, quam tenebræ possint excæcare, poterunt tenebræ suppleri à luce, in ordine ad excæcationem. Certè, cum tam ignis possit esse causa mortis, per adustionem, quam carentia ignis, propter intensum frigus, poterit in ordine ad hunc effectum, suppleri unum ab altero. Unde neque patitur humanitas illa ullam violentiam; quia longè melius ei est subsistere in digniori: sicut melius est nobili virgini nubere regi, cui subsit, quam rustico, cui præsit. Hinc etiam non exigit natura humana, non uniri supposito Divino; quia non exigit privari bono maximo: quamvis etiam neque exigit uniri; cum hæc unio sit supernaturalis; quare ab utroque præscindit.

174. Ad confirm. inprimis retorq. arg. Etiam modus ab adversariis assertus nunquam existit in humanitate Christi; neque enim unquam data fuit in illa humanitate persona humana: quomodo ergo modus ille consumptus est? Dein dist. ma. Subsistentia humana dicitur consumpta, hoc est exclusa, vel impedita. conc. ma. prius physicè existens, deinde destructa. neg. ma. & dist. sic mi. neg. consequenter. nam etiam negatio potest impediri. vide *n. 155. & 158.* ubi *consumi* ita explicat S. Thomas.

Dices. Etiam natura ut præcisè involvit negationem, adeoque etiam ipsa erit consumpta, quod tamen est contra SS. Patres, & doctores, & præsertim contra Concilium Francofordiense, citatum *n. 170.* nam horum communis assertio est, personam posse à persona consumi, non verò naturam. Resp. neg. illatum; natura enim, cum sit indifferens, ut sistant, vel in se, vel in alio, talem negationem non involvit. Dein potius deberet dici consumpta natura juxta adversarios; cum juxta ipsos naturæ desit aliqua proprietas naturalis.

175. Ob. 12. Persona est ens per se: sed ens per se non potest includere aliquid negativum; alias enim esset ens per accidens, ut homo cæcus: ergo. Confir. 1. Subsistentia est fundamentum naturæ: sed fundamentum non potest esse nihil; aliàs malè ei inædificaretur: ergo. Confir. 2. Persona est substantia prima: sed substantia prima est magis substantia, quam secunda: ergo debet præter hanc involvere adhuc aliquid substantiale positivum.

Resp. conc. ma. & neg. mi. cum S. Thomas citato *n. 147.* Ens per se potest dupliciter dici: vel prout significat ens in se subsistens: vel prout significat ens primariò ab authore naturæ intentum: in utroque sensu persona, secundum quod involvit naturam, est ens per se: at secundum quod dicit aliquid superadditum naturæ, distinguendum est; nam in primo sensu persona etiam secundum id, quod superaddit naturæ, est quidem per se,

sed non est strictè ens: in secundo sensu non est illa negatio per se, & ratione sua intenta ab authore naturæ; cum in se sit tantum negatio majoris boni, quæ ratione sui non intenditur à DEO: sicut etiam à DEO, ut authore naturæ, non intenditur per se homo cæcus. At verò à DEO ut authore naturæ, primariò intenta est ipsa natura singularis, præscindendo, an affecta sit ea negatione, an non: & sic etiam humanitas Christi, præscindendo à Verbo, est ens per se in secundo sensu.

Quod autem suppositum humanum non dicatur esse aliquid negativum, sed aliquid positivum, inde est, quod attendatur ad constitutiva nobiliora: sicut etiam dicitur ens absolutum, quamvis involvat unionem, modalem. Dein ordinariè sermo de ipso tantum est sub ratione individui, sub qua est totum positivum. Tandem hæc est questio de nomine, & sæpe ad arbitrium nostrum loquimur: neque est adeò certum, quod suppositum semper dicatur esse totum positivum.

176. Ad 1. confirm. neg. ma. non enim Subsistentia abstractivè sumpta, seu personalitas, est fundamentum naturæ, sed suppositum totum suo modo vocatur fundamentum denominationum, actionum &c. non autem obest fundamento tali, si constituitur partialiter ex negatione: sicut non obest fundamento physico, si constituitur ex lapidibus quadratis, quorum forma artificialis partialiter fiat in negatione partium superfluarum. Ad 2. confirm. om. ma. dist. mi. Subsistentia prima est magis Subsistentia in sensu Aristotelis. conc. mi. in sensu adversariorum. neg. mi. & consequenter. Subsistentia secunda juxta Aristotelem citatum *n. 142.* est tantum universalis, nondum existens, & nondum habens sibi identificatum ultimum prædicatum individualitatis. At Subsistentia prima juxta eundem Aristotelem, citatum *n. 142.* est Subsistentia singularis, & jam habens prædicatum individualitatis sibi identificatum, adeoque in hoc sensu est magis Subsistentia. Quod autem Subsistentia prima, sumpta ad mentem adversariorum pro supposito, debeat habere plus substantiæ, quam Subsistentia particularis jam existens, tamdiu à nobis negatur, quamdiu non aliunde probatur.

ARTICULUS VI.

Solvuntur reliquæ Objectiones.

177. **O**B. 13. Subsistentia, nisi sit completa accidentaliter, non potest operari accidentaliter: ergo etiam, nisi sit completa Subsistentia-liter, non poterit operari Subsistentia-liter. Confir. Accidens inexistit subiecto Subsistentia-liter per modum positivum: ergo Subsistentia, seu natura, etiam inexistit supposito per modum positivum.

Resp. I. om. totum, & neg. suppositum; quod Subsistentia debeat Subsistentia-liter compleri

pleri per modum ab adversariis assertum; nam, si substantia est compositum substantiale, est completa substantialiter per formam substantialem: si est substantia simplex, est substantialiter completa per se ipsam, & prædicata intrinseca: nec indiget alio complemento positivo substantiali.

Resp. 2. neg. conf. intellectam de complemento substantiali, distincto à natura; substantia enim non potest operari accidentaliter, seu producere accidentia, sive ad intra, sive ad extra, sine accidentibus præsentibus; quia non potest naturaliter existere sine istis, utpote suis proprietatibus. At verò substantia potest esse sine illo modo substantiæ superaddito adeoque etiam sine eo substantialiter operari: nec adversarii possunt probare, hunc modum esse proprietatem substantiæ debitum: imò nos n. 148. probavimus, quòd substantia non sit proprietatis naturæ humanæ.

Ad confirm. neg. conseq. Unio accidentalis cum substantia, quæ est inexistens accidentis, non potest explicari per puram negationem, ut suppono ex philosophia: ac verò potest explicari inexistens naturæ in supposito. Dein inexistens accidentis est unio cum alio, tanquam subjecto physico: non verò inexistens naturæ in supposito; neque enim modulus, ab adversariis allatus, est subjectum physicum naturæ. Unde etiam nihil refert, quòd juxta nos substantia humana, abstractivè sumpta, seu negati à nobis asserta, non sit perfectior, vel æquè perfecta, ac unio accidentis, seu hujus inexistens; nam substantia non est unio substantiæ cum alia substantia (quæ unio utique deberet esse perfectior unione accidentis) suppositum autem concretivè sumptum multum excedit accidens.

178. Ob. 14. Juxta nos distingueretur suppositum humanum à supposito equino per negationem necessariam unionis impossibilis: e contra à supposito Divino distingueretur per negationem contingentem unionis possibilis: ergo alia esset substantia respectu equi, alia respectu DEI: ergo suppositum humanum haberet duas substantias. Resp. dist. ant. distingueretur suppositum humanum ab equino, tantum per negationem unionis impossibilis. neg. ant. simul etiam per negationem aliarum unionum. conc. ant. & neg. utramque conseq. Ad suppositum in quacunque determinata specie, sive humana, sive equina, sive alia faciendum, non sufficit negatio tantum unionis: sed requiritur negatio omnis omnino unionis cum quocunque alio, cum quo natura unita faceret aliquod compositum perfectius; et si enim humanitas Christi defacto habeat negationem unionis cum equo, tamen non facit, vel constituit suppositum humanum; quia scilicet non habet negationem omnis unionis cum perfectiori; nam, licet negatio unionis cum equo sufficiat ad hoc, ut humana natura non faciat suppositum equinum, non tamen sufficit, ut faciat suppositum in sua specie, ut patet ex modò dictis

de humanitate Christi: quare substantia humana est semper negatio omnis unionis, adeoque semper eadem unica, & non multiplex.

Quod dicitur, unionem suppositi equini, & humani, impossibile esse, non intelligendum est, quasi repugnaret unio formæ equinæ, & humanæ, vel etiam totius naturæ equinæ, & humanæ (quia hanc repugnare difficulter posset probari, de quo vide n. 182.) sed tantum, quòd non possint uniri in unitatem alicujus suppositi ex prioribus, seu humani, aut equini; nam, si istæ duæ naturæ e.g. anima rationalis, & anima equi unirentur in eadem materia, non maneret amplius suppositum humanum, aut equinum: sed exurgeret tertium suppositum perfectius, in quo ambæ naturæ sisterent, quod nec esset suppositum humanum, nec equinum. At non ita se res habet, nec eodem modo exurgit compositum nobilius, si uniatu Verbum humanitati; nec enim Christus est quid perfectius, quam solus DEUS.

179. Ob. 15. Sophronius Episcopus Hierosolymitanus in epistola sua, seu professione fidei, quæ probata est à Patribus Synodi VI. seu Constantinopolitane III. & habetur actione 11. multò ante medium, ita ait: In illo Verbo itaque, & non in semetipsa habuit natura humana existentiam unam, & iterum inferius: Quæ enim extat persona composita, ex inconsulto constanti temperamento, partitionem convenientium nescit, (editio Colonienis habet nescit: sed Binius habet nec scit: quod videtur esse error typi: sed tamen facit eundem sensum) sed esse, & permanere unum indivisum sortitur: ergo natura humana existit per existentiam Verbi: ergo personalitas est existentia, etiam in creatis. ita Gonetus tom. 4. disp. 8. n. 2.

Resp. me ex philosophia hic supponere, existentiam, & essentiam identificari, quod in physica factis fusè deduxi, nec pauca dixi tract. de DEO n. n. 435. unde neg. utramque conseq. Sophronius solum vult, quòd natura humana habeat tantum unam existentiam compositam, quæ scilicet non sit in duas partes, seu duo supposita, aut duas personas, divisa (sicut n. 129. diximus, Christum debere dici unum, non duo) de hoc enim ibi est quæstio, ut patet ex tota fermè epistola: de altera quæstione philosophica, an essentia, & existentia identificentur, Sophronius non curavit: imò eodem modo dicit, Christum habere esse unum: at esse aliàs ex communi significat essentiam: non autem est verum, quòd Christus tantum habeat unam essentiam, nisi juxta nostram explicationem dicatur, intelligi unam essentiam, seu unum esse compositum, & non divisum in duo supposita, vel personas.

180. Ob. 16. ex eodem Gonet. S. Thomas 3. p. q. 17. n. 2. in corp. & alibi sepe docet, Christum tantum habere unum esse: ergo habet tantum unam existentiam, ac consequenter existentia, & substantia sunt

funt idem. Confirm. I. Ex duobus entibus, ultimam actualitatem habentibus, non potest fieri ens unum per se: sed entia, quæ habent existentiam, habent ultimam actualitatem: ergo ex duobus entibus habentibus existentiam, non potest fieri ens unum per se: atqui ex natura humana, & Verbo fit ens unum per se: ergo. Resp. dist. ant. S. Thomas docet, Christum habere tantum unum esse simpliciter. conc. ant. habere tantum unum esse quomodocunque. neg. ant. & conseq.

S. Thomas ibi docet, quòd esse personale dicatur esse simpliciter alicujus personæ: aliud verò esse, quod non pertinet ad esse personale, dicatur esse secundum quid, ut esse album: & talia esse secundum quid, ait S. Doctor, posse multiplicari in eadem persona; unde Angelicus ibi per esse simpliciter intelligit esse personam, quam in Christo tantum unam esse, certum est omnibus Catholicis: cum autem dicat, alia esse posse multiplicari, etiam admittit posse multiplicari existentias rerum, quæ realiter distinctæ sunt, quamvis sint inter se unitæ: & sic dicimus, in Christo dari etiam existentiam humanæ naturæ, sed unitam Verbo.

Ad confirmationem neg. mi. seu nego, quòd existentia sit prorsus ultima actualitas in omni sensu; nam, cum multa existant cum quibusdam privationibus, possunt ut jam existentia adhuc ulterius perfici, vel compleri (hoc enim intelligunt adversarii per actuari) etiam substantialiter: e.g. anima separata compleri potest per unionem cum subjecto, si hoc ei reuniatu: item, quod est ultimato actuatum, vel completum in linea, vel ordine naturali, potest esse adhuc in potentia quoad ordinem supernaturalem, & in hoc ordine, vel in hac linea ulterius compleri. Resp. 2. dist. ma. ex duobus, ultimam actualitatem in omni ratione habentibus, non potest fieri ens unum per se. conc. ma. ex duobus tantum habentibus ultimam actualitatem in ratione existentia sibi identificata. neg. ma. & dist. sic mi. neg. conf. concedo dein subsumptum, & iterum neg. conf.

181. Ob. 17. Si humanitas Christi prius naturam ad assumptionem jam habuisset existentiam, B. Virgo non fuisset Mater DEI: hoc dicere est Nestorianum: ergo. prob. ma. in hoc casu concursus B. Virginis fuisset terminatus totaliter ad existentiam humanitatis, antequam hæc assumeretur à Verbo (nam existentia est ultimus terminus, seu effectus causæ) atqui sic B. Virgo non fuisset Mater DEI, sed tantum hominis: ergo. Resp. neg. ma. ad prob. iterum neg. ma. maxime quoad id, quod dicitur, concursus B. Virginis terminatum fuisse ad humanitatem Christi, antequam hæc assumeretur à Verbo; vel enim dicitur, quòd B. Virgo supernaturaliter etiam concurreret ad efficiendum unionem hypostaticam, vel non: si prius, fuit Mater DEI; quia ejus concursus fuit terminatus ad illud totum compositum.

Theandricum: si posterius, dicat ipse adversarius, quare B. Virgo fuerit Mater DEI, quia nec in substantiam, nec in substantiam, nec in existentiam increatam, influere potuit: sed ejus influxus ad solam humanitatem terminatus est.

Dicit, quòd B. Virgo ideo sit Mater DEI; quia in illo signo naturæ, in quo ipsa suum influxum præstitit, nondum humanitas Christi habuit ultimum terminum existentia, (nempe, ut Gonetus vult, increatæ) quem eodem instanti acquisivit: & hoc dicit, satis esse, ut dicatur Mater DEI: sed sic dicemus & nos, ad hoc, ut B. Virgo dicatur Mater DEI, satis esse, quòd natura humana in illo signo naturæ nondum habuerit ultimum terminum substantiæ increatæ, quem eodem instanti acquisivit: cumque totum suppositum generari dicatur (nam etiam totus homo dicitur generari, quamvis nec materia, nec anima rationalis generetur) & hoc suppositum, quod B. Virgo peperit, fuerit DEUS, ipsa verè fuit Mater DEI.

Sic enim Concilium Oecumenicum V. seu Constantinopolitanum II. (cujus canones, vel, ut alij vocant, capitula habentur sub finem Concilij) sic habet canone 6. Si quis abusivè, & non verè DEI genitricem dicit sanctam gloriosam semper Virginem Mariam &c. anathema sit. & Ephesinum (cujus anathematismi habentur tomo, seu sect. 1. Concilij c. 14. in epistola Cyrilli, & Synodi Alexandrina ad Nestorium apud Biniuum) sic definit anathemat. vel can. 1. Si quis Emanuelem verum DEUM, & ob id sanctam Virginem Theotocon esse non confitetur (genius enim illa incarnatum DEI Verbum secundum carnem) anathema sit. & Concilium Chalcedonense action. 1. in epist. Cyrilli ad Nestorium sub finem. apud Biniuum ait: illi SS. Patres non dubitarunt, sanctam Virginem dicere Theotocon, non quòd Verbi natura, Deitasque in sancta Virgine sumpsit exordium, sed quòd ex ea natum sit sacrum illud corpus, animatum animam rationali, cui substantialiter adunatum DEI Verbum, carnaliter natum esse dicitur. Nota, hæc verba in editione Colonienis Conciliorum addita esse in 13. capitulo, seu canone Ephesini: sed in Biniio id capitulum 13. non habetur. vide dicta n. 149. Huc spectaret objectio, quæ solet fieri ex eo, quòd juxta nos naturaliter posset cognosci incarnatio, sed eam jam solvimus à n. 20.

182. Sub finem quæstionis totius noto, me n. 11. & 130. item n. 178. & 182. dixisse, quòd non videam implicantiam in eo, quòd saltem duæ naturæ incompletæ, seu duæ formæ, possint uniri tertiam naturam incompletam, seu materiæ, aut subjecto, ut nostri communiter docent in philosophia: quo casu juxta quosdam videtur danda communicatio idiomaticum, tam bene, quam si dicitur de albo homine: Hoc album est rationale: vel: Hoc corporale est rationale, de quo vide dicta n. 11. Licet autem in aliquo tali casu, e.g. quando unirentur eidem materiæ duæ animæ rationales, posset continere,

gere, ut una anima rationalis ageret malè, altera verò bene, & consequenter toti supposito imputarentur ambæ actiones, tamen una post mortem iret in infernum, altera in cælum; quia quilibet in abstracto reciperet juxta opera sua: quæ autem cuique cederet materia, DEUS deberet determinare.

An autem duæ naturæ penitus completæ, e. g. hirci, & cervi, possint una substantiâ creatâ terminari, non videtur multum referre; uniri certè supernaturaliter posse videntur; nam istæ duæ naturæ, penitus completæ in ratione naturæ, aliud non dicunt, quam duas formas substantiales, & duas materias cum duabus unionibus: si autem duæ formæ possint eidem materiæ divisibili, & extensæ uniri, poterunt etiam uniri materiæ magis extensæ, adeoque utraque forma totalis utriusque materiæ totali, seu tali materiæ, quæ aliàs duobus animalibus sufficeret. Deum etiam negatio unionis cum alio perfectiori daretur, & sic in se sisteret istud complexum, ut dictum n. 131. Non tamen istæ naturæ unirentur in unitatem naturæ, ex n. 172. & triplici modo ibi assignato; nam in primo, & secundo, non manerent ambæ naturæ: tertius modus videtur impossibilis; una enim forma non potest informare alteram, nec unum totum informare alterum. Si urgeas, ex unione physica debere oriri ens unum per se, respondeo, fore in tali casu unum ens per se in ratione suppositi, non verò naturæ, juxta explicationem perfectiatis n. 147. ex S. Thoma allatam.

QUÆSTIO II.

De Unione Hypostatica.

ARTICULUS I.

Quid, & qualis sit Unio Hypostatica.

183. **D**icitur unio, qua Verbum humanitati in Christo unita est, hypostatica ab hypostasi, scilicet Verbi, cui natura humana immediate unita est: quasi diceretur unio personalis: & de hac jam queritur, an sit aliquid distinctum ab extremis: & si quid distinctum sit, an sit ens absolutum, an modale: aut in quo tandem stet. Hanc autem unionem non tantum esse moralem, seu affectionis (quali quandoque amici dicuntur uniti, & unum fieri) nec tantum stare in communicatione morali autoritatis, dignitatis, & potestatis: sed esse nexum revera naturalem, physicum, & realem, dubitari à Catholicis nequam potest post Concilium Ephesinum, & epistolam S. Cyrilli, nomine hujus Concilij ad Nestorium scriptam (cujus verba dedimus n. 149.) & post canonem, seu anathematismum 3. ejusdem Concilij, citatum eod. n. 149. & iterum n. 161.

Rursum idem inferitur ex Synodo Oecumenica V. (quæ est Constantinopoli celebrata) collatione 8. apud Binium vel

actione 4. in editione Colonienfi, canone, vel capitulo 4. Si quis dicit secundum gratiam, vel secundum operationem, vel secundum dignitatem, vel secundum equalitatem honoris, vel (apud Binium omiffa est hic particula vel, sed necessariò subintelligitur, & in editione Colonienfi habetur) secundum autoritatem, aut relationem, aut affectum, aut virtutem, unionem DEI Verbi ad hominem factam esse, vel secundum bonam voluntatem, quasi quod placuit DEO Verbo homo, eoquod bene visum est ei de ipso, sicut Theodoros insaniens dicit: vel secundum homonymiam, per quam Nestoriani, DEUM Verbum filium, & Christum vocantes, & hominem separatim Christum, & filium nominantes, & duas personas evidenter dicentes, per solam nominationem, & honorem, & dignitatem, & adorationem, unam personam, & unum filium, & unum Christum confingunt dicere: sed non consentitur unitatem DEI Verbi ad carnem animatam anima rationali, & intellectuâli, secundum compositionem, sive secundum substantiam factam esse, sicut Sancti Patres docuerunt, & ideo unam ejus substantiam compositam, qui est Dominus noster JESUS Christus, unus de Sancta Trinitate, talis anathema sit. Hæc verba paucis mutatis, non tamen mutato sensu, habentur etiam in editione Colonienfi: quæ mutatio verborum sapius accidit, dum ex Græco in Latinum idioma acta Conciliorum (ut hic factum) vel scripta Patrum, transferenda sunt.

184. Dico 1. Unio hypostatica est aliquid realiter distinctum ab extremis (id est à Verbo, & humanitate) eorumque dispositione, negatione impeditum, & decreto DEI. ita Suarez tom. 1. in 3. p. disp. 8. sec. 2. §. Rejettis. & §. Dico tertio. Gormaz de incarn. n. 531. & communiter nostri. Prob. conclusio omnibus ijs argumentis, quibus in philosophia solet probari unio distincta à materia prima, forma, & toto actu primo proximo: scilicet ista omnia per absolutam DEI potentiam possunt dari; quin detur unio: consequenter sunt separabilia ab unione, adeoque distincta. Dein negatio impeditum explicari non potest; nihil enim assignari potest, quod negetur, nisi decretum DEI nolens unionem, ut expendenti constabit: sed, quamvis negetur, vel absit illud decretum, nondum datur unio; quia debet dari aliud positivum decretum, volens extrema uniri, præsertim in hoc casu supernaturali miraculoso.

Sed neque in hoc decreto DEI stare potest unio hypostatica; tum quia unio ipsamet debet immediate uniri illi, quod unit: hoc autem decretum non est immediate unitum humanitati; cum sit commune toti SS. Trinitati, quæ immediate unita non est; tum quia unio ratione decreti est tantum unio voluntatis, & affectus, seu per bonam voluntatem, & affectum, sive est tantum unio moralis: at unio hypostatica ex n. 183. est unio verè physica, & denominat Verbum physicè unitum humanitati: quæ de-

nominatione à decreto haberi non potest, etiam ideo; quia, licet per decreta, & varios eorum modos tendendi, explicari possint denominationes morales, non tamen possunt explicari denominationes physicae; aliàs cur non etiam per decretum DEI, volentis e. g. murum album, jam hic est physice dealbatus?

185. Dico 2. Unio hypostatica est modus, non verò ens absolutum. ita Suarez, & Gormaz. loc. cit. n. præced. & communiter nostri. Ens absolutum dicitur, quod saltem supernaturaliter potest conservari sine aliis, ad quæ referretur, vel quibus inhaeret. Ens modale autem, vel modus est talis naturæ, ut nec supernaturaliter conservari possit sine eo, cujus est modus. Definiri, vel describi potest modus sic: Ens positivum, creatum, essentialiter, & per se ipsum informans aliquod subiectum, & unice, vel primariò intentum ad hoc, ut actualiter, & indispensabiliter determinet illius indifferentiam ad aliquam denominationem.

Dixi: informans aliquod subiectum; non enim debet informare omnia illa, quæ determinat, vel denominat, sive quæ iunt subiectum tantum denominationis; unio enim hypostatica nec informat Verbum, nec istud est subiectum informationis respectu illius. Definitio hæc etiam convenit unioni hypostaticæ tanquam modo, ut patebit ex dicendis. Si quis autem requireret ad modum, quòd deberet omne id informare, cujus est determinatio, adeoque negaret unionem hypostaticam esse modum respectu Verbi, faceret questionem de voce, de qua non esset operæ pretium litigare: communiter tamen hoc non requiritur. Certum autem est, unionem hanc non posse recipi in Verbo, tanquam subiecto, sive informationis, sive sustentationis; quia Verbum non est perfectibile: itaque recipitur tantum in humanitate, quæ perfectibilis est, adeoque subiectum esse potest.

186. Probat jam conclusio. Si unio hypostatica non esset modus, posset existere, quin existeret humanitas Christi: item posset existere humanitas Christi hic, & unio Romæ: itein posset unio existerè hodie, & post centum annos primum humanitas: hæc dici non possunt: ergo. ma. habetur ex essentia entis absoluti. prob. mi. sic posset dari omnes partes, & non dari totum; nam non existeret Christus, si non existerent simul, vel in eodem loco omnes ejus partes. Certè esset mirabilis homo, si ejus corpus esset in terra, anima in celo, unio in intermedio aère: nec minus esset mirabilis homo, cujus corpus daretur nunc, unio post quinquaginta, anima verò post centum annos. Hæc sanè sunt tam imperceptibilia, quam, quòd albedo existens in Indiis dealbet murum huiatem, ratione unionis existentis Romæ: & certè per est ratio de Christo, ut patebit consideranti.

187. Dices 1. ad totum requiri, præter materiam, formam, atque unionem, etiam ubicationes, & durationes simulta-

neas. Sed contra est. Si istæ iterum dicantur absolutæ, itur in antiquam sylvam, nec profunt ad solvendam difficultatem: si autem istæ dicantur esse modales, etiam unio potest talis admitti. Dein deberet admitti, quòd istæ ubicationes, & durationes, sint partes essentielles compositi: hoc autem vix ullus admittit, præsertim, cum sint entia accidentalialia positiva, quæ tamen entia positiva accidentalialia communiter excluduntur ex numero constitutivorum compositi substantialis, quale est Christus. Adde, hæc ratione singulis instantibus hominem, etiam essentialiter sumptum, mutatum ipsi: nec futurum indifferentem totum, ut hic maneat, vel aliò eat: quin singulis momentis hominem fore à se specie diversum: quæ utique admitti non debent sine maximis rationibus, quales advertarii minime afferunt.

Dices cum aliis 2. unionem esse talis naturæ, ut exigit, vel ut non existat sola, vel si existat aliquando sola, nunquam deinceps materia, vel forma possit existere: & sic evitari absurdum in probatione nostra allatum; nunquam enim darentur omnes partes sine toto. Sed contra est. Hæc exigentia esset æquè indispensabilis, & magis mirabilis, quam ea, quæ à nobis adstruitur: nos enim dicimus indispensabiliter exigi ab unione coexistentiam materiæ, & formæ: advertarii dicunt, materiam, & formam ab unione pro omni æternitate excludi: est autem longè convenientior exigentia illa unionis, quam ista; nam prior est ad finem unionis naturalem: hæc est, ad carentiam, & quidem æternam ejusdem finis.

188. Dico 3. Unio hypostatica est distincta ab actione productiva humanitatis Christi: estque modus substantialis. Primum partem probò cum Gormaz de incarnat. n. 542. ex S. Thoma, qui 3. p. q. 4. a. 2. in corp. ait: Illud, quod assumitur, oportet præintelligi assumptioni, sicut illud, quod movetur localiter, præintelligitur ipsi motui: ergo humanitas debet ante unionem præintelligi, seu præsupponi: sed, si unio hypostatica esset actio productiva illius, deberet ipsa unio hypostatica præsupponi ad humanitatem: ergo. Adde, quòd actio, productiva humanitatis Christi, non videatur esse supernaturalis, qualis tamen est unio hypostatica, ut mox dicemus.

Secunda pars conclusionis, seu quòd hæc unio sit modus substantialis, & non accidentalialis, non videtur indigere probatione; certum enim hoc est, ut ait Gormaz de incarnat. n. 529. apud omnes Catholicos: & sumitur ex Concilio Lateranenfi celebrato a. 642. sub Martino I. consultatione. 5. canon. 8. qui iuxta editionem Severini Binii ita habet: Si quis secundum Sanctos Patres non constitetur, proprie, & secundum veritatem, naturarum substantialium unionem, indivisè, & inconfusè in eo Christo cognitam, condemnatus sit. vide etiam Cardinalem de Lugo. de incarnat. disp. 11. sec. 4. n. 37.

Posset tamen, si opus esset, etiam addi hæc

hæc ratio. Christus totus est ens substantialis: communissimè autem excluduntur à totis substantialibus partes positivæ accidentales: ergo unio, cum sit pars Christi, & quidem ens positivum, non potest esse accidentalis. Confirm. Omnis, quæcunque ab authoribus assignari solet, definitio substantiæ etiam convenit unioni hypostaticæ, non minus, quam unioni naturali inter corpus, & animam, quæ tamen communissimè substantialis censetur: ergo etiam unio hypostatica debet censi substantialis.

189. Dico 4. Unio hypostatica non est unio inter corpus, & animam Christi. ita omnes. Prob. In Synodo V. *can. 4.* (quem citavimus *n. 183.*) dicitur, quod unio hypostatica Verbi facta sit *ad carnem animatam*: ergo præsupponitur ad unionem hypostaticam unio animæ ad carnem; aliàs enim hæc non esset animata: ergo istæ duæ uniones sunt distinctæ. Confirm. 1. Tridentinum *sess. 13. c. 3.* docet, in Eucharistia adesse Divinitatem *propter admirabilem illam ejus cum corpore, & anima, hypostaticam unionem*: animam verò adesse sub utraque specie, tam panis, quam vini, *vi naturalis illius connexionis, & concomitantia, qua partes Christi Domini . . . inter se copulantur &c.* ergo unio hypostatica est distincta à connexionem naturali, seu unione animæ cum corpore. Confirm. 2. ex S. Thoma, qui *in 3. dist. 6. q. 3. a. 1. ad 3.* ait, quod *compositio*, (seu unio, *anima rationalis ad carnem* (scilicet Christi; de hac enim loquitur in objectione, adeoque etiam in responsione) *est ultima in operibus naturæ*: sive est naturalis: *compositio humanitatis ad personam Verbi non fit operatione naturæ, sed virtute Divina*: sive est supernaturalis: quod etiam ulterius probabimus conclusione sequenti: ergo istæ uniones inter se distinguuntur.

190. Dico 5. Unio hypostatica est supernaturalis. De hac conclusione nemo dubitat, & facile probatur. Unio Personæ Divinæ, & naturæ creatæ, superat vires, & exigentiam totius naturæ creatæ, vel omnium substantiarum, ut quod se habentium: ergo est supernaturalis. ant. est clarum; quis enim dicat, exigi à natura illud mysterium, quod physicè sumptum nec per suspensionem naturaliter attingere potuit sine sui captivitate intellectu quicunque creatus? ut probatum est *n. 15.* Confirm. Hoc mysterium, seu unio ista, est maximum favor Divinus, collatus hominibus, in ordine ad acquirendam beatitudinem æternam: ergo non tantum est philosophicè, sed vel maximè Theologicè supernaturalis. Imò hoc donum DEI est maximum inter dona purè creata; cum per istud verè dicatur homo DEUS, & DEUS homo: quod nullum aliud donum creatum efficere potest: cumque Homo-DEUS contineat omnem perfectionem possibilem, in hoc dono unionis hypostaticæ continentur eminenter omnia alia. vide Gormaz *de incarnat. n. 543.*

191. Dico 6. Unio hæc est unica, sed

divisibilis. ita Gormaz *de incarnat. n. 550. & seq.* & alii cum ipso. Conclusio sic intelligi debet. Unio hypostatica Verbi est una, hoc est, non est aliqua unio necessæ Verbum cum humanitate, & alia nectens humanitatem cum Verbo: sed una, & eadem, nectit invicem utrumque, ita tamen, ut ea unio divisibilis sit, & alia pars unionis nectat animam, alia corpus. Probatur iisdem rationibus philosophicis, quibus probatur, inter corpus, & animam, tantum dari unam unionem; scilicet 1. quia una sufficit, & imperceptibile est, unum uniri alteri, quin vicissim alterum etiam uniatur huic. 2. quia vel duæ uniones essent separabiles, & deberent uniri etiam ipsæ unione tertia: vel essent inseparabiles, & haberent probabile signum identitatis. Accedit in nostro casu ratio specialis; nam, cum nulla unio in Verbo tanquam subiecto recipi possit, & illa, quæ terminaretur ad solum Verbum, in humanitate non reciperetur, hoc ipso non haberet subiectum, quo tamen indispensabiliter indiget, utpote modus.

Jam quod illa unio hypostatica divisibilis sit, probatur. In triduo mortis manserunt anima, & corpus, unita Verbo, & non unita inter se; aliàs enim non fuisset vera mors: ergo debuit pars unionis hypostaticæ cum anima separari ab altera parte unionis cum corpore; sicut anima separata fuit à corpore; gratis enim diceretur, fuisse destructam totam priorem unionem, & novas duas productas, præsertim, cum in resurrectione debuissent iterum destrui istæ duæ uniones, paulò ante productæ, & denno produci una indivisibilis nova. Imò, licet unio Verbi cum anima Christi fuerit indivisibilis (quia non erat capax augmenti) tamen unio Verbi cum corpore fuit divisibilis; nam, ut habet S. Thomas *3. p. q. 33. a. 1. ad 4.* Christus, ad ostendam veritatem humanæ naturæ à se assumptæ, eodem modo accepit augmentum corpore is, quo alii homines: adeoque acquisivit non novas semper partes corporis, quæ Verbo fuere unitæ per uniones partiales successivas, sicut scilicet eadem partes uniebantur animæ in ipso Christo, vel etiam in alijs hominibus; dicere enim, quod semper destructa sit totaliter prior unio, & nova producta, esset prorsus paradoxum.

192. Præter has autem duas partiales uniones, juxta multos, ut ait Gormaz *de incarnat. n. 552.* data fuit etiam tertia, quæ univit ipsam unionem naturalem, animæ, & corporis Christi cum Verbo, quæ que in morte Christi, deficiente termino, seu unione inter corpus, & animam, etiam ipsa defecit, licet uniones hypostaticæ partiales cum corpore, & anima, tunc manserint: quæ unio unionis dein post resurrectionem iterum reproducta est, vel alia similis: si cut scilicet etiam reproducta est prior unio inter corpus, & animam, vel alia similis. Quia autem omnes istæ partiales uniones ordinatæ sunt ad idem indivisibile Verbum Divinum, tanquam extremum, & ad constituendum

endum unum solum suppositum, ex hac coordinatione habent, ut unam totalem unionem constituent: sicut etiam in hominibus, dicitur tantum esse una unio, inter corpus, & animam, licet ea divisibilis sit, & una pars, e.g. unio animæ cum capite, manerè possit sine altera, e.g. unione animæ cum pede.

Istæ autem partes unionum non videntur posse esse inter se unitæ immediatè; neque enim uniuntur per aliam unionem; non enim admittuntur uniones unionum; cum præsertim de his rediret eadem quæstio, per quid denuo inter se unirentur: neque etiam uniuntur inter se immediatè per se ipsas; quia inter se mutuo separabiles sunt, & potest quælibet existere sine altera; unde sufficit, si dicantur esse inter se unitæ mediatè, quatenus scilicet uniuntur immediatè partialibus subiectis, & omnes simul eidem totali subiecto: qua ratione sufficienter constituunt unum continuum, sicut caput constituit unum continuum cum pede, licet non immediatè huic uniatur.

193. Dico 7. Causa efficiens unionis hypostaticæ est tota SS. Trinitas. ita omnes. Prob. 1. ex Lateranensi, relato in *C. Firmiter. de summa Trinitate.* ubi dicitur: *Unigenitus DEI Filius JESUS Christus à tota Trinitate communiter incarnatus.* Prob. 2. ex Toletano VI. quod ita habet *c. 1. Et cum tota cooperata sit Trinitas formationem suscepti hominis (quoniam inseparabilia sunt opera Trinitatis) solus tamen Filius suscepit humanitatem, in singularitate personæ, non in unitate Divina natura, id est, in eo, quod proprium est Filij, non quod commune Trinitati.* Prob. 3. ex Toletano XI. (quod Innocentius, teste Bino *in nota marginali ad titulum hujus Concilii*, vocat authenticum) *in professione fidei post mediæ, ubi ita habetur: Incarnationem quoque hujus Filij DEI tota Trinitas operata esse credenda est; quia inseparabilia sunt opera Trinitatis: solus tamen Filius formam servi accepit, in singularitate personæ, non in unitate Divina natura: in id, quod proprium est Filij, non quod commune Trinitati.*

S. Augustinus quoque *l. 1. de Trinit. c. 4.* sic ait: *Quamvis Pater, & Filius, & Spiritus S. sicut inseparabiles sunt, ita inseparabiliter operentur.* & addit: *Hæc etiam mea fides est, quoniam hæc est Catholica fides.* Plura ex Patribus in hanc rem assert Didacus Ruiz *de Trinitate disp. 110. sec. 2.* quin & Christus Dominus *Joan. 5. v. 19.* de se ait: *Non potest Filius à se facere quidquam, nisi quod viderit Patrem facientem &c.* Ratio etiam est; quia omnipotentia, quæ operatur ad extra, est communis toti SS. Trinitati.

194. Unde dici minimè potest, unionem hypostaticam stare in speciali influxu Verbi in humanitatem; nam, quiscunque adstruat influxus, debet is esse opus ad extra, quod omne est commune toti SS. Trinitati. Sed neque idem sunt producere unionem, & uniri, ut est per se clarum: ergo, etiamsi admitteretur, ille influxus, non

R. P. Ant. Mayr, Theol. Tom. II

necessariò in eo staret unio: præsertim autem, si ille influxus non esset productio unionis, sed vel productio humanitatis, vel alicujus partis illius, esset omnino impertinens ad unionem.

Quamvis autem in hac conclusione dicatur, SS. Trinitatem esse causam efficientem principalem hujus unionis, non negatur, potuisse etiam B. Virginem, supernaturaliter elevatam, esse causam instrumentalem effectricem hujus ipsius unionis; nam effectus superni, etsi principaliter ascribantur DEO, possunt tamen instrumentaliter provenire à creaturis. Et juxta hanc sententiam B. Virgo non tantum esset mater DEI naturalis, prout mater naturalis opponitur matri tantum adoptanti, aut legali: verum etiam esset mater DEI non minus, quam aliæ sceminae sunt matres suorum liberorum, in quibus nec materiam, nec animam producent, sed tantum unionem: quam etiam in DEO homine produxisset B. Virgo. Cæterum, quamvis teneretur oppositum, tamen posset salvari, quod B. Virgo sit mater DEI; quia tamen genuisset suppositum, quod est DEUS. vide *n. 181.*

ARTICULUS II.

Solvuntur Objectiones.

195. **O**B. 1. contra 1. conclus. Per id unitor Verbum humanitati, per quod exercet rationem ultimi termini: sed hanc exercet per se ipsam: ergo unitor per se ipsum. Confirm. Potest quis ex dextro fieri sinister sine modo: ergo etiam potest sine modo fieri unitus ex non unito. prob. conseq. non est mirus nova denominatio sinister, quam sit nova denominatio unitus: ergo. Resp. dist. ma. per illud, per quod Verbum exercet rationem ultimi termini, unitur humanitati ut quod. conc. ma. unitur ut quo. neg. ma. & conc. m. sub priori dist. conc. vel neg. corf.

Terminus non est unio, seu illud, quo ipsemet unitur alteri: sed est extremum, quod unitur; aliàs etiam anima rationalis uniretur per se solam materiæ, quod planè est falsum. Ad confirm. neg. ant. Potest quidem esse, ut factus sinister non acquirat novum modum: sed tunc debet talem acquirere factus dexter, seu, qui motus est; unde ista nova denominatio non datur sine nova parte. Hoc tamen verum est, quod, cum hæc denominatio possit esse uni extrinseca, non exigit modum recipi in quolibet denominato.

196. Ob. 2. DEUS potest fieri ex non volente volens sine modo: ergo etiam potest fieri ex non unito unitus sine modo. Confirm. Saltem potest dici, unionem stare in decreto DEI: ergo non est necessarius modus. Resp. antecedens negari à Martinez, & alijs adstruentibus modum, qui sit complementum extrinsecum decreti Divini: at melius neg. conf. Velle DEI contingens, de

H

de

de quo hęc est sermo, non est opus ad extra, ut est unio: sed est exercitium libertatis ad intra, adeoque non indiget modo, præsertim, cum modus recipi nequeat in DEO. Neque debet mysterium libertatis Divinæ huc transferri, si aliter res possit explicari. Adde, decreta DEI, seu volitiones ejus, esse ab æterno: unionem autem esse effectum DEI in tempore: ergo, licet volitiones sint identificatæ, non sequitur, etiam debere esse identificatam unionem: imò cum hæc in tempore inceperit, identificata esse non potuit. Ad confirm. neg. ant. ex n. 184.

197. Ob. 3. contra 2. conclus. Modus est ens imperfectissimum: sed unio hypostatica non est ens imperfectissimum: ergo non est modus. prob. mi. unio hæc vocatur passim à SS. Patribus admirabilis, incomprehensibilis, superans omnia dona creata, & gratias, etiam visionem beatificam: ergo. Resp. dist. ma. modus est ens imperfectissimum sub aliqua ratione. om. ma. sub omni ratione. neg. ma. & dist. sic mi. neg. conseq. ad prob. conc. ant. & sub priori distinctione om. vel neg. conseq. Modus præcisè sub ratione modi, est imperfectior entibus absolutis: sed quia potest habere prædicata alia nobilissima sibi identificata, potest compensari defectus in una ratione per excessum in alijs rationibus, vel perfectionibus.

Sic accidens sub ratione accidentis est imperfectius substantiæ: attamen visio beatifica, licet sit accidens, est ex alijs rationibus perfectior aliqua substantiæ, præsertim purè materiali: & pariter unio hypostatica est longè perfectior, quam aliqua substantiæ, & aliqua accidentia absoluta; quia est maxima conjunctio cum DEO, quæ perfectio longè excedit alia dona creata, quæ remotius, vel minus cum DEO conjungunt. Addit Gormaz de incarnat. n. 549. modum debere quidem esse imperfectiorem, quam sit unum ex extremis suis, non tamen necessariò debere esse imperfectiorem quocunque extremo: sicut, licet minister sit inferior suo domino, non tamen necessariò est inferior omni domino; primus enim minister regis excedit multos dominos privatarum familiarum.

198. Ob. 4. contra 3. conclus. Illud, quòd supervenit entibus jam completis, est accidens, & non substantia: atqui unio hypostatica ita supervenit: ergo est accidens, adeoque non est modus substantialis. Resp. certum esse ex dictis n. 188. quòd hæc unio sit substantialis; unde, si Patres aliquando dicunt, Verbum unum esse humanitati per accidens, tantum dicere volunt, Verbum non necessariò debuisse uniri: sicut scilicet per accidens etiam datur homo. in forma dist. ant. quòd supervenit entibus jam completis, & simul est aliquid ordinis naturalis: vel supervenit jam ita completis, ut sub ea ratione non sint ulterius neque supernaturaliter complebilia, illud est accidens conc. ma. fecus. neg. ma. & dist. sic mi. neg. conseq. vide n. 171.

199. Ob. 5. contra 4. conclus. SS. Patres communiter docent, humanitatem Christi non antè extitisse, quam fuerit unita Verbo: id quòd etiam habetur in epistola Sophronij, Patriarchæ Hierosolymitani, approbata à Synodo Oecumenica VI. Constantinopoli habita. actione 11. ubi de corpore, & anima Christi Domini dicitur: *Non ante verissimum ipsius Verbi conventum in seipsis unquam extiterunt, vel cujuspiam secundum nos alterius hominis conventu substantiam habitura concurrerunt, & nec quantam in actu oculi, hanc, quam illam priorem habentia*: ergo ipsa unio Verbi cum humanitate univit etiam partes humanitatis inter se. Confirm. Si hoc non dicatur, B. Virgo non erit mater DEI: sed hoc dicere esset Nestorianum: ergo.

Resp. dist. ant. Patres dicunt; humanitatem Christi non antè extitisse, seu non fuisse prius tempore. conc. ant. non fuisse prius naturam, neg. ant. & conseq. Imò, cum SS. Patres doceant, atque etiam de fide sit (ut rectè ait Suarez tom. 1. in 3. p. disp. 15. sec. 4. §. Dicendum verò) Verbum esse unitum carni animatæ animæ rationali, adeoque caro animata pro priori naturæ supponatur ad unionem hypostaticam, animatio autem involvat unionem animæ, & corporis, etiam hæc pro priori supponitur. Ad confirm. neg. ma. de hac re vide n. 181. & n. 194.

200. Ob. 6. contra 5. conclus. Nulla alia substantia est supernaturalis: ergo nec unio hypostatica. Confirm. 1. Si unio esset supernaturalis, esset radix, seu principium habituum, & operationum supernarum: hoc non videtur posse admitti: ergo. prob. mi. tale principium esset natura: ergo darentur in Christo tres naturæ. Confirm. 2. Totum substantiale est ens per se intentum à natura: sed totum, involvens partem supernaturalem, non potest esse ens per se intentum à natura: ergo non potest esse substantiale: ergo unio, quæ est substantialis, non potest esse supernaturalis. Resp. neg. conf. Licet nulla alia substantia sit supernaturalis, potest tamen unio hypostatica esse substantia supernaturalis; quia pro hac pugnant speciales rationes, allatæ partim n. 188. partim n. 190. Licet autem impossibilis sit substantia ut quòd supernaturalis, non tamen est impossibilis substantia ut quòd supernaturalis, qualis duntaxat est unio hypostatica. Rationem disparitatis inter substantias istas quoad hoc prædicatum dat Palladius l. de gratia c. 3. n. 53. ubi ait, quòd omnis substantia non modalis, seu ut quòd, sit natura: atqui non potest dari natura supra omnem naturam: ergo non potest dari substantia ut quòd supernaturalis: econtra modus non est natura: adeoque hic, est substantialis, potest tamen esse supernaturalis.

Ad 1. confirm. om. ma. neg. mi. ad prob. neg. ant. non est propriè natura; quia hæc non datur respectu actuum supernaturalium:

alium: si autem velis aliquo modo dicere, unionem esse quasi naturam, sicut gratia sanctificans in puris hominibus dicitur quasi natura, exigens habitus supernos, non video, quid mali dicas; nec enim vel à longè sequitur, in Christo dari tres naturas, in sensu proprio, & Patribus usitato, dictas. Olim disputatum fuit inter Theologos, an non Christus dici posset, constare tribus naturis, Divinitate, anima, & corpore. Sed meliùs omittitur hic modus loquendi ob periculum, ne in Christo videantur prædicari tres naturæ completæ, quæ non dantur: videri tamen potest Suarez tom. 1. in 3. p. disp. 15. sec. 4. §. Ex dictis.

Ad 2. confirm. dist. mi. totum, involvens partem supernaturalem, non potest esse intentum à natura, ob defectum perfectionis, ob quem non est intentum totum per accidens, neg. mi. ob excessum perfectionis, superantis vires naturæ. conc. mi. & neg. conseq. Fortè etiam dici posset, quòd totum, involvens partem supernaturalem, non quidem exigatur, sed tamen aliquo modo, saltem conditionatè, intendatur, scilicet ex hypothesi, quòd ponatur à DEO: certè est amabile gratiæ sui. Quando autem Patres unionem hypostaticam vocant naturalem, non accipiunt hunc terminum, prout opponitur supernaturali, sed prout opponitur morali: & tantum volunt, dicere, eam esse unionem physicam. vide Cardinalem de Lugo de incarnat. disp. 11. sec. 4. n. 45.

201. Ob. 7. contra 6. conclus. Juxta SS. Patres: *Quod Verbum semel assumpsit, nunquam dimisit*: ergo in triduo mortis non periit unio hypostatica: imò nec unio naturalis inter animam, & corpus, si hæc aliquid est præter extrema: atqui debuisset perire unio inter corpus, & animam, item unio illa hypostatica partialis, quæ necèbat unionem animæ, & corporis Verbo, si unio esset modus divisibilis: ergo. Resp. dist. ant. quòd Verbum semel assumpsit tanquam partem essentialem, & ut quòd humanitatis, nunquam dimisit. conc. ant. quòd assumpsit quomodocunque. neg. ant. & conseq.

Certè ex corpore Christi Domini exprirunt, ut in alijs hominibus, particulæ, quæ fuere prius unitæ. Rursus, ut tenent Suarez, Vasquez, Gormaz de incarnat. n. 693. & alii, dimissæ sunt à Verbo etiam aliquæ guttule sanguinis, quæ manserunt in sindone, clavis, & spinis &c. ergo etiam potuit dimitti hæc unio, quæ in Christi morte destructa fuit. An autem eadem in individuo postea sit reproducta, decidere non ausim. vide etiam Gormaz de incarnat. n. 706.

202. Ob. 8. contra 7. conclus. Verbum Divinum habet specialem terminationem passivam ad humanitatem; nam ipsum solum est incarnatum: ergo etiam potest habere specialem terminationem activam, seu influxum: ergo in hoc potest stare unio hypostatica. Resp. neg. conseq. Terminare passivè est dari in unione hypostatica specialem exigentiam ad Filium, ut distinctum à Patre: terminare activè est producere. Ter-

minationes passivæ in Divinis non sunt communes; quia, possunt convenire ratione prædicati relativi, uti convenit Filio prædicatum incarnati ratione Filiationis. At terminationes activæ ad extra, seu productiones ad extra, sunt communes; quia conveniunt ratione omnipotentia, quæ est communis tribus.

Unde dici non potest, quòd Filius, præter omnibus communem productionem ad extra, habeat aliquam specialem; quia non potest dari actio, quæ non præcedat ab omnipotentia; aliàs ista non esset omnipotens: dein operaretur una Persona ad extra aliter, ac altera, adeoque dissimiliter; cum tamen dicatur Joan. 5. v. 19. *Quacunque enim ille Pater fecerit, hæc & Filius similiter facit*. Non autem dicas, quòd, si tota SS. Trinitas produxerit eam unionem, cum tota fuerit unita; nam uniri non est producere unionem, sed specialiter eam passivè terminare.

QUÆSTIO III.

De Termino Assumente, & Assumptibili.

ARTICULUS I.

Quenam Persona Divina, & quomodo sit incarnata.

203. Dico 1. Sola secunda Persona ex SS. Trinitate est incarnata. ita fides Catholica.

Prob. 1. In Sacris Scripturis de solo Verbo dicitur Joan. 1. v. 14. *Et Verbum caro factum est.* & Joan. 3. v. 16. *Sic enim DEUS dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret.* item ad Galat. 4. v. 4. *Misit DEUS Filium suum, factum ex muliere, factum sub lege, ut eos, qui sub lege erant, redimeret.* iterum solus Filius dicitur, in Scripturis, & in symbolo Apostolorum, simpliciter natus, & in terris conversatus, bibisse, manducasse, mortuus esse: ergo solus ipse est incarnatus. Nec dicas, ista de alijs Personis tantum taceri, non negari; nam contra est (& hæc sit simul 2. probatio) Quando de una Persona aliquid dicitur, & dubium oriri potest, an id conveniat ei soli, debemus stare explanatione Conciliorum, & Patrum: atqui Concilia, & Patres, ubique docent, solum Filium esse incarnatum: ergo.

204. Minor probatur adducendo textus SS. Patrum, & Conciliorum. S. Augustinus serm. 3. de tempore. ait: *Suscipit, inquam, Filius carnem in proprietate: sed tamen, & Pater, & Spiritus Sanctus non desunt majestate.* In Divinitate equalitas, in carne sola Filii proprietus: non autem ab eo Patris, aut Spiritus S. recessit aliquando Divinitas, cum ergo una sit Deitas, una sit Divinitas, implevit quidem carnem Christi, & Pater, & Spiritus S. sed majestate, non susceptione.

Pariter in Synodo Oecumenica V. Constantinopoli celebrata can. 10. dicitur: *Si quis non confitetur, Dominum nostrum Jesum Christum, qui crucifixus est carne,*

DEUM esse verum, & Dominum gloria, & unum de Sancta Trinitate, talis anathema sit: ergo est unus incarnatus, & non tres. Rursum in Synodo Oecumenica VI. quæ est etiam Constantinopoli habita, actione 8. longè post medium, & proprius ad finem, refertur textus S. Dionysii Episcopi Atheniensis, & Martyris: Intègre, verèque humanatum est Verbum. & additur, quod idem Verbum, & operari, & pati voluerit, quæ ei congruebant: ac subiungitur: His namque Pater, & Spiritus, nulla ratione communicant, nisi quis dixerit, secundum benignissimam misericordiam voluntatem.

Clarissimè autem id docet Concilium Toletanum XI. (quod, ut jam dictum n. 193. Innocentius Papa in epistola ad Petrum Compostellanum vocat *Authenticum*) ita enim habet in professione fidei post medium: De his tribus Personis solam Filii Personam pro liberatione humani generis hominem verum sine peccato, de Sancta, & immaculata Virgine, credimus assumpsisse. & post aliqua interjecta rursus ita loquitur: incarnationem quoque hujus Filii DEI tota Trinitas operata esse credenda est; quia inseparabilia sunt opera Trinitatis. Solus tamen Filius formam servi accepit, in singularitate persona, non in unitate Divina natura, in id, quod proprium est Filii, non quod commune Trinitati. & iterum paulo inferius. Nec Spiritus S. nec DEUS Pater, sed sola Filii Persona suscepit carnem. vide plura apud Suarez tom. 1. in 3. p. disp. 12. sec. 1. & 2.

205. Dico 2. Verbum Divinum unitum est immediatè humanitati secundum Personalitatem propriam, non autem secundum naturam communem. ita S. Thomas 3. p. q. 3. a. 2. in corp. Suarez, Vasquez, Gormaz. de incarnat. n. 708. & 709. & hoc teste communis Theologorum. Probatur, Si Verbum esset unitum immediatè etiam secundum naturam, tunc esset unitum, non tantum secundum id, quod est proprium Filii, sed etiam secundum id, quod est commune Trinitati: atqui hoc est contra Patres, & Concilia modò adducta: ergo. Confirm. 1. Hac ratione omnes tres Personæ essent incarnatæ: hoc est contra fidem: ergo. prob. ma. quod convenit naturæ communi ratione sui, convenit cuique ex tribus Personis, e. g. esse omnipotentem, omnisciam &c. ergo etiam deberet convenire esse incarnatam.

Confirm. 2. Quamvis diceretur in hypothesi adversariorum, Verbum ex duplici capite, scilicet tam ratione personalitatis, quam ratione naturæ, unitum, magis esse incarnatum, quam Pater, & Spiritus S. tamen etiam isti ratione naturæ communis essent verè incarnati: atqui hoc est contra fidem: & ut testatur S. Anselmus l. de incarnatione Verbi c. 1. damnatum est in Concilio quodam Rhemenfi: quin est hæresis Theopaschitarum & Patripassianorum, vel Petri Cnaphæi, Episcopi Antiocheni, de qua hæresi S. Joan. Damascenus l. 3. de orthodoxa fide c. 10. ergo.

Ma. videtur innegabilis; nam, sicut si Verbum, præter communem influxum omnipotentiam, insuper haberet influxum notionalem in aliquam creaturam, posset quidem dici, magis eam produxisse, quam Pater, & Spiritus S. tamen etiam isti verè eam creaturam produxissent: item, sicut si Verbum, præter communem noticiam omniscientiam, haberet notionalem scientiam de aliquo objecto, & sic magis id sciret, tamen etiam Pater, & Spiritus S. illud scirent: ita in nostro casu, licet Verbum esset magis incarnatum, tamen etiam Pater, & Spiritus S. essent incarnati; quia revera ratione naturæ essent uniti carni. Ex his autem collige, quòd, quando dicuntur in Christo esse unitæ duæ naturæ, tantum significetur, eas esse unitas mediatè, quatenus scilicet personalitas, immediatè unita humanitati, trahit secum ratione identitatis naturam Divinam: & sic etiam intelligitur Deitas mediatè incarnata.

206. Si hic ulterius quæretur, quare potius Filius Divinus sit incarnatus, quam alia Persona, reponendum est; quia sic placuit SS. Trinitati in secreto Concilio suo. Congruentiæ tamen aliqua afferuntur ab Eximio tom. 1. in 3. p. disp. 12. sec. 1. Ex his prima est, ut, quantum fieri potest, idiomata sint similia, atque idem, qui ab æterno est Filius DEI, etiam sit filius hominis in tempore, & nomen filij non communice- tur Patri, & Spiritui S. ita S. Anselmus l. de incarnat. c. 4. post medium dicens: Si Spiritus Sanctus incarnatus esset, sicut Filius est incarnatus, esset Spiritus Sanctus filius hominis. Essent igitur duo Filij in Trinitate DEI, scilicet Filius DEI, & Filius hominis; unde quadam nasceretur dubietatis consultio.

Secunda; quia, cum Verbum sit sapientia, per quam omnia facta sunt, deest, etiam per idem omnia instaurari, ut ad Ephes. 1. v. 10. loquitur S. Paulus. Tertia, ut naturalis Filius DEI honoraret adoptivos, sibi que faceret similes. Quarta, ex S. Bernardo sermone 1. de adventu Domini. ne Pater, qui Luciferum, affectantem æqualitatem cum DEO, quæ est propria Filij, è cælo dejecit, & sic propter Filium Angelos perdidit, etiam hominem, affectantem scientiam similem DEO, quæ quoque est propria Filij, propter eundem Filium perderet: sed ut potius vicissim à Filio homo Patri ferveretur. Quinta ex S. Augustino (vel quisquis est auctor *Questionum veteris & novi testamenti*) q. 113. ut, quia dæmon primatum Filij DEI appetierat, per hunc ipsum debellaretur. Sexta, ut Filius, qui est Persona media, inter Patrem, & Spiritum S. esset etiam mediator inter DEUM, & hominem. vide Gormaz de incarnat. n. 265.

ARTICULUS II.

Solvuntur Objectiones.

207. **O**B. 1. contra 1. conclusio- nem. Impossibile est, quòd una Persona sine alia producat

ducat unionem: ergo etiam est impossibile, ut una sine alia eam terminet, seu incarnetur. Confirm. 1. Non potest una Persona sine altera terminare visionem beatificam: ergo neque potest terminare unionem. Confirm. 2. Christus ait *Joan. 10. v. 30. Ego, & Pater, unum sumus*: ergo, si est incarnatus Filius, etiam Pater est incarnatus. Resp. neg. conf. vide dicta n. 202. Ad 1. Resp. neg. conf. vide dicta n. 202. Ad 1. Theologis, de qua re vide *tract. de DEO n. 202*. Resp. 2. om. ant. neg. conf. Si antecedens admitti deberet ut verum, ideo admittendum esset; quia in ordine ad scientiam sæpe contingit, ut ex duobus unum sine altero cognosci non possit, etsi non sint unita: sic non potest cognosci cognitio, vel scientia, quin simul cognoscatur objectum, per illam cognitionem scitum, vel cognitum, quamvis ei non uniatur; relatio enim, quam habet scientia ad objectum, exigit, ut etiam cognoscatur objectum: nihil tale occurrit, in unione.

Ad 2. confirm. neg. conf. licet enim Pater, & Filius sint unum quoad essentiam, vel naturam, non tamen sunt unum quoad Personam, quæ immediatè unitur. Dicuntur tamen Personæ non unitæ, scilicet Pater, & Spiritus S. esse in humanitate Christi, quasi per *circuminsessionem*, quatenus, licet DEUS non esset immentus, tamen Pater, & Spiritus S. ibi existeret, ubi humanitas unita Verbo existit: scilicet, istæ duæ SS. Personæ, cum in alijs creaturis sint ex solo titulo immentitatis, in humanitate Christi sunt ex duplici titulo, nempe immentitatis, & unionis hypostaticæ, mediatè terminatæ ad naturam Divinam. vide Gormaz de incarnat. n. 725.

208. Ob. 2. contra 2. conclus. Potest dici, quòd indivisibiliter immediatè uniatur humanitati complexum, ex personalitate Filij, & natura Divina: ergo non sola personalitas Filij immediatè unitur. prob. antec. sic jam verificatur, Filium uniri in eo, quod est proprium, & non in eo, quod est commune: ergo. prob. ant. hoc complexum, indivisibiliter sumptum, non est commune, ut est per se clarum: ergo. Resp. neg. ant. ad prob. iterum neg. ant. ad hujus prob. dist. ant. hoc complexum, adæquatè sumptum, non est commune. conc. ant. inadæquatè sumptum. neg. ant. & conf. SS. Patres, & doctores, utique sciunt, Filium DEI esse complexum ex communi, & singulari: & tamen in eo distinguunt commune, & proprium: atque de communi dicunt, id non uniri immediatè: de singulari verò, uniri immediatè: ergo, quando dicunt, immediatè uniri, quod est singulare, intelligunt, quod est adæquatè singulare, quale non est dictum complexum. Expendantur textus, præsertim ex Concilio Toletano XI. citati n. 204. & facile apparebit veritas responsionis.

209. Ob. 3. Personalitas Divina, præscindendo à natura identificata, non est ens, aut perfectio: ergo non potuit præcisè ra-

tione sui uniri. Confirm. Magis est unita natura Divina, quam personalitas Patris: atqui hæc est unita mediatè: ergo illa immediatè. Resp. neg. conf. licet enim personalitas, præscindendo à natura, non sit ens, aut res, est tamen realis. Sed de hac objectionem vide *tract. de DEO n. 223*. nam non vacat hic repetere, quæ ibi jam dicta sunt, cum præsertim opus esset longiori quæstionis hujus explanatione, quam potes habere eodem *tract. à n. 810. & seq.*

Ad confirm. conc. ma. dist. mi. personalitas Patris est unita unione mediata, quæ sit substantialis secundum hypostasin. neg. mi. unione tantum aliqua latè dicta circuminsessionis, & longè remotiori, quam, qua unita est natura. conc. mi. & neg. conf. Natura Divina, utpote realiter identificata hypostasi Verbi, immediatè unitæ, unitur mediatè substantialiter secundum eandem hypostasin sibi identificatam: at verò Personæ Patris, & Spiritus S. quæ realiter distinctæ sunt ab hypostasi Filij, non uniuntur secundum hypostasin: & hinc nec dici possunt unitæ humanitati, nec incarnatæ: quæ tamen denominationes competunt naturæ Divinæ.

210. Ob. 4. Si Persona Filij est immediatè unita, natura autem identificata non est immediatè unita, tunc verificantur contradictoria, & datur distinctio virtualis, ratione hujus prædicati, inter naturam, & Personam: hoc non potest dici: ergo. prob. mi. ex hoc sequitur, quòd natura neque possit dici mediatè unita: hoc est falsum: ergo. prob. ma. quia datur virtualis distinctio inter Personam, & naturam, ratione prædicati producti, vel productæ; eoque Filius sit productus, natura autem non sit producta, sequitur, quòd natura neque possit dici mediatè producta: ergo in nostro casu neque poterit dici mediatè unita. Resp. neg. mi. ad prob. neg. ma. ad hujus probat. neg. conf.

211. Disparitas est inter hæc prædicata, seu has denominationes, esse productum, & esse unitum: prioris denominationis, nempe producti, vel productæ, natura capax esse non potest: non præcisè ideo; quia datur aliqua distinctio virtualis inter Personam Filij, & naturam, sed, quia id, quod est, sive mediatè, sive immediatè productum, debet esse distinctum à producente (nam filius debet esse distinctus à patre, & nepos ab avo: & oppositio producentis, & producti infert distinctionem realem; ex hac enim ipsa infertur distinctio realis inter Personas Divinas) natura autem in Divinis non potest esse realiter distincta à producente; alias non posset esse identificata cum Patre: ergo non potest dici, etiam tantum mediatè producta.

Econtra, quod est unitum in Divinis, non debet esse realiter distinctum à non unito; cum neque id, quod est identificatum, debeat esse realiter distinctum à non identificato; alias natura Divina, quæ est identificata Filio, deberet esse realiter distincta à Patre, qui non

non est Filio identificatus: ergo prædicatum uniti, vel unita, non opponitur alijs prædicatis naturæ, vel ejus identificabilitati cum tribus: adeoque natura est capax hujus denominationis, & consequenter, licet non possit dici immediatè unita; quia unio immediatè non ad ipsam, sed ad personalitatem terminatur, potest tamen dici mediatè unita, sive, ut SS. Patres loquuntur, *unita secundum hypostasin*.

212. Ob. 4. In Concilio Lateranensi sub Martino I. consultat. 5. can. 6. ita habetur: *Si quis secundum SS. Patres non confitetur, proprie, & secundum veritatem, ex duabus, & in duabus naturis, substantia-liter unitis, & indivise, & indivise, unum eundemque esse Dominum, & DEUM JESUM Christum, condemnatus sit*: ergo unio hypostatica terminatur immediatè, non tantum ad personalitatem, sed etiam ad naturam Divinam.

Confirm. 1. In Concilio Rhemensi, celebrato sub Calixto II. an. 1119. ut habet *Binius tom. 3. Concil. part. 2.* ita habetur: *Credimus, ipsam Divinitatem, sive substantiam Divinam, sive naturam Divinam dicat, incarnatam esse, sed in Filio: qua definitione Concilium intendit, damnare errorem Gilberti Porretani, qui, ut ibidem habetur, dixit, quod Divina natura non sit incarnata*: ergo ipsa etiam natura ratione sui est incarnata, seu unita. vide Gormaz de incarnat. n. 731. Confirm. 2. Tridentinum sess. 13. c. 3. docet, in Eucharistia adesse Divinitatem... propter admirabilem illam ejus cum corpore, & anima hypostaticam unionem: ergo Divinitas, seu natura, ratione sui est unita.

Resp. neg. conf. Totum hoc verificatur, si dicatur, esse immediatè unitam subsistentiam, quæ per identitatem assert naturam; nam, si hoc dicatur, jam intelligitur etiam natura unita secundum subsistentiam; eum enim natura, ut patet ex n. 211. sit capax hujus denominationis, rectè ipsi tribuitur. Ad 1. confirm. iterum neg. conf. ratio patet ex dictis. Addo, quod eo ipso, quod vera sit hæc propositio: *Divina natura est incarnata in Filio*: falsa sit ejus opposita à Gilberto prolata. Adverte autem, à Concilio addi, *in Filio* (quod idem est, ac *secundum subsistentiam*) adeoque ab eo adstrui tantum unionem naturæ, in nostro sensu mediatam. Ad 2. confirm. neg. conf. Ut in Eucharistia ponatur etiam Divinitas, sufficit, si hæc uniatur mediatè: quod idem etiam sufficit, ut dicatur humanitas esse unita Deitati, & ab hac delibuta, sicut loquuntur quidam ex SS. Patribus.

213. Ob. 5. S. Paulus ad Coloss. 2. v. 9. dicit: *In ipso Christo inhabitat omnis plenitudo Divinitatis corporaliter*: ergo Divinitas est immediatè, ratione sui unita. Confirm. S. Augustinus in *enchiridio* c. 34. sic ait: *Ita quippe Verbum caro factum est, à Divinitate carne suscepta, & Theodorus ex canobio Raithau presbyter Antiochenus in commentat. preparatoria, qua habetur*

tom. 1. Biblioth. PP. edit. Paris. in exposit. definitionis fidei sic habet: Sane finitio hæc duas profertur naturas, signat alterius quidem generis, alterius item essentialis naturas in unum converisse, assumente Divinitate, assumpta vero humanitate. & S. Bernardus serm. 1. in die Sancto Pasche circa medium ait: Venerat enim ad nos calcata majestas, Divinitas incarnata: sed ista indicant, Divinam naturam esse immediatè ratione sui incarnatam, & immediatè assumptis humanitatem, seu ipsi immediatè unitam fuisse: ergo.

Resp. neg. conf. Plenitudo Divinitatis habitat in Christo, & quidem ratione unionis, non tamen immediatè, sed mediatè. Ad confirm. neg. mi. Convenit quidem naturæ Divinæ assumere, incarnari, uniti, sed non primariò, & ratione sui: sed secundariò, & ratione personalitatis. En verba S. Thomæ 3. p. q. 3. a. 2. in corp. *In verbo assumptionis duo significantur, scilicet principium actionis, & terminus ejus: esse autem assumptionis principium, convenit naturæ Divinæ secundum se ipsam; quia ejus virtute assumptio facta est: sed esse terminum assumptionis, non convenit naturæ Divinæ secundum se ipsam, sed ratione personæ, in qua consideratur. Et ideo primò quidem, & propriissimè persona dicitur assumere: secundariò autem potest dici, quod etiam natura assumpti naturam ad sui personam. Et secundum etiam hunc modum dicitur natura incarnata, non quasi sit in carne conversa, sed quia naturam carnis assumpsit; unde Damascenus dicit: *Dicimus, naturam DEI incarnatam esse secundum Beatos Athanasium, & Cyrillum*.*

214. Dices. Nihil mediat inter unionem, & naturam Divinam: ergo hæc est immediatè unita. prob. ant. Persona est idem cum natura: ergo non est medium, distinctum, & propriè medians. Resp. neg. ant. Per mediatè hic non intelligitur, mediantem aliquo realiter distincto, sed tantum mediante aliquo virtualiter distincto: quod si neges esse medium, facis questionem devocce: saltem sufficit hoc medium virtualiter distinctum, ut dici queat, non esse naturam primariò ratione sui unitam; sed tantum ratione Personæ. Non tamen nego, naturam Divinam posse dici simpliciter unitam: humanitatem autem & unitam, & Divinitate delibutam; quia ad has denominationes sufficit, si ratione Personæ, & in Persona, uniatur duæ naturæ.

Quando autem quidam replicant, nullam esse rationem, quare non possit natura Divina immediatè ratione sui esse unita, responderi debet, quod, etsi hic omitatur, posse naturam Divinam immediatè ratione sui uniti, tamen id non sit factum; quia unio hypostatica non habet essentialem immediatum respectum ad naturam communem tribus. Si quæras iterum, cur cum non habeat. Resp. quia DEUS noluit unionem, quæ haberet talem respectum, producere; eoquod noluerint omnes tres Divinæ Personæ incarnari.

215. Ob. 6. Etsi unio immediatè fuisset terminata ad naturam, non sequeretur, quod omnes tres Personæ fuissent incarnatæ: ergo nostra confirmatio, allata n. 205. est nulla. prob. ant. non omnia prædicata, quæ conveniunt naturæ, conveniunt omnibus tribus Personis: ergo neque debet eis convenire prædicatum uniti. ant. probatur. natura est communicabilis tribus per identitatem: nulla Persona Divina est communicabilis tribus per identitatem: natura est Filius: at nec Pater, nec Spiritus S. est Filius &c. ergo. Resp. neg. ant. ad prob. dist. ant. non omnia prædicata, quæ conveniunt naturæ ut virtualiter distinctæ à Personis, conveniunt omnibus tribus Personis. conc. ant. quæ non conveniunt ipsi ut virtualiter distinctæ. neg. ant. & conf. aliàs neque conveniret omnibus tribus Personis prædicatum omnipotentis, & omniscii. Prædicatum autem uniti, præsertim cum non sit denominatio per identitatem intrinsecam, non est tale prædicatum, in quo virtualiter distinguitur natura à Personis: neque etiam debemus sine necessitate multiplicare distinctiones virtuales.

ARTICULUS III.

Quidnam sit assumptum à Verbo Divino.

216. Dico 1. Verbum assumpsit, non quidem subsistentiam, sed tamen totam, & integram naturam humanam. ita omnes Catholici. per assumere autem intelligitur sibi unire. Prima conclusionis pars est clara ex Synodo Oecumenica III. seu Ephesina I. contra Nestorium, in qua definitum est, non esse in Christo duas personas, sed duas naturas in una hypostasi. Secunda etiam constat ex Concilio, & Patribus citatis n. 148. & aliis passim, à quibus expressè dicitur, humanam naturam fuisse in Christo integram, cum omnibus proprietatibus naturalibus. Et certè etiam decuit, ut opus, specialiter à Spiritu S. productum, non esset mancum, sed omnino perfectum.

Unde infertur contra Manichæos, assumptum esse corpus verum, non phantasticum: quod idem etiam probatum est n. 109. item contra Arianos, & Apollinaristas, assumptam etiam esse animam rationalem, de quo etiam n. 114. Rursum assumpta sunt corpus, & anima, tanquam duo unita, adeoque etiam unio inter corpus, & animam; aliàs non essent humanitas: nec assumptum fuisset corpus animarum, contra quod definit Concilium Chalcedonense citatum n. 181.

217. Dico 2. Verbum Divinum assumpsit etiam sanguinem, sive ei immediatè unitum est. Hæc conclusio, ut ait Suarez, tom. 1. in 3. p. disp. 15. sec. 6. est certa, & contrarium non potest sine errore defendi. Prob. 1. Concilia passim de sanguine assumpto à Verbo explicant illud Pauli ad Hebr. 2. v. 14. *Quia ergo pueri communicaverunt*

runt carni, & sanguini, & ipse Christus similiter participavit eisdem. Sic in Concilio Oecumenico III. seu Ephesino I. *tom. seu sec. 5. cap. 1. in explanatione anathematismi.* 5. dicitur: *Verbum DEI carnem esse factum, aperit docet magnus ille Evangelista Joannes quia aquæ, ac nos carnis, & sanguinis particeps, & homo effectum est.*

In Epistola S. Cyrilli ad Nestorium, qua habetur actione. 1. Concilii Chalcedonensis. apud Binius. tom. 2. Concilior. sic habetur: *Verbum verò carnem fieri nihil est aliud, nisi quia juxta nos participatus est carni, & sanguini.* Idem S. Cyrillus in epistola, suo, & Alexandrina Synodi nomine, ad Nestorium scripta (qua habetur tom. 1. actorum Concilii Ephesini. c. 14. apud Binius. tom. 1. Concilior.) non valde longè ab initio ait de Verbo: *Verus, naturalisque DEUS, licet carnem, & sanguinem assumpsisset, constantem manens.* Rursum S. Cyrillus in lib. de recta in Dominum nostrum JESUM Christum fide (qui habetur eod. tom. 1. Concilij Ephes. c. 4.) non valde longè ab initio ait: *Univerforum conditor, & multus in misericordia DEUS Verbum, propter nos homo factus, & ex muliere natus, semetipsum exinanivit, ut, quoniam pueris, hoc est, vos, communicaverant carni, & sanguini, & ipse similiter communis eisdem.* Unde, ut advertit Lugo de incarnat. disp. 14. sec. 2. n. 10. Patres dicant, assumpsisse, quod Paulus dicit participasse, vel communicasse. Idem desinitur ex Extravag. Unigenitus. de panis. & remiss. in qua Clemens VI. sub initium dicit, Christum effudisse, *non guttam sanguinis modicam, quæ tamen, propter unionem ad Verbum, pro redemptione totius humani generis suffecisset &c.*

218. Dices 1. Hæc omnia verificantur, modò Verbum assumpsit sanguinem mediatè, sicut assumpsit accidentia, de quibus infra. Resp. neg. illatum; nam in primis SS. Patres simpliciter dicunt, dari unionem, quæ juxta sensum obvium intelligitur esse unio immediata, quando nulla ratio obstat: certè nunquam eodem modo loquuntur de accidentibus. Secundò, communiùs, & meo judicio meliùs, negatur, sanguinem physicè uniri cum venis, aut reliquo corpore; unde non apparet, quo mediante uniretur sanguis mediatè: at verò accidentia immediatè uniuntur naturæ, & consequenter hac mediantè assumuntur. Tertio, ut quidam dicunt, accidentia non possunt aliter assumi, saltem à persona, quam mediatè: econtra substantia sanguinis potest immediatè assumi; unde non est paritas. Quarto tandem, & optimè, SS. Patres, & Concilia, eodem modo loquuntur de assumpto sanguine, sicut de carne: nec est ulla ratio assignandi differentiam tam magnam, qualis est inter unionem mediatam, & immediatam: ergo, sicut caro, ut nemo dubitat, est immediatè assumpta, ita etiam immediatè assumptus est sanguis.

Dices

Dices 2. S. Thomas 3. p. q. 31. a. 5. ad 1. loquens de sanguine ait: *Qui nondum est actu pars, sed est potentia totum*: ergo Christus eum non assumpsit; quia tantum assumpsit partes. Resp. neg. conseq. S. Thomas tantum negat, sanguinem esse tam perfectam partem, quam perfecta pars sunt illa membra, quæ formam ultimam habent, & non amplius ad aliam recipiendam ordinantur à natura: Christus autem non tantum assumpsit partes tam perfectas, sed etiam alias. Et hanc esse suam mentem prodit Angelicus in 4. dist. 44. q. 1. a. 2. *questiunc. 3. in corp. ajens: Secunda humiditas est, que nondum pervenit ad ultimam perfectionem, quam natura operatur in individuo, sed est ad illam ordinata à natura: & hæc est duplex; quia quedam est, que habet aliquam formam determinatam, secundum quam continetur inter partes corporis, sicut sanguis, & alij tres humores &c.* Ecce sanguis annumeratur partibus corporis, licet non ultimato perfectis.

219. Prob. 2. conclusio ratione. Sanguis, etsi juxta plurium recentiorum opinionem non sit animatus, tamen est pars humanæ naturæ integræ: atqui Christus assumpsit naturam humanam integram: ergo etiam assumpsit sanguinem, tanquam partem. mi. habetur ex n. 216. ma. etiam conceditur, & videtur lat. clar. desumi ex Tridentino sess. 13. c. 3. ubi definitur, quod sanguis sit etiam sub specie panis in Eucharistia *vi naturalis illius connexionis, & concomitantie, qua partes Christi Domini, qui jam ex mortuis resurrexit, non amplius moriturus, inter se copulantur.* Unde etiam, illi, qui negant vitam sanguinis, & unionem ejus cum anima, tamen dicunt, eum esse partem integram hominis, & connecti cum corpore.

Connexio autem corporis, & sanguinis inter se, fiat, ut ajunt, primò, in conjunctione locali, subordinatione, & stabili inexistencia sanguinis intra illud corpus, intra quod elaboratus est: secundò, in jure, quod habet hoc corpus ad hunc sanguinem, & hic sanguis ad hoc corpus, de quo plura philosophi.

Confirm. Generatio vitalis est origo viventis à vivente in similitudinem naturæ, tanquam à principio conjuncto: per principium autem, quod debet esse conjunctum, intelligitur ex communi, quod generans debeat aliquid de sua substantia communicare generato, ut adeò ratione hujus partis suæ substantiæ communicatæ maneat conjunctus generato: atqui B. Virgo Christo Domino tantum subministravit sanguinem: ergo ille sanguis debuit esse pars B. Virginis: adeoque etiam aliorum hominum sanguis est pars ipsorum.

220. Dico 3. Verbum immediate unitum fuit etiam alijs tribus humoribus, scilicet bili atræ, & flavæ, ac pituitæ. ita communiter Theologi apud Lugonem *de incarn. disp. 14. sec. 8. n. 108.* Probatur. Verbum assumpsit id, quod humano modo loquendi

vocatur simpliciter sanguis, seu id, quod fuit in venis: atqui hoc non est tantum sanguis purus, & distinctus à tribus alijs humoribus, sed est complexum ex omnibus quatuor humoribus: ergo. ma. est communis, & certè SS. Patres non faciunt ullum discrimen. mi. est clara ex communi modo loquendi; nam dicitur quis misisse, tot, vel tot uncias sanguinis; cum tamen etiam emiserit mixtos alios tres humores: item dicitur, fluxisse ex vulnere tantum sanguinis propter abscessam venam; cum tamen fluxerit complexum quatuor humorum. Confirm. Isti humores etiam spectant ad integritatem hominis: & ex S. Thoma citato n. 218. sunt ejus partes: ergo etiam sunt assumpti.

221. Dico 4. Verbum etiam immediate fuit unitum capillis, dentibus, unguibus &c. ita Suarez tom. 1. in 3. p. disp. 15. sec. 7. s. *Dico secundo.* Lugo de incarn. disp. 14. sec. 8. n. 109. Gormaz de incarn. n. 694. & alii. Et de dentibus quidem videtur esse eadem ratio, ac de alijs ossibus, de quibus nemo dubitat, quòd sint immediate unita: & à Partibus intelliguntur sub carne, sub qua scilicet intelligitur totum corpus. De capillis, & unguibus recentiores quidem communius docent, eos esse informatos animâ, ex quo clarè sequitur, assumptos esse à Verbo: at, quamvis non essent informati animâ, nec viverent, tamen essent partes integrales humanæ naturæ. Ulterius, ut rectè ait Lugo cit. disp. 14. sec. 8. n. 111. & Gormaz de incarn. n. 694. quis dicat, Christum in Eucharistia esse clavum, exunguem, edentulum? ergo vel ponuntur ista vi verborum: & erunt partes corporis: vel ponuntur per concomitantiam: & sunt partes Christi. Nec dicas cum Vasquez, esse effectus corporis, & ideo per concomitantiam poni; non enim debent omnes effectus poni, aliàs poneretur etiam chilis, saliva, vel similia.

222. Dico 5. Verbum non fuit immediate unitum accidentibus. ita Lugo de incarn. disp. 14. sec. 8. n. 114. Gormaz de incarn. n. 695. Suarez tom. 1. in 3. p. disp. 15. sec. 8. & alii communissimè. Assumpta quidem sunt accidentia à Verbo, in hypostasi, sed non secundum hypostasin: hoc est, accidentia manserunt in Persona Christi secundum humanitatem, per intrinsecè inhærebant: & hinc etiam Christus denominabatur calidus, frigidus &c. non tamen immediate sunt terminata substantiâ Verbi. Prob. conclus. Subsistere proprium est substantiæ (nam suppositum est naturæ completæ individua substantia) sed Verbum tantum est unitum illi, quod potest subsistere, & hujus substantiam supplevit: ergo tantum est unitum substantiæ, cum qua constituit suppositum. Contra accidentis per se est inhære, seu inexistere, & inesse alteri, tanquam subjecto inhærensionis, vel informationis, qua ratione DEO nihil inesse potest; quia hic non potest esse subjectum.

Dixi per se; nam, an per accidens supernaturaliter possit uniri accidens immediate

diatè DEO, non tanquam subjecto, sed tantum tanquam termino intrinsecò, per unionem accidentalem, receptam in solo accidente unito, est quæstio, quam non vacat examinare. Quidam negant, alii affirmant; eoquòd nullam inveniunt implicanciam. Non autem propterea DEUS diceretur e. g. quantus à quantitate, vel frigidus à frigore; quia hæc denominationes ab accidentibus tribuuntur tantum subjecto, quale DEUS in natura Divina esse non potest. Sed ex hoc ipso videtur mihi oriri difficultas in unione accidentis cum DEO; eoquòd DEUS non videatur habere finem ullum prudenter intendibilem in tali unione: nisi recurras ad scientiam visionis (de qua re n. 54.) cum autem ista scientia, ut præcisâ ab essentia, non dicat perfectionem, ut diximus *tr. de DEO n. 815.* adeoque nullam perfectionem DEO afferat, quam non sine illa haberet, vix videtur, ipsâ posse propter se solam intendi.

223. Dico 6. Quæ assumpta sunt à Verbo, simul assumpta sunt, ita Gormaz de incarn. n. 696. & alii. Conclusio hæc habet duas partes, & ita intelligenda est 1. ut nulla pars assumpta prius extiterit in sua substantia individuali completa, antequam assumpta fuerit, e. g. non extiterit prius hoc corpus, vel hæc anima, ante assumptionem. Dico in sua substantia individuali completa; nam utique prius jam extiterit materia prima, ex qua dein compositum est corpus Christi: sed materia tantum est substantia incompleta: nunquam autem extitit prius, ut constituens hoc corpus, seu hanc substantiam completam Christi. 2. ut nulla pars in sua specie ante alteram fuerit assumpta: non anima ante corpus, nec hoc ante sanguinem &c. Dico in sua specie; nam videtur innegabile, quòd aliquæ partes individuales Christi assumptæ fuerint ante alias; nam Christus Dominus fuit naturaliter nutritus, & naturaliter accreverunt ei novæ partes carnis, & ossium: adeoque istæ post alias assumptæ, seu unitæ fuerunt.

Sic intellecta conclusio, quoad secundam partem, satis probata est ex modò dictis: quoad primam partem autem probatur ex epistola Sophronii, quam adduximus supra n. 199. & quæ approbata est à Synodo Oecumenica VI. *actione 11.* ubi ita habetur: *Non ante verissimum ipsius Verbi conventum in seipsis unquam extiterunt, vel cuiuspiam secundum nos alterius hominis peccatus extiterunt: sed cum Verbi ipsius naturali conventu substantiam habitura concurrerunt, & nec quantum in ista oculi hanc, quam illam priorem habentia: & hæc intelligenda sunt de ordine, vel successione temporis.*

224. Si autem queratur de ordine intentionis, sive quidnam, propter alterum tanquam principalis, intenderit Verbum assumere, respondet Gormaz de incarnat. n. 697. primò assumptam esse humanitatem, dein ob hanc corpus, & animam: hanc etiam fuisse prius assumptam, quam corpus; nam corpus propter animam meriti capacem fuit af-

sumptum. Hæc S. Thomas 3. p. q. 6. a. 1. in corp. & alii explicant, dicendo, corpus esse assumptum *mediante anima.* videatur etiam Vasquez tom. 1. in 3. p. disp. 37. c. 5. & seq. Imò idem Angelicus cit. q. 6. a. 2. in corp. & cum eo alii dicunt, animam esse assumptam *mediante mente:* hoc est, ut explicat S. Doctor, propter mentem, seu rationem; eoquòd noluerit Verbum assumere animam, quæ non sit capax, ut fieret ad imaginem DEI. Insuper noluit Verbum, assumere animam irrationalem, cum qua mereri non posset.

Si ulterius queratur de ordine naturæ, seu dependentiæ, tunc humanitas perfecta, seu caro animata anima rationali, fuit prior naturâ ad unionem hypostaticam; hæc enim dependebat ab humanitate, tanquam à causa materiali, hoc est, qualibet pars unionis hypostaticæ dependebat ab ea parte humanitatis, quam uniebat Verbo, juxta dicta n. 251. & seq. videatur Lugo de incarnat. disp. 15.

ARTICULUS IV.

Solvuntur Objectiones.

225. **O**B. 1. contra 2. conclus. Verbum non assumpsit duas naturas: sed sanguis, juxta sententiam valde probabilem non vivens, est alia natura, quam corpus vivens: ergo Verbum non assumpsit sanguinem. Confirm. Christus defacto tantum habet unitas partes animatas: ergo non habet unitum sanguinem: ergo eum nunquam habuit unitum; aliàs dimisisset, quod semel assumpsit. Resp. dist. ma. Verbum non assumpsit duas naturas integras, quarum nulla est subordinata alteri. conc. ma. non assumpsit duas naturas non integras, sed quarum una est pars integralis alterius, & huic subordinata. neg. ma. & dist. sic mi. neg. conseq.

Certè Verbum non assumpsit hominem tantum essentialiter, sed integraliter sumptum, ut constat ex n. 216. ad integritatem autem hominis etiam spectat sanguis, item crines, dentes, ungues &c. Et quamvis sanguis in probabili sententia, negante ipsum vivere, habeat aliam formam, tamen ista est ordinata ad corpus, & subordinata animæ rationali. Ad confirm. neg. ant. præsertim suppositâ eâ sententiâ, quæ negat, sanguinem vivere; est enim certum, sanguinem defacto existere in Christo glorioso in caelis, ut docent omnes; aliàs non esset ratio, quare in sacro calice esset corpus Christi post consecrationem, ut docet Tridentinum sess. 13. c. 3.

226. Ob. 2. S. Augustinus epist. 146. ad Consentium, cum interrogatus fuisset, an corpus Christi Domini nunc ossa, & sanguinem habeat, respondit, habere ossa, probavitque ex illo Luca 24. v. 39. *Palpate, & videte, quia spiritus carnem, & ossa non habet:* de sanguine autem non voluit idem dicere: ergo videtur potius negasse, quòd Christus resurgens habuerit sanguinem, vel eum assumpsit.

rit. Confirm. Verbum non supplet defectum substantiæ in sanguine: ergo eum non assumpsit. Resp. neg. conf. S. Augustinus, ut manifestum est legenti illam epistolam, voluit ibi hac quæstione omnino abstrahere: inclinât tamen ibidem ad sentendum, in corpore Christi adesse defacto sanguinem; multis enim probat, quod ex præsentia sanguinis non esset oritura corruptio, cuius tamen securæ metus solus, videtur hunc S. Doctorem retinuisse, ne rotundè assereret, in Christi redivi corpore præter ossa, & carnem, etiam sanguinem esse.

Alii autem SS. Patres, quando in Christo tantum adstruunt duas partes naturæ humanæ, scilicet animam, & corpus, sub ipso corpore sanguinem comprehendunt; id quod infertur ex eo ipso, quod humanitatem integram, quæ sanguine constituitur, quamque Christo concedunt, in duas tantum partes, nempe corpus, & animam dividant. Ad confirm. neg. ant. quia, sicut aliæ partes, ita & sanguis, non subsistit in se, eo ipso, quod non habeat negationem unionis cum digniori: sed subsistit in Verbo, & ad hoc attrahitur, atque ab isto suppletur ejus substantia.

227. Ob. 3. Si sanguis fuit unicus Verbo, mansit etiam unicus post effusionem: consequens non est verum: ergo neque antecedens. ma. habetur ex principio jam aliquoties adducto: *Quod Verbum semel assumpsit, nunquam dimisit.* prob. mi. sanguis effusus, & separatus à corpore, fuit alia natura totalis: ergo, si fuisse unicus, data fuisset communicatio idiomatum inter Verbum, & sanguinem: hæc non admittitur: ergo. Confirm. Sanguis effusus fuit natura irrationalis: sed Verbum non potuit assumere naturam irrationalem: ergo. Resp. om. ma. de qua plura infra. neg. mi. ad prob. dist. ant. sanguis effusus fuit natura perfectè totalis, non ordinata ad constituendam aliam naturam integram, nec alteri, scilicet corpori, subordinata. neg. ant. fuit tantum aliquo modo imperfectè totalis, seu potius partialis, hoc est, ex natura sua ordinata ad constituendum totum corpus integrum, conc. ant. & neg. consequ.

Ut rectè ait Lugo de incarnat. disp. 14. sec. 4. n. 56. ex carne mortua, & sanguine mortuo, integratur cadaver integrum; unde, sicut non fuisset prædicatum Verbum depe de mortuo, si hic fuisset abscissus, ita nec prædicatur de sanguine, quamvis hic sit effusus. Nec dicas, Christum prædicari de anima, cum dicatur descendisse ad inferos, quo sola anima descendit. Resp. enim ex n. 128. eam locutionem esse synecdochen, usitatam in communi modo loquendi, quæ non est ita usitata in aliis; non enim, emissio in phlebotomia sanguine, dicitur emissus homo. Ad confirm. Multi concedunt ma. & neg. mi. quam etiam infra negabimus: si autem minor esset vera, ratio deberet esse ipsa differentia inter naturam partialem, & perfectè totalem.

228. Quod autem sanguis etiam post

effusionem, & separationem à corpore, manserit unicus Verbo, est sententia communis Theologorum cum S. Thoma, Suarezio, Vasquio, Gormaz de incarnat. n. 692. Lugone de incarnat. disp. 14. sec. 3. n. 39. & seq. ubi textus plurimorum SS. Patrum, maxime SS. Leonis, Damasceni, Gregorii Nysseni, ac Bernardi affert. Et certè rationes, quæ probant, animam, & carnem mansisse in morte unitas Verbo, ferme etiam probant, sanguinem mansisse unitum; potissima enim ratio desumitur, ex eo, quod caro sit pars naturæ humanæ in Christo: quod idem etiam verificatur de sanguine. Lugo hanc opinionem ulterius probat ex eo, quod, si in triduo mortis calix fuisset consecratus, aut certè paulò antè, quam sanguis fuisset effusus, debuisset sanguis ille in calice adorari, de quo vide ipsum cit. disp. 14. n. 42. itemque sec. 7. n. 96. & seq. ubi agit de Bulla Clementis VI. & testimonio Pilli, sed contra hæc.

229. Ob. 4. Si mansit unicus Verbo sanguis effusus in passione, etiam mansit unicus sanguis, à Christo in circumfisione effusus: hoc non videtur verum: ergo. Confirm. Etiam partes carnis, vel sanguinis, quæ in decursu vitæ per continuam actionem, & reactionem, vel passionem, vel evaporationem &c. perdebantur, debuissent manere unitæ Verbo: hoc non videtur credibile: ergo. Hoc argumentum, ut ait Lugo cit. disp. 14. sec. 4. n. 59. retorqueri potest in carne; nam in circumfisione abscissa est pars pelliculæ Christi Domini, & (ut adversarii dicunt, ac etiam Lugo cit. disp. 14. n. 62. itemque Suarez tom. 2. in 3. p. disp. 47. sec. 1. §. Ad traditionem.) non mansit unita nunquid etiam non unita mansisset aliqua pars, vel plures particulæ carnis, si in passione abscissæ fuissent?

Resp. in forma, minorem non esse omnino certam: admittit tamen illam Lugo cit. disp. 14. sec. 6. n. 90. unde neg. ma. nam, quæ à Christo dimittebantur ita, ut non essent recuperanda, vel reassumenda, non debebant manere unita; quia sine his manebat moraliter eadem humanitas, quam Christus assumpsit, & quæ in cælo ad dextram Patris sedet: atqui sanguis, in circumfisione effusus, ita dimittebatur, ut non esset amplius ipse recuperandus, aut reassumendus; nam abunde compensatus est per nutritionem naturalem. Eodem etiam modo se habent partes, per evaporationem, actionem, & reactionem, deperditæ, & per alias dein moraliter recuperatæ; hæc enim non erant in seipsis recuperandæ, aut reassumendæ; aliis enim, si omnia ista fuissent reassumpta à Christo, ut rectè ait Lugo cit. disp. 14. n. 61. additio tantæ materiæ variat sec moraliter illud corpus, & sanguinem.

230. At verò sanguis, immediatè, vel paulò ante mortem, in passione effusus, constituebat humanitatem Christi, regnaturam in cælis: nec erat reparandus per nutritionem, aut aliam viam: consequenter erat in seipso recuperandus, aut reassumendus, & rur-

& rursus venis ingerendus: atque aded meritò mansit unicus. Ex hoc infert Lugo cit. disp. 14. sec. 6. n. 88. citans S. Thomam, Suarez, & communem Theologorum, infert, inquam, quod fuerit à Christo reassumptus, & consequenter in triduo manserit unicus sanguis, in horto per sudorem sanguineum emissus.

Supponit autem, quod iste copiosus fuerit, & non tantum modicus, qualis ille, qui in circumfisione est effusus; nam n. 90. ait, si Christus diu supervixisset, eum post tantam effusionem non habiturum fuisse, saltem pro tunc, naturam perfectè integram, sed debilitatam: sicut idem contigisset, si post flagellationem diu vixisset: adeoque videtur in statuare, quod etiam pro illo casu sanguis mansurus fuisset unicus. Sed tunc debuisset etiam iterum in venas redire; aliis cur semper mansisset unicus? præsertim, cum alius sanguis tunc successisset per nutritionem, quæ utique in Christo, si diutius vixisset, data fuisset. Verùm de hoc tacet Lugo; neque etiam necesse est, omnia definire, quæ in alia providentia facta fuissent: quanquam decisio hujus dubii videatur similitudinem habere aliquam, si non omnimodam, cum sequentis objectionis solutione.

231. Ob. 5. Si sanguis etiam separatus mansisset unicus Verbo, debuisset omnis iterum à corpore glorioso fuisse reassumptus post resurrectionem: atqui non fuit omnis reassumptus: ergo. ma. prob. non est ratio, cur potius una pars fuisset reassumpta, quam altera: ergo debuisset reassumi omnis. prob. etiam mi. multæ particulæ sanguinis adhuc videntur asperse spinis, clavis, particulis crucis Christi, terræ ex monte Calvarie &c. item sanguis, qui colitur Mantuæ (cujus particulam fertur possidere celeberrimum Asceterium Weingartense) teste Baronio, & Spondano ad annum Christi 804. à Leone III. fuit examinatus, & inventus fluxisse, non ex imagine Beritensi, sed ex corpore Christi tempore Passionis; additque ibi Spondanus, haberi de hac re Bullas Summorum Pontificum.

Rursus in revelationibus S. Birgittæ l. 6. c. 112. refertur, quod B. Virgo sacrum sanguinem, qui remanlit in vulneribus Christi, & post ejus de cruce depositionem, ex ijs collectus est, reliquerit S. Joanni, qui eum iterum aliis tradiderit. Dein refert Vasquez tom. 1. in 3. p. disp. 36. c. 8. quod Sylvester in rosa aurea tr. 2. super Evangel. ser. 5. infra octavam pasch. scribat de seipso, quod anno 1497. viderit in antro B. Magdalene vitrum, in quo asservetur terra, sanguine Christi Domini mixta, quam S. Magdalena sub cruce collegerit, quæque ebulliret die Parasceves post cantatam passionem. videatur Vasquez loco modo citato, & Lugo de incarnat. disp. 14. sec. 6. n. 91.

Nec sufficit dicere, tantum ibi mansisse colorem aliquem sanguinis; nam accidens non manet sine subjecto, nec mutat subjectum: nec etiam rubedo facit rubrum nisi ratione materiæ, quæ allinitur, & cui

rubedo inhæret: sed etiam sensus fidelium ibi videtur agnoscere sanguinem Christi, & non tantum relictam aliquam qualitatem, quæ prius fuerit in sanguine. Dicere autem, sanguinem illum esse replicatum, videtur multiplicare miracula sine necessitate.

232. Resp. cum Vasquez, & Lugo loc. cit. item Gormaz de incarnat. n. 693. (quorum assertionem non negat, quanquam neque omnino affirmet Suarez tom. 2. in 3. p. disp. 47. sect. 3.) Resp. inquam, neg. matii enim excipiantur pauca aliqua guttulæ, adherentes spinis, clavis, terræ &c. nihil sequitur incommodi: certè hoc dicere non esse contra fidem, habetur ex Bulla Pij II. quam refert Sylvester apud Lugonem cit. disp. 14. sec. 6. n. 92. & in qua Pontifex docet, quod nullatenus veritati fidei repugnet, affirmare, Redemptorem de sanguine in cruce effuso, ob memoriam suæ passionis, aliquam partem in terris reliquisse.

Ad prob. majoris om. ant. neg. consequ. DEUS debuit determinare particulæ, quas voluit in sui memoriam relinquere in terris: reliquit autem eas in tam modica quantitate, ut tamen moraliter totus sanguis sit reassumptus. Valde congruenter autem, fuit relicta ille, qui adhæsit instrumentis, vel terræ à fidelibus collectæ, ad majorem venerationem; unde posset etiam negari ant. quod ommissum est; quia hæc ipsa congruentia potuit DEO esse ratio, quare hæc præ aliis particulis relinqueret.

Dices. Quod verbum semel assumpsit, nunquam dimisit. Resp. cum Suarez loc. modo cit. principium istud intelligendum esse, de natura per se primò assumpta, & de ijs, quæ pertinent ad ejus veritatem, & integritatem: non verò de singulis materialibus partibus: certè aliis omnia, quæcunque etiam de Christi corpore per totam vitam evaporarunt, vel per actionem, & reactionem deperditæ sunt, debuissent semper manere unita, quod non est credibile. Unde Christus quidem non dimisit partes essentielles humanitatis: ut quod: at verò dimisit aliquam partem ut quo, nempe unionem naturalem inter corpus, & animam, ut diximus n. 201. Item Christus non dimisit partes, quæ necessariae erant, ad naturam humanam integram constituendam: attamen dimisit aliquas partes minimas, sine quibus tamen humanitas mansit moraliter integra. vide etiam dicta n. 229.

233. Ob. 6. In Concilio VII. Oecumenico, seu Nicæno II. actio. 4. Athanasius, cum narrasset historiam de sanguine effluente, ex imagine Christi Domini in urbe Berito (postquam scilicet Judæi eam contumeliis affecerunt, & lancea perfoderunt) dicit: *Hic est etiam sanguis ille Dominicus, qui apud plerosque repertus esse dicitur. Nec esse aliter estimandum à vere Catholicis præter id, quod scribitur à nobis, quasi ex carne, & sanguine Christi, aliqui possit in mundo inveniri, nisi illud, quod in ara altaris per manus sacerdotum quotidie spiritualiter efficitur:* ergo nullus est sanguis verus Christi in

ARTICULUS V.

Quidnam adhuc potuisset assumi, & quis potuisset assumere.

sti in terris, extra sacramentum Eucharistiæ. Respondent Vasquez tom. 1. in 3. p. disp. 36. c. 8. n. 42. & Lugo de incarnat. disp. 14. sec. 6. n. 94. posse dici, restare, non ipsum sanguinem, sed materiam tantum sanguinis, in quam jam introducta sit alia forma, retento tamen priore colore. Si hoc tibi non placet, dic cum eodem Lugo *ibidem*, imprimis Athanasium illum non fuisse illum magnum Alexandrinum, sed alium posteriorem: nec esse approbata omnia à Concilio, quæ dixit, sed tantum hoc, quod per imagines sacras facta sint miracula, ut clarè patet legenti, & observat *ibidem* etiam Lugo: sicut etiam in eadem Synodo VII. *actione 5.* approbatur dictum Joannis Thessalonicensis, quod debeant pingi Angeli: sed non, quod addit, eos esse corporeos (de quo vide, si placet tract. de Angelis n. 20. & 22.) quin imo Bellarminus de *Scriptor. Eccles. in S. Athanasio observ. in tom. 4.* de verbis ex Nicæno II. objectis scribit, *ista.... verba non haberi in codice Græco Concilij Nicæni secundæ, neque in versione Anastasij Bibliothecarij: sed esse adita ab aliquo, post disputationem habitam de sanguine Christi coram Pio II. Pontifice Maximo: quod etiam apparet ex varietate styli istius conclusionis à reliqua narratione &c.*

234. Ob. 7. S. Thomas 3. p. q. 54. a. 2. ad 3. ait, quod sanguis, qui servatur in Ecclesiis quasi sanguis Christi, non fluxerit de latere Christi, sed miraculosè ex imagine Christi percussa: ergo. Resp. S. Thomam intelligi posse de sanguine, qui in quantitate notabili in ampullis servatur (nam Beritensis Episcopus, in orientis, & occidentis Ecclesiis, de illo sanguine misit) non verò de modico, qui spinis e. g. adhæsit, vel clavis, vel sindoni: certè S. Doctor loquitur ibi de particulis sanguinis, & corporis Christi ad veritatem, & integritatem humana naturæ pertinentibus: seu de ijs, sine quibus natura humana non esset moraliter integra, quales tamen non sunt minimæ particule sanguinis Christi, spinis, clavis &c. adhærentes. Accedit, quod sanguis adhærens spinis, clavis &c. non potuerit esse ex aliqua imagine: à quam enim esset?

Quin etiam S. Thomas in quodlibeto 5. a. 5. in corp. ait, cum sanguinem, vel ex imagine esse, vel aliàs ex corpore Christi: quod, licet in Summa omiserit, ne fortè etiam ad eum sanguinem, qui in notabili quantitate erat, traheretur, tamen de modico illo dictum voluisse, credi potest. Semper tamen verum manebit, totum moraliter sanguinem à Christo reasumptum esse; quia ex singulis locis, in quibus sparsus fuerat, totus moraliter reasumptus est, relicta tantum tenui particula in superficie, ad solatium fidelium. in form. om. ant. neg. conf. vide etiam Lugonem de incarn. disp. 14. per totam.

235. Dico 1. Verbum potuisset etiam assumere naturam Angelicam. ita communis Theologorum. Prob. ex S. Paulo ad Hebr. 2. v. 16. ubi volens singularem DEI, erga homines præ Angelis, benignitatem prædicare ait: *Nusquam enim Angelos apprehendit, sed semen Avrahæ apprehendit*: quem locum passim explicant SS. Patres, glossæ, & interpretes, de apprehensione per unionem hypostaticam, ut fatetur Cornelius à Lapide in hunc locum, atque probat Tyrinus in eundem hunc locum: ergo supposuit Paulus, quod Angeli potuissent assumi; aliàs non rite argumentatus fuisset. Quod autem Cornelius putet, eum locum aliter intelligendum esse, non obest nobis, quibus sufficit auctoritas Patrum, glossæ utriusque, & aliorum interpretum.

Confirm. 1. Ex hoc ipso, quod Patres, & interpretes, hunc textum in nostro sensu explicent, habetur, eos nostram sententiam etiam tenuisse: sed hoc ipso ista ob ipsam hanc auctoritatem redditur probabilior: ergo. Confirm. 2. Natura Angelica non minus, quam humana, distinguitur à subsistentia: ergo potest etiam in unitatem Personæ à Verbo assumi. Confirm. 3. Perfectio naturæ Angelicæ non debet ipsam reddere incapacem tanti boni, quantum est unio hypostatica; quia, licet major sit perfectione naturæ humanæ, tamen est limitata, & supernaturaliter magis perfectibilis: ergo. Confirm. 4. Plures Theologi docent, & nos quoque diximus tract. de Angelis n. 140. in hoc stetit peccatum Luciferi, & Angelorum reprobatorum, quod suæ naturæ appetierint unionem hypostaticam: ergo fuit simpliciter possibile, ut daretur unio hypostatica cum natura Angelica; aliàs eam Lucifer non appetiisset: quomodo autem explicandus sit S. Thomas, qui aliquo modo videtur contrarius, diximus supra n. 158.

236. Dico 2. Verbum potuisset de absoluta potentia assumere naturam, quæ prius peccasset. ita Suarez tom. 1. in 3. p. disp. 33. sec. 2. §. Ex dictis. Vasquez tom. 1. in 3. p. disp. 61. c. 4. Gormaz de incarnat. n. 368. Lugo de incarnat. disp. 26. sec. 3. n. 35. & alij. Non dico, quod talis natura, si assumeretur, maneret peccatrix; nam in ipso instanti assumptionis sanctificaretur, & mundaretur ab omni, etiam minimo reatu culpæ; si enim gratia sanctificans accidentaliter omnem talem reatum delet, quanto magis eum deleter gratia unionis, & sanctitatis increatæ? unde tantum dico, quod, et si aliqua natura fuisset prius peccatrix, tamen posset postea à Verbo assumi.

Prob. conclus. ratione Eximii Doctoris. Assumptio talis naturæ non ita dedecet DEUM, nec est à Divina sanctitate ita aliena

aliena, ut eam fieri repugnet: ergo potuisset talis natura à DEO assumi. prob. ant. 1. Etiam si DEUS assumeret talem naturam, non tamen ideo posset ei attribui peccatum, aut ipse dici ejus auctor, sed potius esset destructor. 2. Talis assumptio posset fervire ad magis ostendam misericordiam, & benignitatem erga peccatores: itémque ad hos ad poenitentiam alliciendos; hac certè ratione DEUS monstraret, peccatores à se maximè benevolentia diligere; cum non dedignaretur alicui naturæ, ipsis similiter lapsæ, in unitatem Personæ uniri: qui sanè finis potuisset à DEO prudenter intendi: ergo assumptio talis naturæ non ita dedecet DEUM &c. Confirm. Adversarij, negantes possibilitatem talis assumptionis, debent positivam repugnantiam illius ostendere: at qui hucusque id præstare non potuerunt, ut patebit ex solutione objectionum: ergo.

237. Dico 3. Verbum potuisset assumere etiam naturam irrationalem, e. g. leonem: imò inanimatam, e. g. lapidis. ita Gormaz de incarnat. n. 689. & eo teste communis. Prob. Corpus, & sanguis, per se sunt naturæ inanimatæ, & tamen fuere unitæ Verbo in triduo mortis, ut dictum n. 228. ergo non est absurdum ullum, quod Verbum unatur naturæ irrationali, vel inanimatæ. Confirm. autoritate S. Thomæ in 3. disp. 2. q. 1. a. 1. ad 1. ita loquentis: *Ad primam ergo questionem dicendum, quod DEUS de potentia absoluta creaturam irrationalem assumere potuit.* Quod si igitur Angelicus videtur alicubi indicare, naturam irrationalem non potuisse assumi, intelligendus est de assumptione in ordine ad redemptionem, seu per quam fiat compositum, potens mereri, & satisfacere.

238. Dico 4. Quælibet Persona ex SS. Trinitate potuisset assumere humanam, vel aliam naturam, sicut Verbum: imò una Persona potuisset assumere plures humanas naturas. Conclusio quoad primam partem est omnium; prorsus enim fuit in libertate Divina, ut hæc potius, quam alia Persona incarnaretur: & congruentiæ adductæ n. 206. ob quas potius secundam Personam, quam aliam incarnari conveniens fuerit, non probant, quod non futurum fuisset etiam conveniens, aliam Personam incarnari, si DEO aliter placuisset. vide S. Thomam 3. p. q. 3. a. 5. Quoad alteram verò partem etiam conclusio est S. Thomæ 3. p. q. 3. a. 7. in corp. & communis. Probat ratione Angelici. Personalitas Divina est infinita: ergo non potest exhauriri ejus potentia perfectiva ab una natura humana, sed potest adhuc plures perficere: imò, ut ait Gormaz de incarn. n. 720. cum personalitas Divina, terminando jam naturam Divinam infinitam, non limitetur, vel impediatur, ne possit terminare adhuc aliam naturam creatam, non poterit ab hac creata limitari, ne adhuc terminet aliam; quia creatum omne quasi nihil est ad Divinum.

239. Dico 5. Plures Personæ Divinæ, vel omnes tres, potuissent assumere unam

tantum naturam creatam, e. g. humanam. ita rursus Angelicus 3. p. q. 3. a. 6. in corp. & communis. Prob. ratione S. Thomæ. Una personalitas Divina non excludit alteram ab eadem natura; nam omnes tres terminant eandem naturam Divinam: ergo possunt etiam omnes uniri eidem naturæ creatæ. Nec dicas, limitationem naturæ creatæ impedire unionem cum tribus Personis; nam, si potest natura creata, utut limitata, uniri uni personalitati infinitæ, etiam potest uniri tribus; quia non magis perficitur à tribus, quam ab una: sicut è contra, si una personalitas uniretur duabus humanitatibus, vel pluribus, non minus omnes perficerentur, quam, si una humanitas sola esset assumpta; ut enim S. Augustinus serm. 38. de tempore, (qui est in appendice trigésimo, agitque de sanctissimæ Trinitate, & columba) ait: *Tantus solus est Pater, vel solus Filius, vel solus Spiritus Sanctus, quantum est simul Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus*; unde una Persona tantum perficit naturam assumptam, quantum omnes tres simul: ergo ex nullo capite videtur inconveniens, aut impossibile, ut omnes tres Personæ unam humanitatem, vel unam naturam creatam assumant.

ARTICULUS VI.

Solvuntur Objectiones.

240. Ob. 1. contra 2. conclus. (contra primam enim non potest opponi aliquid alicujus momenti) DEUS non potuit habere matrem peccatricem: ergo multò minus potuit habere sibi unitam naturam peccatricem. conf. videtur clara; cum multò major indecentia redundaret in DEUM ex assumpta natura peccatrice, quam ex matre. prob. ant. auctores, qui defendunt immaculatam B. Virginis conceptionem, eam vel maximè probant ex indecentia, in DEUM redundatura, si habuisset matrem peccatricem: ergo supponunt, quod indecens sit, adeoque impossibile, quod DEUS habeat matrem peccatricem.

Resp. dist. ant. DEUS non potuit habere matrem peccatricem, in hac providentia. conc. ant. non potuit habere de absoluta potentia, etiam in alia providentia. neg. ant. & conf. ad prob. dist. ant. auctores illi id probant ex suppositione hujus providentiæ, respectu cujus id fuisset aliqua indecentia negativa, seu aliqua materialiter minor decentia, quam DEUS in hac providentia noluit admittere. conc. ant. id probant ex intrinseca, & quidem positiva indecentia assumptionis feminæ peccatricis in matrem, quæ indecentia in omni providentia resunderetur in DEUM. neg. ant. & dist. conf. supponunt, quod id DEUM dedecet negativè, hoc est, materialiter minus debeat, vel non debeat in hac providentia. conc. conf. supponunt, quod id DEUM positivè dedecet in omni providentia, adeoque absolute, & metaphysicè impossibile sit. neg. conf.

Certe auctores communiter non dicunt, B. Virginem de absoluta potentia non potuisse peccare in Adamo: sed tantum dicunt, id non factum, vel non potuisse fieri in hoc ordine decretorum, aut hac providentia, in qua, cum DEUS non voluerit res ordinare, ad ostendendam illam extraordinariam benignitatem erga peccatores (de qua n. 236.) sed potius voluerit res ordinare, ad ostendendam clarius suam sanctitatem, & odium erga peccatum (quam DEL intentionem colligimus, ex iisdem Scripturis, & Patribus, ex quibus colligimus, Verbum nec naturam humanam peccatricem assumpsisse, nec foemina peccatricem in matrem eligisse) utique, supposita dicta intentione, non ita DEUM decuit, aut talem naturam sibi unire, aut talem matrem sibi eligere.

241. Et hoc vult Eximius tom. 1. in 3. p. disp. 33. sec. 2. §. Ex dictis. dum ait, quod nec secundum ordinariam potentiam fieri, (hoc est, talem naturam assumi) expedit. Nec plus videtur velle Esparza l. 9. de myster. incarnat. q. 30. a. 1. ubi ait, non potuisse B. Virginem peccare, aut (quod apud ipsum consequens est) talem naturam assumi, saltem ex natura rei. Accedit, quod immaculata Conceptio B. Virginis, alijs longè fortioribus, isque plurimis argumentis, ex Scripturis, Pontificum Bullis, persuasione communi fidelium &c. (quæ fuse dedimus tract. de peccatis) stabilita sit: quæ tamen nil probant contra hanc nostram assertionem de possibilitate tantum absoluta assumptionis naturæ, quæ prius peccasset.

Dixi, indecentiam assumptionis foemina peccatricis in matrem, vel naturæ peccatricis in unionem suppositi, futuram fuisse negativam, seu minorem decentiam, quatenus DEO materialiter, seu objective minus gloriosa fuisset illa assumptio, quam nunc sit assumptio immaculatissimæ Virginis, & naturæ purissimæ. Sicut scilicet DEO materialiter minus gloriosum est, quod produxerit hunc mundum, quam si produxisset alium incomparabiliter perfectiorem.

Non tamen ea assumptio fuisset, minus gloriosa formaliter, etiam in alia providentia, in qua voluisset DEUS aliter agere; quia potuisset æqualem laudem, ac gloriam extrinsecam formalem, à creaturis rationalibus obtinere, quæ ipsum potuissent summè laudare ob ostensionem tantæ misericordiae. Præterquam, quod illud sit formaliter magis gloriosum DEO, vel magis eum decens, quod ejus voluntati, certum finem intendenti, est magis conforme: sicut illud est formaliter optimum, quod eidem voluntati Divinæ est conformius, ut diximus. n. 46.

242. Ob. 2. Casu quo Verbum assumpsisset naturam, quæ prius peccasset, vera esset hæc propositio: DEUS peccavit: sed hoc admitti non potest: ergo. prob. ma. ratione communicationis idiomatum DEUS dicitur passus, & mortuus; quia natura humana assumpta, passionem, & mortem susti-

nuit: ergo etiam in eo casu deberet dici, DEUS peccasse; quia natura humana assumpta peccasset. Resp. 1. Vasquez tom. 1. in 3. p. disp. 61. c. 4. n. 19. concedit ma. & negat mi. eoquod sit idem homo post assumptionem, qui fuit ante assumptionem; cum unitas, & multiplicitas hominum, non desumatur, à multiplicitate, vel unitate subsistentiæ, sed naturæ: nec ab hoc modo loquendi valde abhorret Tannerus tom. 4. disp. 1. de incarnat. q. 5. dub. 2. n. 257.

Cardinalis Lugo autem de incarnat. disp. 26. sec. 3. n. 36. admittit, veram fore hanc propositionem: Hic homo peccavit: non autem illam: DEUS peccavit. Ratio ejus est. Propositio: Hic homo peccavit: juxta ipsum significat duntaxat: Aliquod suppositum hujus humanitatis peccavit: quod semper est verum: non tamen sequitur, quod suppositum Theandricum, seu DEUS peccaverit: adeoque syllogismus, quem objicit Vasquez modo cit. cap. n. 20. Hic homo peccavit: hic homo est DEUS: ergo DEUS peccavit: juxta Lugonem non rite concludit; nam constat præmissis purè particularibus: Aliquod suppositum hujus humanitatis peccavit: sed aliquod suppositum hujus humanitatis est DEUS: ergo DEUS peccavit: ex quibus nil rite inferitur, ut est ex summulis notum.

243. Resp. 2. cum Suarez tom. 1. in 3. p. disp. 33. sec. 2. §. Dices inde. neg. ma. ad prob. neg. conf. Non est paritas inter passionem, & mortem, quam natura humana sustinuit primò post assumptionem, & inter peccatum jam patratum ante assumptionem; licet enim detur communicatio idiomatum inter DEUM, & hominem, quoad proprietates naturales, seu naturis debitas, ita, ut dicatur Christus æternus. omnipotens, à natura Divina: & vicissim passibilis, ac mortalis, à natura humana: licet etiam detur eadem communicatio idiomatum quoad actiones elicatas à naturis, jam in unitatem suppositi unitis, ita, ut dicatur DEUS locutus fuisse, flevisse, comedisse &c. tamen non datur communicatio idiomatum inter naturas, quoad eas actiones, vel passiones, quas prius, seu ante unionem, illæ naturæ in alijs suppositis exercuerunt.

Ratio hujus est. Actiones, & passiones actionibus identificatæ, sunt suppositorum: ergo non debet actio, vel passio unius suppositi attribui alteri. Aliud est, si maneat idem suppositum, sicut in Christo, in quo non est alia Persona, quam quæ ab æterno fuit, nempe Verbi; tunc enim possunt actiones talis suppositi, etiam priores, rectè per communicationem idiomatum prædicari: & sic rectè dicitur: Christus creavit mundum: itemque rectè dixit S. Judas in epist. v. 5. Jesus populum de terra Egypti salvans secundo eos, qui non crediderunt, perdidit; unde ad syllogismum Vasquij n. præced. adductum, Resp. neg. ma. quia per hic intelligitur hoc suppositum Divinum, quod non peccavit, neque in natura humana: sed tantum illa peccavit in alio supposito.

Con-

Confirm. responsio 1. S. Thomas 3. p. q. 35. a. 4. in corp. dicit: Negari potest, Beatam Virginem esse matrem DEI, si vel humanitas prius fuisset subiecta conceptioni, & natiuitati, quam homo ille fuisset filius DEI &c. id, quod etiam Suarez tom. 1. in 3. p. disp. 16. sec. 1. fuse, tum ratione, tum autoritate Patrum probat: & sanè S. Gregorius Nazianzenus orat. 51. sic ait: Siquis formatum hominem fuisse, Deumque postea subisse, dicat, damnationi obnoxius est; hoc enim non DEI generatio fuerit, sed generationis fuga: & certè veritas fidei, quod B. Virgo sit mater DEI, fundatur in eo, quod Verbum in ipso conceptionis instanti jam fuerit humanitati unitum: ergo etiam actiones, vel passiones humanitatis, non tribuerentur DEO; si ista prius in alio supposito extitisset: ergo neque tribueretur DEO peccatum, si humanitas prius in alio supposito peccasset.

244. Confirm. 2. Ut idem Suarez tom. 2. in 3. p. disp. 1. sec. 1. & merito docet, si humanitas Christi primò Verbo unita fuisset post resurrectionem, vel resuscitationem à mortuis, non potuisset cum veritate dici, DEUM mortuum esse; quia communicatio idiomatum quoad actiones, vel passiones actionibus identificatas, fundatur in unionem hypostatica, seu in assumptionem in suppositum Divinum: consequenter, quæ eam unionem, vel assumptionem antecesserunt in alio supposito, non prædicantur ratione illius communicationis: ergo eodem etiam modo in casu nostro non potuisset dici, DEUM peccasse. vide eundem Eximium tom. 2. in 3. p. disp. 12. sec. 2. Sanè hæc communicatio idiomatum originem debet fidei, & mysterio incarnationis: ergo admittenda est tantum in ordine ad ea, in ordine ad quæ eam admittendam esse ex eo mysterio docemur: atqui ex hoc mysterio non docemur, eam admittendam esse in ordine ad actiones, in alio supposito prius elicatas: ergo non debemus eam in ordine ad istas actiones admittere: adeoque casu quo humanitas postea assumpta prius in alio supposito peccasset, non deberemus ratione communicationis idiomatum dicere, DEUM peccasse.

245. Ob. 3. contra 3. conclus. Unio hypostatica debet reddere naturam assumptam substantialiter sanctam: sed non potest naturam irrationalem reddere substantialiter sanctam: ergo non potest terminari ad naturam irrationalem: adeoque DEUS non potest istam assumere. Confirm. 1. Videtur per se dedecens, posse dicere cum veritate: DEUS est equus: DEUS est lapis: sed hoc juxta nos posset cum veritate dici per communicationem idiomatum: ergo. Confirm. 2. Subsistentia Divina est personalitas: ergo debet naturam assumptam facere personam: atqui natura irrationalis non potest fieri persona ex n. 139. ergo. Resp. dist. ma. Unio hypostatica debet naturam assumptam reddere sanctam, si ea natura sit capax

hujus denominationis. conc. ma. si non sit capax. neg. ma. & conc. mi. neg. conseq.

Denominatio sanctitatis, est denominatio amici DEI: natura autem irrationalis non est capax, ut sit amica DEI; quia non est capax amicitiae. Ubi nota 1. Ad hoc, ut habeatur denominatio, non sufficit uniri formam: sed requiritur insuper capacitas subiecti, ut sæpe alibi diximus, maxime in tract. de DEO n. 790. unde, licet gratia sanctificans sit forma denominans amicum, vel sanctum, tamen naturam irrationalem non denominat sanctam: sic etiam Christus non denominatur à gratia sanctificante filius DEI adoptivus, quamvis ipsa sit forma denominans filium DEI adoptivum, & alios homines ita denominet.

Nota 2. Suppositum illud, ex DEO, & natura irrationali compositum, foret sanctum in concreto; quia foret DEUS, qui sanctus utique est: sed tamen natura illa irrationalis in abstracto, non denominaretur sancta, in eo sensu, in quo sanctus idem significat, ac amicus DEI: sicut tamen in hoc sensu humanitas Christi, in abstracto sumpta, denominatur sancta ab unionem hypostatica, de quo inferius plura. Sed neque actiones talis naturæ irrationalis denominarentur sanctæ in eo sensu, in quo sanctitas significat rectitudinem aliquam, vel perfectionem in actibus studiosis, vel meritoris, aut liberis.

Attamen in alio sensu, in quo sanctus significat tantum consecratum, vel veneratione dignum, & in quo dicuntur sancta vasa, sancta imago, sancta crux, vel columna, posset etiam natura irrationalis, DEO unita, dici sancta. vide Suarez tom. 1. in 3. p. disp. 14. sec. 2. §. Tertia objectio. ubi rectè docet, talem naturam irrationalem assumptam fore sanctam, in quantum per sanctitatem intelligitur Deificatio quædam per intimam unionem, & præsentiam Divinæ Personæ, vi cujus natura illa irrationalis esset speciali cultu, & veneratione digna, eique deberetur operatio perfecta juxta suam naturam: & in hoc sensu talis natura posset dici sancta, & quidem sanctitate incomparabiliter majore, quam sint sanctæ imagines, sancta vasa, aut paramenta ad sacrificium missæ, vel sanctum chrisma, & alia hujusmodi.

Ad 1. confirm. neg. ma. Si defecto potest DEUS denominari per communicationem idiomatum infans, mortalis, crucifixus, cur non etiam in illa hypothesi equus? Similes tamen modi loquendi non sunt proferendi coram rudibus, qui non rite intelligerent tales propositiones, & scandalizarentur. Ad 2. confirm. dist. 1. conseq. subsistentia debet denominare personam, si natura assumpta sit capax illius denominationis. conc. conseq. si non sit capax, neg. conseq. & conc. mi. subsumpt. neg. ultimam conf. In eo casu esset illud suppositum Persona Divina, sed non persona equina: suppositum autem equinum dici non aliter posset, quam eo modo, quo fortè Christus sub certa quali-

con-

conditione, aut certis limitationibus, potest dici persona humana: de quo vide *n. 127.*

ARTICULUS VII.

Solvuntur aliæ Objectiones.

246. **O**B. 4. contra 4. conclus. Si una Persona Divina assumeret plures humanitates, essent plura capita Ecclesiae, vel universi: sed hoc est absurdum: ergo. Confirm. Subsistentia qualibet est primò, & per se unius naturæ: sed, si una Persona Divina assumeret plures humanitates, non esset unius naturæ, sed plurium: ergo. Resp: dist. ma. essent plura capita, relatè ad creaturas inferiores. om. ma. relatè ad humanitates æqualiter assumptas. neg. ma. & dist. sic mi. neg. conseq. Inprimis non est per se absurdum, dari plura capita moralia; si enim possunt dari tres Divinæ Personæ, quarum qualibet est æqualis auctoritatis, non videtur esse monstruosum, si tres humanitates sint tria capita, habentia æqualem auctoritatem in creaturas inferiores: non tamen vicissim in seipsas. Neque esset periculum, ne propterea mundus, ob earum discordiam periret; gubernator enim supremus DEUS semper adhuc adesset: & ipsæ humanitates assumptæ, ut patebit ex infra dicendis, essent impeccabiles, adeoque nihil turbarent. Dixi. om. ma. nam, si omnes istæ humanitates assumptæ tantum essent unus homo (de quo *num. seq.*) videntur fore tantum unum caput. Ad confirm. dist. ma. hoc est, subsistentia per se, & necessariò, tantum exigit terminare unam naturam. om. ma. excludit necessariò alteram naturam, subdist. subsistentia creata. om. increata. neg. ma. & sic dist. mi. neg. conf. Si Divina subsistentia excluderet alteram naturam, non potuisset secunda Persona, utpote jam terminans naturam Divinam, insuper terminare naturam humanam, adeoque non potuisset Filius incarnari, quod dicere est hæreticum.

247. **O**B. 5. contra 4. & simul 5. conclusionem. In utroque casu, sive una Persona assumeret plures humanitates, sive tres Personæ unam humanitatem, non esset explicabile, an essent plures homines, an tantum esset unus homo: hoc est absurdum: ergo. Hæc obiectio multum habet de modo loquendi, & de ea agit Arriaga *disp. 54. de Trinit. sec. 1. & disp. 1. in summulis. Lugo de incarnat. disp. 13. sec. 3. Suarez tom. 1. in 3. p. disp. 13. sec. 2. & 3. Gormaz. de incarn. n. 721.* Resp. breviter cum Angelico 3. p. q. 3. a. 7. ad 2. Suarez, Lugo, Tannero, Gormaz, & communi, in utroque casu tantum fore unum hominem.

Nam ad multiplicanda concreta substantiva substantia non sufficit, tantum multiplicari subjectum, vel rectum; aliàs darentur tres Dii: sed debent multiplicari subjectum, & forma: atqui in neutro casu id fit; in casu enim quartæ conclusionis non multiplicatur Persona, seu rectum, & supposi-

tum; cum assumat tantum una Persona: consequenter non dantur tres homines: quod ulterius confirmat Suarez ex eo, quod in eo casu conclusionis quartæ non dantur plura supposita, sine quibus non dantur plures homines. In casu autem conclusionis quintæ, etsi multiplicentur Personæ, non tamen multiplicatur humanitas, consequenter iterum non erunt plures homines, sicut non dantur plures Dii, licet dantur tres Personæ Divinæ. ita Theologi longè communius loquuntur: & videtur mihi ita loquendum ob auctoritatem S. Thomæ.

Equidem urgeri fors posset, hæc ratio ne nec dandas tres Personas in Divinis. Sed respondet Gormaz, nomen *persona* esse concretum adjectivum, licet substantiale, quod multiplicetur per multiplicationem subjecti, sicut album, dulce &c. Arriaga autem in *summulis. disp. 1. sec. 9. n. 62.* ait, personam esse concretum substantivum: verum ulterius id non probat. Quidquid sit de hoc: certum saltem est ex Conciliis, & Patribus, ad multiplicationem Personarum Divinarum sufficere multiplicationem Personalitatum: non verò sufficere ad multiplicationem DEI, seu Deorum.

248. Si cui hæc responsio communior Theologorum, circa multiplicationem concretorum substantivum non usquequaque arriidet, poterit mea pace sequi opinionem Arriagæ, *disp. 54. de Trinitat.* ubi inprimis *sec. 1. n. 1.* supponit, circa nomina abstracta non haberi hac in re difficultatem; multiplicatur enim ista multiplicato eo, quod immediatè significant, e. g. albedo, si sint plures albedines. Deinde autem ait, concreta multiplicari multiplicatis iis, quæ significantur in recto, sive concreta sint substantiva, sive adjectiva: sive ea, quæ significantur in recto, significantur per modum suppositi, sive per modum alterius subjecti.

Hoc autem probat hic auctor *disp. 1. in summulis n. 64.* his exemplis. Quando quæritur, an cum veritate prædicetur, aliquem esse justum, attenditur, an id, quod dicitur in recto sit justum, e. g. Petrus: non autem, an omnis obliquus ejus sit justus, e. g. albedo, vel scientia Petri: item, quando quæritur, an cum veritate prædicetur, esse duo, vel tria, attenditur, an id, quod dicitur in recto, sit duo vel tria &c. Ratio hujus rei, ut ait, est ista. Album est id, quod est habens albedinem: ergo tria alba sunt tria habentia albedinem: ergo, modò multiplicetur habens albedinem, sive rectum, etsi non multiplicetur albedo, jam multiplicatur concretum album. Econtra, licet sint tres albedines, si tantum est unus habens, sive tantum unum rectum, non sunt tres albi: sicut etiam, licet quis habeat tria regna, non est tres reges, sed unus rex, habens tria regna. Si autem essent duo primarii in uno regno, vel duo in uno principatu, essent duo reges, vel principes.

249. Quid autem veniat in recto, quid in obliquo, ait *cit. disp. 54. de Trinit. sec. 1.* optimè desumi ex resolutione concretici: sic

sic album resolvitur ita: *subjectum habens albedinem*: adeoque in recto venit subjectum. Quod autem hoc concretum ita resolvitur debeat, probat hoc discursus: vera est ista propositio: *Album est dulce*: ergo debet ita resolvi: *Subjectum habens albedinem est subjectum habens dulcedinem*; nam propositiones istæ: *Albedo habens subjectum est dulcedo habens subjectum*: item: *Subjectum, & albedo, est subjectum, & dulcedo*: item: *Albedo in subjecto est dulcedo in subjecto*: sunt falsæ: ergo album non potest resolvi, ut significetur albedo habens subjectum: vel subjectum, & albedo: vel albedo in subjecto.

Ratio autem à priori, ut ait, est. Id, quod significatur per modum substantiæ, per se stat, & significatur in recto: atqui in creatis semper subjectum significatur per modum substantiæ, forma verò per modum adjacētis: ergo subjectum significatur in recto. prob. mi. accidentales formæ re ipsa adjacent: substantiales (quas hic auctor ait, esse personalitatem, & subsistentiam) etiam sustentantur à subjecto, seu natura; modus enim ille (si quis tamen est modus substantiæ, quem supra dari negavimus) non recipit in se naturam, sed recipitur ab ea: ergo nulla forma significatur per modum substantiæ sustentantis, aut per se stantis: sed solum subjectum, in quo formæ sustentantur.

Dices. Concreta non eodem modo multiplicantur, & e. g. aliter multiplicatur concretum *monachus*, quod multiplicatur per quemvis hominem monachum: aliter concretum *monasterium*; nam hoc concretum neque multiplicatur per homines solos; quia, licet multiplicentur monachi, non ideo sunt plura monasteria: neque multiplicatur per sola ædificia; quia, si non sint ibi monachi, iterum non sunt monasteria: sed multiplicatur tantum per utrumque simul: adeoque ad hunc terminum *monasterium* multiplicandum, requiritur multiplicatio utriusque. Respondet Arriaga, in utroque casu tantum requiri multiplicationem rectorum: at ait, monasterium dicere in recto collectionem plurium in domo; neque enim unus monachus est monasterium, neque etiam domus sola: econtra, ait, monachum dicere in recto tantum unum hominem. Fors alii minus subtilitatem istam curarent, & dicerent, monasterium esse solum ædificium, ut proximè ordinatum ad habitationem monachorum: sicut ædificium, proximè aptum ad habitandum, est domus, etsi nemo in eo habitet: sed hæc est quæstio de voce, de qua nolim litigare.

250. Inferit ulterius Arriaga, *cit. disp. 54. de Trinit. sec. 1. n. 7.* vocem *homo* significare in recto naturam: & idem intelligendum esse de vocibus *equus*, *leo* &c. eodquod natura significatur per modum subjecti, habentis personalitatem, vel suppositivitatem. Addit, etiam vocem *persona* in creatis significare in recto naturam, in obliquo personalitatem: quod probat ex eo, quod vera sit hæc propositio: *Homo est persona humana*: R. P. Ant. Mayr, Theol. Tom. II.

quod, ut ait, verum non esset, si non etiam persona in recto diceret naturam; non enim natura humana est personalitas humana: & hoc sanè videtur mihi probabile ex eo; quod non capiam, quod homo in recto significet, aut negationem, aut modum, & in obliquo naturam: nec capiam, quod modus, vel negatio, dicatur subjectum hujus concreti. Hinc autem sequitur, quoddam, sive per possibile, sive per impossibile, unam subsistentiã creatã terminarentur plures humanitates, forent plures homines: quod non videtur negare Arriaga.

Ulterius *subject. 3.* ait, in Divinis nomina concreta significare in recto semper formam, vel quasi formam, in obliquo verò subjectum, vel quasi subjectum: & hinc ea in Divinis multiplicari multiplicatione quasi formarum; unde, cum nomen *DEUS* dicat pro quasi forma Deitatem, & hæc sit una, non dantur plures Dii, ratione plurium Personarum, tanquam quasi *subjectorum*; contra, quia nomen *Persona* in Divinis significat pro quasi forma personalitatem, multiplicatur Persona multiplicatis personalitatibus.

Rationem hujus assertionis, ait, esse hanc. In Divinis non datur propriè subjectum album, sed omnia sunt realiter idem; unde non est, cur aliquid significetur semper per modum subjecti, seu per se stantis: sed potest modò hoc nomen, modò illud, ita significari: consequenter censendum est, directè, & in recto significari id, quod terminus, seu nomen concretum denotat, sua formali, & explicita significatione: *DEUS* autem ita denotat Deitatem, & Persona personalitatem. Unde subjungit, hoc concretum *DEUS* non rectè resolvi *habens Deitatem*; nam, cum sint tres habentes Deitatem, forent tres Dii: sed debere resolvi: *Deitas suppositata*, vel: *DEUS in supposito*: id quod videtur etiam sentire S. Thomas 1. p. q. 39. a. 4. in corp. ubi ait: *DEUS significat Divinam essentiam ut in habente ipsam. & a. 5. in corp. DEUS, quia significat Divinam essentiam ut in habente. & a. 6. in corp. Hoc nomen DEUS per se habet, quod supponat pro essentia.*

251. Pergit dein Arriaga, ac dicit, aliam rationem esse de voce *homo*, si dicatur de puro homine, & aliam, si dicatur de Christo; nam in puro homine significat in recto naturam, ut dictum: in Christo autem significat in recto Personam; quia in hoc concreto *Christus* personalitas Divina se habet per modum sustentantis humanitatem, & non econtra. Est sanè hoc dici debet, si velimus firma esse dicta à *n. 118.* de communicatione idiomatum, & de modis loquendi Patrum, ex quibus desumi debet rectus, & obliquus earum propositionum, quæ ab omnibus admitti debent tanquam veræ. Ex quo tamen non sequitur, Christum non esse univocè hominem, seu ejusdem speciei nobiscum; nam species desumitur à natura, seu prædicatis essentialibus, animalitate, & rationalitate, quæ sunt in Christo similiter, ac in nobis; natura enim est species, & non personalitas.

252. Adde ex Arriaga de incarn. disp. 27. sec. 3. n. 24. æquivocationem, & univocationem nominum, non attendi penes re-ctum, & obliquum, sed penes res significatas per expressum, seu explicitum significatum: hoc autem, ait, esse illud, à cuius abstracto derivatur vox concreta, ut à Deitate DEUS, à personalitate persona, ab albedine album, ab humanitate homo; nam, quamvis e.g. albedo non significetur in recto, tamen explicitè, & expressè significatur in concreto album: cum ergo terminus homo expressè significet humanitatem, & hæc detur in Christo, univocè de ipso prædicabitur homo: & rectè univocè de equo, & ove, & muro, prædicatur vox album, etsi subjecta plurimùm differant.

Ex his inferit idem auctor disp. 54. de Trinit. sec. 1. subsec. 3. n. 11. si una Persona Divina assumeret plures humanitates, non futuros plures homines; quia scilicet recti non multiplicarentur: si autem duæ Personæ assumerent duas humanitates, essent absque dubio plures homines: quod si autem duæ, vel tres Personæ, assumerent eandem humanitatem, ait, fore plures homines; quia in hoc casu recti multiplicarentur: in quo recedit à S. Thoma, & communi: habet tamen pro se Nominales, Marfilium; Gabrielem, & Cajetanum citatos à Suarez tom. 1. in 3. p. disp. 13. sec. 2. §. Quarta difficultas. & certè, nisi oblatet auctoritas Angelici, mihi placeret hæc sententia; quia dilucidè explicat multiplicationem concretorum; quod enim objicitur, sic etiam fore tres DEOS, jam antè occupatum est n. 250.

ARTICULUS VIII.

Solvuntur Reliquæ Objectiones.

253. **O**B. 6. contra 5. conclusionem. S. Anselmus l. 2. cur DEUS homo c. 9. ait. Plures enim Persona nequeunt, unum, eundemque hominem assumere in unitatem persona; quare in una persona tantum hoc fieri necesse est: ergo. Confirm. Sola Divina natura, utpote infinita, potest terminari tribus personis: ergo id non potest natura creata. Resp. Arriaga disp. 27. de incarn. n. 21. negat confeq. atque, etsi contrarius sit S. Anselmus, non tamen propterea defendendam sententiam S. Thomæ, & aliorum communiter. Puto tamen, si possint SS. Patres commodè explicari, id reverentiæ ipsis debita dandum, ut exponantur potius benignè, quam apertè deserantur. Resp. igitur cum S. Thoma 3. p. q. 3. a. 6. in corp. & aliis, dist. conf. plures Personæ non possunt assumere unam naturam ita, ut fiant una Persona: conc. confeq. ut fiant, aut maneat plures Personæ. neg. confeq. S. Anselmus expressè loquitur de assumptione in unitatem persona: manerent autem semper tres Personæ; quia, licet quælibet assumeret sibi

humanitatem in unitatem persona, non tamen illam assumeret in unitatem eisdem persona, e.g. Pater assumeret humanitatem, non in unitatem Personæ Filii, sed in unitatem alterius Personæ, scilicet Patris. Ad confirm. dist. ant. sola Divina natura potest terminari tribus Personis connaturaliter. conc. ant. supernaturaliter, aut obedientialiter. neg. ant. & sub eadem dist. conc. vel neg. confeq.

254. Ob. 7. Non potest effectus dependere, nec supernaturaliter, à duplici causa totali: ergo nec natura à duplici substantia. Confirm. 1. Una substantia Divina jam explet capacitatem naturæ humanæ: ergo altera non potest addi. Confirm. 2. Natura creata, si jam sit terminata substantiâ propria, non potest terminari substantiâ alienâ creatâ: ergo, si jam sit terminata unâ substantiâ Divinâ, multò minùs poterit terminari aliâ substantiâ Divinâ. Resp. 1. neg. ant. quod negavi in philosophia cum gravissimis auctoribus: & certè necdum vi-deo implicantiam in actione duplici totali supernaturaliter possibili: sed ne videar nihil niti sententiis philosophicis non certis.

Resp. 2. om. ant. neg. confeq. Duplex illa actio esset modus, & juxta patronos sententiæ, negantis ejus possibilitatem, non haberet finem prudenter intendibilem. At verò substantia Divina non esset modus, & haberet finem prudentissimè intendibilem, scilicet incarnationem alterius Personæ. Imò in hoc casu essent effectus, ut ita loquar, vel concreta diversa: scilicet Pater incarnatus, Filius incarnatus &c. sèque haberent, ut albedo, & dulcedo, in eodem subjecto, quod reddunt album, & dulce: adeoque non est paritas formalis cum duplici actione totali. Ad 1. confirm. neg. ant. nam una Persona non explet capacitatem supernaturalem, vel obedientialem naturæ humanæ: & de hac debet loqui objectio; capacitas enim naturalis non datur in natura humana ad personalitatem Divinam.

255. Ad 2. confirm. neg. confeq. In nostra maximè sententia, cum substantia creata sit negatio unionis cum ente perfectiori, est impossibile, ut addatur altera substantia creata: econtra Divina substantia non est talis negatio. Sed etiam in opposita sententia adstruente modum, non est paritas à substantia creata ad Divinam; natura enim, accedente altera substantia creata, semper uniretur perfectiori, saltem perfectiori complexo, quod oriretur ex una natura, & duabus substantiis, adeoque jam esset complexum perfectius, quam si adesset tantum una substantia: & hinc illa natura non amplius haberet substantiam creatam, saltem propriam, quæ excludit essentialiter unionem cum omni ente perfectiori, in quo subsistat.

At verò Divina substantia in primis non est modus, nec excludit essentialiter aliam substantiam Divinam: ut patet in natura Divina, quam tres substantiæ Divinæ termi-

terminant. Dein complexum ex natura, & duabus substantiis Divinis non esset aliquid perfectius, sicut tota SS. Trinitas non est aliquid perfectius, quam quælibet Persona, ut sentimus omnes cum S. Augustino serm. 38. de tempore sub medium dicente: Tantis solus est Pater, vel solus Filius, vel solus Spiritus Sanctus, quantus est simul Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus.

Autem absolute possint duæ qualescunque creatæ substantiæ (in sententia eorum, qui defendunt substantiam creatam esse quid positivum) terminare eandem esse quid positivum, vide apud Arriagam nam naturam creatam, vide apud Arriagam disp. 27. de incarnat. sec. 3. n. 18. ubi admittit, id esse possibile, reclamantibus Vasquio, & Gormaz, qui posterior ait, per additionem alterius substantiæ, vel naturæ, jam fieri noLaius compositum, adeoque non amplius sistere illam naturam in se. Mihi non vacat examinare ea, quæ meam sententiam non attingunt.

256. Ob. 8. Si unirentur plures Personæ Divinæ eidem humanitati, daretur communicatio idiomatum inter ipsas, & Pater posset dici Filius: sicut defecto ratione unionis DEUS dicitur homo: sed hoc est absurdum: ergo. Confirm. Personalitas altera faceret tantum ens per accidens, cum natura jam habente aliquam personalitatem aliam: atqui personalitas non potest facere ens per accidens: ergo non potest in tali casu dari. Resp. neg. ma. cum enim recti illorum concretorum non identificarentur (re-cti enim essent Personæ, ut dictum n. 118.) non daretur ea communicatio, ut patet n. 115. & seq.

Ad confirm. retorq. arg. in personalitatibus Divinis ut terminantibus naturam Divinam: an enim personalitas Filij facit tantum ens per accidens cum natura Divina, jam habente personalitatem Patris? in forma neg. ma. nam etiam altera personalitas compleret substantialiter naturam humanam in alia ratione, in qua id non faceret prior personalitas; & faceret aliud compositum substantiale: quin imò quælibet personalitas esset primum prædicatum sub ratione hujus personæ, adeoque quælibet in sua ratione esset primò, & per se, substantia hujus naturæ; nec enim una personalitas præsupponeretur ad alteram, nec una attribueretur alteri.

257. Ob. 9. Si sufficit capacitas supernaturalis, vel obedientialis, vel si sufficit, naturam esse incompletam supernaturaliter, aut obedientialiter, tunc poterit etiam natura humana compleri à natura Divina; nam etiam ab hac poterit perfici: sed hoc est falsum: ergo. Confirm. SS. Patres sic arguebant: Ubi non datur incomplementum substantiale, non potest fieri ens per se: atqui in natura humana, quæ jam esset terminata unâ substantiâ Divinâ, non daretur incomplementum substantiale: ergo non potest fieri unum ens per se: hoc autem deberet posse fieri, si aliæ etiam Personæ possent assumere humanitatem eandem: ergo.

Resp. vel adversarij supponunt, quòd in DEO detur substantia absoluta: & neg. mi. ex dictis n. 171. vel negant istud contra communiorem: & neg. ma. disparitas autem est; quia tunc non potest uniri natura humana in unitatem substantis; quia non daretur substantia: nec in unitatem naturæ; quia hoc aliunde est impossibile ex dictis n. 172. ergo non possunt istæ duæ naturæ convenire in unum compositum.

Ad confirm. Ut dictum n. 171. alia sunt complementa positiva, alia negativa suppositi. Sed hoc isthic omisso dist. ma. SS. Patres arguebant, non posse fieri ens per se, quando non datur incomplementum substantiale naturale, seu quando substantia in ratione suppositi completa est naturaliter. conc. ma. quando substantia tantum completa est supernaturaliter. neg. ma. & dist. sic mi. neg. confeq. SS. Patres loquebantur de completionem, per quam natura fieret sui juris, seu de substantia naturali; & hinc rectè arguebant; nam, si quis est sui juris, nemini alteri potest simul esse subjectus, sub ea ratione, sub qua sui juris est: & sic natura, completa naturaliter, suo modo per negationem unionis, & ratione hujus sistens in se, ac existens sui juris, non potest terminari ullâ aliâ substantia, ut est clarum.

Non autem loquebantur SS. Patres de completionem supernaturali, per quam natura fit juris alterius; qui enim non est juris sui, sed alterius, potest subesse pluribus dominis: & sic natura humana assumpta ab una Persona Divina, atque in ea subsistens, ac juris alieni effecta, potest terminari pluribus substantiis, per quas ponitur sub jure plurium; in hoc enim nullum est absurdum.

DISPUTATIO III.

De Causa Finali Incarnationis.

258. **M**ulta complectitur hæc disputatio: & primò quidem in ea agendum est de fine incarnationis: non quidem de fine creato; hic enim in omnibus rebus est DEUS, qui omnia propter semetipsum operatur: sed de fine creato, an hic fuerit sola redemptio hominis, adeoque Christus non venisset, si Adam non peccasset: vel an etiam finis fuerit excellentia ipsa mysterij, quo casu Christus venisset, etsi Adam non peccasset. Quærendum dein de infinito valore meritorum Christi: de malitia, sive finita, sive infinita peccati: de satisfactio-ne pro peccato, an possit dari ab homine puro, an à solo homine-DEO: & num ab isto data fuerit ex rigore justitiæ, vel anteduntaxat ex acceptatione benevola DEI: & si quæ aliæ sunt quæstiones connexæ, ex quibus dignitas meritorum Christi magis elucet. sit igitur

QUÆSTIO I.

De Primatu Christi in Ordine Decretorum DEI.

ARTICULUS I.

Prænotanda ad statum questionis rectè intelligendum.

259. SUPpono hic, quod cum S. Thoma docui, & fusè probavi in tract. de DEO à n. 321, scilicet actus contingentes intellectus, & voluntatis Divinæ, esse adæquatè intrinsicè, nec compleri per aliquam entitatem, seu absolutam, seu modalem, extrinsecam, & creatam; etsi enim debeat in hac sententia admitti aliquod mysterium, seu distinctio aliqua virtualis inter prædicata necessaria, & contingentia DEI, tamen puto, SS. Patres, longè citius admissuros fuisse aliquod mysterium in DEO, quàm ea, quæ admittere debent adversarij, e. g. quòd denominatio DEI volentis sit simultanea, sed successiva, sicut mensis, & annus: quòd DEUS non sit liber ad nolendum quidquam creare, & maximè non sit liber ad omittendam omnem creaturam, ex hoc potius, quàm ex alio fine: adeoque, quòd DEUS non posuisset ità decernere: *Nolo producere mundum; quia prævideo lapsurum Adamum, quamvis non curarem solum lapsum Luciferi:* cum tamen eadem notio possit esse sæpe utilis ad plures fines &c.

Hæc fusiùs ibi deduxi, & hic suppono; si quis enim defenderet, actus DEI contingentes, seu decreta Divina, compleri per aliquid extrinsecum, & maximè, si vellet ea compleri per ipsam rem volitam, e. g. decretum incarnationis per ipsum Christum, ut redemptorem, videretur hæc quæstio fermè esse sublata; nam, si decretum involvat Christum, ac ejus passibilitatem &c. utique vi præsentis decreti Christus non venisset, si Adam non peccasset; quia tunc non fuisset passibilis: imò, etiamsi admittatur pro complemento modus, de quo in tract. de DEO n. 537. tamen videtur difficulter perceptibile, quomodo modus ille abstrahat à Christo ut passibilis. Unde saltem faciliùs agitur hæc quæstio in sententia identificantium adæquatè actus contingentes cum DEO, quam proinde suppono.

260. Advertendum hic ulterius est, duplicem esse Theologorum sententiam circa decreta DEI, etiam adæquatè intrinsicè. Alij admittunt in DEO plura decreta virtualiter distincta, ità, ut unum non decernat idem; quòd alterum, vel etiam unum pro priori præsupponatur ad alterum. Alij verò statuunt in DEO unicum decretum, etiam virtualiter indivisibile, quo DEUS simul, & semel, etiam virtualiter indivisibiliter, omnia decernat: & quidem in tract. de DEO à n. 557. defendi unitatem etiam virtuales decreti Divini, in quo systema-

te clarum est, admitti debere, quòd Christus vi præsentis decreti, formaliter talis non venturus fuisset, si Adam non peccasset; cum enim decretum hoc indivisibiliter sit etiam permisso lapsus Adami: cum etiam habuerit pro objecto volito omnes fines, ob quos Christus venit, inter quos absque dubio etiam est reparatio hominis lapsi, non potuisset existere hoc decretum, nisi homo lapsus fuisset.

Quæri tamen potest, an stante hoc systemate Christus venisset vi præsentis decreti, saltem arguitivè, ut ait Esparza l. 9. de incarnat. q. 17. §. Ultimo jam ea. quæstio hoc est, an ex modo tendendi hujus decreti colligi possit, quòd eo casu, quo Adam non peccasset, DEUS tamen per aliud decretum, quòd non habuisset pro objecto, seu fine, redemptionem hominis, Christum mittere decrevisset, ità, ut hoc decretum defacto existens intenderit incarnationem, non tantum propter redemptionem, sed etiam propter dignitatem mysterij, vel alium finem; qui independentè à redemptionis necessitate, movisset DEUM ad Christum mittendum: adeoque decretum defacto existens respexerit duos fines incarnationis, quorum unus fuerit dignitas mysterij &c. qui, licèt non fuerit, hic & nunc, totalis in actu secundo (quia in actu secundo fuit conjunctus alteri fini, scilicet redemptioni hominum) fuerit tamen totalis in actu primo, ità, ut etiam absente altero movisset DEUM ad ponendam incarnationem.

261. Qui verò admittunt decreta DEI virtualiter multa, inter alia adstruunt etiam duo, quorum unum vocant *intentivum*, alterum *executivum*: de quibus videatur Gormaz de incarnat. n. 775. Prius, seu *intentivum* est, quo DEUS præcendit suo modo à circumstantijs rei, & rem ipsam tantum intendit: alterum, seu *executivum*, est, quòd subsequitur; & vult rem cum omnibus circumstantijs; unde executivum quidem intendit idem, quòd intentivum: sed sæpe intendit adhuc aliquid aliud, & ex alijs finibus. Afferunt hi auctores exemplum ex 1. Reg. 16. Ibi DEUS voluit, ut Samuel iret in Bethlehem, & ungeret Davidem in regem: ecce decretum intentivum. Samuel opposuit, quòd hac ratione adire debeat periculum vitæ; eoque Saul hoc audito ipsum esset occisurus. Respondit Dominus, ut simul sumeret vitulum, quem dein offeret, & diceret: *Ad immolandum Domino veni. v. 2.* ecce decretum executivum, quòd præter unktionem Davidis, voluit etiam sacrificium, & consequenter voluit iter Samuelis ob duplicem finem.

In hac sententia quæstio hæc clarè agitari potest, & quæri, an Christus, qui ratione decreti executivi venit passibilis, ut futurus Redemptor naturæ humanæ lapsæ, etiam venisset ratione decreti intentivi, etiamsi Adam non peccasset, quamvis non passibilis: verbo, an Christi adventus jam fuerit decretus ante prævisionem peccati Adami: quo

quo casu venisset etiam hoc non peccante, quanquam in carne impassibili: nec ut redemptor, saltem reparativus, sed ut doctor, & exemplum, caput Ecclesiæ, auctor omnis gratiæ, promotor maximus gloriæ DEI &c. An verò prius fuerit prævisum peccatum Adami, absolute futurum, & postea primum, tanquam remedium, decretus fuerit adventus Christi, non decernendus, si peccatum commissum non fuisset: quo casu Christus venisset tantum in carne passibili, & non aliter, consequenter non venisset, nisi Adamo peccante.

262. Ex hoc etiam intelligi potest, quid sit *ordo decretorum DEI*; nam, qui adstruunt decretum unicum, virtualiter indivisibile, non admittunt alium ordinem, nisi formalem, sive per conceptum, qui consistit in hoc, quòd, dum una res decernitur prior, quam altera, vel propter alteram, decretum DEI, quatenus tendit in objectum, censetur per hanc formalitatem esse prius seipso, seu altera sua formalitate, per quam idem decretum tendit in objectum posterius. Qui verò admittunt decreta virtualiter distincta, non quidem admittunt ordinem temporis inter decreta; cum omnia sint ab æterno: nec ordinem prioritatis naturæ realem; cum omnia decreta sint realiter identificata: sed admittunt ordinem quasi prioritatis naturæ virtualem, quatenus decreta sunt virtualiter distincta, & unum suo modo præsupponitur ad alterum.

Hinc distinguunt etiam in decretis Divinis signa naturæ virtualiter talia: & sic decretum intentivum est in signo priori ad executivum: decretum permissivum peccati est in signo priori ad condemnativum peccatoris, vel etiam ad remissivum peccati: decretum indifferens est in signo priori ad decretum prædestinativum. Unde hanc quæstionem aliqui etiam sub his terminis proponunt, an Christus decretus fuerit in priori formalitate, vel in signo priori ad Adamum: quo casu venisset ille, quamvis hic non peccasset: an verò in priori formalitate, vel signo, decreta fuerit creatio Adami, & postea, cum hic prævisus fuerit lapsurus sub his auxilijs gratiæ, in secundo signo, vel formalitate decreti, permissum fuerit ejus peccatum: ac demum in tertia formalitate, vel tertio signo, decretus Christus Redemptor reparativus: quo casu Christus non venisset, casu quo Adam non peccasset.

Hic adhuc notandum, ista signa aliquando ab aliquibus adhuc minutius dividi, quatenus scilicet pluribus, invicem subordinatis objectis, exactius explicandis assumuntur, vel adstruuntur plura signa: aliquando autem, ne multitudo rerum memoriam fatiget, ab alijs pauciora statui, & objecta plura uno signo comprehendi, quæ possent accuratius pluribus signis explicari; quare mirum nemini videri debet, si aliquando aliquis auctorum plura talia signa statuatur, quam alter.

263. Jam, quòd potuisset poni incarnatio, etsi Adam non peccasset, nemo dubi-

tat: sicut enim fuit in plena libertate DEI, ut diximus statim à n. 39. absque ulla necessitate, vel physica, vel morali, mittere, vel non mittere Christum: ità quoque fuit in plena ejus libertate, decernere adventum Christi, etiam pro casu, quo Adam non peccaret, vel cum non decerneret. Quare non de possibili, sed de actuali decreto, vel formaliter, vel arguitivè tali, hic quæritur. Cum autem hoc quoque decretum fuerit in plena libertate DEI, ex ratione, saltem sola, decidi vix, ac ne vix quidem, hæc controversia potest; hinc maximè autoritate agendum, & ut aliæ res, quæ stant in liberrimo arbitrio DEI, ità & quæstionis hujus solutio est ex Scripturis, & Patribus potissimum interenda. Est autem controversia hæc inter speculationes tractatus de incarnatione fati celebris, & de ea Magistrus Scotista celeberrimus in 3. sent. disp. 4. de satisfactioe Christi q. 1. n. 1. sic ait: *Hæc est celeberrima controversia inter omnes, ad tertiam partem, vel tertium librum sententiarum spectantes, in qua est sermo de causa finali incarnationis:* & post pauca addit: *Utilissima est quæstio, cum quaratur primum, & adæquatam incarnationis motivum.* Fortè tamen eam non ità estimat S. Thomas, ut videtur posse colligi ex ejus verbis mox referendis.

264. Duplex jam est sententia. Prima est communiter Thomistarum cum pluribus ex nostris, qui docent, DEUM in primo signo decrevisse independentè ab incarnatione totum rerum ordinem, qui antecessit peccatum: in secundo signo prævidisse peccatum: in tertio signo decrevisse incarnationem Verbi, tanquam ejus remedium: & juxta hanc opinionem Christus non venisset Adamo non peccante, sive in innocentia perseverante. Altera sententia est Scoti in 3. dist. 7. q. 3. §. Sed hic sunt duo dubia, quem sequuntur Scotista, item Suarez tom. 1. in 3. p. disp. 5. sec. 2. §. Dico ergo primo. & sec. 4. itidem §. Dico ergo primo. & rursus sec. 6. initio. Gormaz de incarnat. n. 779. & seq. Esparza l. 9. de incarnat. q. 17. §. ultimo. Thyrsus Gonzalez, Ulloa, Pallavicinus, & alij plures.

265. Quid S. Thomas censuerit, ex ipsis ejus verbis colligi potest: ità autem loquitur S. Doctor in 1. ad Timoth. c. 1. leit. 4. *Hæc quæstio non est magnæ autoritatis; quia DEUS ordinavit fienda, secundum quod res fienda erant: & nescimus quid ordinasset, si non præcivisset peccatum: nihilominus tamen autoritates videntur expresse sonare, quòd non fuisset incarnatus, si non peccasset homo, in quam partem ego magis declino. item in 3. sent. dist. 1. q. 1. a. 3. in corp. ait: Alij verò dicunt, quòd, cum per incarnationem Filij DEI non solum liberatio à peccato, sed etiam humana nature exaltatio, & totius universi consummatio facta sit, etiam peccato non existente, propter has causas incarnatio fuisset: & hoc etiam probabiliter sustineri potest. & postea ad 7. Ad ea verò, qua*

que in contrarium obijciuntur, potest responderi secundum aliam opinionem, quod auctoritates illa loquuntur de adventu in carne passibili ad redimendum; redemptio enim non fuisset, nisi servitus peccati praesesset: & non de adventu in carne simpliciter.

Tandem 3. p. q. 1. a. 3. in corp. ait: Cum in Sacra Scriptura ubique incarnationis ratio ex peccato primi hominis assignetur, convenientius dicitur, incarnationis opus ordinatum esse a DEO in remedium contra peccatum, ita, quod peccato non existente incarnatio non fuisset, quamvis potentia DEI ad hoc non limiteretur; potuisset enim etiam peccato non existente DEUS incarnari. Ex quibus habetur, Angelicum, etsi magis inclinet in sententiam negantem adventum Christi pro casu omni peccati, eamque dicat convenientiorem, tamen etiam oppositam censere probabilem: imò ferme ejusdem cum opposita probabilitatis, maxime, cum etiam pro eadem ad argumenta opposita respondeat.

Accedit, quod Angelicus 1. p. q. 98. a. 1. in corp. statuat principium, ex quo sententia affirmans, Christum etiam Adamo non peccante venturum fuisse, valde probabiliter videtur posse inferri: sic habet: *Dicendum, quod in statu innocentia fuisset generatio ad multiplicationem humani generis; alioquin peccatum hominis fuisset valde necessarium, ex quo tantum bonum consecutus est:* hæc S. Doctor. subsumo: atqui majus longè est bonum incarnationi Verbi Divini, quam generatio humana: ergo etiam fuisset in statu innocentia, ne dicere debeamus, peccatum fuisse valde necessarium ad tantum bonum.

ARTICULUS II.

Statuitur Nostra Sententia.

266. **D**ico. Christus probabiliter venisset, etiam Adamo non peccante, vi presentis decreti, non quidem formaliter, sed arguitivè. Prob. conclus. 1. ex Scripturis. *Prov. 8. v. 22.* dicitur. *Dominus possedit me in initio viarum suarum, antequam quidquam faceret a principio. Ab aeterno ordinata sum, & ex antiquis, antequam terra fieret.* Septuaginta interpretes, & cum ipsis SS. *Basilio Athanasio, Ambrosio, Cyrillus, Nazianzenus, Augustinus, & alij* legunt: *Creavit me;* unde teste *Suarezio tom. 1. in 3. p. disp. 5. sec. 2. §. Dico primo.* hoc testimonium Patres Latini, & Græci, communissimè explicant de Christo, seu Sapientia incarnata.

Certe S. Athanasius *serm. 3. contra Arianos* sapius hoc asserit, & sub medium sic ait: *De eo enim tempore proverbialiter dictum est: creavit me: cum creaturam induerat carnem, & post pauca. Illud autem Proverbiorum dictum, ut jam prius admonui, non substantiam Verbi, sed hu-*

manitatem declarat. S. Ambrosius *l. 1. de fide c. 7.* ait: *Discant, quemadmodum dictum sit: Dominus creavit me: non dixit: Pater creavit: sed: Dominus creavit me: caro Dominum cognoscit: gloria Patrem significat: creatura nostra Dominum confitetur: charitas Patrem novit.* S. Gregorius Nazianzenus *orat. 36. quæ est 4ta de Theologia. sub initium* aperte istud creavit de Verbo incarnato explicat, & ait, id humanitati assignandum: & addit: *Sapientia, secundum inferiorem quidem generationem creata, secundum autem primam illam, magisque incomprehensibilem genita dicitur.* S. Augustinus *l. 1. de Trinit. c. 12.* ait: *Secundum formam DEI dictum est: ante omnes colles genuit me.... secundum formam autem servi dictum est: Dominus creavit me in principio viarum suarum.*

Ex his igitur S. Scripturæ verbis, juncta SS. Patrum interpretatione, inferitur, quod Christus ut homo fuerit aliquo modo creatus ante omnia: atqui non fuit creatus ante omnia in executione, ut est per se clarum: cum primum venerit ultima ætate mundi: ergo fuit ante omnia creatus in intentione: non tantum, quod intentio, seu decretum extiterit ante omnia, sive ab æterno (nam etiam decretum condendi infantem heri natum ita ab æterno exitit) sed, quod ipse Christus principaliter ante omnia, adeoque ante Adamum, & ejus lapsum, fuerit intentus.

267. Rursus ad *Coloss. 1. v. 15.* Christus dicitur: *Primogenitus omnis creaturæ; quoniam in ipso condita sunt universa, in caelis, & in terra, visibilia, & invisibilia, sive Throni, sive Dominationes, sive Principatus, sive potestates: omnia per ipsum, & in ipso creata sunt, & ipse est ante omnes, & omnia in ipso constant.* Et ipse est caput corporis Ecclesie, qui est principium, primogenitus ex mortuis, ut sit in omnibus ipse primatum tenens; quia in ipso complacuit omnem plenitudinem inhabitare: hæc verba iterum (ut solide probat *Suarez tom. 1. in 3. p. disp. 5. sec. 2. §. Secundo probatur.* ubi citat etiam S. Chrysostomum) debent intelligi de Christo ut homine; nam ut DEUS, non est primogenitus ex mortuis, nec speciale caput Ecclesie.

Ex his verbis autem sequitur, quod Christus ut homo, seu Verbum incarnatum, debeat habere primatum in omnibus, adeoque, cum Christus hunc non habuerit in executione, seu actuali physica existentia, debeat eum habere in intentione Divina: hoc est, ut rectè exponit *Suarez*, ipse debet esse finis, propter quem, & ad cuius honorem, vel gloriam, debent esse condita universa: & non ipse ex primaria intentione esse ordinatus ad alios, sed potius alia omnia ad ipsum: ergo debuit Christus primaria intentione fuisse intentus propter se, & non propter Adamum, adeoque venturus fuisse etiam Adamo non peccante.

268. Respondent adversarij 1. Christus, etsi non venturus fuisset, Adamo non peccante,

peccante, tamen potuisset intendi, ut caput Ecclesie, & primogenitum omnium, atque omnia ad ipsum ordinari, tanquam ad principem dominum, & habentem primatum &c. Sed contra est. Non sufficit, Christum quomodocumque intendi ut caput, & principem &c. sed debet intendi primaria intentione, ut etiam in hac primatum habeat; alias enim eum non haberet in omnibus.

Rem declaro in exemplo. Si imperator vult conscribere novum exercitum, vult etiam ei præficere ducem, qui caput sit, & primatum teneat quoad honorem, stipendium &c. non tamen propterea dux est principaliter, seu primaria intentione intentus, sed tantum intentione secundaria: nec propter ipsum conscriptus est exercitus, sed ipse potius propter exercitum constituitur, & exercitus est principaliter intentus. Pariter, juxta hunc modum explicandi, Christus esset intentus, non aliter, ac talis dux, nec ad ejus gloriam essent condita universa, nec ipse primatum teneret in intentione Divina. Quare DEUS erga Christum aliter se habuit, nempe ut imperator, qui filio suo vult facere honorem, & in ejus gratiam conscribit exercitum, & huic dein filium præficit.

269. Respondent 2. posse dici, quod Christus fuerit primò intentus, sed non aliter, quam, ut esset redemptor reparativus, ad cuius gloriam, & honorem, omnia referantur: adeoque etiam Christus habuerit primatum in intentione Divina, nec tamen venisset, si Adam non peccasset. Contra est. Ut rectè *Suarez tom. 1. in 3. p. disp. 5. sec. 3. §. Dico 1.* docet, non potuit DEUS intendere Christum tanquam redemptorem reparativum ut finem in primo signo, vel prima formalitate decreti; alias, cum ad obtinendum hunc finem fuisset absolute necessarium peccatum, etiam hoc saltem virtualiter a DEO intentum fuisset; qui enim intendit finem, necessariò etiam intendit, vel amat medium, ad illum finem necessarium: dedecet autem DEUM, intendere, vel amare peccatum.

270. Nec dicas, DEUM tantum debere intendere permissionem, peccati; nam contra est. In hoc casu debet DEUS intendere hanc permissionem, ut trahentem post se, necessitate metaphysica, ipsum peccatum, tanquam id, sine quo finis intentus, seu Christus ut redemptor reparativus, obtineri non posset: quod ipsum esset virtualiter velle peccatum. Dein DEUS non potuisset, stante intentione mittendi Christum ut redemptorem reparativum, simul velle, ut non poneretur peccatum originale; quia hoc fuit summè necessarium ad ita mittendum Christum, quem mittere jam antecederet vult; qui enim vult finem, non potest nolle medium unice necessarium ad eum finem obtinendum. Neque sufficit dicere, hoc decretum DEI esse impeditibile; nam etiam affectus impeditibilis ad peccatum dedecet DEUM.

Si autem dicas, DEUM esse ita con-

stitutum, ut antecederet etiam nollet Christum, seu finem, nisi jam prius prævisum esset peccatum futurum, tunc Christus non erit prima intentione decretus redemptori reparativus, sed prius jam decreta permissione peccati, & ante hanc jam necessariò intentus Adamus. Aliud longè est in sententia nostra, juxta quam DEUS prima intentione vult Christum, sed nondum redemptorem: cum autem propter Christum etiam voluerit Adamum, & reliquas creaturas (nec enim DEUS voluit Christum solum, sed primum, & propter ipsum homines, & reliquas creaturas: non autem primò reliquas creaturas, & tunc primum propter istas Christum) cumque dein Adamum præviderit lapsurum, vult secunda quasi intentione Christum ut redemptorem: qua ratione peccatum non est medium necessarium ad finem a DEO primò intentum.

271. Probatur conclusio 2. ex Patribus. In primis omnes Patres, qui textus Scripturæ *Proverb. 8. & ad Coloss. 1. in nostro sensu* explicant, qui sunt plurimi, citant a *Suarez tom. 1. in 3. p. disp. 5. sec. 2.* nobis in hac conclusione consentiunt; etsi dein alibi dicant, Christum non fuisse venturum in carne passibili, si Adam non peccasset, de qua re infra in solutione objectionum. In particulari autem pro nobis stant S. Augustinus *l. 1. de nuptijs, & concupisc. c. 21.* docens, in paradiso, seu statu innocentia, futura fuisse tria bona matrimonij, scilicet, quod adest propagatio sobolis, immunitas a libidine, & sacramentum magnum in Christo, & Ecclesia; inducit enim matrimonium sic loquens: *De me ante peccatum dictum est in paradiso: Relinquet homo patrem, & matrem, & adheret uxori sue, & erunt duo in carne una: quod magnum sacramentum dicit Apostolus, in Christo, & in Ecclesia:* atqui in statu innocentia non potuisset matrimonium esse sacramentum magnum in Christo, & Ecclesia, nisi Christus etiam in eo statu venisset: ergo.

Prob. 2. Sacramentum hoc magnum in Christo, & Ecclesia, non quidem significat, matrimonium jam tunc fuisse sacramentum, conferens gratiam sanctificationem (ad hanc enim dignitatem primò eventum est matrimonium per Christum) sed tamen significat, matrimonium illud Adami, & Eve, ac dein aliorum, etiam in statu innocentia, si hic diutius durasset, fuisse signum significans conjunctionem illam mysteriosam Christi, & Ecclesie: atqui non potuisset esse tale signum, si Christus non venisset in statu innocentia; nam fuisset signum falsum, ergo.

Nec dicas, matrimonium in eo statu tantum fuisse signum in actu primo, non verò in actu secundo; nam SS. Hieronymus, Chrysostomus, Ambrosius, Anselmus, & alij Patres passim, (ut habent *Suarez tom. 1. in 3. p. disp. 4. in comment. q. 1. a. 3. & Cornelius in c. 5. v. 32. ep. ad Ephes.*) dicunt, matrimonium illud actu significasse conjunctionem Christi, hoc est, Verbi incarnati (Christi

(Christus enim, ut ibidem observat Suarez, non dicitur de solo Verbo) cum Ecclesia: & S. Augustinus enarrat. in psalm. 138. sic habet: *Dicitur est de primo conjugio: Erunt duo in carne una. Hoc autem ad mysterium interpretatur Apostolus, non frustra esse dictum de illis duobus hominibus, nisi quia in eis jam figurabatur Christus, & Ecclesia; nam hoc sic exponit Apostolus: Erunt duo in carne, inquit, una: sacramentum hoc magnum est: ego autem dico in Christo, & Ecclesia.* Quod autem de isto matrimonio hic dicit, hoc dicit S. Augustinus loc. antè cit. de omni matrimonio, quod futurum erat, si status innocentie perseverasset.

272. S. Iræneus l. 3. adversus hæreses c. 33. sic ait: *Prædestinante DEO primum animalem hominem, videlicet ut à spiritali salvaretur.* Cum præxisteret salvans, oportebat & quod salvaretur, fieri, ut non in vacuum sit salvans: ergo non propter salvandum, seu Adamum, creatus, sive factus est salvans, seu Redemptor: sed, cum hic jam in intentione Divina præxisteret, propter eum etiam creatus est Adam, quamvis prævisus esset lapsurus. S. Cyrillus Alexandrinus l. 5. thesauri c. 8. in fine ait: *Creator nostro Christum, nostra salutis fundamentum, etiam ante initium mundi fundavit, ut, si peccatione caderemus, in ipso rursus renovaremur: quantum igitur ad præscientiam, & consilium, & propositum Patris, & omnis Deitatis, Christus ante secula fundatus est: ergo non primum post permittum peccatum intentus est Christus, sed jam ante; quamvis sub conditione respexerit lapsum hominum; quia etiam intentus est eum in finem, ut, si laboreremur, esset, à quo erigeremur.* S. Bernardus serm. 3. super Salvæ Regina. ait de B. Virgine: *Propter hanc omnium Scriptura facta est: propter hanc totus mundus factus est: utique autem Christum matri præponit; unde juxta S. Bernardum multo magis mundus propter Christum factus est: hoc est: non ipse propter mundum, sed hic propter ipsum intentus est.*

273. Rupertus Abbas in c. 26. Matth. de gloria, & honore filii hominis l. 13. circa medium ait: *Religiosè dicendum, reverenter est audiendum; quia propter istum filium hominis, gloriæ, & honore coronandum, DEUS omnia creavit: quod multis ultetius probat. & inferius eodem libro, ubi ex proposito agit hanc questionem: Utrum iste Filius DEI, de quo hic sermo est, etiam si peccatum, propter quod & nos omnes morimur, non intercessisset, homo fieret, an non: affirmativam sententiam sic probat: Cum ergo de sanctis, & electis omnibus, dubium non sit, quod nascituri forent omnes, usque ad præsitum numerum, secundum propositum DEI, quo ante peccatum benedictus: crescite, ait, & multiplicamini: & absurdum sit putare, quod propter eos, ut nascerentur, peccatum necessarium fuerit, quid de isto capite, & rege omnium electorum, Angelorum, & hominum, sentiendum, nisi quod & ipse maxime, causam necessa-*

riam non habuerit ipsam peccatum, ut homo fieret ex hominibus?

Idem Rupertus de glorificat. SS. Trinitatis. c. 20. ait: *Rectius ergo dicitur; quia non homo propter Angelos, imò propter hominem quendam Christum Angelique facti sunt. & c. 21. Igitur probabilis hoc dicimus, quod non tam homo propter supplementum Angelorum numerum, quam & Angeli, & homines propter uxum hominem. JESUM Christum facti sunt: ergo Christus prima intentione non est factus propter Adamum, & ejus lapsum: sed propter Christum factus est Adamus, & omnia reliqua.*

274. Hæc paulò fusiùs ex SS. Patribus; eoquod sententia nostra à quibusdam ideo minus æstimetur; quia in SS. Patribus fundamentum habere non creditur: quod non ita esse, hucusque probatum est: & confirmatur ex literis Apostolicis Sixti IV. (quas refert Gormaz de incarnat. n. 801. & Ripalda tom. 3. seu appendice ad priores tomos de ente supernat. disp. 1. in præmio. sec. 6.) in quibus sic loquitur Pontifex: *Cum duplex sit opinio Catholicorum doctorum circa causas precipuas incarnationis Verbi Divini: altera, quod si Adam non peccasset, DEUS Filius humanam carnem non assumpsisset: altera, quod, etiam si non fuisset humana natura in primo parente lapsa, adhuc DEI Filius carnem assumpsisset: & opinio utraque pietate fidei, auctoritatibus, & rationibus subsistat &c.* ergo neque nostra sententia, tanquam auctoritate destituta, est parvi habenda.

Confirm. Petrus Galatinus de arcanis Catholicae veritatis. l. 7. c. 2. refert, traditionem antiquam fuisse veterum Judæorum ex Rabbino maximæ auctoritatis, quem per antonomasiam *Magistrum nostrum sanctum* vocabant, quod DEUS, nisi amore Messie, ejuisque matris, motus fuisset ad condendum mundum, eum omnino non condidisset, propter prævisum Adami peccatum: ergo hic lapsus non fuit motivum mittendi Christum: sed, cum iste ratione sui, & propter suam dignitatem, à DEO eum amante, mittendus esset, tantum non permisit se DEUS à peccato Adami retrahi à mundo propter Christum condendo.

275. Prob. conclusio. 3. In nostra sententia meliùs inter se conciliantur Scripturæ, & Patres, quam in opposita: ergo cæteris paribus est præferenda. prob. ant. Nostra sententia est hæc. Christus primò fuit intentus propter se, & propter ipsum deum Angelum, & homines, tanquam famulitium ejus: cumque dein visus fuisset Adamus lapsurus, & in eo lapsuri etiam posteri, iterum Christus secunda quasi intentione, seu formalitate posteriori decreti, fuit intentus ut passibilis, & moriturus pro populo &c. sed sic optimè conciliantur textus Prov. 8. v. 22. & ad Coloss. 1. v. 15. relati. n. 266. & 267. item textus SS. Patrum, qui dicunt, omnia propter Christum intentata, & condita, adeoque ipsum fuisse primum in intentione DEI, consequenter etiam venturum Adamo non peccante, hi, inquam, textus optimè

optimè conciliantur cum aliis textibus Evangelii, & Patrum, infra adducendis, quibus Christus dicitur venisse in remedium peccati, & hoc fuisse causam ejus adventus: ergo.

Prob. mi. Ad hos textus inter se conciliandos in nostra sententia tantum opus est dicere, priores textus respicere primam formalitatem decreti, quæ decernit Christi adventum simpliciter talem, præscindendo suo modò à passibilitate, & impassibilitate: posteriores verò textus respicere secundam formalitatem decreti, quæ decernit adventum Christi in carne passibili. videatur Suarez tom. 1. in 3. p. disp. 5. sec. 2. §. Tertio probari potest. In opposita autem sententia non possunt explicari textus Scripturæ, aut Patrum, adstruentes primatum Christi in omnibus, seu in intentione Divina: neque textus, qui asserunt, peccatum non fuisse necessarium ad Christi adventum, vel ejus prædestinationem: nec alii, in probationibus nostris adducti.

276. Confirm. 1. ratione, quam Rupertus Abbas asserit in textu supra citato, & fundatur etiam in S. Thoma 1. p. q. 20. a. 4. ad 1. ubi Angelicus ait: *DEUS Christum diligit, non solum plus, quam totum humanum genus, sed etiam magis, quam totam universitatem creaturarum; quia scilicet ei majus bonum voluit.* Eam rationem etiam amplectitur Suarez tom. 1. in 3. p. disp. 5. sec. 4. §. Dico primò. est autem ratio Rupertus ista. DEUS homines alios, & Angelos, prædestinavit ante lapsum Adami: ergo multò magis Christum, quem plus diligit, prædestinavit ante illum lapsum. ant. supponit Rupertus, & Suarez cit. disp. 5. sec. 2. §. Tertio probari potest. ait, esse communem Theologorum cum S. Augustino: additque, rationem esse claram; eoquod electio sit finis, cujus quasi effectus sit permissio peccati: idque, inquit, saltem de Adamo non posse probabiliter negari, neque etiam dubitari de Angelis. conseq. videtur legitima; cur enim magis necessarium sit peccatum ad prædestinationem, seu electionem Christi, incomparabiliter magis à DEO dilecti, quam ad electionem aliorum?

Confirm. 2. argumento Scoti. Non videtur satis convenienter dici, quòd Verbum incarnatum tantum sit bonum occasionatum, hoc est, tale, quod non est bonum simpliciter, & absolute: vel saltem non ut tale amatur, sed tantum occasione alterius, vel ad evitandum malum: e. g. bonum occasionatum est abscissio tibie, in casu, & ex occasione gangræne: item penitentia in casu, & ex occasione commissi peccati: sed in sententia opposita, Christus tantum fuisset intentus ex occasione peccati Adami, adeoque fuisset bonum duntaxat occasionatum: ergo.

277. Confirm. 3. Decretum intendens Christum propter se, & ejus propriam gloriam, est Christo gloriosius, & simul magis commendat charitatem DEI erga homines: ergo est adstruendum, conseq. non videtur neganda; cur enim dicatur, DEUS potius

R. P. Ant. Mayr, Theol. Tom. II.

elicuisse decretum minus gloriosum Christo, quem ita amat, & cujus gloriam querit? nam ipse Christus ait Joan. 8. v. 50. *Ego autem non quero gloriam meam: est, qui querat: scilicet Pater.* ant. quoad 1. p. est clarum. quoad 2. prob. DEUS hac ratione voluit visitare nos ex alto, sive ægroti, sive sani simus, quæ est major charitas, quam si tantum vellet venire ad ægrotos. Et cur DEUS delicias suas, quæ sunt esse cum filiis hominum, alligaverit peccato? Certè non malè ait Rupertus in c. 26. Matth. l. 13. de glorificat. *Filii hominis, post medium. Tante charitatis propositum, quo proposuerat DEUS, DEI Verbum, deliciarum cum filiis hominum. . . mirum, & adoratione dignum; quia non evacuavit ex adverso veniens peccatum.*

ARTICULUS III.

Solvuntur Objectiones.

278. **O**B. 1. S. Scripturæ, & SS. Patres, quando assignant motivum, seu causam incarnationis, nullam aliam assignant, quam redemptionem generis humani: ergo, cum incarnatio dependeat à liberrima voluntate DEI, cujus rationes, seu motiva, non possunt nobis innotescere, nisi per revelationem, id est, per Sacram Scripturam, aut SS. Patres, non debemus alias causas, & rationes adstruere, quam ab his assignatas, adeoque non aliam causam incarnationis, quam redemptionem generis humani. Resp. neg. ant. In probatione nostræ sententiæ adduximus pro ea plures S. Scripturæ, & SS. Patrum textus, qui assignant aliud motivum, nempe excellentiam mysterii, & primatum Christi: quique videntur plus probare pro nobis, quam textus in contrarium adducti probent pro adversariis. Unde merito motivo redimendi hominem adjungitur aliud, quod etiam se solo DEUM movisset ad ponendam incarnationem.

Textus ab adversariis adductos non dissimulabimus: iterum universaliter potest responderi, 1. Etsi Patres aliqui unum motivum assignent, non propterea alià excludunt. 2. Quando Patres dicunt, non posito peccato, incarnationem non futuram fuisse necessariam, non ideo asserunt, eam, non posito peccato, non fuisse futuram, 3. Patres illi, qui alia motiva excludunt, explicandi sunt, non de adventu simpliciter tali, sed de adventu in carne passibili; nam, si Adam non peccasset, homines carnem passibilem non habuissent; unde nec talem habuisset Christus; præsertim quia tunc passus non fuisset. Hinc non dicimus, Christum in statu innocentie venturum fuisse in carne passibili, sed impassibili. Et sic inprimis videntur necessariò exponendi Patres illi, qui nobiscum explicant textum Prov. 8. de Verbo incarnato, ut notavimus n. 271. Dein sic Patres omnes convenienter explicari posse expressè docet Angelicus supra cita-

citatus, n. 265. idemque etiam docet Scotus in 3. dist. 7. q. 3. *g. Sed hic sunt duo dubia.* Ratio enim est, partim; quia Patres seipfos ita explicant, dum dicunt, Christum tunc non fuisse passurum, aut moriturum &c. partim; quia hac ratione sibi ipsis, & aliis conciliantur, de quo plura in solutione objectionum. 4. Patres aliqui etiam convenientissimè explicantur, non de adventu solo, sed de toto completo incarnationis mysterio, ut involvente ipsam redemptionem, de qua vel maximè loquebantur fidelibus, ad eos excitandos, ut DEO pro hoc summo beneficio grates agerent.

Licet autem hæc, vel similibus expositione, non semper videatur quadrare verbis separatim objectis, tamen, ut bene observat Suarez tom. 1. in 3. p. disp. 5. sec. 5. *g. Ad primam confirmationem.* convenit toti contextui, à quo abscissa verba quandoque videntur aliud innuere, ut patebit ex ipsa textuum expositione. Accedit, quòd, ut ibidem advertit Eximius, ipsum nomen carnis, & sanguinis, in usu Scripturæ, & Patrum, significet corruptionem, adeoque carnem passibilem: & hinc Patres, qui similibus verbis utuntur, tantum loquuntur de adventu in carne passibili.

279. Ob. 2. Dicitur 1. ad Timotheum. 1. v. 15. *Christus JESUS venit in hunc mundum, peccatores salvos facere.* Luc. 19. v. 10. *Venit enim Filius hominis querere, & salvum facere, quod perierat.* Matth. 20. v. 28. *Filius hominis non venit ministrari, sed ministrare, & dare animam suam redemptionem pro multis.* Joan. 3. v. 16. *Sic enim DEUS dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret, ut omnis, qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam.* Non enim misit DEUS Filium suum, in mundum, ut judicaret mundum, sed, ut salvetur mundus per ipsum. Ad Gal. 4. v. 4. *Misit DEUS Filium suum, factum ex muliere, factum sub lege, ut eos, qui sub lege erant, redimeret:* ergo Christus non venit, nisi propter redemptionem hominis, adeoque non venisset, Adamo non peccante.

Resp. neg. conf. Hic textus omnes, uti & alius, qui ex Symbolo Nicæno solet afferri: *Qui propter nos homines, & propter nostram salutem descendit de cælis, & incarnatus est:* ad summum probant, Christum defecto venisse propter peccatum Adami delendum, & propter redemptionem generis humani: sed non probant, eum non fuisse venturum, si peccatum non fuisset. Imò illud: *Ut salvetur mundus:* exponunt graves authores, non de salvatione reparativa, sed de præservativa, quali salvata est Beatissima Virgo, cujus salus etiam pertinet ad Christum, ut adeo ex illo textu non probeatur, peccatum debuisset præcedere ad Christum venturum.

280. Dices 1. Si aliud motivum non assignatur, debet hoc fuisse solum; aliàs possemus, nescio quæ, ubique fingere. Resp. ad hoc jam supra responsum, scilicet, etsi in his non assignetur, tamen in aliis textibus

aliud motivum assignari, & in istis saltem aliud non excludi. Dices 2. Aliis locis excluditur aliud motivum: ergo, prob. *Matth. 9. v. 12.* dicitur: *Non est opus valentibus medicus, sed male habentibus.* & v. 13. *Non enim veni vocare justos, sed peccatores.* item *Matth. 15. v. 24.* *Non sum missus, nisi ad oves, quæ perierunt domus Israël.* Antiquus etiam hymnus de Deipara sic canit: *Peccatores non abhorret, sine quibus nunquam fores tauri digna filio.*

Resp. dist. ant. aliis locis excluditur aliud motivum adventus Christi genericè talis. neg. ant. specificè talis, seu ut Redemptoris reparativi. conc. ant. & neg. conteq. Inprimis *Matth. 9.* Christus loquitur de se ut redemptore reparativo; sub hac enim ratione est medicus: & illud: *Non veni vocare justos, sed peccatores:* idem Dominus explicat *Luc. 5. v. 31.* & 32. dicendo: *Non egent, qui sani sunt medico, sed qui male habent: non veni vocare justos, sed peccatores ad penitentiam;* utique enim etiam venit vocare justos ad gloriam; non enim quis dicet, Christum nullo modo venisse propter Beatissimam Virginem. Quidam Patres apud Cornelium *in hunc locum* per justos intelligunt, non verè justos, sed Phariseos, de se præsumentes, quòd justi sint: qui sensus longè aliud probaret.

Textus *Matth. 15.* manifestè non intelligitur de causa adventus Christi simpliciter, seu genericè talis; utique enim Christus non fuit tantum incarnatus propter oves domus Israël, sed propter oves totius mundi, ut ipse dicit *Joan. 10. v. 16.* *Et alias oves habeo, quæ non sunt ex hoc ovili.* Hinc S. Augustinus *serm. 74. de tempore. c. 3.* scribit: *Hoc ergo ait: Non sum missus, nisi ad oves, quæ perierunt domus Israël: ut illis presentiam sui corporis exhiberet.* Similiter alii etiam Patres explicant illum textum de missione ad prædicandum in propria persona, quæ facta est propter solas oves domus Israël. Quod jam spectat ad hymnum adductum, est is præcisè particularis Ecclesiæ, quem quidem non licet tanquam fidei, aut pietati contrarium, censurâ afficere (id enim prohibet Sixtus IV. in literis Apostolicis supra adductis n. 274.) at non habet auctoritatem, Scripturæ, aut Patribus comparandum.

Dices 3. Sabbatho Sancto in Cantico, *Exultet.* exclamat Ecclesiæ: *O certè necessarium Adæ peccatum, quòd Christi morte deletum est! O felix culpa, quæ talem, ac tantum meruit habere redemptorem!* Resp. Ex hoc plus non probatur, quam ad mortem Christi fuisse necessarium peccatum, non autem ad adventum Christi simpliciter talem: cum autem ex morte Christi homini aliqua bona provenerint, quæ sine morte non provenissent (etsi in eo casu alia provenissent) ideo præ gaudio exultans Ecclesiæ in hyperbolicas illas voces erumpit; quis enim dicat, in sensu stricto peccatum meruisse redemptorem?

281. Ob. 3. ex SS. Patribus, 1. S. Irenæus

neus adversus hæreses l. 5. c. 14. ait. *Si enim non haberet caro salvari, nequaquam Verbum DEI caro factum esset: & si non haberet sanguis justorum inquiri, nequaquam sanguinem habuisset Dominus:* ergo, si caro, seu homo non peccasset, Verbum DEI non fuisset incarnatum. 2. S. Cyrillus Alexandrinus *dial. 5. de Trinit. post medium.* ait: *Si non peccasset, neque factus esset nobis similis, neque sustinisset crucem: & si non mortuus fuisset, neque assecutus esset, ut adoretur & à nobis, & à Sanctis:* ergo non venisset Christus, nisi peccatum præcessisset. Resp. ad 1. dist. conf. Verbum DEI non fuisset incarnatum carne passibili, conc. conf. carne impassibili. neg. conf.

Quid S. Irenæus sentiat de adventu Christi simpliciter tali, patet ex n. 272. loco autem objecto manifestè agit de adventu in carne passibili; nam ibi multis contendit probare, Verbum assumpsisse carnem, similem nobis peccatoribus: & ait, si non similem nobis carnem assumpsisset, nostram carnem non reconciliasset: addit, carnem Domini peccatum quidem non habuisse, sed tamen, neque ex altera substantia fuisse. Præterea, quòd S. Irenæus hic non asserat causam adventus Christi simpliciter talis, desumitur ex verbis adjunctis, quibus ait, Dominum non habiturum sanguinem, si sanguis justorum non debuisset inquiri: quis enim dicat, Christum omnino non venturum fuisse, si nulli fuissent tyranni, de quorum manibus sanguis justorum deberet à DEO requiri? de qua inquisitione S. Pater ibi aperitissimè loquitur.

Ad 2. textum resp. eodem modo. Inprimis enim, ne S. Cyrillus contradicat verbis suis n. 272. citatis, debet hic explicari de carne passibili. Dein ex contextu est clarum, de hoc eum loqui; addit enim: *Neque sustinisset crucem:* quam utique in carne impassibili non sustinuisset: item paulò antè de incarnatione loquens ait, quòd Christus veniens cum carne, se exinaniverit, & humiliaverit, sèque ad formam servi demiserit, crucemque sustinuerit, contemptâ ignominia. Nec obest, quòd dicit, Christum non fuisse adorandum à nobis, & à Sanctis, si mortuus non fuisset; cum tamen juxta nos in carne impassibili veniens, utique etiam adorari debuisset; nam id asserit ex suppositione lapsus Adami; præmittit enim hæc verba: *Necessarium hominum lapsibus, & nostris peccatis, erat unigenitum pati:* supposito autem peccato, si mortuus non fuisset Christus, nec nos, nec alij unquam fuisset sancti, adeoque neque à nobis, neque à sanctis ille adoratus fuisset.

282. Ob. 4. S. Augustinus *serm. 8. de verbis Apostoli. c. 2.* ait: *Si homo non perisset, Filius hominis non venisset:* ergo. Confirm. 1. Idem S. Doctor *serm. 9. de verbis Apostoli c. 1.* ait: *Nulla causa fuit veniendi Christo Domino, nisi peccatores salvos facere:* ergo. Confirm. 2. Idem l. 3. hypognosticon c. 3. ait: *Quid enim opus erat DEO, si status integer natura maneret hu-*

mana, carnem suscipere nostram? ergo. Resp. iterum dist. conf. ut aliàs de adventu in carne passibili, & impassibili; tunc enim non venisset Christus, ut redemptor reparativus, sed ut caput Ecclesiæ, auctor gratiæ, doctor, & exemplum fidelium &c. Loco objecto S. Augustinus clarè loquitur de adventu in carne passibili ad redimendum hominem; nam post pauca ait: *Flanc suscepit naturam, quam salvandam esse judicavit.* & c. 1. præmiserat: *Venit per infirmitatem humanam.*

Ad 1. confirm. iterum servit eadem distinctio; nam statim subjungit S. Doctor. *Tolle morbos, tolle vulnera: & nulla causa est medicina.* Et certè ea verba: *Nulla causa fuit &c.* debent exponi, ut significant: *Nulla fuit causa veniendi in carne passibili ad redimendum;* aliàs non essent vera; utique enim aliæ causæ fuerunt veniendi simpliciter, abstracto, in qua carne veniret; cum ipse Dominus *Joan. 18. v. 37.* Pilato dicat: *Ego in hoc natus sum, & ad hoc veni in mundum, ut testimonium perhibeam veritati.* Ad 2. confirm. Inprimis libri hypognosticon non sunt S. Augustini, sed incerti auctoris. Quisquis tamen is sit, servit ad eum textum prior distinctio; præsertim cum illis verbis, *carnem suscipere nostram,* subjungantur hæc alia, *contumelias sustinere à Judæis, perpeti mortem, quæ utique omnia pro nostra salute dignatus est sustinere.* Quid autem absolute de adventu Christi simpliciter tali fenserit hic S. Doctor, colligi potest ex n. 266. & 271.

283. Ob. 5. S. Leo *serm. 3. de Pentecoste.* sic ait: *Si enim homo, ad imaginem, & similitudinem DEI factus, in sua honore natura mansisset, nec diabolica fraude deceptus, à lege sibi posita per concupiscentiam deviasset, creator mundi creatura non fieret, neque aut sempiternus temporalitatem subiret, aut aequalis DEO Patri Filius DEUS formam servi, & similitudinem carnis peccati, assumeret.* 2. S. Ambrosius l. de incarnatione. *Dominic. sacram. c. 6.* ait: *Quæ erat causa incarnationis, nisi, ut caro, quæ peccaverat, per se redimeretur?* ergo. Resp. iterum dando priorem distinctionem. Quòd S. Leo loquatur de adventu in carne passibili, est manifestum; cum loquatur de adventu in forma servi, & similitudine carnis peccati. S. Ambrosius autem eodem cap. superius sic habet: *Quis autem non horrescat? quis audiat, quia non ex Maria Virgine, sed ex Divina substantia passibilem sibi carnem fecerit DEI Verbum? igitur & ipse apertè loquitur de adventu, seu incarnatione, in carne passibili.*

284. Ob. 6. S. Athanasius *serm. 3. contra Arianos (qui est instar libri) post medium.* sic ait: *Necessitas quippe, indigentiaque hominum, anterior est, quam illius nativitas: quæ sublata carnem non induisset.* Item S. Gregorius in 1. Reg. c. 8. l. 4. c. 1. scribit: *Nisi Adam peccasset, Redemptorem nostrum carnem suscipere nostram non operaret; non enim venit vocare justos, sed peccato-*

peccatores ad penitentiam: ergo. Resp. denuo, hos Patres posse convenienter exponi de adventu Christi in carne passibili; S. Athanasius enim *cod. serm. non valde remotè ab initio*, sic habet: *Cum induisset corpus creatum, & factum, quod pro nobis offerre potuit: & paulò ante verba objecta: Speciem servi assumpsit: ... humiliavit se ipsum usque ad mortem, & eam crucis.*

Quamquam etiam dici possit; S. Athanasium per necessitatem hominis non intellegere lapsum Adami; nam finis illius sermonis est, probare Verbum DEI, consubstantiale Patri, non habere causam: at verò habere causam Christum, seu Verbum ut incarnatum: & hanc causam dicit, fuisse necessitatem hominis; hanc autem necessitatem, ait; fuisse, ut impleretur voluntas Patris, ut ipse sit lux mundi, & omnium credentium, ut sit testis veritatis &c.

S. Gregorius *loc. cit.* tantum dicit: *non oporteret: hoc est, necesse non esset; quod non negamus.* Ceterum ejus intentio est probare, quòd DEUS ex malis bona eruat, adeoque ad primum malum, seu peccatum reparandum, miserit majus bonum, seu Christum, qui alias non debuisset assumere hominem in carne passibili, sive assumere carnem, ut loquitur S. Gregorius, *nostram, seu peccatorum, de quibus ad penitentiam vocandis ibi est sermo.*

ARTICULUS IV.

Solvuntur reliquæ Objectiones.

285. **O**B. 7. S. Basilius *homil. in sancti. Chri. nativ. ait.* Ideo DEUS in carne, quòd maledictam carnem hanc sanctificari, debilitatam corroborari, alienatam à DEO reconciliari, elapsam à paradiso ad cælum subvertendam oportebat. 2. S. Gregorius Nazianzenus *orat. 36. quæ est 4. de Theolog. 2. de Filio, sub initium* ait: *Qua autem humanitatis à DEO propter nos suscepta causa extitit? profecto, ut nobis salus pareretur. quid enim aliud cause afferri possit?* 3. S. Gregorius Nyssenus *orat. in diem natal. Dom. Qui, malitiam ut tolleret, humanam vitam erat ingressurus, expectavit necessario, ut omne ab inimico satum, propagatumque peccatum germinaret: ergo Christus tantum venit ad nos redimendos.*

Resp. neg. conf. vel eam iterum, ut superius, distinguo. S. Basilius clarè loquitur de adventu in carne passibili; nam paulò antè ait: *Caro, Divinitatis participata, Divinitatis infirmitates suas non impartit: & iterum: Mors, quæ in humana natura tyrannidem exercuerat: adeoque loquitur de carne subiecta infirmitatibus passibilitatis, & mortis.* Adde, S. Basilius, assignando hanc causam, non i-deo negare aliam, quæ in actu primo fuerit etiam totalis. S. Gregorius Nazianzenus ex-

plicandus est (ut n. 282. advertimus circa dicta S. Augustini) de adventu in carne passibili; alias utique alia causa assignari posset. Et sanè de hoc adventu eum loqui colligitur ex sequentibus, ubi de DEO incarnato scribit: *Etiam servus dicitur: & paulò post: Qui nostram causam exinanitus est, ac Divinam imaginem servili forma conjunxit.* Adde, eum non loqui de adventu, seu suscepta humanitate simpliciter, sed de suscepta propter nos.

Ex S. Gregorio Nysseno tantum inferitur, quòd defacto etiam lapsus Adami fuerit causa adventus Christi, sed non, quòd fuerit causa, sine qua non fuisset adventus Christi simpliciter talis. Cum autem Christus reparare voluerit peccatum, non voluit (quòd hinc probare intendit S. Gregorius) statim venire sub mundi exordium: sed voluit expectare, donec peccatum magis invalesceret, ut dein, sicut ait S. Pater, securim admooveret. Insuper loquitur S. Gregorius de adventu in carne passibili; in hac enim erat venturus, ut tolleretur malitiam, & ut medicus, cui S. Pater Christum comparat, dicens, quòd, ut medici arte præstantes, artem primum adhibent, postquam totus morbus jam patefactus est, sic Christus, animorum ægotantium medicus, expectaverit, donec morbus natura se totum aperiret.

286. Ob. 8. S. Chrysostronus *homil. 67. in Matth. sic scribit: Hac quippe curationis sola causa est, propter quam in hunc mundum descendit: ergo.* Confirm. 1. Idem S. Doctor *homil. 2. & 3. in Matth. & serm. 3. in Lucam* docet, Christum non venturum fuisse, nisi Adamo peccante: ergo. Confirm. 2. Idem ait: *Propter nihil aliud DEUS induit nostram carnem, nisi, ut nos obnoxios à maledicto liberaret: ergo.* Resp. neg. conf. S. Chrysostronus ibi nullo modo vult dicere, curationem generis humani à peccato, solam fuisse causam incarnationis: sed ibi agit de eo, quòd Christus semper ab ijs, quos à corporalibus infirmitatibus liberabat, petierit fidem, & hanc voluerit in ijs excitare, vel revelare, seu manifestare; sic ait, eum curasse cæcos, sic hæmorrhoidisam &c. unde sub particula *hec* intelligitur fides, adeoque hic textus non est ad intentionem adversariorum.

Ad. 1. confirm. Resp. perlectis illis homilijs in *Matth.* me nil in ijs invenisse, nisi defacto Christum salvasse homines, & esse eorum salvatorem. Quòd autem non venisset, si Adam non peccasset, ibi neutiquam dicitur. Quòd spectat ad *sermon. in S. Lucam*, eum non inveni inter opera S. Chrysostroni, quæ mihi ad manum erant. Sed & ille textus facile explicari poterit, ut nobis non oblit: præterquam quòd Bellarminus illos sermones in *S. Lucam* non agnoscat pro legitimo opere S. Chrysostroni, sed tantum pro aliquo opere, ex S. Chrysostroni operibus ab alio excerpto, vel composito, in quo, ut in similibus fieri solet, facile aliqua adduntur.

Ad 2. confirm. Locus, ubi habetur textus

textus objectus, non additur: & mirum est, eum nec à Vasquio, nec à Valentia, qui pro adversa sententia plurimos Patrum textus congerunt, citari. Si locus offensus fuerit, ex contextu fors plura elucescent. Interim sufficit dicere, etiam hunc textum satis aperte loqui de carne passibili; nam dicit, DEUM induisse carnem nostram, hoc est, similem nobis, quos ibidem ait *obnoxios maledicto*. Dein, nisi ita explicetur hic textus, & limitetur, refellitur ex ipso S. Chrysostrono; qui in textu prius objecto, ex certo ipsius opere, ait, Christum etiam propter fidem revelandam, seu docendam, in mundum descendisse; unde non est verum, quòd propter nihil aliud simpliciter incarnatus fuerit, sed tantum, quòd propter nihil aliud venerit in carne passibili; nam ad fidem docendam non opus erat carne passibili.

287. Ob. 9. S. Bernardus *sermon. 1. de vigilia nativiti.* scribit: *Quare Filius DEI factus est homo, nisi, ut nos homines faceret filios DEI? ergo.* Confirm. 1. Rupertus *Abbas l. 2. de operib. Spiritus S. c. 6.* ait: *Nisi fuisset peccatorum, causa, cur tu assumi in DEUM deberes, nulla fuisset ... nisi peccasset servi, nec assumpta fuisset in Dominum DEUM natura servilis: ergo.* Confirm. 2. Origenes *in lib. Numeror. homil. 24.* ait: *Nam pone (verbi gratia) non fuisse peccatum. Si non fuisset peccatum, non necesse fuerat, Filium DEUM agnum fieri, nec opus fuerat, eum in carne positum jugulari: sed mansisset hoc, quòd in principio erat, DEUS Verbum: ergo.* Resp. neg. conf. Etiam si non peccavisset, tamen gratiam adoptionis in filios DEI habuisset ad Christum; unde etiam, si incarnatus fuisset Christus in carne impassibili, factus fuisset homo, ut nos faceret filios DEI. Vel potest etiam dici, S. Bernardum *loc. cit.* satis aperte loqui de adventu Christi ut Redemptoris reparativi in carne passibili; nam præmittit hæc verba: *Quare enim vocamus Jesum, nisi quia ipse salvum faciet populum suum à peccatis eorum?*

Ad 1. confirm. neg. conf. Rupertus est nimis aperte pro nostra sententia *locis supra cit. n. 273.* ita, ut, si hæc sententiæ adversæ faveret, sibi manifestè contradicere censendum esset. Quare dico, eum hæc loqui tantum de assumptione carnis passibilis: quòd etiam patet sat clarè ex contextu; nam paulò antè præmittit: *U, qui DEUS erat, & impassibilis, atque immortalis, homo fieret, & passibilis: atque subjungit: Nam, pro quibus in cruce pependit, pro iisdem, ut interpellat, sedet nunc à dextris DEI.*

Ad 2. confirm. Etsi Origenes oppositam sententiam teneret, non esset ejus auctoritas multum curanda; cum plures hæreses docuerit, & hoc ipso in capite varia miscat, de meritis, & intercessionibus Angelorum, tanquam aliqua hostia, de sanguine variorum justorum, qui præfiguratus sit per sanguinem vitulæ, hirci &c. sicut Christus per sanguinem agni: quòdque per illorum sanguinem etiam expiata sunt aliqua peccata

populi: quæ saltem in rigore non sunt vera; certè Christus per omnia sacrificia fuit præfiguratus.

Dein Origenes non intendit ibi docere, Christum non venturum fuisse, si Adamo non peccasset: sed intendit ibi ostendere, ad expiandum peccatum opus esse hostiæ: & hinc ait: *Pone verbi gratia &c.* atque adducit Christum causam exempli, in quo, ut est proverbium, non requiritur veritas. Saltem congruentissimè potest dici, illud mansisset significare potuisse manere; hunc enim sensum exigit contextus, & connectio cum prioribus verbis, quibus dixerat: *Non necesse fuerat ... nec opus fuerat.* Et certè ad intentionem Origenis omnino sufficit iste sensus, ut patet legenti eam homiliam.

288. Dices 1. cum Haunoldo. Juxta nostram sententiam SS. Patres multis inculcassent, quòd jam per se erat clarissimum, scilicet, quòd, si Adam non peccasset, Christus non fuisset venturus in carne passibili: hoc autem sentire de SS. Patribus est indecorum: ergo. Resp. neg. mæ. Non erat jam clarissimum, præsertim populo (quem SS. Patres communissimè alloquebantur) quòd Christus, si etiam venisset in statu innocentie, non venisset in carne passibili; cum plurimi nescirent, quòd homines in eo statu carnem impassibilem habituri fuissent, adeoque verolimitè putarent, homines tunc quoque passibiles nascituros, consequenter etiam Christum. Unde debuerunt ista plebi explicari; maximè, cum hac ratione ipsi vivacius proponeretur beneficentia DEI erga peccatores, & gravitas peccati.

289. Dices 2. Hæc propositio: *Princeps non veniret ad urbem, si seditio non esset compescenda:* malè ita explicaretur: *Princeps non veniret cum exercitu: ergo etiam hæc propositio SS. Patrum: Christus non venisset, si Adam non peccasset: malè à nobis explicatur: Christus non venisset cum carne passibili.* Resp. ant. non esse certum; quia dependet ab intentione loquentis, & circumstantijs, quid per adventum intelligatur; si enim princeps tali urbi seditionis minatur suum adventum, etsi nullam aliam mentionem faciat, minatur adventum armatum: sique postea à quodam diceretur, princeps non venturus, rectè intelligeretur non venturus armatus. Sic etiam quando Christus Dominus dixit *Joan. 7. v. 8. Ego autem non ascendo ad diem festum istum: intellexit ascensum, vel adventum publicum; nam, ut habetur ibidem v. 10. quasi in occulto postea ascendit.* Unde & superior propositio posset utique ex intentione loquentis determinari, ad significandum tantum adventum armatum, non autem pacificum, vel occultum, aut incognitum.

In forma dist. ant. malè explicaretur ita illa propositio, nisi aliud ex circumstantijs colligeretur. conc. ant. secus. neg. ant. & conf. nam, quòd spectat ad nostram propositionem, ex circumstantijs, saltem æquivalenter talibus, id est, ex contextu, vel intento SS. Patrum, aut etiam alijs eorum dicitur

dictis, rectè inferimus, eos non de quocunque adventu Christi, sed tantum de adventu in carne passibili, loqui voluisse. Est etiam innegabile, similes limitationes, seu restrictiones dictorum, debere sæpissimè admitti, præsertim, ut dicta Patrum inter se, aut cum aliis concilientur.

Dices 3. Hac ratione posset etiam simpliciter dici: *Christus non resurrexit*: subintelligendo *in carne passibili*, in qua non resurrexit: sed hoc non potest simpliciter dici: ergo. Resp. cur juxta adversarios non potest idem dici, subintelligendo *publicè*? nam etiam Christus publicè non resurrexit: quæ tamen particula *publicè* debet, etiam juxta ipsos, subintelligi in propositione paulò antè adducta: *Ego autem non ascendo ad diem festum istum*. Nempe in quibusdam propositionibus, quæ vel ob auctoritatem, vel ob rationem, debent tanquam veræ in aliquo sensu admitti, debent quandoque aliqua, quæ vel ex nota intentione loquentis, vel ex alijs circumstantijs extrinsecis, desumuntur, subintelligi, ut scilicet ex propositiones, cum auctoritate, vel ratione apparenter contraria, possint concordari.

Et sic in propositione superiore: *Ego autem non ascendo &c.* debet subintelligi *publicè*; tum quia aliàs huic esset contraria alia propositio *ibidem v. 10.* *Et ipse ascendit ad diem festum*; tum quia id desumitur ex intentione Christi loquentis, & circumstantijs, in quibus loquebatur. Pariter, cum propositio: *Christus non venisset, si Adam non peccasset*: debeat, propter aliquorum Patrum auctoritatem, tanquam vera in aliquo sensu admitti, debet in ea subintelligi *in carne passibili*; tum, ne opponatur alijs SS. Patrum dictis: tum etiam, quia id colligitur ex intentione loquentium, & circumstantijs, in quibus loquebantur, & ex verbis præcedentibus, vel subsequenter, ut videre est in ipsis textibus Patrum supra adductis, & etiam *ex n. 278.* At verò propositio: *Christus non resurrexit*: non debet ex ulla auctoritate, aut ratione admitti, tanquam in aliquo sensu vera; quia nemo eam adstruit: & hinc nec intentio loquentis, nec circumstantiæ ullæ exigunt, ut aliquid simile in ea subintelligatur. in forma. neg. ma. disparitas faciliè colligitur ex modo dictis.

290. Ob. 10. Christus non venisset, nisi habiturus fuisset nomen, quod est *super omne nomen*. ad Philipp. 2. v. 9. atqui hoc non habuisset, nisi fuisset obediens usque ad mortem, & consequenter passibilis: ergo non venisset, nisi passibilis, adeoque non nisi Adamo peccante. Confirm. Certum est, Christum venisse propter homines redimendos: ergo, si etiam venit propter se, seu propter excellentiam mysterii, habuit duos fines totales sui adventus: atqui hoc est impossibile: ergo. prob. subsumpt. impossibile est duplex causa totalis physica in actu secundo: ergo etiam duplex causa finalis totalis; qualis daretur in nostro casu, ut patet consideranti.

Resp. dist. ma. Christus non venisset,

nisi habiturus fuisset nomen super omne nomen, seu nomen Redemptoris reparativi. neg. ma. nisi habiturus fuisset nomen super omne nomen naturalis Filii DEI, & capitis totius mundi &c. conc. ma. & dist. sic mi. neg. conf. Si Christus venisset, Adamo non peccante, non quidem potuisset esse Redemptor reparativus: potuisset tamen esse Redemptor præservativus: & habuisset etiam tunc substantialem exaltationem ad supremam dignitatem. verbo: fuisset DEUS-homo. Dein debent etiam adversarii fateri, quòd Christus liberè fuerit redemptor reparativus; nam: *Oblatus est; quia ipse voluit. Isa. 53. v. 7.* ergo potuisset existere, & id nomen non habere.

Ad confirm. dist. conf. si Christus etiam venit propter excellentiam mysterii, habuit duos fines totales in actu primo. conc. conf. totales in actu secundo. neg. consequ. eodem modo dist. subsumpt. & neg. ultimam conf. ad prob. om. atq. (quod probabilissimè potest negari, atque etiam negatum est à me cum plurimis in philosophia) & neg. suppositum consequentis; quòd in nostro casu daretur duplex causa finalis totalis in actu secundo; quia tantum daretur duplex causa finalis totalis in actu primo; darentur nempe duo motiva adæquatè sufficientia ad movendum DEUM, ut poneret incarnationem, ita, ut quolibet deficiente adhuc esset ab altero movendus: hic, & nunc autem movetur in actu secundo ab utroque simul, & decretum incarnationis utrumque indivisibiliter respicit: sicut scilicet, (ut diximus *n. 261.*) DEUS habuit duo talia motiva mittendi Samuelem in Bethlem, unctiorem Davidis in regem, & oblationem sacrificii.

ARTICULUS V.

Aliqua Quæstia huc spectantia.

291. **Q**uæres hinc 1. An Christus venisset, in carne passibili, ut redemptor reparativus, si tantum commissum fuisset peccatum originale. Resp. cum Suarez *tom. 1. in 3. p. disp. 5. sec. 6. §. Et ex his.* Lugone *de incarnat. disp. 7. sec. 5. n. 52.* Gormaz *de incarnat. n. 811.* & alijs communiter, affirmative. Ut enim S. Thomas 3. p. q. 1. a. 4. *in corp.* *Christus principaliter venit ad tollendum originale peccatum, in quantum bonum gentis Divinius, & eminentius est, quam bonum unius*: adeoque principaliter venit propter peccatum originale, quam propter actuale; quia originale peccatum est extensivè majus, & infecit totam naturam humanam, ad quam reparandam venit Christus.

Quamvis autem etiam actualia peccata fermè totam naturam infecerint, tamen originale fuit radix actualium, & privavit hominem originali justitiâ, ac reliquit eum inordinatum, sulsque affectibus subjectum &c. Dein Christus variis in locis opponitur Adamo, & dicitur, quòd, sicut hic corrupturatur,

turam, ita ille eam reparaverit: atqui Adam corrupit eam per peccatum originale: ergo Christus maxime venit ad hoc destruendum: ex quo infertur, destructionem peccati originalis fuisse primarium motivum volendi adventum Christi in carne passibili: adeoque etiam adventus iste fuisset, et si alia peccata secuta non fuissent.

292. Quæres 2. An, si Adam non peccasset, attamen peccasset alii homines, ut tunc possibile fuisset, Christus venisset passibilis. Respondet Suarez *tom. 1. in 3. p. disp. 5. sec. 6. §. Ad illa breviter.* & Lugo *de incarn. disp. 7. sec. 5. n. 61.* si tantum pauci peccasset, ut in eo statu contigisset, non talem venturum fuisse Christum vi præsentis decreti; idque Lugo contendit probare ex illo, quòd Ecclesia canit Sabbatho Sancto: *O certè necessarium Ada peccatum, quod Christi morte deletum est!* Sed ratio fors melior est; quia, si tantum pauci peccasset, non fuisset infecta moraliter tota natura, sed potius mansisset integra, & venisset ad suum finem beatitudinis. Quodsi tamen quis fingat, majorem hominum partem lapsam, tunc Christus venisset passibilis; quia, ut ait Suarez *loco cit.* esset moraliter eadem necessitas, quæ nunc est, & natura diceretur lapsa: quod idem docet Lugo *cit. disp. n. 63.*

Neque hinc objici debet, quòd Christus quemlibet hominem eo affectu redemerit, ac si solus redimendus esset, adeoque propter quemvis in individuo passibilis venisset; nam (ut ait Suarez *sec. modo cit.* & Obiici. habuit Christus ut homo illum affectum, sed subditum ordinationi Divinæ, paratus id facere, si DEUS ordinasset: qui tamen, si pauci tantum peccasset, id non fuisset ordinaturus. Idem responderi potest, si obiiciatur revelatio illa notissima, S. Carpo facta, cui scilicet Christus Dominus revelavit, se paratum esse, ad iterum patientium, si necessarium id foret pro salute, vel unius animæ. Nec propterea minùs obligati sumus Christo; quia tamen singuli tam perfectè redempti sumus, ac si soli fuissetus: quod solum indicat S. Paulus *ad Galat. 2. v. 20.* dum ait de Christo Domino: *Dilexit me, & tradidit semetipsum pro me.* ita hunc locum explicant S. Chrysostronus, S. Anselmus, & S. Augustinus apud Suarez *loco citato.*

293. Quæres 3. An Christus Redemptor defacto venerit, ut satisficeret, non tantum pro originali peccato, sed etiam pro actualibus. Resp. certissimè venisse ad satisfaciendum, tam pro illo, quam pro istis, & DEUM etiam satisfactionem, tam pro illo, quam pro istis intendisse. sic 1. Joann. 1. v. 7. dicitur: *Sanguis JESU Christi Filii ejus emundat nos ab omni peccato.* & 1. ad Timoth. 1. v. 15. *Christus JESUS venit in hunc mundum, peccatores salvos facere, quorum primus ego sum.* item Matth. 18. v. 11. *Venit enim Filius hominis salvare, quod perierat.* Concilium quoque Toletanum VI. c. 1. sic ait: *Solum Filium fatemur, ad redemptionem humani generis, propter culpam debitam, que per inobedientiam Ada*

originaliter, & nostro libero arbitrio, contraxeramus, resolvenda, à secreto Patris, arcanoque prodidisse. Plura alia passim suggerunt auctores.

QUESTIO II.

De Malitia Peccati.

ARTICULUS I.

An Malitia Peccati Mortalis sit infinita.

294. **D**ico cum Suarez *in 1. 2. tr. 5. de vitijs, & peccat. disp. 2. sec. 3. n. 2.* Lugone *de incarn. disp. 5. sec. 3. n. 25.* Gormaz *de incarnat. n. 339.* Vasquez, Pallavicino, & communi nostrorum, quibus etiam plures alii consentiunt. Peccatum mortale non habet malitiam simpliciter infinitam; nam potest dici, peccatum habere malitiam infinitam secundum quid, quatenus pro termino habet DEUM offensum infinitum, & meretur etiam poenam in extensione, saltem syncategorematicè infinitam: quæ ratione quoque amor erga DEUM suo modo dici potest infinitus, ratione termini amati, & visio beatifica ratione durationis. Prob. conclusio. Si peccatum mortale esset infinitum, tunc esset tale, vel in numero, vel in intensione, vel in perfectione, seu quasi perfectione, aut potius imperfectione: nihil horum potest dici: ergo. prob. mi. in eo genere aliquid non est infinitum, in quo est capax augmenti: atqui in omnibus supra dictis peccatum mortale est capax augmenti: ergo.

Ma. est clara; quia infinito nihil potest addi, in ea ratione, in qua est infinitum, ut suppono ex philosophia. mi. prob. inprimis quoad numerum, & intensiorem, res est clara; cum utique semper plura, & intensiora peccata fieri queant: & eadem res quoque est clara quoad extensionem; quia semper potest dari peccatum, habens plura objecta, in quæ distinctè tendat. Sed neque negari potest, quòd peccatum mortale capax sit augmenti, etiam quoad imperfectionem, seu malitiam, sive quatenus est offensâ DEI; quia unum peccatum mortale est majus altero. sic Christus Dominus dicit Pilato Joann. 19. v. 11. *Qui me tradidit tibi, majus peccatum habet.* Habuit tamen etiam Pilatus peccatum, ut tradidit S. Augustinus enarrat. in Psal. 63. ante medium. dicens: *Quod fecit Pilatus, in eo ipso quod fecit, aliquantum particeps fuit: sed in comparatione illorum, multò ipse innoventior.* Insuper, quòd unum peccatum sit majus altero, aperte docet S. Thomas 1. 2. q. 73. a. 2. *in corp.* ajens: *Dicendum est, quòd non omnia peccata sunt paria. & in 4. dist. 17. q. 2. a. 3. quasiunc. 3. ad 2. ait: Qui dolet de hoc, quòd DEUM offendit, de diversis implicite dolet diversimodè secundum quòd plus, vel minus, per ea DEUM offendit.* Sed

Sed non opus est hic probatione: res est omnibus Catholicis clara, quod unum peccatum sit majus altero.

Ex hoc etiam habetur, nullum esse possibile peccatum infinitæ malitiæ; quia semper est possibile majus, aut gravius: quod ulterius confirmatur sic. Gravitatis peccati etiam commensuratur cognitioni bonitatis Divinæ offensæ: atqui nulla cognitio creata est tanta, ut non possit dari major: ergo prob. ma. qui nullo modo cognoscit, DEUM per actionem suam offendi, non peccat: qui id tantum imperfectè cognoscit, ut in semisomno, non peccat mortaliter: qui magis cognoscit, magis peccat: ergo malitia peccati etiam commensuratur cognitioni.

295. Respondent adversarij 1. peccatum esse infinitæ malitiæ, quatenus involvit DEUM pro forma physica, vel morali: simul distinguunt inter *offensam affectivam*, & *effectivam* DEI: illa, ajunt, est affectus offendendi DEUM, nec tamen DEUM verè offendit, nec est infinita: hæc verò est effectus, quo DEUS verè offenditur, ac est infinita. Sed imprimis hæc distinctio est frustranea; nam omnis offensæ affectiva DEI est simul effectiva; aliàs enim non peccaremus ex conscientia erronea, ex qua facimus, quod est materialiter bonum, sed, cum distamine, quod sit malum. Ratio ulterior est. Omnis affectus graviter peccaminosus, quem scilicet elicimus cum advertentia ad malitiam gravem, graviter DEO displicet, & tam bene effectivè DEUM offendit, quam aliud peccatum; quia etiam hic affectus contrarius est voluntati Divinæ graviter obliganti.

296. Dein falsum est, quod peccatum involvat DEUM, tanquam formam; nam tantum respicit illum, tanquam terminum. Prob. hoc. Peccatum stat in actu, factum cum advertentia ad legem DEI graviter prohibentem, vel in omissione, cum advertentia ad legem graviter præcipientem: neutrum involvit DEUM pro forma: ergo majorem si negent adversarij, probent plus requiri. mi. videtur patere; unde S. Thomas q. 2. de malo n. 9. ad 5. ait: *Peccatum essentialiter finitum est, licet habeat aliquam habitudinem ad bonum infinitum.* & 3. p. q. 1. n. 2. ad 2. ait: *Peccatum contra DEUM commissum quandam infinitatem habet ex infinitate Divinæ majestatis.*

Ubi notandum, quod dicat *quandam infinitatem*, hoc est, *secundum quid*, ratione termini, quem respicit, scilicet ratione majestatis Divinæ. Hinc non est paritas inter meritum Christi, quod constituitur per dignitatem Verbi, & inter peccatum; nam Verbum est physicè unitum humanitati, & constituit cum ea unum suppositum, cui actiones tribuuntur: & à quo significantur: insuper Verbum immediate constituit meritum actionis, ut inferius dicemus: nihil tale est in peccato; nec enim peccans est unitus DEO, sed tantum cognoscit DEUM: neque suppositum Divinum constituit peccatum.

Dices. DEUS constituit actum primum proximum ad peccatum, adeoque (juxta sententiam adstruentium libertatem actui extrinsecam, quam etiam tradidit *tract. de act. hum. à n. 127.*) DEUS constituit libertatem peccati: sed libertas peccati intrinsecè constituit peccatum: ergo. Resp. om. ma. (nam dignitas DEI formaliter sumpta non constituit actum primum proximum ad peccatum, sed tantum ejus cognitio) dist. mi. libertas constituit peccatum, quidditative, vel concretivè sumptum, conc. mi. denominativè sumptum, seu id, quod denominatur malum. neg. mi. & conf. Illud, quod denominatur malum, est sola actio libera, & difformis præcepto: hæc autem non constituitur ex DEO. Potest quidem omiti, quod peccatum ut liberum, concretivè, seu quidditative acceptum, dicat ipsum DEUM, sicut actus ut difformis legi dicit etiam ipsam legem: sed peccatum ut liberum concretivè, vel quidditative acceptum non est totaliter malum, sed tantum partialiter, seu secundum unam tantum partem, quæ pars non constituitur ex DEO, vide *tract. de virt. Theol. à n. 13.*

297. Ulterius, dato, & non concesso, quod DEUS, seu dignitas DEI, sit forma peccati, seu offensæ, non reddit tamen peccatum infinitè grave, sicut ipsa est in se infinita; aliàs enim omnia peccata essent æqualiter gravia, sicut omnia merita Christi sunt æqualia, (ut bene urget Lugo de incarnat. disp. 5. sec. 3. n. 26.) quod dicitur non potest ex n. 294. Quare, ut ita dicam, DEUS, ut constituitur juxta adversarios peccatum, limitatur per cognitionem; qui enim nullo modo cognoscit, DEUM offendi per suum actum, nullo modo peccat, & qui tantum cognoscit, vel apprehendit, DEUM leviter offendi, vel etiam, qui id cognoscit tam imperfectè, ut tantum sequatur semideliberatus affectus, tantum venialiter peccat, ut *ibidem* dictum: adeoque saltem pro diversitate cognitionis, etiam DEUS diversimodè est forma peccati, seu diversimodè constituit peccatum: cum igitur cognitio creata semper sit limitata, semper etiam DEUS tantum limitatè constituit peccatum, ut adeo hoc semper sit finitum. Confirm. DEO magis displicet unum peccatum, quam alterum, e.g. odium formale DEI magis ei displicet, quam cogitatio impura: ergo unum peccatum est majus altero, adeoque DEUS non omnia æqualiter constituit: ergo ea constituit diversimodè pro varietate cognitionis, & obsectorum: quæ, cum semper sint limitata, etiam DEUS semper constituit peccatum modo limitato.

298. Respondent alij 2. peccatum mortale quodlibet affectivè destruere DEUM: hoc autem esse malum infinitum. Sed contra est. Hoc non est verum de omni peccato: imò peccator sæpe vult, DEUM extirpare; cum sine ipso nihil posset agere. Accedit, quod sine destructione DEI (scilicet peccator possit suum finem assequi: ergo nec æquivalenter vult destructionem DEI. Unde

Unde, quando concionatores, vel asceta, similia dicunt, de quovis gravi peccato, intelligi debent in sensu valde lato, quatenus scilicet peccatum gravissimum injuriam DEO infert, dum eum quasi spoliat prædicato ultimi finis, atque ipsi, & ejus amicitia; hic, & nunc, aliam rem præfert: qua ratione in sensu aliquo latiore destruit in DEO rationem ultimi finis, & sic aliquo modo ipsum DEUM.

Adde, quod etiam actus, quo quis formaliter vellet DEUM destruere, tamen non esset infinitæ malitiæ; quia tantum esset affectiva destructio DEI, & limitaretur hic actus à limitata cognitione: sicut etiam actus volens occidere infinitos homines, non est infinitus: & vicissim actus charitatis volens, quantum est in se, DEUM ponere, etque tribuere rationem ultimi finis, etiam non est infinitus.

Nec dicas, non posse aliter explicari, quomodo malitia offensæ mortalis sit major quolibet obsequio, à pura creatura exhibitio; nam hoc inferius explicabimus absque eo, quod DEUS sit forma peccati: scilicet ex eo, quod offensæ creata ex dignitate offensi: econtra obsequium decricat ex dignitate honorati. Dein, sicut actus charitatis est æstimator, quam actus fidei, non ex eo, quod bonitas Divina sit forma illius, & non hujus (nam neutrius est forma; aliàs, sicut forma actus charitatis esset bonitas DEI, ita forma actus fidei esset veritas DEI, bonitati æqualis) sed ex alio capite, nempe ratione motivi, vel perfectioris, vel perfectius acti: aut ratione intentionis, vel modi tendendi: ita etiam potest esse peccatum in suo genere gravius, quam quodvis obsequium DEO exhibitum, quin DEUS sit forma illius.

299. Respondent alij 3. saltem vilitatem peccantis esse infinitam, & hanc esse formam peccati, consequenter ipsum peccatum esse infinitum, ratione istius vilitatis. Sed contra est. Si vilitas intrinseca cujusque creaturæ est infinita, non potest una creatura esse imperfectior altera, nisi dicatur, unum infinitum esse majus altero, quod est absurdum. Directè respondeo, vilitatem esse duplicem. Una est *vilitas intrinseca*, altera *extrinseca*. Prior, seu *vilitas intrinseca* sunt prædicata ipsius creaturæ: & hæc non sunt infinitè vilia; quia semper possunt dari creaturæ viliores; unde, quamvis omittatur, quod hæc vilitas constituat peccatum, tamen istud ex hoc capite non erit infinitum. Altera, seu *vilitas extrinseca* est negatio pura perfectionum infinitarum, quæ dantur in DEO, & non in creatura: hæc vilitas autem non constituit peccatum; quia est aliquid prorsus extrinsecum peccanti: & aliàs etiam veniale peccatum esset infinitæ malitiæ; tum quia etiam peccans venialiter esset infinitè vilis; tum quia ipse actus ejus, utpote etiam habens negationem infinitarum perfectionum Divinarum, esset infinitè vilis.

R. P. Ant. Mayr Theol. Tom. II.

300. Dices. Ista vilitas constituitur ex comparatione creaturæ cum DEO, sive ex imperfectionibus creaturæ, & perfectionibus DEI: ergo est infinita. Resp. dist. ant. constituitur ex his ista vilitas quidditative sumpta. conc. ant. denominativè sumpta. neg. ant. & conf. sicut scilicet musca minor elephante constituitur etiam ex magnitudine elephantis, sed tantum quidditative, non verò denominativè sumpta. At vilitas quidditative sumpta non constituit offensam, sed ad summum eam constituit vilitas denominativè sumpta.

Alij negant, quod vilitas ista, etiam tantum denominativè sumpta, constituat offensam, quod probant sic. Offensa stat in actu ipso peccaminoso, facti cū advertentia ad dignitatem offensi, vel cū cognitione istius: non autem stat in actu, facti cum advertentia ad indignitatem, seu vilitatem offendentis: ergo. Supponunt autem, offensam per se non fieri cum advertentia ad indignitatem offendentis; nam potest utique contingere, ut quis ad hanc se reflectat: quo casu tamen vilitas influeret, non ut est in se, sed ut est per cognitionem limitatam, sicut dictum est de dignitate DEI n. 297. Sed neque major æstimator offensæ facta à viliori, nisi quatenus ex vilitate offendentis arguitur major respectivè dignitas offensi.

ARTICULUS II.

Solvuntur Objectiones.

301. **O**B 1. Honor stat in honorante: ergo etiam offensam stat in offenso: ergo DEUS offensam constituit offensam. Confirm. DEUS est subjectum morale offensæ: ergo est forma ejusdem, eamque constituit. Resp. neg. utramque conf. Axioma illud tantum significat, quod honor etiam perficiat honorantem; quia ostendit, ipsum laudabiliter agere: nil tale est in offensæ respectu offensi, & adhuc minus offensus constituit offensam, sed tantum eam moraliter recipit. Ad confirm. neg. conseq. Materia etiam est subjectum animæ, & quidem physicum; non tamen est forma animæ, nec animam constituit. Per subjectum morale autem hic aliud intelligi non potest, quam, quod DEUS sit id, in quod tendit peccatum, seu sit id, quod per peccatum inhonoratur.

302. Ob. 2. Licet DEUS ut constituens offensam suo modo limitetur à cognitione, tamen adhuc offensam reddit infinitam: ergo ruunt dicta n. 297. prob. ant. cognitio limitans DEUM, est in ordine inferiori ad DEUM ita limitatum: ergo potest DEUS, adhuc ut constituens offensam, manere infinitus. prob. ant. cognitio illa est indifferens, ut conjungatur cum offensæ, & sit in ordine superiori: vel, ut conjungatur cum obsequio, & sit in ordine inferiori (nam obse-

obsequium erga DEUM est in longè inferiori ordine, quam sit offensã DEI) ergo.

Hæc obiectio satis obscure proponitur: ut autem declaratur, notandum, ante omne peccatum præcedere cognitionem, seu iudicium indifferens, quo proponitur bonum, & malum. Si jam homo faciat bonum, tunc facit aliquid in suo genere inferiori, quam, si faciat malum: sed interim cognitio manet eadem, nec ipsa in se est peccatum, nec bonum opus; unde gratis supponitur, quod cognitio, modò sit in ordine inferiori, modò in superiori: ad summum, complexum ex cognitione, & peccato, est aliquid superius: ex quo tamen non sequitur, quod cognitio seorsum sumpta sit superior.

In forma jam ad objectionem neg. ant. ad prob. conc. ant. & neg. conf. hoc enim nihil aliud est dicere, quam, quod iudicium indifferens sit in inferiori ordine, quam sit peccatum, cuius (ut n. 297. omifimus) DEUS ut limitatus est aliquo modo forma: sive est dicere, quod hoc complexum, DEUS ut cognitus constituitur peccatum, sit aliquid amplius, seu superius solo iudicio indifferente: ex quo minimè sequitur, DEUM constituentem peccatum esse infinitum; qualis enim est hæc sequela? Est aliquid superius: ergo est infinitum, ad prob. 2. antecedentis neg. ant. quia cognitio in se manet eadem quamvis complexum ex cognitione, DEO, & peccato sit aliquid superius complexo ex eadem cognitione, DEO, & obsequio. conf. etiam est nulla, ut patet consideranti.

Dices 1. Limitatio cognitionis non impedit, quo minus DEUS, ut constituens peccatum, sit in ordine superiori: ergo neque impedit, quo minus maneat infinitus. Resp. neg. conseq. nam, quamvis limitatio creatæ cognitionis non excludat lineam superiorem in genere finito, tamen excludit infinitatem: & in hoc stat proportio, ut vocatur, geometrica, ut DEUS extra lineam infinitam, ut ita dicam, extrahatur: econtra verò actus offensivus ratione DEI attollatur; qui actus longè esset inferior, si non tenderet in DEUM: juxta adversarios autem esset proportio omnino arithmetica, & omnia peccata essent æqualia, quod est falsum. Cui hæc solutio videtur difficilior, potest expeditius negare suppositum, ex dictis n. 296. & dicere, quod DEUS nullo modo offensam constituat.

Dices 2. Actiones Christi, licet in se sint finitæ, & limitentur ab essentia sua, tanquam actiones creatæ, tamen redduntur infinitæ à Verbo: ergo etiam DEUS, licet limitetur per cognitionem, tamen potest adhuc ut infinitus constituere peccatum, illudque infinitum reddere. Resp. neg. suppositum. Actiones Christi in abstracto, sive præcisè in se spectatæ, semper manent finitæ: at ipsæ non sunt totum meritum, ut infra dicemus: sed alterum constitutum meriti est etiam Verbum, & quidem constitutum ipsi merito intrinsecum. Nec tantum constituit merita Verbum ut cognitum (sicut tamen ad summum potest dici DEUS

ut cognitum constituere peccatum) sed per se immediatè; unde non est, à quo limitetur infinitas meritorum. At verò per cognitionem finitam sufficienter limitatur DEUS, qui non nisi ad mensuram cognitionis peccatum constituit, ut dictum n. 297. si tamen DEUS peccatum constituat; hoc enim facilius negatur, quam probetur, ut dictum n. 296.

303. Ob. 3. Gravitas offensæ crescit ex dignitate offensæ: sed DEUS offensus est infinitus: ergo offensæ DEI crescit in infinitum. Confirm. 1. Offensæ DEI superat offensas hominum, quantum DEUS superat homines: sed DEUS superat homines infinitè: ergo etiam offensæ DEI superat offensas hominum infinitè, adeoque est infinita. Confirm. 2. Si essent personæ perfectiores, & perfectiores in infinitum, tunc etiam offensæ illarum essent graviores, & graviores in infinitum: sed offensæ DEI superat gravitate sua omnes illas offensas: ergo est gravior in infinitum. Hoc argumentum vocatur calculatorium, & utique est molestum: retorqueri tamen potest clarè in actu amoris DEI. Actus amoris etiam crescit ex dignitate amati: sed DEUS amatus est infinitus: ergo actus amoris DEI crescit in infinitum.

In forma. dist. ma. gravitas offensæ crescit proportione arithmetica. neg. ma. proportione, ut vocant, geometrica. conc. ma. & conc. mi. neg. conseq. *Proportio arithmetica* hic vocatur, quæ est æqualis, ita, ut, si unum crescat uno gradu, vel duobus, etiam alterum crescat uno, vel duobus gradibus: e. g. si statura hominis crevit palmo, etiam vestis palmo crescere debet. *Proportio geometrica* videtur hic sumi in alio sensu, quam eam sumant mathematici, & juxta hos proportio, à Theologis dicta geometrica, fortè deberet dici *irrationalis*, seu *incommensurabilis*, & datur tunc, quando crescente uno crescit quidem etiam alterum, sed non certa proportione, nec ita, ut una tantum crescat in suo genere, quantum alterum in suo, sed tantum aliquo augmento, ut ita dicam, *incommensurabilis*: sic crescente perfectione objecti crescit etiam perfectio cognitionis, sed non eadem proportione; nec enim cognitio, qua cognosco Petrum, est tanto perfectior altera cognitione, qua cognosco canem, quanto Petrus est perfectior cane: sed illa cognitio tantum aliquo modo *incommensurabilis* perfectior est. Pariter etiam offensæ quidem crescit ex dignitate offensæ: nunquam tamen ita, ut commensuratur infinito DEO, sed ita, ut semper maneat in linea inferiori finita.

304. Ad 1. confirm. neg. ma. ex modò dictis. Ad 2. confirm. retorq. 1. argumentum in amore erga istas personas, ac DEUM. Resp. 2. neg. suppositum, quod sint possibiles semper perfectiores, & perfectiores personæ, ita, ut aliquando actu exituræ sint infinitæ, sed semper manebunt finitæ. Pariter etiam offensæ talium personarum manebunt finitæ; alias, cum etiam possibiles sint creaturæ perfectiores, & perfectiores homine,

syncategorematicè in infinitum, quin attingant e. g. speciem supremam Angelorum, etiam offensæ Angeli ex illa specie esset infinita, quod nec adversarii admittent.

Resp. 3. dist. ma. offensæ illarum personarum essent graviores in infinitum categorématicè, ita, ut actu detur infinita gravitas, neg. ma. syncategorematicè tantum, ita ut superarent quidem offensas omnes præcedentes, sed tamen semper sistendo in gravitate tantum finita, quamvis ulterius augibili. conc. ma. & conc. mi. neg. conf. Ex hoc autem tantum sequitur, quod tales offensæ talium personarum superent gravitate offensas reipsa finitas, & sint in ordine superiori, sèquè habeant ut homo ad infinitas creaturas possibiles inferiores. Sanè, sicut homo non est infinitè perfectus, sed tantum in superiori ordine, e. g. respectu equi, licet inter equum, & hominem, sint possibiles creaturæ perfectiores, & perfectiores, syncategorematicè infinitæ, ita neque sunt infinitæ tales offensæ. Eodem autem modo offensæ DEI est quidem major omnibus offensis omnium creaturarum, seu est in ordine adhuc superiore: at non est infinita; longè enim aliud est, esse tantum in ordine superiori, quam esse infinitè perfectum, vel imperfectum, ut notum est ex philosophia.

305. Ob. 4. Peccatum mortale meretur pœnam infinitam: ergo etiam ipsum est infinitum. prob. conf. causa effectus infiniti debet esse infinita: ergo. Resp. 1. retorq. arg. opus bonum meretur præmium infinitum, scilicet beatitudinem æternam: ergo etiam debet esse infinitum. Ait quidem Hurtadus, nos non mereri ipsam æternitatem beatitudinis; cum non mereamur perseverantiam, cui annexa est æternitas beatitudinis: sed rectè respondet Haunoldus l. 4. tr. 1. n. 6, nos non minus mereri conditionatè æternitatem gloriæ, quam pœnæ; nam etiam tantum perseverantiam in malo est annexa pœna æterna. Dein perseverantia in bono, quatenus tantum dicit negationem aversionis à DEO, & conversionis ad malum, nil meretur, nec etiam præmiatur: quatenus autem dicit continuationem operum meritoriorum, dicit nostra merita, & istam æterno præmio remuneratur DEUS: certè Tridentinum clarè dicit, nos mereri vitam æternam.

Retorq. 2. arg. Angelus, & anima rationalis exigunt durationem infinitam, & tamen non sunt entia infinita: item anima rationalis est finita, & tamen producit peccatum infinitum: ergo effectus infinitus non exigit semper causam infinitam. in forma om. ant. & neg. conf. Dixi: om. ant. quia potest negari, quod pœna inferni sit simpliciter infinita; quia in intensione est finita: in duratione est tantum syncategorematicè infinita.

306. Rationem ulteriorem negandi conseq. dat Gormaz de incarn. n. 36. istam, nempe quod causa moralis, qualis est peccatum, operetur per suam vim moralem, seu compensabilitatem: offensæ autem DEI

nequit compensari à creatura, nisi per pœnam in duratione syncategorematicè infinitam; quia nulla pœna, satisfactio, vel satisfactio finita potest à creatura poni æqualis offensæ DEI, ut infra dicemus; unde semper manet adhuc aliquid solvendum de pœna, & quidem per totam æternitatem.

Nec dicas, omnipotentiam DEI, etsi non possit producere effectus categorématicè infinitos, sed tantum syncategorematicè infinitos, tamen esse infinitam: adeoque etiam peccatum, etsi non mereatur pœnam categorématicè, sed tantum syncategorematicè infinitam, tamen fore malitiæ infinitæ; nam aliter se res habet in omnipotentia DEI, quæ est causa physica omnium effectuum, & omnes effectus creatos continet modo infinito; quia ipsa est intrinsecè prædicatum infinitum, & se ipsa independenter ab omni causa superiore omnia potest operari, & propterea est infinita: non autem est infinita, quia tantum potest producere syncategorematicè infinita; nam etiam Angeli, & animæ immortales, possunt effectus syncategorematicè infinitos producere, quin sint infinitæ potentia; eoquod suos effectus tantum continent modo finito.

307. Ex occasione hinc addo ex Cardinale de Lugo de incarnat. disp. 5. sec. 3. n. 26. infinitum indivisibile in perfectione (vel malitia) esse illud, quo majus excogitari non potest; cum enim tale infinitum partes non habeat, non potest ejus infinitudo desumi ex carentia finis, seu termini intrinseci, sicut id fieri posset in infinito quantitatis divisibili, si daretur: sed debet infinitudo infiniti indivisibilis desumi ex carentia etiam termini extrinseci, ita, ut nulla sit excogitabilis perfectio alia distincta major in ea linea, in qua aliquid indivisibile infinitè perfectum est. Et sic quælibet perfectio Divina est infinita, & quodlibet meritum Christi est infinitum; quia in ratione e. g. potentia producendi, nulla est excogitabilis major perfectio, quam sit omnipotentia: & pariter in ratione meriti nihil est excogitabile majus, quam meritum Christi. Par est ratio de infinitudine imperfectionis vel malitiæ; nam & ista exigit, ut non sit excogitabilis major imperfectio, vel malitia: & hinc, quia quovis peccato excogitabile est aliud majus in malitia, nullum est malitiæ infinitæ.

308. Dices. Satisfactio Christi, quia satisfecit pro peccatis syncategorematicè infinitis, est infinita: ergo etiam debitum, seu reatus pœnæ syncategorematicè infinitæ, est infinitus. Confirm. Satisfactio Christi, non tantum debuit esse in ordine superiori, sed infinita: ergo etiam peccatum non tantum est in ordine superiori, sed est infinitum. Resp. neg. ant. alias etiam Angelus, potens producere actus syncategorematicè infinitos, esset infinitus; unde causalis quia non est vera: sed ideo satisfactio Christi fuit infinita; quia constitutebatur ex dignitate infinita Verbi, de qua re infra.

Ad. confirm. neg. ant. non enim ob
M 2 exigentia

exigentiam peccati, seu ejus infinitudinem, debuit satisfactio pro ipso esse infinita; si enim aliqua finita potuisset esse in ordine æquali cum offensa DEI, ista sufficiens fuisset: at nulla satisfactio creata potuit esse in eodem ordine cum offensa DEI, vel huic æqualis, ut probabitur infra à n. 317. adeoque necessaria fuit satisfactio DEI-hominis: quæ cum necessariò sit infinita, quasi per accidens necessaria fuit satisfactio superabundans, seu infinita. videatur Gormaz de incarnat. n. 369. & 370.

309. Ob. 5. DEUS per quodlibet peccatum offenditur, quantum offendibilis est: ergo infinite. prob. ant. per quodlibet peccatum tollitur à DEO ratio ultimi finis: sed non potest DEUS magis offendi: ergo. Confirm. Peccatum est affectiva destructio DEI: sed destructio rei est tam mala, quam bona est res destructa: ergo peccatum est tam malum, quam bonus est DEUS: ergo est infinite malum. Resp. sic etiam DEUS amaretur infinite per actum charitatis; quia per hunc homo DEO vult rationem ultimi finis. in forma neg. ant. ad prob. dist. ma. tollitur ratio ultimi finis magis, vel minus intense, vel ex peiore, aut minus malo motivo &c. conc. ma. semper eadem intensione, & ex eodem motivo &c. neg. ma. & dist. sic mi. neg. conseq.

Ad confirm. neg. ma. ex n. 298. & etiam neg. mi. nam affectiva tantum destructio DEI limitatur ex cognitione. Dein destructio rei potest aliquando esse majus malum, quam bonum sit res destructa: sic peccatum est majus malum, quam bonum sit gratia, per id destructa: econtra quando gratia destruit peccatum, tunc destructio est minus bonum, quam malum sit res destructa; unde non debent esse æqualia, & minime debent esse æquales, DEUS, & destructio tantum affectiva DEI: sicut affectiva positio DEI, sive dilectio charitatis, etiam juxta adversarios non est tam bona, quam bonus est DEUS.

310. Ob. 6. Peccatum mortale quodlibet meretur privationem unionis hypostaticæ, beatitudinis cujuscunque possibilis infinitæ, ac bonorum infinitorum: ergo est infinitæ malitiæ. Hoc argumentum iterum est solvendum adversarijs; nam etiam peccatum veniale est impossibile cum unionem hypostaticam, ac beatitudine, quamdiu non remittitur. in forma neg. ant. Peccatum mortale meretur pœnam: at privatio unionis hypostaticæ non est pœna; nam illa tantum privatio est pœna, quæ privat bono debito, quod aliquis haberet, si non peccasset: talis non est privatio unionis hypostaticæ; aliàs B. Virgo pareretur pœnam ineffabilem.

Dices 1. Peccatum mortale saltem privat beatitudine infinita: ergo. Resp. neg. conf. Hac ratione etiam mericum erit infinitum; quia beatitudinem illam meretur: item peccatum veniale etiam erit infinitum; quia impossibile est cum beatitudine. Dein negari potest, beatitudinem esse simpliciter infinitam; quia, licet DEUS, qui est

objectum beatificum, sit infinitus, tamen ejus possessio est tantum finita, quamvis sit sine fine duratura, ita Haunoldus l. 4. tr. 1. n. 30. & alij.

Quodsi etiam dicas, peccatum mortale mereri annihilationem peccantis, etiam ista non esset infinitum malum; quia esset tantum destructio rei finitæ. Addo, carentiam boni non esse tantum malum, quantum est bonum, quo caretur, nisi habeatur jus ad illud bonum, aut absolutè (ut in statu puræ naturæ haberet homo ad beatitudinem naturalem) aut ex suppositione, quod alterum non possit haberi, & hoc sit supplementum illius alterius: qua ratione homo nunc habet jus, vel exigentiam ad beatitudinem supernaturalem; & hinc istius carentia videtur damnata esse tam mala, quam ipsa beatitudo est bona: vel certè, si ista carentia non est omnino tam mala, est saltem tam mala, quam illicet reddidit carentem.

Dices 2. Deberet priùs eligi carentia unionis hypostaticæ, & beatitudinis infinitæ, quam eligi tur patratio peccati mortalis: ergo hoc est majus in sua linea malum, quam omnia alia in sua linea sint bona: adeoque est infinitum malum. Resp. 1. iterum retorquendo argumentum in peccato veniali. in forma neg. conf. Ex eo, quod peccatum sit minus eligibile, quam carentia omnium illorum bonorum, non sequitur, quod sit majus malum: sed tantum sequitur, quod DEUS semper habeat jus ad illud prohibendum, illudque actu prohibeat. Sic, etiam si per leve mendacium possem impedire longè majora peccata, non licet mentiri, sed deo potius illa permittere, quamvis sint longè peiora.

ARTICULUS III.

An Pura Creatura possit condignè satisfacere pro Peccato Mortali, vel Veniali.

311. **S**upposita priore sententia, quæ dictum est, malitiam peccati mortalis non esse infinitam, queritur ulterius, an non pro finita offensa potuisset pura creatura satisfacere de condigno, ponendo satisfactionem in suo genere tantam, quanta in suo genere fuit offensa: vel an necessaria fuerit, ad habendam condignam satisfactionem incarnationis Filij DEI. Ubi tamen nota, per incarnationem latè sumptam hic intelligi assumptionem cujuslibet naturæ creatæ rationalis; nam, si Verbum voluisset assumere naturam Angelicam, in ea quoque potuisset mereri: quin etiam pati, non quidem sensibiliter; cum non habuisset tunc corpus: sed tamen spiritualiter, quo modo etiam potest pati Angelus, ut patet in demonibus. Queritur autem de satisfactione condigna, seu, ut vocant, de condigno, sive, quæ sit æqualis offensa: non de congrua tantum, sive de congruo, quæ non esset æqualis offensa, sed tantum talis, ut eâ posita aliquo modo deceret summum bonum, & liberissimum DEUM, offensam condonare: quamvis,

An Pura Creatura possit condignè satisfacere pro Peccato Mortali, vel Veniali 93

vis, si nollet id facere, ex nullo capite deberet.

312. Notandum hæc discrimen inter offensas. Alia est *offensa latè sumpta, sive realis*, quando alicui datum infertur in bonis realibus, e. g. per furtum. Alia autem est *offensa strictè sumpta, sive personalis*, quando alicui in honore. Honor autem est exhibitio reverentiæ, vel professio excellentiæ alterius; hinc *inhonoratio* committitur, quando quis irreverenter se gerit erga aliquem, non exhibendo ei debitam reverentiam, vel eum positivè contemnendo: qua ratione tollit quasi professionem excellentiæ alterius, & contrarium quasi profertur.

Convenit quidem sæpe utraque hæc offensa in unam, e. g. quando fit rapina, seu aperta spoliatio justii possessoris, per vim aperta, personæ ipsius illatam: est tamen inter eas magnum discrimen; offensa enim realis, sive facta in bonis fortunæ, non crescit ex dignitate personæ offensa; sive enim regi, sive rustico fuerit centum florenos, utriusque satisfactio, si restitutas eosdem centum. Et par etiam est ratio (ait Gormaz de incarnat. n. 270.) in bonis famæ; quia cuique debet restitui fama, & non aliud.

313. At verò offensa strictè sumpta, sive personalis, crescit ex dignitate personæ offensa, ita, ut, quanto excedit dignitas personæ offensa statum personæ offendentis, tanto major sit offensa. Certè res hæc à posteriori est lumine naturæ clara; longè enim major offensa est, si rusticus alapam indiget regi, quam alteri rustico: & minor est offensa, si rex percussit rusticum, quam si unus rusticus alterum. Hinc Aristoteles 5. ethic. c. 5. ait: *Si magistratum quis gerens percusserit, reperciendus non est: si autem magistratum gerentem quis percusserit, non solum est percipiendus, sed supplicio insuper afficiendus.* & S. Thomas 3. p. q. 1. a. 2. ad 2. ait: *Tanto enim offensa est gravior, quanto major est ille, in quem delinquitur.*

314. Rationem à priori discriminis hujus inter offensas, realem, ac personalem, dat Gormaz de incarnat. n. 271. Injuria, ait, seu offensa in bonis fortunæ, attingit tantum bona externa: offensa in bonis famæ tantum attingit opinionem aliorum, quæ sunt aliquid extrinsecum offenso, & distinctum à dignitate ejusdem: adeoque hæc offensa non crescit crescente dignitate offensis: at verò offensa in honore, seu inhonoratio, attingit ipsam immediatè dignitatem personæ, quæ est bonum, moraliter saltem intrinsecum offenso: adeoque hæc offensa attingit immediatè personam offensi, ejusque dignitatem, & consequenter crescente dignitate etiam ipsa crescit. Hæc ratio bona est, servitque pro aliqua explicatione rationis superioris, à posteriori datæ, quæ sola sufficientissima est.

Sicut autem offensa crescit ex dignitate offensis, ita obsequium (& consequenter etiam meritum, atque satisfactio, quæ nihil est aliud, quam obsequium meritorium, exhibitum in compensationem offensa) decrevit ex digni-

tate ejus, cui obsequium fit. Hoc iterum est cuius à posteriori notum; longè enim minus æstimatur obsequium rustici erga regem, quam regis unius erga alterum, aut etiam regis erga rusticum. Sic, quod rusticus regi obviam eat, parum putatur: at multum, si unus rex alteri: & plurimum, si rex subdito suo obviam eat, vel eum invadat.

315. Notandum ulterius, res ordinis, seu lineæ inferioris, sive inferioris speciei, aut generis, etsi in infinitum multiplicentur, non posse adæquare res superioris, vel altioris lineæ, speciei, vel generis: sic infinita peccata venialia non adæquant unum mortale; non enim illa unquam puniuntur pœnâ inferni: sic etiam infinita opera naturalia non adæquant unum supernaturale; quia nullum præmiū cœlestis possunt mereri: sic infiniti lapides non adæquant equum: nec infiniti equi unum hominem; multitudo enim non auget dignitatem, sed numerum in eadem linea.

Quod autem aliquando superiora commutentur cum inferioribus, e. g. equus, vel etiam homo, cum pecunijs, non probat, ea esse æqualia quoad dignitatem, sed tantum quoad utilitatem, quæ in his commutationibus potissimum attenditur; unde, cum æquè sint utiles, e. g. centum floreni ad emenda varia, quam sit equus, hic illis commutatur: imò etiam homo, quamvis majoris sit dignitatis.

316. Jam peccatum mortale continet in se offensam DEI personalem strictè sumptam, seu personalem inhonoratorem; nam dicitur in Scripturis DEUS sperni per peccata gravia: sic queritur DEUS *Isaia 1. v. 2. Filios enutrivit, & exaltavit, ipsi autem spreverunt me.* & ad Hebr. 10. v. 29. *scribit Apostolus: Quanto magis putatis, deteriora mereri supplicia, qui Filium DEI conculcaverit, & sanguinem testamenti pollutum duxerit, in quo sanctificatus est, & spiritui gratia contumeliam fecerit.* ubi sermo est de gravibus peccatoribus.

Dein per quodcumque peccatum grave postponitur DEI præsentis, & inspectantis, amicitia, voluntas, præceptum, & quod bene agentibus promittit, præmiū, quodque malè agentibus minatur, supplicium, ac inimicitia, ista, inquam, postponuntur voluntati malæ creatæ, ac bonis creatis, averiturque peccans à DEO præsentem ad creaturam: quod utique est vilipendere ejus dignitatem, & excellentiam: certè, si simile quid fiat regi terreno, præsentem, & inspectantem, nemo dubitat, eum inhonorari. His positis

317. Dico 1. cum S. Thoma 3. p. q. 1. a. 2. in corp. & Thomistis omnibus, item cum S. Bonaventura in 3. dist. 20. a. 1. q. 3. Suarez tom. 1. in 3. p. disp. 4. sec. 7. §. Dico secundo. Valquez, ac nostris communissimè. Nulla pura creatura potest DEO condignè satisfacere pro peccato mortali: adeoque ad hoc fuit necessaria incarnatio, saltem latè dicta, hoc est, unio DEI cum natura rationali creatæ. Probatur conclusio 1. ex SS. Patribus. S. Leo serm. 1. de natiuit. Domini ait: *Nisi enim esset verus DEUS, non adferret remedium: nisi esset homo verus, non preberet curam.*

exemplum. & serm. 12. de passione: Quia ergo primi hominis universa posteritas uno simul vulnere sauciata corruerat, nec ulla Sanctorum merita conditionem poterant illatae mortis vincere, venit à caelo medicus singularis.

S. Augustinus in enchyrid. c. 108. sic habet: Neque per ipsum liberaremur unum mediatorem DEI, & hominum, Christum Jesum, nisi esset & DEUS. S. Basilius homil. in psalm. 48. & illa verba v. 8. Frater non redimit, redimet homo: sic scribit: Neque enim fratrem in redemptionem quarit, sed unum aliquem, qui nostram exuperet naturam. Non item hominem nudum, sed hominem DEUM Jesum Christum, qui solus pro nobis omnibus DEO propitiationem dare potest. S. Athanasius de passione, & cruce Domini, longè ante medium, de Christo ait: Sed, cum videret malitiam intolerabilem, neque mortale genus idoneum esse, quod morti resisteret, neque poenam suorum malorum persolvere posse &c. S. Cyrillus Alexandrinus de recta fide ad reginas. cap. vel §. cui titulus. Quod redempti sumus, & conciliati. sic scribit: Jam quomodo non DEUS Christus, sapientiam, & sanctificationem, & redemptionem nobis largiens? & cap. seq. Sed, si quidem ut homo communis intelligeretur Christus, quomodo corpus ejus ad rependendam omnium vitam sufficeret? At, si DEUS fuit in carne, qui dignissimus, sufficiens ad redemptionem totius mundi per suum sanguinem merito fuerit. videatur Valquez tom. 1. in 3. p. disp. 4. c. 3. ubi adhuc longè plura affert SS. Patrum testimonia, Cypriani, Irenæi, Fulgentij, & aliorum.

Non autem dici potest, SS. Patres tantum velle dicere, quòd pura creatura, hoc est, relicta in puris naturalibus, sine gratia supernaturali, non possit satisfacere; nam, etsi creatura habeat gratiam, etiam copiosissimam, non propterea est DEUS, nec habet Divinitatem, quam tamen SS. Patres requirunt in citatis textibus, ad condignam satisfactionem. Sed nec dici potest, SS. Patres tantum loqui de satisfactione superabundanti; cum enim loquantur de illa, qua indigemus, loquuntur de necessaria. Nec enim loquuntur de satisfactione ex justitia rigorosa; est enim valde dubium, an illa etiam à Christo potuerit dari: nec auctores, qui eam adstruunt, ex his textibus opinionem suam probant: nec SS. Patres justitiam faciunt mentionem, sed tantum loquuntur de satisfactione simpliciter tali, seu condigna.

318. Probatur conclusio 2. ratione. Satisfactio condigna debet esse tam æstimabilis in ratione obsequij, quam æstimabilis est offensa in ratione offensa: sed talis satisfactio non potest haberi à pura creatura, respectu DEI graviter offensa: ergo, major est conceptus satisfactionis condignæ, ab omnibus administratus. mi. prob. obsequium creaturæ decrevit ex dignitate DEI, & e contra offensa DEI crevit ex eadem ratione, ut explicatum n. 313. & 314. ergo nunquam possunt coæquiari; quia, quantum offensa crevit, tantum

obsequium decrevit. Confirm. 1. Infinita etiam obsequia creaturarum sunt quasi nihil respectu excellentiæ, & dignitatis Divinæ, quæ est simpliciter infinita; nam ex lumine naturæ statim patet, esse quid valde parvum, exhiberi obsequium infinitæ dignitati à creatura finita, & respectivè nihili æstimanda. E. contra ex eodem capite infinitæ dignitatis Divinæ patet, quòd quævis offensa DEI sit aliquid valde magnum; nam valde magnum est, infinitum DEUM offendi graviter à creatura, quæ respectu DEI est vilissimum quid, & vix non nihil: ergo obsequia creaturarum erga DEUM non possunt adæquare offensam, DEI.

Confirm. 2. Offensa gravis DEI est major, quam quævis offensa alterius creaturæ: & e contra obsequium præstitum DEO, etiam maximum, est longè minus respectu DEI, quam quodvis obsequium, etiam minimum, creaturæ exhibitum sit respectu istius, propter infinitam eminentiam DEI: sed non potest injuria gravis, alteri creaturæ illata, compensari per quodvis minimum obsequium: ergo nulla gravis offensa DEI potest compensari per obsequium etiam maximum cujusvis creaturæ. Confirm. 3. Juxta judicium prudentium, offensa DEI non minus excedit obsequium puræ creaturæ, quam actus supernaturalis actum naturalem: sed actus supernaturalis non potest adæquare in ratione meriti supernaturalis per quoscumque etiam intensos actus naturales: ergo nec peccatum per ullum obsequium ullius puræ creaturæ.

319. Sed quæri ulterius hinc potest, an licet pura creatura non possit satisfacere de condigno pro peccato mortali, possit tamen mereri de condigno remissionem ejusdem. Huic quæstioni occasionem dedit Ripalda tom. 2. de ente supernat. l. 4. disp. 96. sec. 4. n. 40. ubi asserit, posse justum mereri de condigno peccatori gratiam justificantem cum remissione peccati, cui, teste Gormaz de incarn. n. 304. consentiunt alij, sed sanè pauci. Volunt autem isti auctores, plus requiri ad satisfaciendum pro peccato, quam ad merendam ejus remissionem; differunt enim inter se (ajunt hi auctores) satisfactio, & meritum; nam illa exhibetur ab offendente, qui est debitor, & respicit offensam, atque, ut sit condigna, debet esse æqualis offensa: at verò meritum exhibetur à merente, qui est creditor: & ut sit condignum, debet tantum esse æquale præmio: ait autem Ripalda, non esse tam bonam remissionem peccati (quæ esset præmium meriti) quam malum sit ipsum peccatum: cujus assertionis rationes aliquas afferemus in objectionibus.

Docent autem hi auctores tantum, possibile esse in alia providentia, ut quis mereatur alteri remissionem peccati: non autem docent, id fieri posse in hac providentia; cum enim ex præsentì ordinatione Divina, & decreto DEI meritum justì totum impendatur in promerenda sibi ipsi de condigno gratia, & gloria, jam merens accipit condignam mercedem, & præmium, scilicet gratiam procedem, & meretur ulterius de

An Pura Creatura possit condignè satisfacere pro Peccato Mortali, vel Veniali. 95.

condigno etiam alienam: quid autem possit mereri de congruo dicemus n. 322. & 323.

320. Dico 2. cum Oviedo tr. 9. de merito. controu. 7. punct. 5. n. 58. Gormaz de incarnat. n. 305. & communiter aliis. Non potest creatura pura, etiam in alia providentia, mereri de condigno alteri remissionem gravium peccatorum. Non dico, non posse aliquem mereri in alia providentia alteri augmentum gratiæ; nam, ut Oviedo loc. cit. n. 60. habet, non videtur id repugnare; quòd enim justus nunc sibi soli de condigno possit mereri gratiam, videtur non aliunde haberi, quam ex ordinatione Divina: si igitur DEUS res aliter ordinaret, & non vellet ipsi merenti determinatè applicare præmium: sed relinqueret in merentis arbitrio, ut posset, vel sibi, vel alteri, vim meriti sui applicare, non videtur, cur non posset quic alteri jam justo mereri de condigno augmentum gratiæ: at non ita peccatori, in quo gratia simul sit remissio peccatorum.

321. Probatur conclusio 1. SS. Patres citati n. 317. absolute docent, non potuisse Christum nobis afferre remedium, nisi fuisset DEUS: sed hoc esset falsum in opposita sententia: ergo, ma. patet ex textibus ibi allatis. mi. est clara; quamvis enim, si Christus non fuisset DEUS, non potuisset, juxta hanc sententiam afferre remedium per viam satisfactionis, potuisset tamen id afferre per viam meriti.

Confirm. In peccatore peccatum resistit exigentiæ meriti, petentis remissionem: sed, ubi adest resistentia, requiritur tanta, vel major vis ad expellendum impedimentum, quanta est hujus resistentia: ergo meritum debet habere, saltem tantam vim, seu bonitatem, quantum habet resistentiam, seu malitiam peccati. ma. est clara. mi. videtur innegabilis: certè, si causa aliqua vult introducere aliquam formam in subiectum, debet habere tantam vim expellendi priorem formam, quantum vim habet ista resistendi; unde, quamvis concedatur, quòd quis alteri justo, qui non habet impedimentum, possit in alia providentia mereri augmentum gratiæ, ut docet Oviedo loc. cit. n. preced. non tamen sequitur, quòd etiam possit mereri gratiam peccatori.

322. Dico 3. Potest homo mereri de congruo remissionem peccati gravis. ita Suarez tom. 1. in 3. p. disp. 4. sec. 8. §. Dico quarto. Oviedo tr. 9. de merito. controu. 7. punct. 3. n. 42. Bellarminus, Valquez, & communis Theologorum, qui communiter admittunt, peccatorem, per actum perfectæ contritionis, mereri de congruo remissionem peccati. & Suarez loc. cit. docet, eum etiam imperfectè, seu (ut ait, alios loqui) de congruo satisfacere. Prob. conclusio 1. ex Patribus. S. Augustinus epist. 105. non valde longè ab initio ait: Sed nec ipsa remissio peccatorum sine aliquo merito est, si fides hanc impetrat; neque enim nullum est meritum fidei, qua fide ille dicebat: DEUS propitius esto mihi peccatori: & descen-

dit justificatus, merito fidelis humilitatis. S. Ambrosius l. 10. in Luc. 22. agens de lacrymis S. Petri ait: Lacryma veniam non postulant: & post pauca: Et tu, si veniam vis mereri, diluo culpam lacrymis tuis.

S. Thomas quoque in 4. dist. 15. q. 1. a. 2. in corp. ait, hominem posse imperfectè, seu secundum aliquam proportionem, scilicet imperfectam, & de congruo, satisfacere; sic enim habet: Unde non potest homo satisfacere, si ly satis aequalitatem quantitatis importet. Contingit autem, scilicet, ut satisfaciatur, si importet aequalitatem proportionis, ut dictum est: & hoc, sicut sufficit ad rationem justitiæ, ita sufficit ad rationem satisfactionis: ergo potest homo aliquod imperfectum meritum, vel imperfectam satisfactionem, ponere pro peccato, sicut, posuit publicanus, & S. Petrus poenitens: non tamen æqualem offensa, seu condignam.

323. Prob. conclusio 2. ratione. Per actum charitatis, quem homo potest elicere, præponit is DEUM omnibus, etiam sibi ipsi: item est paratus ad omnia DEO consecranda, ipsam quoque suam vitam, priusquam eum graviter denuo offendat: & hoc sine ullo respectu ad suum commodum, sed ex pura æstimatione dignitatis Divinæ, & affectu benevolentiae erga DEUM, atque ex dolore de commissa priore offensa: qua ratione facit homo, quantum DEUS ab ipso exigit: & quantum potest, reddit illi iterum rationem ultimi finis: ergo, licet iste actus non sit æqualis offensa, ut probatum est, tamen non est quasi prodigalitas in DEO, si propter talem actum offensam remittat: sed est congruum, ut imperfectæ illius actus exigentiæ se accomodet, ac injuriam remittat.

Multò magis autem potest homo justus alteri peccatori gravi mereri de congruo remissionem peccati, vel gratiam expulsivam peccati, ut probat Oviedo tract. 9. de merito. controu. 7. puncto 5. n. 57. & communiter asserunt doctores, dum docent, nos posse mereri de congruo omne id, quod cadit sub impetrationem: cadit autem sub istam conversio peccatorum, saltem, quæ fiat ordinario modo, ut scilicet à DEO efficaciter moti, se disponant ad gratiam, eamque deinde recipiant: quamquam hic effectus meriti non sit infallibilis, coïpso, quòd tantum ponatur esse meritum de congruo.

324. Dico 4. Potest probabilis homo justus, instructus gratiâ, condignè satisfacere pro peccato veniali, ita Suarez tom. 1. in 3. p. disp. 4. sec. 9. §. Dico tamen primo. citans etiam S. Thomam. Valquez tom. 1. in 3. p. disp. 3. c. 3. n. 16. Gormaz de incarn. n. 294. Lugo de incarn. disp. 5. sec. 7. n. 128. & hoc teste communis. Dixi, instructus gratiâ; nam carens gratiâ in hoc statu elevationis, seu peccator, & inimicus DEI, nihil potest præstare acceptum DEO, ita, ut acceptetur pro satisfactione: imò ratione peccati mortalis meretur, ut ejus actiones non ita acceptentur.

Si verò homo consideretur in statu purè naturali, Lugo *cit. disp. n. 132.* admittit, eum quidem physicè posse satisfacere pro veniali, non tamen moraliter: sed Suarez *cit. sec. 5. Prima ergo sententia.* omnino contrarius est ei opinioni, atque, eam esse *valde falsam.* Sed & Lugo *loc. cit. n. 134.* ait, DEUM in hac providentia, & statu naturæ lapsæ, non attendere ad actus tantum naturales. Verùm neque de tali homine nos loquimur, sed tantum de iusto gratiâ instructo, & pro suo proprio peccato veniali satisfaciende, non pro alieno; nam iterum Lugo *cit. disp. 5. sec. 8. n. 154.* putat, in hac providentia pro peccato veniali alieno satisfieri non posse, quem ibi vide. Loquimur autem de satisfactione pro reatu culpæ; nam pro reatu poenæ omnes concedunt, hominem iustum satisfacere posse.

325. Probatur conclusio ratione Suarezii. Peccatum veniale non est propriè offensâ DEI, & injuria, sed ad summum aliquo modo analogicè; unde unum mortale major est offensâ, quàm venialia infinita: ergo peccatum veniale non ita crescit ex dignitate DEI offensâ, ut sit in superiori ordine, respectu omnium obsequiorum, quæ creatura potest DEO exhibere. prob. antec. non est rigorosè offensâ illud, per quod offensâ gratiâ non amittitur, ut ait Gormaz *de incarnat. n. 294.*: ergo. Confir. hæc probatio antecedentis 1. Peccatum veniale non est propriè contra DEUM ut ultimum finem: sed tantum est contra aliqua media ad illum ducentia: nec avertit à DEO, sed tantum ab eo retardat: ergo non est offensâ DEI. Confir. 2. Licet peccatum veniale sit contrarium voluntati DEI, e. g. verbum otiosum, tamen rigorosè loquendo eum non offendit: sicut, si præceptor discipulum jubet attendere explicationi, & iste semeliberatè aliquantum non attendat, nemo dicit, talem puerum propriè offendere præceptorem, sed tantum esse inobedientem: ergo vide etiam *tract. de peccat. à num. 111. & 133.*

Confir. ipsa conclusio. Non debet sine efficaci ratione (quæ non affertur ab adversariis) dici, quòd minimum verbum otiosum, etiam tantum semeliberatè dictum, sit tamen grave in genere malitiæ, ut per nulla merita ullius creaturæ, quantavis gratiâ sanctificante instructæ, possit adæquari. Sanè, cum talis persona, quæ satisfacere deberet, sit iusta, & amica DEI, videtur planè posse levem talem defectum contra DEUM amicum compensare: sicut, ut ait Lugo *cit. disp. 5. n. 128.* leves defectus tales, qui moraliter sunt inevitabiles, etiam inter amicos in creatis, possunt obsequiis compensari, et si amicus, cui aliquid displicens factum est, sit dignior: ergo.

Ex his ulterius inferitur, quòd, cum peccatum veniale non sit offensâ, adeoque non crescat proportionaliter ad dignitatem offensâ, sed tantum crescat proportionaliter ad medium, seu virtutem, cui contrarium est (e. g. majus est peccatum leve contra

charitatem proximi, quàm contra temperantiam) inferitur, inquam, quòd sit adæquabile per actus virtutum, præsertim charitatis Theologica, (ut ait Suarez *loc. cit. num. 324.*) qui attingunt DEUM ut ultimum finem, animamque perfectè, ac totaliter ad DEUM convertunt.

ARTICULUS IV.

Solvuntur Objectiones.

326. **O**B. 1. contra 1. conclusionem.

Bonitas meritorum, seu actuum bonorum, est major, quàm malitia demeritorum, seu peccatorum: ergo possunt ista per illa ad æqualitatem, seu condignè, compensari. antec. prob. bonitas gaudiorum æternorum, quæ sunt præmium correspondens meritis, est major, quàm malitia, seu poenalis suppliciorum, etiam æternorum, quæ sunt poena correspondens demeritis: ergo etiam bonitas meritorum est major, quàm malitia demeritorum. Resp. neg. antec. ad prob. neg. conseq. Præmium est finis meritorum: ergo potest esse majus meritis in suo genere; quia finis potest esse melior, quàm media, quæ ad eum obrinendum adhibentur: & maximè potest DEUS, eum finem meliorem pro sua magnificentia, & dignitate infinita, in præmium offerre.

At verò supplicium non est finis peccatorum, sed est medium, quo DEUS nos vult à peccatis deterrere; unde non debet esse tantæ malitiæ, quantæ est peccatum, modò afferat majorem dolorem; hinc non omni eodem modo se habet, ut meritum ad præmium, ita peccatum ad supplicium. Eadem responsio danda est, quando dicitur, magis DEO placere merita, quàm displiceant peccata: cum majorem det ob illa gloriam, quàm ob hæc infingat poenam; negatur enim istud ex eadem ratione, nempe, quòd gloria sit finis, non autem poena.

327. Ob. 2. Sicut peccatum aufert DEO honorem, & rationem ultimi finis, ita actus charitatis eam reddit: ergo fit compensatio. Confir. 1. Actus charitatis delet peccatum mortale: ergo est æqualis compensatio. Confir. 2. Actus charitatis quoque crescit ex dignitate objecti: ergo etiam potest crescere ad æqualitatem offensæ. Resp. dist. ant. actus charitatis reddit DEO rationem ultimi finis materialiter. om. ant. formaliter. neg. ant. & conseq. Si quis per vim eriperet regi purpuram, & dein eam rursus redderet, etiam restitueret materialiter, quod abstulit: non tamen compensaret injuriam; quia nondum restitueret ablatum honorem: nec satisfaceret pro injuria.

Non aliter se habet restitutio, quam DEO facit peccator per actum charitatis; nam talis peccator materialiter quidem restituit DEO rationem ultimi finis, agnoscendo, & amando eum, tanquam ultimum finem: sed non restituit formaliter, per a-

tionem compensativam injuriæ ad æqualitatem; quia actus charitatis, qui est in linea obsequii, non potest esse æqualis peccato gravi, quod est in linea offensæ. Ad 1. confirm. dist. ant. actus charitatis delet peccatum ex magnitudine suæ bonitatis, & æqualitate cum peccato. neg. ant. ex benevoluntate DEI, & misericordii promissione. conc. ant. & neg. conf. Ad 2. confir. dist. ant. actus charitatis crescit, ita tamen, ut semper maneat in linea inferiori obsequii, conc. ant. ut exeat ex hac linea. neg. ant. & conseq. Crescere etiam potest equus in sua linea, quin fiat homo: & potest etiam crescere peccatum veniale, quin unquam fiat mortale.

328. Ob. 3. Tantum placet DEO actus præceptus, quantum displicet ejus omisso: ergo actus meritorius est tam bonus, quàm malum est peccatum. prob. ant. displicere omissionem est nolle eam existere: sed nolle existere omissionem est velle existere actum: ergo DEUS in tantum non vult existere omissionem, in quantum vult existere actum: ergo tantum vult actum, seu placet illi actus, quantum displicet ejus omisso. Confir. Transgressio legis, si hæc non sit lata in utilitatem principis, non est offensâ principis (nam debet esse discrimen inter puram inobedientiam, & contemptum legislatoris) atque leges DEI non sunt late in utilitatem DEI: ergo transgressiones legum Divinarum non sunt offensæ DEI.

Resp. neg. ant. ad prob. dist. ma. displicere omissionem est præcisè eam nolle existere. neg. ma. est nolle nolitioe commensurata ejus magnitudini. conc. ma. & dist. proportionaliter. mi. neg. conf. DEUS quidem nolendo omissionem vult actum: sed nolitio omissionis est major, ut ita dicam, quàm volitio actus; quia illa etiam est major, quàm iste. Ad confir. dist. ma. nisi transgressio fiat in præsentia principis, prohibentis aliquid sub interminatione inimicitia suæ, adeò, ut transgressio sit conjuncta cum virtuali saltem contemptu amicitia. conc. ma. si fiat in ejus præsentia &c. neg. ma. & om. mi. neg. conf. Potest etiam distingui mi. leges DEI non sunt late in utilitatem DEI intrinsecam. conc. mi. in extrinsecam, sive ad ejus honorem, & bonum majestatis ejus, quàm DEUS non vult contemni, sed coli. neg. mi. & conseq.

329. Ob. 4. Qui facit, quantum potest, satisfacit ad æqualitatem: atqui hoc potest facere pura creatura: ergo. Confir. 1. Qui facit, quantum potest, satisfacit obligationi gratitudinis, quamvis non adæquet beneficium: ergo etiam, qui facit, quantum potest, satisfacit obligationi satisfaciendi pro peccatis. Confir. 2. Potest homo pro peccato mortali satisfaci: ergo etiam satisfacere. Resp. neg. ma. Talis quidem per acciders hic, & nunc, non potest urgeri ad plus faciendum ob impossibilitatem: potest tamen urgeri ad plus patiendum.

Ad 1. confirm. neg. conseq. Obligatio gratitudinis, non tendit ad beneficia adæ-

quanda: sed ad summum tendit ad hoc, ut quis benefactori se gratum exhibeat, quantum potest: nec acceptans beneficium contrahit debitum ad patiendum tantum, quantum facere non potest. Econtra obligatio satisfaciendi tendit ad offensam adæquandam, & si hoc fieri non possit, ad patiendum. Ad 2. confirm. om. ant. neg. conseq. Satisfactio non decrevit ex dignitate offensæ; nec enim ideo minor est poena damni in damnatis; quia DEUS est major: neque ideo minus urit ille ignis: at verò satisfactio decrevit, ut dictum *n. 314.* vide Gormaz *de incarn. n. 393.* Dixi. om. ant. nam non videtur creatura posse satisfaci pro offensâ gravi: quod videtur inferri ex hoc ipso, quòd poena, offensæ gravi commensurata, sit æterna, consequenter nulla unquam possit existere satisfactio, vel permissio poenæ, quæ adæquet offensam gravem, vel eam delet.

330. Ob. 5. Actus productus ab homine infinita gratiâ instructo esset infiniti meriti: ergo posset adæquare offensam, quæ est finitæ malitiæ. Confir. Talis actus meretur gloriam infinitè intensam: peccatum non meretur poenam infinitè intensam: ergo esset saltem æqualis satisfactio. Resp. 1. neg. suppositum; nam implicat infinitum creatum actu existens. 2. potest omisso supposito negari ant. sive potest negari, quòd talis actus haberet infinitam vim meritoriam; quia plurimi negant, vim meritoriam actuum crescere arithmeticè ad mensuram gratiæ. 3. potest negari conseq. quia hic actus tamen esset in linea inferiori, & non adæquaret malitiam peccati gravis: sicut infiniti etiam equi non adæquant hominem finitum. Ad confir. iterum negatur suppositum, seu quòd sit possibilis gloria creata infinitè intensa: vel eo omisso respondetur, ista esse in diversis lineis, nec invicem adæquari.

331. Ob. 6. Non habet homo majorem potestatem ad malum, quàm ad bonum: ergo, si potest peccare, debet etiam posse satisfacere. Confir. Voluntas est fortior ad bonum, quàm ad malum: ergo debet posse malum iterum tollere. prob. ant. intellectus est fortior ad verum, quàm ad falsum; quia illi cognito necessariò adhæret, non autem isti cognito: ergo etiam voluntas fortior est ad bonum, quàm ad malum. Resp. 1. Sic homo, qui potest se occidere, deberet etiam posse se resuscitare. Resp. 2. dist. ant. hoc est, non habet homo majorem potestatem ad eligendum malum, quàm ad eligendum bonum. om. ant. quàm ad recuperandum bonum, postquam jam elegit malum, vel istud incurrit. neg. ant. & conseq.

Ad confir. dist. ant. voluntas est fortior ad bonum, quàm ad malum, ante malum electum, vel in se receptum. om. ant. post illud electum. neg. ant. & conf. ad prob. om. ant. neg. conseq. Utique magnum quoad multa discrimen est, inter potentiam necessariam, & liberam: nec voluntas ut libera imitatur intellectum ut necessarium; aliàs etiam necessitaretur, & non esset libera.

ra. Sed nec intellectus, postquam adhæsit falso, quod existimavit verum, potest se ab hoc errore semper liberare; quia non semper habet rationes, oppositam veritatem sufficienter proponentes.

332. Ob. 7. Offensa tantum est finita, ut dictum *num. 294.* ergo potest vinci meritis saltem infinitis. Confirm. Offensa decrevit ex levitate materiæ, ex defectu deliberationis &c. ita, ut, quæ aliàs esset gravissima, fiat respectivè levis: ergo potest vicissim satisfactio ex certis circumstantiis crescere, ut adæquet offensam. Resp. 1. neg. suppositum, quod possint dari merita actu infinita. Resp. 2. neg. conf. Offensa tamen semper manet in linea superiori, & merita, vel satisfactio, manent in inferiori, ut dictum *n. 330. & alibi.* Ad confirm. om. ant. neg. conf. Non sunt possibiles ullæ circumstantiæ, ratione quarum obsequium erga DEUM possit crescere ad æqualitatem cum offensâ gravi ejusdem DEI. Dixi: om. ant. quia, quando ex defectu deliberationis &c. ex mortali peccato fit veniale, tollitur omnino ratio offensæ; cum peccatum veniale non sit offensâ DEI strictè dicta: si tamen adhuc maneat peccatum mortale, quamvis levius, tunc omnino concedi debet antecedens.

333. Ob. 8. Posset saltem creatura satisfacere pro peccato gravi nomine Christi, sicut potest e. g. sacerdos conficere sacramenta nomine Christi: ergo. Resp. neg. ant. nam etiam actio, nomine Christi elicitâ, non est infinitæ dignitatis, & manet adhuc intra limites obsequii, ac meriti finitæ dignitatis, adeoque in inferiore linea, proportionaliter ad peccatum grave; actio enim mandatarii non est tam digna, quam actio mandantis, si hic sit superior; unde nec actiones ministrî sacramentorum sunt infinitæ dignitatis, quamquam sint dignitatis altioris, quàm, si fierent tantum nomine proprio sacerdotum; actiones autem infinitæ dignitatis sunt solæ actiones personales Christi; quia, ut sint infinitæ dignitatis, debent dignificari à supposito Divino, & esse physice productæ à DEO - homine; dignitas enim est personalis, quæ non dignificat actionem alienam, saltem non eodem modo.

334. Sic etiam in creatis actiones, legati non sunt tam dignæ, quàm actiones ipsius regis; quia scilicet regia dignitas est personalis, nec eodem modo influit in actionem legati, quo in actionem regis, legatum mittentis, vel mandantis. Sicut etiam quædam actiones in genere physico respiciunt peculiariter personam mandantis: sic, si mandans pulchrè scribere sciat, id autem nec mandatarius, quantumvis hic mandatum habeat scribendi nomine mandantis, non ideo elegantes formabit characteres. Nec dicas, procuratorem posse nomine alterius contrahere matrimonium, adeoque ejus consensum esse tantæ dignitatis, quantæ est consensus mandantis; nam responderet, consensum procuratoris tantum esse conditionem, qua posita consensus mandantis consueque con-

ditionatus transit in absolutum, & matrimonium absolute perficit.

Dices. Saltem homo ut membrum Christi potest pro peccato condignè satisfacere: ergo. Resp. cum Suarez *tom. 1. in 3. p. disp. 4. sec. 10. §. Ex hac verò.* neg. ant. quia homo satisfaciens ut membrum Christi (ut habet idem Suarez *citat. sec. 10. §. In hac re.*) nihil est aliud, quàm homo satisfaciens ut instructus gratiâ, à Christo capite in eum derivatâ, seu satisfaciens satisfactioe, non tantum fundata in gratia habituali per Christum accepta, sed etiam fundata in gratiis actualibus, per eundem collatis.

His tamen omnibus positis non potest homo justus, qui est membrum Christi, & quidem vivum, ponere obsequium, vel meritum æquale offensæ gravi DEI. Aliud est, quod propter Christum, & ejus merita, nostra satisfactio acceptetur, ut habet Tridentinum *sess. 14. c. 8.* sic docens: *Neque verè ita nostra est satisfactio hac, quam pro peccatis nostris exolvimus, ut non sit per Christum JESUM. . . . in quo meremur, in quo satisfacimus.* Unde & illud, quod deest valori nostræ satisfactioe, suppletur ex conjunctione cum satisfactioe Christi: & his de causis dicitur satisfactio nostra fundari in satisfactioe Christi, ut habet idem *Eximius verò citato. §. In hac re.*

ARTICULUS V.

Solvuntur reliquæ Objectiones.

335. Ob. 9. contra 2. conclus. Licet homo possit mereri remissionem peccati, tamen adhuc necessarius esset Christus: ergo SS. Patres non sunt contrarii adversæ sententiæ: prob. ant. licet meritum sit æquale remissioni peccati, tamen non tenetur illud DEUS acceptare: ergo nondum esset hominibus consultum sine Christo, cujus scilicet meritum, & satisfactio debuit acceptari; quia fuit ex rigore justitiæ. Resp. 1. retorq. argum. ad hominem; nam hi adversarii dicunt, non posse purum hominem satisfacere pro peccato gravi, ideo; quia non potest ponere satisfactioem æqualem demerito: sed eodem modo posset dici, quod homo quidem posset ponere satisfactioem æqualem, DEUS tamen non teneatur eam acceptare. Certè, sicut non debet DEUS à puro homine acceptare meritum, aut pretium, ita nec satisfactioem. in forma dist. antec. esset adhuc necessarius Christus ea necessitate, quam adstruunt SS. Patres. neg. ant. alia qualicunque. om. ant. & neg. conf.

Licet fortè juxta aliquos Theologos, qui volunt, Christum satisfecisse ex rigore justitiæ, adhuc in hac sententiâ esset necessarius Christus, ad habendam scilicet satisfactioem ex rigore justitiæ, quæ deberet à DEO acceptari: tamen non esset amplius necessarius, juxta

An Para Creatura possit condignè satisfacere pro Peccato Mortali, vel Veniali. 99

juxta alios Theologos, qui negant, Christum satisfecisse ex rigore justitiæ, atque etiam negant, satisfactioem Christi debuisse à DEO in hunc finem acceptari, quod etiam nos inferius negabimus: & sic negabimus suppositum adversariorum: quo negato per se ruit hæc responsio.

Dein SS. Patres non intenderunt docere, Christum pro peccatis satisfecisse ex rigore justitiæ commutativæ: sed necessitatem. Christi intulerunt ex eo, quod aliter haberi non potuisset satisfactio condigna: condignitas autem satisfactioe non dependet ab acceptatione, vel non acceptatione DEI, sed ab eo, an satisfactio habeat condignum valorem, id est, offensæ æqualem. Sic equus e. g. potest esse dignus pretio centum florenorum, etsi nemo eum nunc emere velit: potest etiam esse indignus tanto pretio, etsi quis ob specialem affectum, vel aliam specialem causam, tantum pretium pro eo expendere velit, vel eum acceptare loco solutionis, debiti centum florenorum, quod aliàs e. g. periclitaretur. Nec dicas, Christum tamen fuisse necessarium, ut influeret gratiam in talem hominem merentem, sine qua meritum non habuisset valorem; nam responderet, gratiam non habere indispensabilem connexionem cum Christo, & potuisse sine ipso à DEO conferri.

336. Ob. 10. Qui potest mereri, quod est plus, potest etiam mereri, quod est minus: sed homo potest mereri gloriam æternam, quæ est plus, quàm remissio peccatorum: ergo potest etiam mereri hanc remissionem, quæ est minus. Confirm. Potest homo mereri gratiam, quæ est expulsiva peccati: ergo etiam potest mereri ipsam expulsionem, seu remissionem peccati. Resp. 1. neg. mi. quoad id, quod dicit, gloriam esse majus bonum, quàm malum sit peccatum; communiter enim Theologi cum S. Thoma docent contrarium. Responderi potest 2. dist. ma. qui potest mereri, quod est plus, potest etiam mereri, quod est minus, non quoad id, quod est minus, inveniat majorem resistantiam. conc. ma. fecus. neg. ma. & om. mi. neg. confeq. vide dicta *n. 321.* Adde, cuilibet clarum esse, quod e. g. Petrus amicus Pauli possit facilius ab isto aliquid impetrare, vel mereri sibi, quàm possit alteri, e. g. Jacobo Pauli inimico, impetrare, vel mereri amicitiam ejusdem Pauli.

Ad confirm. dist. ant. potest homo mereri de condigno gratiam peccatori. neg. ant. sibi, vel alteri jam justo. conc. antec. & neg. confeq. in peccatore enim datur resistantia prævalens. Eadem responsio servit, si obijciatur, posse aliquem mereri præservationem à peccato, quæ est aliquid majus, ut patet in B. Virgine; nam reponitur, in peccatore esse majorem resistantiam. Potest etiam responderi, præservationem illam esse quidem aliquid majus in ratione privilegij, vel beneficij, & esse aliquid magis eligibile: non verò esse aliquid majus in ratione doni; eoquod cessio illa juris Divini contra peccatorem sit

aliquid amplius: sic magis eligibile est carere peccato veniali, quàm habere unionem hypostaticam: non tamen ea carentia est tantum bonum, quantum est unio hypostatica, nec peccatum veniale tantum malum.

337. Ob. 11. Meritum justî includit gratiam: sed hæc est remissio peccati gravis: ergo meritum justî est condignum remissione peccati. Confirm. Potest quis mereri auxilium efficax ad habendam contritionem: sed hæc expellit peccatum: ergo potest etiam mereri expulsionem peccati. Resp. dist. mi. gratia est remissio peccati in habente illam. conc. mi. in alio. neg. mi. & confeq. Si hoc argumentum vim haberet, posset quilibet per quodcunque meritum, à gratia dignificatum, alteri impetrare remissionem peccatorum. Ad confirm. dist. mi. contritio expellit peccatum de condigno, ob suam bonitatem, aut vim meritoriam. neg. mi. expellit peccatum de congruo ex liberali promissione DEI, conc. mi. & sub data distinctione conc. vel neg. confeq.

Dices. Gratia saltem est digna remissione peccati alterius: ergo etiam meritum, includens gratiam, est dignum ea remissione. Resp. neg. ant. nam gratia non est æqualis magnitudinis cum peccato: sed ad summum est forma physice contraria peccato gravi, & istud expellens ex subjecto, cui ipsa inest, non verò ex alio; forma autem physice alteri contraria non debet esse tantæ dignitatis, aut æstimationis in sua linea, quantæ est alterum contrarium in sua; sic e. g. frigus nimium est physice contrarium formæ substantiali animalis, & hanc expellit ex materia, quin frigus accidentale sit tam æstimabile, quam illa forma substantialis.

338. Ob. 12. destructio rei non est tanta, quantæ est res destructa: ergo destructio peccati non est tam bona, quàm malum sit peccatum: ergo, licet non possit dari meritum æquale peccato, potest tamen dari æquale destructioni ejusdem. Confirm. Meritum condignum non exigit proportionem arithmetica cum præmio, sed tantum geometricam: ergo meritum non debet esse æquale remissioni peccati, adeoque multo minus æquale ipsi peccato. Resp. dist. antec. destructio rei, sumpta seorsim, & præcindendo à jure alterius in re destruenda, non est tanta. om. ant. sumpta cum tali jure. neg. ant. & sub eadem distinctione conc. vel neg. primam, & neg. absolute secundam consequentiam. Si quis velit ante suam domum habere amplam plateam, & ad hanc habendam destruere debeat ædes ibi edificatas, quæ spectant ad alios, certè debet illam destructionem solvere tanti, quanti ædes; quia scilicet destructio illa destruit etiam jus minorum. Pariter destructio peccati tendit contra jus DEI offensæ, & cum hoc jure tanta est, quanta est ipsa offensâ, in qua, vel ratione cujus DEUS habet jus contra peccatorem.

Ad confirm. dist. ant. meritum condignum non exigit proportionem arithmetica cum præmio, si consideretur meritum in se

in se tantum, & præcindendo à dignitate præmiantis. conc. ant. non exigit proportionem arithmeticam, seu aliquam æqualitatem eum præmio, si consideretur meritum unum cum dignitate præmiantis, quæ suo modo constituit dignitatem meriti. neg. antec. & conseq. Etiam attempta dignitate DEI præmiantis, non meretur ulla actio creata de condigno tantum præmium, ut DEUS propter eam remittat gravem suam injuriam. Majorem hujus distinctionis explicationem desumere poteris ex dicendis infra n. 452. de merito condigno.

339. Ob. 13. Licet vasallus sit in linea inferiori, potest tamen offensam regi factam condignè compensare, si e. g. maximo vitæ suæ periculo regem ex mortis faucibus eripiat: ergo etiam creatura potest compensare injuriam DEI, licet respectu hujus sit in linea inferiori. Resp. dist. ant. vasallus id potest, licet sit in linea inferiori quoad omnia. neg. ant. quoad aliqua tantum. conc. ant. & neg. conseq. Creatura est in omni linea inferiori DEO: at vasallus potest esse quoad aliqua in linea æquali cum rege: sic est regi æqualis in linea humanitatis. Potest etiam in aliqua linea esse rege superior, e. g. in linea fortitudinis, qua regi potest vitam servare, quam ipse rex servare non posset. Unde, si istam ei servet, maxime cum periculo vitæ suæ, potest dari compensatio offensæ.

Imò, si vasallus esset quoad gloriam bellicam in longè superiore linea, quam rex, posset cedendo e. g. regi honorem maximum, victoriæ, sive eam ipsi adscribendo, campotius deberetur sibi, aliquam offensam prius illatam compensare. Adde, sæpe in humanis offensas remitti, non ob æquale n satisfactionem, sed ob magnam etiam utilitatem præstitam; quia scilicet datur etiam in his commutatio, ut in alijs, e. g. commutatio equi pro pecunijs: est autem utique regi utilissima conservatio vitæ propriæ: consequenter facile propter ipsam servatam remittet aliquam offensam priorem.

340. Ob. 14. contra 3. conclus. Si homo potest de congruo satisfacere pro peccato gravi, vel de congruo mereri ejus remissionem, falsum est, quod Apostolus dicit ad Rom. 3. v. 24. *Justificati gratis per gratiam ipsius*: sed hoc non potest admitti: ergo, prob. ma. quod sit ex merito de congruo, non sit gratis: ergo. Confirm. 1. Pelagiani tantum volebant, posse haberi naturaliter meritum de congruo vitæ æternæ, vel gratiæ ulterioris: & tamen à S. Augustino, & Ecclesia ipsa repulsi sunt: ergo.

Confirm. 2. S. Paulus 1. Cor. 13. v. 3. ait: *Si tradidero corpus meum, ita, ut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest*: ergo actus à peccatore, non ex charitate habituali, quæ ibi intelligitur, elicitus, nihil prodest, consequenter non est meritum de congruo. Confirm. 3. Tridentinum sess. 14. c. 4. ait de contritione: *Præparat ad remissionem peccatorum*: ergo non est meritum de congruo illius remissionis. Confirm. 4. Sententia nostra præjudicat me-

ritis Christi, quasi hæc se solis essent insufficientia: ergo non est admittenda.

341. Resp. neg. ma. ad prob. neg. ant. tamen adhuc gratis juxta nos remittitur peccatum; neque enim ibi *gratis* significat absolute omni actu peccatoris; nam adulti utique debent gratiæ cooperari; unde illud *gratis* significat tantum *sine merito de condigno, & ex liberalitate*, quem in nostra justificatione DEUS utique exacerat: præterquam, quod peccatum etiam remittitur omnino gratis in radice; nam omnino gratis DEUS prius dedit gratiam, ex qua tanquam radice actus contritionis prodijt.

Ad 1. confirm. neg. conseq. Non est paritas cum illo errore, & nostra sententia; aliàs, sicut naturalis actus non potest esse dispositio positiva ad gratiam, aut gloriam, ita nec actus contritionis esset talis dispositio ad remissionem peccati: quod esset aperte contra Tridentinum modò citatum. Quod autem actus naturalis non possit esse meritum de congruo, respectu entis supernaturalis, probatur ex Concilijs, & Patribus, à quibus docemur, nos profus nihil posse naturaliter, aut sine gratia facere, vel cogitare, prout oportet ad salutem: quod etiam inferitur ex dictis Christi Joann. 15. v. 5. *Sine me nihil potestis facere*, & S. Pauli 2. Cor. 3. v. 5. *Non quod sufficientes simus cogitare aliquid à nobis, quasi ex nobis*. Accedit, quòd tale meritum nec radicaliter esset omnino gratis; quia non fundaretur in aliqua gratia prius collata, sed in sola naturæ debita libertate, vel potestate.

Ad 2. confirm. neg. conseq. S. Apostolus ibi primario loquitur de condignitate actus ad gloriam æternam: vel certe loquitur de actu, qui non tantum charitatem, habitualem pro priori non præsupponit, sed neque eam pro posteriori secum affert; unde, cum in hac providentia peccatum non remittatur sine infusione habitus charitatis, actus contritionis, sicut de congruo meretur eam remissionem, ita etiam meretur eam habitum, præsertim, cum ipse actus contritionis sit charitas actualis.

Ad 3. confirm. neg. conseq. Tridentinum uti voluit vocabulo certiore: nec propterea negat actui contritionis alla prædicata: imò ibi paulò post addit de contritione, eam *hominemque DEO reconciliante, priusquam hoc sacramentum poenitentiae actu suscipiatur*. Ad 4. confirm. neg. ant. Meritis Christi, ut in *ir. de merito* aperte ostenditur, non obstant merita hominum, etiam de condigno: multò minus igitur merita de congruo. Accedit, quòd homo satisfaciat pro peccatis, ut membrum Christi (de qua re vide n. 334.) adeoque tandem ultimatò omnino vis, & valor meritum nostrorum, etiam tantum de congruo, proveniat originaliter à Christo.

342. Ob. 15. contra 4. conclusionem. Peccatum veniale non potest stare cum gloria cælesti: ergo est majus malum, quam bonum sit ista gloria; ergo non potest purus homo

An Pura creatura possit condignè satisfacere pro Peccato Mortali, vel Veniali. 101

homo pro illo satisfacere; quia meritum puri hominis non potest plus valere, quam gloria æterna. Confirmatur. Per peccatum veniale præferimus bonum creatum DEO, ejusque voluntati, ac legi: ergo est offensæ DEI. Resp. retorq. argum. Peccatum veniale etiam non potest stare cum unione hypostatica, & minime potest stare cum Divinitate, ista igitur etiam erit majus malum, quam illa sint bona? in forma neg. conseq. Ratio, cur non possint peccatum veniale, & gloria cælestis simul stare, non est magnitudo malitiæ in veniali peccato, sed magnitudo perfectionis in gloria cælesti, cum qua nec minimum malum, maxime morale, stare potest.

Ad confirm. neg. ant. nam cum veniali peccato stat, vel habitualis, vel actualis præparatio animi, rem quamcunque faciendi, aut vitandi, si DEUS eam graviter prohibeat, aut jubeat; unde semper præferimus bono creato amicitiam DEI, & ejus legem graviter obligantem: omittimus tamen bonum intentum à lege. Quare peccatum illud non est contra legislatorem DEUM (aliàs non esset cum ejus amicitia compossibile) sed est tantum contra aliquid bonum, ab eo intentum; ita enim loquitur de peccato veniali Angelicus 1. 2. q. 88. a. 1. ad 1. *Non enim est contra legem; quia venialiter peccans non facit, quod lex prohibet, nec præmittit id, ad quod lex per præceptum obligat: sed facit præter legem; quia non observat modum rationis, quem lex intendit*.

343. Ob. 16. Peccatum veniale displicet DEO: ergo est offensæ DEI, & crescit ex dignitate offensi, atque est in altiori ordine, ut non possit adæquare merito humano. Confirm. 1. Peccatum veniale crescit etiam ratione DEI: ergo est ejus offensæ: consequenter non est compensabile à pura creatura. Confirm. 2. Jacobi 3. v. 2. dicitur: *In multis enim offendimus omnes*: ergo veniale peccatum est vera offensæ; neque enim omnes mortaliter peccamus: ergo crescit ex dignitate offensi, sicut mortale.

Resp. dist. ant. Peccatum veniale displicet DEO, ut oppositum ejus dignitati, ac amicitia. neg. antec. ut oppositum alicui bono, per legem ejus intento. conc. ant. & neg. conseq. ita S. Thomas citatus num. præcedi. Idem Angelicus 3. p. q. 88. a. 2. ad 2. sic habet: *Homo, peccando venialiter, non facit contra DEUM, sed præter ipsum*. iterum 3. p. q. 86. a. 2. in corp. sic ait: *Offensa autem directè opponitur gratiæ; ex hoc enim dicitur aliquis alteri esse offensus, quòd repellit eum à gratia sua*: sed peccatum veniale non opponitur gratiæ, neque propter hoc DEUS aliquem repellit à gratia sua: ergo non est offensæ. Ad 1. confirm. neg. ant. Peccatum veniale non crescit ratione DEI: sed tantum crescit ratione boni neglecti majoris: e. g. majus est peccatum intra venialia otiosè garrere in templo, quam otiosè garrere in foro; quia bonum religionis neglectum est majus, quam tantum neglectum bonum temporis, præcinden-

do etiam ab omni alia circumstantia, quæ garritionem illam aggravet.

Ad 2. confirm. neg. conseq. Illud *offendimus* non significat: *offensam committimus*; nec enim dicitur: *offendimus DEUM*: sed tantum genericè *offendimus*; quòd propriissime explicatur, *cepsitamus, erramus*; nam in græco habetur *πρωωυεν* à verbo *πρωω*, quòd significat *impingo, offendo, titubo*. Imò, cum S. Jacobus *ibidem* v. 1. præmittat: *Nolite plures magistri fieri*; & hujus sui dicti rationem reddat: *In multis enim offendimus omnes*: videtur velle significare, quòd offendamus, aut erremus intellectu: ut sic cohibeat prurium docendi, ne succedat, postea errorem docentes grave iudicium sustinere debeamus, & hinc immediatè præmittit: *Scientes, quoniam majus iudicium sumitis*. vide etiam dicta n. 325. ubi probavimus, non omnem transgressionem qualiscunque præcepti esse offensam.

344. Dices 1. Etsi non quævis transgressio præcepti humani sit offensæ præipientis, tamen quævis transgressio præcepti Divini est offensæ DEI: ergo dicta n. 325. non subsistunt. prob. ant. superior humanus in suis præceptis non semper intendit suum honorem: at verò DEUS, ut in omnibus alijs, ita etiam in suis præceptis, semper intendit suum honorem: ergo, licet transgressio legis, vel præcepti humani, non sit semper contra honorem præipientis, tamen transgressio præcepti Divini est semper contra honorem DEI, adeoque est ejus offensæ.

Resp. dist. ant. quævis transgressio præcepti Divini gravis, est offensæ DEI. conc. ant. quævis transgressio præcepti Divini levis, est offensæ DEI. neg. ant. & conc. ad prob. dist. 2. p. ant. DEUS in omnibus suis præceptis gravis intendit suum honorem, hoc est, intendit, ne hic lædatur. conc. ant. intendit suum honorem etiam in omnibus præceptis levibus. subdist. intendit illum tantum finem intrinsecum præcepti etiam levis, & quidem intendit immediatè, ac ordinatione particulari. neg. ant. intendit illum tantum finem extrinsecum præcepti, & mediatè tantum, ac ordinatione universali, quatenus scilicet omnia ultimatò tandem referat ad suum honorem. conc. ant. & neg. conf. Sic e. g. DEUS prohibendo verbum otiosum, immediatè, & in particulari, intendit bonum usum temporis; hoc enim est bonum, per hanc legem intentum, contra quòd est peccatum veniale.

345. Quamvis autem DEUS tandem mediatè, & ultimatò, omnia referat ad suum honorem, non tamen propterea semper obligat immediatè, sub motivo proximo sui honoris strictè offendendi, seu sub comminatione incurrendæ suæ offensæ, strictè talis. Sic etiam omnes leges humanæ tandem debent referri ad bonum communitatis, quin tamen omnis, qui contra eas leges offendit aliquam personam particularem, eo ipso dicendus sit strictè offendere communitatem. Et cur non dicunt adversarij, quòd DEUS etiam strictè offendatur transgressione consiliorum

suorum? nam etiam proponendo consilia sua DEUS intendit suum honorem.

Dicent, DEUM ad consilia non obligare. Resp. cum ad ea, saltem saepe, obligare sub imperfectione morali. Dicent, hanc non esse strictè dictam obligationem. Resp. si hoc possit dici, tunc etiam posse dici, non esse strictè dictam obligationem, prohibentem in casu culpæ venialis, cui modo loquendi favet S. Thomas citatus n. 342. ubi ait, peccatum veniale non esse contra legem. Saltem obligatio ad vitandum peccatum veniale non est obligatio sub reatu offensæ Divinæ strictè talis, sed tantum sub reatu culpæ levis: qui reatus ex Suarez, & Gormaz citatis n. 324. & 325. non est offensæ strictè dicta. Aliud est de præceptis gravibus, quæ cum semper obligent sub amissione gratiæ, & amicitie Divinæ, eo ipso, qui hanc postponit alteri bono creato, facit injuriam DEO, amicitiam suam bene agentibus offendit, ut probabitur infra à n. 371.

346. Ob. 17. Peccatum veniale minuit fervorem charitatis: ergo minuit amicitiam DEI, quæ stat in charitate. Resp. dist. ant. minuit, hoc est, aliquid tollit de charitate jam habita, neg. ant. hoc est, facit, ut charitas non tantum crescat, quantum crevisset, si peccatum veniale commissum non fuisset, conc. ant. & sub eadem dist. conc. & neg. cons. quævis fortè melius simpliciter negaretur consequentia; quia amicitiam minuire videtur significare, aliquid de amicitia prius habita auferre. Potest etiam dici, quòd peccatum veniale minuat fervorem charitatis actualis; quia scilicet non tam ferventes actus charitatis eliciuntur cum peccato veniali, sed ab isto impediuntur.

Dices. Hac ratione peccatum veniale non magis minuit fervorem charitatis, quam pura negatio actus charitatis, hoc non potest admitti. ergo. Resp. neg. ma. quia, cum peccatum veniale animum affigat terrenis bonis, eumque in obsequio Divino languentem reddat, facit, ut hic etiam sequenti tempore, difficilius se exerceat in actibus intensis charitatis: quod pura negatio non facit pro sequenti tempore. Tandem peccatum veniale DEO dat jus ad poenam, quæ potest stare in negatione auxiliorum majorum, etiam ad eliciendum actum charitatis, quæ alias conferrentur: quæ ratione utique minuit fervor charitatis: hanc autem poenam iterum non trahit post se pura, & omnino inculpata negatio: si autem negatio culpabilis esset, objectio ex se ipsa rueret.

QUÆSTIO III.

De Valore Meritorum Christi.

ARTICULUS I.

Unde Merita Christi sint Infinita.

347. **T**riusdistinguant Theologi in operibus Christi, vel etiam

aliorum, scilicet valorem genericè sumptum satisfactionem, & meritum. Valor actionis seu æstimatio in genere, desumitur ex dignitate operantis; unde etiam inest actionibus necessariis, & non tantum liberis: imbibitur autem aliquis valor in merito, & satisfatione, ut per se patet consideranti. Meritum respicit remunerationem, sive præmium. Satisfactio tandem respicit compensationem injuriæ.

Unde, cum præmium non competat, nisi actionibus liberè factis, neque etiam remittatur offensæ, nisi ob præstitum liberè obsequium, ratio meriti, & satisfationis exigat libertatem; nam, si iudex aliquem physicè cogat ad compensandam injuriam, non datur propriè satisfactio, sed satisfactio: si autem cogat tantum moraliter, e. g. minis, non tollit libertatem. Dixi: *ratio satisfationis*; nam satisfactio potest etiam stare in poena necessariè tolerata, ut patet. Addendum autem hic 1. Quando in hac quaestione nominatur valor, intelligitur valor, non tantum genericè sumptus, sed meritorius, aut satisfactorius. 2. Meritum Christi latius patet, quam satisfactio; nam Christi meritis est sibi, & nobis: non autem pro se satisfecit.

348. Certum jam est apud omnes Theologos, merita Christi, ejusque satisfationem, esse valoris aliquo modo infiniti; ita enim definit Clemens VI. in Extrav. Unigenitus. 2. de poenit. & remis. dicens: *De usus thesauri Ecclesiæ consumptione, seu minutione, non est aliquatenus formidandum, tam propter infinita Christi, ut prædictum est, merita &c.* Questio ergo tantum est, an merita Christi dicenda sint simpliciter infinita: circa quod est aliqualis dissentio. Scotus videtur dicere, esse tantum infinita secundum quid. Lugo de incarnat. disp. 6. sec. 1. n. 14. vult, esse quidem infinita in ratione valoris, sed non infinita in ratione meriti. At verò Suarez, Vasquez, & nostræ communiter sentiunt, merita Christi esse simpliciter infinita in ratione valoris, meriti, & satisfationis, cum quibus

349. Dico. Merita Christi sunt in triplici hac ratione infiniti valoris. Prob. Illud est simpliciter infinitum in ratione meriti (& par est ratio de valore, & satisfatione) quod in se continet, vel formaliter, vel eminenter, vel æquivalenter, omnem rationem possibilem meriti, ita, ut in ratione meriti non sit excogitabile aliquid majus, ut dictum n. 307. sed ita se habent merita Christi, & quodlibet etiam eorum seorsim: ergo, ma. negari non potest, nisi negetur, DEUM esse simpliciter infinite perfectum; nam & hic non omnes perfectiones formaliter, sed plures tantum æquivalenter, vel eminenter continet, e. g. perfectiones poenitentia, vel fidei.

Probatur mi. Quodlibet meritum Christi constituitur ex dignitate Verbi, quasi forma condignificante: sed illa dignitas est simpliciter infinita, & meritum ita dignificat, ut habeat omnem rationem possibilem meriti, vel formaliter, vel æquivalenter, vel eminenter,

eminenter, ita, ut majus meritum excogitari non possit: ergo, ma. probabitur conclusione secunda. mi. est clara; quia, quo major est dignitas constituens, eo dignius etiam est meritum, ex illa constitutum: ergo, cum dignitas Verbi sit simpliciter infinita, etiam meritum, ex ea constitutum, erit simpliciter infinitum, seu infinite dignum.

Confirm. Illud est infinitum ex Aristotele 3. physio. c. 6. vel textu 61. *cujus secundum quantitatem* (intellige, vel realiter, vel virtualiter talem) *accipientibus, semper aliquid accipere extra est*: sive quod sub ea ratione, sub qua est infinitum, exhaustiri non potest: sed merita Christi in ratione meriti, & satisfationis, exhaustiri non possunt: ergo, ma. est definitio infiniti. mi. prob. ex Extravagante citata n. 348. ubi Pontifex dicit, non esse unquam timendum de consumptione thesauri Ecclesiæ, propter infinita merita Christi: ergo non est timendum, ne exhaustiantur illa merita.

350. Dico 2. Merita, vel satisfactio Christi Domini, habent valorem, vel dignitatem infinitam à Persona Verbi. ita Gormaz de incarnat. n. 385. & alij. Et imprimis, quòd merita Christi vim ingentem, seu vilorem, aut dignitatem trahant à Persona Verbi, negari non potest; nam id clarè inferitur 1. ex illis verbis Apostoli ad Hebr. 5. v. 7. ubi de Christo Domino ait: *Ex auditus est pro sua reverentia*: hoc est, pro dignitate suæ Personæ: ergo dignitas Christi vim meritoriam confert ejus meritis 2. inferitur id ex Extravag. cit. n. 348. ubi Clemens VI. ait de Christo: *Non guttam sanguinis modicam, qua tamen propter unionem ad Verbum pro redemptione totius humani generis suffecisset, sed copiose, velut quoddam profluvium, noscitur effudisse*. 3. inferitur idem ex Bullis S. Pii V. & Gregorii XIII. contra Bajum, quibus damnata est hæc propositio 19. *Opera justitiæ, & temperantiæ, quæ Christus fecit, ex dignitate Personæ operantis non traxerunt majorem valorem*: ergo propositio contradictoria, quòd opera illa inde traxerint majorem valorem, est vera.

351. Quòd autem merita Christi traxerint à Persona Verbi valorem simpliciter infinitum, probatur sic. Meritum est concretum morale, quod constituitur ex operatione libera, & ex dignitate personæ operantis: sed dignitas Filii DEI naturalis, seu Verbi, est infinita: ergo meritum Christi est concretum morale, constitutum ex operatione Christi, & dignitate infinita: ergo est infinitum. minor est clara, & consequentia prima in forma: altera verò consequentia jam probata est n. 349.

Sola superest probanda major, quæ sic probatur. Meritum hominis justi constituitur ex operatione libera, & dignitate filii DEI adoptivi, seu dignitate status gratiæ: ergo meritum Christi constituitur ex operatione libera, & dignitate Filii DEI naturalis, seu dignitate Verbi. prob. ant. inter propositiones Bajanæ etiam hæc propositio 15. est

damnata: *Ratio meriti non consistit in eo, quòd, qui bene operatur, habeat gratiam, & inhabitantem spiritum S. sed in eo solum, quòd obedit Divinæ legi*: ergo ipsa ratio, seu essentia, aut intrinsecus valor meriti, stat in habita gratia sanctificante, quæ est filiatio adoptiva DEI, seu dignitas filii adoptivi. prob. etiam consequentia superior, & quidem facile à pari. non est ulla ratio, quare potius dignitas filii adoptivi, quam filii naturalis, constituat meritum: ergo, si illa constituit meritum filii adoptivi, ista constituit meritum filii naturalis, sive Christi.

Confir. Est communis persuasio hominum, quòd meritum regis constituatur ex dignitate regis, & meritum ducis ex dignitate ducis: cujus persuasionis fundamentum, aut ratio aliqua etiam est, quòd actiones sint suppositorum, & consequenter totum suppositum censetur iis impendi, adeoque etiam dignitas regia, vel ducalis, licet hæc physicè in actiones non influat; cum sit aliquid purè morale. Quare, licet etiam Verbum non influat in actiones meritorias Christi, influxu aliquo speciali, sed tantum influxu communi toti SS. Trinitati, tamen eas specialiter dignificat.

Unde notandum bene est discrimen, inter operationem, seu actionem Christi, tantum denominativè acceptam, & inter meritum Christi; nam actio Christi sola, non est totum meritum: imò, licet ista utique valde dignificetur à Persona Verbi, tamen manet in se finita. At verò meritum involvit pro constitutivo ipsum Verbum, & dignificatur infinite; quia constituitur ex ipsa dignitate infinita Verbi, adeoque est infiniti valoris: sicut scilicet humanitas Christi se sola non est totus Christus, nec infinita, sed finita, quanquam maximam dignitatem trahat à Verbo unito: at verò Christus totus est infinitus.

352. Ex his inferitur, quòd unum meritum Christi non sit majus altero, in ratione meriti; nam, licet actus charitatis, à Christo elicitus, sit in se perfectior, quam actus temperantiæ, tamen non constituit perfectius meritum; quia excessus actus prioris supra alterum eminenter continetur jam in dignitate Verbi; quare, sicut complexum ex DEO, & creatura, non est aliquid perfectius solo DEO, ita nec complexum ex actu charitatis, & DEO: consequenter, cum DEUS, seu dignitas DEI, aut Verbi, etiam jungatur cum actu temperantiæ, non poterit hoc complexum esse imperfectius altero. Sic etiam Christus defacto non est complexum minus perfectum, quam si componeretur ex Verbo, & Angelo.

Ex quo ulterius deducitur, etiam unum meritum Christi esse tantum, quantum sunt omnia simul: imò tantum, quantum esset meritum, si dignificaretur ab omnibus SS. tribus Personis; quia dignitas trium Personarum non est major, quam dignitas unius solius. Quòd autem Christus nos non redemerit per quodlibet meritum, sed necessaria fuerit ejus mors, provenit, non ex eo, quòd

quòd alia merita fuissent insufficientia, sed quòd pactum de obseunda morte inuenerit Christus cum Patre, de quo inferius.

ARTICULUS II.

Solvuntur Objectiones.

353. **O**B. I. Quo magis operans est obligatus alicui, eo minus ab isto meretur: sed Christus fuit maximè obligatus DEO; quia præ aliis omnibus majora beneficia accepit: ergo est minimum meritis: adeoque ejus merita non fuere infinita. Confirm. DEUS vi supremi domini potuisset meritis Christi nihil retribuere: ergo non habent vim infinitam. Resp. dist. ma. quo magis operans est obligatus, eo minus meretur, si obligatio sit tantum orta ex gratitudine. neg. ma. si aliunde sit orta. om. ma. & dist. sic mi. neg. confeq. Certè aulicus ob acceptum officium primarium est magis ex gratitudine obligatus principi, quam rusticus, & tamen ejus obsequium est æstimabilius, quam obsequium rustici.

Si autem obligatio sit ex titulo alio, e. g. seruitutis, potest major obligatio reddere minus æstimabile obsequium; nam ratione debitæ seruitutis minus æstimatur, si servus obsequatur domino, quam si amicus ratione gratitudinis obsequatur amico. Ad confirm. dist. ant. DEUS potuisset nihil retribuere meritis Christi, si voluisset se accommodare valori meritorum. neg. ant. si hoc noluisse, sed voluisset agere ex supremo dominio. om. ant. & neg. confeq. Hoc autem non tollit valorem meritorum in actu primo, sed tantum in actu secundo, de quo infra.

354. Ob. 2. Valor monetæ dependet à voluntate principis: ergo valor meritorum Christi dependet à DEO: ergo ista non sunt ex se infinita. Confirm. Saltem potest dici, merita Christi non esse infinita in ratione meriti, sed tantum in ratione valoris: ergo. Resp. 1. neg. ant. saltem, si dicatur valor tantum dependere à voluntate principis; nam non potest statim princeps nummo cupreo assignare valorem centum florenorum: sed debet etiam attendere ad intrinsecum valorem monetæ; quia tamen hic valor non semper est sat cognitus principi, potest ipse aliquem, quem meritis æquum existimat, determinare, vel aliquando etiam propter necessitatem publicam eum moderate augere; unde Resp. 2. om. ant. neg. conf. quia DEUS jam scit, quid valeant merita Christi in actu primo: de actu secundo infra dicemus.

Ad confirm. Explicat hanc rem Lugo *de incarnatione* disp. 6. sec. 1. n. 15. & seq. sic, quòd quidem merita Christi per se non merentur præmium infinitum, sed tantum præmium congruum personæ merenti, seu magnum respectu Christi: sicut opera beneficiati merentur sustentationem, congruam personæ, quæ respectu unius major est, quam respectu alterius: cum autem nullum præ-

mium sit congruum, seu satis magnum respectu Christi, nisi sit infinitum, vult hic auctor, quòd respondeat præmium infinitum operibus Christi, vel non propter rationem meriti, sed ob valorem. Verum respondet recentior quidam, ex hoc non inferri, merita Christi esse infiniti valoris, sed tantum valoris quasi supremi in genere finito: sicut ipsa unio hypostatice transcendit omnia alia creata, & tamen non est infinita: hoc tamen omisso.

Contra est. Vel opera beneficiati propter dignitatem personæ sunt magis digna, & etiam sunt magis meritoria: vel non sunt magis digna, & excessus sustentationis necessariæ, e. g. ob morbum, vel debilitatem habituales, non correspondet operibus, sed datur ex liberalitate Ecclesiæ, & fundatorum. in forma. neg. ant. nam, si opera sunt majoris, vel infiniti valoris, & si nulli libera, eo ipso etiam sunt majoris, vel infiniti meriti: nec limitatur dignitas ab actione creata, sicut non limitatur Christus; nec enim complexum ex DEO, & creatura, est minus, quam solus DEUS; quia DEUS non vitatur ex consortio creaturæ; nec creatura addita aliquid ab eo tollit.

355. Ob. 3. Meritum Christi non continet eminenter omnem valorem possibilem: ergo non est infinitum. prob. ant. valor volitionis liberæ Divinæ est major; quia est infinitus per essentiam: meritum autem Christi tantum est infinitum per unionem: ergo. Confirm. Meritum Christi potest adæquari præmio: ergo non est infinitum. ant. prob. posset dari in præmium volitio libera DEI, vel incarnatio alterius Personæ Divinæ, aut actus meritorius alterius Personæ incarnatæ: ista adæquarent meritum Christi: ergo. Resp. neg. ant. ad prob. neg. 2. p. antec. nam, ut jam aliquoties diximus, meritum Christi est etiam infinitum, non per unionem, sed per essentiam; quia non tantum unitur, sed intrinsecè constituitur per ipsam dignitatem Verbi infinitam.

Ad confir. Resp. 1. dist. ant. meritum Christi potest adæquari præmio finito. neg. ant. præmio infinito. om. ant. & neg. conf. si enim præmium esset infinitum, quo adæquaretur meritum, non deberet istud esse tantum finitum. ad probat. om. ant. neg. conf. si enim ista præmia adæquarent meritum Christi, deberent esse præmia infinita. Potest etiam responderi 2. neg. antec. ad prob. neg. suppositum; quæ enim realiter sunt identificata DEO, non possunt esse præmium Christi; præmium enim debet esse aliquid essentialiter indebitum antecederet ad meritum, ut est omnibus clarum; nam res jam antecederet suas nemo primum meretur: atqui, quæ sunt DEO identificata, jam antecederet debentur Christo. Quæ autem in supra adductis, e. g. in incarnatione alterius Personæ Divinæ, non sunt identificata DEO, e. g. unio hypostatice nova creata, non sunt infinita in se spectata, consequenter nec sunt præmium condignum meritum Christi. Non autem debet etiam meritum esse obse-

obsequium, antecederet indebitum ei, cui offertur; alias enim nullum daretur meritum respectu DEI: sed de hoc infra.

356. Ob. 4. Si merita Christi essent infinita, tunc DEUS esset iniquus, exigendo hæc merita in satisfactionem pro peccatis finitis, & finitæ malitiæ: consequens admittere non potest: ergo nec antecedens. Confir. DEUS juxta nos non posset sufficienter præmiare merita Christi; quia nunquam posset dare præmium actu infinitum: hoc est absurdum: ergo. Resp. neg. ma. cum enim merita Christi deberentur DEO ratione domini absoluti in creaturas, non fuit DEUS iniquus, dum ista petiit. 2. cum non poterit haberi satisfactio condigna tantum finita, non fuit iniquum, petere infinitam. 3. Christus liberè, & sponte, fideiunctionem pro nobis subiit, & pactum deponendis obsequiis infinite dignis cum Patre iniit: ergo nulla ei facta est injuria.

Ad confir. neg. ma. Cum infinitum categorematicum sit Chimæra, non potest esse præmium meritorum Christi; quare Christus tantum meritis est præmium syncategorematicè infinitum, quod DEUS potest producere. Sicut autem Christus semper potest plus petere, ita DEUS semper potest plus producere. Hoc quidem est verum, quòd meritum Christi nullo præmio actu posito sit unquam adæquandum: sed neque exhaurietur omnipotentia DEI; quare non magis merito Christi, quam omnipotentia Divinæ, debetur effectus infinitus, scilicet utrique infinitus syncategorematicè. Hinc, sicut omnipotentia Divina debet determinari per voluntatem Divinam, qualem effectum debeat actu producere: ita meritum Christi debet determinari per pactum, inter Patrem, & Filium initum, quale præmium actu debeat consequi.

357. Ob. 5. contra dicta n. 352. Si omnia merita Christi sunt æqualia, non potest explicari charitas DEI erga nos: hoc est absurdum: ergo. Confir. Quòd tres Divinæ Personæ non sint aliquid plus, quam una, inde est, quòd una non possit esse sine altera: hæc ratio non pugnat pro meritis Christi, ab invicem separabilibus: ergo non est paritas. Resp. neg. ma. modò enim sit diversitas inter ipsos actus denominativè sumptos, & unus sit altero difficilior, utique facile ostenditur charitas Christi ex eo, quòd voluerit potius actus difficiles ponere, & dignificare sua dignitate, quam faciliores. Certè SS. Patres charitatem Christi nobis ex eo maximè commendant, quòd pro nobis Dominus voluerit tam acerbam mortem pati, & totum sanguinem ad ultimam usque guttam profundere; cum, ut habet Clemens VI. citatus n. 350, suffecisset gutta unica: imò unicum suspurium. Ad confir. neg. ma. nam, si per impossibile tres istæ SS. Personæ non essent immensæ, nec metaphysicè inter se connexæ, vel necessariæ, modò haberent identificatam sibi Deitatem, esset una tanta, quantæ omnes tres.

358. Ob. 6. Inter æqualia non datur II. R. P. Ant. *Mayr Theol. Tom. II.*

bertas: ergo Christus non fuisset liber ad merita, si fuissent omnia æqualiter infinita: atqui fuit liber: ergo. Confir. Juxta nos darentur plura infinita sub eodem genere: hoc est impossibile: ergo. Resp. dist. ant. non datur libertas inter æqualia in omnibus. om. ant. inter æqualia duntaxat in uno aliquo, non autem in omnibus. neg. ant. & confeq. dein conc. subsumpt. & iterum neg. confeq. Ut non sit possibilis electio inter aliqua, debet in iis dari omnimoda in omnibus æqualitas; aliàs, licet sint æqualia in uno, si tamen sint inæqualia in aliis, potest inter illa dari electio, ut cuicque consideranti facile patet. Cum itaque merita Christi tantum fuerint æqualia quoad formam, vel quasi formam dignificantem, seu quoad dignitatem Verbi, non autem quoad speciem, vel etiam intensionem actuum, potuit utique ad ea dari libertas, & inter ea electio. Sed de hoc iterum infra, ubi de libertate Christi.

Ad confir. dist. ma. darentur plura infinita, ita, ut sub eadem forma, & materia, essent infinita. neg. ma. ita, ut tantum sub eadem forma, vel quasi forma, non tamen sub eadem, sed sub diversa materia, essent infinita. conc. ma. & dist. sic mi. neg. conf. scilicet datur tantum una infinitudo, nempe dignitas Verbi, quæ tamen denominat plura merita infinita: sicut sæpissimè eadem forma tribuit pluribus suam denominationem.

359. Ob. 7. contra 2. conclusionem. Opera, sine gratia facta, non sunt grata DEO: ergo omnis valor meritorum supernaturalium debet desumi ex gratia: ergo etiam valor operum Christi non est desumendus ex dignitate Verbi, sed ex gratia infusa Christi. Confir. In compensandis injuriis non attenditur ad dignitatem offensis, vel offendentis, sed ad quantitatem læsionis: ergo dignitas non venit ad rem. Resp. dist. ant. opera sine gratia non sunt grata DEO, nisi aliunde dignificentur. conc. ant. si aliunde dignificentur, ut fit in Christo. neg. ant. & sub eadem dist. conc. vel neg. primam consequentiam, & neg. absolute secundam. Ad confir. dist. ant. non attenditur ad dignitatem in compensandis injuriis realibus. conc. ant. in personalibus. neg. ant. & confeq. discrimen autem inter has injurias vide n. 312.

360. Ob. 8. *Act. 10. v. 34.* dicitur: *Non est personarum acceptor DEUS:* ergo DEUS non respicit dignitatem operantis, sed præcisè opus: ergo meritum, quod utique DEUS respicit, non constituitur ex dignitate operantis. Confir. 1. *Apoc. 22. v. 12.* dicitur: *venturus DEUS, reddere unicuique secundum opera sua:* & non secundum dignitatem: ergo dignitas non facit ad præmium, adeoque nec ad meritum. Confirm. 2. Actio humana non dignificatur à dignitate naturæ humanæ: ergo neque actio Christi à dignitate Christi.

Resp. neg. confeq. Textus ille tantum vult, in DEO non esse vitiosam acceptionem personarum: non autem non esse prudentem;

tem; datur enim & vitiosa, & prudens personarum acceptio. Sic in humanis non est vitiosa acceptio personarum, si regi habeas majorem honorem, quam rustico: at est vitiosa, si e. g. consanguineum indignum, vel minus dignum, promoveas ad officium, neglecto alio digniore. Hoc tamen addendum, DEUM non respicere dignitatem temporalem, aut naturalem, sed tantum supernaturalem, nempe filiationem DEI, vel adoptivam, vel naturalem.

361. Ad 1. confir. neg. conf. quia ipsa dignitas operantis reddit opus melius, & dignius. Nec DEUS respicit tantum opus materialiter sumptum; alias, si hoc absque omni bona intentione fieret, deberet id DEUS tamen remunerari. Ad 2. confir. neg. ant. Utique dignior est actio hominis, quam equi: e. g. si homo portet alterum hominem, quam si eum portet equus. Quod autem aliqua actio magis videatur æstimari in brutis, e. g. in simia, vel elephantem, quam in homine, id non fit, quod ex actionibus sint digniores (est enim manifestum, eas esse digniores in homine, ratione principii nobilioris, & rationalis modi agendi) sed quod sint mirabiliores. Hoc tamen etiam est verum, quod, cum omnes homines in natura humana sint æquales, utique in compensandis injuriis ad hanc dignitatem non attendatur. Adde, dignitatem constituentem actiones humanas sæpe non attendi; quia, quod communissimum est omnibus, quasi non curatur: & sicut ab assuetis non fit passio, ira neque fit ad ea specialis attentio.

362. Ob. 9. DEUS potuisset nolle merita Christi: non autem potuisset nolle dignitatem Verbi: ergo hæc est magis æstimabilis, neque constituit meritum. Confir. Saltem actus remissus Christi Domini non est capax tantæ dignitatis, quantæ capax est actus intensior: ergo unus non est tam dignus, quam alter: ergo non constituitur uterque ex dignitate Verbi. Resp. retorq. arg. DEUS etiam potuisset nolle Christum: ergo nec Christus constituitur ex Verbo. in forma dist. 1. p. antec. DEUS potuisset nolle merita Christi adæquatè sumpta, ita, ut omnia constitutiva eorum nollet. neg. ant. potuisset ea nolle inadæquatè sumpta, ut tantum nollet ipsas operationes. conc. ant. & neg. conseq. sic etiam potuisset DEUS nolle Christum secundum humanitatem.

Supposito autem, quod DEUS voluerit existere operationes Christi, non potuit nolle earum dignificationem, nec potuit merita Christi non infinite æstimare. Ad confir. neg. ant. nam capacitas ad dignificationem non stat in intentione, nec in alio prædicato, quam in hoc, quod sit actus virtutis, liberè à Christo elicitus, in quo prædicato omnes actiones Christi conveniunt. Sicut non minus est capax natura humana ad dignitatem Filii DEI, quam sit natura Angelica. Quod autem actus necessarii Christi non sint capaces meriti, provenit ex defectu

libertatis: interim tamen sunt valoris infirmitati, ut dictum n. 347.

363. Ob. 10. Verbum non reddit meritum Christi æternum, vel immensum: nec infinitum in intensione &c. ergo nec reddit illud infinitum in ratione meriti. Resp. 1. retorq. argum. Verbum etiam non reddit meritum Christi magis antiquum, quam e. g. meritum Abrahamæ: ergo neque reddit magis dignum, quam meritum Abrahamæ: quod est aperte falsum. in forma neg. conseq. Meritum non est capax illarum denominationum: attamen est capax, ut denominetur infinitum. Æternum est, quod non inceptit in tempore: at meritum Christi secundum rectum, seu operationem, inceptit in tempore (non ira Christus; nam rectus hujus concreti, scilicet personalitas Verbi, non inceptit in tempore) Rursus infinite intensum est, non quod habet aliquam infinitatem quamcumque, sed infinitatem intensiōis: at infinitas Divina non est infinitas intensiōis: & sic de alijs loquendo. Contra infinitum in ratione meriti, est omnne id, quod est meritum, & habet infinitam dignitatem: hanc habet meritum Christi, ratione ipsius suppositi Divini, cui actio illa tribuitur, & cujus dignitas meritum illud constituit.

364. Ob. 11. Dignitas præmiantis non auget præmium: ergo etiam dignitas merentis non auget meritum. ant. probatur, si dignitas præmiantis auget præmium, tunc DEUS minimo præmio condignè præmiaret maxima merita: hoc non potest admitti: ergo. Resp. ant. non est universaliter verum; nam certum est, quod sæpe dignitas præmiantis, si constituat præmium, istud augeat: certè sæpe actio personalis regis, facta in gratiam alterius, æstimatur magnum præmium, e. g. si rex vasillum invitat, propria oratione laudet, funus ejus comitetur, aut suo sepulchro inferat &c.

Verum neque etiam universaliter dici potest, quod dignitas præmiantis augeat præmium; nam, si rex bene merito e. g. duci juberet tantum dari obulum, si actio illa non esset signum honoris, vel illi non esset annexus quidam honor (ut fuit olim annexus coronæ quercinæ, vel lauro) certè videretur, eum potius velle ridere, quam remunerari. in forma om. ant. neg. conseq. ad prob. om. totum. In præmio attenditur potius utilitas merentis, quæ non habetur per se ex dignitate remunerantis: at verò in obsequio attenditur dignitas obsequentis, ut satis probatum.

365. Ob. 12. Poena, seu satisfactio, non crescit ex dignitate patientis: ergo nec satisfactio. prob. conseq. satisfactio substituitur satisfactio: ergo, si illa non crescit ex dignitate patientis, neque crescit ista. Resp. 1. ant. potest negari; utique enim minore supplicio censetur culpam expiare princeps, quam rusticus: certè principes non statim plectuntur capite ob homicidium, etiam maxime voluntarium. Nec obijcias, animas purgantes, licet inæquales in gratia, tamen ob æ-

quales culpas æqualiter puniri; nam propter hanc inæqualitatem nulla est dignior altera quoad statum; cum omnes sint æqualiter filii DEI adoptivæ: & secundum hunc gradum genericum hujus status attendatur dignitas satisfaciens, vel satisfacientis: non verò secundum intensiōem gratiæ.

Res hæc se habet, sicut, si quis ex pluribus causis, vel titulis, est factus Cardinalis; hic enim propterea non habet majorem dignitatem, nec meritum ejus sunt majora, quam alterius, qui factus est Cardinalis ex paucioribus titulis. Id quod alij non malè explicant etiam hac paritate: si duo sunt nobilitatis æquè antiquæ, licet unus sit tantum nobilis, alter comes, prior non est minus dignus, vel minus capax canonicatum cathedralium, quam posterior; quia tantum attenditur gradus genericus nobilitatis antiquæ. Aliud est, quod habens majorem gratiam aliquando facilius aliquid impetrare possit à DEO; nam impetratio non tantum habet vim ex dignitate personæ, sed sæpe ex affectu dantis, vel alijs circumstantiis &c.

Resp. 2. om. ant. neg. conseq. ad prob. dist. ant. satisfactio substituitur satisfactio: quoad omnia. neg. ant. quoad aliqua tantum. conc. ant. & neg. conseq. Satisfactio, & satisfactio, non debent in omnibus convenire: sufficit, si conveniant in hoc, quod satisfactio in suo genere sit tam æstimabilis, quam satisfactio in suo. Cæterum, si verum est, quod satisfactio non crescat ex dignitate patientis, id inde esse debet, quod dignitas in satisfactioem non influat, nec ullam causalitatem exerceat, adeoque non impendatur in illam, nec eam constituat: quæ tamen sunt valde dubia.

Quærendum nunc est, an satisfactio Christi fuerit ex rigore justitiæ commutativæ; nam legalis, & distributiva, hæc non veniunt ad rem. Ut autem hæc quæstio rite intelligatur, quærendum prius est, an homo possit obligari, vel actu obligetur DEO ex rigore justitiæ commutativæ: & vicissim, an DEUS actu obligetur, vel obligari possit ex rigore justitiæ commutativæ homini, vel alteri creaturæ: quas duas quæstiones ex tractatu de justitia in istum ritec, ut ex eorum tractatione altera de satisfactioem Christi facilius explicari queat.

ARTICULUS III.

An Homo possit obligari, vel actu obligetur DEO ex rigore Justitiæ Commutativæ.

366. Justitia commutativa est illa, cujus officium est adæquare, vel compensare jus proprietatis alterius: quod jus, ut diximus tr. de just. n. 5. rectè definitur potestas legitima voluntarie obligandi alios ad actionem, vel omissionem actionis in bonum proprium. Sic, qui emptione completa, seu pretio dato, &

traditione facta, comparavit sibi jus in aliqua re, e. g. in equo, acquisivit legitimam potestatem obligandi alios ad omissionem actionis, ad quam adhiberi potest hic equus, e. g. ad omissionem equitationis in hoc equo, se invito: & hoc in bonum proprium, ut ipse scilicet possit pro libitu uti equo: qui emit censum, acquisivit potestatem legitimam obligandi alterum ad actionem, seu dationem census annui. Pariter, qui ex rigore justitiæ satisfacit pro injuria, acquisivit legitimam potestatem obligandi offensum, ad remittendam offensam, seu, quod idem est, ad cedendum jure offensæ, aut jure ad vindictam, ita, ut non possit exigere ulteriorem compensationem. Hæc videntur supponenda; alias enim fiet multiplex, sed inutilis quæstio de voce.

367. Conditiones alterius requisitas ad condignam satisfactionem ex rigore justitiæ, examinat Lugo de incarnat. disp. 4. per plures sectiones, & alias adhuc addit. Formas de justitia à n. 520. certiores paucas adduco. Prima. Satisfactio debet esse ad alterum: quod tamen Lugo cit. disp. sec. 1. n. 2. rectè docet, intelligendum esse tantum ita, ut fiat alteri naturæ: & hoc necessario dicendum est ob satisfactionem Christi Domini; cum enim tota SS. Trinitas per peccatum offensæ fuerit, debuit Christus etiam sibi ipsi ut DEO satisfacere: de quo vide tr. de justit. n. 49. & 55. Imò sufficere potest aliquando alteritas, non in natura, sed in munere, e. g. si quis sit tutor, & simul debitor pupilli, tunc solvit debitor sibi ut tutori, & quidem ex justitia.

Secunda conditio. Solutio, seu satisfactio, fieri debet ex bonis, quæ non jam antea fuerunt creditoris, vel offensæ. Equidem huic conditioni potest opponi, quod fur satisfaciatur, si statim restituat eandem rem, quam abstulit, quamvis tunc non restituat aliquid, quod non sit creditoris; cum iste nondum perdidit dominium morale illius rei. At ad hanc objectionem potest reponi, aliud esse tantum restitutionem, aliud satisfactionem, prout hic sumitur; satisfactio enim non fit per idem, sed per æquivalentes; quod certè non debuit prius fuisse creditoris; alias, si furatus essem equum Pauli, satisfacerem, si redderem ei pretium ex pecunijs, jam antè ipsi proprijs.

Tertia conditio ex his consequens est. Satisfactio non debet fieri ex rebus, alio jam titulo creditoris, vel offenso debitoris; alias possem duo debita una solutione expungere; quod justè fieri non potest. Quarta. Satisfactio talis debet extinguere debitum, pro quo satisfit, ita, ut, si creditor satisfactionem accipiat, & non cedat jure suo, faciat debitori injuriam. Hæc quoque conditio admittitur ab omnibus: & videtur clarum esse, quod necessaria sit; alias inexplicabilis esset condignitas satisfactionis, ad justitiæ rigorem exactæ; nec enim pro uno jure plus, quam una solutio, vel adæquatio exigere potest. His positis

368. Dico 1. DEUS habet jus proprie-

tatis; in omnes homines, imò in omnes creaturas. ita communissime auctores, a quibus aliqui recedentes faciunt potius quaestionem de nomine, quam de re, de qua plura in objectionibus. Prob. concl. ex Scripturis. In primis de seipso dicit DEUS Psalm. 49. v. 1. *Meus est enim orbis terra, & plenitudo ejus.* & Psalm. 23. v. 1. dicitur: *Domini est terra, & plenitudo ejus, orbis terrarum, & universi, qui habitant in eo:* ergo DEUS est dominus orbis, & omnium in eo habitantium: nec tantum est dominus jurisdictionis, sed etiam proprietatis; quia dominium jurisdictionis non est in orbem terrarum inanimatum, qui tamen hic intelligitur, utpote distinctus ab inhabitantibus: & idem dominium tribuitur DEO in habitatores, quod in ipsum orbem inhabitatum.

Rursus *Isaia 64. v. 8.* dicitur de DEO: *Fictor noster es tu, & opera manuum tuarum omnes nos.* & *Job. 34. v. 19.* *Opus enim manuum ejus sunt universi:* ergo omnes sumus opus, seu effectus DEI: adeoque, sicut artificis est artefactum, ab ipso productum, jure proprietatis, ita eodem jure nos sumus DEI. Confirm. Omnis creatura est essentialiter serva DEI: sed serva, aut servus, spectat jure proprietatis ad dominum: ergo omnis creatura ad DEUM. Et hæ rationes, desumptæ ex eo, quod opera, & creaturæ, & servi DEI, spectent ad ipsum jure proprietatis, probant; non tantum homines, sed & Angelos, & omnes posibles creaturas, esse subjectas dominio proprietatis DEI, ut cuique consideranti facile patet.

369. Dico 2. DEUS vi sui juris proprietatis potest obligare homines ad ponendas quasvis actiones ipsis posibles, vel etiam ad eas omittendas. ita Haunoldus l. 4. tract. 1. n. 166. idemque supponit Suarez *opusculi de justitia. sec. 2. n. 9.* Prob. Homines sunt servi DEI, eique pleno jure subjecti: ergo vi hujus juris potest DEUS de ipsis, eorumque actionibus, plenissime disponere: & incomparabiliter magis, quam dominus creatus de suis servis, quos tamen iste potest obligare ad plurimas actiones, quæ scilicet ad ipsius utilitatem serviunt, & a servis moraliter poni possunt. Certè ex hoc jure DEUS potest, non tantum bona fortunæ pro libitu uni eripere, & alteri dare, ut fecit in Ægypto *Exodi 12. v. 36.* sed etiam potest pro libitu vitam dare, vel eripere: potest obsequia omnia homini possibile ab illo exigere, quin ad ullam mercedem retribuendam reneatur, nisi liberaliter eam promittere velit.

370. Dico 3. Actus tales, quos DEUS ab homine exigit, titulo juris proprietatis, vel justitiæ commutativæ, non sunt actus perfectæ justitiæ, saltem talis, qualis describitur a S. Thoma 2. 2. q. 57. a. 1. ad 3. ubi ait: *Justitia aequalitatem importat: DEO autem non possumus aequalens recompensare: inde est, quod justum secundum perfectam rationem non possumus reddere DEO: & iterum. 3. p. q. 85. a. 3. ad 2. Medium ju-*

stitia est aequalitas, qua constituitur inter illos, inter quos est justitia, ut dicitur in ethicorum: in quibusdam autem non potest perfecta aequalitas constitui propter alterius excellentiam, sicut inter patrem, & filium, inter DEUM, & hominem, ut Philosophus dicit in 8. ethicor. unde in talibus illis, qui est deficiens, debet facere, quicquid potest, nec tamen hoc erit sufficiens simpliciter, sed solum secundum acceptationem superioris.

Prob. Hæ actiones nunquam possunt esse æquales juri Divino: & quidem per se; quia per se jus Divinum non potest adæquare, & non tantum per accidens, uti fit, si debitor e.g. mille florenorum non est solvendo (nam jus ad eos florenos per se utique adæquare posset, licet hic & nunc, per accidens ob inopiam debitoris adæquare non possit) vel si servus non omnia facit, quæ potest; quia dominus non exigit; nam saltem posset servus, tantum facere, quantum dominus vi juris sui posset, hic & nunc exigere; cum id jus non se extendat ad exigenda infinita, sicut tamen se extendit jus DEI: ergo. Quare actiones, ad quas ponendas DEUS obligat vi sui juris proprietatis, possunt quidem dici actus justitiæ in sensu latiori, hoc est; debiti ex jure proprietatis: sed non possunt dici actus justitiæ in sensu strictiori, hoc est; justitiæ compensativæ, vel adæquativæ juris Divini, quod tamen requiritur ad actum justitiæ simpliciter dictum.

Et hæc est etiam ratio, cur juxta communem Theologorum, & Philosophorum, cum Aristotele, & S. Thoma, religio erga DEUM, & pietas erga parentes, non sint partes subjectivæ, sed tantum potestativa justitiæ; quia scilicet non potest reddi æquale titulo excellentiæ Divinæ, & beneficiæ parentum. Hinc non sufficit illa quorundam responsio, quod juri Divino saltem reddi possit æquale quoad illud, quod hic & nunc petit; nam sic etiam religio, & pietas erga parentes, posset reddi æquale, & hæc essent partes subjectivæ justitiæ; quod est contra communem. Itaque requiritur ad justitiam strictè talem, ut reddi possit æquale toti illi, quod quis vi sui juris petere potest, seu æquale toti juri, aut titulo.

371. Dico 4. DEUS, dum præcipit, vel prohibet, sub gravi aliquam actionem, obligat simul ex jure proprietatis. ita Suarez *opusculo de justitia. sec. 2. n. 9.* & plures alij: imò teste Lugoco (quamvis nobis non omnino consentiente) *de incarnat. disp. 3. sec. 3. n. 54.* communis. Prob. ratione Eximij Doctoris. Quando violatur præceptum grave DEI, fit DEO injuria strictè dicta, quæ obligat ad aliquam satisfactionem, qualis possibilis est: ergo læditur jus proprietatis DEI: ergo DEUS obligat ex hoc jure. ant. est communis doctrina Patrum, & Scripturæ. Sic dicitur *Isa. 1. v. 2.* *Filios enutrivimus, & exaltavimus: ipsi autem spreverunt me, & Jerem. 33. v. 8.* *Deliquerunt mihi, & spreverunt me. item ad Rom. 2. v. 23.* *Per prævaricationem legis DEUS in-*

honoras. Patres etiam, & Theologi omnes dicunt, quod per peccatum grave DEO inferatur injuria, dum nempe postponitur creaturæ, & saltem virtualiter contemnitur: addunt, quod homo propterea obligatus sit ad agendam poenitentiam, ut reparetur læsus DEI honor.

Prob. jam 1. conseq. Inobedientia purè talis, & non simul conjuncta cum inhonoratione superioris, vel læsione alicujus juris proprietatis ejusdem, non est injuria propriè dicta, multò minus obligat ad satisfactionem: ergo per peccatum grave non læditur tantum jus jurisdictionis Divinum, quatenus DEO non obeditur: sed læditur verè jus proprietatis DEI. Prob. etiam 2. conseq. Si DEUS non obligat vi juris proprietatis, istud non læditur, ut est clarum: sed, ut probatum est, læditur: ergo DEUS ex eo obligat.

372. Alij pro ratione adducunt, DEUM in Scripturis millies vocari dominum: item peccata vocari injustitias, iniquitates &c. Sed responderet Lugo, DEUM dici dominum ob dominium jurisdictionis, a quo ipse se dominum denominat, dicens *Malachia 1. v. 6.* *Si Dominus ego sum, ubi est timor meus?* qui timor non incurritur per se a domino proprietatis, sed a domino jurisdictionis. Quod spectat ad injustitias, & iniquitates, tales vocantur, non tantum actiones contra justitiam commutativam, sed etiam, quæ sunt contra justitiam legalem &c. imò quæcunque malicia formalis vocatur in Scripturis injustitia, vel iniquitas: quamvis per iniquitatem etiam possit intelligi peccatum injustitiæ contra proximum.

Unde mihi sufficit ratio prior, quæ etiam universaliter procedit de omnibus actionibus graviter præceptis, quæ si non exhibeantur, fit injuria DEO: licet etiam, si ponantur actiones graviter prohibite: adeoque DEUS ad eas, in tali circumstantia præcepti, vel prohibitionis gravis, ponendas, vel non ponendas, obligat ex jure proprietatis. Multò magis autem prohibet DEUS ex hoc jure actiones, immediatè, & per se læsivas honoris DEI, e.g. blasphemias, contumeliosas de DEO doctrinas, & similes. Dixi autem, DEUM obligare ex jure proprietatis, si obliget sub gravi; nam, cum venialia peccata non sint inhonoratio DEI, nec virtualis ejus contemptus, nec propriè dicta injuria DEI, non debet dici, DEUM etiam ista titulo juris proprietatis prohibere, vel actiones sub veniali præceptas ex hoc titulo exigere.

ARTICULUS IV.

Solvuntur Objectiones.

373. **O**B. 1. contra 1. conclus. DEUS non potest ex rebus creatis percipere utilitatem, vel commodum: ergo non habet jus proprietatis in eas. prob. conseq. jus proprietatis est jus disponendi de re in proprium com-

modum: ergo, Resp. dist. ant. DEUS non potest ex rebus creatis percipere commodum, vel utilitatem intrinsicam, seu qua intrinsecè melius se habeat. conc. ant. non potest percipere utilitatem extrinsecam, neg. ant. & conf. ad prob. dist. eodem modo, ant. & neg. conf. DEUS potest percipere ex creaturis honorem, laudem, & gloriam extrinsecam, atque ad hanc illas pro libitu ordinare: quod sufficit ad jus proprietatis; nam etiam in creatis, qui donat aliquid alteri, ut liberalitatis laudem referat, aliam utilitatem non percipit. Dein probabiliter dicitur, sufficere ad jus proprietatis solum bonum exercendæ libertatis, seu hoc commodum, quod quis pro libitu suo possit de re disponere, absque alia utilitate necessario intendenda. vide Haunoldum l. 4. tr. 1. n. 164.

374. Ob. 2. DEUS non potest voluntariè, sed debet necessariò obligare ad ea, quæ sunt juris naturæ: at qui honor e.g. & alia plurima, debentur DEO jure naturæ: ergo DEUS non potest ad ea voluntariè obligare: subsumitur: jus proprietatis tantum datur ad ea, ad quæ quis voluntariè potest obligare: ergo DEUS saltem ad plurima non habet jus proprietatis. Resp. neg. suppositum majoris. *Voluntariè, & necessariò,* non sibi opponuntur: sed tantum liberè, & necessariò; adverbium autem *voluntariè,* in definitione juris proprietatis positum, non significat determinatè voluntarietatem liberam, sed quæcumque in genere voluntarietatem, sive liberam, sive necessariam: qua de re vide plura in tract. de justitia v. 13. Potest etiam distingui ma. DEUS non potest ad illa obligare voluntariè necessariò, neg. ma. non potest obligare voluntariè liberè, omnia & omnia, etiam mi. iterum sub priori distinctione conc. vel neg. conf. ad subsumptum rursus eodem modo dist. ant. & neg. conf. Omis primum antecedens intellectum de libertate; quia posset distingui inter obligationem mediatam, & immediatam, de qua re vide tract. de justitia v. 14.

375. Ob. 3. contra 2. conclus. Nulla actio potest fieri, vel omitti, invito DEO: ergo nulla potest esse contra ejus voluntatem, seu obligationem juris proprietatis Divini: ergo DEUS non potest obligare ad ullam actionem ex jure proprietatis, prob. ant. nulla actio potest fieri, si DEUS eam efficaciter nolit: nec ulla omitti, si DEUS eam efficaciter velit: & hinc nulla fit, vel omittitur, nisi DEO permittere: ergo nulla fit, vel omittitur ipso invito. prob. etiam superior conseq. illa actio non est contra jus proprietatis, quæ non fit contra voluntatem habentis jus: atqui actio, quæ non fit invito habente jus, non fit contra ejus voluntatem ergo. Resp. neg. ant. ad prob. dist. 1. membrum ant. nulla actio potest fieri, si DEUS eam nolit efficaciter effective, conc. ant. si eam nolit tantum efficaciter affectivè, neg. ant. eodem modo dist. 2. membrum tertium autem simpliciter concedo: at iterum neg. conseq.

Utique DEUS est factus invisus, quod non

stant peccata, dum ea prohibet, dum peccantibus minatur æterna supplicia, eaque etiam sepius insinuat; quamvis absolute peccata non velit impedire; ut enim res aliqua fiat altero invito, non est opus, ut hic eam efficaciter impedire conetur, sed tantum, ut illam improbet, nolique efficaciter affectu, eam fieri, quamvis deinde illam permittat. Sic sæpe potentiores aliqua faciunt, quæ debiliores, seu inferiores, ex metu, vel alio respectu permittunt; quibus in casibus utique tamen læduntur: sufficit nempe etiam involuntarietas, qua quis rem efficaciter affectivè nolit.

Imò potest quandoque sufficere sola involuntarietas, seu nolitio cedendi suo jure, etsi quis actionem in se spectatam non omnino nolit. Id probat Haunoldus l. 4. tr. 1. n. 173. exemplo domini, qui cuperet, ut servus modicum quid furaretur, sicque daret sibi occasionem, ut posset ei infligere poenam. Deinde ex modo arguendi adversarium sequeretur, peccatum etiam non esse actum inobediendiæ: quod nemo dicit. Ratio est; quia etiam actus inobediendiæ debet esse aliqua actio, exercita invito superiore: atqui, si DEUS permittens peccatum non est invitus, peccatum non erit actus, exercitus invito superiore (nam DEUS peccatum permittit) ergo neque erit actus inobediendiæ: quod, cum falsum sit, clarum est, DEUM etiam permittentem posse esse invitum.

376. Ob. 4. contra 4. conclus. Providentiæ DEI utitur peccatis, etiam qua talibus, ad suos fines, ut testantur Scripturæ, & Patres: ergo ipsa peccata sunt usus liber, seu exercitium Divini domini, aut juris proprietatis: atqui tale liberum exercitium non potest esse læsio juris proprietatis Divini: ergo peccata non possunt esse læsio, seu offensio juris proprietatis Divini, adeoque neque contra hujus obligationem. Resp. Peccata nullo modo sunt exercitium liberum Divini domini; quia DEUS nullo modo ea liberè producit; neque enim est causa peccatorum libera, ut est de fide: sed tantum DEUS peccatis jam patris suo modo utitur, vel ea ordinat ad suos fines, e. g. ad poenitentiam, vel vindictam: sicut aliquando is, cui per injuriam excisa est arbor, ea utitur ad excitandum ignem. Hinc peccata vel maxime sunt contraria juri proprietatis Divini; quia DEUM privant honore suo debito, atque etiam actu præcepto, qui DEO ratione juris proprietatis debetur. in forma conc. ant. neg. conf. omisso deinde, conc. subsumpto, iterum neg. 2. conseq.

377. Ob. 5. Nullum peccatum est injuria DEI: ergo nullum peccatum est contra jus proprietatis Divinum. prob. ant. nullum peccatum potest DEO aliquod bonum auferre, vel aliquod damnum inferre: ergo nullum est injuria DEI. Confirm. Evitatio contemptus DEI est tantum finis extrinsecus præcepti, quo DEUS e. g. præcipit abstinere à furto (sicut præcepti Ecclesiastici, de servando jejunio in vigilia alieni;

jus Sancti, finis non intrinsecus, sed tantum extrinsecus, est cultus Sancti, ut habet communis) ergo DEUS non obligat sub ista ratione: adeoque actus, e. g. furto, non contrahit malitiam inhonoratiōis, seu contemptus DEI, & consequenter non est contra jus proprietatis Divinum.

Resp. neg. ant. ad prob. dist. ant. nullum peccatum potest DEO auferre bonum intrinsecum, vel ei damnum intrinsecum inferre. conc. ant. nullum potest auferre bonum extrinsecum, seu inferre damnum extrinsecum. neg. ant. & conf. Ut rectè ait Suarez opusculo de justitia num. 10. si nulla DEO inferretur injuria per peccatum, non deberetur ei satisfactio propter peccatum, præstanda per poenitentiam; saltem non deberetur ex alio capite, quam præcisè ex charitate, quæ obligaret ad redintegrandam cum DEO amicitiam: quod tamen est contrarium persuasioni omnium, qui non sunt præoccupati sententiâ adversâ. Sed & omnes sentiunt, injuriam etiam fieri illi, cui auferatur bonum extrinsecum, vel inferatur simile damnum.

Ad confirm. neg. ant. Inprimis plura præcepta gravia, quibus DEUS prohibet blasphemias, seu convitia contra se, & sanctissimum suum nomen: aut prohibet doctrinas sibi contumeliosas: item quibus præcipit, se coli, tanquam ens supremum, & similia, aperte pro fine intrinsecum habent honorem DEI. 2. In omni præcepto gravi, eoipso, quod DEUS præcipiat sub amissione suæ amicitiae, & præriorum æternorum, prohibet, saltem implicite, ne ista postponantur bono creato, aut temporali, & sic contemnuntur, atque ipse in istis. Saltem datur lex quasi reflexa, & universaliter in omnes obligationes graves influens, ne DEI amicitia, & bona ab ipso oblata, contemnuntur. Aliud est de peccatis venialibus, seu obligationibus levibus, ut jam supra dictum n. 344. & 372.

378. Ob. 6. Plurimi non agnoscunt hanc obligationem: ergo non peccant contra illam. Confirm. 1. Juxta nos quodlibet peccatum grave haberet speciem injustitiæ, quæ deberet in confessione exponi: atqui hoc gratis dicitur: ergo. Confirm. 2. Juxta nos peccato gravi etiam propter hanc circumstantiam specificam corresponderet gravior poena in inferno, vel etiam in purgatorio, casu quo post remissionem culpam gravem, adhuc aliquis deberet luere poenam temporalem pro illa: hoc iterum gratis dicitur: ergo. Resp. neg. ant. Omnes utique agnoscunt, peccatum grave esse injuriam DEI, & virtutem ejus contemptum, ac inhonoratiōem; hoc enim omnes docemur in catechesi à pueritia. Si autem ponatur aliquis, e. g. gentilis, non agnoscere in quovis peccato injuriam DEI, sed tantum aliquam inobediētiā, tunc, si invincibiliter eam speciem peccati ignoret, ipsam non contrahet, sicut contingit in plurimis aliis.

Ad 1. confirm. Resp. neg. mi. nam sufficienter probatum est, peccatum esse injuriam, adeoque continere in se speciem injustitiæ;

An Homo possit obligari, vel actu obligetur DEO ex rigore Justitiæ Commutativæ III

Justitiæ: hæc tamen species sufficienter exponitur in confessione, dum exponitur, quod peccatum commissum fuerit mortale; nam hoc ipso confessarius intelligit, quod DEO illata sit gravis injuria, adeoque peccatum fuerit contra jus proprietatis Divinum. Ad 2. confirm. neg. ant. saltem quatenus dicit, quod juxta nos gravior subeunda esset poena, quam in aliorum, imò omnium sententia; nam juxta omnes peccatum grave est gravis injuria DEI &c. & poena correspondens gravi injuriæ DEI est illa ipsa, quæ respondet speciali malitiæ contra jus proprietatis DEI: neque aliam novam adstruimus.

379. Ob. 7. Non potest pro peccato gravi dari DEO satisfactio proprie dicta: ergo peccatum non est proprie dicta injuria contra jus proprietatis Divinum. prob. ant. quidquid datur DEO, jam est ex alio titulo ipsius, nec potest facere DEUM ditiores: ergo nulla res potest esse respectu DEI satisfactio. Resp. dist. ant. Non potest DEO dari satisfactio, quæ sit ex se, & independenter ab acceptatione DEI, satisfactio in actu secundo. conc. ant. quæ sit satisfactio, saltem in actu primo. neg. ant. & conf. ad prob. conc. ant. & sub data distinctione iterum conc. vel neg. conseq.

Quando dicimus, quod debeat DEO aliquid, ratione peccati commissi, exhiberi à creatura in satisfactioe, inprimis non intelligimus debere exhiberi satisfactioem condignam à creatura sola; hæc enim, independenter à meritis Christi, talem satisfactioem exhibere non potest; unde DEUS eam ab illa sola etiam nequit exigere: non ex defectu juris sui, tanquam creditoris: sed ex defectu potestatis in creatura, tanquam debitore: sed tantum dicimus, debere exhiberi à tali creatura satisfactioem, quæ ipsi possibilis est, ut notavimus in probatione sententiæ. n. 369.

Secundò. Non dicimus, quod pro peccato debeatur satisfactio, quæ ex se talis sit in actu secundo; hoc est, quæ actualiter satisfaciatur pro debito, illudque extinguat, & ita quidem, ut DEUS obligetur ad eam acceptandam, & injuriam faceret satisfactio, si eà positâ peccatum non remitteret; nulla enim satisfactio creata, etiam conjuncta cum meritis Christi, vel ex his habens valorem, est talis independenter à liberali acceptatione DEI; quia, cum omnes actiones creatæ jam ex alio titulo sint DEO debitæ, nec iste fiat ullo modo, ut ita dicam, ditior, per positionem talium actionum, non debet eas acceptare in ordine ad extinguendum debitum: sed potest eas sibi accipere ex altero titulo, nempe juris proprietatis. Hinc talis satisfactio tantum habet potentiam, vel valorem in actu primo, ut scilicet, si DEUS eam velit acceptare, in ordine ad delendum peccatum, istud virtute illius deleatur: qua de re paulo post plura, quando agemus de satisfactioe Christi, & dicemus, quod non fuerit ex rigore justitiæ.

380. Dices 1. Quid ergo novi juris tribuit DEO peccatum? Resp. Non tribuit ipsi

novum jus novitate objecti, seu ad novum objectum; cum DEUS ad omnia jam prius jus habeat: sed tribuit ipsi suo modo novum jus novitate tituli, seu tribuit illi novum titulum, quem prius non habuit, ut nempe actio satisfactoria ipsi debeatur ex duplici titulo, scilicet titulo communi, quatenus creatura est, & titulo particulari, quatenus satisfactio est. Dices 2. Si hæc actio jam alio ex titulo ad DEUM spectat, non erit satisfactio. Resp. dist. illat. si DEUS non velit eam in hunc finem acceptare, conc. illat. si velit eam ita acceptare, neg. illatum.

Dices 3. DEUS potest pro libitu suo hanc actionem à creatura obtinere, & cum illa producere: ergo, si est satisfactio, ipse sibi satisfacit: sicut, si tutor sua in potestate habet bona pupilli, ut possit se ex his pro libitu solvere, ipse se solvit, accipiendo sibi debita ex illis bonis. Resp. dist. ant. potest DEUS eam actionem obtinere, & producere, ita tamen, ut creatura liberè cooperetur. conc. ant. ita, ut hæc non liberè cooperetur. neg. ant. & conf.

Ille, qui immediatè liberè ponit satisfactioem, dicitur satisfacere: sicut etiam ille, qui immediatè liberè ponit actionem meritoriam, dicitur mereri: hoc autem facit creatura. Quod spectat ad paritatem, additam de tutore, respondeo, in eo etiam casu moraliter solvere pupillum, licet non physice (cum finè hujus concursus physico solutio fiat) unde multò magis solvit, seu satisfacit creatura, sinè cujus physico, & libero influxu, satisfactio, vel solutio non datur.

ARTICULUS V.

An DEUS possit obligari Creatura ex Justitiâ Commutativa.

381. Dico. Non potest DEUS obligari creaturæ ex justitiâ commutativa strictè dicta.

ita Vasquez in 1. p. tom. 1. disp. 85. c. 2. ubi ait, neminem antiquorum oppositum docuisse. Lugo de incarnat. disp. 3. sec. 1. n. 4. ubi plures citat. Gormaz de justit. n. 523. qui n. 522. adhuc alios addit, Bernal, Eparza, Molina, Pallavicinus, Lessius, & recentiores complures: & quod majoris ponderis est, sentit nobiscum S. Thomas, qui 1. p. q. 21. a. 1. in DEO tantum admittit justitiâ aliquam distributivam: & hinc docet, retributionem pro meritis, vel peccatis, à DEO factam, reducendam esse tantum ad condementiam; quia scilicet decet DEUM, dare id, quod est ordinatum secundum ordinem Divinæ sapientiæ.

Sic enim ait art. cit. in corp. Dicitur à Philosopho in 5. ethic. justitiâ commutativa, vel directiva commutationum: & hæc non competit DEO, ut dicit Apostolus Rom. 11. Quis prior dedit illi, & retribuetur ei? deinde ad 3. ait S. Doctor: Et licet DEUS hoc modo debitum alicui det, non tamen ipse est debitor; quia ipse ad alia non ordinatur, sed

sed potius alia in ipsum: & ideo iustitia quandoque dicitur in DEO condecencia sua bonitatis, quandoque vero retributio pro meritis. Et utrumque modum tangit Anselmus dicens: Cum punis malos, iustum est; quia illorum meritis convenit: cum vero parcis malis, iustum est; quia bonitati tue condecens est.

Idem Angelicus l. 1. contra gentiles c. 93. n. 7. ait: Similiter etiam iustitia, quantum ad commutationis actum, DEO competere non potest; cum ipse a nullo aliquid accipiat: unde Rom. 11. Quis prior dedit illi, & retribuetur ei: & Job. 41. Quis ante dedit mihi, ut reddam ei? Per similitudinem tamen aliqua DEO dare dicimur, in quantum DEUS nostra data acceptat: non igitur sibi competit commutativa iustitia, sed solum distributiva. iterum in 4. dist. 46. q. 1. n. 1. in corp. ait: Iustitia commutativa, per quam equalitas constituitur inter DEUM dantem, & creaturam recipientem, DEO competere non potest secundum propriam acceptationem.

382. Nec dicas 1. S. Thomam, quando negat in priori textu, DEUM ex iustitia remunerari merita, tantum considerare merita, prout sunt in se, & non prout fundantur in gratia; nam planè indifferenter loquitur de meritis, utroque modo consideratis: sanè in objectione, seu argumento tertio, sibi absolute objicit, DEUM nulli esse debitorem: in responsione autem non distinguit inter debitum ex meritis, prout ex gratia facta sunt, & ex meritis, prout præcendant à gratia: sed simpliciter dicit, DEUM non esse debitorem, nisi ex condecencia suæ bonitatis.

Nec dicas 2. Aristotelem loc. cit. seu 5. ethic. c. 4. dicere, iustitiam tantum dari inter æquales, & consequenter, si S. Thomas absolute ejus doctrinam amplecteretur, nec dandam iustitiam commutativam in homine erga DEUM. Resp. enim, conc. totum, in hoc sensu, quod S. Doctor velit cum Philosopho, actus creaturæ erga DEUM non esse actus strictè dictos iustitiæ commutativæ respectu DEI, ut diximus n. 370. & probavimus ex S. Thoma: quamvis ex hoc non sequatur, DEUM non habere jus proprietatis in creaturis, ut ibidem probatum est.

383. Prob. jam conclusio 1. ex SS. Patribus. S. Augustinus l. 1. confess. c. 4. alloquens DEUM ait: Reddis debita, nulli debens, donas debita, nihil perdens. & l. 3. de lib. arbit. c. 16. ait: DEUS autem nulli debet aliquid; quia omnia gratuito præstat... quid ergo ei prærogas, ut tanquam debitum possas? S. Anselmus in prosolog. c. 10. ait de DEO: Iustus es, non quia nobis reddis debitum: sed quia facis, quod decet te summe bonum. S. Bernardus serm. 1. in festo annunc. B. V. Neque enim talia sunt hominum merita, ut propterea vita æterna debeatur ex jure, aut DEUS injuriam aliquam faceret, nisi eam donaret. Hi textus sanè satis clarè negant, DEUM obligari homini ex iustitia commutativa: e contra illi, quos ad-

versarij afferunt, valde commodè explicatur de iustitia, non commutativa, sed generali, de qua sæpe in Scripturis fit mentio. sic Matth. 5. v. 6. dicitur: Beati, qui esuriant, & sitiunt iustitiam. & v. 20. Nisi abundaverit iustitia vestra plus quam scribarum &c. item Matth. 3. v. 15. Sic enim decet nos implere omnem iustitiam: ubi certè non est sermo de iustitia commutativa: sic etiam Tridentinum sess. 6. c. 7. gratiam sanctificantem vocat iustitiam.

384. Probatur conclus. 2. ratione. DEUS est dominus omnium creaturarum, & non tantum dominus altus, seu jurisdictionis, sed etiam dominus proprietatis, & quidem dominium ejus est ipsi essentialia: ergo non potest hoc à se abdicare: ergo non potest creaturæ tribuere jus proprietatis contra se: ergo nulla creatura potest DEUM ex jure proprietatis sibi obligare: consequenter si legittimè; nam, quod est essentialia, non potest deponi, seu abdicari; non enim potest ab homine abdicari animalitas, vel rationalitas, vel risibilitas; si autem jus abdicari non potest, neque potest alteri tribui.

Antecedens quoad 1. & 2. partem probatum jam est n. 368. prob. nunc quoad 3. partem, sive probatur, hoc dominium esse DEO essentialia. Omne dominium, quod habet DEUS, competit ipsi ratione essentialia, vel naturæ Divinæ (sicut ratione ejusdem ei competit potestas omnia producendi; nam, sicut omnipotentia est communis tribus Personis, ita etiam dominium: & sicut omnes tres sunt tantum unus omnipotens, ita sunt tantum unus dominus, ut expressè dicitur in simbolo S. Achanasij) sed quod DEO competit ratione naturæ, vel essentialia Divinæ, ei essentialiter competit, ut clarum est; aliàs dicam, quod nec omnipotentia essentialiter ei competit: ergo dominium competit essentialiter DEO, sive ipse est essentialiter dominus proprietatis.

385. Confirm. 1. & simul explicatur hæc ratio. Quævis creatura, adeoque quævis actio creata, est essentialiter, & inabdicabiliter subjecta Divino dominio, vel juri proprietatis Divino: ergo DEUS quamlibet actionem creatam liberrimè, absque omni ullius injuria, sibi assumit, quin pro ea aliquid reddat: ergo nunquam ex iustitia potest obligari à creatura; aliàs enim accipiendo e. g. actionem creaturæ, & eam non compensando, faceret illi injuriam.

Confirm. 2. Servus ut servus non potest acquirere, vel habere jus proprietatis contra dominum: atqui omnis creatura sub omni prædicato est serva DEI, & quidem essentialiter: ergo non potest acquirere, vel habere jus contra DEUM. ma. est certa in omni jure; nam, quidquid habet, vel acquirit servus ut servus, domino acquirit, vel habet. Quod autem aliquando inter creaturas servus aliquid habeat proprium, inde est, quod hæc servitus non sit essentialis, sed accidentalis, & possit tolli, vel partialiter, vel totaliter, & sæpius partialiter tollatur: quo casu homo ille sub ea ratione non

non est servus, potestque habere jus etiam contra dominum suum. At verò servitus creaturæ respectu DEI est essentialis, & nec partialiter potest tolli; tum quia essentialia Divina indivisibilia est, adeoque etiam jus DEI; tum quia non est vel minimum qui in creatura, quod non sit essentialiter dependens à DEO, ejusque dominio.

ARTICULUS VI.

Solvuntur Objectiones.

386. **O**B. 1. Sacra Scripturæ pluribus in locis dicunt, DEUM esse iustum: item præmium æternum vocant coronam iustitiæ, debitum, mercedem, denarium diurnum, depositum &c. sed hæc significant iustitiam commutativam: ergo DEUS obligatur creaturæ ex iustitia commutativa. Confirm. SS. Patres (quos vide apud Lugonem de incarnat. disp. 3. sec. 2. n. 33.) DEUM vocant iustum debitorem coronæ: ergo DEUS obligatur ex iustitia. Resp. neg. mi. Iste locutiones tantum significant iustitiam aliquam generalem, vel latè sumptam, de qua n. 383. vè fidelitatem, vel aliquam æqualitatem proportionis, aut iustitiæ distributivæ.

Audiat S. Thomas in 4. dist. 46. q. 1. n. 1. quæstiunc. 1. ad 4. Inter dominum, & servum, non potest esse iustitia commutativa proprie dicta; non enim potest aliqua equalitas secundum quantitatem inter eos constitui; cum totum, quod est servi, sit domini: servatur tamen aliquis modus iustitiæ commutativa, prout inter eos invenitur equalitas proportionis; unde etiam Philosophus in 5. ethicorum distinguit dominativum iustum à iusto politico, quod est proprie dictum: & per hunc etiam modum potest esse iustitia DEI ad creaturam. Ad confirm. neg. conseq. & dico, etiam SS. Patres loqui de iustitia latè sumpta; aliàs contradicerent alijs Patribus, à nobis citatis: quod dici non debet sine aperta necessitate.

387. Ob. 2. Omnis virtus, quæ non involvit imperfectionem, debet attribui DEO: sed iustitia commutativa non involvit imperfectionem: ergo debet attribui DEO. Confirm. 1. Est iustitia commutativa in creaturis dicat aliquas imperfectiones, potest tamen depurari ab illis, & sic DEO attribui: ergo. Confirm. 2. DEUS utique potest cuique tribuere jus suum: sed hoc est exercere iustitiam commutativam: ergo. Resp. conc. ma. neg. mi. involvit enim iustitia commutativa, exercenda à DEO erga creaturam, abdicacionem juris Divini, & exemptionem, saltem partialem, creaturæ à servitute erga DEUM, quæ est imperfectio respectu DEI.

Nec dicant adversarij, manere tamen DEO dominium altum, et si abdicet jus bassum; nam non tantum dominium altum, sive jurisdictionis, sed etiam dominium proprietatis DEI, est inabdicabile; cum æquè fundetur in essentialia Divina: imò si DEUS tantum

R. P. Ant. Mayr Theol. Tom. II.

tum retineret dominium altum, seu jurisdictionis, non posset, nisi exigente majore utilitate creaturarum, sine injuria earum, disponere de rebus creatis (sicut princeps creatus ex dominio alto id tantum potest ob majorem, seu publicam utilitatem) quod admitti non potest; cum utique DEUS debeat posse, pro suo libitu, liberè de omnibus disponere, sine cujusquam injuria.

Ad 1. confirm. neg. ant. quia non potest manere conceptus iustitiæ commutativæ, si depurari debeat à dictis imperfectionibus, nisi fiat quæstio de voce. Equidem videtur talem quæstionem de voce facere aliqui, dum ajunt, dari in DEO longè aliam iustitiam commutativam, quam in creatis, quæ nullam post se trahat abdicacionem juris: sed hac ratione poterimus etiam dicere, dari in DEO pœnitentiam, intelligendo per eam longè aliam virtutem, quam intelligamus in creaturis: quod esset paradoxum. Scilicet debet post demptas imperfectiones manere adhuc conceptus virtutis verus, & communiter adstrui solitus, si ea virtus debeat posse DEO attribui: quod de iustitia commutativa dici non potest.

Ad 2. confirm. dist. ma. DEUS potest utique cuique tribuere jus suum, quod sit jus adversus DEUM. neg. ma. quod sit jus adversus alias creaturas. conc. ma. & dist. sic mi. neg. conseq. Cum creatura habere non possit jus contra DEUM, ut probatum est, etiam DEUS non potest hoc illi tribuere: tribuendo autem tantum jus Petro, quod habet adversus Paulum, non verò adversus DEUM, tam parùm exercet DEUS iustitiam commutativam, quam parùm judex, adjudicando Cajo litem contra Titium.

388. Ob. 3. Promissio, facta sub conditione onerosa, post impletam eam conditionem obligat ex iustitia commutativa: sed DEUS promissit hominibus, sub conditione onerosa bonorum operum, vitam æternam, & Christo Domino, sub conditione mortis, remissionem peccatorum generis humani, & istæ ambæ conditiones sunt impletæ: ergo DEUS Christo, & hominibus, in gratia decedentibus, est obligatus ex iustitia commutativa. Resp. neg. ma. nam, si promittens nolit se obligare, vel non possit ex iustitia, obligatur tantum ex fidelitate.

Exemplum affert Lugo de incarn. disp. 3. sec. 2. n. 48. in subdito Religioso, cui si Prælatus, sub conditione onerosa, aliquid promittat, ad Religiosi usum spectans, e. g. librum, nullo modo obligatur ex iustitia; quia Religiosus non potest habere jus, nec Prælatus potest à se abdicare potestatem, quovis momento revocandi usum illius libri: de quo etiam videri potest Layman l. 4. tr. 5. c. 7. n. 19. sed certè non magis potest à se abdicare DEUS jus suum in omnem creaturam, nec magis potest creatura habere jus contra DEUM.

Unde etiam falsum est (quod adversarij supponunt) posse DEUM omnino donare, strictè loquendo; non enim potest DEUS transferre jus suum in alium, & alteri dare

ius contra se, quod requiritur ad donationem strictè dictam: sed tantum potest transferre jus unius creaturæ in aliam, dando ipsi jus contra alias creaturas, ita, ut DEUS nunquam abdicet jus suum proprietatis in eandem rem: in ordine autem ad se potest creaturæ tantum dare purum usum facti, de quo *tract. de just. n. 89. & n. 174. & seq.*

Aliud exemplum affert Gormaz *de incarnat. n. 491.* de usura. Propositio 42. inter 65. ab Innocentio XI. damnata ita habet: *Usura non est, dum ultra sortem aliquid exigitur, tanquam ex benevolentia, & gratitudine debitum: sed solum, si exigatur tanquam ex iustitia debitum:* ex damnatione autem, & consequenter falsitate huius propositionis infertur, quod possit dari promissio sub conditione onerosa dandi mutuum, quæ non obliget ex iustitia, sed tantum ex benevolentia, & gratitudine: quæ obligatio, cum homini honesto fiat gravis sit, vitium usuræ post se trahit.

Discrimen tamen adhuc est inter talem promissionem sub conditione onerosa, & simplex propositum; quia istud non exigit conditionem onerosam: neque etiam obligat ex fidelitate, sed ad summum ex virtute opposita inconstantia: & minor causa iustificat mutationem propositi, quam non implementationem promissionis. vide *tract. de just. n. 481.* Quod autem in humanis ordinariè promissio sub conditione onerosa obliget ex iustitia, inde est; quod taliter promittens censetur, se ex iustitia obligare; eo quod alias promissarius sæpe graviter deciperetur, dum ipse, quod suum est præstat: non autem vicissim alter, quod ipsius est.

389. Ob. 3. Non repugnat DEO obligatio ex fidelitate: ergo nec ei repugnat obligatio ex iustitia. Confirmatur. Non repugnat DEO, habere jus ligatum, circa aliquas operationes creaturæ: ergo, si creatura illas operationes eliciat, poterit acquirere jus contra DEUM, adeoque per illas DEUM solvere, solutione spectante ad iustitiam commutativam. Resp. conc. ant. & neg. conseq. Obligatio ex fidelitate est tantum obligatio ad aliquod exercitium dominij Divini; cum ergo non repugnet exercitium dominij Divini, neque libertas Divina, etiam non repugnat libera illa obligatio. At verò obligatio ex iustitia non esset tantum exercitium, sed etiam abdicatio alicuius dominij Divini, & quasi translatio ejusdem in aliquam creaturam, quæ translatio, seu abdicatio impossibilis est.

Sic etiam Prælatus Religiosus potest se obligare ex fidelitate, ad dandum aliquid subdito in ordine ad ejus usum: non verò potest se obligare ex iustitia. Et nunquid DEUS potest, ex fidelitate etiam se obligare ad non producendum aliquid? an potest etiam abdicare se, vel partialiter omnipotentiam suam, ut aliquid reddat absolute, & antecederent, non amplius ab omnipotentia producibile, vel etiam sine ejus concursu producibile, si ve non amplius subjectum omnipotentia? Ad confirm. dist. ant. Non repugnat,

DEO, habere jus ligatum ex fidelitate, vel veracitate. conc. ant. ligatum ex iustitia. neg. ant. & conseq. Ligari ex fidelitate est ligari ex libera determinatione suppositi: quod utique DEO fidelissimo, & simul immutabili, non est contrarium: at verò ligari ex iustitia est ligari ex jure alterius, quod hic habet contra ligatum: sed, ut jam dictum, creatura nullum jus habere potest contra DEUM: sicut etiam DEUS non potest subesse ulli creaturæ; unde omnes Patres, & Theologi explicant in sensu metapharico illud *Josue 10. v. 14. Obediente DEO voci hominis.*

ARTICULUS VII.

Solvuntur reliquæ Objectiones.

390. **O**B. 4. Non repugnat, quod jus DEI adæquetur, vel extingatur: ergo nostra probatio est nulla. ant. prob. 1. si creatura destruat, tunc etiam perit jus DEI in illam. 2. si fiat actus præceptus, adæquatur jus DEI præcipientis. 3. si peccatum remittatur, extinguitur jus puniendi, quod DEUS prius habuit: ergo. Resp. dist. ant. Non repugnat, quod extingatur jus DEI essentialiter, suo modo conditionatum. neg. ant. absolute. subdist. quod extingatur quoad totam suam essentialiam. neg. ant. quoad aliquod quasi complementum, vel quoad purificationem conditionis. conc. ant. & neg. conseq.

DEO non est essentialiter totum absolutum dominium actuale in creaturas; hoc enim clarè exigit pro aliquo quasi complemento ipsas creaturas existentes: sed tantum est DEO essentialiter dominium conditionatum, hoc est, ut, si creaturæ existant, necessariò ipse sit actualiter earum dominus proprietatis: sicut omnipotentia non necessariò actualiter influit in productionem creaturarum, sed tantum conditionatè, hoc est, si aliqua creatura producat, omnipotentia essentialiter in eam influit: atque adeò existentia creaturæ est purificatio conditionis, vi cujus dominium DEI quasi conditionatum (intellige non conditionatè existens, sed conditionatè respiciens creaturas, sive non conditionatum subjective, sed objective) fiat absolutum.

391. Quare potuisset quidem contingere, ut DEUS non haberet ullius creaturæ actuale dominium, si scilicet nullam produxisset (& sic id non habuit ante creationem mundi) at, postquam creaturæ productæ sunt, necessariò sub jure, & dominio DEI existunt. Hinc quidem potest extingui, seu tolli aliquod quasi complementum dominij Divini actualis (sicut etiam potest tolli hæc denominatio, partialiter extrinseca DEO: *actualis dominus creaturæ*) non tamen potest adæquari, vel extingui ipsum jus essentialiter, & conditionatum, ita, ut non statim, posita conditione, fiat absolutum: atque adeò semper verum est, quod jus DEI, etiam actuale, tamdiu sit inabdicabile, & in-

extinguibile, quamdiu existit creatura: in quo stat ratio nostræ conclusionis.

Addendum hæc, quod nec illud quasi complementum dominij actualis, sive existentia creaturæ, possit ab ulla creatura tolli ex iustitia; cum id nulla creatura possit, nisi habendo jus contra DEUM, quod ex dictis, neque habere, neque acquirere potest; nam, si id acquirere posset, deberet id posse, exhibendo DEO aliquam actionem creatam: at quamcunque actionem creatam exhibeat, eam DEUS ex alio titulo, nempe dominij sui, potest sibi assumere, quin propterea creaturæ ad aliquid ex iustitia faciendum, vel omittendum obligetur; quare creatura nunquam potest DEUM obligare, ad non conservandam, vel ulterius permittendum, illud quasi complementum juris sui actualis. Hinc ad 1. prob. resp. dist. ant. si perit, vel destruitur creatura, perit jus DEI, quoad aliquod quasi complementum. conc. ant. quoad essentialia sua. neg. ant. & conseq. nam, si creatura denuò reproducatur, iterum essentialiter erit sub dominio DEI.

392. Ad secundam probationem, seu ad paritatem cum actu præcepto. Resp. In primis videtur falsum, quod posito illo actu præceptum necessariò adæquetur; nam, si DEUS noller esse contentus eo actu, posset semper dicere: *Nolo hunc actum accipere tanquam adimpletivum præcepti, sed eum mihi assumere ex alio fine, & jure, & hinc peto alium, & alium actum, ratione hujus præcepti.* Si dicas, ita homini fore impossibile satisfacere præcepto. Resp. 1. non debere hominem posse adæquare jus Divinum. Resp. 2. etsi DEUS non possit semper plura, & plura in infinitum petere, sed debeat aliquando esse contentus; quia impossibilia præcipere non potest: hoc tamen non provenire ex defectu juris præcipiendi, sed ex defectu virium in creatura, à qua DEUS infinitum expectare non potest.

Sed dato etiam, at non concessio, quod satisfiat præcepto, actum eliciendo, maxime si DEUS præciperet actum in individuo, per hoc tamen non adæquaretur totum Divinum jus præcipiendi; eum DEUS statim posset alium actum præcipere: & sic etiam, si exhiberetur DEO unus actus, quem ex jure proprietatis exigeret, etsi fors dici posset, adæquare illam formalitatem juris Divini, quæ respicit præcisè illum actum, non propterea posset dici, totum jus DEI esse adæquatum; quia semper alios actus posset DEUS exigere: nec posset per unum actum positum acquiri jus contra DEUM, ne alios exigeret.

Quando autem dicitur, jus adæquare, intelligitur totum; aliàs, qui Petro deberet centum, si daret decem, quibus adæquaret aliquam partem juris ejus, diceretur adæquare jus Petri, quod est falsum. Adde, in ordine ad præceptum, quod præcisè per obedientiam impletam creatura non acquirit jus contra DEUM, sicut nec servus contra dominum: adeoque hæc paritas non facit ad rem. Ad tertiam probationem, seu

paritatem, cum jure Divino puniendi, dico, quod jus puniendi in DEO, quoad essentialiam suam, sit conditioneratum, si scilicet detur peccatum necdum remissum: sit autem absolutum, & actuale posito peccato, nondum remisso: at verò sublato peccato non datur amplius jus actuale, & absolutum puniendi: si tamen peccatum iterum rediret, statim essentialiter rediret jus puniendi. Et sic suo modo etiam se habet jus proprietatis Divinum, ut explicatum est *in præced.*

393. Ob. 5. In DEO non tantum datur jus altum, sed etiam jus bassum: sed jus bassum potest abdicari: ergo hoc jus potest DEUS in creaturam transferre, & dein vi illius obligari ex iustitia. Confirm. Potest princeps creatus manente jure alto contrahere cum subdito ex iustitia commutativa: ergo etiam DEUS cum creatura. Resp. om. ma. neg. mi. Jus bassum aliàs dicitur jus privatum, vel partis ad partem, quod datur etiam in principibus; quia isti non sub omni ratione sunt superiores; cum non sint domini proprietarii respectu bonorum, subditis propriorum; unde possunt contrahere cum subditis, & obligari ex iustitia commutativa non ita se habet res in DEO, & hinc in isto sensu non datur jus bassum in DEO.

Sed & ob aliam rationem omni majorem, non concessio; quia non videtur aliquod jus DEI dicendum bassum; omne enim jus DEI fundatur in natura Divina, quæ bassa, sive inferior, non est. Quod si tamen velis, in aliquo sensu valde lato, jus proprietatis DEI dicere jus bassum, istud, quomodocunque vocetur, non est abdicabile in DEO; cum sic ei essentialiter: quamvis sit abdicabile in principibus creatis, in quibus est accidentale. Ad confirm. conc. ant. neg. conseq. vel certè ejus suppositum, quod ratio nostra, ob quam DEUS contrahere non possit cum creatura, sit dominium altum; non enim istud, sed inabdicabilitas juris Divini, & impossibilitas exemptionis creaturæ, à servitute omnimoda respectu DEI, est ratio nostra. vide *n. 387.*

394. Ob. 6. Creatura habet verum dominium libertatis in suos actus, ut ipsos possit elicere, vel non elicere pro libitu: ergo potest cum DEO inire contractum ex iustitia, de iis elicendis, & recipiendo ob eos præmio. Confirm. Creatura potest facere contra DEUM injustitiam strictè dictam: ergo etiam actum iustitiæ: sed per hunc potest DEUM obligare ex iustitia: ergo. Resp. Etiam servus habet dominium libertatis in suos actus, & labores; quia certè physicè est liber, qui possit ex iustitia inire contractum cum domino de præmio. in forma dist. ant. creatura habet dominium subjectum dominio DEI. conc. ant. independens à dominio DEI. neg. ant. & conseq. eo ipso enim, quod creatura eliciat actus, ponit eos sub jure proprietatis DEI, ut hic eos possit sibi assumere sine ulla compensatione, sicut dominus potest sibi assumere actiones servi. Quod autem DEUS bene agentibus debeat proponere præmium (nam ex hoc probantur plures

plures immortalitatem animæ) non provenit ex titulo juris, residente in creaturis, sed ex titulo rectæ providentiæ, residente in DEO.

395. Ad confirm. conc. ant. neg. conf. Licet possit aliquid contra jus DEI fieri: tamen ipsius jus non potest adæquari. Disparitas autem inter justitiam, & injustitiam est, quod peccatum injustitiæ sit malum, quod dicitur oriri ex quocunque defectu; unde, licet non possit adæquari jus totum DEI, si tamen possit aliquid dari, & illud non detur, sit jam injustitia; quia jus domini, seu DEI potest ad hoc obligare. At verò virtus justitiæ est bonum, quod debet esse ex integra causa; unde justitia ad suos actus non tantum requirit, ut aliquid detur, sed etiam ut jus adæquetur: quod non potest creatura erga DEUM. Si velles inferre, hac ratione etiam à filio posse contra patrem fieri injustitiam, si ille non faciat, quod huic debet ex pietate. Resp. neg. illatum; nam pater non habet ad illa strictum jus proprietatis. Aliud esset, si filius patrem læderet in iis, ad quæ pater habet jus proprietatis: e. g. pater habet tale jus, ut à filio non infametur, & utique fieret à filio injustitia contra patrem, si cum infamaret.

396. Ob. 7. Servitus erga dominum creatum impedit etiam, ne servus aliquid mereri possit à domino: servitus erga DEUM hoc non impedit: ergo non est paritas inter unam, & alteram servitutem. Confir. Ideo servus in creatis nihil juris potest acquirere contra dominum; quia censetur una persona cum ipso: atqui creatura non censetur una persona cum DEO: ergo. Resp. dist. 1. p. ant. servitus illa impedit, ne servus aliquid mereri possit ex justitia. conc. ant. ex fidelitate. neg. ant. & dist. proportionaliter 2. p. antec. neg. confeq. Etiam in creatis potest dominus servo ex fidelitate aliquid promittere, si hoc, vel illud faciat, quo casu merebitur servus ex fidelitate.

Nec dicas, S. Thomam. *in 4. dist. 15. q. 1. a. 2. ad 2.* docere, non esse similem servitutem erga dominum creatum, ac erga DEUM; eoquod servi respectu domini creati nihil sit proprium: at verò servi DEI sit aliquid proprium propter libertatem arbitrii. Resp. enim, S. Thomam non docere, quod aliquid sit proprium servi DEI, sed tantum, quod hic habeat libertatem circa suos actus, quam non habet servus domini creati circa suos: ex quo infert S. Doctor, nos posse DEO aliquam compensationem facere, seu præstare satisfactionem pro injuriis, quam servus domini creati non potest præstare suo domino: adeoque juxta S. Doctorem disparitas fiat in hoc, quod dominus creatus non relinquat servo suo libertatem applicandi opera sua ad faciendam compensationem pro injuria, sed ea sibi assumat ex titulo juris proprietatis: DEUS autem servis suis relinquat hanc libertatem, & eorum opera acceptet. In ordine ad satisfactionem sibi dandam pro injuriis: quod tamen non facit ex ulla obli-

gatione justitiæ, sed ex mera liberalitate benignitate.

Ad confirmat. Resp. dist. ma. & hæc unitas personæ est ratio à priori, neg. ma. est tantum ratio à posteriori. om. ma. & conc. vel omisa. mi. neg. confeq. ideo enim censetur servus in creatis una persona cum domino; quia nihil potest sibi acquirere, & omnia ipsius sunt sub jure domini: quod jus oritur ex alio titulo antecedente, scilicet ex lege, vel jure gentium &c. in DEO autem jus oritur ex ejus essentia. Dein, licet unus titulus, ex quo incapacitas juris proprietatis nascitur in servo, non adit respectu DEI, sufficit, si adit alius: nec probari potest, quod illa moralis unitas personæ sit essentialis requisitum ad incapacitatem juris.

397. Ob. 8. Servitus creaturæ erga DEUM non impedit, quo minus creatura sit filia adoptiva, & amica DEI: ergo neque impedit, quo minus habeat jus contra DEUM. Resp. neg. conf. Quod creatura sit filia, & amica DEI, non infert, quod habeat, aut possit habere jus contra DEUM, sed tantum, quod DEUS eam benevolentia sua completatur, & ex amore, vel fidelitate, ei multa bona conferat. Sed nec filiatio ista, aut amicitia, tollit statum servitutis; quia hic est essentialis creaturæ. Hinc quoad istud non est paritas cum servitute erga dominum creatum; hæc enim, cum accidentalis sit, & per legem inducta, potest per eandem legem tolli: & tollitur defacto per adoptionem, ut habetur *g. ultimo Instit. de adoptionibus*, non ita potest tolli servitus essentialis creaturæ respectu DEI.

398. Ob. 9. Non repugnat dominium duorum in solidum, nec repugnat juxta nos, ut quis in eodem instanti sit servus, & liber, ut dicitur *in tract. de just. n. 111. & 114.* ergo creatura potest simul esse serva DEI, simul libera, itémque habere jus in aliquam rem contra DEUM, et si DEUS etiam habeat jus in illam rem: ergo potest cum DEO contrahere ex justitia. Resp. dist. ant. non repugnant ista inter creaturas respectu aliarum creaturarum. conc. ant. non repugnant inter DEUM, & creaturam. neg. ant. & confeq. Ideo diximus *loc. cit.* posse dari dominium tale; quia potest unus donare, vel vendere alteri jus suum, vel libertatem, ita, ut in sequenti instanti donans, vel vendens, non amplius habeat jus; non enim admittimus dominium duorum in solidum perseverans. At DEUS non potest ita donare; quia non potest pro sequenti instanti jus suum in creaturam abdicare.

Sed neque pro primo illo instanti DEUS hoc potest; quia, ut *eod. tr. n. 119.* diximus, donans post factam donationem, seu ex suppositione, aut in sensu composito hujus, faceret injuriam donatario, si etiam in eodem instanti rem ei non relinqueret: DEUS autem non potest unquam facere creaturæ injuriam, quandounque, vel quomodoque velit, quamcumque rem creatam sibi assumere, & nulli alteri eam relinquere. Unde, etiam, ut rectè ait Lugo *de incarn. disp.*

disp. 3. n. 27. donatio DEI, quæ est actus voluntatis, æternum duret, & quidem ut libera, adeoque DEUS semper habeat libertatem eandem, tamen, si aliquod jus in creaturam transferret, non amplius haberet libertatem, sine injuria creaturæ de illa re disponendi. Videtur etiam mihi iste actus DEI penitus otiosus, adeoque eum dedecens: ad quid enim dem alteri jus, quod ille nunquam potest absolute contra me habere, & quod ego omnino abdicare absolute non possum?

ARTICULUS VIII.

An Christus satisfecerit ex Rigore Justitiæ.

399. **D**ico. Satisfactio Christi Domini non fuit ex rigorosa justitia commutativa. ita

Vasquez. *in 1. p. disp. 85. c. 4. n. 25.* Lugo *de incarn. disp. 3. sec. 1. n. 4.* Gormaz *de incarnat. n. 494.* & plures ab his citati. Probat. Christus non potuit acquirere per suas actiones tale jus adversus DEUM, ut, si hic acceptata satisfactio non voluisset remittere peccata humani generis, fecisset injuriam Christo: ergo ejus satisfactio non fuit ex justitia rigorosa, consequentia, nisi fiat questio de voce, est legitima, & explicata est *n. 366. & 367.* ant. autem prob. omnis actio meritoria Christi est creata: ergo jam antecedenter est sub essentiali dominio proprietatis DEI: ergo potuit eam DEUS absolute injuria Christi sibi assumere, quin voluerit eam compensare, vel ob eam peccata remittere.

Confirm. Vel consideratur in Christo Divinitas, vel humanitas: neutro modo potest habere jus contra DEUM: ergo. prob. ma. si consideratur Divinitas, vel etiam personalitas Verbi, hæc non potest habere jus contra DEUM; non enim potest habere jus contra seipsum: nec etiam potest habere jus contra Patrem; quia jus proprietatis Divinum, cum fundetur in natura, est tribus commune, & idem in omnibus SS. Personis: ergo jus Verbi est etiam jus Patris: adeoque tam parum potest esse hoc jus Verbi contra Patrem, quam parum potest esse contra ipsum Verbum. Si autem consideretur humanitas Christi, hæc est illa forma servi, quam Christus accepit juxta Apostolum *ad Philipp. 2. v. 7.* & hujus actiones, utpote creaturæ, sunt sub essentiali dominio proprietatis DEI *ex n. 368.* potestque eas DEUS titulo hujus domini, vel juris, sibi accipere, quin aliquid pro iis reddat *ex n. 385.* ergo neque humanitas Christi, ratione actionum à se elicitarum, potest acquirere jus contra DEUM &c.

Unde, quod aliqui hic dicunt, Christum non accepisse liberè, seu gratis, naturam Divinam à Patre, non facit ad rem; quia Christus ut DEUS non potest habere aliud jus, quam habeat Pater; præsertim cum personalitas Verbi non habeat specialem influxum

in humanitatem, ut probatum *n. 193. & 194.* Christus autem, ut homo gratis accepit humanitatem. Nec etiam venit ad rem, quod alii dicunt, nempe, meritum Christi, dignificatum à Verbo, esse infiniti valoris; licet enim sit infiniti valoris, tamen propterea non eximitur dominio proprietatis DEI essentiali; nam dicit tamen actionem creatam, & quidem in recto: dignitas autem ipsa, seu Verbum, est DEI per identitatem, nec potest fundare jus contra DEUM, ut modo dictum.

400. Ob. Peccatum est injustitia strictè dicta contra DEUM: atqui satisfactio, ut sit condigna pro injustitia strictè dicta, debet etiam ipsa esse ex justitia strictè dicta: ergo satisfactio Christi pro nostris peccatis debuit esse ex justitia strictè dicta. Confir. DEUS necessariò amat opera Christi, tanquam habentia infinitum valorem: ergo ea necessariò ex justitia præmiat.

Resp. conc. ina. neg. mi. Satisfactio non debet fieri per actum virtutis oppositæ vitio, ad quod spectat peccatum commissum; sed potest fieri per alios actus aliarum virtutum; alias Christus non potuisset satisfacere pro peccatis infidelitatis, aut impœnitentiæ; cum ipse non potuerit elicere actum fidei, vel pœnitentiæ. Unde, licet Christus non satisfecerit ex justitia, satisfecit tamen ex amore, ex fidelitate, & ex innumeris motivis aliarum virtutum. Ad confirm. conc. ant. neg. confeq. quia, sicut homines sepe res sibi proprias maximè amant, quin velint pro eis aliquid dare: ita etiam DEUS merita Christi, jam aliunde sua, potuisset simul amare, & simul nolle compensare: imò si etiam hoc argumentum probaret, quod DEUS ea merita necessariò compensare deberet, tamen non probaret, quod à justitia, sed quod ab amore necessitaretur.

ARTICULUS IX.

An Satisfactio Christi fuerit super abundans & in quo steterit.

401. **D**upliciter potest considerari satisfactio, vel meritum; nempe, vel in actu primo, sive ut habens dignitatem, & vim motivam, ad obtinendam offensæ remissionem: vel in actu secundo, sive ut actu movens, aut causans remissionem. Et siquidem satisfactio aliqua talis sit, ut obliget offensum ad remittendam offensam, sicut potest contingere in creatis, solet dici *satisfactio strictè dicta*: si autem satisfactio sit quidem æqualis offensæ, tamen non obliget ad eam remittendam; eoquod offensus ex alio titulo eam rem, pro satisfactione sibi oblatam, possit sibi assumere, sicut DEUS potuisset satisfactionem Christi, ex titulo domini proprietatis in omnes actiones creatas, sibi assumere, solet tantum dici *satisfactio strictè dicta*: si autem omnino non sit æqualis offensæ, sed tantum ex liberalitate, vel misericordia accipitur, non est satisfactio strictè dicta; non

non est condigna, sed est tantum satisfactio de congruo.

402. Dico 1. Satisfactio Christi non fuit tantum condigna, sed superabundans. ita Catholicis omnes, & sumitur ex *psal. 129. v. 7. Quia apud Dominum misericordia, & propitiatio apud eum redemptio.* Prob. concl. Satisfactio Christi plus valoris continet, quam requiratur ad condignam satisfactionem pro offensa DEI: ergo est superabundans. consequentia est clara. antec. probatur à quibusdam hac ratione. Si Christus Dominus unicum guttam sui sanguinis effudisset, ea pro redemptione totius humani generis sufficeret, ut expresse docet Clemens VI. in *Extrav. Unigenitus. tit. n. 217.* ergo, cum effuderit totum sanguinem, fuit satisfactio superabundans. Sed replicari potest, totum effusum sanguinem Christi non plus mereri, nec satisfactionem majorem dare, quam unicum guttam, ex dictis n. 352. quare efficacius

Prob. ant. ex S. Paulo *ad Rom. 5. v. 15.* ubi ait: *Sed non sicut delictum, ita & donum; si enim unius delicti multi mortui sunt, multo magis gratia DEI, & donum in gratia unius hominis IESU Christi in plures abundavit:* ex quo textu SS. PP. Cajus, Leo, Agapitus, apud Vasquez *tom. 1. in 3. p. diff. 5. c. 2. & 3. n. 10. & 20.* inferunt, majoris valoris fuisse meritum, & satisfactionem Christi ad vitam, quam Adami peccatum ad mortem. Hinc etiam S. Chrysostomus *homil. 10. in epist. ad Rom. ante medium.* volens explicare nostram redemptionis abundantiam, sic scribit: *Quemadmodum enim, si quis eum, qui obolos decem sibi debeat, in carcerem conjiciat, nec eum tamen solum, sed ejus causâ, tum uxorem, tum liberos, tum famulos: atque hic superveniens unus aliquis decem, quos dixi obolos, non numeret modo, sed infinita item auri talenta largiatur &c.* vide etiam Gormaz *de incarnat. n. 468.*

Prob. concl. 2. Satisfactio Christi continet valorem simpliciter infinitum ex dictis n. 349. e contra omnia peccata simul finita, & finita malitiae *ex n. 294.* ergo valor satisfactionis Christi ea excedit. Hanc autem superabundantiam, seu dignitatem, habuit satisfactio Christi independentè ab omni favore extrinseco; quia in se necessario fuit infiniti pretii, ut patet ex iisdem dictis n. 340.

403. Dico 2. Satisfactio Christi, quamvis fuerit superabundans, non tamen poterat se sola obligare DEUM ad remittendas offensas: adeoque non fuit satisfactio strictissima. ita Martinus Perez, & teste Gormaz *de incarnat. n. 464.* plures alii, quos ipse sequitur n. 470. Prob. conclus. DEUS est absolutus dominus omnium creaturarum, sub cujus absoluto dominio, & essentiali jure proprietatis, etiam sunt actiones meritoriae, seu satisfactoriae Christi; ita, ut DEUS absque ulla injuria Christi potuisset, eas sibi assumere, quin aliquam pro iis compensationem facere debuisset: ergo satisfactio Christi

si se sola non potuit DEUM obligare ad remittendas offensas. consequentia est clara. ant. probatum jam est n. 372.

404. Dico 3. Satisfactio Christi obligavit DEUM ad remittendas offensas, ex pacto, quod initum est inter Patrem, & Filium Divinum, seu Christum: quo pacto Pater ex fidelitate se obligavit, ad remittendas peccata, si Christus pro iis moreretur: quia conditionem Christus Dominus accepit, & implevit. ita Gormaz *de incarnat. n. 473.* Prob. Satisfactio Christi, quamvis fuerit in actu primo condigna, tamen non potuit, se sola DEUM obligare in actu secundo ad remittenda peccata, ut modò est dictum: aliunde autem est certum, quòd Christus satisfecerit in actu secundo, & deleverit peccata, atque DEUS cesserit jure offensi: ergo debuit accedere aliqua acceptio, ordinatio, aut aliquod pactum DEI, quo hic promitteret, se cessurum jure offensi, si scilicet Christus ista præstaret: consequentia tale pactum accessit, seu initum est inter Patrem, & Filium: quo posito facile intelligitur, quomodo DEUS obligatus fuerit ad remittendas offensas.

Confirm. Posito tali pacto facile explicatur, quare non statim simus redempti: prima actione Christi meritoria, in utero adhuc materno elicitâ, quamvis fuerit tantum valoris, quanti fuerunt omnes reliquæ actiones meritoriae subsecutæ *ex n. 352.* nam merita se solis non poterant DEUM obligare ad remittendas offensas: ergo DEUS liberè potuit exigere, non tantum qualiacunque merita, sed aliqua determinata, & inter ea ipsam mortem crucis, pro offensa hominum: quam mortem DEUM petiisse constat ex Paulo *ad Hebr. 10. v. 14.* dicente: *Una enim oblatione consummavit in æternum satisfactos:* hoc est, per unam oblationem sui in cruce. Idem Apostolus *ad Hebr. 9. f. 9.* ostendit, debuisse intercedere mortem Christi testatoris, sive auctoris novi testamenti. Iterum *ad Rom. 5. v. 10.* ait: *Reconciliatus sumus DEO per mortem Filii ejus.* Unde remissio peccatorum, quamvis non fuerit purè gratuita; quia respexit merita Christi, ut digna tanto dono: tamen neque fuit ex justitia, ut supra fuit probatum est.

405. Hoc pactum inter DEUM, & Christum, inferunt ulterius ex pluribus locis Sacrae Scripturae: sic *Ecclesiastici 29. v. 20.* habetur: *Gratiam fidei justorum ne obliviscaris; dedit enim pro te animam suam, & Isaiâ 53. v. 6.* dicitur: *Posuit Dominus in eo iniquitatem omnium nostrum:* hoc est, imputavit illi peccata nostra, in ordine ad iustitiam pro illis penam: non autem in ordine ad culpam, cujus Christus Dominus capax non fuit. Et hinc de reatu peccati, non culpæ, intelligendum est illud *psalmi 21. v. 1.* ubi ait Christus: *Longè à salute mea verba delictorum meorum:* hoc est, ut explicat Cardinalis Bellarminus in *explicatione hujus psalmi: Delicta totius mundi, quæ in me suscepi, non possunt conjungi cum mea salute, id est, vitâ; quia scilicet in peccatis*

eorum subeunda mihi mors est. Rursus eodem c. 53. *Isaiâ v. 11. & 12.* dicitur: *Iniquitates eorum ipse portabit; ideo dispersiam ei plurimos; & fortium dividet spolia, pro eo, quòd tradidit in mortem animam suam.*

Ex quibus colligitur, Patrem Divinum per pactum imposuisse Filio, seu Christo, peccata hominum, ut pro iis moreretur: & vicissim ex pacto eodem eidem Christo plurimos, hoc est, homines redemptos dedisse: rursus spolia fortium dæmonum ei concessisse, sive animas sub dæmonum captivitate, & potestate statutas, in ejus gratiam libertati restituisse: itemque ei dedisse infideles, & impios, ut scilicet ad fidem Christianam converterentur.

Hoc autem pactum Christus liberè iniit, ut iterum *Isaiâ 53. v. 7.* dicitur: *Oblatus est; quia ipse voluit.* Et hinc SS. Patres charitatem Christi erga nos summè commendant. De hoc pacto etiam intelligitur illud *psalm. 2. v. 8.* ubi Pater alloquitur Christum dicens: *Postula à me, & dabo tibi gentes hereditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ:* itemque illud Apostoli *ad Hebr. 7. v. 22.* *Melioris testamenti sponsor factus est IESUS.* videatur etiam Cornelius à Lapide *in c. 9. epist. ad Hebr. v. 15. n. 166.*

406. Dico 4. Vis satisfactionis Christi in actu secundo, essentialiter, vel saltem principaliter, stat in eo, quòd Christus obtinuerit omnibus hominibus media sufficientia ad salutem. ita Gormaz *de incarnat. n. 520.* & alij. Prob. Christus non obtulit sua merita, & satisfactionem, ea intentione, ut statim remitterentur quæcunque peccata, sine cooperatione libera adulatorum, vel sine ullo adhibito remedio parvulis; nam est de fide, quòd peccata non ita remittantur, & etiam est de fide, quòd DEUS non sit infidelis: ergo Christus eatenus satisfecit pro peccatis, quatenus Patri obtulit sua merita, ea intentione, ut omnes homines haberent auxilia sufficientia, quibus adulti ipsimet pro sua voluntate possent se à peccatis propriis liberare, & parvuli ope aliorum, ea media applicantium, à peccato originali mundari: adeoque vis satisfactionis Christi in actu secundo stetit in obtentione, vel impetratione istorum mediorum.

Prob. conf. Qui suppeditavit, vel obtinuit alteri media, quibus hic potuit se ab aliquo malo liberare, dicitur eum ab illo liberasse: e. g. qui incarcerato ob debita dedit, vel impetravit pecunias, quibus debita expunxit, & carcere exiit, dicitur eum carcere liberasse, vel ab eo redemisse, & pro tali reo satisfecisse: ergo etiam Christus, impetrando nobis media sufficientia, quibus possimus liberari à peccatorum debitis, & captivitate dæmonis &c. verè nos ab his liberavit, redemit, & pro nobis satisfecit &c.

Quòd autem Christus media saltem sufficientia obtinuerit hominibus, probatur ex eo; quia aliter non est explicabile, quomodo liberaverit homines à peccato, quomodo

eis aperuerit januas cæli, quomodo eos e-ruerit à potestate dæmonis: quæ tamen omnia de satisfactione Christi Scripturæ, & SS. Patres nos docent; nam, si non conferantur auxilia sufficientia, nemo potest ijs cooperari, nemo ea parvulis adhibere: & tamen sine cooperatione adulatorum, vel remedio adhibito parvulis, nemo in hac providentia potest à peccato liberari: & pariter etiam nemo potest cælum ingredi, aut è potestate dæmonis erui: ergo Christus debet nobis obtinuisse saltem media sufficientia, quibus cooperando, vel utendo, homines à malis hisce liberari possint.

407. Dixi saltem media sufficientia; nam, etsi plurimi ex meritis Christi recipiant, non tantum media sufficientia, sed etiam efficacia, nempe omnes illi, qui ista recipiunt, & innumeri sunt: non tamen ea conferuntur omnibus, nec debent conferri, ad hoc, ut Christus possit dici, pro ijs satisfecisse; modò enim habeant sufficientia auxilia, possunt, si velint, ijs cooperari, & se à peccatis liberare; neque enim excluditur cooperatio adulatorum ad salutem; nam Christus satisfactionem suam applicare voluit ad modum causæ universalis, quæ licet sit in se infinita, tamen non excludit concursum causæ secundæ finitæ: certè omnipotentia DEI non omnia se sola agit, quamvis sit infinita virtutis. Sicut autem non est inhonorare omnipotentiam DEI, si quis dicat, eam se sola non omnia facere, ita non est inhonorare satisfactionem, aut merita Christi, si quis dicat, ea non tollere se solis reatum culpæ, sed exigere etiam cooperationem peccatoris adulti penitentis, ejusque bona opera: vel factam parvulis applicationem remedij, pro iisdem à DEO instituti.

ARTICULUS X.

Solvuntur Objectiones.

408. **O**B. i. contra 1. conclus. Per peccatum contraximus debitum carenti redemptione: sed pro hoc debito non potuit Christus satisfacere: ergo non fuit satisfactio condigna, minus superabundans. Confir. Christus non potest reddere DEO grates æquales beneficiis, ab ipso acceptis: ergo neque potest reddere æqualem satisfactionem pro offensis. Resp. dist. ma. per peccatum contraximus debitum indignitatis, seu redditum indigni redemptore. conc. ma. debitum exclusionis, sive positivè exclusivum, vel impedivimus existentiam redemptoris. neg. ma. & dist. mi. Christus non potuit satisfacere pro debito exclusionis. om. mi. pro debito indignitatis. neg. mi. & conseq.

Nos non potuimus per nostra peccata excludere existentiam Christi, nec impedire DEUM, ne illum pro libitu mitteret. Quamvis autem essemus indigni, ut propter nos Christus veniret: attamen ipse, suppositâ existentia suâ, potuit etiam pro hoc debito,

in quantum fundabatur in culpa, satisfacere; quia potuit pro toto hujus reatu satisfacere. Ad confirm. Resp. 1. neg. conseq. si antecedens est verum, ideo verum est; quia ipsa gratiarum actio est novum beneficium DEI; per ipsum enim novum concursum. DEI ad ipsam gratiarum actionem, fit novum beneficium, & nova gratia: at satisfactio pro offensa non est nova offensa. Resp. 2. neg. ant. quia ipsa gratiarum actio potest esse actio reflexa in se ipsam, & pro se ipsa gratias agere: quo casu utique est æqualis beneficiis acceptis omnibus; cum sit infiniti meriti.

409. Ob. 2. Passio Christi non fuit tam intensa, quam intensæ sunt poenæ infernales: ergo non est condigna satisfactio pro istis. Confirm. Juxta nos merita Christi fuissent superflua: hoc est indignum DEO: ergo. Resp. neg. conseq. Valor, & dignitas meritorum Christi, non habetur ab intensione actionis, vel passionis, sed à dignitate Verbi. Ad confirm. neg. ma. Non est superfluum, quod habet alium finem, prudentissimè intendibilem, qualis fuit offensus misericordiae, & liberalitatis Divinae. Dein, quamvis fuerit satisfactio superabundans, quia tamen non fuit ex justitia commutativa, potuit DEUS nolle alià esse contentus, & defacto non fuit: sed ex pacto voluit, non tantum aliquam superabundantem, sed etiam mortem crucis. Accedit, quod non potuerit DEUS habere satisfactio- nem tantum condignam, & æqualem; cum hæc sit impossibilis.

410. Ob. 3. Rex debet mori pro regno, si hoc aliter non possit liberari ab interitu: ergo etiam Christus debuit mori pro hominibus; cum aliter à peccato liberari non potuerint: ergo Christus non est liberè mortuus; quia peccare non potuit: ergo nec est mortuus meritorie, adeoque satisfactio ejus est nulla. Confirm. Christus saltem tenebatur ex charitate succurrere nobis miseris: ergo. Hoc argumentum evertit seipsum; si enim Christi satisfactio non fuit libera, etiam non profuit, adeoque per illam Christus nobis succurrere non potuit, consequenter nec debuit. in forma conc. ant. neg. conseq.

Alij reges terreni sunt propter regna, non autem regna propter reges: & majus bonum est totum regnum, quam solus rex; unde non est mirum, quod minus bonum, debeat exponi pro majore. Non ita se habet Christus Dominus, qui, utpote Filius DEI, non est propter nos, nec ipse est bonum minus, quam nos omnes simul, præsertim, cum ipse sit caput nostrum, non sicut alij reges; nam hi ita sunt caput, ut etiam recipient influxum à membris, scilicet sustentationem, dignitatem, opes &c. Christus econtra gratias nobis tribuit, at à nobis nil accipit: sicut ergo rex non debet mori propter vitam servi vilissimi, ita nec Christus debuit propter nos mori; quia ipse longè magis excellit supra nos, quam rex supra servum.

Ad confirm. neg. ant. ex eadem ratione, non enim ordo charitatis obligat ad hoc, ut bonum majus expendatur pro minore: quamvis id Christus ex maxima, & liberrima charitate facere potuerit; cum damnus passionis potuerit facile reparari. Nec dicas, quod Christus saltem obligatus fuerit ex amicitia, aut charitate erga Patrem, ut ejus offensas deleteret; nam amicitia non opponitur offensis, nisi factis ab amico: neque charitas obligat ad satisfaciendum pro alienis offensis, maxime cum hæc amico, vel Patri, intrinsicè non nocuerint, & is potuerit pro libitu, vel reos punire, vel iis offensas condonare.

411. Ob. 4. contra 3. conclus. S. Paulus ad Hebr. 5. v. 7. dicit de Christo: *Exauditus est pro sua reverentia*: ergo ejus satisfactio non est acceptata ex pacto, sed propter ejus dignitatem. Confirm. Videtur inconveniens, ut Pater non acceptet satisfactio- nem à Filio oblatam: ergo per se absque acceptatione, & pacto, Christi satisfactio debuit in actu secundo acceptari. Et hinc S. Anselmus l. 2. *Cur DEUS homo. c. 19.* ait: *Necesse esse video, ut Pater Filio-tribuat; alioquin, aut injustus esse videretur, si nollet, aut impotens, si non posset: quæ aliena sunt à DEO.* Resp. neg. conseq. non enim Christus exauditus est propter suam reverentiam, vel dignitatem, in se sola spectatam, seu præcisè propter dignitatem Filij, sed propter dignitatem ejus, ut constituti fidejussoris, qualis factus est per pactum, & voluntatem DEI. Ad confirm. neg. ant. nam Patri ex alio titulo jam debebatur ea satisfactio: & hinc etiam S. Anselmi textum explicant Suarez, Bernal, ac plures alij apud Gormaz de incarnat. n. 487. in sensu latiore, nempe, quod Pater esset injustus, injustitià latè sumpta pro infidelitate, si non acceptaret satisfactio- nem, postquam Christum constituit fidejussorem, ac cum eo pactum inivit.

412. Ob. 5. DEUS non potest relinquere sine præmio omnia merita justorum; quia sic triumpharent vitia, & jaceret virtus: ergo multò minus potest relinquere sine præmio merita Christi, quæ infinitum excellent omnia aliorum merita: ergo ista independentè à pacto sunt satisfactio in actu secundo. Resp. om. ant. neg. conseq. nam ratio quæ hic adducta est, & quæ probat antecedens, non probat consequens; primò enim ex ea ratione DEUS non debet præmiare merita justorum propter eorum dignitatem, sed propter infirmitatem hominum, qui ad virtutis exercitium aliter non possunt sufficienter incitari: hæc autem infirmitas non est in Christo, qui ex charitate tamen DEO serviret sine omni præmio. 2. Etsi DEUS non remitteret nostra peccata propter merita Christi, posset tamen ista aliter præmiare, scilicet, dando Christo maximam aliquam gloriam, vel aliud bonum &c. Gormaz de incarnat. n. 488. negat antec. & ait, modò DEUS puniret vitia, jam non triumpharent: imò addit, hæc etiam

etiam aliis viis posse impediri: interim tamen alij multi volunt, ex hoc antecedente probari efficaciter immortalitatem animæ: & hinc nolui illud negare.

413. Ob. 6. contra dicta n. 405. Si Christus nos liberavit à captivitate dæmonis, tunc debuit dæmoni præstare solutionem pro nobis: hoc autem non fecit: ergo. Confirm. Christus eriam eos redemit, qui fuere in antiquo testamento: sed isti manserunt in captivitate, seu sub potestate tyrannica dæmonis: ergo. Resp. neg. ma. dæmon enim quasi licitor habuit nos captivos ex permissione Divina, usque dum DEO præstaretur condigna satisfactio; unde hæc non debuit præstari licitori, sed DEO offenso. Ad confirm. dist. mi. manserunt ij, qui fuerunt in antiquo testamento sub omnimoda captivitate dæmonis. neg. mi. sub aliqua, si comparatur eorum status cum statu novi testamenti. conc. mi. & neg. consequentiam.

Captivitas, vel potestas dæmonis, patitur latitudinem magnam. Dæmon in antiquo testamento non habuit nec à longè tantam potestatem, quantum habuisset, si Christus nos non redemisset: & sic homines tunc existentes liberati fuerunt, ab aliqua servitute, & captivitate. Habuit tamen dæmon in antiquo testamento majorem potestatem, quam habeat in novo; quia ante adventum Christi rariores, vel remissiores, erant vocationes infidelium ad fidem, aut fidelium ad sanctitatem: gratiæ etiam, licet darentur sufficientes, erant tamen minores; unde dæmon tunc erat magis solutus, & potentior: homines verò adhuc positi sub factis dura ejus servitute, à qua nos Christus liberavit, obtinendo nobis ampliores gratias, plures illuminationes, & inspirationes, instruendo nos prædicatione Apostolica, & instituendo sacramenta &c. Accedit, quod in antiquo testamento semper esset clausum cælum, adeoque omnes tunc defuncti manere deberent quasi in exilio, quod non erat parvum malum, à quo etiam Christus nos liberavit.

DISPUTATIO IV.

De Vi Meritoria Operum Christi.

414. Hucusque explicavimus finem, quem DEUS in incarnationis mysterio intendit, seu ob quem Verbum fuit incarnatum: qui nempe fuit, tum ipsa dignitas mysterij, & gloria ex illo resultans in DEUM, tum redemptio hominum: qua occasione dictum etiam est de infinito valore meritorum Christi, ut inde ostenderetur, quomodo satisfactio- nem condignam pro peccatis, tum Adami, tum aliorum, Christus præstiterit. Dictum etiam est, eundem Servatorem meritum esse omnibus gratias saltem sufficientes, plurimis autem etiam efficaces. Superest adhuc examinandum, an, & quæ alia Christus meritis sit, tum sibi ipsi, tum Angelis, tum

progenitoribus suis: qua occasione quoque discutendum est, quid progenitores Christi sint meriti. Cum autem ad meritum requiratur libertas, quaeremus primò, an Christus fuerit liber, præsertim ad moriendum: & quomodo libertas ipsius componatur cum ejus impeccabilitate simul, & præcepto moriendi: pro quibus dilucidandis sit

QUESTIO I.

De Libertate Christi.

ARTICULUS I.

An, & unde Christus Dominus habeat Impeccabilitatem.

415. Dico 1. Christus non tantum quia DEUS, sed etiam quia homo, peccare non potuit.

ita communissimè Theologi. Prob. concl. Vel Christus potuisset peccare ex natura rei, vel supernaturaliter: neutrum potest dici: ergo. prob. mi. non potest dici primum; quia Christus ratione unionis hypostaticæ exigebat visionem beatificam, quæ non stat cum peccato. Neque potest dici secundum; quia communissimè SS. Patres, & Theologi, dicunt, Christum simpliciter non potuisse peccare: & quidem Suarez tom. 1. in 3. p. disp. 33. sec. 2. §. Dico tamen primò. dicit, oppositam opinionem sine temeritate defendi non posse: quod idem asserunt alij apud Lugonem de incarnat. disp. 26. n. 4. Valquez quoque tom. 1. in 3. p. disp. 61. c. 3. eam opinionem saltem aliquà notà dignam judicat.

Dicta SS. Patrum aliqua adduco. S. Dionysius Alexandrinus epist. contra Paulum Samosat. (qua habetur tom. 2. auctarij biblioth. Vatrum, & incipit: Rescripsimus ad ea) circa finem sic ait: *Nemo enim est, qui peccare non possit, nisi unus Christus, scilicet Pater Christi, & Spiritus Sanctus.* S. Augustinus l. 2. de peccat. mer. & remis. c. 11. ait de Christo: *In cujus non tantum divinitate, sed nec in anima, nec in carne, ullum potuit esse peccatum.* Similia habet l. de corrept. & grat. c. 11. item enchirid. c. 40. quem textum dabimus num. seq. S. Cyrillus Alexandrinus l. adversus Antropomorphitas c. 23. ait: *Stolidi verò, ac dementes prorsus sunt, qui ipsum etiam Christum, nescio quo pacto, peccare potuisse affirmant.* Similia habent alij, quos vide apud Vasquez, loco modò citato.

Confirm. Videtur per se absurdum, dicere, quod DEUS supernaturaliter reddat Christum expeditum ad peccandum: vel quod possit concurrere supernaturali (vi cujus ipsi potius, quam alteri agenti, actio adscriberetur) concurrere ad peccatum, ut ex Esparza observat Haunoldus l. 4. tr. 1. n. 281. Nec dicas, DEUM non intendere in tali casu peccatum; nam, quidquid DEUS intendat, absurdum est dicere, DEUM posse

supernaturaliter concurrere ad actum peccaminosum; quia ipsi hic adscriberetur.

416. Dico 2. Ratio, vel origo prima impeccabilitatis Christi, est unio hypostatica. ita Gormaz de incarnat. n. 862. & plures alij. Prob. 1. auctoritate S. Augustini, qui in enchyridio c. 40. ait, factum esse per gratiam DEI, ut Christus, in ipso exordio natura sua, quo esse cepit, Verbo DEI copularetur, in tantam personam unitatem, ut idem ipse esset filius DEI, qui filius hominis, & filius hominis, qui filius DEI, ac sic in natura humana susceptione fieret quodammodo ipsa gratia illi homini naturalis, quæ nullum peccatum possit admittere: ergo unio hypostatica fecit Christo gratiam quasi naturalem, & impossibilem admissionem peccati.

Prob. 2. Unio hypostatica facit, ut actiones Christi sint actiones DEI (nam facit unum suppositum ex Verbo, & humanitate, & consequenter, cum actiones sint suppositorum, actiones, quæ ab humanitate, tanquam principio ut quo, proveniunt, sunt actiones DEI) atqui est impossibile, ut actio DEI sit peccatum; cum DEUS sit omnino impeccabilis: & utique dedecet DEUM, si ipsi attribueretur peccatum: ergo. Nec dicas, non dedecere DEUM in assumpta natura alias imperfectiones, e. g. esse passibilem, famere, sitire &c. nam istæ tantum sunt imperfectiones physicae, quæ non trahunt post se indecentiam moralem: at verò peccatum est imperfectio moralis, quæ dedecet creaturam, & multò magis DEUM.

417. Dico 3. Altera ratio, vel origo impeccabilitatis metaphysicæ in Christo, est visio beatifica, seu clara intuitio DEI ita communis. Prob. Visio beatifica necessitat ad amandum DEUM clarè visum, ut faterentur omnes in Beatis; nam intuitio infiniti boni, absque ulla mixtione minimi mali, rapit omnem voluntatem, ad bonum illud appetendum, & intensissimè amandum: ergo non stat cum peccato, etiam tantum veniali; quod opponitur amoris intensissimo, & a bono illo abstrahit, vel saltem retardat. Confirm. Visio beatifica non stat cum iudicio indifferente, requisito ad peccandum; hoc enim debet proponere aliud objectum, DEO displicens, & amorem DEI minuens, ut eligibile, vel amabile, aut dignum amplexione: tale autem iudicium stare non potest cum visione summi boni, & infinite amabilis; ut magis adhuc parebit ex infra dicendis n. 424. ergo visio illa non stat cum libertate ad peccandum, adeoque neque cum peccato.

418. Dico 4. Christus neque peccare potuit in sensu diviso unionis hypostaticæ, seu destruendo unionem hypostaticam per peccatum. ita Gormaz de incarnat. n. 864. & alij. Prob. SS. Patres dicunt, Christum simpliciter non posse peccare, ut Pater & Spiritus S. peccare non potest, prout expressè habet S. Dionysius Alexandrinus, citatus n. 415. ergo volunt, quod Christus neque possit peccare per destructionem unionis hypostaticæ, sed metaphysicè à se excludat peccatum, sicut Pater, & Spiritus S. Ex qui-

bus, & similibus dictis SS. Patrum Suarez tom. 1. in 3. p. disp. 33. sec. 2. §. Quod secundò. inferit, esse communem Patrum traditionem, quod Christus impeccabilis sit. Confirm. S. Hilarius l. 10. de Trinit. ante medium ait: Homo Christus JESUS, & in veritate natiuitatis est, dum homo est: & non est in proprietate peccati, dum Christus est; quia &, qui homo est, non potuit non homo esse, qui natus est: &, qui Christus est, non potuit amisisse, quod Christus est; quibus in verbis supponit S. Pater, Christum amissurum fuisse, quod Christus est, seu unionem hypostaticam, si esset in proprietate peccati, seu peccasset: & simul asserit, eum non potuisse hanc unionem amittere, quàm parum potest amittere, quod homo sit: adeoque vult, Christum neque per destructionem unionis hypostaticæ peccare potuisse.

419. Prob. 2. conclus. Si Christus ita peccaret, tunc pro priori naturæ præsupponeretur unio hypostatica: adeoque principium ut quod, ad eam actionem peccaminosam pro priori præsuppositum, esset suppositum Divinum, & illa actio, pro priori esset actio DEI, seu suppositi Divini, licet hoc postea destrueretur: sed hoc ipsum est absurdum: ergo. ma. videtur clara; nam e. g. licet bellidux committat perfidiam in principem, & ita dignitatem ipso facto (ut poni potest) perdat, tamen, in sensu saltem morali, adhuc ut belli dux peccatum illud commisit. mi. negari non potest: &, si quis eam negaret, Capreolus apud Lugonem de incarn. disp. 26. sec. 1. n. 4. eum potius pœnit, quàm rationibus coercendum ediceret.

Unde admisi quidem supra n. 236. cum alijs ibi citatis, quod Verbum potuisset assumere humanitatem, quæ prius peccasset, si illud peccatum fuisset prius remissum, saltem in instanti assumptionis; quia tunc DEUS non fuisset causa illius peccati præteriti. At non admisi, Verbum potuisse assumere talem humanitatem, peccato non remisso; quia in tali casu DEUS fuisset specialis quasi causa conservativa peccati, & suo modo habitualis peccator, contra essentialiam existentiam infinitæ sanctitatis Divinæ.

Prob. concl. 3. Unio hypostatica se cum trahit visionem beatificam, ut probabimus n. 422. & hæc excludit iudicium indifferens, necessarium ad peccandum, ut diximus n. 417. ergo non habuit Christus actum primum proximum necessarium ad peccandum, sive ad se dividendum ab unione per peccatum, de quo iterum n. 424. ergo non potuit peccare destruendo unionem hypostaticam. Nec dicas, unionem posse cessare per peccatum; nam responderetur 1. Non potest dari peccatum, nisi pro priori deus actus primus proximus ad illud: hic autem, ut modò ostensum, in Christo non datur. Responderetur 2. Non potest dari peccatum, quod est actio peccaminosa, nisi præsupponatur pro priori suppositum, cuius sit peccatum: atqui in nostro casu hoc non potest

supponi aliud, quàm Divinum: ergo hujus deberet esse peccatum: quod utique admitti non potest. prob. ma. actiones sunt suppositorum: & insuper in nostris principiis natura non potest existere, nisi sit suppositum: ergo hoc semper præsupponitur ad actiones, & istæ illi adscribuntur. prob. etiam mi. superior. non potest in nostro casu præsupponi negatio unionis, seu suppositum humanum; quia hæc unio primum tollitur pro posteriori ab ipso peccato: ergo deberet præsupponi subsistentia Divina, consequenter suppositum Divinum.

ARTICULUS II.

Solvuntur Objectiones.

420. **O**B. I. contra 1. conclus. Humanitas Christi ratione unionis hypostaticæ non est in se ipsa perfectior, quàm foret sine illa: sed sine illa posset peccare: ergo etiam potest cum illa peccare. Confirm. Subsistentia Verbi ratione unionis non reddit humanitatem immortalem: ergo nec eam reddit impeccabilem. Resp. dist. ma. humanitas Christi ratione unionis hypostaticæ non est perfectior per identitatem. conc. ma. non est per effectum per unionem. neg. ma. & conc. mi. neg. confeg. Hoc argumento probaretur, quod unio hypostatica non det Christo jus ad gloriam: item quod etiam gratia sanctificans non det jus ad gloriam: imò quod albedo unita non denominet murum album: quæ sunt falsa.

Ad confirm. neg. conf. *Immortale* significat *incapax mortis*, quam denominationem non necessariò secum asserit unio hypostatica, ut est clarum; cum Christus fuerit mortalis, sicut & passibilis. Neque etiam DEUS jam voluit Christum frui hoc dono in via, ut nempe pro nobis posset pati, & mori. At verò post resurrectionem suam Christus utique etiam fruitus est dotibus corporis gloriosi, immortalitate, & impassibilitate &c. sicut iis fruuntur post resurrectionem suam omnes Beati. Sed neque humanitas Christi in via jam potuit dici immortalis per communicationem idiomatum; quia hæc non datur inter abstracta, ut sæpe jam dictum. Jam verò *impeccabile* significat tantum *habens impedimentum peccandi*, vel *non habens potentiam expeditam ad peccandum*: hoc autem convenit humanitati Christi jam in via; quia jam tunc habuit unionem hypostaticam, & visionem beatificam, quæ sunt impedimenta peccandi, ut probatum est à n. 416. Quare humanitas Christi fuit tantum remotè potens peccare, quatenus potuit absolutè produci, quin uniretur Verbo.

421. Ob. 2. Potest saltem dici, quod humanitas Christi in primo instanti incarnationis, in priori signo naturæ ad unionem, fuerit libera ad peccandum: ergo. prob. ant. potest dici, quod DEUS decreverit illi humanitati sub conditione actus liberi, boni,

virtuosi, dare unionem hypostaticam: &, quod DEUS, cum præviderit actum illum, ab ea humanitate ponendum, statim pro sequenti signo naturæ, adhuc in eodem instanti, unionem hypostaticam contulerit: ergo humanitas Christi fuit libera ad impediendam unionem, seu faciendum sensum divinum ab ea unione; quia fuit libera ad actum illum virtuosum omittendum: ergo etiam fuit libera ad peccandum; quia impedita unione, seu in sensu diviso, potuit peccare.

Resp. 1. neg. ant. ad prob. neg. antec. nam hac ratione unio hypostatica dependere debuit à libertate Christi, quod, ut ait Ulloa tom. 5. de incarnat. disp. 2. c. 2. n. 22. dicitur præcisè arbitrariò, & sine omni fundamento in Sacra Scriptura, aut ratione: imò dicitur contra communem Theologorum, atque contra S. Augustinum l. de prædestin. Sanctorum c. 15. ubi ait: *Ea gratia fit ab initio fidei sua homo quicumque Christianus, qua gratia homo ille Dominus JESUS ab initio suo factus est Christus: atqui gratia, qua homo fit Christianus, præsertim quæ datur ad ipsum initium fidei, non est impediibilis ab homine; nec enim homo potest impedire collationem gratiæ, præsertim primæ, sed tantum potest impedire modum conferendi (quia scilicet potest impedire tam decretum prædefinitivum, quàm permissivum) ergo neque Christus potuit impedire collationem unionis hypostaticæ.*

422. Resp. 2. iterum neg. ant. ad probationem autem, si supponatur, quod omisio illius actus fuisset peccaminosa, respondeo negando suppositum, sive nego, quod tunc actus bonus liber potuerit elici, aut in præmium actus liberi unio conferri; quia in eo casu humanitas debuit eum actum necessariò ponere; cum non potuerit peccare. Ratio est; quia pro toto instanti, quo datur unio, non potest dari libertas ad peccandum (etiãsi unio ponatur impediibilis, per omissionem actus non peccaminosam) nam unio hæc est impossibilis cum actu primo proximo ad peccandum, & per eam necessariò tollitur unum ex constitutivis actus primi requisiti ad peccandum. prob. unio hypostatica indispensabiliter post se trahit in eodem instanti visionem beatificam: & hæc necessariò trahit post se negationem iudicii indifferents, essentialiter requisiti ad liberè peccandum, de quo n. 417. ergo cum unione ista non stat libertas ad peccandum.

423. Prob. 1. p. ant. ex communissima Theologorum, qui, ne debeant admittere, Christum aliquo tempore caruisse visione beatifica, malunt admittere miraculum vix perceptibile, in ipso agonizante in monte Oliveti, & in cruce: scilicet malunt admittere, tunc in Christo simul fuisse summum gaudium, & summam tristitiam, illud ob visionem beatificam, hanc ob internos, & externos fummos dolores. Sanè, si unio hypostatica posset esse sine visione beatifica, longè facilius, & perceptibilius diceretur, DEUM tunc dispensasse in exigentia unionis, & eam ad tempus privasse visione beatifica. Certè

Theologis communissimè videtur, minimè decuisse DEUM hoc facere, & hoc ipso impossibile esse.

Et sanè non videtur decere, ut Pater Divinus Filium suum naturalem, & innocentissimum arceat à facie sua, seu à suo conspectu, quod vel pessimus Absalom morte acerbius censuit 2. Reg. 14. v. 32. & filia DEI adoptivæ, seu animæ purgantis, dolentissimè ferunt, dum ratione culparum pœnam damni aliquamdiu sustinere debent. Accedit, quòd ex ea privatione visionis nulla oritur Christo utilitas; neque enim serviret ad meritum, aut satisfactionem; cum merita Christi, èlicita etiam stante visione, sint tamen infinita: neque serviret ad nostrum exemplum; cum nil inde imitandum nobis veniret: quæ tamen sunt rationes, ob quas Theologi dicunt, DEUM voluisse, ut Christus sensibilis in corpore dolores pateretur. Saltem dici non potest, Christum ullo instanti fuisse privatum visione beatifica, ut probabimus infra à n. 541.

424. Prob. jam 2. p. ant. Visio beatifica, seu clara intuitio DEI, etiam illa non suprema, debita Filio naturali DEI, sed tantum communis Beatorum, juxta omnes necessitat creaturam ad DEUM amandum, & nihil culpabile, eique displicens agendum (qua de causa juxta omnes, Beati peccare non possunt) adeoque excludit potentiam, seu actum primum ad peccandum, & præsertim excludit unum ex constitutivis ejusdem, scilicet judicium indifferens: ergo.

Prob. ult. pars ant. Judicium istud indifferens non tantum deberet proponere aliquid quomodocunque indifferens: sed deberet aliquid à DEO prohibitum, & ei displicens, amorémque ejus imminuens, vel impediens, proponere ut eligibile, aut comparabile, vel præferibile DEO, vel saltem ut comparabile, vel præferibile beneplacito Divino, aut rei à DEO volitæ: sed ut tale nihil potest proponi videnti DEUM, seu illi, qui infinitum bonum (respectu cujus omnia alia quasi minus nihilo sunt) clarè, & revelata facie videt: ergo in vidente DEUM non potest dari tale judicium indifferens. Et quamvis omitatur, quòd visio non excludat ab intellectu Christi cognitionem aliquam abstractivam DEI, tamen ista in consortio visionis non potest representare creaturam aliquam ut præferibilem DEO, vel cuiuscunque ejus beneplacito, seu rei volitæ à DEO intensissimè amato; quia, stante visione intuitiva DEI, omnia alia objecta perdunt omnem vim abstrahendi animum ab amore DEI: sicut cognitio probabilis in consortio evidentia perdit omnem vim excitandi, dubium, vel formidinem de opposito.

Et eadem ratio est, si ponatur in casu objectionis, omissio etiam non peccaminosa, sed tantum moraliter positivè imperfecta; nam etiam istam excludit visio beatifica, ut patet consideranti modò dicta. Si verò poneretur omissio prorsus inculpabilis, neque etiam moraliter imperfecta, eam humanitas

Christi non potuisset admittere, nisi ex ignorantia invincibili; si enim scivisset, huic omissioni DEUM alligasse maximum suum bonum, nempe unionem hypostaticam, utique omittendo positivè imperfectè egisset: at ignorantia, præsertim rerum, ad statum suum spectantium, non cadit in eum, qui habet visionem beatificam; ut Theologi communissimè docent de Beatis; præterquam, quòd Apostolus dicat ad Rom. 11. v. 29. *Sine penitentia enim sunt dona, & vocatio DEI*: hoc est, non eripiuntur homini, nisi culpam admittenti: adeoque destructio, vel perseverantia unionis hypostaticæ, alligata non fuit, omissioni prorsus inculpata; & nullam etiam imperfectionem includenti.

Quare in tali casu humanitas Christi, licet in statu conditionato, seu hypothese scientiæ mediæ, fors visa fuisset libera ad peccandum, vel moraliter imperfectè agendum, tamen in statu absoluto non fuisset libera ad peccandum, vel moraliter imperfectè agendum; quia non daretur in statu absoluto tota hypothese scientiæ mediæ, sed deesset unum constitutivum, scilicet judicium indifferens: sicut in simili diximus tract. de actib. hum. n. 162. eum non esse liberum in statu absoluto, quem DEUS, quia prævidit per scientiam mediæ malè operaturum, privat usu rationis.

425. Dices 1. Unio hypostatica, vel visio beatifica, non datur in eodem signo naturæ cum libertate Christi: sed visio datur primum in signo posteriori ad actionem liberam Christi: ergo pro primo signo naturæ datur tota libertas, etiam ut involvens judicium indifferens. Resp. neg. suppositum ant. Hac ratione signa naturæ accipiuntur, tanquam partes physicæ instantis, quasi istud in plura signa realiter divisibile sit; cum tamen juxta omnes per instans intelligatur tempus indivisibile; unde, quod datur pro aliquo instanti, debet pro toto illo dari: & nemo admittit, posse in eodem instanti pro diversis signis dari duo contradictoria.

Imò, si contradictoria non possunt dari pro eodem signo, minus possunt dari pro diversis; cum signa sint tantum causalitates, vel subordinationes rerum, in eodem instanti coexistentium, e. g. solis, & lucis: si autem duo contradictoria omnino non possunt simul esse in eodem instanti, multò minus poterit unum ab altero pro eodem instanti causari: e. g. si vita, & mors, lux, & tenebræ, non possunt simul in eodem instanti existere, minus poterit unum pro eodem instanti esse causa alterius: & pariter, si non possunt in eodem instanti simul esse judicium indifferens, & ejus negatio, neque poterit unum, e. g. judicium indifferens pro eodem instanti esse causa suæ negationis, seu dari pro diverso signo naturæ: adeoque à primo ad ultimum, non poterit in eodem primo instanti existentia Christi, pro quo toto datur unio hypostatica, & visio beatifica, dari pro priori signo judicium indifferens, necessariò requisitum ad libertatem ad peccandum, & pro posteriori signo dari

negatio ejusdem judicij, utpote necessariò exclusi à visione beatifica. vide etiam tr. de beatit. n. 135. & tract. de act. human. n. 161.

Dices 2. Etsi judicium indifferens sit constitutivum libertatis, tamen non debet esse conjungibile cum utroque libertatis extremo: sicut habitus charitatis, etsi sit constitutivum libertatis ad eliciendum actum charitatis, pro determinato instanti sub gravi præceptum, tamen non est conjungibilis, vel compossibilis cum altero extremo, seu cum omissione actus: ergo, licet judicium indifferens non detur in eodem instanti cum actu, tamen actus est sufficenter liber: adeoque, etiamsi judicium indifferens non fuerit datum cum visione beatifica in eodem instanti, tamen Christus adhuc fuit sufficenter liber.

Resp. neg. ant. Actus liber necessariò debet esse electio: est autem imperceptibile, quòd possit dari electio, quando non datur judicium indifferens. Et quamvis ponatur judicium indifferens stare in duabus cognitionibus, una alliciente ad actum, altera trahente ad oppositum; tamen debet in eo casu utraque simul cum utroque esse compossibilis; quia aliàs non est possibilis electio. Aliud est, quòd non debeat ab actu extrinsecè libero utraque cognitio essentialiter respici, de quo in tr. de act. hum. n. 137. Paritas cum habitu charitatis est nulla; quia habitus est tantum principium per accidens, & potest suppleri ab omnipotentia DEI: quæ in eo casu debet esse parata ad influendum loco habitus (si tamen hujus influxus suppleri debeat; nam habitus non potest influere in oppositam peccaminosam omissionem actus, vel actum oppositum malum) nec etiam ad eliciendum actum charitatis essentialiter exigitur habitus: at verò ad eliciendum actum liberum essentialiter requiritur judicium indifferens.

426. Ob. 3. contra 4. conclus. Si per peccatum destrueretur unio hypostatica, tunc sanctitas Divina non conjungeretur cum peccato: ergo nulla est in hac re implicancia. Resp. 1. neg. ant. est enim inexplicabile, quomodo peccatum illud non conjungeretur, saltem pro uno instanti, cum unione hypostatica, quæ est sanctitas Divina; nam, si unio ista jam pro priori ad peccatum esset destructa, non amplius daretur Christus, sed tantum purus homo, adeoque physicè non amplius Christus peccaret; unde in sententia opposita possent quidem pro sequenti instanti non amplius conjungi hæc duo; at in primo deberent necessariò conjungi. Resp. 2. om. ant. neg. consequ. quia tamen hoc peccatum imputaretur DEO; cum fuisset actio suppositi Divini, quomodocunque hoc explicetur: dicere autem, DEO peccatum imputari posse, est ex se absurdum.

ARTICULUS III.

An, & quam habuerit Christus Dominus Libertatem ad moriendum.

427. CERTUM debet esse Catholicis, Christum Dominum liberum fuisse aliquo saltem modo ad mortem; dicitur enim *Isaia 53. v. 7. Oblatus est; quia ipse voluit: & ipse Dominus ait Joan. 10. v. 17. Propterea me diligit Pater; quia ego pono animam meam, ut iterum sumam eam. Nemo tollit eam à me: sed ego pono eam à me ipso, & potestatem habeo iterum sumendi eam. Hoc mandatum accepi à Patre meo.*

Ex quibus verbis habetur, Christum meritum fuisse dilectionem Patris Divini, ponendo animam suam, seu moriendo: adeoque liberè esse mortuum: item eum habuisse potestatem moriendi, vel non moriendi, & neminem ei invito potuisse vitam tollere, sed ipsum sponte sua eam possuisse. Ex ultimis autem verbis: *Hoc mandatum &c.* habetur, mortem Christo Domino à Patre esse præceptam: quod etiam docet Apostolus, dum ait de Christo ad *Philippens. 2. v. 8. Humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem.*

428. Difficultas jam est, quomodo componatur libertas Christi Domini cum hoc præcepto; nam non videtur posse esse liber ad implendum præceptum, qui necessariò, & quidem necessitate antecedente, illud debet implere: atqui Christus, cum antecederet ratione unionis hypostaticæ sit impeccabilis (ut diximus à n. 415.); adeoque impotens præceptum transgredi, videtur necessitate antecedenti constringi, ad istud implendum: ergo non videtur fuisse liber,

In varias opiniones abiit Theologi, ut videre est passim, maximè autem apud Lugonem de *incarnat. disp. 26. sec. 6.* & Gormaz de *incarnat. n. 870. & seq.* quidam autem modi componendi hæc duo, vel non congruunt principiis scientiæ mediæ, vel etiam ipsam non rite applicant; unde à nobis acceptari non possunt: alij in alias difficultates incurrunt. Mihi præ alijs placet sententia Cardinalis de Lugo *cit. disp. 26. n. 102.* Gormaz de *incarnat. n. 875.* Rhodus *disp. 3. de incarnat. q. 3. sec. 2. §. 3.* & plurimum aliorum, præsertim recentiorum, cum quibus

429. Dico. Christus fuit liber ad moriendum, non quidem in sensu composito præcepti, sed in sensu diviso, qui sensus divisus fuit in ipsius potestate; quia potuit impedire præceptum moriendi, atque impetrare à Patre negationem hujus mandati, & sic non mori. Probat conclus. 1. Christus *Matth. 26. v. 53.* in horto dicit Petro: *An putas, quia non possum rogare Patrem meum: & exhibebit mihi modo plus, quam duodecim legiones Angelorum?* quibus verbis Christus significavit, se potuisse tunc tem-

temporis passionem suam impedire, & omnia ad eam impediendam necessaria potuisse se à Patre impetrare, inter quæ fuit etiam negatio illius præcepti. Nec dici potest, Christum ibi loqui de se tanquam DEO; nam non ut DEUS, sed ut homo, poterat rogare.

430. Probatur conclus. 2. ratione. In hac sententia omnium optimè conciliatur libertas Christi cum observatione præcepti, quod juxta alias opiniones non ita bene fit: ergo hæc debet aliis præferri. ant. partim probatur solutione objectionum, partim oppugnatione aliarum opinionum.

Itaque primò aliqui dicunt, Christum non quidem fuisse liberum ad mortem, sed tamen meruisse per quandam animi præparationem, & conditionalem voluntatem, qua voluit actus illos exercere, etiamsi non essent præcepti. Sed contra est. Sic Christus non esset meritis per voluntatem obediendi, sed per aliam, cui accidentale fuisset præceptum: quod non potest dici; cum per obedientiam meritis sit nobis remissionem, sibi autem nomen super omne nomen.

Secundò alij, maximè Thomistæ, dicunt, Christum fuisse liberum in sensu diviso præcepti. At hi auctores in suo systemate non ostendunt, quomodo Christus potuerit pro libitu suo habere hunc sensum divinum; eodem enim modo loquuntur de Christo, ac de hominibus aliis prædeterminatis, & consequenter impugnatur hæc sententia iisdem rationibus, quibus prædeterminatio physica, quas hic suppono validas esse.

431. Tertio alij dicunt, unionem hypostaticam non immutare modum operandi voluntatis humanæ in Christo, nec esse principium operativum; unde ajunt, Christum operari cum auxilijs gratiæ omnino indifferenteribus, adeoque liberè. Sed hoc non est verum; nam, licet unio non sit principium operativum actionis bonæ, est tamen principium impeditivum actionis malæ, ut supra n. 416. probatum. Eadem unio est impeditiva omnis gratiæ, quæ prævideretur conjungenda cum non adimpletione præcepti, adeoque est exigens decretum DEI, non conferendi auxilium ullum, nisi efficax: quod decretum esset antecedens, & impedibile per actionem Christi, sicut ipsa unio impediri à Christo non potuit: hoc autem decretum repugnat libertati ad peccandum, vel transgrediendum præceptum, ut probatum tr. de DEO n. 634. Rursus unio hypostatica post se trahit visionem beatificam, quæ utique secum fert modum agendi alium, quam sit in eo, qui caret ea visione. verbo: unio ista immutat actum primum proximum; quia non relinquit eum expeditum ad peccandum, adeoque neque relinquit liberum ad omissionem actus præcepti.

432. Quarto alij hic confugiunt ad puram omissionem liberam, quam volunt Christo fuisse possibilem. Sed, etsi hæc possibile sit, ut tanquam probabilis docui tract. de act. hum. n. 110. tamen, cum in

hoc casu peccaminosa foret (licet enim juxta multos pura ommissio libera non possit esse meritoria, potest tamen esse peccaminosa, ut nemo negat, qui eam possibilem adferit) non potuit Christus ad eam esse liber.

Quinto alij dicunt, Christum quidem non fuisse liberum ad mortem præceptam, fuisse tamen liberum ad circumstantias mortis non præceptas, e. g. ad tempus mortis, ad acceptationem mortis ex hoc potius, quam ex alio motivo, ad intensionem actus acceptationis &c. Sed certè Sacra Scriptura, citatæ n. 427. dicunt, Christum fuisse liberum ad ipsam mortem: nec est ratio, eas ad alium sensum torquendi. Dein sic Christus non redemisset nos, nec meritis fuisset acceptatione libera ipsius mortis, à qua mors ipsa denominata fuisset libera: sed tantum acceptatione libera circumstantiarum mortis; cum tamen Scripturæ passim ipsi morti, hoc est, ipsi ut liberæ, seu in concreto cum sua acceptatione sumptæ, redemptionem simpliciter, attribuant: quod patet ex verbis S. Scripturæ. *Isaia 53. v. 7. Oblatus est, quia ipse voluit. & ibid. v. 10. Si posuerit pro peccato animam suam, videbit semen longævum. item v. 12. Dispartiam ei plurimos, & fortium dividet spolia, pro eo, quod tradidit in mortem animam suam. rursus ad Philipp. 2. v. 8. Humiliavit semetipsum, factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis, propter quod & DEUS exaltavit illum &c.*

433. Sextò alij dicunt, Christum non habuisse rigorosum præceptum moriendi, sed præceptum tantum latè dictum, in quo sensu significat duntaxat ordinationem, directionem, aut regulam superioris, cui Christus absque peccato contravenire potuit: atque adeò liberè ei obediit. Hæc sententia, ut eam explicat Haunoldus l. 4. tr. 1. n. 301. supponit triplicis generis leges, seu præcepta. 1. quæ obligant in conscientia, sub reatu culpæ, & pœnæ. 2. quæ obligant tantum sub reatu pœnæ, transgressori inferendæ. 3. quæ obligant tantum sub conditione non conferendi alicujus boni indebiti, quod tamen conferretur, si actio præcepta facta esset. Hujus tertii generis præceptum fuisse Christo impositum tradit Haunoldus cit. lib. n. 302. scilicet præceptum obligans sub conditione non conferendi nobis (quibus Christus optimè volebat) gratiam, & remissionem peccatorum, nisi ipse moreretur.

Hæc sententia, quamvis probabilis sit, est tamen, ut ait Lugo de incarnat. disp. 26. sec. 8. n. 101. singularis, & contra communem Theologorum (intellige, tempore Lugonis; nam modò multi docti recentiores eam amplectuntur) Merito etiam ei opponitur, quòd in Sacra Scriptura præceptum, quòd Christo in ordine ad mortem impositum est, vocetur simpliciter præceptum, aut mandatum, quæ vox simpliciter prolata significat obligationem obedientiæ, cujus transgressio sit meritò saltem displicens præcipienti; unde dicendum est Christo, impositum

scitum fuisse præceptum rigorosè tale; nec enim absque necessitate debemus à simplici Sacra Scripturæ acceptione recedere. Quòd autem Sacra Scriptura vocet simpliciter præceptum, & mandatum, quòd Christo in ordine ad mortem impositum fuit, patet ex pluribus textibus. *Joan. 10. v. 18. Hoc mandatum accepi à Patre meo. & Joan. 14. v. 31. Sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio. item Joan. 15. v. 10. Sicut & ego Patris mei præcepta servavi.*

434. Accedit, quòd præceptum, & lex propriè talis, non inveniatur sine omni obligatione in conscientia (ut probant Lugo de incarnat. disp. 26. sec. 8. n. 101. & Suarez de legibus l. 3. c. 22. n. 9.) scilicet vel faciendi rem præceptam, vel saltem subeundi pœnam: ergo debet aliqua obligatio talis admitti in Christo: nisi velint adversarij dicere, respectu Christi fuisse omnia mera consilia, quòd tamen non videtur esse ad mentem Patrum. Sanè non video, quomodo sufficienter hoc præceptum, ut quidem ipsi explicant, distinguatur à consilio; nam nullam obligationem prorsus imponit, nec peccati, nec etiam moralis imperfectio nis positivæ, cujus etiam incurrendæ Christus capax non est. Dein etiam consilium potest dari à superiore, si nolit obligare, aut non possit, ut adversarij dicere debent, DEUM non posse obligare Christum.

Nec dicant, consilium non imponere morale necessitate. Resp. enim, hoc non esse verum respectu Christi; nam Christus fuit moraliter saltem necessitatus ad melius, consequenter ad sequenda consilia Patris. Apposita autem conditio de non conferendo aliquo bono, aliàs indebito, non facit præceptum; nam talis etiam adjici potest ab alio non superiore, quando aliquid suadet: & hæc conditio quidem probat, initum fuisse aliquod pactum, non verò datum præceptum. Dicere autem, appositionem talis conditionis, si à superiore fiat, constituere præceptum, & distinguere istud à consilio, est planè arbitrarium, & gratis dictum.

435. Septimò alij dicunt, præceptum Christo impositum fuisse aliquo modo conditionatum (quidquid sit, an strictè conditionatum dicendum sit, quòd negat Ulloa de incarnat. disp. 2. c. 2. n. 28.) scilicet sub conditione, si Judæi vellent eum occidere (nec enim obligabatur Christus ad se ipsum occidendum, ut ait idem Ulloa disp. 2. modò citata c. 2. n. 30.) quam conditionem Christus potuisset pro suo libitu impedire, e. g. ostendendo Judæis diutius gloriam suam, ut ostendit discipulis in Thabor. Hæc opinio valde probabilis est: ei tamen objici posse videtur, quòd eo ipso, quòd mors fuerit Christo præcepta, etiam præceptum fuerit, ne ipse, stante præcepto, impedimentum ejus poneret: adeoque hæc ipsa manifestatio gloriæ suæ ei prohibita fuerit; nam in præcepto videtur tacitè involvi, ut, cui aliquid præceptum est, is executioni illius actionis, vel passionis, non ponat impedimentum, vel physicum, vel morale; aliàs

cur non posset dici, Christum etiam stante præcepto potuisse suum corpus impassibile reddere, vel fugere ex Judæa, & sic mortem vitare? eoquod præceptum mortis tantum conditionatum fuerit; si scilicet non velit fugere &c. quòd non videtur admitti posse.

ARTICULUS IV.

Solvuntur Objectiones.

436. **O**B. 1. Gratis dicimus, præceptum, Christo impositum, fuisse impedibile: ergo nostra sententia non subsistit. prob. ant. verba Christi ad S. Petrum *Matth. 26. v. 53.* tantum significant, quid Christus posset ex natura rei facere, si non impediretur præcepto Patris: ergo non probant impedibilitatem præcepti. Confr. Si Christus potuisset pro libitu impedire præceptum, sive mortem, non dixisset *Matth. 26. v. 39. Pater mi, si possibile est, transseat à me calix iste: sed dixisset: Volo, ut transseat:* ergo.

Resp. neg. antec. ad prob. neg. antec. Certè per illa verba voluit Christus ostendere Petro, se tunc non ex necessitate, sed liberè mori. Illud autem additum ibidem à Domino *v. 54. Quomodo ergo implebuntur Scripturæ, quia sic oportet fieri?* significat quidem, Scripturas, seu prophetias de sua morte, factas fuisse: sed hæc ipsæ factæ erant consequenter ad scientiam mediam de non impediendo per Christum præcepto: quæ ipsa scientia media erat à Christo impedibilis unà cum illis Scripturis, & revelationibus.

Ad confirm. neg. ant. Cùm Christus non potuerit impedire suam mortem, nisi ea conditione, ut humanum genus non redimeretur, noluit sine ea redemptione mortem impedire; unde sensus verborum Christi est: *Si possibile est, ut sine passione mea redimatur genus humanum, transseat calix &c.* Adde, quòd S. Hieronymus, & S. Catharina Senensis apud Cornelium à Lapide in hunc locum *Matthæi* accipiant hæc verba Christi, in alio, quam communiter accepto sensu, qui tamen adhuc minus nobis contrarius est.

437. Ob. 2. Eo perfectior est obedientia, quo minus præcepti obligatio pendet à voluntate subditi: ergo, cùm Christus habuerit obedientiam perfectissimam, obligatio præcepti non pendebat ab ejus voluntate, sive ab eo volente, vel non volente petere negationem præcepti. Confr. Præceptum DEI fuit decretum DEI: sed decretum DEI fuit inimpedibile: imò illud decretum DEI simul fuit prædefinitio mortis Christi: ergo etiam præceptum DEI fuit tale: ergo Christus non potuit obtinere ejus negationem, mutationem, vel dispensationem. Resp. neg. ant. sed eo perfectior est obedientia, quo magis is, qui obligatus est præcepto, stante obligatione se illi conformat: quòd Christus perfectissimè fecit.

Ad confirm. conc. ma. dist. mi. decretum DEI fuit antecedenter inimpedibile. neg. mi. fuit tantum inimpedibile, ex suppositione, quod existat. conc. mi. & sub eadem dist. conc. vel neg. primam consequ. secundam verò quoad mutationem præcepti, absolute concedo: nego autem suppositum, quod mutatio hinc sit necessaria: sufficit, si decretum impediatur. Quod spectat ad dispensationem, om. quod in sensu stricto Christus non potuisset habere dispensationem; quia hæc dicitur dari, quando lex manet: non autem potuisset Christus non mori, stante hoc decreto, vel præcepto; cum istud simul fuerit prædefinitio mortis Christi: si autem in sensu latiore tantum intelligatur per dispensationem negatio, vel impeditio obligationis, hanc potuit Christus obtinere.

438. Ob. 3. Ad petendam dispensationem supponitur pro priori præceptum obligans: sed præsupposito jam pro priori præcepto, non poterat impetrari dispensatio: ergo hæc absolute non potuit impetrari à Christo; quia ex suppositione, quod decretum jam detur, non potest hoc mutari. Confirm. Saltem in ultimo instanti, in quo præceptum obligaret, non posset haberi dispensatio: ergo. prob. ant. in eo instanti daretur præceptum obligans, ut ponitur: & si eam dispensaretur, simul non esset obligans: quæ sunt contradictoria: ergo.

Resp. me jam omisisse, Christum non potuisse obtinere dispensationem strictè dictam, sed tantum late talem, hoc est, negationem, seu impeditionem præcepti; unde neg. suppositum tam objectionis, quam confirmationis. Impeditio autem præcepti, vel negatio ejusdem, aut potestas impediendi præceptum, nunquam pro priori præsupponit præceptum, nec in primo, nec in ultimo instanti: sed tantum præsupponit potestatem præcipiendi: ne autem ista exiret in actum secundum, seu actu præceptum poneret, poterat à Christo impedi: verbo, hoc præceptum, vel decretum DEI, fuit à Christo impediibile, sicut, in ultimo etiam vite instanti, ab homine est impediibile decretum reprobativum, vel etiam prædestinativum.

439. Ob. 4. SS. Patres non agnoscunt præceptum Christo datum: ergo neque nos debemus aliquid agnoscere. Resp. neg. antec. Imò SS. Patres communius cum Theologis, & S. Thoma 3. p. q. 47. a. 2. in corp. & ad 1. admittunt præceptum: & certè, nisi Patres præceptum adstruerent, etiam Scholastici paulò antiquiores, non communiter id adstruerent. videatur Suarez tom. 1. in 3. p. disp. 43. sec. 1. ubi citat S. Augustinum, & Euthymium in psalm. 39. v. 8. & sec. 3. ubi citat alios Patres. S. Anselmus autem, qui videtur adversariis favere l. de meditatione redemptionis humana c. 4. tantum sic dicit: Non enim illi homini Pater cogendo præcepit, sed ille, quod Patri placiturum, & hominibus profuturum intellexit, hoc sponte fecit: atqui etiam juxta nos est

verissimum, quod Christus non fuerit coactus, sed sponte præcepto obediverit, ut ex dicendis patebit.

S. Chrysostomus, qui homil. 59. in Joan. an. & homil. 7. in epist. ad Philippens. videtur negare præceptum, primo loco verosimiliter, & secundo loco aperte, agit contra Arianos, qui ex præcepto isto volebant inferre, Christum esse purum hominem; unde (ut Suarez cit. sec. 3. §. Ad argumenta. docet) vel loquitur de Christo ut DEO, cui utique præceptum datum non est: vel certè tantum removet à Christo imperfectum illum modum accipiendi præceptum, quo accipiunt alii homines, qui necessariò debent subdi præcepto; cum Christus hoc potuerit impedire. Hæc responsio firmatur ex homil. 7. in epist. ad Philipp. ubi ait: Filius Patri obedivit, non quasi in servilem conditionem decidisset.

Quando autem homil. 59. in Joan. dicit: Nihil aliud hoc in loco præceptum signat, quam cum Patre concordiam: planè non potest hoc accipi de Christo ut homine, sed de ipso ut DEO; nam ipsius ut hominis, fuit non tantum concordia cum Patre, quæ nullam dicit subjectionem: sed fuit vera, & strictè dicta obedientia. Sic etiam, quando homil. 7. in epist. ad Philipp. ait: Et a micis nos obedimus: planè non videtur comparatio esse perfecta cum obedientia Christi; hæc enim fuit rigorosè talis: illa autem in rigore obedientia non est. Magis favet adversariis Theophilactus: sed, licet hic esset nobis contrarius, non deberet ejus auctoritas contra alios prævalere, maxime, cum, ut scribit Bellarminus de script. Ecclesiast. fuerit schismaticus.

440. Ob. 5. SS. Patres, & maxime auctoritas docent, quod illa obedientia sit perfectior, qua non tantum obeditur præceptis, sed etiam tantum voluntati superioris, etiam hic non velit obligare: sed Christus habuit perfectissimam obedientiam: ergo obedivit, quin habuerit præceptum. Resp. S. Thomas. 2. 2. q. 104. a. 2. in corp. hac de re ita scribit. *Voluntas enim superioris, quocumque modo innotescat, est quoddam tacitum præceptum. Et tanto videtur obedientia promptior, quanto expressum præceptum, obediendo prævenit, voluntate superioris intellecta, unde, ut rectè advertit Arriaga disp. 42. de incarnat. sec. 2. n. 24. ipsa voluntas superioris quæ superioris, aliquid volentis, etiam non velit obligare sub culpa, etiam tantum veniali, tamen jam obligat, saltem sub imperfectione morali.*

Certè non videtur explicabilis obedientia, nisi in ordine ad aliquod præceptum, saltem sub imperfectione morali obligans, ut docet Gormaz de incarnat. n. 873. quæ tamen etiam imperfectio Christo repugnavit: nec etiam nos dicimus, quod præceptum, Christo impositum, fuerit impositum sub obligatione gravis peccati. in forma dist. ma. perfectior est obedientia, qua obeditur voluntati superioris, etiam non velit obligare expressè, vel sub culpa, aut poena, conc. ma. est

non velit obligare, neque etiam tacitè, neque sub imperfectione morali. neg. ma. & conc. mi. neg. consequ.

441. Nec dicas, illam obedientiam esse perfectiorem, qua etiam obeditur voluntati superioris tantum præsumptæ. Resp. enim, si præsumitur voluntas superioris, hoc ipso, ex S. Thoma modò citato, etiam præsumitur aliquod tacitum præceptum, adeoque aliqua obligatio, saltem sub imperfectione morali. Dein hæc præsumptio in Christo locum non habuit; quia non habuit ignorantiam voluntatis Divinæ. Tandem obedientia sæpe est tantum affectiva, non effectiva, quando nullum prorsus sub ulla ratione datur præceptum; quia scilicet tunc subditus tantum ostendit magnum affectum erga obedientiam: sicut, si quis aliquid alteri dat, quod putat debitum, cum revera non sit debitum: vel si debitor, jam prius expunctum, secunda vice solvit, si fortè prius non rite solvisset: dicitur valde justus; cum tamen talis ejus actus sit potius actus justitiæ affectivus, quam effectivus: in Christo autem debet admitti obedientia, non tantum affectiva, sed effectiva. Hinc etiam quidam Sancti non contenti obedientià affectivà, ut certiores essent de obedientià effectiva, voluerunt, ut certæ res difficiles sibi sub præcepto obedientiæ imponerentur.

442. Ob. 6. Si Christus ideo fuit liber in præcepto moriendi; quia potuit obtinere impeditionem præcepti, tunc non fuit liber in ordine ad observanda præcepta naturalia: ergo non est meritis per eorum observationem: hoc non est verum: ergo. Confirm. Ipsum præceptum moriendi in Christo fuit naturale: ergo neque per hujus observationem esset meritis. antec. prob. Christus ex naturali præcepto charitatis debuit mori pro hominibus: ergo. Resp. dist. ma. tunc Christus non fuit liber in ordine ad observanda præcepta naturalia quoad substantiam, nec per eam observationem fuit meritis. conc. ma. non fuit liber quoad circumstantias varias observationis illorum præceptorum, nec per eas est meritis. neg. ma. & dist. sic mi. neg. consequ. Christus utique non fuit liber ad blasphemandum Patrem, vel non blasphemandum: neque fuit liber ad eum colendum: sed illud necessariò omisit, hoc necessariò fecit: at tamen adhuc fuit liber (saltem tali libertate, quali fuit liber ad moriendum, de qua re iterum n. 449.) ad circumstantias cultus, de nocte, vel de die, diutius, vel brevius, per hos, vel illos actus virtutum, plures, vel pauciores, magis, vel minus intensos &c. & per has circumstantias est meritis infinitè. Ad confirm. neg. ant. de quo vide n. 410.

443. Ob. 7. Christo non potuit imponi præceptum rigorosum: ergo nostra conclusio non subsistit. prob. antec. rigorosum præceptum moriendi haberet hunc modum tendendi: *Si tu non moriaris, incurres meam inimicitiam, & reatum poenæ aeternæ: vel saltem peccatum veniale, aut moralem imperfectionem positivam:* sed talis modus

tendendi non potest afficere Christum: ergo. prob. mi. Christus non potuit incurere peccatum, nec inimicitiam DEI, nec reatum poenæ aeternæ, nec culpam venialem, aut moralem imperfectionem positivam: ergo non potuit ei imponi præceptum sub tali modo tendendi; aliàs, ut ait Haunoldus l. 4. tr. 1. n. 308. præceptum tale ferme idem diceret, ac: *Si tu produxeris Chimæram, ego superaddam hircocerum:* quod est ridiculum.

Resp. 1. Hoc argumentum retorquetur in præceptis naturalibus, quibus etiam juxta Haunoldum, & alios adversarios, Christus fuit subiectus: quomodo ergo illa præcepta explicantur in ordine ad Christum? Dicit quidem Haunoldus cit. tr. n. 307. Christum non teneri præceptis illis, tanquam obligantibus in conscientia, sed tantum in hoc sensu, quod illa objecta, e. g. blasphemia, odium DEI &c. ratione hujus præcepti, fuerint redita Christo impossibilia. At interim semper verum est, quod ista respectu Christi non fuerint mera consilia, sed strictè, & rigorosè loquendo, præcepta, quæ Christum affecerunt, quemcunque tandem effectum habuerint: ergo etiam potest præceptum moriendi esse rigorosum, & Christum afficere, eique fugam mortis, stante præcepto, vel in sensu composito præcepti, impossibile facere: quod sufficit nostræ conclusioni. Secundo videtur hic ipse effectus impossibilitatis difficulter explicabilis, nisi admittatur aliqua obligatio in conscientia sequendi præceptum, quamdiu obligat: imò ipsa obligatio, & nihil aliud, reddit in hoc subiecto impeccabili impossibile transgressionem præcepti.

Resp. 2. cum Suarez tom. 1. in 3. p. disp. 43. sec. 1. §. Secundo dicitur. neg. antec. ad prob. dist. ma. præceptum rigorosum haberet hunc modum tendendi formaliter, vel explicitè. neg. ma. virtualiter, vel arguitivè. om. ma. & dist. mi. talis modus tendendi explicitè talis non potest afficere Christum. om. mi. modus tendendi tantum aliquo modo virtualiter, & arguitivè talis. neg. mi. & consequ. ad prob. quæro, quomodo explicent adversarii has propositiones communissime dici solitas: *Si DEUS non staret promissus, esset infidelis: si mentiretur, esset fallax:* certè est eadem difficultas; unde neg. conf.

444. Præceptum non habet dictum sensum formaliter: imò, strictè loquendo, nec arguitivè, respectu subiecti impeccabilis, sed tantum respectu subiecti peccabilis; hinc rectè ait Suarez loc. cit. præceptum melius explicari per hanc propositionem absolutam: *Hoc præscribitur tanquam necessarium ad virtutem:* quamvis dein respectu subiecti peccabilis, & capaxis comminationum, virtualiter habeat dictum modum tendendi conditionatum. At verò respectu subiecti impeccabilis, & impunitibus, adeoque incapaxis minarum, neque virtualiter debet habere supradictum sensum conditionatum de futuro: sed ad summum hunc: *Si hoc faceres, tunc incurres meam inimicitiam:* in quo nihil est absurdum.

Quod declaratur ulterius per ea, quæ Suarez *sec. num. preced. cit. §. Neque contrarium. docet*, scilicet in legibus considerandam esse vim duplicem, directivam, & coactivam. Vis directiva facit, ut actus sit necessarius ad rectitudinem, & honestatem virtutis: coactiva respicit comminationem pœnæ: & hæc non est simpliciter necessaria ad legem, vel præceptum; cum in præcepto per se tantum intendatur determinatio moralis, & directio ad actus morales, quæ sufficienter habetur per intentionem voluntatis superioris, inducentis obligationem: comminatio verò ad summum secundariò pertinet ad legem, & accommodanda sit capacitati subjecti, cui lex fertur; unde, si subiectum impeccabile est, nulla comminatione, aut coactione indiget: & præceptum in tali subjecto locum habet quoad vim directivam, non verò quoad coactivam.

ARTICULUS V.

Solvuntur reliquæ Objectiones.

445. **O**B. ulterius 8. Christo præcepta est mors, non qualiscunque, sed libera, & meritoria, ut scilicet per eam liberaretur genus humanum: atqui mors libera involvit ipsam non impeditionem præcepti: ergo etiam hæc fuit præcepta: ergo Christus non potuit petere, vel habere impeditionem præcepti; alias violasset aliquod præceptum, & malè egisset. Resp. om. ma. neg. mi. Inprimis Christo præcepta non fuit mors libera in se ipsa, & intrinsicè; nam mors talis esse non potest: sed tantum præcepta fuit mors libera denominativè, & extrinsicè, ab actu voluntatis, seu ab acceptatione: quæ tamen ipsa acceptatio in nostris principiis tantum denominatur extrinsicè libera, ab actu primo libero, seu ab ipso Christo ut habente libertatem, eam acceptationem ponendi, vel non ponendi; hinc melius diceretur, Christo ut libero fuisse præceptam mortem: Christus autem, ut liber ad acceptandam mortem, non involvit præceptum, sed ab eo prorsus præscindit; nam, ut sufficienter probavimus à n. 429. Christus ut liber potuit hoc præceptum impedire.

Aliud est, quòd ipsa voluntaria acceptatio mortis ex obedientia supponat præceptum, vel positum, vel certò ponendum: quòd licet concedatur, non obest; quia hæc ipsa acceptatio fuit impedibilis, saltè in ipso præcepto: vel ea impedibilitate, qua impediri potuit præceptum; hoc enim impedito eo ipso impedita etiam fuisset ea acceptatio. Unde Christus in primo signo potuit impedire præceptum: in secundo autem noluit id impedire, & hinc præceptum supposuit, vel positum, vel certò ponendum: in tertio signo ex amore obedientiæ acceptavit mortem præceptam, & quidem liberè; quia liberè non impeditur præceptum, ut magis patebit ex statim dicendis.

446. Ob. 9. Juxta nos Christus non fuit

set meritis per acceptationem mortis, sed tantum per non impeditionem præcepti: hoc dici non potest: ergo. prob. mi. sic Christus non esset meritis per obedientiam; nam obedientia est voluntas implendi præceptum: atqui Christus meritis est per obedientiam: ergo. Resp. neg. ma. Ipsa etiam acceptatio mortis in Christo fuit meritoria; nam inprimis, etsi non fuisset in se immediatè libera, tamen adhuc esset libera mediatè, & denominativè, à libera nolitione impeditionis præcepti, quæ simul imperasset acceptationem mortis: sufficit autem libertas mediata actuam internorum ad meritum, ut probavi cum multis in *tract. de act. hum. à n. 151.*

Imò, quæ ita libera sunt, juxta communem dicuntur formaliter libera; quia pro libitu possunt poni, vel omitti. Sic dicitur quis formaliter liber ad videndum, quamvis prius debeat aperire oculos, & iis apertis necessariò videat: & sedens dicitur formaliter liber ad ambulandum, etsi prius surgere debeat. Sic etiam Christus dici potest formaliter liber ad moriendum ex obedientia, quamvis prius præceptum acceptare debuerit.

Dein, etsi non sufficeret libertas mediata, potest dici, ipsam acceptationem mortis in se ipsa immediatè fuisse liberam; quia acceptatio hæc potuit ipsam nolitionem impeditionis præcepti præcedere, adeoque etiam præceptum (quo casu præceptum non dum impedire potuit libertatem Christi ad eam acceptationem ponendam, vel non ponendam) potuit enim Christus sic dicere: *Volo obedire Patri usque ad mortem crucis, & hinc nolo impedire præceptum*: qua ratione formalissimè liberè voluit mortem, adeoque per hanc volitionem, seu acceptationem potuit mereri. An autem actus acceptans mortem, & nolens impedire præceptum, fuerit unus, & indivisibiliter idem, non refert; modò enim Christus pro priori acceptavit mortem, & propterea noluit impedire præceptum, sive uno, sive duobus actibus, id fecerit, clarum est, acceptationem mortis immediatè in se liberam fuisse.

447. Urgebis. Hac ratione acceptatio mortis, præcedens præceptum, non erit actus obedientiæ, hoc ipso, quòd non præsupponat præceptum: ergo Christus non meritis fuisset per actum obedientiæ. Resp. neg. ant. Actus, maximè internus, obedientiæ non necessariò exigit præceptum pro priori jam positum, sed tantum præceptum ponendum, cui ille actus internus se conformet, & simul actum dein externum conformare decernat; sicut enim diximus in *tr. de DEO n. 683.* quòd voluntas solvendi debitum post confectum laborem, licet ipsa non sit debita, sed sit liberalis, tamen spectat ad justitiam; quia ejus objectum, scilicet solutio post laborem est debita ex justitia, & actus specificatur ab objecto: ita etiam hæc acceptatio mortis, licet ipsa non sit præcepta, tamen spectat ad obedientiam; quia ejus objectum, seu mors, est præcepta (nam præceptum dicitur

tum est ante mortem Christi) unde diximus n. 445. actum obedientiæ supponere præceptum, vel positum, vel certò ponendum.

Si tamen necesse foret (quòd tamen nunquam probabitur) ut ad quemcunque actum obedientiæ præsupponeretur præceptum actu existens, tunc quidem illa prima acceptatio mortis in Christo non esset actus obedientiæ strictè talis: essent tamen actus obedientiæ strictè tales sequentes plurimæ acceptationes mortis, quas Christus Dominus per totam suam vitam sæpissime repetiit, offerendo se Patri victimam, ad mortem usque obedientem, pro humano genere: & isti actus erant immediatè liberi, ac meritorii; quia, licet una acceptatio mortis fuerit præcepta, & ea, si post præceptum jam actu positum elicit a fuit, non fuerit immediatè libera (quamvis meritoria, ut dictum n. 446.) tamen non fuere præcepta innumeræ illæ acceptationes, quas Christus in terris degens frequentissimè elicit.

Insuper hi actus verè fuerunt actus formales obedientiæ; quia habuerunt pro motivo præceptum jam positum, & objectum etiam præceptum, à quo sumitur species actus. Quòd autem insuper ad actum obedientiæ requiratur, ut non tantum ejus objectum, sed etiam ipse in se sit præceptus, nunquam poterit probari: imò nos supra probavimus oppositum. Ab his autem actibus obedientiæ, immediatè in se liberis (si hoc necesse esset) potuit mors Christi denominari libera, & meritoria, adeoque verissimè dici, per obedientiam Christi Domini, ad mortem usque Patri exhibitam, eamque liberam, genus humanum esse redemptum: quamvis (ut sub initium jam ad hanc objectionem responsum est) sufficiat etiam ad meritum, & satisfactionem, libertas tantum mediata: & insuper ad actum obedientiæ sufficiat præceptum, certò, & absolute ponendum.

448. Ob. 10. ex Haunoldo *l. 4. tr. 1. n. 290.* Christo non tantum fuit præcepta mors, sed omnes circumstantiæ, imò omnes actiones, quin & omnia verba, quæ locutus est: quòd etiam Maldonatus putat manifestè probari ex illo *Joan. 12. v. 49. Ego ex me ipso non sum locutus, sed qui misit me Pater, ipse mihi mandatum dedit, quid dicam, aut quid loquar*: ergo etiam Christo præcepta fuit nolitio impeditionis præcepti. Resp. neg. ant. quòd negant Theologi omnes, qui adtribuunt libertatem Christi, quoad circumstantias mortis: quæ sententia cum fit Doctoris Eximii, Valquii, Valentia, Lessii, & tempore Lugonis, ut ait ipse *de incarn. disp. 26. n. 82.* communis, non videtur auctoritas Maldonati, quamvis aliàs magna, esse irrefragabilis.

Textus certè objectus non plus probat, quam prædicationem Christi ad Judæos factam esse ex præcepto Patris: non verò probat, nihil aliud unquam dictum, aut factum, vel omisum à Christo, nisi quòd fuerit præceptum: neque est ullus alius textus, qui id dicat. Et quæ necessitas dicendi, quòd

etiam oratio Christi in horto, inefficaciter petens liberationem à morte, fuerit Christo præcepta? quamvis non negem, etiam istam potuisse præcipi. Adde, quòd apud eundem Maldonatum ferè immediatè ante SS. Augustinus, & Ambrosius, Beda, & Theophilactus dicant, ibi Christum loqui de se ut DEO, & per acceptum mandatum intelligi acceptam à Patre naturam Divinam: addatque S. Ambrosius, doctiores olim ea verba sic interpretari solitos; unde mirum est, Maldonatum statim subjungere, hic manifesto argumento refutari opinionem Theologorum, docentium, Christum non omnia prorsus ex mandato Patris fecisse.

Potest etiam juxta nostra principia facile responderi. om ant. dist. conseq. ergo etiam Christo præcepta fuit illa nolitio, præcepto antecedenti, & impedibili. neg. conf. præcepto consequenti, & impedibili. conc. conseq. Hoc nihil aliud significat, quam fuisse Christo præceptam, etiam acceptationem mortis ex obedientia faciendam, sed postquam ejus determinatio ad mortem acceptandam fuit à DEO per scientiam mediam prævifa: qua tamen scientia media impediri potuisset à Christo.

Dices. Præceptum dispensabile, vel impedibile, non est rigorosum præceptum: ergo juxta nos præceptum Christo impositum non fuit rigorosum. Resp. neg. ant. Qui sic loquuntur, contradicunt communissimæ sententiæ Theologorum: & debent admittere, quòd nulla humana, etiam Ecclesiastica præcepta, sint rigorosa præcepta; imò omnino nulla, exceptis naturalibus primi ordinis. Si dicas, præcepta saltè non debere esse dispensabilia, vel impedibilia, ad petitionem illius, quem obligare intendunt, iterum dicit aliquid contra communissimam, & admittere debes, quòd præcepta obedientiæ, Religiosis ad eorum instantiam imposita, quæ instantià illà omisà fuissent impedita, non sint rigorosa præcepta, quòd nemo dicit. Certè definitio præcepti, aut legis, æquè convenit præceptis, vel legibus dispensabilibus, aut impedibilibus quam aliis.

449. Ob. 11. Christus non fuit liber ad actum minus perfectum præ perfectiori: ergo non potuit impeditionem, vel negationem præcepti petere; quia perfectius fuerat obedire. prob. ant. relinquere actum perfectiorem præ imperfectiori est imperfectio moralis: hæc non cadit in Christum: ergo. Resp. 1. dist. ant. Christus non fuit liber ad actum minus perfectum consequenter. conc. ant. non fuit liber antecedenter. neg. ant. & conf. Sicut tucusque diximus, Christum fuisse liberum ad mortem, non consequenter (quia supposito præcepto debuit mori) sed antecedenter (quia potuit præceptum impedire) ita potest dici, Christum fuisse liberum ad actum materialiter minus perfectum, non quidem consequenter (quia supposito complacentiæ, & voluntate Patris, aliquo modo exigentis à filio actum materialiter perfectiorem, Christus à visione beatifica videtur necessitari ad eum actum eliciendum) ac

fuisse liberum antecederet; quia hanc ipsam complacentiam, & voluntatem Patris, Christus potuit impedire, sicut potuit impedire præceptum; neque enim Pater, seu DEUS, necessario sibi ita complacet in actu materialiter perfectiori, ut eum necessario à Christo exigat: sed potest velle etiam minus perfectum.

Respondent alij 2. neg. ant. quia, ajunt, aliàs Christus non fuisset liber, libertate æstimabili in genere moris, ad meritum, vel demeritum; nam libertas, præcisè inter duo individua æqualia, non videtur sufficere ad meritum, vel demeritum: cur enim tibi sim obligatus ideo, quod dederis mihi potius aureum A. quam aureum B. omnino æqualem, si mihi debebas ex justitia aliquem aureum dare? cur etiam mereatur poenam, qui necessitatus, in casu perplexitatis, ad unum malum, ex duobus omnino æqualibus facit hoc potius, quam alterum?

Quare talem hominem omnes excusant: & merito; nam, si eum velles reprehendere, quod fecerit hoc, dicere posses: si fecissem oppositum, etiam æqualiter me reprehendisses, & utrumque vitare non potui. Quare, ajunt, debet in Christo admitti major libertas, saltem physica, non quidem ad aliquid positivè imperfectum, sed ad negativè tale: hinc ad prob. negant ma. non enim est hæc imperfectio moralis, hoc est, moraliter imputabilis ad vituperium: sed est tantum imperfectio physica, & ut communis vocant, negativa, seu non major laudabilitas, quæ non affert veram indecentiam, seu vituperabilitatem.

Nec omnis actus perfectioris se habet ut omisio pura peccaminosa; hæc enim utique secum fert veram moralem indecentiam, & in hoc sensu potest dici imperfectio positiva, hoc est, afferens positivam vituperabilitatem. Interim tamen in nostris principiis, sicut explicatur libertas, & meritum mortis, vel acceptationis ejusdem, per liberam non impediendum præcepti, ita etiam libertas, & meritum actus perfectioris, explicatur per non impediendum complacentiæ, & voluntatis Patris Divini, ut rem hanc penitentiæ examinanti facile patebit.

Admittunt tamen Cardinalis Lugo de incarnat. disp. 26. sec. 10. n. 134. Gormaz de incarnat. n. 886. & alij, Christum non fuisse moraliter liberum ad actum imperfectum præ perfectiori, ratione visionis beatificæ; unde moraliter debuit semper eligere perfectius, quamvis juxta hos auctores physice potuisset eligere minus perfectum. Hanc moralem necessitatem non nemo negat ex eo, quod etiam negetur in DEO moralis necessitas ad optimum, ut etiam nos negavimus n. 42. sed, si quis rem bene expendat, videbit, rationes illas non militare in hoc casu; Christus enim ut homo fuit capax difficultatis; neque voluntas Christi humana erat regula suprema moralitatis, quæ faceret rem formaliter perfectiorem &c., quas rationes ibi attulimus.

450. Qb. 12. Martyres dicuntur liberè

mortui pro fide, quamvis non fuerint liberi ad mortem quoad substantiam; quia aliquo tempore debuerunt mori: sed tantum fuerint liberi ad circumstantias mortis, e. g. ad tempus, & modum; quia potuissent negando fidem aliquanto diutius vivere, & mortem mitiori desungi: sic etiam dicuntur milites liberè mori pro patria: ergo etiam Christus poterit dici liberè mortuus pro humano genere, quamvis non fuerit liber quoad substantiam mortis, sed tantum quoad circumstantias: & maxime quoad tempus mortis; cum enim potuisset naturaliter longiori tempore vivere, liberè citius mortuus est: ergo potuit habere præceptum moriendi indispensabile, & inimpedibile.

Resp. 1. ex Lugone de incarnat. disp. 26. sec. 7. n. 90. neg. conseq. Martyres dicuntur liberè mortui; quia mortui sunt multo ante tempus, quod naturaliter adhuc vivere poruissent; nam, ut ait hic auctor, si quis damnatus ad mortem tantum brevi tempore mortem acceleraret, e. g. per semiquadrantem, eundo velocius, vel breviori via ad locum supplicio destinatum, non diceretur liberè mortuus. At supposito præcepto indispensabile, Christus Dominus non ita multo ante mortuus fuisset; quamvis enim id velit Arriaga de incarnat. disp. 42. n. 40. tamen non probat, & videtur posse impugnari ex Joan. 13. v. 1. ubi dicitur: *Scienti JESUS, quia venit hora ejus*: hoc est, hora passionis, constituta à Patre, ut explicat S. Chrysostomus, & Theophilactus apud Maldonatium in hunc locum Joannis: hæc autem constitutio, vel determinatio facta est per præceptum, per quod simul mors, & tempus mortis decretum est.

Resp. 2. & melius eum eodem Lugone loc. cit. ac Gormaz de incarnat. n. 872. dist. ant. martyres dicuntur liberè mortui in sensu morali, & juxta modum loquendi humanum, hoc est, eo modo, quo homines possunt liberè mori. conc. ant. in sensu stricto, ut etiam liberi fuerint quoad substantiam mortis. neg. ant. & sub eadem distinctione conc. vel neg. conseq. In primis ad martyrium præcisè non est necessaria libertas, ut docent Theologi, agentes de innocentibus infantibus pro Christo occisis; unde martyrium causat etiam gratiam aliquo modo ex opere operato, ut plures dicunt: dein martyribus sufficit libertas ad circumstantias mortis. At verò Christo tribuenda est libertas quoad ipsam substantiam mortis; nam ipse dicit de anima, seu vita sua Joan. 10. v. 18. *Nemo tollit eam à me: sed ego pono eam à me ipso: & potestatem habeo iterum sumendi eam*; quod nullus martyrum dicere potuit.



QUÆ

QUÆSTIO II. De Objectis Meritorum Christi.

ARTICULUS I.

Quid, & Quotuplex sit Meritum.

451. CERTUM est, Christum Dominum, non tantum nobis tempore posterioribus, sed etiam B. Virgini matri suæ, & alijs quoque progenitoribus suis, meritum esse varias gratias, & dona supernaturalia, quæ ipsis collata fuere jam ante existentiam actualem Christi. Vicissim Theologi communissimè tradunt, etiam B. Virginem, & alios quoque progenitores Christi, meritos fuisse, saltem circumstantias incarnationis, si non de condigno, saltem de congruo, de quo agemus paulò inferius. Difficultas jam, quam aliqui maximam totius hujus tractatus existimant, nascitur ex eo, quomodo hæc merita mutua debeant conciliari, & an admittenda sit aliqua mutua naturæ prioritas inter illa, vel an omnis mutua naturæ prioritas tanquam impossibilis sit rejicienda: quo casu dein quaeritur, quo in genere, vel qua in specie, fuerint merita Christi.

452. Ad hæc clarius exponenda, paucis repeto aliqua ex tractatu de merito: Meritum supernaturalis (de hoc enim est modò quæstio) in genere rectè definitur ex Oviedo in 1. 2. tr. 9. contr. 1. p. 1. n. 4. *Obsequium factum DEO, ex se potens movere ad retributionem doni supernaturalis. Dividitur in meritum de condigno, & meritum de congruo, de qua divisione ita habet S. Thomas in 2. dist. 27. q. 1. a. 3. in corp. Dicitur autem aliquis mereri ex condigno, quando invenitur æqualitas inter præmium, & meritum, secundum rectam æstimationem: ex congruo autem tantum, quando talis æqualitas non invenitur, sed solum secundum liberalitatem dantis minus tribuitur, quod dantis decet. Quare meritum de condigno, quod aliqui vocant meritum simpliciter, dicitur illud, quod est æquale præmio: at meritum de congruo, quod quidam vocant meritum secundum quid, est illud, quod non est æquale præmio, sed quod tantum habet aliquam imperfectam exigentiam ad præmium: interim tamen multum debet accedere de liberalitate, & affectu donandi in præmiante.*

453. Ubi tamen notandum ex Oviedo cit. tr. 9. contr. 5. punct. 5. Gormaz tract. de merito n. 11. & alijs, quibus præit S. Thomas, hanc æqualitatem non debere esse strictè arithmetica, sed sufficere geometricam, seu aliquo modo proportionalem; sic enim habet Angelicus loc. cit. num. præced. *Est enim duplex æqualitas, scilicet quantitatis, & æqualitas proportionis. Secundum quantitatis æqualitatem ex actibus virtutum vitam æternam ex condigno non meremur; non enim tantum bonum est in quantitate actus virtutis, quantum præ-*

mium gloriæ, quod est finis ejus. Secundum autem æqualitatem proportionis ex condigno meremur vitam æternam; attenditur enim æqualitas proportionis, quando æqualiter se habet hoc ad illud, sicut aliud ad alterum; non autem majus est DEO vitam æternam tribuere, quam nobis actum virtutis exhibere: sed sicut hoc congruit huic, ita illud illi: & ideo quadam proportionis æqualitas invenitur inter DEUM præmiantem, & hominem merentem.

Nempe, ut ritè determinetur æqualitas, seu proportio inter meritum condignum, & præmium, attendi debent etiam circumstantiæ, & maxime dignitas præmiantis; nam, quo major est dignitas præmiantis, eo majori præmio etiam dignum est meritum; neque enim decet, ut idem meritum, vel obsequium, in se materialiter sumptum, eodem modo remuneretur rex; ac alius inferior: e. g. si vitam serves rustico, ac regi, non debes parem remunerationem expectare ab utroque, sed majorem longè à rege; nec enim deceret, regem pro hoc obsequio tantum dare aliquot florenos, qui satis essent pro paupere rustico: nec excessus ille doni regij erit tantum liberalis donatio, sed spectabit ad condignitatem præmij, respondentis tali merito.

454. Nec dicas, obsequium præstitum personæ digniori decretere in ratione meriti; nam, licet hoc sit verum, tamen non ideo etiam meritum decrevit in ratione condignitatis ad præmium; cum hæc condignitas partialiter constituatur, saltem aliquo modo geometricè, ex dignitate præmiantis, nec stet in solo intrinseco valore, aut æstimabilitate actionis meritoria. Quare, licet meritum, regi exhibitum, e. g. defensio vitæ illius contra hostem, minus in se sit, quam sit idem meritum exhibitum rustico, tamen meretur de condigno majus præmium à rege, quam à rustico; ut est modò dictum. Et hoc est, quod S. Thomas dicit, meritum debere esse æquale præmio secundum rectam æstimationem; recta enim æstimatio planè judicat, plus in præmium dare debere regem, quam tantum nobilem, & hunc plus, quam rusticum.

Quantum autem debeat ab hoc, vel illo præmiante dari, non potest desumi aliunde, nisi ex morali prudentem judicio, sive æstimatione. Hoc fermè idem dicere volunt alij, quando dicunt, meritum condignum debere habere æqualitatem, non quidem quoad quantitatem, seu arithmetice, sed tamen quoad virtutem, hoc est, quoad vim movendi, quæ dependet etiam à dignitate præmiantis. Idem etiam intelligitur, si dicatur, debere meritum condignum habere æqualitatem similem illi, quam habet semen cum arbore, quam continet in virtute.

455. In merito autem de congruo, non quidem requiritur hæc æqualitas; requiritur tamen, prout ait Haunoldus l. 2. tr. 3. c. 3. n. 842. ut sit tam æstimabile, ut præmians possit prudenter moveri ad dandum illud

illud præmium: e. g. si supremus militum ductor insignem referat victoriam de hostibus, mereatur de condigno triumphum: de congruo insuper augmentum magnum reddituum, aut vectigalium: alius locum tenens, se egregie gerens mereatur de condigno dignitatem centurionis: at de congruo mereatur dignitatem altiore: aliquis gregarius, qui extraordinarie se egregie gerit, mereatur de condigno promoveri juxta suum statum: de congruo autem talis gregarius mereatur etiam, ut altius promoveatur; quia non agitur imprudenter, si talis etiam per saltum promoveatur.

At verò, si rex puerum stabularium, ob habitam diligentem curam equi, statim adoptaret in filium, merito, ut ait Haunoldus, diceretur imprudenter agere; necenim istud vel de congruo mereatur. Addit rectè Gormaz, *tr. de merito n. 19. & seq.* quòd meritum congruum patiatur magnam latitudinem, & quòd debeat quidem esse congruentia aliqua cum præmio, ea tamen inferenda sit, vel ex auctoritate, vel ex ratione, vel ex comparatione cum alijs meritis certò congruis.

456. Ex his desumitur, quomodo intelligendum sit illud, quòd videtur esse commune axioma Theologorum, scilicet: *DEUS punit infra condignum, & præmiat ultra condignum*: item illud S. Pauli ad Rom. 8. v. 18. *Non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis*: & quidem axiomatis illius sensum multiplicem afferunt Oviedo in 1. 2. tr. 9. contr. 5. pun. 6. atque Haunoldus l. 2. tr. 3. c. 3. n. 850. & hic rectè observat, quòd, iuc datur pretium rei triplex, summum, medium, & infimum, ita etiam detur triplex condignitas meriti.

Quare potest hoc axioma 1. explicari in hoc sensu, quòd DEUS semper det præmium summum, sive correspondens summæ condignitati. 2. potest dici, quòd DEUS præter præmium essentiale condignum, addat etiam alia accidentalialia. 3. potest dici, quòd merita, in se præcisè spectata, seu materialiter, seclusa gratia condignificante, non mereantur tantum, quantum DEUS reppendit. In hoc ultimo sensu Haunoldus loc. modo cit. n. 849. & apud ipsum Bellarminus, Suarez, ac Ruardus, explicant supra adductum textum S. Pauli: & videtur hic sensus desumi ex ipso contextu; quia S. Paulus præmittit v. 14. *Quicumque enim Spiritu DEI aguntur, ij sunt filij DEI*: quasi diceret: nisi passiones eas toleremus ut filij DEI, non sunt condignæ. Potest etiam dici cum eodem Haunoldo, S. Paulum tantum negare æqualitatem strictè arithmeticam: quod idem etiam potest responderi ad supra allatum axioma Theologorum.

457. Dividitur meritum ulterius à recenterioribus in meritum impetratorium, & compensativum. Prius, seu impetratorium, quod etiam vocatur remunerandum, vel attractivum, est illud, quòd per modum

causæ moralis, seu quia est, movet ad retribuendum præmium: sic e. g. victoria obventa movet, ad decernendum belliducium triumphum: bona opera supernaturalia, in statu gratiæ facta, movent ad dandum augmentum gratiæ. At meritum compensativum, vel, ut alij vocant solutivum, juxta suos auctores est illud, quòd non movet, quia est, sed, ut sit, per modum causæ finalis: e. g. si quis anticipatò solvit mercedem operario, labor, subsequens dationem mercedis, est meritum compensativum; quia movet alterum ad dandam mercedem anticipatam, non quia est, sed, ut sit, & ut per laborem compensetur, vel vicissim quasi solvatur merces.

Dicunt tamen isti auctores, ex hoc non sequi, quòd quilibet finis sit tale meritum; nam, ajunt, si merces non detur intuitu habenda compensationis, non erit tale meritum. Attamen opponi potest, quòd, quando docuque intenditur finis, saltem ordinariè intendatur in eo utilitas, vel bonum, quòd aliquo modo compenset media, vel utilitatem eorum; aliàs non prudenter viderentur ea media adhiberi. Hoc tamen verum est, quòd, si contingeret, ut finis obtentus non compensaret media, utique non foret meritum realiter compensativum. Hæc paucis præmittenda visa sunt, ad meliùs intelligenda sequentia de condignitate, vel congruitate, aut qualitate meritorum Christi, B. Virginis, & progenitorum Christi.

ARTICULUS II.

An Merita Christi sint Impetratoria, vel Compensativa.

458. PLures sunt Theologorum de meritis Christi, B. Virginis, ac progenitorum, diversæ sententiæ, dum varij variè hanc difficultatem enodare conantur, quas videre est apud Haunoldum l. 4. tr. 1. n. 344. & seq. Tres præ alijs celebriores afferro. Prima est Suarezij, & aliorum, dicentium, merita Christi, ut existentia intentionaliter, fuisse priora ad gratias B. Virginis, & progenitoribus collatas: contra merita B. Virginis, & progenitorum fuisse priora ad Christum ut actualiter existentia: & sic volunt evitari mutuum naturæ prioritatem in eodem genere.

Sed inprimis, cum causa moralis, tantum insuat movendo potentiam rationalem, non autem physicè efficiendo, videtur ejus prioritas desumenda ab ea existentia, quam habet tunc, quando movet potentiam ad decretum, seu volitionem: & censenda est, esse prior naturæ ad effectum, ratione illius existentia, sub qua movet ad decretum: atqui merita B. Virginis, & progenitorum, dum suo modo moverunt ad decretum DEI (quod ab æterno exitit) non potuerunt esse existentia, nisi intentionaliter, vel, fortè meliùs loquendo, objective; cum non potuerint esse physicè ab æterno: ergo etiam

An Merita Christi sint Impetratoria, vel Compensativa.

etiam tantum secundum existentiam intentionalem, vel potius objectivam, fuisse priora ad Christum, adeoque in eodem genere. Quod autem postea actualiter prius extiterint, nihil videtur ad rem facere; cum jam prius debuerint moraliter causare, seu movere.

459. Secundò, ut urget bene recentior quidam, existentia intentionalis rei non causat moraliter, seu non movet; cum sit tantum cognitio motivi, sive ejus intentionalis applicatio: sed tantum movet existentia realis, intentionaliter, seu objective existens: sicut non movet cognitio finis, sed ipse finis cognitus: ergo tam existentia realis meritorum Christi est prior ad existentiam realem meritorum B. Virginis, quam existentia realis meritorum B. Virginis est prior ad existentiam Christi: adeoque non videtur, quomodo evitetur mutua naturæ prioritas.

Dices. In hoc casu una causa moralis existit per statum, nempe merita B. Virginis, & altera tantum per alienationem, nempe merita Christi. Respondeo. Inprimis etiam merita B. Virginis, dum jam ab æterno moverunt ad decretum DEI, tantum extiterunt per alienationem: dein, etsi omittatur, dari hæc diversitatem, tamen potest dici, per eam non tolli prioritatem naturæ in eodem genere; aliàs motivum præteritum, vel causa moralis præterita, quæ jam non amplius existit per statum, e. g. injuria olim illata, non causaret in eodem genere morali, in quo injuria in præsentia accepta causat: quod est incredibile. Nec dicas, injuriam præteritam adhuc existere in effectu, e. g. in memoria sui; nam iterum responderetur, quòd non moveat memoria, sed ipsa injuria.

460. Secunda sententia est eorum, qui cum Haunoldo l. 4. tr. 1. n. 356. & alijs recentioribus, quos citat Gormaz de merito v. 28. dicunt, merita Christi non fuisse naturæ priora ad existentiam, vel merita B. Virginis, ac progenitorum: sed fuisse naturæ posteriora, adeoque Christum B. Virginis, & antecessoribus suis, meritum fuisse gratias merito compensativo: sive gratias, & dona, progenitoribus data fuisse, tanquam præmium anticipatò collatum, quòd dein compensatum fuerit per merita Christi, posteriori tempore exhibita: atque adeò merita Christi causasse per modum causæ finalis, ut explicatum fuit n. 457. Sed, licet hæc sententia probabilis sit, tamen non videtur admittenda; quia meritum, quòd adstruit, non est meritum propriè dictum.

Probatur. SS. Patres tantum faciunt mentionem meriti impetratorij, seu remunerandi: nec licet fingere significationem vocum pro libitu: ergo non debet admitti aliud novum genus meriti. Nec dicas, SS. Patres tantum loqui de meritis respectu totius generis humani; nam sanè loquuntur universaliter de meritis Christi, etiam pro ut ista respiciunt patriarchas, & alios homines antiqui testamenti. Dein S. Thomas 2. 2. q. 29. de veritate (qua est de gratia Christi)

sti) n. 6. in corp. ait: *Meritum est causa præmij, non quidem per modum finalis causæ; sic enim magis præmium est causa meriti*: quibus verbis aperte negat, quòd meritum possit causare per modum causæ finalis, qualiter tamen juxta suos patronos causaret meritum compensativum.

Addit ibidem S. Doctor: *Quod autem in humanis aliquis pro accepto beneficio domino suo servit, magis habet rationem gratiarum actionis, quam meriti*. Unde, ut rectè ait Gormaz de merito n. 29. qui propter acceptam anticipatò pecuniam laborat, e. g. ut debitum expungat, non dicitur mereri, sed solvere, & compensare. Quin etiam antiqui Theologi putarunt, non minus requiri ad meritum, ut moveat ad remunerationem, quia est, quam requiratur, ut sit obsequium: ergo non agnoverunt hoc meritum compensativum.

461. Accedit, quòd in hac sententia difficulter explicetur, quomodo probari possit, quòd prima gratia non cadat sub meritum: & quidem probari possit ad mentem SS. Patrum ex illis textibus 1. Cor. 7. v. 25. *Misereremur qui consecutus sumus à Domino, ut simus fideles. & ad Ephes. 1. v. 4. Elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, ut essemus sancti*: ex quibus tamen Patres, & Concilia, hoc probant, ut videre est apud Oviedo in 1. 2. tr. 9. contr. 1. punct. 4. n. 66. si enim meritum propriè dictum, etiam est illud, quòd movet, ut sit, ratio hæc nulla est; nam, sicut merita Christi juxta adversarios moverunt ad dandas gratias antecessoribus, non, quia fuerunt, sed, ut sint; ita etiam potuissent fidelitas, & sanctitas, esse meritum, & movere ad dandas gratias, ut sint, seu ut gratiæ compensarentur sequenti fidelitate, & sanctitate.

Nec dicas 1. primam gratiam tantum in hac providentia non cadere sub meritum; nam, quidquid de hoc sit, non quaeritur hic de eo, quid possit fieri, sed de bonitate illationis, & argumentationis SS. Patrum, qui ex eo, quòd aliquid moveat, ut sit, intulerunt, quòd non possit esse meritum: ex quo legitime deducitur, eos non agnovisse meritum compensativum. Nec dicas 2. hoc meritum admitti debere; eoque aliter non possit solvi difficultas circa merita Christi; hoc enim, ut ait Gormaz de merito n. 37. est potius vitare, & fugere difficultatem, vel ei succumbere, quam eam solvere; unde communiter auctores paulò antiquiores hoc meritum nunquam afferunt.

Neque dicas 3. SS. Patres tantum vel le dicere, quòd prima gratia non cadat sub meritum impetratorium, seu remunerandum; nam hoc dici non potest; quia SS. Patres contra Semipelagianos (qui dicebant, primam gratiam cadere sub meritum, quin distinguere inter meritum impetratorium, & compensativum) simpliciter dicunt, primam gratiam non cadere sub meritum: & nec ipsi distinguunt inter unum, & alterum ergo signum est, quòd ipsi non agnoverint aliud

aliud meritum propriè dictum, quam impetratorium.

462. Tertia tandem sententia (quam præ alijs tenendam existimo) est eorum, qui admittunt mutuam aliquam prioritatem naturæ, inter has duas causas morales: sicut defacto plures philosophi eam admittunt inter alias causas morales naturales: & ejus exemplum communiter dare solent recentiores in eo, cui revelatum esset, quòd sit incarcerandus, ique propterea ex ira blasphemet, & propter hanc ipsam blasphemiam incarceretur: quo in casu incarceratio est prior naturâ ad blasphemiam, & vicissim blasphemiam ad incarcerationem; neque enim ista tantum se habent ut causæ finales; non enim ille homo blasphemat, ut incarceretur, sed quia aliunde, saltem præcisivè, est incarcerandus: multò minùs autem incarceratur, ut blasphemet,

Equidem hanc etiam sententiam secutus sum in philosophia: nec mihi videtur posse contra eam, in casibus præsertim naturalibus, alicujus momenti difficultas opponi: & quæ solet opponi, est potissimum de nominæ, seu de eo, quid tandem significetur per prius naturâ, an tantum illud, quod est realiter aliunde existens, vel etiam illud, quod est præcisivè aliunde existens: quidquid autem de hoc sit, saltem hoc videtur admittendum, quòd duo ad se invicem possint movere, non *ut sint*, sed *quia sunt*.

Sed neque videtur hæc qualiscunque prioritas mutua evitari posse in ordine ad Christum; nam multa peccata supponebant pro priori mortem, & dolores Christi, e.g. incredulitas eorum, quibus Evangelium post Christi mortem est prædicatum: atqui hæc ipsa peccata fuere priora ad passionem Christi; quia etiam propter ista Pater Divinus eum pati voluit: & maximè Christus in cruce afflicus est ex eo, quòd videret hæc peccata securura. Dicere autem, Christum non doluisse, quia ea peccata erant securura, sed, ne sequerentur, planè est incongruum; nam Christus non tantum voluit ea impediri: sed quia vidit, ea non esse impedienda, adeoque omnino absolutè esse futura, propterea doluit.

463. Sed tamen restat difficultas, non adeò parva in nostro casu, qui sit multum differt ab illo blasphemæ; & incarcerationis; nam ibi inprimis causalitas moralis, & prioritas, datur respectu diversorum intellectuum: dein (quod magis est advertendum) datur respectu intellectuum, capacium ignorantie, & cognitionis confusæ, ac præcisivæ: in nostro autem casu daretur respectu ejusdem unici intellectus Divini, incapacis omnis ignorantie, confusionis, & præcisionis.

Responderi tamen potest, nec ista obesse; nam potest dici, quòd ad causalitatem causæ moralis non requiratur, ut res putetur aliunde existere, vel ignoretur, quòd dependenter ab hac causa existat: sed quòd sufficiat, ut res non moveat, ut de-

pendens, seu ut futura dependenter; hæc ratione enim jam non movet tanquam finis, seu ut sit dependenter ab hac causa: sed quia est, verbo: movet quidem res dependens, sed non ut dependens: quòd, ut docent recentiores, sufficit ad causam moralem; nam certè causa ita movens non est causa finalis; quia hæc movet ut dependens, hoc est, ut fiat, vel existat, per hæc media, & dependenter ab illis: neque est causa exemplaris; nam hæc causat, non movendo, sed dirigendo: quæ directio utique hic non habetur in merito: ergo movet ut causa moralis; quia non datur alia causa inter intentionales: inter physicas causas autem utique meritum Christi locum non habet.

464. Ubi ulterius hoc notandum. Merita Christi præter dependentiam à B. Virgine, ejusque meritis, habent etiam aliquam independentiam, saltem in intentione Divina; quia scilicet erant futura, vel formaliter, vel arguitivè, etiam vi præsentis decreti, etsi B. Virgo non fuisset futura mater DEI, nec isti futuri fuissent progenitores Christi, præsertim in nostra sententia, iuxta quam Christus venisset, etsi Adam non peccasset; unde potuerunt merita Christi DELIM movere tanquam independentia, seu ut intenta in priori signo rationis ante merita B. Virginis &c.

Hinc videtur mihi modus tendendi scientiæ, & volitionis Divinæ, seu decreti Divini, virtualiter, ut suppono, indivisibilis, ita posse ad captum nostrum explicari: *Cum videam varijs modis à me mitti posse Christum, & obtineri ejus merita, volo existentiam Christi, ejusque meritum: & propter hæc ipsa merita volo has causas Christi, scilicet hanc ejus matrem, & hos ejus progenitores, potius quam alios: volo etiam B. Virginem, ejus matrem, & progenitoribus, propter eadem merita Christi conferre has, & has gratias: quibus, quia cooperabuntur, & orabunt adventum salvatoris, volo etiam propter has orationes, vel hæc merita, tanquam propter alterum motivum, existere Christum citius, vel volo accelerationem adventus Christi, & alias ejusdem circumstantias.* In hoc toto decreto nulla videtur intercedere imperfectio, aut confusio, vel ignorantia: sed ad summum respicitur duplex motivum à DEO, unum majus, alterum minus ponendi Christum, vel potius celeritatem ejus adventum, aliasque circumstantias, in quo nihil est absurdum: sicut non fuit absurdum, quòd DEUS miserit Samuelem prophetam propter duplex motivum in Bethlehem, de quo vide *n. 261.*

An autem hæc dicenda sit strictè dicta mutua naturæ prioritas, vel non, quæstio est tantum de nomine. Negant quidam ex eo, quòd merita Christi, & B. Virginis &c. non sint mutuo priora secundum omnia eadem; nam merita Christi moverunt DEUM ad ponendam hanc matrem, & hos progenitores, ac dandam ijs gratiam &c. moverunt, inquam, ut independentia à matre, & progenitoribus (intellige independentia suo modo

modo intentionaliter, seu in tantum, in quantum non movit DEUM dependentia illa physica, qua dependebat Christus, & consequenter etiam merita ejus, à matre, & progenitoribus in statu physico: merita autem matris, & progenitorum moverunt ad Christum, ut dependentem à se, seu ad ipsam dependentiam Christi à se; quia impetrarunt, ut ipse ex sua progenie nasceretur &c.

465. Alii autem affirmant, dari in hoc casu aliquam mutuam naturæ prioritatem, & dicunt, sufficere ad talem mutuam prioritatem, quòd una pars complexi, seu concreti, sit mutuo prior ad alteram, seu ad alterum partialiter acceptum: sive, quòd merita Christi sint priora ad merita matris &c. atque vicissim, licet non sit prior eorum dependentia in statu physico; quia in illa prioritate sola involvitur tota difficultas mutuae prioritatis, scilicet, quòd se mutuo causent. Sed, cum hæc mutua causalitas non repugnet, quoad rem convenitur: quæstio autem de nomine non est digna longiore lite: sufficit, si utrinque admittatur, quòd ista merita ad se invicem moveant, non, *ut sint*, sed, *quia sunt*, ut superius diximus. Scio utique, non carere hanc sententiam suis difficultatibus: at videntur in alijs sententijs esse majores; unde, ut supra jam dixi, istam sic explicitam præ alijs tenendam existimo.

ARTICULUS III.

Solvuntur Objectiones.

466. **O** B. I. Si DEUS decrevit Christum propter merita B. Virginis, & progenitorum, tunc decrevit eum, non, *quia jam est*, sed, *ut sit*: ergo eum tantum decrevit ut finem, vel ad summum tanquam habiturum merita compensativa: adeoque debet admitti, quòd merita Christi respectu progenitorum sint compensativa. Confirm. 1. Si DEUS decrevisset merita B. Virginis, ac progenitorum, & consequenter etiam gratias, ad hæc merita prærequiritas, propter Christum, aut ejus merita, decrevisset faciendum id, quòd vidisset aliunde jam existens: hoc est ridiculum, & DEO indignum: ergo.

Confirm. 2. Juxta nos decretum DEI haberet hunc sentum: *Quia Christus per hanc actionem, dependenter ab hac matre, & his progenitoribus, prius extitit, hoc tempore, ac loco, primo productus, suis meritis dignus est, volo in ejus gratiam, matri, ac progenitoribus ejus, anticipatò dare existentiam, & hæc dona, quibus easdem circumstantias merentur, & Christum per hanc ipsam actionem, hoc loco, ac tempore, primo producant:* sed sapientissimus DEUS non potest tale decretum concipere: ergo.

Resp. dist. ant. Si DEUS decrevit Christum propter merita B. Virginis, & progenitorum, tunc decrevit eum, non, *quia jam est*, sed, *ut sit*, hoc est, formalitas decreti, decernens Christum venturum, & præsertim

formalitas decernens, eum venturum propter merita B. Virginis, & progenitorum, non decrevit, aut respexit Christum, tanquam jam aliunde existentem, seu quia jam est. conc. ant. formalitas decreti, decernens gratias, & consequentia merita B. Virginis, & progenitorum, propter Christum, non respexit Christum, tanquam jam aliunde existentem, seu quia jam est. neg. ant. & conf.

467. Tres distinguendæ sunt in decreto DEI formalitates. Prima est, quæ decernit Christum, venturum propter excellentiam mysterii, vel redemptionem generis humani, tanquam motivum primum, independentem ab hac matre, vel his progenitoribus. Secunda est, quæ propter Christum, ab his progenitoribus, saltem in prima intentione Divina, independentem, seu independentem ab his exiturum, decernit gratias conferendas B. Virgini, ac progenitoribus, ex quibus gratias dein oriuntur merita B. Virginis, & progenitorum. Tertia est, quæ propter merita B. Virginis, ac progenitorum, tanquam alterum motivum, decernit Christum, seu potius circumstantias adventus ejus.

Hæc quidem tertia formalitas non respicit Christum, ut aliunde jam existentem, & hinc nullo modo decernit eum venturum, *quia jam est*. Similiter neque prima formalitas respicit Christum jam aliunde existentem: sed primum eum decernit venturum propter primum motivum. At verò formalitas secunda respicit Christum, ut jam ratione primæ formalitatis existentem, atque etiam præsuppositum ad gratias, & consequenter ad merita B. Virginis, & progenitorum: atque adeò ad has gratias, & merita movet Christus, *quia est*; unde, cum ratione secundæ formalitatis Christus sit prior ad merita B. Virginis, & ratione tertie formalitatis, merita B. Virginis sint priora ad Christum, saltem aliquo modo in complexa cum circumstantiis sumptum, datur aliqua mutua naturæ prioritas, vel quasi naturæ prioritas, quæ tamen non repugnat.

Ex quibus omnibus patet, quòd Christus ad merita B. Virginis, & progenitorum, moverit ut existens, sive, *quia est*: quod non competit causæ purè finali; unde voluntas DEI se determinavit ad conferendas has gratias B. Virgini, & progenitoribus, propter ipsa merita Christi, ita, ut hæc collatio gratiarum non sit facta præcisè ad obtinendum Christum tanquam finem, sive, ut existat Christus tanquam finis; sed sit facta propter ipsam excellentiam Christi, & propter ejus merita jam prius intenta, seu ut intentionaliter non dependentia à matre, vel progenitoribus: quod sufficit ad causam meritariam, ac moralem. verbo: finis purè talis tantum movet ut dependens ab his medijs, & ad hæc ipsa media ideo movet, ut per ea ipse obtineatur: non autem movet finis ut independentis à medijs, vel quia est, aut erit aliunde: adeoque Christus ad has gratias &c. non movit tanquam finis.

468. Ad 1. confirm. neg. ma. DEUS juxta nos non decrevit faciendum, quod jam aliunde absolute fuit factum, seu existens: sed tantum decrevit, ut id, quod vidit exiturum ex uno motivo, etiam existat ex alio motivo, in quo nihil est absurdum, sicut in decernendo itinere Samuelis, de quo *n. 267*. Imò, cum juxta nos DEUS decreverit ex utroque motivo per unicum indivisibile decretum, nunquam vidit per visionem aliquam, realiter, vel virtualiter priorem, quod Christus sit absolute exiturus ex uno motivo, quin simul viderit, quod Christus etiam sit exiturus ex altero motivo; nam non datur una scientia visionis, realiter, aut virtualiter prior altera, neque unum decretum ita prius altero: sed tantum datur prioritas aliqua in sensu formali, quatenus una formalitas decreti, vel visionis, præcedit formaliter, non autem virtualiter, aut realiter alteram. Cum quo tamen stat, quod unum motivum, vel objectum decreti, possit esse prius naturam ad alterum, ut fufius explicatum *nr. de DEO n. 556. & seq.* Sic e. g. DEUS unico decreto decernit solem, & lucem; quo casu, licet sol sit prior naturam ad lucem, tamen decretum producendi solem, non est prius ad decretum producendi lucem; cum sit realiter, & virtualiter idem. Adde, quod DEUS præcipue ex altero motivo decreverit circumstantias existentiam, vel adventus Christi.

469. Ad 2. confirm. neg. ma. sed sensus decreti est, quem dedimus *n. 464*. neque decretum ita tendit, ut dicat: *Quia Christus est productus*: sed ad summum: *Quia est producendus*. Dein Christus movet ad dandas matri, & progenitoribus gratias, non ut dependens; quia formalitas prima decreti præcindit ab actione productiva, & matre, ac progenitoribus, ut patet *ex n. 467*. & ex modo tendendi, quem explicavimus *n. 464*. Neque in nostra illa explanatione est ullum absurdum; nam utique DEUS potest prius formaliter velle finem, & pro posteriori primum signo eligere, vel determinare aliqua media ex iis, quæ videt sibi suppetere, ad eum finem obtinendum infinita; hoc enim est tantum dicere: volo finem, eumque volo obtinere per hæc media: in quo nihil est DEO indignum.

Nulla etiam in hoc modo decernendi est cæcitas, vel ignorantia; cum DEUS pro priori rationis ad omne decretum habeat omnem scientiam simplicis intelligentiæ, & omnem scientiam mediam, de omnibus medijs possibilibus: ex quibus dein pro posteriori signo rationis aliqua eligit. Sed nec est ulla necessitas, ut DEUS semper, & quam determinet finem, prius determinet media: sed tantum debet in executione prius ponere media, quam finem; unde neque est impossibile, ut aliquid necdum realiter existens, sed tantum existens in intentione Divina, moveat DEUM tanquam finis ad productionem sui, potius per hanc, quam per aliam causam, sive potius per hoc, quam per aliud medium. Sicut autem non est imper-

fectum, aut cæcum, dicto modo velle prius aliquid tanquam finem, ita neque erit imperfectum, aut cæcum, velle prius aliquid tanquam causam moralem.

470. Dices 1. DEUS debet absolute prævidere merita absolute futura; antequam decernat præmium, vel aliquid propter illa: ergo. Resp. 1. neg. ant. quia potest DEUS decernere gloriam ante merita absolute prævisa, ut diximus *tract. de DEO n. 684*. Resp. 2. dist. ant. DEUS debet prævidere merita ut dependentia ab omnibus circumstantiis, dependentia à quibus realiter existant, neg. antec. quasi præcindendo ab istis; om. ant. neg. conseq. DEUS non debet prævidere merita Christi, ut dependentia jam ab omnibus circumstantiis, matris, majorum &c. sed in illa formalitate decreti, primo intentiva meritorum Christi, potuit ea videre, imò actu vidit, tanquam independentia, & quasi præcisa à causis illis, & circumstantiis: quamvis simul viderit infinita media, & causas, per quas possit Christus immediate, & consequenter ejus merita mediatè, produci, quas causas, & circumstantias, primum pro posteriori rationis determinavit: sicut scilicet DEUS etiam potest videre finem (quem formaliter prius determinat) antequam media.

Dices 2. Merita absolute futura præsupponunt decretum DEI absolute existens, Resp. dist. illatum. præsupponunt decretum existens ad existentiam suam physicam actualem. conc. illatum. ad existentiam tantum intentionalem, seu ad scientiam visionis, sub. dist. præsupponunt illud tantum formaliter prius, seu prius prioritate rationis. om. illatum. prius realiter, vel virtualiter. neg. illatum. Plura vide *in tract. de DEO n. 559. & seq.*

471. Ob. 2. Christus non potuit prævideri à DEO, ut eliciens meritum, antequam viderentur ejus progenitores: ergo non potuit DEUS ab his quasi præcindere. Confirm. Christus meritis est ut hic homo, seu ut habens hanc carnem: sed hanc carnem habuit à B. Virgine: ergo ut hic homo non potuit videri à DEO, nisi saltem in obliquo videretur Beatissima Virgo. Resp. dist. ant. Christus non potuit prævideri ut eliciens meritum, tanquam jam à parte rei, & actualiter existens, antequam viderentur ejus progenitores. conc. ant. non potuit prævideri ut eliciens meritum, tantum tanquam existens objective, aut intentionaliter in mente, & voluntate Divina. neg. ant. & conseq.

Discrimen magnum est inter hos duos status. Repugnat aliquid à parte rei existere, quin existat per determinatas causas, & in determinatis circumstantiis: ergo, consideratum ut existens à parte rei, non potest movere ad productionem sui, per has potius, quam illas causas; quia jam supponitur per aliquas determinatas productum (taceo, quod non possit movere ad sui productionem illud, quod jam supponitur productum) At verò res existens tantum obje-

ctivè, seu intentionaliter, est necdum producta, sed est adhuc indifferens ad causas, ut patet in fine, objective, vel intentionaliter existente: ergo potest cognosci, quin pro priori cognoscantur ejus causæ, vel circumstantiæ determinatæ.

472. Ad confirm. neg. conseq. Syllogismus non est in forma; infertur enim terminus in conclusione, qui nunquam fuit positus in præmissis. dist. tamen mi. Christus habuit hanc carnem à Beatissima Virgine, ita tamen, ut hæc caro absolute potuisset haberi ab alia matre, vel à solo DEO. conc. mi. secus. neg. mi. & conseq. sic enim jam potuit DEUS quasi præcindere modo explicato à B. Virgine. Idem responderetur, si objiciatur, quod Christus sit meritis, tanquam filius B. Virginis. Hoc tamen non obstante, debemus grates maximas Beatissimæ Virgini, tanquam genitrici Divinæ, & merenti accelerationem adventus Christi &c. quia, licet in prima formalitate decreti ab ipsa, ut dictum est, suo modo præcinderetur, non tamen præcinderetur in formalitate secunda, quatenus ob ejus merita de congruo, non quidem adventus Christi secundum substantiam, attamen ejus acceleratio, & alique aliæ ejus circumstantiæ fuere decretæ. Dein ab ipsa, tanquam causa physica, productus est Christus, adeoque ipsa fuit mediatè aliquo modo causa ejus meritum.

473. Ob. 3. DEUS non potest velle Christum, vel aliam rem, aut finem, nisi per determinata media: ergo neque potest prævidere, nisi per determinata media existentem. Confirm. 1. Repugnat DEO decretum disjunctivum: sed tale deberet esse juxta nos decretum DEI, intendens Christum: ergo. Confirm. 2. Decretum DEI juxta nos esset determinatum, & indeterminatum: hoc repugnat: ergo. prob. ma. esset determinatum; quia determinaret media, & causas Christi: esset indeterminatum; quia eadem media, & easdem causas non determinaret: ergo. Resp. dist. ant. DEUS non potest velle Christum actu, & realiter in executione existere, nisi per determinata media. conc. ant. non potest velle, seu per aliquam formalitatem decreti, pro priori signo rationis præsuppositam, ad electionem mediorum, intendere Christum, nisi per determinata media. neg. ant. & sub eadem distinct. conc. vel neg. conseq. sensus distinctionis patet *ex n. 469. & 471*.

Nec dicas, DEUM debere videre rem existentem eo modo, & ordine, quo postea existeret; hoc enim tantum verum est de scientia fundata in formalitate decreti, decernente ipsam executionem, & pro posteriori signo rationis posita: non verò de formalitate intentiva, & pro priori signo rationis posita; nec enim debet DEUS intendere media ante finem, nec etiam necessario causas ante effectum: & consequenter nec debet in intentione sua, pro priori signo rationis posita, res hoc ordine videre, hoc est, media ante finem, vel causas ante ef-

fectum: quamvis omittam, id fieri in formalitate decreti ut executivi, seu in formalitate pro posteriori signo posita.

474. Ad 1. confirm. Resp. 1. om. ma. neg. mi. Nostrum decretum non est disjunctivum, sed potius scientia prævia est aliquo modo æquivalenter disjunctiva; quia DEUS per eam videt, se posse, vel per hæc, vel per alia media, Christum producere. Resp. 2. dist. ma. repugnat DEO decreum realiter disjunctivum. om. ma. repugnat DEO decretum tantum formaliter, aut æquivalenter disjunctivum. neg. ma. & dist. sic mi. neg. conseq. Non repugnat DEO decretum tantum formaliter, sive in conceptu nostro, & quidem duntaxat æquivalenter disjunctivum, in hoc tantum sensu, quod prima formalitas decreti, intendens, vel volens tantum Christum, necdum eum velit per determinata media, sed suo modo præcindat, an per hæc, vel per alia sit producendus.

Ad 2. confirm. neg. ma. nam decretum realiter acceptum, revera est determinatum, atque etiam determinat causas Christi, & tantum formalitas, pro primo signo rationis præsupposita, nondum concipitur determinare causas Christi: sicut in prima formalitate decreti Divini, intendens iter Samuelis in Bethlehem, propter unktionem Davidis in regem, nondum concipitur alterum motivum offerendi sacrificij, qua de re *n. 261. & 464*. verbo: in hoc nostro decreto admittitur, quod DEUS primo velit Christum, & cum vi hujus voluntatis, seu intentionis, Christus exiturus sit, velit propter ipsum, seu propter ejus merita, simpliciter in se spectata, & non ut dependentia ab his, vel illis progenitoribus, dare alijs, nempe progenitoribus ejus gratias: in quo prorsus nihil absurdum, nihil DEO indigni, sed omnia Divinam munificentiam maxime decetia.

ARTICULUS IV.

Solvuntur reliquæ Objectiones.

475. **O**B. ulterius 4. Christus non potuit merito impetratorio mereri gratias progenitoribus: ergo nostra conclusio non subsistit. prob. ant. mereri merito impetratorio est mereri petendo, & orando per merita sua: sed Christus non potuit petere, nec orare per merita sua gratias progenitoribus concessas: ergo. prob. mi. ridicula fuisset oratio Christi petentis, ut darentur gratiæ, quæ jam ante mille, & plures annos, fuerant colatæ. Resp. neg. ant. ad prob. resp. 1. neg. ma. cum Rhodes *de incarnat. disp. 4. q. 4. sec. 3. §. 2.*

Ad meritum impetratorium non est necessaria oratio, vel petitio formalis, aut etiam applicatio meriti, ad aliquid determinatum impetrandum, ut patet in actu charitatis, qui, licet abstrahat ab omni proprio bono, tamen meretur aliquid. Item, etsi bellidux, qui reportavit insignem victoriam,

non petat triumphum, nec suas actiones, quae fuerunt causa victoriae, in hunc finem applicet, tamen eum est meritis, & quidem merito imperatoris, seu merito movente, quia est. Pariter, etiam si Christus non petuisset gratias, nec determinate applicasset merita sua matri, vel progenitoribus, tamen potuisset istis eas mereri merito vere imperatorio. Neque etiam ex eo, quod uni, e. g. matri, plus meritis fuerit, quam alijs, sequitur, ipsum necessari debuisse specialiter pro ea orasse, vel ei merita sua applicasse; potuisset enim DEUS ea merita ita applicare, ac ordinare.

476. Quia tamen est communior modus loquendi Theologorum, Christum petiisse, vel orasse pro suis progenitoribus, & impetrasse eis gratias, videtur hoc non esse negandum, etsi sat difficulter explicetur, quomodo Christus oraverit; nam videtur ridicula haec oratio Christi: *Rogo te Pater, ut dederis ante mille, & plures annos, Abrahamo propter mea merita gratias, & ante annos quindecim meae matri.* Sed recte advertit Arriaga tom. 6. *sem de incarnat. disp. 17. n. 20. & 24.* hanc difficultatem esse communem omnibus orationibus, aut petitionibus ad DEUM factis, etiam quando nos futura petimus; nam, quocumque etiam aliquid futurum petimus à DEO, petimus, ut DEUS velit dare; neque enim petimus, ut det sine voluntate: sed ut misericorditer exaudiat preces, easque benigne respiciat.

Sic ipse Christus *Psal. 21.* (qui totus de ipso est, adeo, ut quidam dicant, à Christo in cruce totum recitatum fuisse) ad Patrem ait *v. 20. Ad defensionem meam conspice. & v. 25. Cum clamarem ad eum, exaudivit me.* item David in *Psal. 118. v. 170. Intret postulat me in conspectu tuo.* ergo petimus, ut DEUS habuerit jam ab aeterno scientiam nostrarum precum, & simul voluntatem petita concedendi; nam primum in tempore, DEUS nec cognoscere, nec velle aliquid potest. Nec dicas, nostras actiones in tempore non causare scientias, vel decreta DEI, sed tantum objecta; nam, licet nostrae actiones non causent scientias, aut decreta DEI; quia ista causari non possunt, tamen ad ea determinant DEUM, ut est innegabile.

477. Imò, ut idem Arriaga modo cit. *disp. n. 22.* observat, etiam rogant saepe homines DEUM, ut aliquid fecerit; sic, ait, mater jam gravida saepe per se, & alios orat, ut pariat prolem masculam, quin tamen petat, ut, si foetus sit alterius sexus, DEUS per miraculum eum convertat in masculum (hoc enim, ut ait hic author, esset tentare DEUM) ergo orat, ut conceperit masculam prolem. Aliud est de petitionibus factis ad creaturas; cum enim creaturae primum incipiant habere volitionem concedendi post petitionem, esset nimis tardum, iis dicere: *Habe volitionem pro hesternae die:* at verò DEUS, ab aeterno jam omnia praevidens, potest ab aeterno jam moveri à petitione primum

hodie physice existente; quia haec objecta jam existit ab aeterno.

Quare, in aliquo bono sensu, potuit Christus Patrem rogare, ut voluerit ab aeterno dare, & in tempore, suam existentiam praecedente, dederit gratias progenitoribus suis, ob merita sua, quae ab aeterno jam absolute futura praevisa sunt: & DEUS potest merita ita praevisa, ut absolute futura, praemiare, antequam existant; nam jam movent, quia sunt: & ita praevire est liberalitatis: quamvis non econtra possit DEUS peccata ante absolutam eorum existentiam punire; quia hoc saperet fœvitiam.

478. Nec etiam obest, quod Christus, quando oravit, jam sciverit, eas gratias esse collatas; nam etiam scivit, voluntatem de conferendis futuris jam fuisse ab aeterno, quin propterea non potuerit DEUM rogare ut velit, vel voluerit, in futurum propter merita sua gratias conferre: scilicet ab ea cognitione suo modo praecedebatur in ordine ad orationem: sicut etiam, quando Christus actum liberum exercere voluit, quem tamen se eliciturum certissimo scivit, ab hac scientia praecedebatur.

Modus tendendi orationis Christi non male sic exponitur cum Arriaga cit. *disp. n. 21. Pater aeternae, scio, quod ego hodie meo actu libero, & meritorio, efficiam, ut tu ab aeterno eum actum praevideris, isque tibi placuerit, non minus, ac si jam ab aeternitate existisset: rogo ergo, ut sicut meus hic actus te determinat, ut ipse jam ab aeterno habueris scientiam, ita etiam te determinet, ut habueris voluntatem dandi matri, & progenitoribus meis gratias, prius tempore, quam mihi:* in qua petitione, suppositis praecedentibus hic dictis, nullum est incommodum.

479. Ob. 5. Nostra conclusio accedit ad errorem Massiliensium, sive Semipelagianorum: ergo non est admittenda. prob. ant. juxta nos moverunt DEUM merita Christi tantum conditionate praevisa: hic est error Massiliensium: ergo. Resp. neg. ant. ad prob. neg. ma. Jam dictum est, non movere merita conditionate praevisa, sed absolute praevisa.

Dices. Juxta nos, qui admittimus decretum virtualiter indivisibile, non praecedit ad decretum scientia visionis de meritis, sed tantum scientia media: ergo tantum moverunt merita conditionate praevisa. Resp. In nostra sententia distinguendas esse in decreto indivisibili plures formalitates. Prima est, quod decretum velit existentiam meritorum: secunda, quod decretum hoc realiter acceptum videat ea merita absolute futura (nam in hac sententia scientia visionis est realiter identificata decreto) tertia, quod decretum velit praemium conferre meritis: quarta, quod velit praemium conferre per talem tendentiam, quae velit praemium propter merita, & non vicissim in forma dist. ant. scientia visionis non praecedit realiter, vel virtualiter ad decretum: conc. ant. non praecedit formaliter, sive prioritate

ritate rationis. neg. ant. & conseq. vide plura in tract. de DEO à n. 559.

480. Ob. 6. Hac ratione Christus potuisset mereri unionem hypostaticam, vel propriam existentiam: hoc autem communiter non admittitur: ergo. prob. ma. Christus est causa suae causae, scilicet B. Virginis, & progenitorum: sed, quod est causa causae, est etiam causa causati: ergo Christus est causa sui ipsius. Resp. neg. ma. ad prob. dist. ma. Christus est causa suae causae adaequatae. om. ma. & dist. sic mi. neg. consequentiam simpliciter prolatam. Christus ad summum esset causa meritoria mediata alicujus inadaequati influxus, quem habuisset B. Virgo in unionem hypostaticam: hoc autem non est simpliciter mereri unionem hypostaticam: & minimè est mereri eam de condigno; alijs, qui adderet unum florennum ad decem millia, quibus expungeretur aliquod debitum, posset dici solvisse totum debitum de condigno. Dein difficultas haec est communis omni sententiae; quia in omni sententia debet admitti, Christum remisisse etiam B. Virginem, ac progenitores, iisque multas gratias fuisse promeritum; unde omnis responsio, quae ab alijs datur, etiam nobis potest servire.

481. Adde, quod illud axioma (vel quomodocumque vocatur) *Quod est causa causa, est etiam causa causati:* juxta Suarez tom. 1. in 3. p. disp. 10. sec. 4. §. Ad secundam. fallat, si mutetur genus causarum; docet enim ibi Eximius, nihil dici causam sui ipsius, etiam tanquam finis moveat causas physicas ad se ponendum: atqui etiam in nostro casu mutatur genus causarum; nam à morali fit transitus ad physicam; meritum enim Christi tanquam causa moralis movet ad ponendam B. Virginem, tanquam causam physicam. Idem quoad sensum tradit Haunoldus l. 4. tr. 1. n. 364.

Insuper hoc axioma vel maximè fallit in nostro casu ideo; quia, quod causatur à meritis, debet esse eorum praemium: ergo, si unio hypostatica causaretur à meritis Christi, deberet esse eorum praemium: atqui non potest esse praemium meritorum Christi: ergo neque potest esse, vel dici causata à meritis Christi. Subsumptum probatum est n. 355. ubi diximus, quod praemium debeat esse aliquid distinctum à merito; ridiculum enim esset, aliquem praemiare ipso merito. Item praemium debet esse aliquid, antecedenter ad merita indebitum: ergo Christus non potest tanquam praemium mereri seipsum; quia utique ipsemet non est aliquid indebitum sibi ipse. Adde, quod Christus totus cum sua existentia, & unione, constituat meritum (ut fuse probatum à n. 351.) adeoque praesupponatur ad praemium: consequenter debeat ab hoc esse distinctus.

482. Ob. 7. Juxta nos principium meriti caderet sub merito: sed hoc est contra commune axioma Theologorum: ergo. prob. ma. juxta nos potest dari mutua naturae prioritas: ergo meritum potest esse prius natu-

ra ad suum principium, adeoque istud mereri. Confirm. 1. Juxta nos etiam potest prima gratia cadere sub merito: hoc est Semipelagianum: ergo. ma. prob. ex eodem capite possibilis mutuae prioritatis natura. Confirm. 2. Massilienses fuere in triplici errore. Primus fuit, DEUM praemiare etiam merita tantum conditionate futura: secundus, DEUM praemiare merita, absolute quidem futura, sed naturalia: tertius, DEUM conferre primam gratiam propter ejus bonum usum absolute futurum: sed hic tertius error nobis imputari potest; quia dicimus, DEUM dedisse primam gratiam B. Virgini, ac progenitoribus, propter merita Christi absolute futura: ergo nostra sententia non debet admitti.

Resp. neg. ant. Inprimis in hac providentia DEUS non vult moveri, ad dandum principium meriti, propter ipsum meritum, consequenter hoc non est causa moralis sui principij; nam principium meriti est prima gratia actualis, quam DEUS vult nobis dare gratis, hoc est, absque intuitu meritorum nostrorum, quamvis non absque intuitu meritorum Christi: respectu quorum tamen gratia illa non est principium. Quod autem DEUS non velit, eam gratiam primam dare intuitu nostrorum meritorum, patet ex Patribus, & Theologis communissimè id docentibus.

483. Quid autem de absoluta potentia DEI fieri potuisset, non est necesse decidere. Suarez tom. 1. in 3. p. disp. 10. sec. 4. §. Ad fundamentum. item Coninck de act. super-nat. fide & c. disp. 8. dub. 7. n. 109. ac alij admittunt, principium meriti, seu primam gratiam, posse de absoluta potentia, cadere sub merito. Negat econtra id Haunoldus l. 4. tr. 1. n. 361. cujus tamen ratio, quod gratia actualis, seu illustratio superna, sit unice amabilis propter sequentem actum meritum, forte non est efficax.

Alijs tamen videtur efficacior ratio sequens. Meritum non potest movere ut aliunde existens, sive ut saltem praesive independens ab eo, à quo ipsum essentialiter dependet: atqui meritum quodvis supernum, saltem in infima specie, vel individuo acceptum, essentialiter dependet à prima gratia (quae nempe est illustratio, seu actus intellectus, qui essentialiter praesupponitur ad meritum tanquam actum voluntatis) ergo meritum non potest movere ut aliunde existens, vel ut praesive independens à prima gratia: subsumitur: atqui meritum ad id, ad quod movet tanquam ad praemium, debet movere ut saltem praesive independens, sive ut aliunde existens (quod saltem illi facile concedunt, qui meritum compensativum nobiscum pro strictè dicto merito non agnoscunt) ergo meritum supernum non potest movere ad primam gratiam tanquam ad praemium, adeoque prima gratia non potest esse praemium meriti superni: seu, quod idem est, non potest prima gratia cadere sub merito. Et haec de prima gratia actuali.

484. Quod autem attinet ad primam gratiam

gratiam habitualem, significantem meritum, equidem potest homo eam mereri de congruo, sed non de condigno; quia condignitas meriti constituitur per ipsam gratiam sanctificantem, ut dicitur n. 351. atqui meritum debet esse distinctum à præmio, ex n. 481. ergo &c. Ex hac ratione auctores etiam inferunt, non posse Christum mereri suam incarnationem, vel unionem hypostaticam. Dico suam; nam aliam, e. g. Paris incarnationem, potuisset mereri; cum Christi merita fuerint simpliciter infinita, adeoque condigna omni præmio possibili. At non videtur posse mereri incarnationem suam; cum ipsum meritum Christi constituatur ex Christo, seu dignitate Verbi ut unici humanitati. Ex quo patet etiam responsio ad 1. confirmationem.

Ad 2. confir. Resp. errores Massiliensium nihil ad nos attingere. Merita conditionata non præmiat, aut punit DEUS; alias quilibet homo deberet simul damnari, & simul beari; nam sub diversis conditionibus utrumque mereretur, ut jam dictum tract. de DEO n. 416. Nec etiam vel à longè sequitur ex nostra sententia, quòd DEUM moveant merita naturalia ad conferendum præmium supernaturale: cujus oppositum hic suppono ex tract. de gratia. Tertius error an fuerit Massiliensium, dubitat Suarez: verum, quidquid de hoc sit, à nobis prorsus negatur; neque enim dicimus, hominibus dari ullam gratiam, & multò minùs primam, propter merita hominum tantum futura: sed dicimus, omnem gratiam dari hominibus, vel ex opere operato propter merita Christi, & respectu hominum gratis: vel propter merita ipsorum hominum actu existentia: & tantum de meritis Christi dicimus, quòd propter illa, nondum absolute existentia, sed tantum prævisa ut absolute futura, datæ sint gratiæ B. Virginis, & progenitoribus alijs Christi, ac patriarchis, atque alijs hominibus antiqui testamenti: quod nemo potest negare.

ARTICULUS V.

An, & quid Christus sit meritis sibi, Angelis, & Hominibus.

485. Dico 1. Nec anima, nec natura humana Christi, merita est merito præcedente pro priori temporis, vel naturæ, unionem hypostaticam, seu incarnationem. Prima pars conclusionis est omnium Catholicorum contra Origenem, qui voluit animam Christi pro priori tempore ad incarnationem extitisse: & contra Photinum, ac Nestorium, qui dixerunt, totum hominem præcessisse unionem hypostaticam. Ratio autem hujus primæ partis conclusionis, sive, quòd Christus non meruerit incarnationem, aliquo merito, quòd fuerit prius tempore, est clara; quia Christus non potuit mereri, antequam existeret: sed non extitit, nec momento temporis, aut anima, aut homo ille,

ante unionem cum Verbo, seu incarnationem: ergo. ma. est clara. mi. definita in Synodo VI. ubi approbata est epistola Sophronij, in qua hæc propositio minor clarè habetur. vide n. 223.

Secunda autem pars conclusionis, sive, quòd Christus neque meruerit incarnationem merito, quòd fuerit prius naturà, est communis Theologorum cum S. Thoma 3. p. q. 2. a. 11. in corp. Prob. 1. Scripturæ passim incarnationem tribuunt unice benignitati, & misericordiæ DEI: ergo indicant, esse aliquod purè gratuitum. ant. prob. sic Luca 1. v. 78. dicitur: *Per viscera misericordiæ DEI nostri, in quibus visitavit nos. item ad Ephes. 2. v. 4. DEUS autem, qui dives est in misericordia, propter nimiam charitatem suam, qua dilexit nos, & cum essemus mortui peccatis, convivificavit nos in Christo. & v. 8. Gratia enim estis salvati per fidem, & hoc non ex vobis; DEI enim donum est.*

486. Prob. 2. S. Augustinus tr. 82. in Joan. in fine. ait: *Neque enim illam susceptionem hominis ulla merita præcesserunt, sed ab illa susceptione merita ejus cuncta caperunt. & l. de prædest. Sancto. c. 15. sic quærit de Christo: Qui hoc ut esset, nempe salvator, & mediator, quibus tandem suis, vel operum, vel fidei, præcedentibus meritis natura humana, qua in illo est, comparavit? & post pauca ait: *Ista omnia singulariter admiranda, & alia, signa ejus propria verissime dici possunt, singulariter in illo accepit humana, hoc est, nostra natura, nullis suis præcedentibus meritis:* ergo. Plura testimonia S. Augustini citat Suarez tom. 1. in 3. p. disp. 10. sec. 3. §. Secundo hanc.*

Prob. 3. ratione Doctoris Eximij, quem loco modo cit. §. Ultimo arguitur. assert. Actiones sunt suppositorum: ergo etiam actiones meritoria, seu merita sunt suppositorum: ergo præsupponunt suppositum jam completum: ergo merita non possunt esse priora naturæ ad suppositum: atque adeo nec in Christo potuerunt esse priora ad unionem hypostaticam, quæ constituit hoc suppositum, & ante quam natura humana Christi non fuit suppositum; quia hæc natura nunquam habuit aliam subsistentiam ex n. 223. Et hæc ratio, junctâ præsertim alterâ allatâ n. 483. item aliâ allatâ n. 484. probat quoque, quòd Christus etiam totus non sit meritis unionem hypostaticam: imò istam nec mereri potuerit.

487. Intelligenda autem conclusio est, de prima unione hypostatica, qua primò corpus Christi, ejusque anima sanctissima fuere unita Verbo; nam non probatur ex his rationibus, Christum non potuisse mereri augmentum unionis, sive novas ejus partes, quæ de novo producebantur ratione nutritionis, de qua re dictum n. 191. Neque etiam probatur, quòd Christus non potuerit mereri reproductionem unionis hypostaticæ quoad illam partem, quæ uniebat prius Verbo unionem naturalem inter corpus, & animam, atque in morte destructa est, at

verò in resurrectione, vel iterum reproducta fuit, vel nova ejus loco producta; sicut enim Christus meritis est resurrectionem, ita potuit absolute etiam mereri illam unionem;

Dixi, non probari ex his rationibus; nam, cum jam antecedenter ad hæc daretur suppositum, Christus, ejusque dignitas, essetque hoc præmium distinctum à merito, rationes illæ contra hunc casum non pugnant: an verò id non probeatur ex alia ratione, quòd scilicet hæc uniones novæ jam antecedenter ad meritum fuerint debita, nolim decidere. Equidem partiales illæ uniones, accidere de novo ratione nutritionis, videri possunt fuisse debita Christo, ferè sicut alijs hominibus debita sunt partes novæ unionis naturalis, ratione nutritionis accrescentes. At verò unio, reproducta in resurrectione, non videtur fuisse magis debita, quam ipsa resurrectio, adeoque potuit, saltem in complexo cum resurrectione, esse præmium meritum, ut docet Suarez tom. 1. in 3. p. disp. 10. sec. 4. §. Hæc responsio. si tamen resurrectio ipsa præmium fuit, ut multi volunt, quamvis alii videantur velle, resurrectionem Christo, tanquam naturali Filio DEI, debitam fuisse. Sed, et si Christo non fuerint debita illæ uniones, adeoque eas mereri potuerit, non sequitur, quòd eas actu meritis sit; quia, si ipsæ merita sua noluit in eum finem applicare, vel si Pater noluit ea ita acceptare, Christus non est eas actu meritis.

488. Dico 2. Probabilius ex ratione est, quòd nec anima, nec natura humana Christi in abstracto, potuerit merito strictè congruo mereri unionem hypostaticam, seu incarnationem quoad substantiam. Dico, nec anima, nec natura humana; nam de Christo in concreto aliunde habetur, eum nihil posse mereri de congruo; cum ejus merita, utpote simpliciter infinita, semper necessario mereantur de condigno. Hæc conclusio quoad rem ipsam coincidit cum ea, an pura creatura possit mereri de congruo hypostaticam unionem.

Theologi quidem satis communiter docent, id fieri posse: at videntur meritum congruum non strictè accipere, sed in sensu latiori, scilicet pro omni obsequio supernaturali, ac libero, quo quis se præparat ad aliquod donum recipiendum, quòd dein DEUS liberalissimus ex sua benignitate ei conferat: quo in sensu meritum de congruo aliquo modo accipi posse insinuat Angelicus in 3. disp. 4. q. 3. a. 1. in corp. ubi de hac ipsa questione nostra, seu de merito creato respectu incarnationis agens, sic scribit: *Meritum humanum non se extendit ultra conditionem humanam, qua in hoc consistit, ut quis mereatur aliquam Divinitatis, & beatitudinis participationem: sed quòd tota plenitudo Divinitatis habitet in homine, hoc excedit, & conditionem, & meritum humanum; unde nullo modo potest cadere sub meritum, nisi large meritum dicamus omnem præparationem ad aliquid habendum, quòd præcessit in humano genere.*

489. Videtur, inquam, Theologi no-

bis contrarii accepisse meritum congruum, non in sensu stricto, in quo nos id sumimus, nempe pro obsequio supernaturali, ac libero, quòd habeat quandam positivam proportionem, & imperfectam aliquam exigentiam, vi cujus quidem DEUS non teneatur, dare tantum præmium, sed tamen deceat illud dare. In hoc secundo sensu procedit nostra conclusio: non autem in primo; nam in dicto sensu latiori non negamus, potuisse in alia providentia, animam, vel humanam naturam, aut etiam B. Virginem, seu alios progenitores Christi, mereri, de congruo incarnationem etiam quoad substantiam.

Et in hoc latiori sensu etiam explicandus est S. Thomas, dum 3. p. q. 2. a. 11. in corp. ait: *Ex congruo tamen meruerunt SS. Patres incarnationem, desiderando, & petendo; congruum enim erat, ut DEUS exaudiret eos, qui ei obediebant. & ibid. ad 3. ait: B. Virgo dicitur meruisse, portare Dominum omnium: non quia meruit ipsam incarnari: sed quia meruit ex gratia sibi data illum puritatis, & sanctitatis gradum, ut congrue posset esse mater DEI: si enim hic intelligeretur meritum, strictè in sensu congruum, ista cum prioribus dictis Angelici non convenirent. Alii verò Theologi, quos tacito nomine citat Lugo de incarnat. disp. 8. sec. 4. n. 24. nobiscum sentiunt, & eorum, seu nostram sententiam, Arriaga tom. 6. de incarnat. disp. 18. sec. 1. n. 3. ait, esse valde probabilem: & sane videtur etiam nobiscum sentire S. Thomas, si ejus verba num. præc. citata perpendantur.*

490. Prob. jam conclusio. Merita puræ creature, quantumvis maxima, tamen semper finita, condignè compensantur præmio finito gratiæ, & gloriæ: ergo non possunt esse meritum congruum propriè dictum præmii, quòd sit condigna, & connaturalis radix gratiæ, & gloriæ, majoris, & majoris in infinitum: tale autem præmium est incarnatio quoad substantiam suam, quæ incomparabiliter superat quodvis determinatum præmium gratiæ, & gloriæ: ergo.

Prob. 1. conseq. Qui de condigno solvitur uno aureo, non meretur strictè loquendo de congruo mille aureos, & multò minùs millionem aureorum, ut videtur ex communi sensu hominum clarè haberi: sed est incomparabiliter major distantia, inter gratiam, & gloriam, in quolibet determinato gradu, & substantiam incarnationis, quam inter unum aureum, & millionem aureorum: ergo. Imò nulla videtur inveniri posse proportio inter meritum creatum, & incarnationem: & tamen, ut remunerator moveatur, non ex pura benignitate, sed ex merito congruo, strictè dicto, debet aliqua proportio adesse. Ex dictis collige, multò minùs B. Virginem, aut progenitores Christi, potuisse mereri substantiam incarnationis.

491. Dico 3. Christus sibi non est meritis habitus supernaturales, gratiam sanctificantem, lumen gloriæ, & visionem beatificam

eam quoad substantiam: meritis est tamen sibi circumstantias incarnationis, gloriæ &c. itémque gloriam corporis, & exaltationem sui nominis. ita Suarez tom. 1. in 3. p. disp. 40. sec. 2. §. Nihilominus. & §. Dico primo. & hoc teste communior. Prob. 1. pars. Habitus supernaturales, gratiam habituales, lumen gloriæ, & visionem beatificam, habebat Christus tanquam proprietates sibi conaturales, atque ut entia absolute sua, & non dependenter à futuris operibus: ergo ea non habuit dependenter à suis meritis, quæ erant futura. Confir. Ista in Christo connaturaliter præsupponebantur ad actus meritorios: simulque Christus pro priori cognovit ea æternum duratura: ergo non cadebant sub meritum. prob. conf. ex natura rei debet meritum antecedere præmium; nam meritum per se est via ad præmium: ergo, quod connaturaliter præsupponitur ad meritum, non potest ex natura rei esse præmium. Dein, si Christus scivit, sibi ea jam independenter à suis meritis pro tota æternitate esse collata, non applicavit sua merita ad ea impetranda: ergo.

Equidem negari non potest, gratias progenitoribus Christi collatas, tanquam præmium meritorum ejus, antecessisse merita: adeoque præmium posse esse prius tempore meritis: sed hoc factum est ex dispensatione Divina (ut ait Suarez tom. 1. in 3. p. disp. 40. sec. 2. §. Dico primo.) propter aliquam causam necessariam; alias enim Patres in antiquo testamento nimis diu debuissent earere amicitia Dei: imò perpetuo perisissent, ut recte docet idem Eximius tom. 1. in 3. part. disp. 41. sec. 1. §. Sed ulterius. atqui nulla talis ratio pugnabat in Christo: neque debemus difficultatem illam facis magnam, quam supra examinavimus, quomodo scilicet potuerint merita Christi esse impetratoria, respectu illarum gratiarum, non, inquam, debemus, illam difficultatem etiam ad alia transferre: ergo.

492. Probatur jam ant. primi enthymematis, scilicet ista omnino connaturaliter fuisse priora ad actus meritorios Christi. In primis actus meritorii Christi fuerunt utique supernaturales actus; nam actus præcisè naturalis non est meritum condignum apud Deum: atqui ad actus supernaturales in Christo præsupponebantur habitus supernaturales: ergo. prob. mi. Christus operatus est modo maximè connaturali, sive maximè convenienti: atqui hic modus est operari per habitus &c. ergo. Unde habitus non dati sunt Christo; quia est operatus, sed, ut operaretur.

Ex hoc inferitur, etiam gratiam sanctificantem, quæ est quasi natura, & radix habituum, adeoque ad habitus præsupponitur, non fuisse datam Christo ex meritis, sed etiam ad ejus merita fuisse præsuppositam. Quod attinet ad lumen gloriæ, istud est quasi prima proprietates gratiæ consummate, qualis fuit in Christo; nam, quod in nobis gratia exigit fidem, est propter imperfectiorem statum: de se autem gratia postulat

lumen gloriæ ad suam perfectionem consummatam; unde, sicut Christus independenter à meritis, & actibus suis, accepit alios habitus, ita etiam accepit lumen gloriæ.

Jam, si Christus habuit independenter à meritis lumen gloriæ, habuit etiam independenter à meritis visionem beatificam; quia hoc lumen prius determinavit animam Christi ad visionem, quam ulla alia illustratio, vel species, ad aliam qualemcunque cognitionem: ergo antecedenter ad omnem actum intellectus, & multò magis voluntatis, seu antecedenter ad omnem actum meritorium, jam anima Christi elicuit visionem beatificam, adeoque eam habuit; præsertim, cum hoc lumen potentissimum, & expeditissimum sit, & essentiam Divinam per modum speciei conjunctam habeat; hinc in Christo primus actus intellectus fuit visio beatifica, quod confirmatur quoque ex eo, quod hac ratione Christus fuerit DEO similior, cujus primus, ratione nostra, intuitus est sui ipsius. Insuper non debemus cogitare, Christum fuisse ab imperfecto progressum ad perfectum, prout nos facimus; ab optimo enim acta statim inchoavit. vide Suarez tom. 1. in 3. p. disp. 40. sec. 2. Aliam rationem affert Lugo de incarnat. disp. 27. sec. 2. n. 10.

493. Altera pars conclusionis, quod Christus sibi sit meritis circumstantias incarnationis, probatur ex eo, quod meritis sit B. Virgini maternitatem, aliasque gratias progenitoribus, & maximè istam, ut ipse ex illis nasceretur. Meritis est etiam, ut habet Arriaga de incarnat. disp. 17. sec. 4. n. 17. accelerationem incarnationis suæ, & consequenter accelerationem suæ visionis beatificæ; nam sicut, si quis decrevit (ait Arriaga) sibi procurare cras musicam, potest dein ex vehementi apprehensione illius suavitatis moveri, ut eam hodie jam procuret: ita DEUS volens ponere Christum, fuit ex ipsa complacentia in meritis Christi pro frequenti signo rationis, determinatus, ad eum citius producendum.

Equidem verum est, Christum hanc accelerationem non alio modo potuisse mereri, quam eo modo, quo promeritus est gratias progenitoribus, scilicet per merita, quæ primùm ponerentur post præmium, seu cum aliqua dispensatione Divina, ex dictis num. 491. sed hoc ipso, quod istam accelerationem aliter mereri non potuerit, nec tamen ea jam aliunde ipsi debita fuerit, est disparitas inter hanc accelerationem, & gratiam, ac lumen gloriæ &c. quoad substantiam accepta, de quibus n. 491.

494. Tertia pars conclusionis, quantum ad gloriam corporis, videtur Eximio ita certa, ut tom. 1. in 3. p. disp. 40. sec. 3. §. Dico tamen. asserat, non posse sine temeritate negari, eam Christum sibi meritum fuisse: & par est ratio de exaltatione nominis sui. Prob. autem conclusio hæc ex S. Scriptura. Luca 24. v. 26. dicitur: Nonne hac oportuit pati Christum, & ita intrare in gloriam suam. iterum ad Philipp. 2. v. 9. Propter quod & DEUS exaltavit illum, & donavit illi

nomen, quod est super omne nomen. rursus. Apoc. 5. v. 12. Dignus est agnus, qui occisus est, accipere virtutem, & Divinitatem: hoc est, ut interpretes explicent, Divinitatis hoc est, ut interpretes explicent, Divinitatis ejus manifestationem. Ratio autem conclusionis est. Illud est meritum Christus, quod ei dependenter à meritis est collatum: sed gloria corporis, & exaltatio nominis &c. est ei collata dependenter à meritis passionis; inde enim habet gloriam sanctorum quinque vulnerum, & gloriosum nomen Redemptoris &c. ergo.

495. Dico 4. Christus Dominus meritis est Angelis omnem gratiam, & gloriam, etiam substantialem. ita Suarez tom. 1. in 3. p. disp. 42. sec. 1. §. Dico tamen. & §. Ex hac conclusione. Gormaz de incarn. n. 972. Valentia, Tannerus, Cornelius à lapide, Godoy, & alii. Prob. Christus est intentus in primo signo ante omnes alias creaturas, etiam Angelos, ac isti quoque in ipso, seu propter ipsum creati sunt, & ipse etiam respectu Angelorum primatum tenet in omnibus, adeoque etiam in hoc, quod sit caput, influens in eos gratiam: ergo ex meritis Christi Angeli quoque habuerunt omnem gratiam.

Prob. antec. ex textu S. Pauli ad Coloss. 1. v. 15. quem adduximus n. 267. qui apertè loquitur etiam de Angelis: & si etiam non ita apertè loqueretur, tamen deberet ita amplè explicari; quia debet semper admitti explicatio Christo Domino gloriosior, qualis utique est explicatio amplior, & se extendens ad omnem collatione n. gratiæ factam Angelis. conseq. per se fuit ex antecedente. Confir. S. Paulus ad Coloss. 1. v. 20. dicit de DEO: Pacificans per sanguinem crucis ejus, sive qua in terris, sive qua in caelis sunt: sed in caelis tantum fuerunt Angeli: ergo etiam per crucein Christi DEUS eos pacificavit, hoc est, pacem cum ijs servavit, seu eos præservavit ab inimicitia cum DEO.

Probatur conclusio 2. ex Patribus. Origenes tract. in Levitic. homil. 1. ait: Non solum pro terrestribus; sed etiam pro caelestibus, oblatum est hostia JESUS: quæ eadem verba etiam habet S. Cyrillus Alexandrinus l. 1. in Leviticum. ubi noto, inter opera S. Cyrilli esse sexdecim libros in Leviticum, qui tamen libri, cum de verbo ad verbum conveniant cum Origenis homilijs, rectè à Bellarmino de Scriptor. Eccles. in Cyrillo. negantur esse Cyrilli, & dicuntur esse Origenis. S. Gregorius Papa l. 1. expositionis in 1. Reg. c. 2. & illa verba v. 2. Non est enim alius extra te: scribit: Subauditur sanctus. Extra eum sanctus alius esset, si absque dono unigeniti sanctificationis spiritum habere potuisset. Sed quis hoc asserere audeat de hominibus, quod de Angelis nequaquam constat... si ergo etiam Angeli sanctificati creduntur in Filio, multo magis id de hominibus creditur.

S. Bernardus serm. 22. in cantic. ait: Qui erexit hominem lapsum, dedit stanti Angelo, ne laboretur, sic illum de captivitate eruens, sicut hunc à captivitate de R. P. Ant. Mayr. Theol. Tom. II.

fendens, & hac ratione fuit aequè utrique redemptio, solvens illum, & servans istum. & post pauca subjungit: Sic ergo omne, quod erat Angelis, factus est nobis. quid? Sapiencia, justitia, sanctificatio, redemptio. Similiter S. Hieronymus tom. 6. comment. in v. 1. epist. ad Eph. v. 22. Et omnia subiecit sub pedibus ejus: ait de Angelis: Potest itaque responderi, quod absque peccato nullus sit... unde & crux Salvatoris, non solum ea, qua in terra, sed etiam ea, qua in caelis erant, purgasse perhibetur: quæ, cum non possint intelligi de peccato actu contracto, vel de purgatione reparativa Angelorum, debent intelligi tantum de purgatione præservativa à peccato, quod Angeli alias præmississent, ut docet exponit Suarez tom. 1. in 3. p. disp. 42. sec. 2. initio. scilicet ex meritis Christi concessa est Angelis gratia, qua à lapsu præservati sunt.

S. Thomas in c. 1. Joan. lect. 10. exponens v. 16. Et de plenitudine ejus nos omnes accepimus: ait: Scilicet omnes Apostoli, & patriarcha, & propheta, & justii, qui fuerunt, sunt, & erunt: & etiam omnes Angeli. & infra: Plenitudo gratiæ, que est in Christo, est causa omnium gratiarum in omnibus intellectualibus creaturis: ergo est causa, non tantum gratiarum accidentalium, sed omnium, adeoque etiam illius, quæ requisita fuit ad gloriam Angelorum essentialem.

496. Dico 5. Christus hominibus omnibus, sive ante, sive post suum adventum extiterint, meritis est omnem gloriam, & gratiam supernaturalem. Conclusio est omnium, ut ait Suarez, tom. 1. in 3. p. disp. 41. sec. 1. & sec. 2. ubi etiam etiam fuscè probat. Et intelligitur tam gratia actualis, quam habitualis, seu sanctificans. Prob. Omnia auxilia supernaturalia gratiæ habentur per Christum, ut clamant omnes Patres: itémque per eundem habetur adoptio in filios DEI, sive gratia sanctificans, ut iterum traditur à Patribus, & habetur Joan. 1. v. 12. Dedit eis potestatem, filios DEI fieri: tandem regnum quoque caeleste habetur per Christum ex illo Act. 4. v. 12. Nec enim aliud nomen est sub celo datum hominibus; in quo oportet nos salvos fieri. item ad Rom. 5. v. 17. Multo magis abundantiam gratiæ, & donationis, & justitiæ, accipientes, in vita regnabunt per unum JESUM Christum: ergo. vide Suarez locis cit.

Adde, damnatam esse ab Innocentio X. hanc propositionem Jansenij 5. tam: Semipelagianum est dicere, Christum pro omnibus omnino hominibus meritum esse, aut sanguinem fuisse. Similiter etiam damnavit Alexander VIII. hanc 4. tam. Dedit semetipsum pro vobis oblationem DEO, non pro solis electis, sed pro omnibus, & pro solis fidelibus. & gram. Pagani, Judæi, heretici, alique huius generis, nullum omnino accipiunt à JESU Christo influxum: adeoque hinc rectè inferes, in illis esse voluntatem nudam, & incremem, sine omni gratia sufficienti.

Ex quibus habetur, etiam infidelibus, gentilibus, reprobis, & præscitis, collatam esse gratiam ex merito Christi; quia Christus pro omnibus mortuus est. Quod autem DEUS omnibus hominibus conferat gratias sufficientes, fusè probatum est in *tr. de DEO* n. 615. Quod attinet ad gratias naturales, saltem negativè conducentes ad salutem (positivè enim non potest conducere ad salutem æternam ulla gratia purè naturalis) etiam rectè dicitur, quod omnis talis gratia, negativè conducens ad salutem, sit ex meritis Christi.

Quod autem præterea etiam matri suæ meritus sit Christus Dominus præservatiorem à culpa originali, ejusque debito proximo, satis dictum est *tract. de peccatis*. n. 307. & 321. ac 337. ubi præsertim n. 307. explicata est *redemptio præservativa*, quæ data est respectu B. Virginis. Tantùm ibi dictis addo textum S. Augustini, quo eam redemptionem, seu liberationem præservativam, clarissimè adstruit, & explicat. Sic habet *enarrat. in psalm. 85. longè post mediam, in illa verba v. 13. Eruiisti animam meam &c. Quemadmodum si medicus videret tibi imminere agritudinem, forte ex aliquo labore, & dicat: Parce tibi: sic te tracta: requiesce; his cibis utere; nam, si non feceris, agrotabis: tu autem, si feceris, & saluus fueris, rectè dicis medico: Liberasti me ab agritudine: non in qua jam eras, sed in qua futurus eras. Nescio quis habens causam molestam mittendus erat in carcerem: venit alius: defendit eum. Gratias agens quid dicit? Eruiisti animam meam de carcere. Suspendendus erat debitor: solutum est pro eo: liberatus dicitur de suspendio. In his omnibus non erant: sed quia talibus meritis agebantur, ut, nisi subventum esset, ibi essent, inde se rectè dicunt liberari, quo per liberatores suos non sunt permitti perducere. Similiter eidem B. Virgini Christus meritus est maternitatem Divinam, & gratias eam consequentes, ut est communis omnium: imò pro priori Christus Beatissimæ Virgini meritus est maternitatem; nam ei prius à Patre impetravit, ut ipsa sit mater, & dein ideo impetravit ipsi conceptionem sine macula; quia elegit eam in matrem.*

ARTICULUS VI.

Solvuntur Objectiones.

497. **O**B. 1. contra 1. conclus. *Psalm. 44. v. 8. dicitur de Christo: Dilexisti iustitiam, & odisti iniquitatem: propterea unxit te DEUS, DEUS tuus, oleo latitiae: æquæ humana natura Christi dicitur ungi Divinitate Verbi: ergo propter iustitiam, seu propter merita, Christus accepit unctiorem, sive unionem hypostaticam. Confirm. *Apoc. 5. v. 12. dicunt Sancti: Dignus est agnus, qui occisus est, accipere virtutem, & Divinitatem, & sapientiam, & fortitudi-**

nem, & honorem, & gloriam: ergo per mortem meritus est Christus unionem hypostaticam. Resp. Textus hic apud Bellarminum in psalmos, in hunc locum, duplicem potest habere sensum.

Primus sensus potest esse, ut particula *propterea* significet idem, ac *quia*, ut sensus sit: *Quia te DEUS unxit unionem hypostaticam, ideo dilexisti &c.* & sic eum explicat S. Augustinus, quem videtur sequi S. Basilii; atque hanc expositionem Bellarminus in v. 3. ubi est similis casus, ait præferendam. Et sanè videntur Patres, per unctiorem intelligere unionem hypostaticam, cujus causa non potuit esse meritus Christi, seu dilectio iustitiæ. Secundus sensus potest esse, ut illud *propterea* significet *ideo*, sive hac de causa: sed tunc unctio non significat Divinitatem, sed tantum manifestationem Divinitatis, vel gloriam corporis, & exaltationem nominis. Juxta primam explicationem neg. conseq. nam deberet potius inferri: ergo dilexisti iustitiam; quia te DEUS unxit: juxta secundam explicationem neg. mi. Ad confirm. neg. conseq. Per Divinitatem ibi non intelligitur Divinitas quoad substantiam, sed tantum ejus manifestatio, sive, ut homines eum agnoscant, & credant DEUM, ut habet Cornelius in *hunc locum*.

498. Ob. 2. Gloriosus fuit Christo, si meritus fuit unionem hypostaticam: ergo est eam meritus. prob. ant. gloriosus fuit Angelis, quod se disposerint ad primam gratiam, & meriti sint primam gloriam, ut communiter admittitur: ergo multo magis gloriosus fuit Christo, quod meritus sit unionem hypostaticam. Confirm. 1. Angeli, qui sunt puræ creaturæ, se ipsos disposerunt, & meriti sunt de congruo primam unionem moralem cum DEO per gratiam: ergo multo magis Christus est meritus unionem physicam. Confirm. 2. DEUS noluit concipi, nisi ex matre optimè præparata; ergo multo minus voluit uniri humanitati, nisi optimè præparata: hæc autem præparatio est meritus, saltem de congruo: ergo.

Resp. neg. ant. ad prob. neg. conseq. licet enim puris creaturis gloriosus, aut perfectus sit, aliquod donum mereri: non ita est gloriosus Christo; sicut enim in DEO non esset perfectus, habere gloriam suam ex merito (quod impossibile esset) ita nec in Christo; quia, sicut DEO gloriosus est, habere omnem perfectionem per naturam, ita etiam gloriosus est Christo, habere gratiam unionis per naturam, nempe Divinam, ratione cujus hæc unio Christo naturalis est, ut docet S. Thomas 3. p. q. 2. a. 12. præterquam, quod probabiliter Christus non potuerit mereri unionem hypostaticam, ut probatum supra n. 486. Accedit, quod hac ratione commendatur magis liberalitas DEI, quæ maximam gratiam voluit omnino gratis dare: & hujus sanctissima voluntas est regula omnis honestatis, ut dictum n. 46.

499. Ad 1. confirm. neg. conseq. Disparitas est nimis magna inter unam, & alteram unionem: ad moralem potest dari pro-

proportionatum meritus, saltem de congruo, non verò ad physicam: dein in puris creaturis potest quidem esse perfectus, habere omnia ex merito: in Filio DEI perfectus est, habere gratiam, & gloriam per naturam. Ad 2. confirm. neg. conseq. si intelligatur de præparatione prævia, quæ sit meritus congruum; quia DEUS unionem illam, tanquam primam radicem omnis gratiæ, voluit gratis dare: nec potuit dari meritum illius strictè congruum, ut dictum n. 488. An autem illa præparatio B. Virginis fuerit meritus de congruo, strictè dictum maternitatis Divinæ, infra videbimus: certè non fuit meritus de congruo respectu ipsius incarnationis.

500. Ob. 3. Sicut actiones aliæ sunt suppositorum, ita etiam actiones supernaturales sunt suppositi DEO grati: & tamen Angeli potuerunt mereri gratiam: ergo etiam potuit Christus mereri substantiam Divinam, vel unionem cum illa Resp. neg. 1. p. nam, vel unionem cum illa Resp. neg. 1. p. ant. quia etiam peccator potest actus supernaturales elicere absque gratia habituali, seu absque eo, quod sit suppositum DEO gratum, & potest hoc fieri absque extraordinario miraculo: insuper gratia sanctificans probabilis non influit in ipsos actus supernaturales. At non potest elici actus ullus, nisi detur substantia, vel propria, vel aliena. Potest etiam om. antec. & neg. conseq. nam inter actus Angelorum supernaturales, & gratiam sanctificantem, datur proportio: non autem datur proportio inter actus humanitatis Christi in abstracto, & unionem hypostaticam ex n. 490.

501. Dices. Merita humanitatis Christi possunt per ipsam unionem superadditam dignificari, ut habeant proportionem cum unione hypostatica: ergo, prob. antec. ut dictum *tract. de Angelis* n. 114. & seq. Angelus meritus est primam gratiam sanctificantem tantum de congruo: at hæc ipsa gratia dignificavit ita ejus meritum, ut primam gloriam meritus sit de condigno: ergo posset, per superadditam dignitatem Verbi, etiam dignificari meritum Christi, ut de condigno mereretur unionem hypostaticam.

Resp. neg. ant. ad prob. neg. conseq. nam in eo casu de Angelis, gratia, & gloria, sunt duo distincta præmia; unde præmium prius, potest dignificare ad alterum; quia sic meritum tamen est distinctum à præmio. At hic unio deberet dignificare meritum ad se ipsam, adeoque ipsa esse meritum, & præmium; unio enim jam prius debet dari ad hoc, ut detur meritum, proportionatum ipsi unioni hypostaticæ, tanquam præmio; quia pro priori præsupponitur ipsa unio ad hoc, ut dignitas Verbi possit dignificare meritum; nam, si Verbum non sit unitum, ejus dignitas non potest sufficienter dignificare meritum, ad unionem hypostaticam tanquam præmium, ut supra probatum n. 485. & 490.

502. Ob. 4. contra 2. conclus. Pertinet ad omnipotentiam DEI, ut possit tot gratis prævenire humanitatem Christi, ut

possit de congruo mereri unionem hypostaticam: ergo secunda conclusio non subsistit. Confirmatur. Qui potest mereri finem, potest etiam mereri media: sed creatura pura, & consequenter vel maximè humanitas Christi, potest mereri finem ultimum, scilicet DEUM: ergo potest quoque mereri media, inter quæ etiam est unio hypostatica. Resp. neg. ant. quod non probatur. Et quare non etiam debet omnipotentia posse tot gratias creaturæ puræ conferre, ut etiam de condigno eam unionem possit mereri? scilicet est nimia impropertio unius ad alterum.

Ad confirm. iterum retorq. argum. in merito condigno, quale potest pura creatura habere respectu ultimi finis; quamvis fortè potius debeat dici, creaturam mereri possessionem ultimi finis, seu visionem beatificam: quæ, cum sit longè inferior unione hypostatica, melius quid est istud medium, seu unio, quam finis, seu visio beatifica. Sed neque unio hypostatica est medium simpliciter necessarium ad beatitudinem nostram, ut dictum n. 41. & 52. unde potest facile esse melior, quam sit nostra beatitudo. in forma, neg. ma. maximè si aliquod medium sit præstantius sine, nec simpliciter necessarium, uti est in nostro casu unio hypostatica. Adde, quod unio hypostaticæ finis non tantum sit visio beatifica, de quo vide *num. seq.*

503. Ob. 5. Humanitas illa innumerabilibus gratis fuit præventa, & elicit præstantissimos actus virtutum, qui DEO maximè placuerunt: ergo saltem de congruo potuit mereri incarnationem. Confirm. Meritum humanitatis Christi habuit proportionem cum tali præmio: ergo non est paritas inter actum naturalem, respectu supernaturalis præmii, & meritum Christi, respectu unionis hypostaticæ, prob. ant. meritum illud fuit ejusdem ordinis supernaturalis eum. unione: spectavit eundem finem beatitudinis, & gloriæ cælestis: dein unio etiam est bonum finitum: ergo meritum illud habuit sufficientem proportionem, prob. etiam consequentia superior. actus naturalis non habet proportionem cum præmio supernaturali: ergo non est paritas ab actu naturali ad meritum Christi.

Resp. neg. conseq. ob nostras probationes: & quare non dicitur, humanitatem Christi etiam posse mereri unionem de condigno? Ad confirm. neg. ant. ad prob. conf. resp. me non fuisse usum in probatione conclusionis ea paritate: & hinc, etiam non esset bona, nil obesset nostræ assertioni, ad prob. antecedentis autem om. ant. (quod mox magis explicabitur) neg. conf. Meritum puræ creaturæ, est quidem ordinis etiam supernaturalis, sed non est in eodem ordine supremo supernaturalium, in quo est filio naturalis DEI, & personalis dignitas Divina (sicut peccatum, licet sit finitum, est in ordine altiori, quam omnis satisfactio finita) neque etiam meritum unionis hypostaticæ deberet tantum tendere ad finem visio-

nis DEI, seu beatitudinis supernaturalis: sed deberet tendere ad altiore finem, ad quem scilicet tendit ipsa unio hypostatica, nempe ad operationes Theandricas, plenitudinem Divinitatis, & filiationem naturalem DEI: ad quod culmen in linea supernaturali non potest tendere meritum, tantum à gratia adoptionis dignificatum; unde, quamvis unio sit quid finitum, est tamen in longè altiori linea. Et hinc meritum creatum non habet proportionem, seu exigentiam etiam tantum imperfectam, strictè dictam, ad unionem hypostaticam: sed tantum habet aliquam convenientiam genericam in prædicatione supernaturalitatis.

504. Ob. 6. Peccator potest de congruo mereri, per unicum actum contritionis, remissionem peccati, amicitiam, & filiationem adoptivam DEI: imò gloriam potest mereri de condigno: sed non videtur major proportio, inter meritum peccatoris inimici DEI, & ista præmia, quam inter meritum maximi amici DEI, & unionem hypostaticam, non ex condignitate, sed ex congruitate tantum dandam: ergo.

Resp. conc. ma. neg. mi. longè enim major est convenientia, & proportio contritionis perfectæ supernaturalis cum remissione peccatorum, quam cujuscunque gratiæ habitualis cum unione hypostatica; nam in primis actus contritionis est etiam supernaturalis, adeoque in eodem ordine cum gratia, seu remissione peccati: dein amor DEI super omnia, licet non procedat ab homine, ut pro priori jam amico DEI, tamen neque procedit ab homine, ut formaliter inimico; quia pro eodem instanti non amplius datur peccatum, sed tantum pro priori temporis præcessit; eodem enim instanti pro posteriori signo naturæ cum illo actu conjungitur gratia, & amicitia DEI. At verò dignitas personalis DEI est ordinis longè altioris, respectu meriti cujuscunque creati, ut probatur n. 490. adeoque supra omnem ejus spheram.

505. Ob. 7. Quid sit meritum congruum propriè dictum, optimè desumitur ex communi sensu prudentum: sed isti communiter censent, puram creaturam posse de congruo mereri incarnationem: ergo. Confirm. 1. Juxta S. Thomam ad meritum de congruo plus non requiritur, quam, ut debeat dare tale præmium, secundum liberalitatem dantis; seu tantum requiritur, ut accipiens præmium possit dici illud propriè meritum, & non omnino ex liberalitate accepisse: sed hoc totum haberetur, respectu unionis hypostaticæ, casu quo creatura aliqua perfectissima eliceret maxima merita: ergo. Confirm. 2. Meritum de congruo non consistit in indivisibili, sed potest esse magis, vel minus congruum: ergo potest etiam aliquod meritum puræ creaturæ esse congruum, saltem in infimo gradu, respectu incarnationis.

Resp. dist. mi. & simul iidem prudentes, dum id judicant, loquuntur tantum de merito congruo latè dicto, vel tantum de

circumstantiis incarnationis. conc. mi. loquuntur de merito strictè dicto, & simul de substantia incarnationis. neg. mi. & consequ. Certè sic loquitur S. Thomas Theologorum antesignanus, citatus n. 488. alij autem loquuntur tantum de incarnationis circumstantiis. Dein communis sensus, præscindendo saltem ab hac quæstione, magis favet nobis, ut patet ex probatione n. 490. adducta; quis enim dicat, merentem de condigno aureum à rege; eoquod modicum obsequium ei præstiterit, e.g. equi curam diligentem aliquamdiu habuerit, statim de congruo mereri millionem aureorum; eum tamen adhuc distantia sit incomparabiliter major inter filiationem adoptivam, & naturalem DEI, quam inter aureum unum, & millionem aureorum.

Ad 1. confirm. dist. ma. Juxta S. Thomam plus non requiritur ad meritum de congruo latè dictum. conc. ma. strictè dictum. neg. ma. & om. mi. neg. consequ. nam juxta Angelicum non omnis præparatio est meritum de congruo, in sensu stricto dictum, ut n. 488. ex S. Doctore est probatum: quamvis possit esse tale in sensu latiore, in quo loquitur S. Doctor, citatus n. 489. Ad 2. confirm. conc. ant. neg. consequ. Etiam meritum de condigno videtur capere magis, & minus, præsertim inter homines, quin propterea possit dari meritum creatum de condigno incarnationis: scilicet nunquam meritum puræ creaturæ eousque ascendit, ut infimum gradum meriti strictè dicti, respectu incarnationis attingat.

506. Ob. 8. De B. Virgine canit Ecclesia, quæ merita sit portare Regem caelorum, ac Dominum: ergo merita est incarnationem: ergo pura creatura potest eam mereri. Confirm. Patriarchæ antiqui testamenti petebant incarnationem: sic *Isaias 16. v. 1.* suspirat: *Emitte agnum Domine dominatorem terra. & 45. v. 8. Rorate cali desuper, & nubes pluant justum:* ergo meriti sunt incarnationem. Resp. dist. 1. consequ. ergo B. Virgo est merita incarnationem quoad circumstantias. conc. consequ. merita est eam quoad substantiam. neg. 1. & etiam 2. consequ. Et hæc est mens S. Thomæ, ut patet ex ejus textu, citato n. 489. scilicet B. Virgo de congruo est merita maternitatem, vel, ut Christus ex ipsa nasceretur.

Ad confir. dist. eodem modo conf. meriti sunt incarnationem quoad substantiam. neg. conf. quoad circumstantias accelerationis, aut alias. conc. consequ. ita docet S. Thomas in 3. dist. 4. q. 3. a. 1. ad 4. scribens: *Ipsi Patres antiqui non petebant incarnationem, quam indubitanter credebant futuram, sed petebant ejus accelerationem.* Vel, si sensus sit de ipsa incarnatione, dist. 2. liter consequens. Patriarchæ meriti sunt incarnationem merito propriè dicto. neg. consequ. latè tantum dicto. conc. consequ. certè Angelicus *art. modo cit. in corp.* dicit, incarnationem nullo modo sub meritum crea-

An, & quid Christus sit meritis sibi, Angelis, & Hominiibus. 149
creaturæ puræ cadere posse: verba S. Doctoris dedimus n. 488.

ARTICULUS VII.

Solvuntur reliquæ Objectiones.

507. Ob. 9. contra 3. concl. Christus meritis est videre, seu cognoscere progressum felicem Ecclesiæ, item sanctitatem Christianorum &c. sed hæc visio, vel cognitio, spectat ad gloriam animæ Christi: ergo meritis est gloriam animæ. Confirm. Etiam si Christo jam aliunde deberetur gloria corporis, tamen adhuc potuit eam mereri: ergo etiam potuit ita mereri gloriam animæ. consequentia habetur à pari. antec. prob. Christus gloriam corporis est meritis, ut ipsi diximus n. 491. sed etiam ipsi, tanquam Filio DEI, ratione visionis beatificæ jam debebatur hæc gloria corporis, imò & exaltatio nominis: ergo. Resp. dist. mi. visio hæc spectat ad gloriam accidentalem animæ Christi. conc. mi. spectat ad gloriam substantialem. neg. mi. & pariter consequ. Non nego, Christum meritum sibi esse accidentalem gloriam animæ; nam expressè conclusio loquitur de gloria quoad substantiam.

Ad confirm. In primis illa gloria corporis, quæ stat in quinque sacris vulneribus, non jam debebatur antecedenter, neque exaltatio nominis, tanquam Redemptoris reparativi generis humani; unde quoad hæc negatur antecedens. Si autem objectio loquatur de alia glorificatione, vel alijs dotibus corporis, impassibilitate &c. item de exaltatione nominis Filij DEI, aut capitis mundi &c. probabiliter potest negari antecedens, & dici, Christum ista non fuisse meritum, merito propriè dicto.

Equidem negari non potest, eandem rem, alias jam debitam, posse iterum deberi ex novo titulo; quia potest res alicui deberi ex duplici titulo: e.g. potest regis filio regnum, hæreditate jam debitum, etiam ob egregia facinora, aut victorias, deberi: interim tamen videretur, nullo, vel certè parvo præmio affectus talis princeps, si præter regnum, alias jam debitum, nihil acciperet.

Sanè videtur ex communi sensu, præmium debere esse aliquid, quod antecedenter ad meritum est debitum; unde aliud videtur esse, quod talis princeps ex duplici titulo sit dignus regno: aliud, quod tale regnum etiam sit præmium meritorum. Si tamen etiam omittatur antecedens, adhuc negari potest consequentia; nam sunt aliæ rationes in oppositum adductæ n. 491. & seq.

508. Ob. 10. contra 4. conclus. S. Paulus ad Hebr. 2. v. 11. scribit: *Qui enim sanctificat, & qui sanctificantur, ex uno omnes: propter quam causam non confunditur fratres eos vocare:* atqui fratres Christi sunt soli homines: ergo homines soli, & non etiam Angeli, sunt sanctificati per Christum. Confirm. 1. Idem eodem cap. v. 16. ait de

Christo: *Nusquam enim Angelos apprehendit, sed semen Abraham apprehendit:* ergo Christus non est Angelis meritis gratiam. Confirm. 2. SS. Patres nusquam dicunt, Angelos per Christum accepisse gratiam: ergo nec nos debemus id dicere. Confirm. 3. Angelus ad pastores ait *Luc. 2. v. 10. Evangelizor vobis gaudium magnum, quod erit omni populo; quia natus est vobis hodie salvator:* atqui, si etiam Angeli fuissent sanctificati per Christum, Angelus non tantum dixisset vobis, sed etiam nobis: ergo.

Resp. Dubium est, an illud ex uno significet ex, seu ab uno DEO, vel ab uno Adamo. Si intelligatur ex DEO, etiam Angeli sunt ex eo: si ex Adamo, tunc sanctificare non significat, tantum quomodocunque conferre gratiam, sed gratiam reparativam à lapsu. Cum autem in objectione, & alias satis communiter, intelligatur ex Adamo; hinc concessio textu, & omisso subsumpto cum Suarez tom. 1. in 3. p. dist. 42. sec. 1. §. Ad illud verò. dist. illatum consequ. ergo homines soli sunt sanctificati per sanctificationem reparativam à peccato, quod incurrunr, conc. consequ. soli sunt sanctificati per sanctificationem præservativam. neg. consequ.

509. Legatur caput illud S. Pauli, & videbitur, eum ibi loqui de redemptione reparativa hominum, quos ibi v. 14. vocat pueros, qui *communicaverunt carni, & sanguini:* quibus, ut mundarentur à peccatis, opus erat ex decreto DEI, ut *ibid. v. 10.* dicitur, *auctorem salutis eorum per passionem consummare,* sive Christum pati: quem in finem opus erat, ut naturam humanam assumeret, quæ assumptio, adeoque convenientia in natura, est ratio, cur homines præ Angelis fratres Christi appellentur: non autem quasi soli gratiam per Christum acceperint; cum *eod. v. 10.* tam homines, quam Angeli, filij vocentur, per Christum in gloriam adducti: *Qui multos filios in gloriam adduxerat:* adeoque etiam adducti sint ad gratiam, quæ ad gloriam præsupponitur. videatur Suarez loc. modo citato.

Ad 1. confirm. neg. consequ. Textus ille Apostoli: *Nusquam enim Angelos apprehendit &c.* vel juxta communem expolitionem significat, naturam humanam præ Angelica fuisse assumptam à Verbo: vel juxta aliam aliquorum, apud Cornelium à Lapide, significat, homines fuisse apprehensos, tanquam fugientes à DEO, adeoque reparativè redemptos. Cum autem Angeli à DEO non fugerint, non debuerunt ita apprehendi, seu quasi ex fuga retrahi, sed tantum præservativè sanctificari.

Ad 2. confirm. neg. ant. quod falsum esse probavimus. n. 495. Addo cum Suarez *sec. num. præced. citata §. Secundum fundamentum.* SS. Patres quosdam de Angelis quidem tacere, sed eos non excludere, & fortè in re tunc dubia noluisse suam sententiam proferre: quin etiam S. Ambrosius, qui præ alijs posset fortè videri aliquo modo nobis oppositus, tantum loquitur dubitanter, dicendo *fortasse.* Ad 3. confirm. neg. mi. ibi enim

enim Angelus tantum voluit explicare utilitatem percipiendam à pastoribus, non verò ab Angelis. Certè aliquam gratiam, saltem accidentalem, etiam juxta adversarios acceperunt Angeli per Christum: & tamen etiam de hac ille Angelus tacuit.

§ 10. Ob. 11. Christus ijs tantum meritis est gratiam, pro quibus est mortuus: atqui non est mortuus pro Angelis: ergo. mi. prob. ex S. Augustino in *enchirid. c. 61.* dicente: *Filio proprio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum; non enim pro Angelis mortuus est Christus.* Resp. retorq. argum. Christus neque est mortuus pro se ipso; nam *tom. 5. Concilij. Ephesini apud Binium c. 1. anathematis. 10.* sic habetur: *Si quis Christum, non pro nobis tantum, sed pro seipso quoque sacrificium obtulisse dixerit (nulla enim oblatione egebat, qui peccatum nullum norat) anathema sit:* & tamen. Christus sibi aliquid est meritis, in forma neg. ma. nam, ut ait Suarez *tom. 1. in 3. p. disp. 42. sec. 2. §. Dicendum.* Christus dicitur simpliciter mortuus pro ijs, non quibus morte sua aliquid meritis est (nam, ut dictum, etiam sibi ipsi est meritis) sed quibus mors necessaria fuit, & pro quibus primo intenta mors est (quod patet etiam ex verbis anathematis modo citati, quibus dicitur, non egere sacrificio mortis, qui peccatum non habet) hi autem soli fuere homines; nam, si Adam non peccasset, pro Angelis Christus mortuus non fuisset: & merita Christi impassibilis acceptata fuissent pro gratia conferenda Angelis, quæ bonos à peccato præservasset: non autem fuissent acceptata ea merita pro reparando homine post lapsum.

Pariter Suarez *sec. num. prac. citata §. Dico secundo.* docet, quod strictè redempti tantum dicendi sint illi, qui fuerunt in peccato, vel habuerunt debitum aliquod peccatum incurrendi: cumque neutrum inveniat in SS. Angelis, negat Eximius, eos esse in sensu stricto redemptos, vultque, S. Bernardum, citatum *n. 495.* non in rigoroso, sed minus proprio sensu, locutum fuisse, dum dixit, Christum esse redemptorem Angelorum. Econtra Gormaz ait, Angelos absolute esse redemptos, non ab originali, sed ab actuali peccato, non reparativè, sed præservativè. videatur hic auctor *de intar. nat. n. 986.*

§ 11. Ob. 12. Christus non est caput Angelorum: ergo non est meritis illis gratiam, antec. prob. Angeli non sunt membra Christi, nec habent proportionem, aut convenientiam in natura cum Christo: ergo Christus non est eorum caput. Confirm. Christus non est sponsus Angelorum: ergo neque caput. Resp. neg. ant. saltem si intelligantur Angeli sancti; Ecclesia enim triumphans, cuius totius caput est Christus, complectitur etiam Angelos sanctos: & in hoc quoque gratia à Christo est derivata, ut sufficienter est probatum. Aliter loquendum de Angelis lapsis; licet enim Christus etiam horum caput fuerit ante lapsum, dum

adhuc erant in via: attamen nunc non amplius est; quia nullum amplius in eos influit auxilium. ad prob. neg. ant. quia sufficiens datur proportio inter Christum, & Angelos: non quidem in natura, saltem substantialiter, aut strictè tali, quod necesse non est: sed in eo, quod Christus sit perficiens, seu dans gratiam, Angeli autem perfectibiles, seu potentes recipere gratiam, & eam actu recipientes.

§ 12. Ad confirm. in primis om. ant. dist. conseq. Christus non est caput Angelorum in sensu strictissimo, in quo ratio capitis exigit convenientiam in natura cum membris. om. vel conc. ant. non est caput in sensu aliquo vero, in quo ratio capitis tantum exigit præminentiam supra membra, & influxum in ea. neg. conf. Et hæc est mens S. Thomæ. in *4. dist. 49. q. 4. a. 4. ad 5.* ubi sic scribit: *Nec etiam Christus proprie dicitur caput Angelorum secundum illam rationem, qua caput requirit conformitatem naturæ. Tamen sciendum, quod, licet caput, & alia membra, sint partes individui unius speciei, non tamen, si unumquodque per se consideretur, cum alio est ejusdem speciei; manus enim habet aliam speciem partis à capite. Unde loquendo de membris secundum se, non requiritur inter ea alia convenientia, quam proportionis, ut unum ab alio accipiat, & unum alij subserviat: & sic convenientia, qua est inter DEUM, & Angelos, magis sufficit ad rationem capitis, quam ad rationem sponsi.* Negat autem S. Doctor *tit. art. in corp.* Christo rationem sponsi respectu Angelorum ex eo, quod inter sponsum, & sponsam requiratur conformitas naturæ, qualis nempe datur inter Christum, & homines.

Alij tamen negant ant. voluntque, Christum etiam posse dici sponsum Angelorum; nam, ajunt, in Angelis datur gratia, & charitas, quæ est vinculum perfectionis, & conjunctionis Angelorum cum Christo: & licet Christus, & Angeli, non sint duo in una carne (cum Angeli carnem non habeant) sunt tamen duo in uno spiritu: & quamvis in homine detur major convenientia, scilicet in spiritu, & carne, tamen etiam convenientia, vel conformitas in spiritu sufficit: & huic sententiæ favet S. Bernardus *serm. 27. in cantic. ante medium* dicens: *Cum haberet sponsam inhaerentem sibi à principio multitudinem Angelorum, placuit ei, & de hominibus convocare Ecclesiam, atque unire illi, qua de calce est, ut sit una sponsa, & sponsus unus.* Addi potest, dari etiam inter Christum, & Angelos aliquam convenientiam in natura: non quidem in natura substantialiter, aut strictè tali: sed tamen in quasi natura, scilicet gratia sanctificante, quæ dicitur quasi natura in ordine superno (qua de re vide *tract. de grat. n. 263.*) in hac enim gratia convenit Christus cum Angelis, & hominibus, ut probabimus infra *n. 601. & seq.*

§ 13. Ob. 13. Christus ut homo non est judicaturus Angelos: ergo neque meritis est

ipsis gratiam. Confir. Christus *Matth. 18. v. 12.* in parabola pastoris dicit, relictas à se in deserto nonaginta novem oves, ut una centesima inquireretur: & hanc parabolam SS. Ambrosius, Gregorius, & Beda, intelligent, de relictis Angelis, & inquisito humano genere: ergo Christus solum meritis est hominibus. Resp. neg. antec. nam S. Thomas *3. p. q. 59. a. 6. in corp.* clarè docet, Christum ut hominem judicaturum esse Angelos, idque probat *ex 1. Cor. c. 6. v. 3.* ubi dicit Apostolus: *Nescitis, quoniam Angelos judicabimus?* nam, si sancti homines sunt judicaturi Angelos, quanto magis Christus?

Nec obest, quod *ibidem* Angelicus dicit, Angelos jam judicatos fuisse à principio mundi, quoad gloriam, aut pœnam essentialem, à Christo ut Verbo Dei; nam, sicut homines judicantur statim post mortem quoad pœnam, vel præmium, in judicio particulari, & tamen rursus judicantur in universali: ita & Angeli judicati sunt olim quidem per Christum ut Deum, quando nondum fuerat Verbum incarnatum: postea verò judicantur per Christum ut hominem, quod S. Doctor nullo verbulo negat. Ad confirm. neg. conseq. Ex illa parabola tantum sequitur, quod Christus hominibus sit meritis etiam gratias dandas post lapsum, sive cum jam periissent: non item tales gratias sit meritis Angelis: imò, cum Christus ibi etiam Angelos appellet oves, insinuat, se etiam esse eorum pastorem, adeoque eorum caput, per merita sua in ipsos influens.

§ 14. Si quis fors hic ex occasione quaerat, quare Angeli ante Christum in cœlum, seu ad gaudia beatifica, admissi sint; cum tamen nulli hominum ante Christum ingressus in cœlum patuerit. Respondet Suarez *tom. 1. in 3. p. disp. 42. sec. 1. §. ultimo.* Christum nemini clausisse januam cœli, qui eam sibi ipsi non clausit; unde, cum Angeli sibi eam non clausissent per peccatum, potuerunt statim, transactâ viâ cœlum ingredi: quin imò, ut idem Suarez *ibidem* ait, etiam homines, fuissent statim cœlum ingressi, si in statu innocentie perseverassent. At verò, cum homines sibi ipsis peccando cœlum clausissent, hoc apertum ipsis non fuit, donec plenè pro tota natura rea fuerit satisfactum: & ideo ante Christi mortem nullus hominum in cœlum est admissus. Post Christi mortem autem merito expectarunt Sancti, donec eorum Rex Christus negotia Ecclesiæ per quadraginta adhuc dies compleverit juxta sanctissimum ejus voluntatem: & postea cum ipso ascenderunt.

§ 15. Ob. 14. contra §. conclus. Christus non est meritis, nisi ijs, pro quibus petit à Patre gratias: sed eas non petit pro omnibus hominibus; alias enim impetrasset: ergo. Resp. neg. mi. Christus petit pro omnibus, & omnibus etiam impetravit gratias, seu media sufficientia: efficacia autem non petit efficaciter, & absolute pro omnibus: & hoc est discrimen inter reprobos, & prædestinatos; illis enim petit, & impetravit media sufficientia, ut culpa ipsorum sit, si

non cooperando reddant ea in actu secundo inefficacia: istis autem petit determinatè ea media, quæ prævila sunt futura efficacia: sic e.g. pro Apostolis *Joan. 17. v. 9. & 17.* magis rogavit, quam pro mundo, ut scilicet sanctificarentur in veritate: & *Luc. 22. v. 32.* pro Petro, ut non deficeret fides ejus (de quo Suarez *tom. 1. in 3. p. disp. 41. sec. 2.*) qui favor erga prædestinatos utique est tantus, ut propterea salus eorum multo magis adscribenda sit Christo merenti, quam ipsis cooperantibus: quod autem Christus meritis sit omnibus omnino hominibus gratias sufficientes, probatum est supra *n. 496.* item in *tract. de Deo. n. 615.*

§ 16. Ob. 15. Si Christus est nobis meritis gratiam, tunc gratia non datur gratis: hoc autem est contra Scripturas, & Patres, unanimiter docentes, gratiam gratis dari: ergo. Resp. neg. ma. In primis, quamvis non detur gratia gratis respectu Christi, datur tamen gratis respectu nostri; quia nobis non debebantur merita Christi, nec eorum applicatio. Dein, ut habet Suarez *tom. 1. in 3. p. disp. 41. sec. 2. §. Ad rationes.* etiam sumendum ipsum Christum, & meritum ejus, ac modum merendi, & offerendi sua merita pro nobis, in ordine ad negotium nostræ salutis, totum hoc duxit originem ex sola gratuita Divina voluntate, & electione, quæ prima radix est omnium donorum istorum: adeoque totum etiam in radice dici potest gratuitum.

§ 17. Ob. ultimo. Si Christus est nobis meritis gratiam, & gloriam, tunc nos non habemus merita condigna gratiæ, & gloriæ: atqui hoc est falsum: ergo. Resp. neg. ma. Merita nostra, etiam condigna, non obstant, quò minus simul ex meritis Christi consequamur gratiam, & gloriam: nec à meritis Christi exiguntur merita nostra tanquam ab insufficientibus, sed tanquam à volentibus etiam nostram cooperationem (sicut scilicet ab omnipotentia exigitur cooperatio causarum secundarum) quia nempe sic expediens fuit, ut etiam nos cooperemur.

Ad majorem aliquam hujus rei declarationem, sciendum est, merita hominis justè esse condigna gratiæ, & gloriæ: quod tanquam certissimum omnes tenent: & hoc autem nascitur quæstio, quomodo igitur dici possit, quod Christus nobis sit meritis gratiam, & gloriam: de qua quæstione agit Suarez *tom. 1. in 3. p. disp. 41. sec. 3.* & offendit, id ob multiplicem rationem dici posse. Primum enim (ait) Christus meritis est nobis omne auxilium gratiæ, per quod meretur, quicunque meretur (sive peccator mereatur de congruo, sive justus de condigno) omnem gratiam, & gloriam: & sic saltem Christus meritis est nobis omnia in radice, vel in causa. Secundò meritis est Christus nobis, ut opera nostra acceptentur à Deo, tanquam merita gratiæ, & gloriæ: cum aliàs Deus ea ex alio titulo posset sibi accipere: & hinc SS. Patres gratiæ attribuunt, quòd Deus velit esse nostra merita, quæ sunt dona sua; sicque merita Christi influunt in merita nostra

stra, ut hæc verè sint merita in actu secundo.

518. Tertio ait, possibile esse, quòd merita iustorum referantur ad majus præmium, quam quòd de se præcisè postularent, idque ex meritis Christi. Quarto dicit, præmium dari ob duplex meritum, scilicet Christi, & nostrum, nec repugnare, ut ita detur; cum utrique duæ causæ, universalis, & particularis, possint concurrere ad eundem effectum: & ita se habent ista duo merita, ut ait Eximius, nempe meritum Christi, ut causâ universalis, meritum nostrum, ut causâ particularis, & proxima. Et certè, nisi hoc admittatur, non est explicabile, quomodo vita æterna, seu gloria, detur simul ex meritis Christi, tanquam gratia, & ex meritis hominis, tanquam merces, ut docet Tridentinum sess. 6. c. 16.

Neque tamen ex hoc sequitur, quòd vel unum meritum redundet, vel imperfectè concurrat; aliàs etiam omnipotentia Dei, cum causis secundis concurrens, imperfectè concurreret, de quo vide n. 407. Concurrunt itaque (ut paulò antè dictum) duo merita ut duæ causæ, scilicet universalis, & particularis, seu secunda: nec meritum Christi excludit meritum nostrum, sed potius vim, & efficaciam huic tribuit: imò tanquam causâ istud insert: nostrum meritum autem manifestat, & illustrat gloriam meriti Christi.

ARTICULUS VIII.

An, & quid Beatissima Virgo, ac Progenitores Christi, sint meriti in ordine ad incarnationem.

519. **D**iximus jam n. 488. & seq. humanitatem Christi Domini non potuisse, nec de congruo, strictè loquendo, mereri ipsam incarnationem filii Dei, quoad substantiam: ex quo n. 490. sub finem intulimus, multò minus incarnationem potuisse mereri B. Virginem, aut patriarchas antiqui testamenti, seu progenitores Christi. Questio ergo nunc instituitur de aliis, ad incarnationem spectantibus, e. g. de maternitate B. Virginis, de acceleratione incarnationis, de stirpe, vel familia, ex qua Christus esset nasciturus, de loco, ubi esset mundum ingressurus, de quo vocantur *circumstantia incarnationis*: de his, inquam, queritur, an potuerint cadere sub meritum progenitorum Christi, vel ejus sanctissimæ matris.

Ubi nota, valde diversum esse, mereri ista, & mereri ipsam incarnationem; licet enim ista sint connexa cum incarnatione, tamen, si DEUS jam prius decrevit incarnationem ex aliis motivis, ut supponimus, longè minus est, posita jam hac voluntate, tantum movere DEUM, ut potius nunc, quam ferius, ex hac, quam ex alia matre, hoc potius, quam alio loco, ex his, quam aliis ma-

tribus, velit nasci Christum. Sic utique longè minus est, mereri tantum, ut per se potius, quam per alium, mittatur alicui corona, vel pileus cardinalitius, quam mereri illi ipsam coronam, vel pileum: item longè minus est, impetrare, ut potius hodie, quam cras, donetur toparchia (si ipsa donatio jam antecedenter est decreta) quam impetrare ipsam donationem quoad substantiam.

520. Dico 1. Nec Beatissima Virgo, nec progenitores, meriti sunt de condigno circumstantias incarnationis. ita plerique Theologi. Prob. Merita puræ creaturæ, etiam ut condignificata à gratia, vel ex sua natura, vel ex ordinatione Divina, vel ex utraque simul, defecto tendunt ad promerendam vitam æternam, & ad gratiæ, gloriæque augmentum, tanquam proprium, seu connaturale præmium condignum: ergo condignè compentantur per ista: ergo non merentur aliud adhuc præmium de condigno; aliàs enim prius non esset condignum. Cum igitur nulla ratio efficax suadeat, quòd DEUS aliâ, quam ordinariâ viâ, voluerit remunerari merita Beatissimæ Virginis, ac progenitorum, etiam nulla ratio suadet, quòd has circumstantias de condigno sint meriti; nam textus Scripturæ, & Patrum, possunt convenienter exponi de merito congruo.

521. Alia autem questio hic institui posset, an saltem de potentia absoluta B. Virgo potuisset de condigno mereri maternitatem Divinam, si scilicet DEUS voluisset, ejus merita ordinare, non ad gratiam, & gloriam, sed ad maternitatem promerendam. Suarez tom. 1. in 3. p. disp. 10. sec. 7. §. Dices: *Possit*, ait, se non dubitare, quin id fieri potuisset; quia merita puræ creaturæ habent sufficientem valorem ad hoc præmium, & dignitatem proportionatam; dignitas enim matris non est tan infinita, quam unio hypostatica: imò, ut ait hic auctor, quibusdam videtur minoris æstimationis, quam filiationis adoptivæ, seu gratiæ, ut insinuare videtur S. Augustinus l. de sancta virginit. c. 3. dicens: *Beatorum ergo Maria percipiendò fidem Christi, quam concipiendò carnem Christi.*

Ait etiam Maldonatus in Luc. 11. v. 28. S. Augustinum, & alios Patres, solitos esse dicere, quòd Beatissima Virgo magis fuerit beata; eoque dè mente, quam quòd corpore Verbum DEI conceperit. Et sanè etiam Venerabilis Beda l. 4. c. 49. in Luc. 11. ait. *Eadem DEI Genitrix, & inde quidembeta; quia Verbi incarnandi ministra est facta temporalis: sed inde multò beator; quia ejusdem semper amandi custos manebat æterna.* Sed, quidquid de hoc sit, saltem probari non potest, eam dignitatem esse tantam, ut nullum meritum Beatissimæ Virginis, quæ ineffabilibus gratiis præventa fuit, potuerit respectu illius esse condignum.

522. Dico 2. Beatissima Virgo merita est de congruo, ut esset mater DEI. Hæc conclusio teste Suarez tom. 1. in 3. p. disp. 10. sec. 8. §. Dico secundo. recipitur ab omnibus

An, & quid Beatissima Virgo, ac Progenitores Christi, sint meriti in ordine ad Incarn. 153

bus supra citatis: supra autem, sive sec. 7. citaverat complures. Prob. 1. ex SS. Patribus, quos plerimò potest Suarez disp. modo cit. sec. 7. & 8. Sic S. Augustinus de nat. & grat. c. 36. ait: *Quæ concipere, ac parere meruit cum, quam constât, nullum habuisse peccatum: intellige de congruo; quia de condigno mereri non potuit, ut jam probatum.* Similiter etiam meritum de congruo intelligendum est in sequentibus, & alijs textibus.

S. Hieronymus epist. 22. sub finem ait: *Propono tibi beatam Mariam, quæ tantæ existit puritatis, ut mater Domini esse mereatur.* S. Anselmus de excellentia gloriosæ Virginis c. 9. ait: *Incomparabili sublimitate hoc promeruit, ut reparatrix perditæ orbis benignissime fieret.* Ecclesia quoque in antiphona: *Regina cali.* sic canit: *Quia, quem meruisti parere. item in oratione ad DEUM post Salve Regina. dicitur: Ut dignum Filij tui habitaculum effici mereretur.* Idem inferitur ex verbis S. Elisabethæ ad B. Virginem Luc. 1. v. 45. *Beata, quæ credidisti; quoniam perficientur in ea, quæ dicta sunt tibi à Domino:* ergo B. Virgo sua fide meruit esse mater DEI; unde etiam S. Thomas 3. p. q. 2. a. 11. ad 3. ait de B. Virgine: *Meruit ex gratia sibi data illum puritatis, & sanctitatis præmium, ut congruè possit esse mater DEI:* quæ verba apertè significant, Beatissimam Virginem meritam fuisse de congruo maternitatem DEI.

Prob. conclusio 2. ratione Eximii. Beatissima Virgo per suos actus dignissime se disposuit, ut Filium DEI conciperet, ita, ut, supposito decreto de Verbo incarnando, ex nulla alia matre ita congruenter potuisset incarnari: ergo B. Virgo per suos actus, de congruo meruit, ut Filium DEI ipsa conciperet. Confirm. Abraham per oblationem filij Isaac de congruo meruit, ut Christus ex ipso descenderet; hoc enim significant illa verba Gen. 22. v. 18. *Benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ; quia obedisti voci meo:* ergo multò magis B. Virgo id meruit. Licet autem modus descendendi ex B. Virgine fuerit longè dignior, quam modus descendendi ex Abraham, non refert; nam etiam dispositio Beatissimæ Virginis longè fuit excellentior, quam illa dispositio Abrahamæ.

523. Dico 3. SS. Progenitores Christi, seu Patriarchæ, meruerunt de congruo circumstantias incarnationis. Hoc ad minimum admittit S. Thomas locis modo citatis, & communiter Theologi, indicantque id Sacræ Scripturæ; nam, ut modò diximus, Abraham per meritum illud, quo voluit immolare Isaacum Gen. 22. meruit de congruo, ut DEUS diceret v. 18. *Benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ; quia obedisti voci meo:* quæ verba S. Paulus ad Galat. 3. v. 16. exponens dicit: *Et semini tuo, qui est Christus:* adeoque semen illud est Christus, Abraham propter ejus obedientiam, tanquam meritum de congruo, promissus. Similiter Davidi etiam propter merita sua, R. P. Ant. Mayr Theol. Tom. II.

præsertim propter religiosam voluntatem ædificandi templum, promissus est Christus ex eo nasciturus psalm. 88. v. 4. & psalm. 131. v. 11. ac seq. vide Bellarminum in hos psalmos, & versus. item Davidi promissus est Christus ex ipso nasciturus 2. Reg. 7. v. 14. ubi de semine Davidis dicitur: *Ego ero ei in Patrem, & ipse erit mihi in Filium;* nam, licet hæc verba etiam intelligantur de Salomone, tamen ea etiam intelligenda esse de Christo, clarè dicitur ad Hebr. 1. v. 5. ubi S. Paulus hæc verba apertè exponit de Christo.

Pariter accelerationem adventus Christi Patres vehementer petebant, ut patet ex illis vocibus Isaia 45. v. 8. *Rorate cali de super, & nubes pluant justum.* & 64. v. 1. *Urimam dirumpes calos, & descenderes!* ergo etiam eam accelerationem de congruo meriti sunt: certè promissio accelerationis adventus Christi Patribus facta est, seu ipsis significatum est, quòd preces eorum sint exaudita. Isa. 51. v. 3. *Consolabitur ergo Dominus Sion.* & v. 5. *Prope est justus meus: egressus est Salvator meus.* & Habacuc. 2. v. 3. *Veniens veniet, & non tardabit.* item Daniel. 9. v. 24. *Septuaginta hebdomades abbreviate sunt.* Sic etiam SS. Simeon, & Anna prophetissa, meruerunt de congruo, ut suo tempore veniret Christus, & in templo se sisteret. Nec dubitandum est, eodem modo sanctos illos patriarchas meritos fuisse circumstantiam loci, ut scilicet ibi Christus appareret, ubi ipsi habitaverunt, & ipsorum posteritatem etiam habitaturi essent, in quorum salutem Christus primò mittendus erat, ut eo præsentè melius frui possent.

ARTICULUS IX.

Solvuntur Objectiones.

524. **O**B. 1. contra 1. conclus. In oratione post *Salve Regina.* loquens Ecclesia DEO de B. Virgine ait: *Ut dignum Filij tui habitaculum effici mereretur, Spiritu Sancto cooperante preparasti:* ergo B. Virgo merita est de condigno maternitatem Divinam. Confirm. 1. Meritum Beatissimæ Virginis fuit secundum proportionem æquale majori præmio, scilicet gratiæ: ergo etiam fuit æquale minori, scilicet maternitati: ergo etiam hanc est merita. Confirm. 2. Si merita B. Virginis nil ultra possunt mereri de condigno; quia jam sunt compensata præmio gratiæ, tunc neque possunt aliquid mereri de congruo: sed hoc non potest admitti: ergo. Resp. neg. conseq. Illa verba orationis Ecclesiæ ad lummum probant, quòd B. Virgo meruerit de condigno gratiam, per quam est disposita, ut congruenter esset mater DEI, seu per quam disposita est ad recipiendam dignitatem maternitatis. Suarez tom. 1. in 3. p. disp. 10. sec. 7. §. Dico secundo. ait, Beatissimam Virginem consecutam esse hanc dispositionem, partim ex Divina gratia præveniente, partim per opera, & merita sua.

Ad 1. confirm. om. ant. & 1. conseq. at neg. 2. conseq. Cum meritum B. Virginis jam aliunde fuerit compensatum, non potuit adhuc aliquid aliud mereri de condigno. Ad 2. confirm. neg. ma. Facile conceditur, quod quis, præter præmium condignum, adhuc aliud præmium de congruo mereri possit; alias enim nullum posset dari meritum de congruo; quia præmium, correspondens merito de congruo, semper debet esse majus, quam sit præmium condignum, seu tantum æquale merito; nam aliis meritis esset condignum hujus præmij, & non tantum meritum congruum: consequenter illa pars præmij, quæ ex congruitate tantum superadditur, debet esse ultra condignitatem meriti: adeoque meritum, quod est condignum unius, potest simul esse meritum congruum ad huc alterius præmij: non ita res se habet in merito condigno, ut patet consideranti.

527. Ob. 2. contra 2. conclus. B. Virgo in cantico Magnificat. ait: *Fecit potentiam in brachio suo &c.* adeoque dignitatem matris DEI, & omnia, quæ accepit, privilegia, adscribit potentia, ac misericordia DEI: ergo eam dignitatem, & cætera, non est merita. Confirm. 1. Angelus *Luc. 1. v. 30.* dixit B. Virgini: *Invenisti enim gratiam apud DEUM: ecce concipies:* ergo fuit pura gratia, & non meritum B. Virginis. Confir. 2. SS. Hieronymus, Fulgentius, & Bernardus, videntur nobis esse oppositi apud Suarez *tom. 1. in 3. p. disp. 10. sec. 7. §. Unde iuxta.* ergo.

Resp. neg. conseq. utique enim Virgo humillima optimè adscribebat DEO, quod tantum de congruo erat merita; cum etiam merita nostra condigna adscribenda sint DEO: insuper ipsa independentem à suis meritis præventa fuit ingentibus gratiis. Ad 1. confirm. neg. conseq. Invenisse gratiam significat, juxta modum loquendi Scripturæ, DEO placere: quod non excludit meritum. Ad 2. confirm. neg. ant. SS. Patres isti, ut rectè Suarez ait, tantum volunt excludere meritum condignum, vel meritum tale, quod non præsupponeret gratiam DEI, qua ingenti B. Virgo præventa fuit, & adjuncta ad elicenda merita maxima, quibus se dignè disponeret ad hoc, ut esset mater DEI.

526. Ob. 3. Si B. Virgo est merita ali-quid circa Christum, & Christus est meritus gratias B. Virgini collatas, tunc datur mutua natura prioritas inter causas morales: hæc non potest admitti: ergo. Confirm. Electio B. Virginis in matrem fuit ex meritis Christi: ergo non potuit ipsa electionem suam mereri. Resp. neg. mi. Non est jam inter auctores, præsertim recentiores, difficultas in admittenda mutua aliqua prioritate, motione, vel causalitate, de qua re vide *n. 462. & seq.* Alij negant ma. eo quod B. Virgo fuerit merita tantum circumstantias, non autem substantiam Christi: e contra Christus fuerit potius meritus per suam substantiam, & per actiones à substantia sola fluentes.

Ad confirm. conc. conseq. quamvis non

sequatur ex antecedenti. Suarez *tom. 1. in 3. p. disp. 10. sec. 8. §. Dico ergo primo.* probat, Beatissimam Virginem non potuisse mereri illam electionem, atque, hæc esse certam sententiam, ac supponi à Theologis; nam ipsa electa est in matrem DEI, antequam eligeretur ad gloriam, dignitati talis matris convenientem; cum tamen electionem ad suam gloriam nemo possit mereri, ut hinc supponitur. Unde Beatissima Virgo tantum merita est de congruo executionem, seu actualem collationem hujus dignitatis: sicut scilicet nemo meretur electionem suam ad gloriam: attamen quivis adultus debet mereri actualem collationem gloriæ.

527. Ob. 4. Maternitas Divina consistit in productione unionis hypostatice: sed hæc B. Virgo non potuit mereri: ergo. Confirm. B. Virgo debuisset mereri, ut pars sanguinis sui, vel carnis suæ, uniretur DEO: hoc est supra meritum puræ creaturæ: ergo. Resp. 1. posse negari ma. etsi enim non influxisset B. Virgo in unionem hypostaticam, tamen fuisset verè mater DEI, ut dictum *n. 187.* an autem influxerit, non fit liquet. Sed etiam. om. ma. potest negari mi. cum enim B. Virgo tantum instrumentaliter influxisset in eam unionem, ille influxus, maxime quatenus respexisset B. Virginem, non fuisset ejusdem ordinis cum ipsa unione; nec enim actio debet esse ejusdem rationis, & ordinis cum effectu; nam actio est modus accidentalis, cum effectu sæpe sit ens absolutum, & substantiale: sic etiam visio beatifica non est ejusdem ordinis cum DEO. Dein B. Virgo non est merita hunc influxum absolute, & antecedenter ad aliam intentionem, qua DEUS jam statuit producere Christum: sed tantum ex suppositione, quod DEUS jam voluerit, tanquam causa principalis, eum producere, merita est B. Virgo, ut etiam ipsa, tanquam causa instrumentalis, posset influere.

Ad confirm. dist. ma. B. Virgo debuisset simpliciter, & absolute mereri, ut pars sui sanguinis, vel carnis, uniretur DEO. neg. ma. debuisset id mereri tantum ex suppositione, sive debuisset mereri, ut ex suppositione, quod aliqua caro esset unienda, potius hæc, quam alia uniretur. conc. ma. & dist. sic mi. neg. conseq. non enim dicimus, quod B. Virgo sit merita ipsam unionem, vel incarnationem, sed tantum, quod merita sit maternitatem, ex suppositione, quod caro aliqua sit unienda. Unde etiam ex nostra conclusione non sequitur, quod B. Virgo merita sit simpliciter incarnationem, ut rectè habet Suarez *tom. 1. in 3. p. disp. 10. sec. 7. in fine §. Respondetur ergo.* nam tantum dicimus, quod merita sit esse mater DEI ex suppositione, quod Christus esset nasciturus: hæc autem suppositionem non est merita.

528. Ob. 5. Quod est causa actionis, est etiam causa effectus: ergo, si B. Virgo est causa meritoria maternitatis, seu actionis productivæ incarnationis, etiam est causa meritoria ipsius incarnationis. Resp. dist. antec. quod est causa physica actionis,

An, & quid Beatissima Virgo, ac Progenitores Christi, sint meriti in ordine ad Incarn. 155

est etiam causa effectus. conc. ant. quod est causa meritoria. subdist. quod est causa meritoria actionis simpliciter, & antecedenter ad omnem suppositionem, seu intentionem, ejusdem actionis jam aliunde ponendæ, est etiam causa meritoria effectus. conc. antec. quod tantum est causa meritoria actionis, ex suppositione jam præcedentis intentionis, eam actionem absolute ponendi. neg. antec. & conseq.

Si causa moralis (de qua nunc loquimur) movet tantum ad hæc potius actionem, quam illam, & ex suppositione, quod effectus, si non per hæc, saltem per aliam actionem, sit absolute producendus, tunc ipsa non movet simpliciter causam principalem ad hunc effectum: sed hæc jam est mota ab alia causa morali ad ipsum effectum, & ab ista secunda causa morali tantum movetur ad ponendum effectum, potius per hæc actionem, quam per aliam: quod non est moveri simpliciter ad effectum, sed tantum ad accidentalem ejus circumstantiam. Aliiter tamen loquendum videtur de causa physica actionis: & hinc, si admittitur, quod B. Virgo fuerit causa physica actionis, per quam unio hypostatica est producta, debet etiam admitti, quod sit causa physica unionis: sed instrumentalis tantum, in quo nulla videtur difficultas.

529. Ob. 6. Maternitas DEI est veluti radix majoris, & majoris gratiæ in infinitum: sed talem radicem nulla creatura potest mereri, etiam tantum de congruo: ergo. prob. ma. maternitas DEI est dignitas quodammodo infinita, & altioris ordinis, supra omnem aliam dignitatem puræ creaturæ: sicut etiam in humanis plus est, esse matrem naturalem, quam filium adoptivum regis; unde ipsi debentur majores gratiæ, quam ulli alteri puræ creaturæ, ut Suarez *tom. 2. in 3. p. disp. 1. sec. 2.* ostendit: ergo. Resp. neg. ma. ad prob. dist. ant. maternitas, tantum physice sumpta est talis. neg. ant. moraliter sumpta. om. ant. & neg. conf. Si maternitas ista tantum physice consideretur, jam dictum est *n. 521.* eam non esse majorem gratiæ, seu filiatione adoptiva: & inter homines etiam plurius æstimabitur filiatio adoptiva regis, cum jure successione ad regnum, quam maternitas sine tali jure.

Si autem accipiatur maternitas Divina moraliter, sive cum omni præparatione, qua DEUS matrem effecit dignum habitaculum Filii sui (de qua tamen nostra conclusio non debet necessariò intelligi; cum omnes gratias illas B. Virgo non sit merita, ut dictum *n. 524.*) potest quidem dici, quod maternitas Divina, sic accepta, sit major dignitas, quam alia qualiscumque alterius puræ creaturæ, & etiam sit ordinis altioris: sed tamen non potest dici, quod sit infinita, aut radix majoris semper gratiæ in infinitum. Sicut autem ista dignitas est major, quam alia creatæ, ita etiam potuit DEUS efficere, ut B. Virgo majora haberet merita, quam alia creaturæ. Interim, etsi data sint ipsi plures gratiæ, quam ulli alteri creaturæ, imò etiam

quam omnibus simul sumptis, semper tamen fuerunt finita.

530. Ob. 7. contra 3. conclus. *Quod est causa causæ, etiam est causa causati:* ergo progenitores Christi fuissent causa sui ipsius; quia fuissent causa Christi, qui vicissim fuisset causa ipsorum: hoc est implicitorium: ergo. Confir. 1. Christus accepisset à Patribus magnum beneficium: hoc non videtur decuisse ipsum: ergo. Confir. 2. Patres illi meriti fuissent primam gratiam: hoc iterum dici non potest: ergo. Resp. 1. dist. antec. ut *n. 480. & seq.* Resp. 2. om. enthym. neg. mi. subsumptam; nec enim implicat talis mutua natura prioritas qualiscumque inter duas causas morales. Resp. 3. neg. conseq. quia non est verum, quod Patres meriti sint Christum quoad substantiam: sed meriti sunt tantum aliquas circumstantias ejus. vide etiam *n. 526.*

Ad 1. confirm. neg. ma. sed Patres præstitissent Christo obsequium, vel maxime debitum; nam, quidquid ipsi fecerunt, ex gratia per Christum accepta fecerunt. Dein Christus absolute venisset, etiam si hæc progenitores non fuissent. Ad 2. confirm. neg. ma. nam ante hoc meritum Patres jam receperunt gratiam primam. Neque etiam mediata meruerunt primam gratiam; quia non meruerunt Christum, aut ejus merita secundum substantiam, secundum quam tamen Christus, aut ejus merita prætere priora ad gratias progenitoribus concessas; non enim Christus est meritus per hoc, quod citius, vel ex hoc avo, vel hoc loco, sit natus. Tandem fallit etiam hic illud principium: *Quod est causa causæ, est etiam causa causati;* cum hic etiam materius genus causalium. videretur *n. 480. & seq.*

531. Ob. 8. Christus non venit, nisi tempore convenientissimo, quo, ut veniret, ab æterno erat decretum: ergo progenitores non meruerunt accelerationem adventus. Confirm. S. Augustinus *1. questio. num. veteris, ac novi testamenti,* negare videtur, quod progenitores fuerint meriti accelerationem adventus Christi: ergo. Resp. neg. conseq. Quidquid defacto nos mereamur, jam est ab æterno decretum: sed decretum istud etiam respicit nostras preces, & consequenter etiam decretum, mittendi Christum hoc tempore, respexit preces patriarcharum, & DEUS, si non fuissent preces patriarcharum, non decrevisset, Christum tam citò mittere. Ad confirm. neg. suppositum. Ille liber non est S. Augustini, sed cujusdam hæretici, varias hæreses miscens, quas vide apud Bellarminum *de scriptoribus Ecclesiasticis in observatione librorum S. Augustini ad tom. 4.* & fuit adhuc in editione Operum S. Augustini Antverpiensis, quæ usus sum, in censura huic libro præfixa; unde de, quid in hoc libro dicatur, parum est curandum.



DISPUTATIO V.

De Intellectu, & Voluntate Christi.

532. **S**uperfunt examinanda hac disputatione ea, quæ ad intellectum, seu scientiam Christi Domini quæ hominis, atque itemque ea, quæ ad ejus voluntatem, seu ad gratiam, & habitus supernaturales pertinent; nam ea, quæ ad libertatem ejus, cum præcepto moriendi compossibilem, spectant, jam supra examinata sunt. Itaque modò, seu prima quæstione inquirendum, an Christus jam in terris habuerit visionem beatificam: an præter eam habuerit etiam alias scientias, seu infusas, seu acquisitas: & quænam objecta cognoverit. Secunda autem quæstione agendum de voluntate Christi, & quærendum, an Christus præter gratiam unionis habuerit quoque aliam gratiam habitualement, similem nostræ, quæ eum sanctificaverit: an præterea habuerit gratiam capitis: an per gratiam fuerit factus filius adoptivus DEI, &c. Hæc, & similia tractanda supersunt; quia tamen quæstio, an Christus habuerit intellectum creatum, exactè tractari non potest, quin simul examinetur, an habuerit etiam voluntatem creatam, hinc simul statim sub ipitium de utraque hac potentia agemus.

QUÆSTIO I.

De Intellectu Christi Domini.

ARTICULUS I.

An in Christo detur Intellectus creatus, & Voluntas creata.

533. **D**ico 1. Christus Dominus præter voluntatem Divinam, habet etiam humanam, seu creatam. Hæc conclusio est de fide, definita in Synodo VI. seu Constantinopolitana III. ubi actione 4. in epist. Agathonis Papa ad Imperatorem, habentur hæc verba: *Cum duas autem naturas, duasque naturales voluntates, & duas naturales operationes, consistemus in uno Domino nostro Jesu Christo, non contrarias eas, nec adversas ad alterutrum dicimus, sicut à via veritatis errantes Apostolicam traditionem accusant: absit hac impietas à fidelium cordibus: in quibus clarè habetur nostra conclusio. Idem definitum est in Synodo VII. seu Nicæna II. actione 7. in Definitione his verbis: *Dein duas voluntates, & actus, secundum naturarum proprietatem in Christo predicamus, quemadmodum sexta Constantinopolitana Synodus definiit. Idem definitum jam prius fuerat in Concilio Lateranensi sub Martino 4. a. 642. consultatione 5. canon. 20. Si quis secundum SS. Patres non confiteatur propriè, & secundum veritatem duas**

*unius, ejusdemque Christi DEI nostras voluntates, coherenter unitas, Divinam, & humanam... condemnatus sit. Tandem idem rursus definitum est in Florentino in Decreto Eugenii pro Armenis, ubi iisdem Armenis traditur definitio sexti Concilii, & dicitur: *Et duas voluntates naturales in eo, & duas naturales operationes, indivisè, inconvertibiliter, inseparabiliter, inconfusè, secundum Sanctorum Patrum doctrinam ad eam quæ predicamus, & duas naturales voluntates, non contrarias, juxta quod impiè asseruerunt heretici &c.**

534. Colligitur hæc veritas etiam clarè ex Scripturis. Sic dicitur Luc. 22. v. 42. *Veruntamen non mea voluntas, sed tua fiat:* ergo datur in Christo voluntas, quæ non sit Divina. Rursus ad Philippen. 2. v. 8. dicitur de Christo: *Factus obediens usque ad mortem:* hæc obedientia non potest esse in voluntate Divina: ergo est in humana. Quare ex his clarè habetur, in Christo fuisse duplicem voluntatem, sive per hanc intelligatur potentia volendi, sive ipse actus, seu volitio: imò ex his locis Scripturæ aperè infertur actus voluntatis, ex quo facilimè infertur quoque potentia. Ratione etiam Theologica facilè probatur hæc veritas. In Christo dantur duæ naturæ integræ cum suis proprietatibus naturalibus: ergo debent etiam dari duæ voluntates, prob. conseq. in primis voluntas Divina est identificata cum natura Divina: ergo in Christo debet dari. 2. Voluntas humana, vel etiam est identificata cum natura humana, seu cum anima: ut est communis nostrorum: vel saltem est proprietas, aut potentia naturalis, & necessariò à natura humana emanans: ergo etiam ista adest in Christo, adeoque utraque, tam Divina, quam humana.

535. Dico 2. In Christo etiam datur duplex intellectus, Divinus, & humanus. Est iterum de fide. Prob. Suppositis definitionibus Conciliorum, allatis n. 533. de duabus naturis, & voluntatibus, in Christo datæ sunt duæ naturæ integræ, & earum proprietates naturales: id quod etiam clarissimè habetur in Synodo VI. action. 4. in epist. Agathon. Papa, paulò ante verba n. 533. cit. ubi dicitur: *Omnia duplicia unius, ejusdemque Domini Salvatoris nostri Jesu Christi, secundum Evangelicam traditionem asserimus, id est, duas ejus naturas predicamus, Divinam, scilicet, & humanam, ex quibus, & in quibus, etiam post admirabilem, atque inseparabilem unionem subsistit. Et unamquamque ejus naturam, proprietatem naturalem habere, consistemus, & habere Divinam omnia, quæ Divina sunt, & humanam omnia, quæ humana sunt absque ulla peccato:* atqui ad quamvis naturam rationalem spectat etiam intellectus, non minus, quam voluntas: ergo in Christo etiam datus fuit duplex intellectus, Divinus, & humanus.

Confirm. In eadem Synodo VI. action. 18. in edicto Constantini Pogonati, approbato à Leone II. ante medium, dicitur Christus *carne*

carne sumpsisse nobis consubstantialem, & hanc sibi, mediante anima rationali, & intellectualli, compaginasse, atque formasse: ergo Christus habuit animam præditam intellectu, adeoque etiam habuit intellectum. Rursus S. Gregorius Nazianzenus orat. 2. in pascha, quæ est 42. longè ante medium ait: *Qui nullo loco contineri potest, intervenit anima intellectualis, inter Divinitatem, carnisque crassitiam interjecta, continetur.* S. Damascenus l. 3. de orthodoxa fide. c. 6. ait: *DEI Verbum per mediam mentem carni unitum est, interjectam videlicet inter DEI puritatem, & carnis crassitiam.* Similia plura dabit Vasquez tom. 1. in 3. p. disp. 37. c. 5. atqui hæc significant, Verbum assumpsisse carnem propter animam rationalem, ut explicavimus n. 224. adeoque etiam assumpsisse ipsam animam rationalem, seu intellectum, sive animam præditam intellectu.

Confirm. 2. Christus Dominus habuit voluntatem humanam, ut probatum: ergo etiam habuit intellectum humanum, prob. conseq. voluntas præsupponit intellectum; nam volitio præsupponit intellectionem, & hæc intellectum: ergo. Confirm. 3. Natura humana Christi (ut mox sequenti conclusione probabitur) non intellexit per intellectionem Verbi: ergo intellexit per intellectionem humanam: ergo habuit intellectum humanum, prima consequentia est clara; non enim natura humana caruit omni intellectione, per quam aliquid intelligeret: secunda conseq. etiam est clara, & probatur facilè sic. Ad intellectionem humanam præsupponitur intellectus, qui, tanquam principium necessariò requisitum, seu tanquam potentia vitalis, eam intellectionem producat, & tanquam subjectum, respectu cujus intellectio, vel cognitio specialiter immanens est, eam recipiat: atqui tale principium vitaliter producens, vel subjectum recipiens intellectionem humanam, non potuit esse intellectus Divinus, quantumvis Christo unitus: ergo debuit Christus habere intellectum humanum.

536. Dico 3. Natura humana Christi non intellexit per intellectionem Verbi. ita omnes. Prob. Intellectio, quæ aliquis intelligit, est actio vitalis ipsius (nam intellectiones, & volitiones, sunt vita in actu secundo, DEI Angelorum, & animarum rationalium) sed actio vitalis necessariò debet produci ab eo, qui vivit per ipsam (quia juxta omnes est actio immanens suo principio productivo, per eam viventi: estque per se clarum, quòd nemo formaliter vivat per actionem ab alio productam; cum ipsum vivere in actu secundo sit exercere suam vitam) ergo etiam intellectio, per quam intellexit, ac vixit natura humana Christi, & respectu cujus necessariò fuit actio vitalis, debuit esse producta ab eadem natura: atqui intellectio Verbi non potuit à natura humana produci: ergo neque potuit natura humana Christi per intellectionem Verbi intelligere.

Licet autem fors obici possit, quòd intellectio Verbi unita fuerit humanitati, sicut

unita fuit ipsa natura Divina, tamen facile respondetur, quòd non fuerit unita ut actio vitaliter immanens ipsi humanitati, tanquam subjecto inhesionis, ex quo generata, vel producta fuerit; cum intellectio Verbi, neque ex humanitate potuerit produci, neque esse exercitium vitæ humanæ: neque etiam humanitatem denominare viventem: quæ omnia debent reperiri in illa intellectione, per quam humanitas debet reddi intelligens. Aliud non videtur quidquam, alicujus momenti, contra hanc conclusionem obici posse.

Alia tamen esset quæstio, an non humanitas Christi possit causaliter intelligere per intellectionem Verbi: per quod si aliud non intelligatur, quam quòd intellectio Verbi, quæ realiter est omnipotentia DEI, sit etiam aliqua causa intellectionis humanæ in Christo, facilè potest concedi; nam sic quilibet homo intelligit per intellectionem Verbi (sed non videtur in hoc sensu institui quæstio) si autem intelligatur, quòd Verbum habeat specialem influxum in intellectiones humanitatis Christi, id negandum est; nam ad extra sunt indivisibilia opera Trinitatis ex Concilio Toletano XI. citato n. 204.

537. Dico 4. Voluntas humana Christi non fuit contraria voluntati Divinæ. ita iterum docet fides, ut patet ex Conciliis Constantinopolitano, & Florentino n. 533. citatis, & aliis, quæ citat Lugo de incarnat. disp. 25. n. 6. Habetur etiam eadem veritas in Scripturis: sic dicitur Joan. 4. v. 34. *Meus cibus est, ut faciam voluntatem ejus, quæ misit me.* & Joan. 8. v. 29. *Ego, quæ placita sunt ei, facio semper.* Confirm. Quidquid DEUS circa Christum voluit, hoc perituit ad statum Christi: ergo Christus illud scivit ergo etiam fecit. primam consequentiam suppono infra probandam: secunda patet ex eo, quòd Christus omnem voluntatem DEI fecerit, imò probabilius ad eam faciendam, moraliter, vel etiam physicè consequenter, necessitatus fuerit ex dictis n. 449. Sanè, si voluntas DEI fuit efficax, & præceptiva, Christus non potuit aliter facere, saltem, nisi impedisset præceptum: quo tamen impedito, eo ipso voluntas DEI absolute efficax non fuisset.

538. Ob. 1. contra primam consequentiam. Voluntas non potest dari, nisi sit dominus sui actus: sed in Christo voluntas humana non potuisset esse domina sui actus: ergo prob. mi. voluntas humana Christi necessariò debuisset sequi ductum, & motum voluntatis Divinæ: ergo non potuisset esse domina sui actus. Confirm. 1. Honorius I. in literis suis ad Sergium Constantinopolitanum Monothelitam (quæ habentur in Synodi VI. action. 12. ante medium) scribit: *Unam voluntatem fatemur Domini Nostri Jesu Christi:* ergo tantum datur una, eademque Divina voluntas in Christo. Confirm. 2. Omnis operatio Christi est Theandrica, sive Divino-humana: ergo tantum datur una operatio, quæ simul est naturæ Divinæ, & humanæ: non autem datur duplex.

Resp. dist. ma. voluntas non potest dari
U 3

ri, nisi sit domina actus sui liberi. conc. ma. nisi sit domina actus sui necessarii. neg. ma. & dist. sic mi. neg. conseq. ad prob. dist. ant. voluntas Christi necessarii debuit sequi ductum voluntatis Divinæ in actibus necessariis. conc. ant. in actibus liberis. neg. ant. & conseq. Voluntas Divina non omnia absolute efficaciter à Christo voluit, sed reliquit ei libertatem in multis, de quo vide *n. 427. & seq.*

Ad 1. confirm. neg. conf. Inprimis aliud est voluntas *una*, aliud est *tantum una*; sic omnes Catholici admittimus, fidem iustificare, sed non solum: & fidem necessariam esse ad salutem, sed non tantum. Dein per voluntatem unam intellexit Honorius tantum unam moraliter, id est, conformem voluntati Divinæ, sive huic non contrariam; cum enim Sergius Constantinopolitanus scriberet, prædicare quosdam in Christo duas voluntates contrarias, respondit Honorius, unam voluntatem esse dicendam. Et hanc fuisse mentem Honorii, est clarissimum legenti illas literas totas. Insuper id testatur est secretarius Honorii, qui eas literas scripsit. videantur dicta *tract. de virt. Theol. à n. 388.* ubi de hac controversia fusè est actum.

Ad 2. confirm. Resp. neg. conseq. Hæc vox *Theantrica* originem habuit à Dionysio, ut testatur Petavius: sensus autem tantum est, quod sint actiones DEI, & hominis, quatenus scilicet illud suppositum, cui actiones tribuuntur, est DEUS-homo. Specialiter autem hoc nomen tribuitur operibus Christi Domini miraculosis, seu actionibus mixtis, ut vocat Petavius, in quibus utraque natura specialiter operata est: e. g. quando ambulavit Christus super mare, vel oculos cæci linivit luto, ubi tactus oculorum est effectus specialis naturæ humanæ: illuminatio verò est actio naturæ Divinæ.

539. Ob. 2. contra 4. conclusionem. *Marc. 9. 24.* dicitur de Christo: *Ingressus domum neminem voluit scire, & non potuit latere*: hæc voluntas humana Christi fuit contraria Divinæ; quia DEUS efficaciter decrevit, ut Christus non lateret: ergo. Confirm. 1. Christus *Matth. 26. v. 39.* ait: *Pater mi, si possibile est, transiit à me calix iste*: ergo voluit mortem evitare, adeoque habuit voluntatem contrariam voluntati Divinæ. Confirm. 2. Si Christus non potuit habere voluntatem contrariam Divinæ, non fuit liber: sed fuit liber: ergo. Resp. neg. mi. Voluntas Christi tantum inefficax, neque fuit prohibita, neque fuit contraria voluntati efficaci DEI. Sic etiam mercator, qui in periculo naufragii vult inefficaciter retinere merces, attamen efficaciter vult eas proicere, dum videt, se eas unâ cum vita servare non posse, non habet voluntates verè contrarias. Sicut autem voluntas latendi in Christo tantum inefficax, quæ quidem incitabatur ad adhibenda aliqua media occultationis: sed etiam ista non erant prohibita; quamvis DEUS noluerit, ea habere effectum.

Ad 1. confirm. neg. conf. Christus

verbis objectis statim addidit hæc alia: *Veruntamen non sicut ego volo, sed sicut tu*: ut scilicet ostenderet, se tantum inefficaciter mortem nolle. Hinc, ut observat Gormaz *de incarnat. n. 860.* voluntas Christi efficacax, & absoluta, semper fuit impleta, saltem ex speciali providentia, ac directione scientiæ mediæ: voluntas autem Christi tantum inefficax non fuit semper impleta: quod non est absurdum; cum nec voluntas Divina, licet affectivè efficacax, tamen effectivè tantum inefficax, semper impleatur: e. g. voluntas, qua DEUS vult, omnes homines salvos fieri, in plurimis non impletur. Ad 2. confirm. neg. ma. Libertas in Christo non est ad peccandum, vel positivè imperfectè agendum; hæc enim libertas est defectuosa, & tantum aliis hominibus conveniens; unde in Christo fuit tantum libertas inter bonum, & bonum, vel specie diversum, vel melius: eaque vel antecedens, vel consequens, (de qua *re n. 449.*) sic etiam DEUS, licet sit liberrimus, non tamen est liber ad bonum, & malum.

ARTICULUS II.

An Christus etiamnum Viator in terris habuerit visionem Beatificam, vel alias scientias.

540. **T**riplex, seu strictè loquendo quadruplex, à Theologis examinari solet in Christo scientia. Prima est *scientia visionis beatificæ*, quæ est illa, qua Beati vident intuitivè DEUM, & probabiliter in DEO etiam aliquas creaturas: in qua visione, saltem, quatenus repræsentat DEUM, partialiter consistit beatitudo formalis. Secunda est *scientia infusa*, qua quis res creatas in se directè, DEUM verò indirectè, & quasi ænigmaticè videt, quæque est habitus, non acquisitus per actus nostros, sed à DEO infusus: & alia quidem dicitur *scientia per se infusa*; quia non potest acquiri per actus nostros: sed exigit infundi sine illorum præcedentia; alia verò dicitur *scientia per accidens infusa*; quia per se acquiri quidem potuisset per actus nostros, sed tamen, hic & nunc, sine illis à DEO infunditur, uti Adamo fuere infusæ multæ scientiæ, quas per actus frequentatos acquirere potuisset. vide *tract. de virt. Theol. à n. 21.*

Tertia est *scientia acquisita*, quæ aliquando confunditur cum experimentalis: at, si strictè sumatur, seu ut distincta à scientia experimentalis, est illa, quæ acquiritur, dum intellectus à phantasmatis abstrahit species, & per has juvarur ad eliciendas cognitiones abstractivas, de qua iterum *n. 544.* Quarta est *scientia experimentalis*, quæ scilicet dependet ab actibus experimentalibus sensuum acquiritur, de qua rursus *n. 544.* Differt scientia acquisita, & experimentalis à scientia infusa, saltem si sit per se infusa, quod operando per istam, seu infusam, non debeamus converti ad phantasmata, nec dependenter ab his operari: at verò, si opere-

An Christus etiamnum Viator in terris habuerit visionem Beatificam, vel alias scientias. 159

mur per scientiam acquisitam, vel experimentalem, debeamus operari dependenter à phantasmatis; nam, cum scientiæ istæ acquisitæ sint per sensus, seu per actus, dependenter à sensibus elicitos, isti reliquerunt etiam species sensuales, seu phantasticas, & ita quidem connexas cum spiritualibus, & ita excitari non soleant, nisi etiam excitentur species phantasticæ: e contra, cum scientia infusa non sit acquisita per sensus, etiam non debet operari dependenter à sensibus. De his igitur tribus, vel quatuor scientiis, modò quæstio est, an eas Christus, adhuc viator in terris, habuerit; nam modò in cælis eum frui visione beatifica, atque esse præditum omni scientiæ plenitudine, est manifestissimum.

541. Dico 1. Christus ut homo, adhuc in terris degens, jam habuit visionem beatificam, seu sic dictam scientiam visionis beatificæ, adeoque simul fuit viator, & comprehensor. Hæc conclusio, teste Eximio Doctore *tom. 1. in 3. p. disp. 25. sec. 1. §. Sed quæres.* licet non sit omnino certa de fide, non potest tamen sine temeritate negari. Prob. 1. ex illo *Joan. 1. v. 18.* *DEUM nemo vidit unquam: Unigenitus Filiius, qui est in sinu Patris, ipse enarravit*: quasi diceretur: *Unigenitus, qui vidit, ipse enarravit.* Sicut autem unigenitus, seu Christus, per humanitatem enarravit, ita etiam per humanitatem vidit: & ita explicant hunc locum SS. Augustinus *tr. 3. in Joan.* Cyrillus: Chrysostomus apud Suarez. *sec. modo cit.*

Iterum *Joan. 3. v. 11.* ait Christus, *Quod scimus, loquimur, & quod vidimus, testamur*: ubi aperte loquitur de se ut homine, & loquitur inter alia etiam de mysterio SS. Trinitatis: ergo hoc mysterium vidit visione beatifica; quia aliter propriè videri SS. Trinitas non potest. In eundem sensum ait Dominus *Joan. 8. v. 38.* *Ego, quod vidi apud Patrem meum, loquor.* Confirm. Transfigurationi Domini juxta SS. Patres non fuit collatio novæ gloriæ: sed tantum exterior manifestatio gloriæ jam latentis in anima Christi: ergo jam tunc anima Christi fuit beata, adeoque visione beatifica fruita. videatur Suarez *sec. cit. per totam.*

542. Probatur 2. conclusio etiam à ratione. Primò. DEUS humanitati Christi se totum dedit per intimam conjunctionem: ergo non negavit ei suum intuitivum aspectum, in quo stat visio beatifica. Secundò. Hic homo erat Filius DEI naturalis: atqui filius naturalis innocens non debet arceri à conspectu patris: ergo. Tertiò. Filio naturali debetur hæreditas, & quidem statim, si pater nunquam sit moriturus, & filius jam sit ætate maturus, ut contingit in nostro casu; nam DEUS Pater non moritur, & Christus jam in utero Virginis, seu in primo instanti suæ conceptionis, fuit quoad usum rationis vir; hinc *Jerem. 31. v. 22.* dicitur: *Femina circumdabit virum*: ergo jam in primo instanti conceptionis habuit visionem beatificam.

Quartò. Christus etiam in vita mortali, fuit caput hominum, & Angelorum, atque auctor omnis gratiæ, & gloriæ: ergo non decuit, ut ab Angelis; jam beatis superaretur sapientiâ, & gloriâ: sed, cum Angelis, post brevissimam viam, acceperint gloriam, decuit, ut Christus eam statim haberet, non ut præmium, sed ut proprietatem. Quintò. Animæ purgantes, impediret ab aspectu DEI, cruciantur vehementissimè: sed talis cruciatus, & violentia non convenit Christo: ergo. Sextò. Si Christus non habuisset statim visionem beatificam, multa de DEO ignorasset, & profecisset in scientia ita, ut multa de novo didicisset: hoc autem negant SS. Patres apud Suarez *tom. 1. in 3. p. disp. 25. sec. 1. §. Dico ergo secundo. sub finem.* ergo. Denique, si Adam, ut auctor naturalis, fuit statim perfectus in donis naturalibus, etiam Christus, ut auctor supernaturalis, gratiæ, & gloriæ, debuit in donis supernaturalibus, inter quæ vel maxime est visio beatifica, statim esse perfectus, adeoque statim habere visionem illam.

543. Dico 2. Christus etiam habuit scientiam infusam, tam naturalem, quam supernaturalem, hoc est, tam eam, quæ tendit in objecta, quorum cognitio debetur naturaliter homini, quàm eam, quæ tendit in objecta, quorum cognitio ab homine tantum habetur supernaturaliter. ita teste Lugone *de incarn. disp. 20. sec. 1. n. 3.* communior, & probabilior Theologorum cum S. Thoma *3. p. q. 11. a. 1. in corp.* Probatur autem conclusio. *Isaia 11. v. 2.* dicitur de Christo: *Requiescet super eum Spiritus Domini, Spiritus sapientiæ, & intellectus, Spiritus consilii, & fortitudinis, Spiritus scientiæ &c.* ergo Christus habuit scientiam infusam omnem.

Hanc consequentiam infert ex his textibus S. Thomas *loc. modo cit.* nam, ut ait S. Doctor sub istis *comprehenduntur omnia cognoscibilia; nam ad sapientiam pertinet cognitio omnium Divinorum; ad intellectum autem pertinet cognitio omnium immaterialium; ad scientiam autem pertinet cognitio omnium conclusionum; ad consilium autem cognitio omnium agibilium.* Rursus *Joan. 1. v. 14.* dicitur de Christo: *Vidimus gloriam ejus, gloriam quasi unigeniti à Patre, & plenum gratiæ, & veritatis*: quæ verba interpretes communiter exponunt, de donis intellectualibus Spiritus Sancti, & de multiplici scientia Christi, distincta à visione beatifica, adeoque de scientia infusa, itæque de acquisita, seu experimentalis, de qua paulò post.

Prob. conclusio etiam ratione. Nulla Christus neganda est perfectio, quæ convenienter ei potest attribui, & quæ cum statu merendi composibilis est, ac utilis ad finem incarnationis: sed talis etiam est scientia per se infusa: ergo. Confirm. Angeli præter cognitionem creaturarum in Verbo, quam S. Augustinus *l. 11. de civit. DEI. c. 7.* scribit posse dici *manere*, seu cognitionem maturam

nam, etiam habent cognitionem creaturam in se ipsis, quam idem S. Augustinus *ibidem* docet posse *vesperam* vocari: quæ scilicet cognitio habetur à scientia infusa: ergo hæc scientia neque Christo est neganda.

544. Dico 3. Christus etiam habuit scientiam acquisitam, & experimentalem. ita rursus communis. *Scientia experimentalis* dicitur, quæ dependenter ab actibus experimentalibus sensuum acquiritur, & pro suo objecto formali habet ipsam experientiam, præsentem, vel præteritam, sensibus externis haustam, adeoque versatur solum circa eas res, quæ sub experientiam sensuum cadunt. Hæc potest aliquo modo dici scientia acquisita: quamvis hic *scientia acquisita*, tanquam distincta ab experimentalibus, dicatur, seu intelligatur illa, quæ acquiritur, dum intellectus, ut vocant, à phantasmatis abstractis species, sive illis iuvatur ad eliciendas cognitiones abstractivas, seu ænigmaticas, cognoscendo universalialia, rerum essentias, itæque res spirituales ad modum corporearum.

Probo autem, utramque hanc scientiam dari in Christo. Uterque hic modus cognoscendi inprimis ex una parte non repugnat dignitati Christi Domini, neque aliis ejus scientiis: ex altera verò parte est proprius, & naturalis animæ, adhuc corpori unitæ: ergo, sicut Christus juxta Concilia, & Patres, assumpsit naturam humanam cum omnibus proprietatibus suis, ita, ut humano modo creverit, senserit, locutus fuerit, fatigatus, & motus &c. ita etiam assumpsit modum intelligendi humanum, scilicet per experientiam sensuum, & species à phantasmatis abstractas. Sed adhuc queri potest, an hæc scientia fuerit Christo per actidens infusa: an verò ipsemet successivè ex propriis actibus eam acquisiverit. Itaque.

545. Dico 4. Has scientias, nempe acquisitam, & experimentalem, saltem integras, non accepit Christus statim sub initium vitæ: sed successivè mediis actibus suis eas comparavit. ita communior cum S. Thoma 3. p. q. 12. a. 2. in corp. ubi expressè retractat, quod alibi dixerat, scilicet in 3. dist. 14. q. 1. a. 3. *questiunc. 4.* Prob. Christus scientiam aliquam experimentalem acquisivit, quando singularia per sensationes cognovit; tunc enim eadem naturaliter cognovit, etiam per intellectiones: ergo, sicut sensatio reliquit speciem sui in sensu interno; sic intellectio reliquit speciem sui in mente, seu intellectu, ex qua specie dein nata est memoria intellectiva, quæ est ipsa scientia experimentalis: & de hoc teste Haunoldus l. 4. tract. 1. controu. 3. n. 371. nemo dubitat.

546. Jam loquendo etiam de scientia acquisita (prout hæc non est tantum rerum sub sensu cadentium, sed etiam aliarum) etiam ista fuit à Christo successivè obtenta, nec statim sub initium vitæ totaliter habita. ita Haunoldus l. 4. tr. 1. controu. 3. n. 372. & alii ab eo n. 371. citati. Prob. 1. De Christo dicitur Luc. 2. v. 52. *Proficiebat*

sapientiâ, & arate, & gratiâ: quem textum Acta Concilii Ephelini apud Binium in appendice 3. ad rom. 4. seu in scholio Cyrilli c. 12. explicant de vero profectu Christi secundum humanitatem in sapientiâ; sic enim ibi habetur: Et si dicatur proficere JESUS, & sapientiâ, & gratiâ, dispensationis hinc ratio est; DEUS enim Verbum humanitatem more suo proficere permittebat. . . . Corporele quidem est augmentum: & profectus gratiâ, & sapientiâ, humanitatis magis mensura convenit.

In eundem sensum hæc verba accipit S. Thomas 3. p. q. 12. a. 2. in corp. dicens. *Sed contra est, quod dicitur Luc. 2. quod JESUS proficiebat sapientiâ, & arate, & gratiâ apud DEUM, & homines. Et Ambrosius dicit, quod proficiebat secundum sapientiam humanam, Humana autem sapientia est, quæ humano modo acquiritur, scilicet per lumen intellectus agentis: ergo Christus secundum hanc scientiam profecit.* Similiter eadem Evangelii verba exponunt alii SS. Patres, Athanasius, Epiphanius, Cyrillus, Fulgentius, Beda, apud Maldonatum in c. 2. Luc. v. 40.

Jam sic. Profectus Christi non fuit in visione beatifica, nec in scientia infusa, ut fatentur advertarij ipsi; hæ enim scientiæ simul initio infusæ sunt totæ (saltem quoad habitum, & numerum objectorum finitum, de quo paulò plura infra à n. 567. & 571.) ut expressè docet S. Thomas 3. p. q. 12. a. 2. in corp. nec etiam fuit tantum profectus scientiæ experimentalis, quæ non videtur posse strictè dici sapientiâ: ergo fuit profectus scientiæ acquisitæ, quatenus Christus successivè effectus etiam immateriales per suprema causas evidenter, sed abstractivè cognovit. Sic etiam explicari potest convenienter illud Apostoli de Christo ad Hebr. 5. v. 8. *Didicit ex iis, quæ passus est, obedientiam; cum enim obedientia spiritualis sit, per experimentalem scientiam disci non potuit: ergo eam didicit Christus per scientiam acquisitam, quæ in Christo, ut ait S. Thomas 3. p. q. 12. a. 2. in corp. per hujusmodi abstractionem specierum potuerit augmentari, & per quam ipse potuit evidenter inferre alia, etiam obedientiam. Addit Haunoldus, sic posse optimè explicari confortationem Christi in horto, ab Angelo factam, de qua vide ipsum l. 4. tr. 1. n. 377. & seq.*

547. Probatur 2. conclus. ratione S. Thomæ 3. p. q. 12. a. 2. in corp. ubi sic ait: *Cum extrahere species intelligibiles à phantasmatis sit quedam naturalis actio hominis secundum intellectum agentem, conveniens videtur, hanc etiam actionem in Christo ponere. Et ex hoc sequitur, quod in anima Christi aliquis habitus scientiæ fuerit, qui per hujusmodi abstractionem specierum potuerit augmentari.* Nempe cognoscere per species, virtute intellectus agentis abstractas, universalialia, res spirituales, essentias, ac substantias rerum, & sic progressu temporis acquirere scientiam abstractivam, est proprium homini, præsertim adhuc mortali

tali: ergo etiam hanc proprietatem habuit Christus. Confirm. Potissima ratio asserendi utramque scientiam est; quia Christus more nostro usus est sensibus, per quos objecta causarunt species sensitivas, & istæ mediante phantasia causarunt species intellectuales: consequenter potuit Christus reflexè cognoscere sensationes, & objecta earum, atque abstrahere etiam species abstractivas: hæc autem ratio probat, utramque scientiam istam à Christo esse acquisitam more nostro: ergo. Neque est ulla ratio confugiendi ad miraculum, quo hæc scientia Divinitus fuerit infusa; nec enim dedecet Christum hic modus successivè acquirendi scientias: nec talis scientia statim ab initio fuit debita Christo: certè hoc nec ex Scripturis, nec ex ratione potest probari: uti tamen à n. 541. probatum est, statim ei debitam fuisse visionem beatificam.

ARTICULUS III.

Solvuntur Objectiones.

548. Ob. 1. contra 1. concl. Christus viator non habuit gloriam corporis: ergo nec habuit gloriam animæ, seu visionem beatificam. Confirm. Luc. 24. v. 26. dicitur: *Oportuit pati Christum, & ita intrare in gloriam suam:* ergo ante passionem non habuit gloriam. Resp. neg. conseq. Subtractio gloriæ animæ non erat conveniens Filio DEI, ut probatum n. 542. nec erat necessaria ad finem redemptionis nostræ: fuit tamen conveniens, & utilis subtractio gloriæ corporis, & necessaria, ad sustinendos dolores, & ærumnas, ac dandum nobis in his patientiæ exemplum.

Nec dicas, plus meritum fuisse Christum, si non habuisset visionem beatificam; quod magis tunc fuisset liber; nam merita Christi in concreto omnia sunt æqualia, ut fusè probatum n. 352. si autem loquamur de actione in abstracto, tunc, quantum visio beatifica tollit merito in ratione libertatis, tantum potest ei addere in ratione intensiois: vel quia clariùs proponit motiva, vel quia constantius affigit suo objecto. Ad confirm. dist. conseq. Christus ante passionem non habuit gloriam accidentalem. conc. conseq. non habuit essentialem. neg. conseq. ita intelligitur hic textus communiter. vide n. 494.

549. Ob. 2. Justis aliis, etsi sint filij adoptivi DEI, differtur tamen gloria, seu hæreditas usque post mortem: ergo etiam ita dilata est Christo. Confir. Christus simul cum visione beatifica non potuisset triftari in horto: ergo tunc non habuit visionem beatificam. Resp. neg. conseq. Justis tantum debetur gloria remotè, & conditionatè, sub conditione perseverantiæ, quam conditionem utique potuit DEUS apponere, dum eos adoptavit; non enim eodem modo debetur hæreditas filio adoptivo, sicut naturali; nam filio naturali, qualis est Christus, de-

betur hæreditas, id est, gloria proximè, & absolutè, ratione unionis hypostaticæ. Adde, alias rationes allatas n. 542. quæ non militant pro aliis justis.

Ad confirm. neg. ant. licet enim non sit compossibilis visio beatifica, aut gloria, cum dolore perpetuo, (nam videtur difficile captu, quòd dolor possit esse perpetuò conjunctus cum beatitudine) est tamen compossibilis cum aliquo dolore. 1. si hic tantum sit temporalis 2. si dolor serviet ad meritum, qualiter serviebat in Christo ad meritum pro alijs, & etiam pro se, saltem in ordine ad gloriam accidentalem: quin imò etiam serviebat ad dandum nobis exemplum patientiæ, & conformitatis cum voluntate DEI. 3. si dolor sit de alio objecto materiali, quàm de quo est gaudium, ex beatifica visione ortum: gaudium autem Christi erat de bonis DEI intrinsecis vel etiam de sua beatitudine: at verò dolor, & tristitia ejus, erant de malis DEI extrinsecis, seu illius offensis, de tormentis proprijs, in corpore sustinendis, de ruina etiam, & perditione hominum, quibus redemptio non erat profutura &c, quæ non erant objecta gaudii.

550. Ob. 3. contra 2. conclus. Scientia infusa, item acquisita, & experimentalis, est in Christo superflua; cum ipse habeat visionem beatificam: ergo non debent admitti. Confirm. DEUS non cognoscit creaturas in se ipsis: ergo neque Christus, adeoque non cognoscit per scientiam infusam. Resp. neg. ant. etsi enim Christus omnia, quæ cognoscit per scientias alias, jam priùs cognosceret per visionem beatificam (quod tamen multi negant) non ideo essent superflua illæ scientiæ aliæ; quia per illas alio modo objecta cognosceret: quod sufficit in hominibus, & Angelis, ad admittendas diversas scientias. Sed neque obest, quòd creaturæ jam perfectius videantur in DEO; nam non est excludendus à Christo modus cognoscendi tantum negativè imperfectior, sicut non excluditur ab Angelis cognitio vespertina, de qua n. 543. Quamvis autem hæc scientiæ, in Christo non spectent ad beatitudinem essentialem, tamen possunt afferre gaudium accidentale. Ad confirm. neg. ant. cujus oppositum multis probavi in tr. de DEO n. 323.

551. Ob. 4. Conjunctio animæ cum corpore repugnat modo cognoscendi proprio scientiæ infusæ: ergo hanc non potuit habere Christus in statu vitæ. prob. ant. anima unita corpori dependet in operando à phantasmatis: atqui scientia per se infusa, & modus cognoscendi per illam, ab his non dependet: ergo. Confirm. 1. Ideo hæc scientia admittitur in Angelis; quia non dependet à phantasmatis: ergo non debet admitti in Christo viatore. Confirm. 2. Visio beatifica excludit fidem: ergo etiam scientiam abstractivam.

Resp. 1. Juxta multos, teste Haunoldo l. 4. tr. 1. n. 370. Christus in via habuit corpus, non quidem gloriosum, sed, tamen ita dispositum, ut non impediret cognitio-

nem, independenter à phantasmatis elicendam, sive talem, quæ esset propria scientiæ infusæ, utpote, quæ non exigit applicationem objectorum, mediantibus sensibus faciendam. Poterant tamen nihilominus stare simul cum ea scientia sensationes, ita tamen, ut non concurrerent ad actus illius, sed tantum concomitantur se haberent: adeoque, ut ait Haunoldus, Christo ad exercendam scientiam infusam opus non fuit extasi, aut raptu.

Imò Antonius Perez apud Haunoldum *loc. modo cit.* putat, dependentiam à phantasmatis in nobis oriri ex rebellione carnis contra animam, quæ faciat, ut anima non possit pro libitu vincere corpus: quæ rebellio utique in Christo locum non habuit. His præmissis dist. ant. conjunctio animæ cum corpore repugnat modo cognoscendi proprio scientiæ infusæ, si corpus non sit ritè dispositum, ut requiritur ad actus illius scientiæ. conc. ant. secus. neg. ant. & conseq. ad prob. dist. ma. anima dependet à phantasmatis, in corpore non disposito pro scientia infusa. conc. ma. in corpore disposito. neg. ma. & conc. mi. neg. conseq. Si autem ista sententia Perezii, vel aliorum, hic adducta, non supponatur vera. Resp. 2. dist. ant. conjunctio illa repugnat scientiæ infusæ naturaliter. om. ant. de potentia absoluta. neg. ant. & conseq. Cum ipsa scientia sit supernaturaliter infusa, potest etiam modus eam utendi esse supernaturalis; unde ad prob. dist. ma. anima unita corpori dependet à phantasmatis, naturaliter. conc. ma. absolute, & indispensabiliter. neg. ma. & conc. mi. neg. conseq.

552. Ad 1. confirm. neg. conseq. quia anima Christi, vel ob supernaturalem modum agendi, vel ob dispositionem extraordinariam corporis (qualis scilicet dispositio in Beatis erit post diem iudicii, & juxta multos, teste Haunoldo *l. 4. tr. 1. n. 370.* fuit jam in Christo viatore) non necessariò in omnibus cognitionibus dependebat à phantasmatis; alias Christus neque potuisset habere visionem beatificam, quod est falsum. Ad 2. confirm. neg. conseq. Scientia infusa non est obscura: fides autem à Beatis excluditur propter obscuritatem; nam DEUS, saltem in hac providentia nihil amicis suis, jam in cælum admittis, revelat obscure, ut docet nos Apostolus.

An autem non possit, saltem de absoluta potentia, fides stare cum visione beatifica, ita, ut aliqua saltem objecta credantur, hic non est locus disputandi. Plures id fieri posse censent, nec videtur statim posse ostendi implicantia. Unde negandum etiam est, quod quidam dicunt, imperfectam possessionem excludi à perfecta; non enim semper à perfectiori excluditur minus perfectum.

553. Ob. 5. contra 4. conclus. Adam, & Salomon habuerunt scientiam acquisitam, & experimentalem, per accidens infusam; ergo multò magis eas scientias infusas habuit Christus. Confirm. 1. Beati simul ha-

bent visionem beatificam, & scientias supernaturales, ac naturales: ergo etiam Christus in instanti conceptionis istas omnes habuit. Confirm. 2. Saltem debuit Christus habere eas species infusas, quas non potuit habere ab objectis; eoquòd ista in ejus sensu non incurrerint: ergo saltem habuit eas scientias partialiter infusas. Resp. neg. conseq. Adam statim creatus est in ætate virili, debuitque statim præesse toti mundo; unde debuit statim habere scientias istas: nec etiam potuit expectari, donec per sensus eas acquireret; eoquòd non habuerit scientiam aliam. Econtra Christus habuit duplicem aliam scientiam, scilicet visionem beatificam, & scientiam per se infusam: insuper Christus natus est infans, potuitque ante necessarium usum scientiæ acquisitæ, & experimentalis, per experientiam sensuum istas scientias acquirere. De Salomone quoque sufficit dicere, eum debuisse tunc statim gubernare regnum, & quidem juxta providentiam DEI specialiter benevolam, cum speciali laude sapientiæ; unde, cum etiam ipse non habuerit tunc aliam scientiam, ad regnum ita gubernandum sufficientem, debuit acquisita, vel experimentalis, per accidens ei infundi.

Ad 1. confirm. conc. ant. neg. conseq. Christus etiam non habuit statim in conceptione corpus gloriosum, quod tamen habent Beati, statim post reunionem: ergo etiam non debuit, statim initio habere scientias naturales. Dein has scientias Beati habent; quia vel antecedenter in vita eas sibi compararunt, quando nondum fuere beatificati: vel certè, si in infantia, vel antequam eas scientias acquisiverunt, mortui sunt, per se ipsos acquirere non potuerunt, adeoque infusas recipere debuerunt: quæ rationes non urgent pro primo instanti conceptionis Christi. Nihilominus tamen verissimum est, Christum fuisse *plenum gratiæ & veritatis. Joan. 1. v. 14.* quia jam à primo conceptionis instanti habuit visionem beatificam, & scientiam infusam.

Ad 2. confirm. neg. antec. Non est opus, ad acquirendas species abstractivas, perpetuo sensuum exteriorum usu, & omnium sensibilibus perceptione, aut applicatione; nam multi sensibus pauca percipiunt, & tamen, assidua rerum consideratione, longè perfectiores scientias comparant, quam alii, qui sensibus per omnia vagentur.

Addit Haunoldus. *l. 4. tr. 1. n. 381.* Christum ex providentia DEI habuisse objecta, sibi occurrentia tali ordine, & dispositione, ut commodissimè potuerit species inde acceptis uti, ad generandas alias, & alias species abstractivas, magis universales, & scientificas, ut tandem acquisiverit scientias in perfectiori gradu, quam Adamus. Addit S. Thomas *3. p. q. 12. a. 2. in corp.* habitum scientiæ (non per se infusam, quod *ibidem* expressè negat S. Doctor, sed acquisitæ, vel experimentalis) potuisse in Christo *augmentari, ex hoc scilicet, quod*

An Christus etiamnum Viator in terris habuerit visionem Beatificam, vel alias scientias. 163
intellectus agens, post primas species, intelligibiles abstractas à phantasmatis, poterat etiam alias, & alias abstrahere.

554. Ob. 6. Proficere in scientia est imperfectio: ergo non convenit Christo. Confirm. 1. Christus non profecit in visione beatifica, aut scientia infusa: ergo neque profecit in scientia acquisita, seu abstractiva. Confirm. 2. S. Damascenus. *l. 3. orthodox. fidei c. 22.* ait: *Qui autem eum progressus in sapientia, & gratia perinde fecisse ajunt, ac si carum incrementum acciperet, non à primo illo carnis ortu factam esse unionem asserunt, nec personalem unionem tumentur* (ita textum exhibet editio Parisina *n. 1577.* licet apud S. Thomam *3. p. q. 12. a. 2. art. 3.* paulò aliter verba sonent, quamvis quoad sensum conveniant) ergo Christus in nulla scientia profecit.

Resp. S. Thomas *loc. modo citato* hæc tria sibi objecit, ac jam dissolvit. Dein eodem modo videri posset, quòd crescere ætate, & corpore, sit imperfectio; cum tamen hoc incrementum certò datum fuerit in Christo. in form. dist. ant. est imperfectio (intellige positivè talis) proficere in scientia, ita, ut proficiens non habeat perfectionem scientiæ, sibi pro eo tempore congruentem. conc. ant. aliter quomodocunque proficere in scientia neg. ant. & conf. Habuit autem Christus semper perfectionem cujuscunque scientiæ, proportionatam suæ ætati; unde S. Thomas *loc. modo cit. ad 2.* ait: *Hæc etiam scientia in Christo semper, fuit perfecta secundum tempus: licet non semper fuerit perfecta simpliciter, & secundum naturam.* Dixi supra, intelligendam esse imperfectioem positivè talem; neque enim à Christo excludenda est omnis imperfectio negativa; alias non esset homo.

Ad 1. confirm. neg. conf. Visionem beatificam, & scientiam infusam, Christus non acquisivit humano modo: sed supernaturaliter à DEO immediate, tanquam effectum agentis infusæ virtutis, ut Angelicus loquitur *cit. n. ad 1.* atque adeò accepit simul totas: scientiam autem acquisitam, & experimentalem acquisivit Christus per suum intellectum creatum finitè tantum virtutis, & quidem modo humano: adeoque est magna disparitas. Ad 2. confir. S. Thomas *cit. n. ad 3.* ait, explicandum esse S. Damascenum de iis tantum, qui dicunt, Christum in omni prorsus scientia profecisse, etiam in infusam, & beatificam, quæ causatur ex unione ad Verbum: non autem intelligendum esse de iis, qui tantum dicunt, Christum profecisse in scientia illa, *quæ ex naturali agente causatur.* in form. neg. conseq.

555. Ob. 7. Christus juxta nos debuisse plura dicere, e. g. audiendo ea ab hominibus: sed hoc eum dedecet; cum ipse sit Doctor, & Magister omnium: ergo. Confirm. Christus statim potuit uti ratione: ergo debuit etiam habere statim scientias, quibus instructus perfectè ratiocinaretur. Resp. neg. ma. Dicere, rigorosè loquendo, est acquirere scientiam, vel notitiam de re,

quam quis prius omnimodè ignoravit: quòd non verificatur in Christo, qui jam omnia longè perfectiùs noverat, quam alii homines, sive per visionem beatificam, sive per scientiam infusam. In sensu autem minùs rigoroso potest dici, Christum aliqua didicisse; sic enim ait S. Paulus de Christo *ad Hebr. 5. v. 8.* *Didicit ex iis, quæ passus est, obedientiam.* Ad confirm. neg. conf. potuit enim Christus perfectissimè uti ratione, & ratiocinari, ratione aliarum scientiarum: ratiocinatio autem ex scientia acquisita, juxta ordinem providentiæ Divinæ, tunc necdum videbatur congrua Christo, volenti propter nos assumere conditionem statùs infantilis, saltem quoad ea, quæ non aliunde probantur, ab ipso ex illo statu non fuisse assumpta.

556. Ob. 8. *Luc. 2. v. 52.* dicitur de Christo: *Proficiebat sapientiâ, & ætate, & gratiâ, apud DEUM, & homines:* ergo non aliter profecit sapientiâ, quam gratiâ: sed ista non profecit, nisi apparenter; nam statim in conceptione omnem simul gratiam Divinitus accepit: ergo etiam, non nisi apparenter, profecit sapientiâ, seu scientiâ, & hanc quoque statim omnem in conceptione accepit. Confirm. 1. Christo statim sub initium fuerunt infusi habitus naturales virtutum moralium: ergo etiam ei fuere infusæ virtutes intellectuales naturales.

Confir. 2. Prudentia, tanquam reliquarum virtutum regula, supponit notitiam principiorum speculativorum: sed Christus statim habuit infusam prudentiam naturalem: ergo habuit etiam infusam notitiam illorum principiorum, seu habitus intellectuales. Resp. 1. neg. mi. sublimpt. Gormaz *de incarn. n. 960.* vult per gratiam ibi intelligi pulchritudinem corporis juxta illud *Prov. 31. v. 30.* *Fallax gratia, & vana est pulchritudo:* in hac pulchritudine autem potuit Christus re ipsa proficere. Alii per gratiam ibi intelligunt benevolentiam apud DEUM, & homines, quam Christus operationibus suis adeptus est, quæque etiam accidentaliter potuit aliquo modo crescere.

Si hoc dicere non placet, Resp. cum Maldonato *in Luc. 2. v. 40.* neg. 1. conseq. quia negata nullam vim amplius habet argumentum. Non semper in Scripturis verba, etiam quando immediate junguntur, sumuntur in eodem sensu: sic, dum Christus ait *Matth. 8. v. 22.* *Dimitte mortuos sepelire mortuos suos:* prima vice intelligit mortuos spiritualiter, seu moraliter: secunda vice intelligit mortuos physicè: sic *Joan. 20. v. 17.* idem Dominus ait: *Ascendo ad Patrem meum, & Patrem vestrum:* quin DEUS eodem modo sit Pater noster, quo modo est Pater Christi: sic *Luc. 2. v. 41.* per parentes ejus, seu Christi, intelligitur tam B. Virgo, quam S. Josephus; quin hic eadem ratione, ac B. Virgo, sit parens Christi. Unde, licet Christus dicatur eo textu profecisse sapientiâ, & ætate, & gratiâ, tamen non eodem modo debet accipi illud *proficiebat* respectu sapien-

sapientia, & gratia, ac ætatis; nam in ætate profecit, seu crevit physicè: in sapientia, seu scientia, profecit partim physicè, & realiter, nempe in scientia acquisita, & experimentalì: partim profecit apparenter, scilicet in visione beatifica, & scientia infusa.

557. Similiter quoad gratiam (si per hanc intelligas gratiam supernaturalem habitualem) crevit Christus solum apparenter; quia eam hominibus successivè magis ostendit. Licet autem dicatur Christus etiam crevisse gratià apud DEUM, non refert; quia, ut advertit Maldonatus in c. 2. Luc. v. 40. verba apud DEUM significant idem, ac verè: revera autem, seu in veritate, Christus etiam in conspectu DEI, seu coram DEO, magis semper ostendit suam gratiam. In ipsa autem gratia habituali Christus nullum physicum augmentum accepit; quia ea tota statim in instanti conceptionis ipsi fuit infusa, tanquam principium, saltem medietum, operationum supernaturalium, & mensura visionis beatificæ, quæ in Christo maxima fuit. Addit Gormaz de incarnat. n. 961. Christum non crevisse in gratia habituali; quia jam erat beatus: sicut non crescunt alii Beati. Longè aliter autem se res habet in scientia acquisita, & experimentalì naturalì, quæ non fuerant Christo sub initium vitæ connaturales, nec necessariæ ad operationes.

Ad 1. confir. Quidam regant antec. maximè, qui defendunt, habitus naturales identificari cum speciebus experimentalibus. Alii negant, Christum eliciisse actus virtutum tantum naturalium; unde ajunt, non fuisse ei necessarios habitus naturales. Ego om. antec. neg. confeq. Si Christus statim habuit habitus naturales virtutum moralium infusos, tunc ideo eos habuit, ut faciliùs eliceret eorum actus: at ad actus intellectuales, seu ad cognoscendum, non fuerunt ei necessarij habitus naturales intellectuales; cum initio suffecerit scientia infusa. Ad 2. confir. neg. mi. non enim Christo statim necessaria fuit prudentia naturalis acquisita; cum jam habuerit supernaturalem infusam: brevi autem etiam obtinuit acquisitam naturalem ob summam ingenii perspicaciam.

558. Ob. 9. SS. Patres, qui nobis favent, possunt exponi de scientia tantum experimentalì: alii autem nobis refragantur: ergo nostra sententia non subsistit. Confir. Species, à phantasmatis abstractæ, sæpe tantum probabiliter, aut fallaciter, objectum repræsentant: ergo vel fuissent otiosæ in Christo, vel hic tantum opinativè, aut fallaciter, objectum cognovisset: neutrum potest dici: ergo. Resp. neg. antec. quod non probatur: quævis autem Patres aliqui refragari nobis videantur, plures, & majoris ferè autoritatibus, nobis favent, quos citavimus n. 546. Ad confirm. om. antec. neg. confeq. Vel Christus, scientiâ infusâ jam præillustratus, non abstraheret species tantum probabiles, & fallaces: vel iis non

utebatur ad assensum absolutum, sed tantum ad modalem, vi cujus solum assentiebatur in tantum, ut affirmaret, quod vitalis apparentiæ, hominibus hoc, vel illud, probabile sit; nam lubens concedo, quod assensus tantum probabilis, aut fallibilis, sicut & error, Christum non deceat.

ARTICULUS IV.

Quenam Objecta per has Scientias Christus cognoverit.

559. **S**upponendum 1. quod humanitas Christi longè clariore visione beatifica fuerit prædita, quam omnes alii Beati simul sumpti; nam longè ampliori gratia, cui tamen visio beatifica correspondet, fuit donata: & nos ipsi omnem nostram gloriam, ex meritis Christi, tanquam de plenitudine capitis nostri, accepimus, sicut rivi aquas ex mari accipiunt. Certè incomparabiliter majorem gloriam habuit Christus quàm homo, quàm omnes alii Beati: hæc autem, saltem partialiter, stat in visione beatifica, adeoque Christus quàm homo etiam habuit majorem, & perfectiorem visionem beatificam. Interim tamen visio illa non fuit comprehensiva DEI; nequit enim DEUS ab ulla creatura comprehendì; quia non potest intellectus creatus, & hoc ipso finitus, sua fua cognitione, adquire infinitam cognoscibilitatem Divinam, ut est per se clarum.

560. Supponendum 2. quod, sicut Beati, ita & Christus, per visionem beatificam, videat in Verbo, hoc est, in DEO, non tantum DEUM, sed etiam alias res creatas, quas DEUS, qui est eminenter species intelligibilis omnium rerum, repræsentat tanquam speculum, sed voluntarium; quia scilicet, quando vult, quomodo vult, & quantum vult, repræsentat.

Ubi ex occasione noto, quod juxta eos, qui dicunt, volitiones, & cognitiones DEI contingentes, non esse adæquatè identificatas cum DEO, non possint in DEO videri res creatæ ut existentes pro ulla differentia temporis; nam prædicata DEI necessaria non habent connexionem cum creaturis existentibus, ut est clarum; unde tantum videri possunt res ut possibles: ex quo tamen ipso potest fors impugnari ea opinio; nam sequitur, quod neque DEUS, formaliter in se ipso, tanquam in speculo, possit videre rem ullam creatam existentem, adeoque creaturas existentes non possit videre in se ipso, sed tantum in se ipsis, vel certè in complemento extrinseco sui decreti: quod sanè videtur difficile. In nostra autem sententia, quæ asserit, actus contingentes DEI esse realiter ipsi identificados (tanquam virtualiter ab essentia Divina distinctos) possunt in Verbo realiter sumpto videri omnia creata, tum possibilia, tum existentia pro quocunque tempore.

561. Ulterius advertendum ex Havnoldo l. 4. tr. 1. n. 367. quod, si visio beatifica fuerit directiva actuum liberorum Christi (quod videtur hic auctor velle probare ex eo, quod visio beatifica summè movet Christum ad amorem DEI, & aliarum virtutum) tunc non potuerit Christus eos actus ut absolute futuros prævidere in visione beatifica. Ratio est; quia alias actus illi non amplius fuissent liberi; nam visio illa est essentialiter cum ipsis actibus connexa; quia est essentialiter vera: si jam insuper esset directiva, esset inimpedibilis, saltem, nisi simul tolleretur directio actuum, seu cognitio, illuminans ad actus eliciendos; qua tamen ratione impediretur ipse actus primus proximus, seu libertas ad eos actus, adeoque ea visio non esset impedibilis stante libertate.

Ex quo consequitur, quod non possent illi actus liberè elici; quia, quod est essentialiter connexum cum actu, & simul inimpedibile, stant libertate, seu actu primo libero, tollit libertatem, ut probatum in tract. de DEO à n. 450. & 578. & ratio clara est; quia in hac suppositione non datur potestas ad oppositum: nec in sensu composito, propter essentialem connexionem visionis cum actu: nec in sensu diviso; quia hic ipse tollit actum primum liberum, hoc est, ipsam libertatem. Quare, supposita ea directione, debet Christus vios actus liberos, ut absolute futuros, videre per aliam visionem, seu scientiam, non directivam eorundem actuum liberorum, atque impedibilem per actus oppositos: & possunt tunc illi videri in se ipsis per scientiam infusam.

562. Supponendum 3. Christum etiam ut hominem non habuisse ullam ignorantiam positivam; hæc enim non est tantum qualiscunque nescientia: sed est nescientia earum rerum, quæ quis juxta conditionem sui statim scire posset, ac deberet: talis autem nescientia longè est à Christo; ab ipso enim longè abest omnis imperfectio positiva, qualis utique est nescire res ad suum statum pertinentes. Sanè Christo tribuenda est omnis perfectio, quæ ipsi convenienter tribui potest, ut fatentur omnes, & diximus supra n. 543. Unde Christus omnia scit, quæ ad ipsum, aut ejus statum spectant: & hinc erraverunt graviter Agnoitæ, quando dixerunt, Christum ut hominem nescire diem, iudicio extremo determinatum. Quomodo autem explicandus sit textus Marci 13. v. 32. ubi Christus dicit, Filium, sive seipsum, nescire illum diem, dixi fuscè tract. de virt. Theolog. n. 82. scilicet, Christus eum diem non scivit scientia communicabili, vel qua faciat alios scire. His suppositis

563. Dico 1. Christus ut homo in Verbo non vidit omnes creaturas possibles. ita communis Theologorum; quamvis enim Suarez, Tannerus, & alii dicant, si possibile esset talis cognitio creata, eam etiam Christo tribuendam esse; eo quod omnis perfectio, & scientia ei tribuenda sit, tamen absolute putant, talem cognitionem

non esse possibilem. Probatur conclusio. Anima Christi per visionem beatificam videt omnia, quæ sunt formaliter in DEO: & si videret etiam omnes creaturas possibles, videret etiam omnia, quæ sunt eminenter in DEO, sive quæ DEUS potest causare: atqui intellectus creatus, qualis est Christi ut hominis, non potest videre omnia, quæ sunt in DEO formaliter, & eminenter: ergo.

Prima pars majoris non negatur; quia hoc secum fert visio beatifica, tanquam clara visio DEI, ut videat essentiam DEI in se intuitivè, & quidditivè, saltem quoad prædicata primaria. Noto autem hæc, quod illa vocentur prædicata primaria DEI, quæ formaliter expriment specialem perfectionem: talia sunt e. g. afeitas, omniscientia, omnipotentia: prædicata secundaria autem vocentur ea, quæ non expriment specialem perfectionem, à perfectionibus prædicatarum primariorum diversam, sed aliquo modo in illis contentam: sic potentia producendi homines continetur in omniscientia, scientia de venturo Antichristo in omniscientia &c.

Alter pars majoris etiam patet; quia illud continet DEUS in se eminenter, quod potest causare, seu producere: & quidquid DEUS producere non potest, debet esse Chymæra, adeoque non potest esse perfectio: consequenter non potest in DEO contineri, nec formaliter, nec eminenter (nam per contineri eminenter intelligitur contineri demptis imperfectiõibus) ergo sciens omnia possibile scire omnia, quæ potest DEUS causare, seu omnia, quæ DEUS in se continet eminenter.

564. Probatur etiam minor primi syllogismi. Quidquid sit, an hæc cognitio dicenda sit strictè comprehensiva DEI (de quo fuscè Suarez tom. 1. in 3. p. disp. 26. sec. 2.) saltem est aliquo modo extensivè comprehensiva, ita, ut penetret totum objectum, & omnia, quæ in illo quovis modo sunt: sed talis cognitio non competit intellectui creato: ergo. prob. mi. meo iudicio optimè ex SS. Patribus, qui, quando negant, intellectui creato possibile esse comprehensionem DEI, negant ei possibilem esse omnem comprehensionem, etiam latius dictam.

Sic S. Gregorius l. 10. moral. c. 7. (in edit. Antwerp. a. 1615. quàm habui: alie editiones dicuntur hæc verba habere c. 10.) ait. In retributionis autem culmine reperiri omnipotens per contemplationis speciem potest, sed tamen ad perfectum non potest; quia, etsi hunc in claritate sua quandoque conspiciamus, non tamen ejus essentiam plene contuemur; Angelica etenim, vel humana mens, cum ad circumscriptum lumen inhiat, eo ipso se, quo est creatura, coangustat, & super se quidem per provectum tendit, sed tamen ejus fulgorem comprehendere, nec dilata sufficit, qui & transcendendo, & portando omnia, & implendo concludit.

antecedenter ea scivit. prob. ant. ex *Matth. 21. v. 21. & Luc. 10. v. 13.* ubi Christus prædixit, possibilem penitentiam Tyrionum. Item *Matth. 26. v. 53.* ubi ait, possibile esse, ut Pater mittat duodecim legiones Angelorum. Et quamvis ex his textibus non habeatur, Christum hæc vidisse potius per scientiam visionis beatificæ, quam per aliam, e. g. infusam, tamen utique verosimilius dicitur, ipsum ea vidisse potius per scientiam perfectissimam, seu visionem beatificam, quam tantum per aliam; cum nulla sit ratio, cur potius per aliam tantum viderit. Accedit, quod etiam alij Beati probabiliter quædam possibilia videant in Verbo: unde hoc multo magis concedendum est Christo.

573. Dico 4. Per scientiam infusam anima Christi scivit omnia existentia, præterita, & futura, naturalia, & supernaturalia, præterea etiam aliqua possibilia. ita S. Thomas 3. p. q. 11. a. 1. in corp. Suarez tom. 1. in 3. p. disp. 27. sec. 1. & 2. & 3. ac alij. Prob. Angeli, ut communiter conceditur, per scientiam infusam cognoverunt naturalia: ergo etiam anima Christi per illam eadem cognovit, & longè plura, quæ scilicet ad eus statum spectabant. Quod autem Christus per eandem scientiam cognoverit supernaturalia, teste Suarez modo cit. disp. sec. 3. §. Dicendum. nemo contradicit: & ratio etiam est; quia supernaturalia possunt cognosci per scientiam infusam, sive quod idem est, per infusam species proprias, & in se ipsis: insuper ea ita cognoscere est perfectio, quæ Christo negari non debet: præsertim cum ipse fuerit author omnis gratiæ supernaturalis.

Quod autem Christus per hanc scientiam etiam cognoverit præterita, & futura, probatur ex eo; quia ista scire, & quidem per species proprias, ac in seipsis, est perfectio, quæ potest Christo sine omni inconuenienti tribui, adeoque tribui debet. Huc referri etiam debent omnes probationes n. 543. allatæ. An autem Christus per hanc scientiam infinita cognoverit, an non, pendet ex eo, an infinita cognoverit per visionem beatificam (de qua re egimus n. 567.) si enim infinita cognovit per illam, etiam per hanc infinita cognovit; nec enim est specialis difficultas in hac scientia præ illa.

574. Addit recentior quidam, animam Christi, intuitivè cognoscendo visionem beatificam, cognoscere per hanc scientiam etiam abstractivè mysterium SS. Trinitatis, quatenus visio beatifica, quam cognoscit, est representatio DEI unius, & trini. Sed Suarez tom. 1. in 3. p. disp. 27. sec. 5. §. Secundus modus. id videri negare; nam ait, visionem per se primò terminari ad DEUM ut sic, & tantum consequenter ad Personas, adeoque, cognita illa visione, tantum cognosci, eam esse visionem DEI: non tamen per illam cognosci, quomodo DEUS sit, an tantum sit unus, vel etiam trinus: præsertim cum illa visio comprehendendi non possit per aliam scientiam extra visionem beatificam.

Quidquid tamen de hoc sit, saltem cognovit anima Christi per hanc scientiam mysterium incarnationis, metaphysicè acceptum, de quo n. 3. quatenus cognovit unionem hypostaticam, quæ est aliquid creatum.

Negat tamen iterum Suarez *ibidem* ex unione hypostatica, per scientiam infusam cognita, posse cognosci mysterium SS. Trinitatis; quia ex vi unionis solum cognoscitur, in DEO esse substantiam aliquam, quæ potest terminare illam unionem: non autem cognoscitur, an substantia illa sit relativa, an absoluta. Vult igitur Eximius, mysterium hoc cognosci per scientiam infusam, ad eum modum, quo cognoscit anima Christi futura contingentia libera, de qua re inferius agemus in objectionibus n. 580. & seq. Rhodios tamen *disp. 3. de incarnat. q. 2. sec. 2. §. 3.* ait, cognosci mysterium SS. Trinitatis (& eadem est ratio de mysterio Incarnationis) abstractivè per scientiam infusam, in actibus fidei supernaturalis, de hoc mysterio elicitis, quos intuitivè Christus per hanc scientiam cognoscit.

ARTICULUS V.

Solvuntur Objectiones.

575. **O**B. 1. contra 1. conclus. *Ad Coloss. 2. v. 3.* dicitur de Christo: *In quo sunt omnes thesauri sapientia, & scientia DEI absconditi*: ergo Christus etiam omnia possibilia scivit. Confir. Non implicat, hanc scientiam animæ Christi communicatam fuisse ergo non debemus eam ipsi negare. Resp. cum Suarez tom. 1. in 3. p. disp. 26. sec. 2. §. Ad fundamentum magistri. neg. consequ. Textus objectus significat tantum, quod in Christo fuerint illi thesauri scientiæ, qui secundum potentiam ordinatam, hoc est, secundum mensuram ordinatam, & determinatam à DEO, communicantur alicui intellectui creato, ut scilicet sciat omnia, quæ ad suum statum pertinent, & non habeat ullam ignorantiam positivam.

Eodem modo exponendus est S. Chrysostomus *homil. 5. in c. 2. epist. ad Coloss. ante medium*, ubi in hæc verba Apostoli: *In quo sunt omnes thesauri &c.* sic scribit de Christo: *Ipse novit omnia... dicendo ergo thesaurum, ostendit multitudinem: dicendo vero omnes, eum nihil ignorare: dicendo autem absconditi, quod solus sciat*: intellige: ostendit. Ratio autem ita exponendi S. Chrysostomus est, quod, cum ipsa vox ignorare opponatur tantum scientiæ rerum, ad statum proprium pertinentium, satis innuat S. Pater, se tantum loqui de scientia rerum, ad statum Christi pertinentium. Similiter exponendi sunt etiam alij SS. Patres, si quando animæ Christi scientiam immensè similem videntur tribuere; quia tantam scientiam in sensu omnino strictissimo, creaturæ tribuere, nec admittit ratio, nec aliorum SS. Patrum autoritas.

576. Ob. 2. contra 3. conclus. Possibilia

abilia non possunt videri in DEO: ergo Christus ut homo, seu anima Christi, non vidit in DEO, vel Verbo ulla possibilia. prob. ant. DEUS non est causa adæquata possibilium: ergo non possunt videri in ipso, tanquam in causa. prob. consequ. hæc est ratio, cur non possint videri plures effectus in creatura: ergo etiam debet esse ratio, cur non possint videri in DEO. Resp. neg. ant. ad prob. dist. ant. DEUS non est causa adæquata possibilium plurimorum. neg. ant. prorsus omnium. subdist. & tamen est causa adæquata, saltem in actu primo, alterius concausæ. conc. ant. non est causa adæquata alterius concausæ. neg. ant. & conf. ad prob. ult. consequ. sub eadem distinctione conc. vel. neg. ant. & absolute neg. consequ.

Inprimis ratio ista addita, cur in creaturis non possint videri plures effectus, tunc tantum est vera, quando causa inadæquata non exigit determinatè concursus alterius concausæ: e. g. in homine (qui tantum est causa inadæquata cognitionis; cum ad istam requirantur insuper etiam species objecti) non potest determinatè videri hæc in specie cognitio; quia concursus speciei ad hanc determinatè cognitionem non est homini determinatè debitus. At verò in igne potest videri alius ignis in specie; quia concursus DEI, ad alium ignem producendum, est cuiuslibet igni determinatè debitus. DEO autem debita, vel subordinata sunt omnes causæ creatæ: quæ, si DEUS velit produci effectum, necessariò concurrunt, saltem necessitate consequente ad decretum DEI.

Dein, quamvis DEUS se solo non possit producere aliqua entia, e. g. modalia, quæ essentialiter exigunt produci, saltem partialiter, à creatura (quod plures etiam concedunt de actibus vitalibus) potest tamen DEUS earum causas, hoc est, hominem, vel animal vivens, pro libitu producere, & quidem se solo: adeoque est in actu primo causa adæquata fixæ concausæ: quamvis non necessariò sit in actu secundo; quia non necessariò actu eam concausam producit.

577. Ob. 3. contra 4. conclus. Si Christus ut homo, per scientiam infusam vidit omnia præterita, præsentia, & futura, quæ sunt infinita, debuit habere species infinitas: sed istæ dari non possunt: ergo. Confir. Scientia infusam non potest representare naturalia, & supernaturalia: ergo non possunt ista per illam scientiam videri. Resp. me non decidere, an Christus ut homo infinita cognoverit. Auctores, id defendentes, negant ma, & dicunt, nec malè, quod, sicut una cognitio, seu species expressa, potest representare innumera, vel infinita objecta, ita etiam una species impressa possit representare innumera, vel infinita. Ad confirm. neg. ant. cum Suarez; nam scientia ordinis superioris potest habere universale objectum, quo complectatur res ordinis superioris, & inferioris. Sic mihi dubium non est, per fidem credi supernaturaliter non tantum supernaturalia, sed etiam naturalia. Potest etiam dici, Christo fuisse infusam du-

plicem scientiam, naturalem unam, alteram supernaturalem, ut diximus n. 543.

578. Ob. 4. Gratia est participatio Divinæ naturæ: ergo non potest clarè cognosci, non clarè cognita Divinæ naturæ: sed hæc non potest clarè cognosci extra visionem beatificam: ergo gratia non potest clarè cognosci per scientiam infusam. Confir. Saltem visio beatifica, quamvis sit aliquid creatum, non potest clarè cognosci per scientiam infusam: ergo. prob. ant. visio terminatur immediatè ad DEUM: ergo non potest clarè cognosci, non clarè cognita DEO. Resp. dist. ant. gratia est moralis aliqua participatio Divinæ naturæ. conc. ant. est participatio physica. neg. ant. & consequ. Quælibet creatura est aliqua moralis participatio essentiæ Divinæ, quatenus ab ea, tanquam causa physica, & exemplari, procedit, quamvis dein una majorem similitudinem habeat, quam alia: ad creaturam autem perfectè cognoscendam nullatenus est necesse, clarè cognoscere DEUM.

579. Ad confirm. Potest hæc quæstio fieri, vel de visionibus beatifica propria Christi, vel de visionibus aliorum Beatorum. Quod spectat ad istas, seu ad visiones aliorum Beatorum, humanitas, vel anima Christi, potest eas videre per species proprias: nec debet in ijs videri intuitivè, aut clarè DEUS, sed tantum abstractivè: sicut, si video imaginem perfectam Cæsaris, video in ea abstractivè Cæsarem. Nec dicas, illas visiones facere, ut intellectus videat DEUM; hoc enim tantum est verum de intellectu, quem informant, & formaliter reddunt videntem: non autem est etiam verum de intellectu illo, cuius sunt duntaxat objectum.

Quod autem spectat ad visionem propriam Christi, existimat Eximius tom. 1. in 3. p. disp. 27. sec. 3. §. Secundò quoad. eam potuisse à Christo cognosci per ipsammet, tanquam reflexam in se: quanquam autem sic anima Christi per suam visionem viderit etiam DEUM, non tamen istum vidit per eam, ut est reflexio in seipsam. Habet tamen hæc reflexio visionis in seipsam, si ipsamet visio in individuo perpetua sit, aliquam difficultatem præsertim, si etiam hæc perpetuitas reflexè videri deberet, de qua re vide n. 566. Sed quidquid de hoc sit, potuit anima Christi, sive ejus humanitas, etiam suam visionem videre per scientiam infusam; non enim debuit per eandem scientiam infusam in sua visione videre DEUM intuitivè, sed tantum abstractivè, prout modò diximus, potuisse per scientiam infusam videri visiones beatificas aliorum Beatorum, quin in ipsis debuerit intuitivè videri DEUS.

580. Ob. 5. Anima Christi per scientiam infusam non potuit cognoscere futura: ergo conclusio non subsistit. prob. ant. anima Christi non potuit futura per eam scientiam cognoscere obscurè, nec potuit, ea cognoscere clarè: ergo nullo modo potuit ea cognoscere. prob. 1. p. ant. si anima Christi potuisset futura cognoscere obscurè, potuisset etiam habere fidem: atqui fides non potuit dari.

dari in Christo: ergo. prob. etiam 2. p. ant. nondum existentia non possunt clarè, seu intuitivè cognosci à creatura: sed futura sunt nondum existentia: ergo. prob. ma. cognitio intuitiva debet fieri per species proprias: at qui anima Christi, et si fors habuerit infusas species proprias rei futuræ, quæ talis, non habuit, quæ talis, seu etiam ipsius futuritionis: ergo. prob. mi. non videtur explicabile, quomodo species futuritionis haberi possint, præsertim species negationis, quam includit futuritio: præcisè autem ratione specierum infusarum rei futuræ, quæ talis, non potest res cognosci ut futura; quia species illæ indifferenter representant objectum præteritum, præsens, & futurum: ergo. Sed neque etiam anima Christi potuit futura cognoscere per species alienas, seu abstractivè; quia cognitio abstractiva evidens (qualis sola Christo, etiam ut homini, convenit) non potest dari, nisi detur aliquod medium evidentè connextum cum re cognita: tale autem medium respectu futurorum ostendi non potest: ergo. Hæc objectio eandem etiam habet difficultatem in reliquis Beatis, quomodo scilicet isti cognoscant aliqua futura, quæ non vident in visione beatifica, ut jam notatum n. 571.

581. Rem hanc fusè examinat Suarez tom. 1. in 3. p. disp. 27. sec. 2. §. Solùm ergo superest. & seq. Et in primis §. Hac difficultas. assert. Cajetanum, qui videtur dicere, quòd Christus ut homo cognoscat, vel intueatur futura contingentia in se ipsis, cum suis durationibus, sicut scilicet DEUS ea cognoscat, de quo fusè tract. de DEO n. 354. Et Suarez quidem sec. cit. §. Et hic modus dicendi. ait, non posse directè probari, hunc modum cognoscendi esse impossibilem creaturæ. Quia tamen hic ipse modus cognoscendi est tam altus, ut mens humana eum non capiat, sed tantum credat, propter infinitam vim intellectus Divini, non videtur hic modus cognoscendi competere intellectui creato.

Meliùs igitur videtur dici, per hanc scientiam infusam videri futura tantum abstractivè: ad quam visionem, vel cognitionem, præter species rerum (quæ solæ potius ferunt ad apprehensionem, quam ad iudicium) necessarium est aliud adhuc medium, quod res futuras evidentè ostendat: hoc autem non potest esse causa; quia hæc est indifferens: aliud autem non suppetit præter aliquam revelationem Divinam, evidentem per lumen scientiæ infusæ manifestatam: sicut diximus n. 571. Beatos futura videre: & hoc etiam modo ostenduntur futura lumine prophetico: adeoque videtur talis revelatio esse respectu Christi, & Beatorum admittenda.

582. Dices 1. Cognitio per revelationem DEL non visâ auctoritate revelantis, est actus fidei: sed hic locum non habet in Christo, aut Beatis: ergo. Nec dici potest, fidem non stare cum revelatione evidenti; nam, ut

dictum, in tract. de virt. Theol. n. 459. fides stat cum evidentia in attestante. Resp. neg. suppositum ma. nam in nostro casu Christus, & Beati vident auctoritatem revelantis per visionem beatificam, quamquam tam non videant per scientiam infusam: actus fidei autem debet niti auctoritate dicentis, nullo modo visâ: & hoc vel ideo, quòd omnes supponant, non stare fidem cum visione beatifica. Nec hoc est tantum aliquod extrinsecum actui, sed est eatenus saltem intrinsecum, quatenus ipsum privat suo objecto, scilicet auctoritate non visâ: sicut possessio rei per unum actum excludit actum spei etiam per alium; quia non habetur amplius objectum cum ea conditione, cum qua requiritur ad spem.

Verbo: requiritur ad fidem præviâ apprehensio auctoritatis, non visæ per ullum actum, seu ullam visionem (sicut scilicet ad spem requiritur, bonum non esse possessum, etiam per ullum actum) aliis non habetur obscuritas requisita ad fidem, ut dictum n. 465. & 469. de virt. Theol. hoc autem non invenitur in actibus Christi, aut Beatorum. Quod attinet ad evidentiam in attestante, ea nunquam debet esse clara visio DEI loquentis, sed alia evidentia inferior.

583. Dices 2. Non potest esse evidens, DEUM loqui, quin DEUS clarè videatur. Resp. neg. illat. In humanis etiam possum cognoscere vocem alicujus, quin eum videam, si scilicet sæpius antea eum audivi, & assuevi illius sono: & potest urique DEUS, quin se intuitivè ostendat, vel species evidentes rei cujuscunque infundere, simulque intellectum movere, ut utatur ijs speciebus, ad formandum talem conceptum: vel etiam potest immediatè ipse supplere defectum speciei, & cum intellectu producere talem conceptum: hoc autem est loqui; nam sic DEUS loquitur Angelis. Ut autem hæc locutio cognoscatur esse locutio DEI, potest DEUS insuper dare animæ lumen supernaturale, ut quidditivè intueatur, & cognoscat, quæ, & qualis sit ista locutio; quo posito, anima intelligit evidentè, illam locutionem esse talis rationis, ut non possit non esse à DEO immutante intellectum: sicut, si quis videret supernaturaliter quidditivè, & intuitivè habitum fidei, videret, eum esse supernaturalem, nec ab alio, quam à DEO potuisse infundi.

Sicut autem dictum est, quòd Christus cognoscat per scientiam infusam futura, ita etiam dicendum, quòd cognoscat præterita, maxime ea, quæ priùs non cognovit præsentia, ita, ut non habeat defecto species rememorativas de illis; tunc enim ea potest etiam cognoscere per tales revelationes, sicut potest cognoscere futura; sunt enim quoad hoc similia; cum præterita tam parùm habeant existentiam de præsentia, quam parùm eam habent futura.

QUÆSTIO II.

De Voluntate Creatæ Christi Domini.

ARTICULUS I.

An, & à qua Forma Substantiali sanctificetur Voluntas Creatæ, seu Humanitas Christi Domini.

584. Diximus jam plura de voluntate creatæ Christi Domini, nempe eam esse distinctam à voluntate Divina n. 533. eam non fuisse contrariam voluntati Divinæ n. 537. eam fuisse impeccabilem n. 415. & seq. fuisse tamen liberam n. 427. etiam ad moriendum n. 429. item ad actum minùs perfectum præperfectiori n. 449. non tamen ad implenda præcepta naturalia, saltem quoad eorum substantialiam n. 442. Restat modò maxime quærendum, à qua tandem forma fuerit voluntas creatæ Christi, seu ejus sanctissima humanitas, sanctificata. Dico voluntas creatæ, vel humanitas; nam non hic quæritur de Christo in concreto, de quo dubium utique esse non potest, fuisse sanctum ab ipso conceptionis instanti, & quidem sanctitate Divina infinite sanctum.

Quæritur autem, an humanitas Christi fuerit sanctificata à Verbo, vel natura Divina, tanquam à quasi forma, vel ab unione hypostatica, tanquam à vera forma: & quidem quæritur, an ab his humanitas Christi fuerit sanctificata substantialiter; cum natura Divina, & unio sint substantiales: & de his agemus articulo præsentis: articulo autem sequenti agemus de forma accidentaliter sanctificante, seu de gratia habituali, & quæremus, an ista etiam fuerit in humanitate Christi.

585. Dico 1. Humanitas Christi verè sanctificatur per sanctitatem increatam Verbi, ita communiter Thomistæ, & nostri cum Suarez tom. 1. in 3. p. disp. 18. sec. 1. contra Scotistas. Prob. conclusio omnibus illis testimoniiis S. Scripturæ, quibus Christus dicitur unctus. sic dicitur psal. 44. v. 8. Unxit te DEUS, DEUS tuus, oleo lætitiæ præconfortibus tuis. & Isa. 61. v. 1. Spiritus Domini super me, eoquod unxerit Dominus me: quod testimonium de se ipso legit Christus Dominus ex Ilaia in synagoga Nazarethana, ut habetur Luc. 4. v. 18. item Daniel. 9. v. 24. Et ungetur Sanctus Sanctorum. & Actor. 4. v. 27. Convenerunt enim verè in civitate ista adversus sanctum puerum tuum JESUM, quem unxisti. item Actor. 10. v. 38. Unxit eum DEUS Spiritu Sancto, & virtute: quos textus SS. Patres explicant de unctioe per Divinitatem, seu per Verbum, per cujus unionem humanitas sanctificatur.

Sic S. Cyrillus Alexandrinus in declaratione. 12. cap. seu anathematism. ad anathem. 7. ait: Ipsum itaque unigenitum DEI Verbum caro factus Christus vocatum est: Christum autem significat idem, ac unctus.

Idem l. de recta fide ad Theodosium sub finem. de Verbo, seu Filio DEI ait: Factus secundum carnem, & humanitatem, in novissimis sæculi temporibus, & inunctus à DEO Patre, in hunc mundum Apostolus; nominatus enim est, non alterius rei gratiâ, sed propter hoc Christus &c. S. Augustinus l. 15. de Trinit. c. 26. ait: Ista mystica, & invisibili unctioe, tunc intelligendus est unctus, quando Verbum DEI caro factum est, id est, quando humana natura, sine ullis præcedentibus bonorum operum meritis, DEI Verbo est in utero Virginis copulata. S. Anselmus in cap. 1. ad Hebræos in illa verba v. 9. Propterea unxit te DEUS. ait: Ibi ab eodem Spiritu unctus est, ubi conceptus. Nec antè conceptus, & postmodum unctus est: sed hoc ipsum de Spiritu Sancto, & carne Virginis concipi, à Spiritu Sancto ungi fuit: quæ verba sumpta sunt ex S. Gregorio l. 9. regist. epist. 61.

S. Hilarius Pictaviensis. l. 7. de Trinitate post medium, explicans illud Christi Domini dictum Joan. 10. v. 36. Quem Pater sanctificavit &c. pluribus probat, Christum Dominum ibi ostendisse, se jure præ aliis, qui in lege, seu in Sacra Scriptura, Dii vocantur, DEUM dicendum esse: Per id, quòd sanctificatus est in Filium: hoc est, per illam sanctificationem, per quam constitutus est Filius DEI, quæ est ipsa filiatio: adeoque hæc est aliqua sanctitas increata, sanctificans humanitatem, & hanc assumens ad Personam Filii DEI. Plures textus SS. Patrum vide apud Suarez tom. 1. in 3. p. disp. 18. sect. 1. præsertim §. Dico ergo primò. & §. Dicit aliquis

586. Nec dicas 1. SS. Patres tantum loqui in sensu causali, sive, quòd unita Divinitas fuerit causa, & radix sanctificationis, non autem formalis unctio, aut sanctificatio; nam sic planè eorum verba detorqueantur in sensum improprium: certè tam clarè indicant Patres causam formalem, ut non videantur potuisse clarioribus terminis hanc suam mentem exprimere; cum expressè dicant, per ipsam unionem cum Divina natura fieri Christum, seu unctum:

Nec dicas 2. hæc testimonia Scripturæ, & SS. Patrum, intelligenda esse ita, ut humanitas Christi uncta sit, non ut per unctioe illam sit sancta, sed tantum, ut per eam sit excellens, & maxima dignitate acta, atque aded, saltem in complexo cum Verbo, adorabilis cultu patriæ; contra enim est. Per unctioe juxta phrasin Scripturæ intelligitur sanctitas: & per unctum intelligitur sanctus. Sic illud Daniel. 9. v. 24. Et ungetur sanctus sanctorum. & illud 1. Joan. 2. v. 20. Vos unctioe habetis à sancto communissimè exponitur de Sancto, & sanctitate.

587. Prob. conclus. 2. Plura Concilia, & Patres docent, humanitatem Christi esse à Deitate, seu natura Divina Deificatam; sic enim loquitur Synodus VI. Constantinopolitana celebrata actione 17. in definitione fidei: Quemadmodum enim sanctissima, atque immaculata, anima ejus caro deificata est:

quæ ipsissima verba repetit Concilium Florentinum *sess. ultim. in Decreto Eugenii pro Armenis*: ergo caro Christi animata, sive ejus humana natura, à Divinitate sanctificata est. prob. conseq. Deificari est fieri incompossibile cum peccato, habere jus ad hæreditatem beatitudinis æternæ, esse amicum DEI &c. hæc autem formaliter idem sunt, ac sanctificari: ergo.

Confir. 1. Sanctitas increata, seu Verbum, constituit Christum naturalem Filium DEI, ita, ut neque quæ homo sit tantum filius adoptivus: ergo perfectius sanctificat humanitatem, quam gratia habitualis, quæ sanctificat ideo; quia constituit filium adoptivum DEI. Confir. 2. Sanctitas increata est unita humanitati Christi: & ista est capax, ut denominetur sancta: ergo hæc ab illa accipit hanc denominationem.

Confir. 3. Sanctitas increata, unita humanitati Christi, facit, ut ista humanitas summè diligatur à DEO: item nullam patitur in humanitate peccati maculam: rursus ratione illius humanitati debentur omnes supernaturales perfectiones, conducentes ad vitam beatam, & rectè operandum: quin etiam propter sanctitatem illam, ut sibi unitam, humanitas Christi habet jus ad gloriam supernam: ulterius ista sanctitas est incomparabiliter major participatio naturæ Divinæ, quam sit gratia habitualis accidentalis: & tamen gratia habitualis, unita animæ humanæ, ideo istam sanctificat; quia est aliquo modo, licet longè inferiore, participatio naturæ Divinæ, & præstat animæ suo modo dictos effectus: ergo multò magis sanctitas increata sanctificat, & quidem formalissimè, humanitatem Christi.

Alia hic posset fieri quæstio, an ipsa personalitas Verbi, ut virtualiter distincta à natura Divina, humanitatem sanctificet: sed de hac re, quantum sufficit, dictum est in *tract. de DEO n. 819.* in objectionibus contra nostram ibi statutam assertionem, qua dicebamus, quòd personalitates Divinæ non sint perfectiones virtualiter distinctæ ab essentia: ubi etiam diximus, personalitatem non esse aliam, aut diversam sanctitatem, à sanctitate essentiali naturæ.

588. Dico 2. Ipsa etiam unio hypostatica sanctificat humanitatem Christi; non tantum ut quo, sed etiam ut quod: hoc est: unio non tantum est nexus sanctitatis increatæ (sicut unio albedinis est tantum nexus istius, & non propriè dealbat, tanquam aliqua albedo) sed ipsa unio etiam est aliqua sanctitas, seu forma, ratione sui denominans Christum sanctum. ita Suarez *tom. 1. in 3. p. disp. 18. sec. 1. §. Quod ita declaro.* ubi ait: *illa unio præcisè per seipsam reddit illam naturam humanam Christi maximè DEO gratiam, & dilectam*: & tandem concludit: *ergo verissimum est, hunc hominem constitui justum, & sanctum formaliter ex seipso gratia unionis.* item Gormaz. de

incarnat. n. 901 Aldrete, Amicus, & Bernal, ac alii.

Prob. Unio hypostatica est in se ipsa supernaturalis, longè perfectior gratia habituali, & major conjunctio cum DEO, adeoque major moraliter participatio naturæ Divinæ, & non tantum vinculum majoris participationis: insuper est radix aliqua exigitiva virtutum, & habituum supernorum: est incompossibilis cum peccato &c. quæ *locitato* profequitur Eximius: ergo est sanctitas formalis: cumque sit vel maximè unita humanitati per se ipsam, & humanitas possit recipere denominationem sanctæ, utique eam huic tribuit. Confir. 1. Teste Amico apud Gormaz *de incarnat. n. 903.* SS. Patres non rarò tribuunt rationem sanctificandi ipsi unioni hypostaticæ: ergo. Confir. 2. Unioni hypostaticæ (quia intrinsicè constituit Christum) non debet negari perfectio, quæ potest ei tribui, consentaneè cum principiis fidei, & Theologiæ: sed perfectio formalis sanctitatis potest ei tribui consentaneè cum principiis fidei, & Theologiæ: ergo.

ARTICULUS II.

Solvuntur Objectiones.

589. **O** B. I. contra I. conclus. Nullum prædicatum increatum, seu Divinum, potest tribuere creaturæ aliquam denominationem ut quo: ergo nullum potest denominare humanitatem, sed tantum constituere sanctum compositum totum, quod est Christus. Confir. Effectus unius formæ non potest tribui per aliam: ergo denominatio sancti, qua in creatura habetur per gratiam habituales, non potest tribui ab aliquo increato. Resp. 1. neg. suppositum; quia sanctitas increata potius tribuit denominationem sancti, vel sanctæ ut quod; quia non est tantum unio, vel nexus sanctitatis, sed est ipsa formalis sanctitas, seu quasi forma denominans humanitatem sanctam: hoc autem est tribuere denominationem ut quod.

Ad evitandam tamen hanc quæstionem de nomine, quæro, quid intelligatur per *denominare ut quo*. Si intelligitur ita denominare, ut simul sit nexus sui cum creatura. conc. ant. nam *n. 184.* diximus, ad unicum Verbum necessariam fuisse unionem aliquam modalem. Si intelligitur tantum denominare ita, ut sit forma, vel potius quasi forma, neg. ant. certè est innegabile, quòd Verbum denominet humanitatem subsistentem: consequenter, quòd tribuat aliquam denominationem tanquam quasi forma. Si intelligitur, quòd aliquid increatum non possit denominare subjectum, vel quasi subjectum, quod non constituit intrinsicè, iterum negatur ant. nam e.g. sicut albedo non constituit hominem, qui est ejus subjectum & tamen eum denominat

album: ita etiam Verbum, seu aliud prædicatum Divinum, quamvis non constituat humanitatem, (quæ est quasi subjectum) tamen potest istam denominare sanctam.

Certè Verbum denominat subsistentem, non tantum Christum, quem constituit, sed etiam ejus humanitatem, quam non constituit; nam omnes debent admittere, quòd humanitas subsistat in Verbo. Aliud est, quòd Verbum non faciat, simpliciter loquendo, personam humanam; quia ad hoc requireretur, ut humanitas esset sui juris, & per se subsisteret. in forma dist. juxta modò dicta antec. & neg. conf. Ad confir. dist. ant. effectus unius formæ non potest tribui per aliam, si effectus sit singularis, ac omnino huic formæ annexus. conc. antec. si effectus sit tantum genericus, neg. antec. & conseq. Certè albedo, & nigredo, possunt denominare *coloratum*: & anima rationalis, & irrationalis, potest denominare *sensitivum*: adeoque etiam increata, & creata sanctitas, possunt denominare humanitatem sanctam.

590. Ob. 2. Verbum, aut natura Divina, si assumpisset naturam irrationalem, eam non sanctificasset, ut diximus *n. 245.* ergo neque sanctificat humanitatem. Resp. retorqueo argum. in gratia habituali, quæ etiam naturam irrationalem non sanctificasset, etiam si ei infusa fuisset: dein neg. conseq. rationem jam dedimus *n. cit.* quia scilicet natura illa non fuisset capax hujus denominationis, seu, ut dicitur sancta, in eo sensu, in quo hic sumitur sanctitas. At si tantum intelligatur sanctitas in alio sensu, prout dicuntur sancta vasa, sancta crux, id est, veneratione digna: in hoc sensu talis natura irrationalis assumpta utique denominaretur sancta. vide *n. 245.*

591. Ob. 4. Sanctitas increata non potest humanitatem sanctificare infinite, neque finite: ergo nullo modo. prob. antec. non potest eam sanctificare infinite; quia subjectum finitum non est capax formæ, aut denominationis infinite: non finite; quia forma infinita non potest habere effectum, nisi infinitum: ergo. Confir. Formæ accidentales tribuunt subjecto totum effectum formalem, quem continent: ergo etiam forma, vel quasi forma substantialis, deberet tribuere totum effectum, quem continet: adeoque forma, seu quasi forma infinita, deberet tribuere subjecto effectum infinitum: sed hunc non potest tribuere: ergo nullum.

Resp. neg. antec. & dico, quòd sanctitas increata Christum quidem in concreto sanctificet infinite; quia per identitatem eum constituit: at verò humanitatem in abstracto, quam non constituit, sed cui tantum unitur, sanctificet finite; unde ad prob. secundæ partis neg. antec. Sicut omnipotentia Divina, quamvis infinita, habet effectum tantum finitum, ita etiam sanctitas respectu illius subjecti, quod non constituit, sed cui dantur unitur, potest habere effectum tantum finitum, sive potest ei tribue-

re denominationem tantum finitam; nam, cum ipsa unio, in qua stat ratio communicandi sanctitatem increatam humanitati, tantum finita sit, etiam ipsa sanctitas, quamvis in se infinita, finito tantum modo communicatur. Sic etiam eadem displicentia DEI, quæ est actus voluntatis Divinæ infinitus, magis denominat displicentem culpam mortalem, quam tantum venialem, vel imperfectionem moralem; quia scilicet unam magis afficit, quam alteram, seu communicatur, ut ita loquar, juxta capacitatem subjecti.

Ad confir. neg. conseq. Formæ accidentales magis sunt propter substantiam, quam propter se, & plerumque magis perficiunt subjectum, quam seipsas. Sic gratia habitualis facit subjectum amicum DEO, non autem seipsam: & visio beatifica facit, non se, sed alium beatum. At verò formæ substantiales sunt propter seipsas, & non tantum gratiæ subjecti; unde possunt magis perficere, formaliter loquendo, seipsas, quam alia. Sic anima rationalis non omnes perfectiones communicat subjecto; non enim facit corpus spirituale, nec tam perfecte vivens, ac vivit ipsa: quæ multò magis vera sunt de DEO, qui utique magis est gratiæ sui quam creaturarum.

592. Ob. 4. Natura Divina ut contradistincta à personalitate, seu sanctitas increata essentialis, non unitur realiter, & propriè humanitati: ergo non sanctificat eam. Resp. dist. antec. natura Divina non unitur immediate, & ratione sui. conc. antec. non unitur mediatè. neg. antec. & conseq. Distinctio virtualis, personalitatis à natura, non tollit realem identitatem inter ipsas, sed potius eam supponit, aut includit: cumque natura aliunde non sit incapax hujus denominationis, potest ratione hujus identitatis realis, dici mediatè unita: & ita loquuntur SS. Patres, ut diximus *n. 210.* ad sanctificationem autem sufficit unio mediata.

Dices 1. Anima non denominatur alba, vel longa, aut quanta, ab accidentibus ei mediatè unitis: ergo neque humanitas denominatur sancta à sanctitate increata, mediatè tantum unita. Resp. neg. conf. Quòd anima non denominetur alba &c. ratio non est defectus unionis immediate, sed defectus capacitatis in anima ad hanc denominationem; anima enim non est capax hujus denominationis purè materialis: & hinc, si albedo etiam esset immediate unita animæ, tamen eam non denominaret albam: at verò, si subjectum sit capax denominationis, sufficit unio mediata. Sic in sententia eorum, qui potentias distinguunt ab anima, accidentia spiritalia, quæ recipiuntur juxta eam opinionem immediate in potentiis, tamen denominant animam. Quod si etiam illa unio mediata accidentium non sufficeret, ad dandam denominationem, tamen sufficeret unio mediata naturæ Divinæ; nam hæc unio est tantum mediata, ratione mediantis distinctionis virtualis, quæ est ipsissima

*A*ima realis identitas: at unio accidentium est mediata, ratione mediantis distinctionis realis, quæ est longè major. Et certè, cum SS. Patres recurrant ad naturam Divinam, quando agunt de sanctificatione Christi, debet ista unio mediata naturæ Divinæ cum humana juxta ipsos sufficere, ad sanctificandam Christi humanitatem.

593. Dices 2. Si uniretur subsistentia Angeli sancti, e.g. S. Michaëlis, alicui humanitati, hæc non sanctificaretur per illam: ergo neque humanitas sanctificatur per subsistentiam Verbi. Ità Lugo apud Gormaz de *incarn. n. 896.* sed ipse Gormaz *ibidem* ait, hunc casum esse impossibile: & reverà impossibile est; quia Angeli subsistentia etiam stat in negatione, ut subsistentia hominis, adeoque Angelus secundum subsistentiam homini uniri non potest: sitamen, sive per possibile, sive per impossibile, uniretur subsistentia, vel natura Angeli sancti, cum natura humana, non propterea sequeretur, debere naturam humanam sanctificari à sanctitate Angeli.

Ratio est. Angelus (ut rectè observat Suarez *tom. 1. in 3. p. disp. 18. sec. 1. §. Dices. Etiam si humana natura.*) non est sanctus per suam naturam; unde, licet uniretur humanitati ea natura, non uniretur ipsi sanctitas, nec mediata, eo modo, quo unitur sanctitas increata humanitati Christi, nempe mediante tantum distinctione virtuali, & existente identitate reali; non enim sanctitas Angeli est realiter identificata ejus naturæ, & tantum virtualiter distincta; unde est lata disparitas. Neque nos dicimus, sufficere quamlibet unionem mediatam: sed tantum loquimur de unione mediata, ratione mediantis distinctionis virtualis, cum identitate reali, qualis datur inter naturam Divinam, & humanam Christi. Addo, quosdam, ut Aldrete, Bernal, & Martinum Perez apud Gormaz *loco modo citato* negare assumptum Lugonis.

594. Ob. 5. Si humanitas redderetur sancta ab essentia Divina, seu natura, etiam redderetur omnipotens, & immensa, ac æterna, imò omniscia: sed hoc est falsum; cum fides doceat, humanitatem Christi non esse æternam, nec ubique &c. ergo. Resp. neg. ma. Sæpe diximus, ad denominationem non requiri tantum formam unitam, sed etiam capacitatem subiecti: at natura humana non est capax istarum denominationum (de qua re vide *in tract. de DEO. n. 790. & 800.*) capacitas enim ad has denominationes omnipotentis, omniscij &c. requirit non tantum, ut subiectum, vel quasi subiectum, possit illis formis, seu quasi formis, uniri, sed ut possit ijs identificari, & actu identificetur: neque istæ perfectiones, prædicata, vel attributa DEI, omnipotentia, omniscientia &c. possunt suas denominationes tribuere ad extra.

Unde in DEO aliqua prædicata tantum possunt denominare ad intrà, ut omnipotentia, aeternitas &c. alia verò etiam possunt denominare ad extrà. Sic est de fide, quod sub-

sistentia Divina denominet ad extrà naturam humanam subsistentem: & certè ab excellentia DEI, unita humanitati, denominatur etiam humanitas excellens, quamquam excellentia minore; hoc enim est lumine naturæ clarum; quare ab una specie talium prædicatum non potest argui ad alteram.

595. Quænam autem prædicata Divina possint denominare ad extrà, quænam tantum ad intrà, partim inferendum est ex principis fidei, partim ex ratione naturali. Ex fide discimus, Christi humanitatem non esse redditam immensam, impassibilem, immortalem, immutabilem: ergo ea prædicata Divina non denominant ad extrà; aliàs humanitatem hanc intimè unitam denominarent. Ex fide, & ratione colligimus, non posse denominare ad extrà aeternitatem, omnipotentiam, & æternitatem, itemque intelligentiam Divinam; nam esse à se, est non esse creaturam, sed DEUM; aeternitas enim est metaphysica essentia Deitatis. Similiter esse omnipotentem est omnia posse producere: atqui humanitas producta, sicut quælibet alia res producta, saltem non potuit producere se ipsam, adeoque non omnia: consequenter nulla res producta potest esse, aut denominari omnipotens.

Ulterius, esse æternum est coexistere omni durationi, & non posse dari durationem, cui ipsum non coexistat: at hæc denominatio certè non haberet per unionem cum æterno; nam certè datæ sunt multæ durationes, quibus non coexistit humanitas Christi, quamvis fuerit unita personalitati æternæ, & DEO æterno, ut fides docet. Quod attinet ad intelligentiam Divinam, cum eam actus vitalis, adeoque immanens, non denominat intelligentem, nisi eum, qui per illam vivit, & cui ex intrinsicis suis petit immanere: atqui creatura non potest vivere per vitam DEI, nec actio vitalis DEI exigit immanere creaturæ: ergo. Nihil autem simile opponi potest sanctitati Divinæ, ne humanitatem ad extrà denominet sanctam: sicut nihil potest opponi subsistentiæ Divinæ, ne ad extra denominet subsistentem, aut excellentiæ Divinæ, ne ad extrà denominet excellentem, aut dignam cultu, & veneratione eandem humanitatem.

596. Ob. 6. contra 2. conclus. Unio hypostatica cum natura irrationali non fuit sanctitas: ergo nec unio cum natura rationali. prob. conseq. omnis perfectio unionis etiam tunc haberetur ab altero termino, scilicet à Verbo, quod æquè adesset: atqui tunc non haberetur sanctitas; quia non posset sanctificari natura irrationalis: ergo sanctitas non est perfectio unionis. Confirm. Unio hypostatica se habet tantum ut quo: ergo non est sanctitas ut quod, sed tantum ut quo, sive est nexus sanctitatis. Resp. conc. ant. neg. conseq. ad prob. dist. ma. omnis perfectio unionis cum natura irrationali etiam tunc haberetur. om. ma. omnis perfectio unionis cum natura rationali. neg. ma. & conc. mi. dist. conseq. sanctitas non est per-

An, & à qua Forma Substantiali sanctificetur Voluntas Creata, seu Humanitas &c. 175

perfectio unionis hypostaticæ cum natura irrationali. conc. conseq. unionis cum natura rationali. neg. conseq.

597. In illo casu esset illa unio alterius speciei, & non esset sanctitas. Ratio est; quia sanctitas creata debet posse subiectum suum connaturale sanctificare; omnis enim forma creata exigit, subiecto suo connaturali, tribuere denominationem: & sic etiam gratia sanctificans exigit subiectum suum connaturale sanctificare: si autem gratia, sive per possibile, sive per impossibile, uniretur naturæ irrationali, eam quidem non sanctificaret: at talis natura non esset subiectum connaturale gratiæ. Econtra natura irrationalis esset subiectum connaturale, imò essentialiter requisitum illius unionis hypostaticæ, unientis illam naturam DEO, & ista unio esset essentialiter affixa naturæ irrationali, & tamen non posset eam sanctificare; quia natura illa est incapax sanctitatis: ergo non posset esse sanctitas: & hinc ista unio etiam non posset tribuere jus ad gloriam, aut ad amicitiam DEI. Quamvis igitur etiam in hoc casu unus terminus esset Verbum, quia tamen alter terminus excluderet eam denominationem, illa unio non esset sanctitas, saltem talis, qualem hinc intelligimus: quamvis esset sanctitas aliqua qualiscunque Deificationis, seu dignitatis, exigens specialem cultum, ut explicatum *n. 245. & 590.*

Ad confirm. neg. ant. Unio hypostatica habet se ut quod, & ut quo, respectu diversarum denominationum, quod non est impossibile; sicut enim unio naturalis inter animam, & corpus Christi, habet se ut quo, respectu animæ, & corporis, quæ unit: & habet se ut quod, respectu unionis partialis hypostaticæ, quæ ipsam necit cum Verbo, ut dictum *n. 192.* & sicut etiam actiones vitales, quæ probabiliter per se ipsas ununtur viventibus, quatenus sunt unio sui ipsarum, habent se ut quo: quatenus autem denominant, e.g. videntem, audientem, habent se ut quod: ita etiam ipsa unio hypostatica, quatenus unit Verbum cum humanitate, habet se ut quo: quatenus autem est moralis participatio Divinæ naturæ, & sanctitas, habet se ut quod.

598. Ob. 7. Unio albedinis non est participatio albedinis: ergo neque unio naturæ Divinæ est participatio ejusdem. Confir. 1. Unio gratiæ, seu sanctitatis accidentalis, non est sanctitas: ergo neque unio Verbi, seu sanctitatis substantialis increatæ, erit sanctitas. Confirm. 2. Actio productiva unionis hypostaticæ non est sanctitas ut quod: ergo neque ipsa unio. prob. conseq. ideo actio non est sanctitas ut quod; quia tantum est participatio naturæ Divinæ eatenus, quatenus terminus, ab ea actione productus, participat naturam Divinam, & sic tantum se habet ut quod: sed ita quoque se habet ipsa unio hypostatica: ergo. Resp. neg. cons. Licet unioni accidentis, quæ est valde imperfecta, non debeat concedi prædicatum aliud, quam, quod sit nexus, non sequitur, quod etiam unioni personalitatis Divinæ, quæ est perfectissima, non possit, aut debeat, præter prædicatum.

unientis, seu nexus, tribui etiam aliud, scilicet participationis naturæ Divinæ: præterquam quod satis probatum sit *n. 588.* unioni hypostaticæ prædicatum istud convenire: econtra nulla ratione probari possit, quod unioni albedinis conveniat prædicatum de albantibus; cum non sit color, nec diffragativa visus.

599. Ad 1. confirm. conc. ant. neg. conseq. Gratia sanctificans non est Divina natura; quare ejus unio, vel etiam actio productiva, non est participatio naturæ Divinæ: sed tantum participatio participationis. Neque ea unio est tam perfecta, sicut unio hypostatica, ut ei ratione perfectionis tribui debeat hoc prædicatum: nec etiam ex alia ratione probatur, ei istud convenire. Ad 2. confirm. neg. conseq. ad prob. in primis mi. est falsa; nam unio hypostatica immediate participat naturam Divinam: at verò, sicut actio productiva, vel unio gratiæ accidentalis (ut modò dictum) tantum est participatio participationis naturæ Divinæ, ita etiam actio productiva unionis hypostaticæ, immediate tantum est participatio participationis naturæ Divinæ; nam unio hypostatica non est natura Divina. Dein negari potest etiam ma. non enim ideo solum illa actio non est sanctitas, sed etiam propterea; quia illa actio non constituit Christum; unde non debet ei tanta perfectio concedi, quanta conceditur ipsi unioni hypostaticæ, quæ constituit Christum, qua de causa hæc perfectio, vel hoc prædicatum, ei congruentissime tribui-

ARTICULUS III.

Quam Gratiam Habitualement habuerit Christus, & B. Virgo.

600. **Q**uestio hæc est de gratia creata, accidentali, habituali, & sanctificante; nam agimus de formis sanctificantibus Christum: qui cupit scire, an Christus etiam habuerit gratias actuales, in ordine ad actus supernaturales eliciendos, adeat Suarezium *tom. 1. in 3. p. disp. 18. sec. 4.* ubi *§. Dico ergo primò,* ait, gratias actuales æquæ Christo fuisse necessarias, accommodatas tamen statui, in quo versabatur; cum Verbum unitum non præstitit specialem influxum in operationes Christi, in abstracto sumptas. Addit tamen *§. Dico secundò,* visionem beatificam, & amorem beatificum, potuisse hæc officia præstare. Ulterius *sub finem sectionis citatæ* ait, auxilia ista, quamvis non sint debita puro homini, tamen Christo, ratione unionis, ita fuisse debita, ut nec de aboluta potentia potuerint ei negari. Verum, ut dixi, de his gratis non loquimur: sed de gratia habituali, seu sanctificante: & de hac quarimus, an etiam sanctificaverit humanitatem Christi; licet hæc jam pro priori fuerit sanctificata per sanctitatem increatam.

601. Dico 1. Humanitas Christi etiam sanctificata est per gratiam habitualement, seu accidentalem. ita teste Suarez *tom. 1. in 3. p. disp.*

disp. 18. sec. 2. §. Dico primò. omnes, adeò, ut ipse Eximius ibidem §. Dico secundò. dicat, se putare, hanc sententiam esse secundum fidem certam. Prob. 1. *Isa. 61. v. 1.* dicitur: Spiritus Domini super me; eoque unxit Dominus me: quæ verba de se exposuit Christus *Luc. 4. v. 21.* & juxta communem, ut ait Gormaz de incarnat. n. 928. exponuntur, quòd ideo Spiritus S. habitet in Christo per gratiam habitualem; eoque unctus sit, sive unione hypostatica sanctificationis. Imò Suarez modo cit. §. Dico primò. docet, plures textus, dicentes, Christum unctum fuisse, non tantum velle, eum fuisse unctum Divinitate, sed etiam gratia creata accidentali.

Idem docent SS. Patres. S. Hieronymus in c. 3. *Habacuc v. 13.* Egressus es in salutem populi tui, in salutem cum Christo tuo: sic ait: Super omnia unguentorum genera est unguentum spirituale, quod vocatur oleum exultationis, quo ungitur Salvator, & dicitur ad eum: Propterea unxit te DEUS, DEUS tuus, oleo exultationis præ participibus tuis. Participes autem eos puto, ad quos loquitur & Joannes: Et vos unguentum habetis à Sancto. . . . Ac, ne forte, qui chrisma baptismi perdidierunt, æspèrent de chrismate reparando &c. ergo hic S. Doctor sentit, quòd olei exultationis, quo Salvator unctus fuit, participes etiam sint homines, ejusque unctio detur in baptismo: ergo Christus habuit gratiam accidentalem, cujus participes fiunt homines in baptismo: qui sensus adhuc magis patebit legenti totum contextum.

Idem S. Doctor in illud *Isa. 61. v. 1.* Spiritus Domini super me; eoque unxit Dominus me (ubi etiam adducit illud *Psal. 44. v. 8.* Propterea unxit te DEUS, DEUS tuus, præ consortibus tuis) sic scribit: Et quia erat unctio spiritualis. . . . idcirco præ consortibus, id est, cæteris Sanctis, unctus esse memoratur: ergo supponit, eadem unctio etiam confortes, seu cæteros Sanctos, unctos fuisse: atqui isti sunt tantum uncti gratia habituali: ergo etiam ista unctus est Christus. S. Bernardus homil. 4. super Missus. ante medium ait: Quod Virgo genuit, sanctum procul dubio, ac singulariter sanctum fuit, & per Spiritus sanctificationem, & per Verbi assumptionem: ergo per duplicem rationem sanctificationis, scilicet creatam, & incretam.

602. Probatur conclusio 2. Anima Christi operata est actiones supernaturales modo convenientissimo, seu ut instructa habitibus supernaturalibus: sed isti habitus supponunt tanquam radicem, & quasi naturam, gratiam sanctificantem, ut hic suppono: ergo. Confirmatur 1. Christus est caput Angelorum, & hominum: ergo habuit aliquam naturam communem cum Angelis, & hominibus: atqui nulla datur communis cum Angelis, nisi gratia sanctificans, quæ est quasi natura in ordine superno (de quo vide plura tract. de grat. à n. 263.) ergo. prob. conf. ex S. Augustino, qui videtur supponere, ad rationem capitis spectare communionem, vel convenientiam aliquam naturæ; nam tr. 90. in Joann. sic scribit: Ubi se dicit Domi-

nus vitem, & discipulos suos palmites, cum hoc dicit, quod est caput Ecclesie, nos, que membra ejus, mediator DEI, & hominum, homo Christus JESUS; unius quippe natura sunt vitis, & palmites: propter quod, cum esset DEUS, cujus natura non sumus, factus est homo, ut in illo esset vitis humana natura, cujus & nos homines palmites esse possemus.

603. Dico 2. Gratia habitualis in Christo fuit ejusdem speciei cum nostra. ita Suarez tom. 1. in 3. p. disp. 18. sec. 2. §. Ex quibus colligo. Gormaz de incarnat. n. 942. cum pluribus aliis nostris: & Gonetus tom. 4. p. 3. clypei tr. 1. de incarnat. disp. 12. n. 1. n. 27. cum pluribus Thomistis. Probatur. Christus Joann. 15. v. 5. dicit: Ego sum vitis, vos palmites: ex quo infert S. Augustinus, num. præced. citatus, vitem esse unius naturæ cum palmitibus: & hinc Christum esse hominem, ut sit unius naturæ nobiscum: atqui etiam Angeli sunt palmites: ergo Christus debet etiam habere naturam aliquo modo unam cum ipsis: hæc non potest esse alia, quam gratia sanctificans: ergo hæc debet esse ejusdem speciei cum ea, quam habent Angeli, & homines.

Confirm. Non est ulla profus ratio adstruendi differentiam specificam, inter gratiam Christi, & nostram; non enim similitudo gratiæ Christi cum nostra repugnat unioni hypostaticæ, non visioni beatificæ, non muneribus Christi, Capitis, Pontificis, Redemptoris &c. de reliquo S. Paulus ad Hebr. 2. v. 17. ait de Christo: Debit per omnia fratribus similari: ergo etiam debuit similis esse in gratia sanctificante; nam ead. epist. c. 4. v. 15. Apostolus solum peccatum excipit, in quo Christus non fuerit similis nobis.

604. Dico 3. Hæc gratia sanctificans in Christo non fuit infinita in sua entitate, vel intensioe: sed tamen fuit summa inter omnes productas. ita S. Thomas 3. p. q. 7. n. 11. in corp. Suarez tom. 1. in 3. p. disp. 22. sec. 1. §. Dico ergo primò. Gormaz de incarnat. n. 932. & communis. Prob. 1. pars conclusionis. Nihil gratiam est actu infinitum: ergo neque hæc gratia. ant. suppono ex philosophia, ubi solet probari. Nec dicas, gratiam, etsi esset infinita, tantum fore in una linea infinitam; & consequenter tamen non adæquatam DEUM; nam creatura non tantum non potest, simpliciter in omni linea adæquare DEUM, sed debet in omni linea esse inferior DEO, & finita.

Prob. hoc assumptum. Si creatura non debet esse inferior DEO in omni linea, diffi- culter datur ratio, quare non sit possibilis creatura, essentialiter exigens, produci ab æterno, destruibilis tamen in tempore; quia etiam ista esset sub DEO in multis lineis: & tamen, cum de fide certum sit, nullam creaturam esse productam ab æterno, etiam est certum, quòd nulla essentialiter exigat, ab æterno produci. Confirmatur. Cum ista gratia sit ejusdem rationis cum nostra, si esset infinita, deberet esse infinita in intensioe, adeoque habere actu infinitos gradus, numericè distin-

ctos: infinitum autem in numero multò clariùs implicat, quam tantum infinitum indivisibile, ut patet consideranti rationes philosophicas, quibus probatur implicancia infiniti in numero: ergo.

605. Prob. jam 2. pars conclusionis, sive quòd gratia Christi sit maxima inter omnes productas. In hac providentia gratia major, vel minor, datur proportionaliter ad dignitatem subjecti, aut suppositi, vel præstantiam muneris, ad quod quis destinatur: sed dignitas Christi est infinita, & munus ejus supremum; cum ipse sit caput Angelorum, & hominum: ergo debuit ipsi gratia conferri major, quam cuilibet alteri creaturæ collata sit, seu unquam producta sit; cum nulla creatura ad tantam dignitatem, vel tam altum munus unquam exaltata sit.

Quia autem Christo non potuit dari gratia ad mensuram dignitatis ipsius, sive gratia, quæ dignitatem ejus æquaret (cum enim dignitas ejus infinita sit, infinita etiam gratia dari debuisset, si adæquanda illa fuisset, quod fieri non potuit) debuit DEUS determinare mensuram gratiæ: sicut debuit determinare præmium meritis Christi, itémque effectus omnipotentia, quæ utpote infinita, etiam nullo effectu adæquari potest. Hinc gratia ista non potuit habere mensuram ex parte dignitatis Christi, quæ infinita est: sed habuit mensuram, tum ex parte animæ Christi, tanquam subjecti, eatenus, quatenus anima Christi, tanquam subjectum finitum, non potuit recipere gratiam infinitam, ut expressè docet Angelicus 3. p. q. 7. n. 11. in corp. tum ex parte ipsius gratiæ, quæ utpote ens creatum non potuit esse infinita. Quantam autem mensuram DEUS determinaverit, ipse novit; nam hoc totum pendebat ex voluntate DEI; tanta enim gratia Christo collata fuit, quantam DEUS dare voluit: de qua tamen quantitate in indivisibili nobis non constat.

606. Fuit tamen hæc gratia, ut dictum, summa inter omnes productas; quia DEUS dedit Christo gratiam majorem, quam omnibus Angelis, & hominibus simul sumptis; cum dignitas Christi adhuc infinitè major sit omnibus horum dignitatibus simul sumptis, & talis gratia adhuc sit finita. Unde, quando Joann. 1. v. 14. dicitur, Christum esse plenum gratia, & veritatis, intelligendus est Christus Dominus longè aliter plenus gratiâ, quam B. Virgo, S. Stephanus, vel alij Sancti, qui etiam dicti sunt gratiâ pleni; cum enim Christus ratione dignitatis suæ longè capaxior fuerit, ad recipiendam gratiam, etiam longè plus gratiæ accepit; nam, sicut dolium parvum potest esse plenum, æquè ac dolium maximum; quin tamen illud tantum contineat, quantum istud, ita etiam Christus, & B. Virgo, ac alij Sancti, potuerunt esse pleni, & tamen Christus incomparabiliter plus gratiæ habere.

P. Suarez tom. 1. in 3. p. disp. 22. sec. 1. §. Dico secundò. juncto §. Sed in hoc. asserit, gratiam Christi licet entitative in se finita sit, dici tamen posse aliquo modo infinitam, propter conjunctionem cum gratia increata, seu

quatenus conjuncta est Personæ Divinæ: atque, ex hac conjunctione gratiam acquirere dignitatem, vel æstimabilitatem aliquam infinitam, uti meritum Christi. Sed fors per hoc non ostenditur, gratiam esse infinitam sed tantum complexum, ex gratia, & dignitate Verbi, esse infinitum: sicut actio ipsa creata Christi in se non est infinitè digna, sed tantum complexum est illa, & dignitate Verbi, in quo complexo stat ratio meriti. Quidquid autem de hoc sit, quod videretur spectare ad modum loquendi, nihil est contra nos, qui tantum dicimus, gratiam Christi entitative, vel intensivè sumptam, non esse propriè loquendo infinitam.

607. Dico 4. Hæc gratia accidentaliter creata, fuit Christo tota collata simul, in primo instanti suæ conceptionis. ita teste Suarez tom. 1. in 3. p. disp. 18. sec. 3. §. Dico primò. communis cum S. Thoma 3. p. q. 7. n. 12. in corp. ubi ait: Christus, secundum quod homo, à primo instanti suæ conceptionis, fuit verus, & plenus comprehensivus; unde in eo non potuit esse gratia augmentum: adeoque ad mentem Angelici Christi statim totam gratiam accepit. Prob. 1. Gratia tota data est Christo ratione unionis hypostaticæ: sed hanc habuit jam in primo instanti conceptionis, ut dictum est n. 223. ergo.

Nec dici potest, tantum aliquam partem gratiæ tunc Christo fuisse datam; quia, cum ab eo momento jam habuerit visionem beatificam ex n. 541. jam habuit gratiam consummatam, ut docet S. Thomas modo citatus, & Suarez tom. 1. in 3. p. disp. 18. sec. 3. §. Ratio verò. Huc etiam spectat textus S. Damasceni, citati n. 554. ubi ait, non afferere unionem personalem, vel unionem hypostaticam eos, qui dicunt, Christum in gratiâ profecisse: quod vel maximè videretur dici de ijs, qui asserunt, Christum in gratiâ habituali profecisse: quomodo autem in aliqua alia gratia dicatur Christus profecisse *Luc. 2. v. 52.* vide n. 556. & seq. Quare Christus simul tempore accepit gratiam unionis substantialis, & gratiam creatam accidentalem: quamvis eas non accepit simul naturâ; nam Divinitas unita, ac unio hypostatica, fuerunt priores naturâ ad gratiam accidentalem, & hæc fuit data Christo, tanquam proprietas unionis.

Non tamen propterea gratia accidentaliter in Christo producta fuit speciali influxu Verbi (cum nullus detur influxus ad extra, qui non sit communis toti Trinitati ex n. 193) sed tantum ad exigentiam unionis cum Verbo, producta est illa gratia ab omnipotentia, omnibus tribus Personis Divinis communi. Neque ex eo, quòd illa gratia dicatur esse connaturalis Christi proprietati, sequitur, quòd debuerit à Christo per specialem influxum produci; nam etiam in naturalibus non semper proprietates necessariò debet, præsertim specialiter, produci ab eo, cujus proprietates est: sic e. g. species infusæ Angelis, in principio creationis eorum, non ita producuntur: & tamen dicuntur, & sunt eorum proprietates.

608. Ex occasione hîc affero, quæ Suarez

rez tom. 2. in 3. p. disp. 18. sec. 4. circa gratiam B. Virginis, saltem in instanti mortis ab ipsa habitam, tradit. Docet igitur, B. Virginem pervenisse ad fermè immensam gratiæ intentionem; nam ita SS. Patres loquuntur. S. Damascenus orat. 1. de dormit. SS. DEI Genitric. ante medium, in verba Angeli: *Invenisti gratiam.* ait: *Gratia abyssum invenit.* S. Anselmus l. de excellentia gloriosa Virginis. c. 4. ait: *Erigite, obsecro, fratres mei, erigite aciem mentis vestra, ad contemplandum tam ineffabilem, & stupendam omni seculo, hujus mulieris gratiam, & exaltationem.* item c. 8. alloquens B. Virginem ait: *Immensitatem quippe gratiæ, & gloriæ, & felicitatis tuæ, considerare cupienti sensus deficit, lingua fatiscit.* Similia habent SS. Bernardus, Bernardinus, Ephrem, Andreas Cretensis, & alij ab Eximio *ibidem* adducti.

Ratio etiam est. B. Virgo in primo instanti plus gratiæ sanctificantis accepit, quam supremus Angelorum: supremus autem Angelorum per unum, aut alterum actum, quem in via sua brevissima elicit, acquisivit gratiam, & gloriam, quantam nullus hominum, excepto Christo, & ejus Matre, acquisivit: quantam igitur acquisiverit B. Virgo per innumeros actus, quos per viam suam sexaginta, vel etiam septuaginta, & aliquot annorum, intensissimos elicit?

Si insuper verum sit, quod Suarez *eadem sect. §. Tertio considerandum.* tradit, nempe actus, saltem perfectissimos charitatis, & totis viribus, seu toti intentioni habitus commensuratos, mereri semper tantum augmentum gratiæ, quantum prior habitus fuit, e. g. eum, qui habuit charitatem ut quatuor, mereri per primum actum intensissimum charitatis quatuor gradus gratiæ, per secundum octo, per tertium sexdecim, & sic ulterius: si, inquam, hoc verum sit, cumulus gratiarum fiet in B. Virgine immensus; quia ipsa semper juxta vires habitus operata est; quod tamen, cum alij justi raro faciant, non etiam ipsi tantum augmentum gratiæ recipiunt.

609. Ulterius addit Suarez *cit. sect. §. Dico 2.* Beatissimam Virginem in morte plures gradus gratiæ habuisse, quam habeant omnes Angeli, & Sancti, collectivè sumpti. Probat id ex SS. Patribus, qui loquentes de gratia Virginis, ejusque gloria, quæ gratiæ correspondet, majorem adhuc perfectionem ei attribuere velle videntur. S. Ephrem. *serm. de laudibus Virginis* scribit, quod B. Virgo sit incomparabiliter reliquis omnibus supernis exercitiis gloriosior.... omniumque Sanctorum, ac Virginum corona, ob immensum fulgorem, atque splendorem inaccessibleis: & infra, quod sit præstantissimum universi orbis terra miraculum.

S. Petrus Damiani *serm. de assumpt. B. Virginis circa medium*, comparans Christum solè, & B. Virginem lunæ ait: *Quid luna pulchrior?... Considera, quam stellaris, & serena vibratio, quam luminosus fulgor circumlarem orbem tanti fidei superfundat, ut aliorum luminum claritatem non mediocriter offuset. Sic & Virgo inter animas San-*

ctorum, & Angelorum choros supereminet, & evecta, merita singularum, & omnium titulos antecedit. Quantumlibet alia stella reluceant, luna tamen, & magnitudine præminet, & splendore. Sic utramque naturam Virgo singularis exuperat, & immensitate gratiæ, & fulgore virtutum. Sicut ergo luna plus splendoris, & lucis præbet, quam omnes aliæ stellæ simul, ita juxta hunc S. Patrem B. Virgo omnes simul Sanctos meritis, & gratiâ, exuperat: id quod etiam significat voces *singularum, omnium*; prior enim significat omnes distributivè, altera omnes collectivè. Similia plura vide apud Eximium *loco citato.*

610. Et potest hoc etiam ex eo probari, quod dignitas matris DEI, saltem moraliter accepta (de qua dictum n. 520.) sit quasi infinita: insuper DEUS plus amet B. Virginem, quam omnes reliquos Sanctos; nam matrem plus amat, quam omnes servos. Unde, quod ait Abulensis, Christum diligere plus Ecclesiâ, quam matrem suam, intelligendum est de Ecclesiâ ut includente matrem; intellectum enim de Ecclesiâ sumpta pro reliquo corpore, exclusâ Beata Virgine, non esset verum; quia Christus incomparabiliter matrem plus diligit. Addit demum Suarez, huic sententiæ obiici nil posse, nisi apparentem novitatem; cum revera nova non sit; eoquod à SS. Patribus jam dudum fuerit insinuata. Tandem ait, hanc sententiam etiam aliis doctissimis viris Academiæ Salmanticensis, à se consultis, piâ, ac probabiliter visam fuisse.

ARTICULUS IV.

Solvuntur Objectiones.

611. **O**B. 1. contra 1. conclus. Capacitas humanitatis Christi ad sanctificationem jam abundantissimè completur, imò plus, quam completur, per sanctitatem incretam Verbi ergo non potest recipere adhuc gratiam accidentalem. Confirm. Juxta nos Verbum non perfectissimè sanctificaret humanitatem: hoc est absurdum: ergo. Resp. neg. ant. Capacitas humanitatis ad gratiam unionis non est naturalis, sed tantum obedientialis: hæc autem non expletur, quamdiu DEUS potest aliquid gratiæ adhuc producere in ea.

Quare, sicut illa humanitas, ut diximus n. 239. potuisset adhuc assumi ab alia Persona, per novam unionem hypostaticam, adeoque recipere novam gratiam unionis, ita potuit multo magis recipere gratiam accidentalem. Adde, quod sanctificatio, per sanctitatem creatam habitualement, sit alterius ordinis, quam sanctificatio per sanctitatem incretam; unde humanitas, sanctificata per istam, adhuc obedientialiter capax est, ad illam alterius ordinis: sicut suo modo natura Divina, jam subsistens per subsistentiam Patris, potest adhuc subsistere per subsistentiam Filij.

Ad confirm. dist. ma. Verbum non sanctificaret humanitatem perfectissimè in sua linea. neg. ma. in alia linea. subdist. non sanctificaret formaliter. conc. ma. eminenter. neg. ma. & sic dist. mi. neg. conseq. Sensus distinctionis est. Verbum Divinum non sanctificat formaliter in linea gratiæ accidentalis, (hoc enim utique non potest; cum sit substantia) sed tamen in ea linea sanctificat eminenter, quatenus eminenter continetur in Verbo omnis perfectio gratiæ accidentalis. Quia tamen Verbum non sanctificat in linea accidentali formaliter, potest alia accidentalis gratia accedere, & formaliter in linea accidentali, vel accidentaliter humanitatem sanctificare.

612. Dices. Ergo humanitas Christi est magis sancta, quam Verbum; nam hoc non habet gratiam accidentalem. Resp. neg. illatum. Sicut complexum, ex Verbo, & humanitate, non est aliquid majus, quam solum Verbum, ita complexum, ex sanctitate increta, & creata, non est aliquid majus, quam sola gratia increta; finitum enim additum infinito non facit majus: adeoque etiam Christus in complexo non est sanctior solo Verbo.

Unde gratia accidentalis non facit Christum (idem dicendum de humanitate Christi) magis sanctum, quam faciat sola gratia increta, & substantialis: sed tantum facit eum sanctum alio modo, scilicet accidentaliter: sicut, qui habet jam infinitam obligationem ad aliquid, non potest magis obligari, sed tamen alio modo: & sicut tales obligationes, si darentur, non essent oppositæ, ita etiam tales sanctificationes. Multo autem minus sanctior est humanitas Christi, quam Verbum; quia, licet humanitas habeat eandem sanctitatem, quam habet Verbum: non tamen habet eam eodem modo, in quo est infinitum discrimen; Verbum enim habet sanctitatem Divinam, seu incretam, per identitatem: humanitas autem eam tantum habet per unionem.

Si quæras, an igitur humanitas sanctificetur infinite, vel non. Resp. Gormaz *de incarnat. n. 925.* ait, humanitatem non sanctificari simpliciter infinite: attamen addit n. 931. eam non posse esse intrinsicè magis sanctam. Dicit etiam potest, quod humanitas Christi sanctificetur infinite ex parte formæ; non verò ex parte modi. Sanctificatur infinite ex parte formæ; quia forma, vel quasi forma sanctificans, physicè unita, est infinita; hinc, quamvis addantur aliæ formæ, non magis sanctificabunt ex parte sua; quia jam omnes eminenter continentur in sanctitate increta. At humanitas non sanctificatur infinite ex parte modi; quia modus sanctificandi, vel communicandi sanctitatem, non est infinitus; est enim ipsa unio hypostatica creata, & finita: econtra modus, quo sanctificatur Verbum, est ipsa identitas cum Divina sanctitate, quæ est infinita.

613. Ob. 2. Quod in aliquo ente, vel subjecto, continetur eminenter, non potest

in eodem contineri formaliter: ergo sanctificatio accidentalis, quæ in humanitate Christi continetur eminenter, ratione unitæ sanctitatis incretæ, non potest etiam contineri formaliter. Confirm. 1. Verbum ipsum potuit supplere in Christo habitus supernaturales, & alia requisita, ad eliciendos actus supernaturales: ergo ratio nostra adducta n. 602. non subsistit. Confirm. 2. Gratia accidentalis deberet Christum denominare filium adoptivum: hoc est falsum; ergo.

Resp. neg. antec. Licet hoc in quibusdam rebys, eminenter aliquid continentibus, contingat, e. g. in DEO, respectu perfectionum mixtarum, tamen hoc non fit præcisè ratione præsentia eminentialis in genere, sed ob specialem rationem; nam DEUS non potest formaliter continere perfectionem mixtam imperfectione, non præcisè, quia eminenter eam perfectionem continet; sed, quia ens perfectissimum necessariò à se excludit omnem imperfectionem, quamvis mixtam perfectione. Dein, licet admittatur, quod aliquid, continens eminenter alterum, ratione alicujus perfectionis sibi identificatæ, non possit illud alterum continere formaliter, tamen non debet admitti, quod etiam illud, quod tantum alterum continet eminenter, ratione alicujus perfectionis sibi unitæ, non possit etiam formaliter continere illud alterum; alias humanitas Christi nihil creatum posset continere formaliter; cum ratione Divinitatis sibi unitæ, omnia creata eminenter contineat.

614. Ad 1. confirm. neg. antec. Inprimis Verbum ut tale, non potest supplere physicè concurrunt habituum; quia actio ad extrâ debet provenire à tota SS. Trinitate. Sed neque DEUS voluit, physicè supplere in Christo hos habitus, per omnipotentiam extrinsecè applicatam; eoquod modus operandi per habitus sit convenientior. Multo minus Verbum potuit supplere formaliter habitus; nam debuisset informare humanitatem Christi, & supplere effectum formalem, quod nec DEUS potest; nam DEUS potest quidem producere se solo albedinem, & supplere causam productivam albedinis: at non potest sine albedine formaliter dealbare, e. g. murum.

Ulterius, neque Verbum potuit exigere humanitati eos habitus, nisi per decretum Divinum, volens humanitati extraordinariè conferre eos habitus sine gratia: quod si quis factum diceret, prorsus gratis, & contra auctoritatem Patrum, & Theologorum, id fingeret. Neque etiam unio hypostatica potuit exigere illos habitus sine gratia habituali; quia ipsa unio non est immediata radix eorum habituum: sed tantum est radix mediata, quatenus immediatè exigit gratiam, quæ est quasi natura in ordine superno, immediatè exigens eos habitus, tanquam suas potentias: & potest quidem unio mediante gratia illos habitus exigere: non verò id potest immediatè ratione sui; talis

enim exigentia immediata gratis omnino fingeretur in unione. Ad secundam confirm. neg. antec. datur enim in Christo impedimentum, vel incapacitas ad denominationem filii adoptivi, de qua re jam aliquid dictum n. 594. & de ea iterum inferius redibit sermo n. 627.

615. Ob. 3. contra 2. conclus. Gratia, quæ potest augeri, differt specie ab illa, quæ non potest augeri: sed gratia Christi non potest augeri, potest autem augeri nostra: ergo illa differt specie ab ista. prob. mi. singulæ qualitates habent certum terminum, ultra quem non possunt augeri: ergo etiam gratia Christi habet talem terminum, adeoque non potest augeri. Resp. om. ma. quæ negatur ab iis, qui admittunt, possibile esse infinitum. neg. mi. ad prob. dist. antec. singulæ qualitates habent aliquem terminum ratione sui, & quidem talem, qui nec supernaturaliter excedi possit. neg. ant. habent terminum ratione subjecti, qui naturaliter non possit excedi. conc. ant. & neg. conf.

Non possunt semper plures, & plures gradus e. g. caloris, naturaliter produci, aut recipi in subjecto: non quod absolute improducibiles sint, sed quod subjectum finitum habeat limitatam naturalem capacitatem, nec semper plures, & plures gradus naturaliter recipere possit: at verò qualitates supernaturales, quæ non dantur juxta capacitatem naturalem subjecti, sed tantum juxta ejus capacitatem obedientialem, possunt semper augeri.

Hinc etiam gratia Christi per se semper potest augeri: sed quia DEUS determinavit certam ejus mensuram, ut dictum est n. 605. consequenter ad hoc DEI decretum augeri non potest. Quando autem S. Thomas. 3. p. q. 7. a. 12. in corp. negat, gratiam Christi posse augeri, non vult, eam absolute non posse augeri, sed tantum supposita hac determinatione DEI, qua, juxta ordinem Divinæ sapientiæ, omnia in numero, pondere, & mensura disponentis, tanta gratiæ quantitas Christo determinata est: quod patet legenti contextum, & vel ex eo clarum est, quod S. Doctor dicat, quod gratia Christi augeri non possit, sicut nec gratia Beatorum in cælis; eoque etiam Christus fit comprehensor: atqui clarum est, gratiam Beatorum antecedenter absolute posse augeri, & tantum non posse augeri consequenter, seu ex suppositione decreti Divini, nolentis, eam augeri in comprehensoribus: quin eod. art. ad 2. admittit Angelicus, quod virtus Divina possit facere aliquid majus, & melius, quam sit habitualis gratia Christi.

616. Ob. 4. contra 3. conclus. S. Thomas 3. p. q. 7. a. 11. in corp. ait: *Alio modo potest considerari gratia secundum propriam rationem gratiæ: & sic gratia Christi potest dici infinita*: ergo hæc fuit infinita. Confir. 1. Dicitur Joann. 3. v. 34. *Non enim ad mensuram dat DEUS Spiritum*: intellige Filio suo, de quo ibi est sermo: ergo gratia Christo data est sine mensura, aut limi-

tatione. Confirm. 2. Si gratia Christi non est infinita, potuisset Christus esse magis DEO gratus: atqui non potuit esse magis DEO gratus: ergo. Resp. 1. huic textui Angelici oppono ejus doctrinam *num. preced. allatam*. Dein S. Doctor cit. q. 7. a. 11. in corp. ait de gratia Christi habituali: *Necessæ est, quod sit ens finitum*. in forma neg. conseq.

Per gratiam infinitam *ibi* S. Thomas tantum intelligit gratiam, quæ non est data ad aliquam mensuram, nisi quam determinat DEUS, nobis incomprehensibilem, & quæ gratia tam magna est, ut sit universale principium omnis gratiæ; explicat enim S. Thomas sua dicta exemplo, quod ead. q. 7. a. 11. in corp. assert, sic dicens: *Sicut si dicamus, lucem solis esse infinitam, non quidem secundum suum esse, sed secundum rationem lucis; quia habet, quidquid ad rationem lucis pertinere potest*: igitur, sicut lux solis in se non est strictè infinita, ita neque gratia Christi. Aliqui dicunt, gratiam Christi esse extrinsecè aliquo modo infinitam, ratione dignitatis infinitæ in Christo, ad cuius non quidem mensuram, sed tamen congruentiam illa datur, de quo vide supra n. 606.

617. Ad 1. confirm. neg. conseq. Gratia Christi est in se limitata: dicitur autem data non ad mensuram, hoc est, ut explicat Cornelius in c. 3. Joann. v. 34. abundantissimè: & sanè solet de liberalissimè, & abundantissimè dansibus dici, eos dare absque mensura: interim tamen re ipsa DEUS dedit gratiam Christo juxta aliquam mensuram, sui determinationem voluntatis suæ. Tantam autem DEUS Christo quantitatem gratiæ determinavit, ut in hac providentia nulla pura creatura tantam habere possit: quod si autem in altera providentia DEUS tantam dare vellet puræ creaturæ, seu membro, majorem etiam designaret Christo ut capiti; quia deceret, ut caput morale majus esset in gratia, quam membra; quamvis enim caput physicum debeat esse minus, quam reliqua membra simul sumpta, non debet esse minus caput morale, quod potest esse perfectius, quam omnia membra simul sumpta.

Si quis autem contendat, verba illa *non ad mensuram significare, absque omni mensura*, intelligenda erunt ea verba de Christo ut DEO, quatenus per æternam generationem accepit sanctitatem infinitam, ita Gormaz de incarn. n. 952. & sanè Glossa interlinearis ait, ideo in numero singulari dici *Filio*, ut non intelligantur adoptivi: & rationem spiritus absque mensura dati addit: *Ut tantus sit Filius, quantum & Pater; æqualem enim sibi genuit*: quod tantum de Christo ut DEO est verum. Ad 2. confir. neg. antec. quia gratia increata ipsum jam reddit DEO tam gratum, ut eminenter faciat, quidquid gratia creata facit: & sicut diximus n. 612. non fieri Christum per gratiam creatam magis sanctum, sic dicendum est, eum quoque non fieri DEO magis gratum.

618.

618. Ob. 5. Gratia habituali Christi convenit ex conjunctione cum Verbo, posse mereri aliis majorem, & majorem gratiam in infinitum: ergo etiam ipsa est infinita. prob. antec. calor conjunctus cum igne potest producere tantum calorem, quantum potest ignis: ergo etiam gratia habitualis, conjuncta cum gratia unionis, vel cum Verbo, potest producere, vel mereri tantam gratiam, quantum Verbum, adeoque majorem, & majorem in infinitum.

Resp. om. ant. neg. conf. si enim etiam gratia habitualis, ut dignificans aliquo modo merita Christi, habet in conjunctione Verbi virtutem, ut possit unà cum dignitate Verbi tribuere suo modo meritis Christi vim, merendi aliis gratiam majorem, & majorem in infinitum, tunc hæc virtus, ei non convenit ratione sui, & per se, sed tantum per accidens, & ratione dignificationis infinitæ, provenientis à Verbo in merita Christi: adeoque gratia habitualis potest semper manere finita: ferè sicut pauper semper manet pauper, etsi conjunctus ditissimo possit plurimas expensas facere.

Ad prob. ant. dico, in primis potius debuisse probari consequens: addo, quod, etsi calor unà cum igne posset omnes eos effectus producere, non tamen propterea haberet tantam virtutem, quantum habet substantia ignis: adeoque ex ea paritate non probatur, quod gratia habitualis Christi habeat virtutem infinitam, vel sit infinita. Item neg. ant. ignis enim potest producere octavum gradum: hic autem octavus gradus, juxta communem philosophorum, non potest producere alium octavum ad extra; quia non potest sibi assimilare passum extrinsecam: neque ad intrā; quia non potest suum subjectum intendere, ut suppono ex philosophia Thomistæ, qui negant substantiis virtutem agendi, concedent antec. sed simul dicent, calorem esse totam virtutem activam ignis: at gratia sanctificans non est tota virtus activa Verbi.

619. Ob. 6. contra 4. conclus. Christus in primo instanti non habuit actum tam intentionem, ut superaverit intensionem omnium actuum creatorum: ergo in primo instanti nondum ei collata fuit tota gratia, quam DEUS ei dare decrevit. prob. conseq. gratia Christi tota, fuit tam intensa, ut superaverit intensionem omnium gratiarum, omnibus creaturis collatarum, etiam simul sumptarum ex n. 606. ergo, cum Christus semper operatus fuerit ex tota intensione gratiæ, quam habuit, si jam in primo instanti totam gratiam habuisset, eliciisset actum tam intentionem, ut superasset intensionem omnium actuum creatorum.

Resp. neg. antec. quia ardentissima Christi charitas erga DEUM, & lumen gloriæ, ac visio beatifica, juxta Lugonem, & alios (ut dictum n. 449.) necessitauerunt ipsum, si non physicè, saltem moraliter, ad actum perfectissimum, secundum totam intensionem gratiæ receptæ, de qua re vide dicta eod. n. 449. Cæterum neque consequentia est cer-

ta; quia, cum Christus, saltem antecedenter, fuerit physicè liber, ad actum negativè minus perfectum (ut dictum eod. n. 449.) potuisset absolute elicere actum etiam minus intensum, quam fuerit gratia: ergo, quamvis eliciisset actum minus intensum, potuisset tamen gratia esse intensior.

620. Ob. 7. Spiritus S. primùm descendit super Christum in baptismo *Matth. 3. v. 16.* ergo tunc primùm Christus recepit aliquam gratiam. conf. prob. S. Hieronymus in c. 61. *Isa. v. 1.* docet, prophetiam de Christo ungerendo, hoc est, sanctificando, impletam esse in ejus baptismo: ergo. Confirm. De Christo *Luc. 2. v. 52.* dicitur: *Proficiebat sapientiâ, & aetate, & gratiâ*: ergo Christus crevit in gratia. Resp. neg. conf. ad prob. dist. ant. S. Hieronymus docet, eam prophetiam tunc esse impletam, seu unctionem Christi fuisse in baptismo factam formaliter, sive ipsam unctionem, seu sanctificationem tunc fuisse quasi novo addimento completam. neg. ant. docet, eam unctionem esse factam, aut completam finaliter, seu finem aliquem unctionis tunc esse completum. conc. ant. & neg. conseq.

Finis illius unctionis etiam fuit, quem assignat ibi S. Hieronymus, dicens: *Unctus est igitur Spiritu S. ut annuntiaret pauperibus, sive mansuetis &c.* vel, ut ipse Christus Dominus legit *Luc. 4. v. 18.* *Propter quod unxit me: evangelizare pauperibus misisse me, sanare contritos corde &c.* Et hoc completum est quasi in baptismo, seu statim post baptismum; quia tunc Christus incepit prædicare, & paulo post venit in Nazareth, ibique in synagoga legit hanc ipsam prophetiam *Isaïæ*, & cælecta dixit: *Quia hodie impleta est hæc Scriptura in auribus vestris: ex quibus ipsis verbis Domini roboratur explicatio nostra; neque enim ullus dicit, tunc primùm in synagoga Christum formaliter unctum fuisse.*

Toletus in c. 1. *Joann. annot. 71.* ait, unctionem fuisse in baptismo à Spiritu S. declaratam, ut mox exercendam per doctrinam, & miraculorum manifestationem. Sic quoque, dum *Daniel. 9. v. 25.* prædicatur adventus Christi post septuaginta hebdomades, docent interpretes, significari tempus baptismi Christi, quando scilicet Christus est declaratus mundo, de quo vide dicta n. 77. Ad confirm. responsum est n. 556. & 557.

ARTICULUS V.

An Gratia Habitualis denominet Christum Filium DEI Adoptivum.

621. **T**riplex potest, & debet distinguui filio DEI. Prima, & maxime propria, est filio naturalis personalis, ratione generationis æternæ, qua secunda Persona SS. Trinitatis constituitur Filius DEI; hac autem ratione certum est, Christum ut hominem, seu

seu in natura humana, non esse Filium DEI. Secunda filiatio est, quæ fundatur in gratia unionis hypostaticæ, ratione cujus Christus etiam ut homo, est Filius DEI. Tertia filiatio fundatur in gratia accidentali, seu habituali, quæ in puris hominibus dicitur filiatio adoptiva, & hos reddit filios adoptivos DEI. Cum autem, ut dictum est, istam gratiam accidentalem etiam habeat Christus, & quidem copiosissimam, quaeritur, an ipse quoque ut homo, dici possit filius adoptivus DEI; an verò etiam ut homo dici debeat filius naturalis DEI.

622. Dico 1. Christus non tantum non potest, simpliciter sine addito, dici filius adoptivus DEI, sed neque cum addito *in quantum homo*, ita S. Thomas 3. p. q. 23. n. 4. in corp. Suarez tom. 1. in 3. p. disp. 49. sec. 2. §. Dicendum tamen. Tannerus tom. 4. disp. 1. q. 7. n. 88. imò Theologi communissime omnes. Prob. Inprimis, quòd Christus non possit dici simpliciter filius DEI adoptivus, est extra controversiam; nam, sicut non potest dici creatura, minor Patre &c. ita nec potest dici filius adoptivus; sonant enim hæc verba simpliciter prolata, Christum non esse filium naturalem.

Quòd autem etiam Christus ut homo, seu in quantum homo, non possit dici filius adoptivus, probatur. Adrianus I. Papa in epistola ad Episcopos Gallicæ, & Hispaniarum (qua habetur apud Binium tom. 3. Concilior. p. 1. initio Concilii Francofordiensis) non longe à principio, sic ait: *Materia autem causalis perfidia, inter cetera rejicienda, de adoptione JESU Christi Filii DEI secundum carnem, falsis argumentationibus digesta per fidorem verborum ibi stramina, incomposito calamo legebantur.* & post aliquod intervallum sic scribit: *Hinc Paulus electionis vas ait: (ad Rom. 8. v. 32.) Proprio Filio suo non peperit DEUS: sed pro nobis omnibus tradidit illum. Scimus enim; quia non est traditus secundum Divinitatem, sed secundum id, quod homo verus erat: illum nimirum, qui traditus est, id est, hominem, ipsum Apostolus proprium DEI filium protelatur.*

Concilium etiam Francofordiense, quod ejusdem Adriani auctoritate celebratum est, contra Elipandum Episcopum Tolentanum, qui cum Felice Episcopo Urgelitano volebat defendere, Christum esse filium adoptivum DEI (de quorum errore vide Tannerum tom. 4. disp. 1. q. 7. n. 100. & Suarez tom. 1. in 3. p. disp. 49. sec. 2. §. Dico tamen.) hoc, inquam, Concilium in epistola sua, (qua habetur apud Binium tom. 3. Concil. p. 1. in Concil. Francofordiensi) longe ante medium sic scribit: *Quam adoptionem pravissimo sensu, qui scripsit epistolam, ad Christi voluit transferre humanitatem.* & post intervallum: *Hæc testimonia ideo posuimus, ut cognoscatis, DEUM, & Dominum nostrum JESUM Christum, in utraque natura esse unigenitum, & primogenitum, non adoptivum.*

623. Ratio autem conclusionis hujus est, Deratione filii adoptivi est, ut sit per-

sona aliena, seu extranea: sed Christus etiam in quantum homo, non est persona aliena, seu extranea respectu DEI: ergo, constat ex communi sensu sapientum, qui dicunt, adoptionem esse, alienam, & extraneam personam gratuitam assumptionem in filium: sanè à S. Thoma in 4. disp. 42. q. 2. n. 1. sic definitur adoptio: *Est extranea persona in filium, vel nepotem, vel deinceps, legitima assumptio.* Non autem dicas, hanc definitionem tantum ab Angelico poni in argumento, seu objectione prima; nam respondetur, quòd eam dein in corpore articuli defendat, & vindicet.

Prob. etiam mi. Christus ut homo, vel consideratur in concreto: & non habet aliam personalitatem, etiam ut homo, quam Divinam, quæ non est aliena, vel extranea respectu DEI: vel consideratur in abstracto, sive præcisè secundum humanitatem: & non est persona; quia humanitas non est persona: atque ideo etiam non est filia, vel filius; hæc enim denominatio tantum datur supposito, vel personæ, ut expressè tradit Angelicus 3. p. q. 23. n. 4. in corp. ajens: *Dicendum, quòd filiatio proprie convenit hypostasi, vel personæ, non autem naturæ:* ergo, quomodocumque consideretur Christus ut homo, non est filius adoptivus DEI.

624. Dico 2. Christus ut homo est filius DEI naturalis, non tantum in sensu reduplicativo super personam, sed etiam super humanitatem, ut unitam Verbo. ita Suarez tom. 1. in 3. p. disp. 49. sec. 1. §. Dicoprime, asserens, hanc conclusionem sibi videri certam: & teste Lugone de incarnat. disp. 31. sec. 2. n. 6. in eam conveniunt ferè recentiores Theologi: Tannerus autem tom. 4. disp. 1. q. 7. n. 97. omnino dicit, ita habere communem doctorum. Prob. conclusio. Christus ut homo est Filius DEI, non tantum propter communicationem idiomatum, & ratione personalitatis, sed etiam ratione humanitatis, non quidem in se præcisè spectatæ, sed ut unitæ: ergo etiam ut homo est Filius DEI naturalis.

Prob. ant. Humanitas ut unita Verbo non est natura aliena, vel extranea, sed est substantialiter propria DEI, & intimè conjuncta filiationi naturali, non tantum affectu, sed nexu physico, ratione cujus ipsa humanitas habet jus ad hæreditatem, seu gloriam: ergo Christus ratione humanitatis, ut unitæ Verbo, est Filius DEI, acheres: & non tantum nequit censerì alienus, vel extraneus ratione personalitatis, sed etiam ratione humanitatis ut unitæ: & ipsa etiam humanitas, ut affecta unione, non potest dici adoptata: adeoque Christus, etiam ratione humanitatis suæ ut unitæ, non potest dici filius adoptivus, vel adoptivus: ergo debet dici naturalis; quia non datur medium inter has denominationes: neque hucusque agnita est alia filiatio, quam naturalis, & adoptiva: neque ullus agnitus est filius, quin agnosceretur, vel tanquam naturalis, vel tanquam adoptivus.

ARTICULUS VI.

Solvuntur Objectiones.

625. Notat tamen rectè Suarez tom. 1. in 3. p. disp. 49. sec. 1. §. Ad argumenta Christum ut hominem, ratione humanitatis unitæ, non esse Filium DEI per essentiam, sicut est ratione personalitatis Divinæ; potuisset enim unio hypostatica humanitati illi non concedi; unde hæc ipsa unio est gratia respectu humanitatis Christi, cui gratis conceditur. Sed neque ullo modo ipsi humanitati, ut præcisæ ab unione hypostatica, competit naturalis filiatio DEI, sed hæc per se primò convenit Personæ Verbi, quæ reddit subsistentem eam humanitatem: & ratione Personæ Verbi dein convenit humanitati ut unitæ, ac ratione unionis subsistenti in Verbo, atque ab isto, suo modo sustentatæ. Naturalis tamen est hæc filiatio respectu Christi, cujus intrinseca, & substantialia constitutiva sunt unio, & Verbum, ac humanitas unita. Est igitur hæc filiatio naturalis, competens Christo ratione humanitatis ut unitæ, quasi media inter filiationem naturalem per essentiam, & filiationem adoptivam per gratiam accidentalem.

626. Hæ filiationes autem, scilicet naturalis per essentiam, & adoptiva per gratiam accidentalem, comparari possunt cum filiatione media, de qua loquimur, vel quoad formam, aut quasi formam, quæ tribuit jus ad hæreditatem: vel quoad modum obtinendi, aut participandi hæreditatem. Quantum ad formam vel quasi formam atinet, filiatio ista media, seu naturalis, competens Christo ut homini, magis accedit ad filiationem per essentiam; quia forma, aut quasi forma, seu ratio, tribuens Christo homini jus ad hæreditatem, est filiatio increata, seu Verbum, non quidem identificatum humanitati, sed tamen unitum.

Quoad modum autem obtinendi, vel participandi hæreditatem, filiatio ista media, competens Christo ut homini, accedit magis ad filiationem adoptivam; quia possessio hæreditatis, vel beatitudinis, qui habet Christus ut homo, seu in sua humanitate, incomparabiliter magis convenit cum possessione beatitudinis, quam habent alij justi ratione gratiæ accidentalis, quam conveniat cum possessione beatitudinis, quam habet DEUS, quæ est infinitè major. Cum autem ratio, an aliqua filiatio dicenda sit naturalis, an adoptiva, maximè sumatur ex forma, vel quasi forma, in qua fundatur, & ex intrinseca connexionione, unione, vel identitate, quam habet talis persona cum forma, vel quasi forma, hinc ista filiatio, Christi ut hominis, rectè dicitur naturalis; quia forma, vel quasi forma, est personæ Christi vel maximè connaturalis, & non tantum ei convenit per adoptionem, seu extrinsecam benevolentiam. Qui plura de hac quæstione tota desiderat, adeat Tannerum tom. 4.

disp. 1. q. 7. dub. 5. à n. 83.

627. **O**B. i. Christus habet gratiam sanctificantem ejusdem speciei cum nostra: sed gratia sanctificans denominat subjectum suum filium adoptivum: ergo etiam Christum ut hominem denominat filium adoptivum. Confirm. Christus ut homo potest dici servus: ergo etiam potest dici filius adoptivus. Resp. dist. mi. gratia sanctificans ita denominat subjectum capax hujus denominationis. conc. mi. subjectum incapax, neg. mi. & conseq. vide n. 594. Capacitas autem ad denominationem filij adoptivi requirit, ut subjectum sit persona aliena, vel extranea, prout dictum est n. 623. Quidam apud Tannerum tom. 4. disp. 1. q. 7. n. 93. dicunt, Christum etiam ratione gratiæ accidentalis esse filium naturalem; eoquòd, supposita unione, gratia hæc ei connaturaliter debeatur. At Suarez, & Vasquez apud eundem Tannerum putant, quòd Christus secundum hæc gratiam non possit dici filius; non enim adoptivus, ut dictum: non naturalis; quia per hanc gratiam humanitas non conjungitur Divinitati substantialiter quoad naturam.

628. Ad confirm. Hac in quæstione auctores graves sunt sibi oppositi. Vasquez tom. 1. in 3. p. disp. 8. per plura capita. Lugo de incarnat. disp. 28. per plures sectiones, & alij, negant, Christum etiam ut hominem posse dici servum: & quidem Lugo contendit, omnes textus, quibus Christus, vel à Scriptura, vel à Patribus, servus dicitur, esse in sensu allegorico accipiendos, idque vult probare ex epistolis Adriani, & Concilii Francofordiensis, citatis n. 622. in quibus aperte negatur Christus esse servus, & testimonia Patrum, Christum servum dicentium, allegorice explicantur. Hinc sec. 5. n. 44. concludit, Christum neque ut hominem posse dici servum, sicut non potest dici filius adoptivus. Rationem autem dat n. 45. quòd, sicut ad filium adoptivum requiritur natura extranea, ita ad servum requiritur inæqualitas cum domino, in jure ad honorem, vel cultum; cum tamen Christus habeat æquale jus ad parem honorem cum Patre.

Econtra Suarez tom. 1. in 3. p. disp. 44. sec. 1. §. Ad dirimendam. distinguit duplicem servitutem. Prima est servitus quasi legalis, orta vel ex delicto, in cuius poenam aliquis ad servitutem damnatus est: vel ex alia causa, ob quam quis ad vilem talem conditionem detrusus est; nam ex natura rei non est unus homo servus alterius. Altera autem est servitus naturalis respectu DEI, quæ non est conditio vilis, sed naturalis hominis. In primo sensu negat Eximius, Christum esse servum, atque, de hoc sensu intelligendum quoque esse Adrianum, & Concilium Francofordiense; cum potissimum agant

gant de servitute orta ex peccato: in altero autem sensu ait loco cit. §. Dico verò secundo. Christum esse servum; cum præsertim à plurimis SS. Patribus (qui cit. scilicet. 1. copiosè adducuntur) servus appelletur, & præsertim à S. Augustino ep. 178. *sub finem* ubi sic scribit: *In qua cum Christum infirmitate carnis non solum subditum, sed & servum evidentissime confitemur, ipso dicente in prophetia ad Patrem: O Domine ego servus tuus, ego servus tuus, & filius ancilla tua! Patet ergo, in quo sit equalis Patri Filius, in quo sit non solum subditus, aut inferior, sed etiam humillimus servus.*

Unde & S. Thomas 3. p. q. 20. a. 1. ad 2. ait: *Quamvis non proprie dicatur, quod natura sit domina, vel serva, potest tamen proprie dici, quod qualibet hypostasis, vel persona, sit domina, vel serva, secundum hanc, vel illam naturam. Et secundum hoc nihil prohibet, Christum dicere Patri subjectum, vel servum secundum humanam naturam.* Eximio consensit Tannerus tom. 4. disp. 1. q. 7. n. 17. ubi citat plures alios. Equidem Vasquez, & Lugo contendunt, à sibi contrariis auctoribus non satisfieri Concilio Francofordensi: at Eximius loc. cit. & Tannerus cit. q. 7. n. 22. putant, illi Concilio satisfieri per distinctionem duplicis servitutis, de qua paulò antè hoc numero dictum est. Non vacat diutius his immorari. videri poterunt auctores citati.

In forma resp. om. ant. neg. consèq. Disparitas inter filium adoptivum, & servum, juxta auctores, qui Christum posse dici servum asserunt, est, quòd ad servum non requiratur persona, aut natura aliena, seu extranea, sicut requiritur ad filium adoptivum; nam etiam in humanis potest dari simul filius naturalis, & servus: sed sicut ad denominationem mortalis, aut passibilis requiritur, & sufficit natura aliqua mortalis, vel passibilis, ita juxta istos auctores ad denominationem servi requiritur, & sufficit natura aliqua subjecta: qualis est natura humana etiam in Christo: sive requiritur, ut detur in natura assumpta essentialis dependentia à DEO, & subordinatio ad ipsum, ratione cujus ea natura plenariè subdatur potestati Divinæ: quæ omnia inveniuntur in natura humana Christi.

629. Ob. 2. Non dicitur quis filius naturalis, nisi respectu illius, ex quo naturaliter generatur: sed Christus ut homo, & secundum humanitatem, non naturaliter generatur ex DEO: ergo secundum humanitatem non est naturalis filius DEI. Confirm. 1. SS. Patres tantum agnoscunt duas generationes Christi, unam ab æterno Divinam ex Patre, alteram in tempore humanam ex matre: atqui juxta nos deberet dari tertia, scilicet, qua Christus, etiam secundum humanitatem, esset generatus ex Patre: ergo. Confir. 2. Christus ut homo non est DEUS: ergo neque est naturalis filius DEI. Resp. neg. ma. potest enim etiam aliquis dici naturalis filius patris, respectu cujus non habet naturam extraneam: sive potest etiam dici filius naturalis illi, cui à natura, seu prima origine congeni-

tum est, esse filium: atqui Christo à natura, sive prima origine, congenitum fuit, esse filium DEI, sive non habere naturam humanam extraneam, & alienam, sed potius habere jus in natura, etiam humana ut unita, ad hæreditatem Patris Divini: ergo.

Christus nempe à prima conceptione jam habuit unionem hypostaticam, quæ ei tribuit jus ad hæreditatem DEI, & naturam ejus humanam substantialiter Deitati copulavit. Neque tantum ab origine sua habuit jus ad gloriam eo modo, quo B. Virgo, & Angeli; nam isti habuerunt illud jus, ex aliquo accidentali dono, quod non constituit composita eorum substantialia; non enim B. Virgo, aut Angeli habuere realem, vel personalem unionem cum DEO: sed manserunt semper personæ alienæ, seu extraneæ: at Christus Dominus habuit illud jus per unionem substantialem, quæ intrinsecè constituit ipsum compositum Christus, & tollit rationem personæ alienæ.

630. Verum quidem est, hunc modum filiationis naturalis utique non esse tam perfectum, quam sit ille, qui est per generationem æternam: est tamen etiam hic modus sufficienter naturalis in sensu Theologico, & ab Ecclesia recepto. Licet autem in hoc sensu Christus non omni eadem proprietate, aut rigore, dicatur filius naturalis DEI, quæ proprietate, vel rigore dicitur filius naturalis ut Verbum, tamen dicitur proprie filius naturalis, in quantum denominatio filij naturalis etiam tribuitur illi, qui jus filij accipit ob aliquod suum constitutum, sibi intrinsicum.

Christus enim hoc jus accepit per constitutum aliquod suum intrinsicum, & quidem ratione ejusdem formæ, vel quasi formæ, ratione cujus est Filius DEI per generationem æternam, scilicet ratione Verbi, à quo Christus etiam ut homo sanctificatur, & accipit jus ad Beatitudinem, ex dictis à n. 585. & 587. quanquam utique hæc forma perfectius afficiat Christum ut DEUM, nempe per identitatem, quam Christum ut hominem, tantum per unionem, in quo est ingens discrimen, ut explicatum n. 626.

631. Ad 1. confirm. neg. mi. nam eadem generatio passiva, seu filiatio Divina æterna, denominat Christum duplici ratione filium naturalem: unâ, quatenus Christum ut DEUM, ratione identitatis, denominat Filium DEI naturalem per essentiam: alterâ, quatenus eum ut hominem, ratione unionis, denominat Filium DEI naturalem per unionem intrinsicam. Ad 2. confir. dist. consèq. Christus ut homo non est Filius DEI naturalis per essentiam, sive per identitatem. conc. consèq. non est Filius DEI naturalis per unionem, modo primùm explicato. neg. conf. Ad id autem, quod quidam objiciunt, hanc filiationem per unionem magis distare ab ea, quæ est per essentiam, quam ab illa, quæ est per adoptionem, jam satis responsum est n. 626.

632. Ob. 3. Filiatio ista naturalis, quæ tribuitur Christo secundum humanitatem, deberet ei convenire respectu totius SS. Trinitatis, ita, ut esset filius naturalis totius SS. Trini-

Trinitatis: sed hoc dici non potest: ergo. prob. ma. 1. hæc filiatio non potest convenire Christo, præcisè respectu Patris æterni; quia secundum humanitatem non est filius DEI, præcisè vi generationis æternæ, sed vi unionis, vel communicationis, vi cujus filiatio, quam habuit per generationem æternam, communicata est humanitati: sed hæc unio, seu communicatio, utpote opus ad extranea, non respicit solum Patrem, sed totam simul SS. Trinitatem, ut dictum est n. 193: ergo filiatio Divina secundum humanitatem convenit Christo, respectu totius SS. Trinitatis.

Prob. eadem major 2. Hæc relatio filij in Christo, secundum humanitatem ad DEUM, est temporalis, & fundatur in temporali productione mysterij incarnationis: sed omnis relatio temporalis, fundata in actione, vel productione temporali, respicit totam SS. Trinitatem: ergo. Prob. eadem ma. 3. Christus ut homo à tota SS. Trinitate habet suam beatitudinem, imò etiam jus ad beatitudinem, sive ad hæreditatem: ergo etiam à tota SS. Trinitate habet filiationem. vide Suarez tom. 1. in 3. p. disp. 49. sec. 1. §. Ad secundum argumentum. Probarur jam etiam minor superior. Si Christus esset filius totius SS. Trinitatis, esset etiam filius Spiritus S. imò & Verbi, seu sui ipsius ut DEI: sed hoc est absurdum, & contra S. Thomam 3. p. q. 32. a. 3. in corp. ergo.

633. Resp. conc. ma. in hoc præcisè sensu, in quo hic sumitur filiatio, & neg. mi. ad ejus probationem iterum neg. mi. Non est absurdum dicere, quòd Christus secundum humanitatem, in isto tantum sensu, seu ratione unionis hypostaticæ, à tota SS. Trinitate productus, sit filius totius SS. Trinitatis, seu Spiritus S. vel etiam sui ipsius ut DEI; hoc enim rationes allatæ bene probant; quia accipiendo filium in hoc sensu, non debet filius esse persona distincta à patre, modò naturæ sint distinctæ. Aliud est de patre, strictè generante, & filio strictè generato, per generationem æternam.

Quod attinet ad S. Thomam, in objectione adductum, is quidem eo loco negat, Christum dicendum esse filium Spiritus S. aut SS. Trinitatis: sed hujus suæ assertionis rationem dat, quòd id, quod alicui convenit secundum perfectam rationem, non debeat eidem etiam tribui secundum rationem imperfectam: adeoque videtur admittere, quòd in aliquo sensu minus perfecto, seu minus stricto, Christus ut homo possit dici filius Spiritus S. licet non in sensu tam stricto, in quo Christus ut Verbum dici potest filius DEI. Quòd autem S. Doctor dicat, Christum nullo modo dicendum esse filium Spiritus S. aut SS. Trinitatis, inde est, quòd Christus simpliciter sine addito, talis vocari non debeat, ex ratione, quam modò subjungemus, atque ex S. Augustini auctoritate, quam mox adducemus, & in qua Angelicus suam assertionem fundat.

634. Notantur bene Tannerus tom. 4. disp. 1. q. 7. n. 103. Suarez tom. 1. in 3. p. R. P. Ant. Mayr Theol. Tom. II.

disp. 49. sec. 1. §. Ad secundum argumentum. & Vasquez tom. 1. in 3. p. disp. 89. c. 14. n. 88. & 89. Christum ut hominem non esse simpliciter, sine addito limitante, dicendum filium SS. Trinitatis, aut Spiritus S. tum, ne significetur distinctio suppositorum, ita, ut Christus tanquam filius videatur esse suppositum distinctum à tota SS. Trinitate: tum, ne videatur esse sermo de generatione, seu filiatione Divina æterna, vel de generatione humana, quasi Spiritus S. ratione generationis humanæ sit pater Christi, sicut B. Virgo est ejus mater; hoc enim esset omnino falsum.

635. Sic enim loquitur Concilium Tolletanum XI. in profess. fidei circa medium: *Non tamen Spiritus Sanctus Pater esse credendus est Filij, pro eo, quòd Maria eodem Spiritu Sancto obumbrante concepit, ne duos Patres Filij videamur asserere, quod urique nefas est dici.* Scilicet nefas est dicere, Christum habuisse Patrem unum naturalem, ratione generationis æternæ increatæ, & alterum ratione generationis temporalis humanæ, quæ Spiritu S. obumbrante perfecta est. Non autem loquitur Concilium de generatione temporali per gratiam unionis, de qua nobis est sermo. De eadem generatione humana apertè loquitur S. Augustinus in enchiridio c. 38. ubi negat, Christum esse filium Spiritus Sancti; sic enim scribit: *Numquid tamen ideo dicturi sumus, patrem hominis Christi esse Spiritum Sanctum, ut DEUS Pater Verbum genuerit, Spiritus Sanctus hominem, ex qua utraque substantia Christus unus esset, & DEI Patris Filius secundum Verbum, & Spiritus Sancti filius secundum hominem, quòd quasi eum Spiritus Sanctus, tanquam pater ejus, de matre Virgine genuisset? quis hoc dicere audebit?*

636. Ob. 3. Si Pater, aut Spiritus S. fuissent incarnati, non fuissent filij DEI naturales: ergo neque Christus ut homo est filius DEI naturalis. prob. ant. unio illa hypostatica non uniret humanitatibus illis filiationem, sed paternitatem, aut spirationem passivam: ergo. Respondent aliqui 1. ipsum probationem antecedentis dare disparitatem. Sed non est verum, quòd filiatio Divina qua talis denominet Christum, secundum humanitatem acceptam, filium DEI naturalem; aliàs enim, si incarnaretur Pater, denominaret paternitas illum hominem, etiam secundum humanitatem acceptam, Patrem DEI, adeoque tunc Verbum esset filius Patris, secundum humanitatem acceptam, quod est absurdum, & falsum. Unde melius cum Suarez tom. 1. in 3. p. disp. 49. sec. 1. §. Ad argumenta. Resp. 2. neg. ant. ad prob. neg. consèq. non enim Christus secundum humanitatem dicitur filius DEI naturalis; quia unitam habet filiationem Divinam æternam formaliter talem, & sub ratione filiationis: sed quia habet sibi unitam aliquam substantiam Divinam, quæ facit, ut natura illa non sit extranea, sed habeat, ratione alicujus sibi per unionem intrinseci, jus ad hæreditatem &c. quæ non minus conveni-

rent personalitatis Patris, & Spiritus S. quam modò conveniant personalitati Filij.

637. Nec dicas, Patrem, & Spiritum Sanctum, secundum humanitatem acceptos, in eo casu non habituros beatitudinem ut hæreditatem, sed tantum ut aliquam proprietatem, sicut Christus habet defacto scientiam infusam; hæc enim est quæstio de voce: & videtur in eo casu non minus beatitudo posse dici hæreditas respectu Patris ut hominis, quam modò possit dici hæreditas respectu Filij ut hominis. Quidquid autem sit de quæstione nominis, reipsa ad filium, in sensu conclusionis nostræ naturalem, sufficit, quòd habeat jus intrinsicum ad bona paternam atque in eo casu Pater, & Spiritus S. haberent idem jus, quod nunc habet Filius, seu Christus, & eodem modo, atque ex eadem ratione, scilicet per gratiam unionis: nec videretur ulla ratio, cur Christus magis dicatur hæres, quam in eo casu Pater, aut Spiritus S. incarnatus: ergo. Iterum tamen hic rectè monent auctores, cautè esse loquendum, ne tribuendo Patri, vel Spiritui S. nomen Filij, videamur Personas confundere: quòd evitabitur, si addatur: *per gratiam unionis.*

ARTICULUS VII.

An, & quomodo conveniat Christo ratio Capitis.

638. Quando quæritur, an Christus sit caput creaturarum, utique non est quæstio, an Christus sit caput physicum: sed, an ut caput morale, seu princeps, & quidem non qualiscunque, sed talis, ut tanquam caput suo influxu membra sua conservet; imò etiam efficiat, sibi que uniat: quòd facere non potest caput physicum. Hic autem influxus Christi aliud non est, quam influxus gratiæ, tum auxiliantis, tum sanctificantis, quam utramque gratiam Christus nobis meritus est, atque infundi fecit. Per membrum autem morale, (de quo hic etiam loquimur) intelligitur pars aliqua corporis moralis, vel communitatis, quæ influxum recipit, quales partes sunt communiter subditi respectu principis.

639. In communitatibus politicis terrenis (sicut etiam in corporibus physicis) caput quoque, seu princeps, est strictè membrum; quia vicissim etiam recipit influxum, seu sustentationem à membris, sive subditis; at in corpore morali, seu mystico Christi, res non ita se habet; nam Christus est ita caput, ut non sit in sensu stricto membrum, quia tantum communicat suum influxum alijs membris: non autem recipit ullum influxum, à membris. Unde, quando S. Paulus 1. Cor. 12. v. 27. dicit, fideles esse membra de membro, explicat id S. Thomas lect. 3. in 1. Cor. 12. his verbis: *Ita distinguimur, & ordinamini ad invicem, sicut unum membrum ad aliud:* & sic etiam ea verba explicat Cornelius in hunc locum: quòd scilicet per ea significetur, fideles esse vicissim membra, & partes ejusdem corporis; sicut

ait idem Apostolus ad Rom. 12. v. 5. *Singuli autem alter alterius membra:* non quòd intelligat, quemvis esse partem alterius, sed tantum, esse compartem, seu commembrum cum altero; unde illud de membro, non necessarìo intelligitur de Christo: certè non intelligitur de ipso ita, ut influxum recipiat à membris.

640. Dico jam 1. Ratio capitis competit Christo ut DEO-homini. ita communis. Prob. conclusio 1. S. Paulus ad Ephes. 1. loquitur clarè de Christo ut DEO-homine; nam v. 7. ait: *In quo habemus redemptionem per sanguinem ejus, remissionem peccatorum:* quæ nec de solo DEO, nec de solo homine possunt dici, ut patebit magis ex n. 642. postea autem idem Apostolus v. 22. de eodem Christo subjungit: *Et omnia subjecit sub pedibus ejus: & ipsum dedit caput super omnem Ecclesiam.* Pariter ad Coloss. 1. v. 14. idem Apostolus de Christo scribit: *In quo habemus redemptionem per sanguinem ejus, remissionem peccatorum:* & v. 18. *Et ipse est caput corporis Ecclesia, qui est principium, primogenitus ex mortuis:* ergo juxta S. Paulum, Christo ut DEO-homini, competit ratio capitis Ecclesiæ.

641. Prob. conclusio 2. Christus dicitur caput, non tantum, prout est dominus; non enim dicitur caput aquarum, vel arborum: nec etiam dicitur caput, tantum, ut est præcisè quomodocunque dans gratias; nam dicitur caput in aliquo speciali sensu, in quo nec Pater Divinus, nec Spiritus S. (qui ex S. Thoma 3. p. q. 8. a. 1. ad 3. dicitur cor Ecclesiæ) dicitur caput: scilicet dicitur Christus caput, ut influens gratias ex meritis suis, sive ut redemptor, aut præservativus, aut reparativus: atque esse talem redemptorem, & mererè alijs, maxime peccatoribus, gratiam, & justitiam, convenit Christo, nec ut DEO solum, nec ut homini solum, sed ut DEO-homini simul: ergo.

642. Major negari non potest; nam vocem capitis sic accipiunt ubique Patres, atque doctores. mi. constat ex jam sæpe dictis; nam Christus ut tantum DEUS non potuit mereri; quia non potuit obsequium præstare: neque etiam ut purus homo potuit alijs mereri justitiam &c. ut constat ex n. 317. & 320. ergo debuit mereri ut DEUS homo simul. Hinc illud S. Leonis *serm. 1. de nativ. Domini.* *Nisi enim esset verus DEUS, non adferret remedium: nisi esset homo verus, non præberet exemplum.*

643. Confir. Virtus influendi, ex merito suis, gratiam in alios, convenit Christo, partim secundum gratiam accidentalem creatam, partim secundum substantialem increatam: ergo convenit ipsi ut DEO-homini. prob. antec. ab accidentali gratia habet ut homo-principia intrinseca, quibus elicere potuit operationes meritorias: à gratia substantiali ut DEUS habet formam condignificantem, ex quibus confurgit meritum Christi infinitum, ex dictis n. 359. ergo.

An, & quomodo conveniat Christo ratio Capitis.

644. Dico 2. Christus est caput omnium hominum viatorum: item existentium in purgatorio: atque etiam Beatorum: non verò damnatorum. ita S. Thomas, & communis Theologorum. Refero verba Angelici 3. p. q. 8. a. 3. in corp. sic ait: *Christus est caput omnium hominum, sed secundum diversos gradus; primò enim, & principaliter est caput eorum, qui actu uniantur sibi per gloriam: secundò eorum, qui actu uniantur sibi per charitatem: tertio eorum, qui actu uniantur sibi per fidem: quartò verò eorum, qui sibi uniantur solum in potentia, non dum reducta ad actum, quæ tamen est ad actum reducenda secundum Divinam prædestinationem: quinto verò eorum, qui in potentia sunt sibi uniti, quæ nunquam reductur ad actum: sicut homines in hoc mundo viventes, qui non sunt prædestinati: qui tamen ex hoc seculo recedentes totaliter desinunt esse membra Christi; quia jam nec sunt in potentia, ut Christo uniantur.* Hucusque Angelicus, ubi rationem membri constituit in unione morali cum Christo, quæ unio stat in aliquo influxu alicujus boni, seu gratiæ.

645. Prob. jam conclusio. Christus est caput illorum, tanquam membrorum, in quos habet influxum, ut constat ex n. 641. & seq. sed in omnes homines, tam viatores, quam in purgatorio detentos, aut in celo beatos, Christus habet influxum: ergo. mi. prob. Christus his omnibus tribuit per sua merita, aut gloriam, aut gratias, in ordine ad fidem, & charitatem, saltem tales, quibus possent, si vellent, venire ad fidem; nam, ut probatum n. 496. meritis est omnibus hominibus omnem gratiam, & gloriam, quamcunque acceperunt: & præteritum ut probatum est n. 406. meritis est omnibus gratiam saltem sufficientem: ergo.

In damnatos autem Christus nullam amplius influat gratiam, nec sufficientem; unde eorum non est amplius caput in hoc sensu: quamvis eorum caput sit in alio sensu latiori, quo per caput præcisè significatur dominus. Quia tamen influxus Christi diversus est, & major in quosdam, quam in alios; hinc Christus magis dicitur caput eorum, in quos plus influat: & magis dicuntur etiam isti membra, qui magis ei sunt uniti, e. g. magis, & in strictiore sensu dicitur membrum Christi, qui est intra Ecclesiam per baptismum, & fidem, quam qui extrinsecus adhuc existens, tantum habet potentiam eam intrandi: & hinc in uno sensu potest negari, tales esse membra Christi, non verò in omni.

646. Dico 3. Christus etiam est caput SS. Angelorum, Dixi *sanctorum*; quia damnatorum, seu dæmonum, non amplius est caput, nisi in sensu latiori, in quo caput significat dominum: fuit tamen etiam in sensu strictiori caput eorum, dum erant in via; quia & ipsis meritis est gratiam, qua potuissent à lapsu præservari. ita Theologi communiter, quamquam non ex eadem ratione. Prob. conclusio 1. ex S. Augustino

enarrat. in psalm. 36. non vult longe à principio, ubi sic scribit: Caput nostrum Christus est: corpus capitis illius nos sumus: nunquid soli nos, & non etiam illi, qui fuerunt ante nos? Omnes, qui ab initio sæculi fuerunt iusti, caput Christum habebunt... adjunctis etiam legionibus, & exercitibus Angelorum.

Prob. conclusio 2. ratione. Christus ut DEUS-homo meritis est sanctis Angelis omnem gratiam, & gloriam, accidentalem, & essentialem, eosque etiam præservavit à lapsu: ergo quoque est caput eorum, etiam relatè ad gratiam, & gloriam essentialem, consequentia est clara. antec. etiam fuit probatum à n. 495. & quæ huic conclusioni objici possunt, jam soluta sunt à n. 508.

647. Ob. 1. contra 1. conclus. S. Paulus ad Ephes. 1. quom locum citavimus n. 640. loquitur de Christo tantum ut homine: ergo Christus tantum ut homo, & non ut simul DEUS, est caput omnium, saltem hominum. prob. antec. S. Thomas lect. 8. in epist. ad Ephes. c. 1. v. 22. ait, eum textum explicandum esse de Christo ut homine; nam ait Angelicus, illa verba *sub pedibus*, significare humanitatem Christi: & hinc S. Doctor ita infert: *Est ergo sensus, quòd omnia creata non solum subjecit Pater Christo, in quantum est DEUS, cui ab æterno omnia sunt subiecta, sed etiam humanitati ejus: ergo, Confir. Soli humanitati conveniunt omnia, quæ spectant ad rationem capitis: ergo.*

Resp. Ex capite primo epist. ad Ephesios, utique aliqua non conveniunt Christo ut tantum DEO, e. g. quando dicitur v. 19. suscitatus à mortuis, vel v. 7. habere sanguinem &c. Concedi etiam potest, quòd Christus acceptus ut tantum homo, sit caput in eo sensu, in quo caput significat dominum; hoc enim ad summum vult S. Thomas. Ac non conveniunt Christo, ut tantum homini, omnia in eo capite contenta: neque Angelicus ullibi dicit, ea omnia convenire Christo ut tantum homini. Et sanè nunquam poterit probari, quòd Christo ut tantum homini conveniat ratio capitis in sensu, in quo nos loquimur, hoc est, ratio influentis, vi meritorum suorum, gratiam, & justitiam in peccatores, ut in ipso habeamus *redemptionem per sanguinem ejus, remissionem peccatorum.*

648. In forma. neg. ant. nam, ut patet ex modò dictis, verba Apostoli non conveniunt soli homini, ut nec soli DEO, sed DEO-homini. Et hinc neque convenit Christo, ut tantum homini, ratio capitis, si caput sumatur in nostro sensu, ad prob. dist. ant. S. Thomas ait, aliqua verba Apostoli, nempe illa: *Et omnia subjecit sub pedibus ejus:* esse explicanda etiam de Christo, ut tantum homine. conc. ant. ait, esse de Christo ut homine explicanda omnia dicta, & quidem, ut tamen vox *caput* sumatur in nostro sensu. neg. ant. & conf. Ad summum S. Doctor vult, Christum ut tantum hominem posse dici caput, prout hoc significat dominum.

<i>Art. IV. Solvuntur reliqua Objectiones.</i>	285
<i>Art. V. Aliqua quaestio huc spectantia.</i>	291

QUÆSTIO II.

De Malitia Peccati.

<i>Art. I. An Malitia Peccati mortalis sit infinita.</i>	294
<i>Art. II. Solvuntur Objectiones.</i>	301
<i>Art. III. An pura creatura possit condigne satisfacere pro peccato mortali, vel veniali.</i>	311
<i>Art. IV. Solvuntur Objectiones.</i>	326
<i>Art. V. Solvuntur reliqua Objectiones.</i>	335

QUÆSTIO III.

De Valore Meritorum Christi.

<i>Art. I. An, & unde Merita Christi sint infinita.</i>	347
<i>Art. II. Solvuntur Objectiones.</i>	353
<i>Art. III. An homo possit obligari, vel actu obligetur DEO ex rigore justitiae commutativae.</i>	366
<i>Art. IV. Solvuntur Objectiones.</i>	373
<i>Art. V. An DEUS possit obligari Creaturae ex justitia commutativa.</i>	381
<i>Art. VI. Solvuntur Objectiones.</i>	386
<i>Art. VII. Solvuntur reliqua Objectiones.</i>	390
<i>Art. VIII. An Christus satisfecerit ex rigore justitiae.</i>	399
<i>Art. IX. An Christi satisfactio fuerit superabundans.</i>	401
<i>Art. X. Solvuntur Objectiones.</i>	408


DISPUTATIO IV.

De Vi Meritoria Operum Christi. 414

QUÆSTIO I.

De Libertate Christi.

<i>Art. I. An, & unde Christus Dominus habeat impeccabilitatem.</i>	415
<i>Art. II. Solvuntur Objectiones.</i>	420
<i>Art. III. An, & quam libertatem habuerit Christus Dominus ad moriendum.</i>	427
<i>Art. IV. Solvuntur Objectiones.</i>	436



<i>Art. V. Solvuntur reliqua Objectiones.</i>	445
---	-----

QUÆSTIO II.

De Objectis Meritorum Christi.

<i>Art. I. Quid, & quotuplex sit Meritum.</i>	451
<i>Art. II. An Merita Christi sint Impetratoria, vel Compensativa.</i>	458
<i>Art. III. Solvuntur Objectiones.</i>	466
<i>Art. IV. Solvuntur reliqua Objectiones.</i>	475
<i>Art. V. An, & quid Christi sit meritum sibi, Angelis, & hominibus.</i>	485
<i>Art. VI. Solvuntur Objectiones.</i>	497
<i>Art. VII. Solvuntur reliqua Objectiones.</i>	507
<i>Art. VIII. An, & quid Beatissima Virgo, ac Progenitores Christi sint meriti, in ordine ad Incarnationem.</i>	519
<i>Art. IX. Solvuntur Objectiones.</i>	524

DISPUTATIO V.

De Intellectu, & Voluntate Christi. 532

QUÆSTIO I.

De Intellectu Creato Christi Domini.

<i>Art. I. An in Christo detur intellectus creatus, & voluntas creata.</i>	533
<i>Art. II. An Christus ante mortem habuerit visionem beatificam, vel alias scientias.</i>	540
<i>Art. III. Solvuntur Objectiones.</i>	548
<i>Art. IV. Quanam objecta per has scientias Christus cognoverit.</i>	559
<i>Art. V. Solvuntur Objectiones.</i>	575

QUÆSTIO II.

De Voluntate Creato Christi Domini.

<i>Art. I. An, & à qua forma substantiæ sanctificetur voluntas creata, seu humanitas Christi Domini.</i>	584
<i>Art. II. Solvuntur Objectiones.</i>	589
<i>Art. III. Quam gratiam habitualement habuerit Christus, & B. Virgo.</i>	600
<i>Art. IV. Solvuntur Objectiones.</i>	611
<i>Art. V. An gratia habitualis denominet Christum filium DEI adoptivum.</i>	621
<i>Art. VI. Solvuntur Objectiones.</i>	627
<i>Art. VII. An, & quomodo conveniat Christo ratio Capitis.</i>	638

TRACTATUS
THEOLOGICUS.

In Tertiam Partem

DIVI THOMÆ AQUINATIS.
DE SACRAMENTIS IN GENERE.



Scienter Angelicus, cum per quinquaginta novem quaestiones priores, tertiae partis Summae Theologicae, de Verbi Divini incarnatione, passione, ac morte, tanquam de fonte egisset, inde quaestione sexagesima ad rivos prosequendos descendit, scilicet ad explananda sanctissima sacramenta, de quibus sic scribit S. Augustinus *tract. 15. in Joan. ante medium: De latere in cruce pendentis lancea percusso, sacramenta Ecclesia proflexerunt.* Sed & alii SS. Patres passim docent, è latere morientis DEI, novae legis sacramenta fluxisse, ceu flumina caelestium gratiarum. De his igitur nunc etiam agendum est nobis: non tamen omnium explanationem tentabimus, sed pro more hinc recepto, primò de omnibus tractabimus quaestiones genericas (qua tamen occasione multa, pluribus peculiariter, exponemus) tum verò de quibusdam quaedam in specie, potissimum autem de sacrosancta Eucharistia ex professo plura examinabimus.

DISPUTATIO I

De Essentia Sacramentorum.

2. **S**I circa ullum dogma palam se profert spiritus vertiginis haereticorum, maximè se prodit circa sacramenta, sive nomen, sive substantiam, sive numerum eorum spectemus. Duplicet illis in primis vox *sacramentum*: dein etiam longè aliam substantiam, seu essentiam iis affingunt, quam à Christo institutore acceperint, nec tamen semper eandem. Vel maximè autem circa eorum numerum variant, adeò, ut modò duo, modò tria, modò quatuor, plura, vel pauciora, pro diversitate temporis statuant, non sine maximo inconstantiae in re gravissima probro. Nos quidem controversias de sacramentis quaestiones Polemicis Theologis R. P. Ant. Mayr Theol. Tom. II.

ut plurimum relinquemus: attamen magis scholasticas copiosius pertractabimus: & hac quidem prima disputatione, de nomine, essentia, existentia, numero, & partibus sacramentorum agemus.

QUÆSTIO I.

De Definitione Sacramenti in genere.

ARTICULUS I.

Quid censendum de voce Sacramentum.

3. **H**æreticis nostri temporis adeò invisum est, quidquid Ecclesia Catholica tenet, ut vel voces ab ea usurpatas carpere studeant. Lutherus *l. de captiv. Babyl. c. de matrimonio*, clamat: *Non habet unversam Scripturam Sanctam hoc nomen sacramentum in ea significatione, qua noster usus est.* Postea tamen homo inconstans, dum contra Carolstadium, & Zvinglium, vocem hanc improbantem, scribit, hos duos, & seipsum reprehendit: & quidem in Carolstadium *l. contra caelest. prophetas part. 2.* sic infurgit: *Imo verò placet vox ista; nec enim DEUS in sacris literis usquam prohibuit, ne ejusmodi voce uteremur: & quis tandem es Carolstadi, ut te ponas loco DEI, & nobis prohibeas, quod ille non prohibuit? & iterum: Quis ergo tibi dedit potestatem prohibendi, quod DEUS non prohibet? an non est verus animicida, qui se ponit loco DEI super nos, & auferit nostram libertatem?* Hanc vocem ex professo etiam impugnat Carolstadius *l. de imaginibus, & sacramentis*; item Zvinglius *l. de vera, & falsa relig.* Calvinus autem *l. 4. instit. c. 14. §. 13.* ait, se nolle de ea contendere, quanquam antiqui hanc significationem pro libitu huic voci tribuerint.

Notandum est autem, Biblia Sacra initio non fuisse latine conscripta, sed partim hebraicè, partim graecè; unde non ipsa vox *sacramentum*, sed alia æquivalens, in iis qua-

Hanc stabilitatem requiri ad sacramentum communiter docent Theologi: & rectè probat Suarez tom. 3. in 3. p. disp. 1. sec. 3. §. Dicoteritio. inductione omnium sacramentorum, tum veteris, tum novæ legis. Certè, licet de sacramentis veteris legis, eorumque numero, definitio Ecclesiæ non habeatur, tamen communiter Theologi videntur supponere, omnia illa, quæ sacramenta fuisse communiter admittuntur, fuisse stabili lege instituta.

9. Ex quo colligitur, hanc vocem *sacramentum* non fuisse ab Ecclesiâ attributam, nisi cæremoniis stabilibus: sicut diximus, non fuisse attributam, nisi signis sensibilibus: & in his quæstionibus de voce acquiescendum est auctoritati, & voluntati instituentium. An aliæ rationes, à Suarezio loco num. preced. citato adductæ, vim habeant, nosim decidere. Opponitur iis paritas cum sacrificio, quod etiam stabile debere esse eadem rationes probarent; non enim magis sacramentum, quàm sacrificium est cæremonia religionis, per quam invicem populi discernuntur &c. & tamen sacrificium Abrahæ, si completum fuisset, & sacrificium Christi Domini in cruce consummatum, non fuere stabilia.

Jam verò quàm diu sacramentum debeat durare, certò definiri non potest; quòd enim aliqui requirant durationem tantam, quanta est duratio legis, cujus est sacramentum, videtur sine sufficienti fundamento dictum, etque sententiæ Arriagæ tom. 7. tract. de sacram. in genere. disp. 1. sec. 4. n. 38. opponit, quòd lex naturæ nondum cessaverit in Abrahamo; cum duraverit adhuc quadringentos circiter annos, usque ad Moysem: at verò cessaverit remedium illud, seu sacramentum legis naturæ, pro parvulis ab originali liberandis institutum, cui successit circumcisio, à DEO Abrahæ, & posteris ejus præcepta. Quænam autem stabilitas sufficiat, & an e.g. duratio centum annorum, vel plurium, aut pauciorum requiratur, resciri non potest.

10. Dicitur 4. in *pignus gratiæ instituta*, & per has voces sacramenta potissimum differunt ab aliis cæremoniis, signis, vel rebus, quæ aliàs videntur cum iis similitudinem habere. Per gratiam autem intelligitur gratia sanctificans, seu habitualis, quam quodlibet sacramentum debet figurare, seu significare: imò quodlibet sacramentum novæ legis non tantum debet significare quomodo cunctum, sed causativè, seu tanquam causa gratiæ, ut clarè habetur ex Concilio Florentino in decreto Eugenii pro Armenis, ubi sic habetur: *Novæ legis septem sunt sacramenta, videlicet baptismus, confirmatio, Eucharistia, pœnitentia, extrema unctio, ordo, & matrimonium: quæ multum à sacramentis differunt antiquæ legis; illa enim non causant gratiam, sed eam solum per passionem Christi dandam esse figurabant; hæc verò nostræ, & continent gratiam, & ipsam digne suscipientibus conferunt.*

Idem inferitur ex Concilio Tridentino, sess. 7. can. 6. de sacram. in genere, ubi anathematizatur, si quis dixerit, *sacramenta nova legis non continere gratiam, quæ significant.* Quare, si dēnitio sacramenti univocè convenit cuique sacramento, tam novæ, quàm antiquæ legis, debet etiam quodlibet sacramentum antiquæ legis gratiam sanctificantem significare, sive ejus signum esse. Quod autem quodlibet sacramentum sit signum (quod prædicatum juxta omnes cuilibet sacramento debet inesse) explicatur per vocem *pignus*; omne enim pignus alicujus rei est signum ejusdem; quia eam revocat in memoriam, præsertim si sit arrha, seu pignus, specialiter pro illa re institutum.

Dicitur 5. *instituta*, id est, à DEO, vel à Christo, qui, ut solus est dator gratiæ, ita solus potest, auctoritate propria, pignus gratiæ instituire; licet enim homines possint instituire voces, quæ gratiam ex placito hominum significant: non tamen possunt eas instituire in pignus gratiæ. Per eandem vocem *pignus* habetur, sacramenta esse signa ad placitam, quæ scilicet suam vim significanti non habeant ex necessaria connexionē, sed ex voluntate instituentis, sicut aliæ voces respectu aliarum rerum significatarum. Et hoc patet inductione de omnibus sacramentis, sive in veteri, sive in nova lege, existentibus; quia nec ablutio in baptismo, nec unctio in confirmatione, habet connexionem naturalem cum gratia interna, ut sit ejus arrha, vel pignus infallibile: & sic de aliis.

11. Parum autem hic refert, an (ut Lugone disp. 1. sec. 3. n. 29. contendit) possibile sit signum naturale gratiæ sanctificantis, id est, non signum naturale, prout naturale opponitur supernaturali (utique enim non esset in hoc sensu naturale, sed manifestè supernaturale) sed prout naturale signum opponitur signo ad placitum; etiam si enim tale signum, vel etiam tale pignus gratiæ, possibile foret, non foret sacramentum; quia hæc vox (ut supra diximus de prædicationis sensibile, & stabile) non tribuitur à Patribus, aut Theologis, nisi signis ex beneplacito DEI, ad gratiam significantandam institutis: ne oportet aliam causam investigare impositionis nominum præter instituentium voluntatem.

12. Restat, ut ostendatur, sacramentum quodlibet, sive antiquæ, sive novæ legis, esse *pignus gratiæ*, per quæ verba intelligitur, sacramentum quodlibet esse arrham, & certum signum, vi cujus contestatus est DEUS, & confirmavit suam promissionem, aut promissiones, de gratia danda. In quo tamen juxta nos faciendum est discrimen inter sacramenta antiquæ, & novæ legis; nam illa erant pignora gratiæ, danda per Christum in lege nova, & per sacramenta nova: sacramenta verò legis novæ sunt pignora gratiæ, quæ datur in lege nova, & per ipsa hæc sacramenta, tanquam causas

causas, quando adhibentur, ut inferius dicemus.

Neque dicas, pignus existere debere ante rem, cujus est pignus; hoc enim necessarium non est: sufficit, si pignus se habeat per modum manifestationis, donationis jam factæ, seu collationis rei promissæ: sic e.g. rectè dicit: *Do tibi hanc rem in pignus amoris, quem erga te habeo*: vel: *Do tibi pignus in pignus libertatis, quam tibi actuo*: vel: *Do tibi annulum, & baculum, in pignus dignitatis Episcopalis.* Ne autem tibi scrupulum moveat, quòd sacramenta nova sint causa gratiæ, en aliud exemplum: rectè quis dicit: *Promitto tibi centum, & in pignus hujus promissionis, vel donationis, relinquo tibi liberum usum clavus ad cistam: per quem usum potes tibi acquirere centum, quando placet*; sic enim ferè DEUS dicit: *Promitto tibi gratiam, & in pignus meæ promissionis, relinquo tibi baptismum, vel usum aquæ, & certorum verborum &c. per quem posses tibi acquirere gratiam.*

13. Quod autem sacramenta omnia sint talia pignora gratiæ, probatur. Et quidem de sacramentis novæ legis id facile ostenditur; cum enim sint signa gratiæ, instituta à Christo, & annexam habeant promissionem, de danda mediantibus illis gratia, utique sunt signa, contestantia voluntatem Christi de danda gratia, & quasi sigillum confirmativum voluntatis, seu promissionis Divinæ, qua DEUS eam se daturum spondit. Hinc Bellarminus tom. 3. contr. general. 3. de sacramento Eucharistia l. 1. c. 11. §. Ad tertiam. ubi explicat verba illa Christi, institutis SS. Eucharistiam *Matth. 26. v. 28. Hic est enim sanguis meus novi testamenti*: ait, testamentum sumi pro Divina promissione, sèque refert ad priora dicta eodem cap. §. *Quantum ad alterum*. ubi explicans illa verba ad Hebr. 9. v. 20. *Hic sanguis testamenti &c.* ait, sensum esse: *Hic est sanguis, quo sancitur, & confirmatur voluntas, pactum, promissio DEI &c.*

Ex quo habemus, sacramentum Eucharistiæ esse pignus gratiæ, in sensu supra explicato: & idem censendum est de aliis sacramentis novæ legis, quæ eod. cap. §. *Secundo vocatum est.* dicuntur ab eodem Bellarmino, convenienter ad modum loquendi S. Scripturæ, testamenta, seu instrumenta authentica, juris nostri ad hæreditatem, quod jus est gratia sanctificans. Et confirmatur ex S. Bernardo sermon. in cæna Domini. ubi sacramenta comparat annulo, & baculo, quibus, tanquam signis, & pignoribus, confertur dignitas aliqua, vel possessio: adeoque ad mentem mellissui Doctoris, sacramenta nostra sunt pignora, quibus confertur gratia.

14. Antequam idem ostendam de sacramentis antiquæ legis, obiter hic intersero, ea fuisse varia: & quidem juxta S. Augustinum contra Faustum l. 19. c. 13. plura, quàm modò sint in lege nova. Ea S. Thomas 2. 2. q. 102. a. 5. in corp. reducit ad duplicem

classem, unam eorum, quæ fuere omnibus communia, ut fuere circumcisio, efus agni paschalis, & azymorum, ac variæ purificationes, seu ablutiones: alteram eorum, quæ fuere peculiariter sacerdotibus, seu ministris altaris, ut fuere ordinatio sacerdotum (in qua adhibebantur etiam aliqua sacrificia) oblatio victimarum, & efus panum propositionis, lotio manuum, ac pedum, rasio pilorum corporis.

Jam de his sacramentis etiam ostenditur, quòd sint pignora gratiæ, non quidem per ipsa, sed per sacramenta novi testamenti conferenda. Inprimis circumcisio appellatur Gen. 17. v. 10. *pactum*, & v. 11. *signum fæderis* inter DEUM, & Abrahamum: scilicet (ut explicat Bellarminus §. *Secundo vocatum est. num. preced. citato*) erat promissio, vel instrumentum promissionis, vi cujus Judæis datum erat jus ad terram promissionis: quin etiam circumcisio erat pignus, & promissio de eligendo populo Judæo in peculiarem populum DEI, atque mittendo aliquando Christo, auctore gratiæ, & consequenter de ipsa gratia danda; hæc enim erat promissio facta Abrahæ, quam ita extollit S. Paulus in suis epistolis ad Rom. & Hebr. ut ex ea, & non ex lege, salutem ortam voluerit.

Quod autem dictum est de circumcisione, idem intelligendum est de reliquis legis illius sacramentis; nam etiam reliqua fuere talia signa, seu promissiones Christi, & ejus gratiæ: & hinc S. Augustinus enarrat in psal. 39. *sub medium*, loquens de figuris, sacrificiis, aut sacramentis, sic ait: *Illæ omnia quasi verba erant promittentis, & verba promissiva*: erant autem, ut S. Doctor ibi pluribus exponit, promissiva Christi, ejusque SS. Corporis, & Sanguinis. & enarrat in psal. 73. *non longè à principio*, docens, non esse eadem sacramenta in veteri, & nova lege, sic scribit: *Alia sunt sacramenta dantiæ salutem, alia promittentiæ salvatorem. Sacramenta novi testamenti dant salutem: sacramenta veteris testamenti promiserunt salvatorem.* Jam si ista sacramenta promiserunt Christum salvatorem, etiam promiserunt gratiam, per salvatorem dandam.

15. Consentiunt Theologi complures, qui ajunt, sacramenta aliquo modo vocari posse promissiones, seu potius signa earum, prout sæpe signum, seu imago Cæsaris, vocatur Cæsar; nam auctores (excepto Lugone, qui disp. 1. de sacram. sec. 2. n. 17. vult, ea fuisse formales promissiones) dicunt, ea posse dici aliqua ratione promissiones, ita loquitur Dicastillo tr. 1. de sacram. disp. 1. dub. 2. n. 20. & Haunoldus l. 4. tract. 2. n. 484. ait, sacramenta potius esse signa promissionis: quamvis addat, signum tale etiam posse dici promissionem.

Suarez quoque tom. 3. in 3. p. disp. 1. a. 5. sec. 2. §. *Atque hinc intelligitur.* sic scribit: *Vetera autem sacramenta ex se tantum erant signa promissiva gratiæ in futurum.* Et sic etiam loquuntur plures alii Theologi, qui sacramenta vocant *signa promissiva*: per quæ verba volunt dicere, quòd sacramenta non sint signa purè speculative demonstrativa, sed

se habeant per modum sigilli, confirmantis promissiones DEI: ob quam rationem possunt etiam aliquo modo vocari promissiones: sicut scilicet imago Cæsaris potest dici Cæsar, ut modò diximus: non tamen sunt strictè dictæ, aut formales promissiones DEI: præterquam, quòd difficulter probaretur, sacramenta esse formales locutiones DEI, quales tamen esse deberent, si essent formales promissiones. Adde, quòd Scripturis citatis conformius sit, si sacramenta dicantur signa, seu pignora promissionum Divinarum, quàm si dicantur esse ipsæ promissiones.

ARTICULUS III.

Quenam à ratione Sacramenti per hanc Definitionem excludantur.

16. **N**Oto in primis, aliquod verbum definitionis alicujus (præfertim, si sit definitio tantum descriptiva, nec ad omnes minutias logicas exacta, qualis est nostra sacramenti in genere accepti) posse esse genus respectu unius, & differentiam respectu alterius, & vicissim: imò in definitionibus etiam rigorosis id fieri posse videtur; nam in definitione hominis *animal* est genus respectu hominis, & leonis: at respectu hominis, & Angeli, est differentia: vicissim *rationale* est genus respectu hominis, & Angeli, respectu autem leonis, & hominis, est differentia; quod enim quidam dicunt, *rationale* non significare descriptivum quomodocunque, sed dependenter à sensibus, videtur esse contra communiter usitatum hujus vocis acceptionem.

Unde etiam in nostra definitione aliquod prædicatum est genus, respectu sacramentorum simul, & sacramentalium, e.g. *cæremonia sacra*, & quidem *stabilis*: respectu verò aliorum est differentia, scilicet respectu eorum, quæ quidem fuisse pignus gratiæ, at tamen, vel non fuerunt cæremonia sacra, vel non stabiles: sicut resurrectio Christi, quæ fuit pignus nostræ justificationis, seu gratiæ, tamen, quia non fuit cæremonia sacra, saltem non stabilis, non fuit sacramentum. Econtra *pignus gratiæ* est differentia respectu sacramentorum, & sacramentalium: & tamen est genus respectu sacramentorum, & resurrectionis Dominicæ. Quare modò duo in aliquo prædicato definitionis disconvenient, jam sufficienter differunt: & hinc, si obiciatur, nostram definitionem convenire alicui, quod aliàs non solet sacramentis annumerari, subitò omnes definitionis partes in memoriam revocandæ sunt, & scilicet aliqua invenietur, quæ deficiat.

17. In primis igitur definitio nostra non convenit vocibus hæc *gratia sanctificans*; vel etiam illis: *Ego te absolvo à peccatis*: si attendatur præcisè ad significationem grammaticalem, præscindendo ab institutione Christi; quia nempe non sunt cæremonia sacra: multò minùs ex se sunt pignus gratiæ. Rursus ex eadem ratione non fuit sacramentum *esus manna*; licet enim fuerit aliquo

modo signum gratiæ, seu Eucharistiæ, conferentis gratiam, tamen non fuit cæremonia sacra: sed se habuit, ut prandium, vel cœna apud nos. Iterum non fuit sacramentum *columba apparens ad Jordanem*, vel *lingua ignea* in die Pentecostes super capita Apostolorum apparentes; quia non fuerunt cæremonia sacra, vel certè non stabiles: & eodem modo se habuit *transitus maris rubri*.

18. Neque etiam fuit sacramentum *lotio pedum*, à Christo facta discipulis; quia, ut habetur ex Ecclesiæ usu, & traditione, non fuit stabiliter instituta. Idem complures censent de verbis Christi Domini ad paraliticum: *Remittuntur tibi peccata tua*, *Luc. 5. v. 20.* vel illis ad S. Magdalenam: *Remittuntur tibi peccata*, *Luc. 7. v. 48.* a-junt enim, hæc verba non fuisse stabiliter instituta, imò non fuisse collativa gratiæ, nec propriè remissiva peccati, sed tantum declarantia remissionem, jam alio modo factam, ità Barradas, Sylveira, & alij, quos sequitur Gormaz de sacramentis. n. 25. Alij verò revocant hæc verba ad sacramentum poenitentiae. Probabilior est opinio præcedens; non enim videntur ista verba fuisse instituta à Christo in pignus gratiæ; cum sacramentum poenitentiae ex Tridentino *sess. 1. c. 1.* præcipue institutum fuerit primò post mortem Christi, quando nempe hic ad discipulos dixit *Joan. 20. v. 21. Accipite Spiritum Sanctum: quorum remiseritis peccata &c.*

19. Difficultas major est circa insufflationem Christi in Apostolos *Joan. 20.* ubi insufflavit in eos, & dixit verba superius posita: *Accipite Spiritum Sanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis: & quorum retinueritis, retenta sunt*: quæ, si ad sacramentum ordinis pertinet (ut probabile est, quatenus per illam Apostoli reddebantur completi sacerdotes, accipiendo potestatem remittendi peccata, qui in consuetudine receperant potestatem sacrificandi) aliam materiam videtur adhibuisse Christus, quàm modò in Ecclesia adhibeatur in conferendo ordine sacerdotali; quia Episcopus nunc imponit manus, dum ea verba profert: quomodo ergo ordo fuit cæremonia stabilis?

Sed responderetur, id, quod fuit institutum à Christo, fuisse stabile; Christus enim, instituens sacramentum ordinis, instituit tantum cæremoniam aliquam, expressivam potestatis per ordinem collatæ, & similiter verba, significantia actionem conferentis: quod utrumque stabiliter adhuc perseverat, talisque cæremonia adhibita fuit à Christo, & talis adhibetur ab Ecclesiâ Latina, & Græca; licet dein in accidentalibus differant. Sed de hoc plura, quando de determinatione materiæ, & formæ sacramentorum, à Christo facta.

20. Excluduntur etiam à ratione sacramenti *varie benedictiones*, e.g. Abbatibus, vel etiam aliarum rerum: item *sacramentalia*, ut *unctio baptismalis*, *usus salivæ in bap-*

pismo, absolutio ab excommunicatione, exorcismi, & similia; quia, licet ista sint cæremonia sacra, etiam stabiles, probabiliter non sunt cæremonia instituta à DEO, vel Christo, sed ab Ecclesiâ. Et licet probabile sit, quod docet Arriaga de sacrament. *disp. 1. sec. 2. n. 17.* nempe Christum Dominum, quando per quadraginta dies instruxit Apostolos de regno DEI, immediatè multas cæremonia instituisse, ac Apostolis tradidisse, quæ postea in Ecclesiâ permanerint, nec tamen pro sacramentis sint habitæ: tamen eas non instituit, tanquam pignora gratiæ; ad hoc enim requiritur specialis institutio, de qua inferius n. 23. Idem dicendum de prima tonsura, si hæc non sit ordo, aut sacramentum, de quo controvertitur. Idem dicendum de quibusdam sacrificiis antiquæ legis, quæ fuerunt cæremonia sacra, à DEO instituta; & stabiles, si sacramentis annumerari non debeant.

21. Excluditur ulterius à ratione sacramenti *lectio Evangelij*, etiam quando à diacono solemniter fit, tanquam cæremonia sacra; quia, etsi aliquando in tali lectione mentio gratiæ, vel promissionis ipsius fiat, tamen ipsa lectio non est pignus, aut promissio gratiæ: sed est tantum pura ejus recitatio, instituta ab Ecclesiâ. Rursus excluditur *sacrificium Missæ*, prout tantum sacrificium est (nam sacrificium Missæ utique completitur in se sacramentum SS. Eucharistiæ, sicut econtra aliqua sacramenta antiquæ legis videntur includisse aliquod sacrificium ex S. Thoma *1. 2. q. 102. a. 5. in corp.*) Ratio est; quia sacrificium, quatenus tantum sacrificium est, non est pignus gratiæ, à DEO datum: sed potius est actio hominis, instituta ad protestandum ex parte nostrâ super premium dominium DEI. Et, licet aliquando detur gratia sanctificans propter sacrificium ut sacrificium, seu ut tale, non datur propter illud, tanquam pignus, sed propter illud, tanquam conditionem: quod clarius patebit ex dicendis infra n. 24. de martyrio.

Rursus sacramentum non fuit *mattimonium Adami, & Evæ*: (neque enim in statu originalis justitiæ jam dabantur sacramenta, ut videtur esse communior, & expressè traditur à Suarez tom. 3. in 3. p. disp. 3. sec. 3. §. Secundo dicendum) quia, ut ait Eximius cit. *sect. 5. solum potest*. tunc DEUS non ordinavit mattimonium illud ad aliquam hominis sanctificationem, neque illud fecit cæremonia sacra, & religiosam. Quòd autem fuerit signum, seu figura incarnationis Dominicæ futuræ, non probat, fuisse cæremonia sacra; aliàs, cum omnia contingerint antiquis in figura, & umbra, omnia fuissent cæremonia sacra, etiam venditio Josephi, aut egressus Davidis trans torrentem Cedron, & similia: quod dici non potest.

22. Neque etiam convenit definitio nostra *baptismo Joannis*; quia in primis hic non fuit cæremonia factis stabilis; quippe vix duravit per unum, vel alterum annum, quod non videtur sufficere: dein, ut rectè

Suarez tom. 2. in 3. p. disp. 25. sec. 4. §. Tertia ergo ratio. non habuit significationem gratiæ talem, ita, ut per ipsum promitteretur gratia, seu (ut nostro modo loquendi utar) ut esset pignus gratiæ sanctificantis: sed primò, & per se institutus est ille baptisimus à DEO, & introductus, ad excitandos homines, ad poenitentiam, & humilitatem; & hinc quasi ex naturali similitudine habuit, ut alicqualiter baptismum Christi futurum significaret: non autem ex institutione DEI tali, vi cujus DEUS assumeret illum in pignus, quo confirmaret promissionem suam de baptismo Christi instituendo, & danda per istum gratia.

23. Iterum definitio nostra non quadrat quibusvis bonis operibus, e.g. actui charitatis; etiam exteriori manifestato, vel operi bono externo, ex charitate facti; licet enim talia opera sint cæremonia sacra, seu cultus DEI, etiam sensibiles, & stabiles, significantque gratiam, tanquam merita sum. præmium, ac eis quoque promissa sit gratia: non tamen ipsa sunt pignus gratiæ; sicut enim in humanis, pignus non est idem cum merito, vel pretio rei promissæ, vel cum conditione, sub qua aliquid promittitur, ita nec in Divinis: e.g. promittit princeps nobili comitatum, si se strenuè gerat in bello: in hoc casu, præclara facinora nobilis, sunt conditio, vel pretium, aut meritum, requisitum à principe: non autem sunt pignus, ut per se patet: sed pignus esset e.g. annulus, si eum princeps daret, simulque diceret, se hunc illi nobili tradere, in pignus conferendi comitatus. Pariter DEUS promittit hominibus gratiam, & gloriam, si bene agant, exigendo scilicet bona opera, tanquam conditionem, vel meritum: non verò instituendo illa in pignus gratiæ.

Quòd autem aliqua potius res exigatur ut conditio ad gratiam, quàm instituat ut pignus illius, dependet à diversâ voluntate DEI; ea enim voluntas, qua aliqua res instituitur in pignus gratiæ, adeoque tanquam sacramentum, dicit: *Volo, quotiescumque talem actionem feceris, per illam restant meam voluntatem de danda tibi gratia*: altera autem voluntas, exigens rem, tanquam conditionem, vel pretium, aut meritum, dicit tantum: *Dabo tibi gratiam, quando-cunque hoc feceris*. An autem DEUS hanc potius, quàm illam voluntatem, circa rem aliquam habuerit, desumendum est ex doctrina Ecclesiæ, quæ aliqua sacramentis annumerat, non item alia.

24. Quòd dictum est de operibus bonis, idem dicendum est de *martyrio*; quia, licet huic promissa sit gratia, tamen ipsum non est ejus pignus, aut signum promissionis gratiæ. Nec obest, quòd martyrio (ut communiter docent) promissa sit gratia ex opere operato; per hoc enim non habetur, quòd sit pignus gratiæ, sed tantum, quòd, eo posito, detur gratia, non propter meritum operantis: sive tantum habetur, quòd, licet martyrium meritorium non sit, tamen ipsi, tanquam conditioni non meritoria, ex liberalitate

DEI, gratia sit promissa. Et sic res contingit, si infans, rationis necdum capax, pro fide occidatur: vel etiam, si adultus peccator occidatur pro fide, cum sola attritione; nam attritio quidem requiritur, & sufficit, ut talis per eadem pro fide toleratam justificetur: non tamen sufficit, ut gratiam simpliciter, sine de condigno mereatur.

Neque dicas, Ecclesiam de dictis diversis Christi voluntatibus nil docere, sed ex eo, quod Christus promiserit gratiam, ad positionem e.g. baptismi, inferre, quod baptismus sit sacramentum. Resp. enim; cum etiam Ecclesia doceat, ad positionem veri martyrii, Christum conferre gratiam, & tamen hoc non esse sacramentum, clarum est, quod Ecclesia sentiat, aliam factam esse promissionem circa baptismum, aliam circa martyrium, adeoque Christum habuisse circa hæc duo diversas volitiones.

25. Quæres, quid sit conferri gratiam ex opere operato, vel ex opere operantis. Resp. ex Suarez, & Valquez, quos sequitur Comptonus *Theol. Scholast. tom. 2. disp. 64. sec. 5. n. 7.* conferri gratiam ex opere operantis, quando ea confertur, intuitu solius operis meritorii, saltem de congruo, seu dispositionis subiecti, ita, ut danda fuisset, etiam aliud nihil fuisset positum: conferri autem gratiam ex opere operato, quando confertur ita, ut vel nullo modo attendatur, ad meritum suscipientis, ut in baptismo parvulorum: vel, si requiritur aliquando actus bonus in suscipiente, ad accipiendam gratiam, ut in sacramento poenitentiae, gratia tamen ita confertur, ut ipsa non tantum ratione illius actus boni detur, sed requiratur insuper opus aliud, quod parum refert, sitne bonum, & meritorium, an non. Sic in sacramento poenitentiae, præter dispositionem poenitentis, e.g. attritionem, requiritur absolutio sacerdotalis, quæ potest esse peccaminosa, & tamen valida: quo casu confertur gratia, non intuitu meriti; cum nulum opus meritorium à poenitente ponatur, quod sufficiat ad gratiam obtinendam: & ob quod solum gratia conferatur: sed hæc datur intuitu operis illius externi, seu absolutionis non meritoriae.

ARTICULUS IV.

Solvuntur Objectiones.

26. **O** T. Sacramentum, etiam in genere sumptum, debet causare gratiam sanctificantem, & quicquid non causat istam gratiam, non est sacramentum: ergo nostra definitio non convenit soli definito, conseq. patet, ant. probatur ex *Catechismo Rom. de sacramentis non longè ab initio*, ubi sic habetur: *Latini Doctores signa quadam sensibus subiecta, quæ gratiam, quam efficiunt, simul etiam declarant, ac veluti ante oculos ponunt, sacramenta commode appellari posse existimaverunt:* ergo. Confirm. S. Thomas in 4. dist. 1. q. 2. n. 1. questiu. 3. ad 5. ita habet: *Sacra-*

mentum non dividitur, per sacramenta veteris, & nova legis, sicut genus per species, sed sicut analogum in suas partes, ut sanum in habens sanitatem, & signans eam: sacramentum autem simpliciter est, quia causat sanctitatem: quod autem signat tantum, non est sacramentum, nisi secundum quid: ergo definitio, quæ convenit utrique sacramentis, non est stricta, seu univoca, sed tantum analogica.

Resp. neg. ant. ad prob. neg. conseq. Illa quidem signa sunt sacramenta, sed non sola; neque enim Catechismus ibi tradit definitionem sacramenti in genere, sed tantum docet, doctores Catholicos non male hanc vocem tribuisse illis signis. Hanc esse mentem authorum Catechismi, sumitur ex ipso Catechismo, in quo loco citato post pauca subiungitur: *Atque hæc de sacramenti nomine dicta sunt, quod quidem veteris etiam legis sacramentis convenit:* ergo etiam istis convenit hoc nomen, seu definitum: ergo etiam ipsis convenit definitio: atqui esse causam gratiæ, ipsis non convenit: ergo esse causam gratiæ non est definitio sacramenti in genere.

Roboratur doctrina nostra ex Concilio Florentino citato n. 10. ubi sacramenta veteris legis simpliciter vocantur sacramenta; & ex Patribus, qui pariter idem nomen illis attribuunt, præsertim S. Augustinus n. 14. citatus. Nec per hoc quod addant terminos restringentes *veteris legis*, negant, ea fuisse simpliciter sacramenta: sicut non negant, nostra sacramenta esse simpliciter, & verè sacramenta, dum ea vocant sacramenta *nova legis*. Adde, quod sit ferè communis Theologorum opinio, sacramenta utraque esse verè sacramenta: & hinc ita laborant auctores in invenienda definitione univoca, utrique apta. videatur Suarez tom. 3. in 3. p. disp. 1. sec. 2. §. Dico tamen primò, & Arriaga tom. 7. de sacram. disp. 1. sec. 1. n. 6.

27. Ad confirm. Textui Angelici objecto, oppono alium ex 3. p. q. 60. a. 1. ad 1. ubi sic habet: *Et ideo non oportet, quod sacramentum semper importet causalitatem.* & ead. quest. a. 2. in corp. ait: *Proprie dicitur sacramentum, quod est signum alicujus rei sacra ad homines pertinentis.* & ad 2. ait: *Quadam verò significabant sanctitatem ejus Christi, in quantum per eos nos sanctificamur: sicut immolatio agni paschalis significabat immolationem Christi, qua sanctificati sumus.* Et talia dicuntur proprie *veteris legis sacramenta:* ergo ad sacramentum proprie dictum non requiritur, ut causet gratiam, sed sufficit, si eam significet, ut immolatio agni paschalis.

Unde, vel cum Bellarmino tom. 3. contr. generali. 3. de sacram. l. 1. c. 12. §. Altera sententia, & aliis, dicendum est, S. Doctorem revocasse in Summa, quod in libris sententiarum docuerat; vel dicendum est, eum in loco objecto sumere vocem *sacramentum* in sensu strictiore, & quasi antonomastico, solis sacramentis novæ legis conveniente: in Summa verò sumere eam vocem

vocem in sensu, non quidem adeò stricto, sed tamen proprio, in quo Concilia, & Patres, etiam sacramenta antiquæ legis simpliciter sacramenta appellant (ut dictum n. 26.) à quibus non est censendum, S. Doctorem voluisse etiam quoad modum loquendi disce- rere. Sed & plurimi Theologi cum Bellarmino cit. cap. 12. §. Tertia propositio. cum Suarezio tom. 3. in 3. p. disp. 1. sec. 2. §. Atque hinc intelligitur. & Coninck de sacram. q. 60. a. 4. dub. 2. n. 26. docent, in ratione sacramenti univocè convenire, tum novum, tum veteris testamenti sacramenta, & ista etiam esse propriè dicta sacramenta.

28. Ob. 2. Sacramentum debet esse symbolicum: sed hoc non explicat nostra definitio: ergo. ma. prob. S. Augustinus *epist. 23. sub finem* ita scribit: *Si enim sacramenta a quadam similitudine earum rerum, quarum sacramenta sunt, non haberent, omnino sacramenta non essent:* ergo sacramentum debet esse symbolum, seu symbolicum. Resp. dist. ma. sacramentum debet esse symbolicum, hoc est, esse institutione Christi significativum alicujus rei. conc. ma. alio modo symbolicum. neg. ma. & dist. sic mi. neg. conseq. ad prob. sub eadem dist. conc. vel neg. conseq. & dico, S. Augustinum, plus non velle, quam modò diximus.

Nam juxta hunc S. Doctorem sacramenta debent representare res significatas, sicut dies Dominica (de qua agit ferè immediatè ante verba objecta) resurrectionem Christi, atque adeò debent habere similem cum rebus significatis convenientiam: dies autem illa, nec representat, nec est similis resurrectioni Christi, nisi ratione institutionis suæ: ergo nec sacramenta debent esse aliter similia: quicquid deinde sit, an hæc similitudo (quam habent etiam verba cum rebus significatis) sit propriissimè dicta, an non. Unde non negamus, sacramenta nostra habere similitudinem, seu esse symbola: sed tantum, negamus, aliam, quam à nobis assignatam similitudinem, vel rationem symbolicam, requiri ad essentiam metaphysicam sacramenti, ut sic, seu universaliter sumpti: hoc autem prædicatum sufficienter explicatur per vocem *pignus*, ut declaratum est supra n. 10.

29. Ob. 3. Matrimonium etiam novæ legis, non est cæremonia sacra: ergo noncluditur in nostra definitione. Confirm. 1. Matrimonium, & plura alia sacramenta, non semper causant actu gratiam, quando scilicet ponitur obex: ergo non sunt actu pignus. Confirm. 2. Sacramentum debet definiti per aliquem suum effectum: sed hoc non fit à nobis: ergo à nobis non bene definitur. Resp. dist. ant. matrimonium non est cæremonia sacra, independentè ab institutione Christi. conc. ant. ut institutum à Christo. neg. antec. & conseq. Matrimonium, ut institutum, & elevatum à Christo, ad dandum conjugibus sanctificationem, suo statui necessariam, non est tantum contractus civilis, sed sacra cæremonia, & cultus etiam DEI, sicut alii actus externi virtutum: nec tantum efficit conjuges, sed etiam, quantum

in ipso est, efficit sanctos. Aliter loquendum est de matrimonio legis veteris, quod non fuit sacramentum.

Ad 1. confirm. conc. ant. neg. conseq. Sacramenta sunt actu pignus dandæ gratiæ: si scilicet non ponatur obex: sicut promissio facta sub conditione, est actu promissio: & causa est actu causa, licet actu non causet, ob defectum actus primi proximi. Ad 2. confirm. om. ma. neg. mi. Equè bene à nobis, ac ab aliis, definitur sacramentum per effectum; nam eo ipso, quod dicamus, sacramentum esse cæremoniam sacram, sufficienter exprimitur, quod hominem, exterius saltem, sanctificet, adeoque conferat saltem effectum formalem alicujus sanctificationis externæ, & legalis, vel quasi legalis: alium autem effectum etiam alii non afferunt: certè non est necesse, alium asserere.

30. Ob. 4. Evcharistia potest esse insensibilis: ergo sacramentum non debet esse sensibile. antec. prob. Christus post consecrationem manet sub particulis etiam insensibilibus: ergo. Respondent aliqui cum Majore, Gormaz, Hennao, & aliis. neg. ant. ad prob. iterum neg. ant. volunt enim isti authores, Christum sub insensibilibus particulis non manere: ajuntque, Tridentinum, quando *sess. 13. can. 3.* damnat negantes, Christum facta separatione manere sub singulis speciei partibus, explicandum esse de partibus sensibilibus: id quod ajunt, se colligere ex ipso Tridentino *sess. 13. c. 3.* ubi ait: *Communè hoc quidem est sanctissima Evcharistia cum cæteris sacramentis, symbolum esse rei sacra, & invisibilis gratia formam visibilem.*

Responderi potest 2. dist. ant. Evcharistia potest esse insensibilis, dum conservatur. om. antec. quando primò existit. neg. antec. & conseq. ad prob. iterum om. antec. & neg. conseq. Hæc solutio est conformis Eximio Doctori tom. 3. in 3. p. disp. 43. sec. 8. §. Respondetur ergo. ubi ait, differentiam esse inter *fieri* hujus sacramenti, & inter *factum esse*: sive inter primam existentiam, seu quando primò fit, aut existit sacramentum: & inter existentiam posteriorem, aut conservationem; quando enim hoc sacramentum primò fit, id, quod fit, debet esse sensibile, & demonstrabile per pronomen *Hoc*, vel *Hic*: at quando jam factum est sacramentum per consecrationem, necesse non est, rursus formam proferre, neque etiam materiam sensibus præsentem esse; unde sensibilis, saltem proxima, amplius adesse non debet, ut perseveret sacramentum, modò adsint species, ita, ut sub iis possit perseverare substantia panis, vel vini, si adhuc existeret.

31. Hoc idem docet Arriaga *disp. 30. de Evcharistia sec. 5. n. 24. & 25.* ubi addit paritatem ab alio prædicato, atque ait, etiam ab omnibus admittatur, tanquam essentialia prædicatum sacramenti, quod fit cæremonia sacra, sacras tamen hostias in pyxide asservatas non esse cæremoniam sacram, quamvis in earum consecratione, seu *in fieri*, data fuerit cæremonia sacra. Et sanè, cum omnia alia sacramenta

sacramenta consistant *in fieri*, & sint trans-
euntia, sola autem Evcharistia maneat *in*
facto esse, seu sit permanens, non est statim
reicienda hæc assertio: nisi quis malit dicere
cum eodem Arriaga *disp. 28. de Evcharistia*
sec. 5. n. 14. particulas consecratis in altari
manentes, esse cæremoniam sacram, quatenus
moraliter includunt consecrationem ipsam,
adhuc moraliter perseverantem: quæ consecra-
tio sine dubio est cæremonia sacra, & ipsa
constituit hoc sacramentum: quod postea
physicè manet quidem denominativè sum-
ptum, non autem quiddativè sumptum.

32. Ex hucusque dictis facile colliges,
definitionem sacramenti in genere, à nobis
traditam, univocè convenire sacramentis
novæ, & antiquæ legis; eoque ratio signi-
ficata per illam, utrisque verè, & propriè,
possit applicari: differentia autem inter illa
est, quam ex Florentino *n. 10.* attulimus,
nempe, quod nostra causent gratiam, vetera
autem eam non causant; unde definitio
sacramenti novæ legis erit ista: *Est cæ-*
remonia sacra, sensibilis, stabilis, in pi-
gnus causativum gratiæ instituta. Ubi no-
ta, minime idem esse pignus, & causam;
cum plurima pignora sint, quin tamen simul
sint causæ, e.g. anulus, datus in matrimo-
nii contractu: & contra etiam sint plures
causæ, quæ non sunt pignora, ut est per se
evidens: potest tamen contingere, ut idem
simul sit pignus, & causa, qualis est concessus
usus liber clavis ad cistam (de quo *n. 12.*)
qui potest esse causa acquisitionis pecuniæ:
& talia pignora sunt sacramenta novæ legis.

QUESTIO II.

De Partibus Physicis Sacramentorum.

ARTICULUS I.

An Sacramenta consent Rebus, & Ver- bis, tanquam Materia, & Forma.

33. Duplex assignatur à Theologis
materia in hac quæstione:
una dicitur *remota*, quæ est
elementum illud, circa quod versatur actio
sacramentalis: & hinc vocatur etiam *materi-*
ria circa quam, ut in baptismo aqua: altera
dicitur *proxima*, & est usus elementis, seu
actio, quæ versatur circa materiam remo-
tam, ut in baptismo ablutio, in pœnitentia
confessio; quamvis enim confessio non sit
usus peccatorum, est tamen actio versans
circa illa. Non autem hæc per rem, seu ma-
teriam, intelligitur materia prima philoso-
phorum: neque etiam necessariò materia se-
cunda, seu compositum ex materia prima, &
forma substantiali; quia, licet talis materia
adsit in baptismo, & pluribus aliis sacramen-
tis, non tamen adsit in pœnitentia: sed in-
telligitur per materiam tantum aliqua res,
quæ est magis indifferens, & minus determi-

nata, ad aliquem specialem effectum conti-
nuendum, ut est ablutio in baptismo, unctio
in confirmatione: potestque etiam in verbis
consistere: & sic confessio oris est materia
pœnitentiæ.

Forma autem, seu *verba* dicuntur res
magis determinativæ, alterius comparis,
in ordine ad effectum sacramentalem: sic e.g.
in baptismo, dum proferuntur verba, quæ con-
stituunt formam, per ea usus aquæ, ex se in-
differens ad mundationem, vel refrigeratio-
nem, determinatur ad effectum potius emun-
dationis, quam refrigerationis. Et hæc res
determinativa consistit in verbis formalibus,
excepto sacramento matrimonij, in quo pos-
sunt adhiberi etiam nutus externi, vel etiam
scriptura. *Res* etiam, seu *materia*, solet
in hac quæstione dici illa, quæ communiter
alium habet usum, quam significare, ut ab-
lutio, unctio, traditio calicis &c. *verba* au-
tem hæc regulariter solent dici soni articulati,
ab homine prolati, quorum officium unicum
est significare, quod formaliter faciunt ver-
ba: nutus autem, vel alia signa, si aliquando
in matrimonio verbis substituuntur, faciunt
id virtualiter, vel æquivalenter.

34. Queritur jam, an ex talibus rebus, ac
verbis, seu ex materia, & forma, componan-
tur sacramenta. Et quidem quæstio non
procedit de sacramentis antiquæ legis; in
his enim nulla fuisse instituta verba, rectè as-
serit Bellarminus *tom. 3. contro. gener. 3.*
de sacram. l. 1. c. 18. §. Sit igitur prima.
Idque ex eo videtur satis manifestum, quòd
nullibi in Sacra Scriptura legantur ulla verba
præscripta, aut adhibita; circumcisio enim
administrabatur absque prolatione ullius vo-
cis necessariò requisitæ: eodem modo in usu
agni paschalis, & ordinatione sacerdotum,
item in lustricis expiationibus, nulla legun-
tur ullibi verba præscripta: & hinc S. Za-
charias, etsi mutus, potuit sacerdotio fungi.

Verba autem adhibita in sacrificio pro
peccato, non erant determinata, & ut Bellar-
minus *loc. cit. §. Possit obici.* docet, neque
erant necessaria; cum in sacrificio pro pecca-
to sacerdotis, nulla præscripta fuerint. Quæ
autem præscripta fuerunt in iudicio zeloty-
piæ, nil probant; eoque idem non fuerit
sacramentum, sed tantum cæremonia iudicia-
lis, ad investigandum, & puniendum adule-
rium, non ad conferendum aliquem effe-
ctum sacrum. Quare queritur tantum de
sacramentis novæ legis, an ea ex rebus, & ver-
bis componantur.

35. Dico. Omnia sacramenta novæ le-
gis constant rebus, & verbis: & quidem ver-
bis formalibus, excepto matrimonio, quod
potest constare verbis æquivalentibus, seu
aliis signis, e.g. nutibus, aut scripturis, con-
sensum instar verborum experimentibus. ita
omnes. Prob. conclusio 1. ex Concilio
Florentino *in decreto Eugenij IV. pro Arme-*
nis, ubi post enumerata septem sacramenta,
non multò post verba citata *n. 10.* subditur:
Hæc omnia sacramenta tribus perficiuntur,
videlicet rebus tanquam materia, verbis
tanquam forma, & persona ministri confe-

An Sacramenta consent Rebus, & Verbis, tanquam Materia, & Forma. 11.

rentis sacramentum, cum intentione facien-
di, quod facit Ecclesia: quorum si aliquod
desit, non perficitur sacramentum.

36. Postea pergit Concilium enumera-
re singulorum sacramentorum materias, &
formas, & 1. de baptismo sic loquitur: *Ma-*
teria hujus sacramenti est aqua vera, & na-
turalis, nec refert, frigida sit, an calida.
Forma autem est: Ego te baptizo in nomine
Patris, & Filij, & Spiritus Sancti. 2. de
confirmatione sic ait: *Cujus materia est*
chrismata, confectum ex oleo, quod nitorem
significat conscientia, & balsamo, qui odo-
rem significat bona fama, per Episcopum be-
nedictio. Forma autem est: Signo te signo
crucis, & confirmo te chrismate salutis, in
nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti.
3. de SS. Evcharistia: *Cujus materia est pa-*
nis triticus, & vinum de vite. Forma hic
non additur: sed de materia, ac forma hujus
SS. Sacramenti plura in proprio tractatu.

Dein 4. de pœnitentia Concilium sic
habet: *Cujus quasi materia sunt actus pœ-*
nitentis... cordis contritio... oris confes-
sio... satisfactio.... Forma hujus Sacra-
menti sunt verba absolutionis, qua sacerdos
proferit, dum dicit: Ego te absolvo &c. 5.
de extrema unctio: *Cujus materia est o-*
leum olivæ, per Episcopum benedictum... For-
ma hujus sacramenti est hac: Per istam un-
ctionem, & suam pississimam misericordiam,
indulgent tibi Dominus, quidquid per vi-
sum &c. 6. de ordine: Cujus materia est
illud, per cuius traditionem confertur ordo,
sicut presbyteratus traditur, per calicis cum
vino, & patena cum pane, porrectionem... Forma
sacerdotij talis est: Accipe potesta-
tem offerendi sacrificium in Ecclesia pro vi-
vis, & mortuis, in nomine Patris, & Filij,
& Spiritus Sancti. Nota obiter, Pontifi-
cale Romanum *titulo. de ordinatione presby-*
teri formam hujus sacramenti aliquantun-
quoad verba, non quoad sensum diversam,
assignare, nempe hanc: *Accipe potestatem*
offerre sacrificium DEO, Missasque cele-
brare, tam pro vivis, quam pro defunctis,
in nomine Domini. Resp. Amen.

Tandem de matrimonio dicit hoc Con-
cilium: *Causa efficiens matrimonij regula-*
riter est mutuus consensus, per verba de
presenti expressus: ergo supponit, id ali-
quando posse fieri per solos nutus, vel scri-
pturas, vel alia signa, consensum internum
manifestantia, licet regulariter, seu ordina-
riè verba adhibeantur: id, quod etiam con-
firmat constans usus, & traditio Ecclesiæ:
quod argumentum est validissimum. Alia
insuper ratio discriminis inter matrimonium,
& cætera sacramenta est: quòd Christus Do-
minus, elevando matrimonium in ordinem
sacramentorum, non mutaverit ejus naturam,
sed reliquerit illud in ratione contractus
legitimi: qui, cum inter homines validis-
simè, vel nutibus, vel scripturis perficiatur,
etiam jisdem matrimonium perfici potest.
Solum ei Christus addidit infallibilem signi-
ficationem gratiæ. Reliqua verò sacramen-
ta primò instituit Christus in signa gratiæ,

eaque clarissima voluit; unde voluit etiam,
ea constare verbis formalibus; tanquam
signis manifestissimis: quare autem ita volue-
rit, sit pro ratione voluntas.

37. Probatur 2. conclusio. Universalis
praxis Ecclesiæ ad valorem sacramentorum
semper requirit, ut adhibeantur res, & ver-
ba: sed hæc universalis, & constans praxis,
est regula, & traditio, ex qua utique debe-
mus rescire, quid ad sacramenta sit necessa-
rium: ergo. Confir. S. Scripturæ etiam in-
dicant, in administratione sacramentorum
res, & verba adhibenda esse: ergo. prob.
ant. sic in baptismo ablutionem, & verba
Christus requirit *Matth. 28. v. 19. Bap-*
tizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spi-
ritus Sancti. In confirmatione *Actorum 8.*
v. 15. & 17. ponitur impositio manuum tan-
quam res, & oratio tanquam verba. In Ev-
charistia *Matth. 26. v. 26.* ponitur panis,
seu species illius, & verba consecratoria
ejus: dein *v. 27.* calix, seu vinum, aut ejus
species, ac *v. 28.* verba ejus consecratoria.
In extrema unctio ponitur *Jacobi 5. v. 14.*
unctio olei tanquam res, & oratio tanquam
verba &c. Idem constanter tradiderunt SS.
Patres, & notissimum est illud S. Augustini
tract. 80. in Joan. Accedit verbum ad ele-
mentum, & fit sacramentum.

38. Dices 1. Etsi ista requirantur ad sa-
cramenta, non tamen sunt partes ipsis intrin-
secæ: ergo nondum sufficienter est probata
nostra assertio. prob. ant. etsi Concilium
Florentinum dicat, istis perfici, vel confici
sacramentum, tamen, cum istud etiam confi-
ciatur à causis extrinsecis, per hoc nondum
probatur, materiam, & formam esse causas
intrinsicas, seu partes: ergo. Confir. Con-
cilium eodem modo dicit, sacramenta perfici
personâ, & intentione ministri, quas tamen
plurimi non recentent inter constitutiva in-
trinsicæ sacramentorum: ergo neque debent
inter ea recenteri materia, & forma.

Resp. neg. antec. ad prob. dist. antec.
non probatur assertio ex eo præcisè, quòd
Concilium dicat, sacramenta istis perfici.
om. ant. ex eo, quòd dicat, sacramenta per-
fici rebus, & verbis tanquam materia, &
forma. neg. ant. & conf. Perficitur aliquid ab
aliis, vel tanquam à causis intrinsicis, vel
tanquam à causis extrinsecis: illæ sunt par-
tes, non istæ. Jam verò materia, & forma,
consentur causæ intrinsicæ: licet minister,
& intentio interim omittantur esse causæ
extrinsecæ, de quare inferius. Ad confir.
dist. eodem modo ant. & neg. confeq.

39. Dices 2. Concilium Florentinum,
assignans materiam sacramentorum, assignat
in quinque saltem sacramentis, tantum ma-
teriam remotam: ergo ex Concilio non pro-
batur, aliquam materiam esse sacramentis
intrinsicam, vel ea constitutivè. Resp. Re-
centiores quidam cum Cardinali de Lugo, &
Arriaga, asserunt, materiam remotam esse
partem intrinsicam sacramenti, idque vo-
lunt probare ex regula partis communiter
recepta. Alii autem auctores, præsertim
antiquiores, negant, materiam, remotam
esse

esse partem constitutivam sacramenti, nisi quando putant, materiam proximam illi saltem inadæquatè identificari.

Sic Suarez tom. 3. in 3. disp. 20. sec. 2. §. *Aque hinc tandem.* videtur dicere, ablu- tionem esse ipsam aquam ut receptam in corpore, seu ut contingentem corpus: conse- quenter juxta hunc auctorem etiam chrisma- rio, unctio, traditio calicis, & patenæ &c. debent esse identificatæ, saltem inadæquatè cum chrismate, oleo, calice &c. Est autem ablutio (ut *endem sectione S. Ego sentio.* docet Eximius) contactus aquæ cum corpore baptizari, cum quadam successione, seu est successivus contactus corporis, à parti- bus aquæ factus: sive dein ablutio fiat infu- sione, sive immersione (& proportionaliter loquendum est de unctioe &c.) An autem contactus hic sit identificatus aquæ, an tan- tum sit motus aquæ, & certa ejus ubicatio, non est hic otium discutiendi: si hic conta- ctus est inadæquatè identificatus aquæ, vel oleo &c. utique admittendum est, mate- riam remotam in his sacramentis esse partem intrinsecam.

At S. Thomas 3. p. q. 66. a. 1. arg. 2. videtur verba mox afferenda ex sua mente addere; quia ea non refellit, & ita sonant: *Aqua autem non est ipsa ablutio, sed ablutio est quidam usus aquæ.* & in corp. *ibid.* inquit S. Doctor: *Et ideo sacramentum non perficitur in ipsa aqua, sed in applicatione aquæ ad ho- minem:* atque ad 2. ait, deferendum esse Hugonem de S. Victore, qui voluit, bap- tismum esse aquam sanctificatam per verbum DEI, & addit: *Potes tamen verificari, ut baptismus dicatur esse aqua; quia aqua est materiale baptismi principium: & sic erit predicatio per causam.*

40. Cum igitur certum non sit, mate- riam remotam esse identificatam materiæ proximæ: cumque insuper Concilium Flo- rentinum pro materia Eucharistiæ assignet panem, & vinum, quæ sunt materia remo- ta, & videntur, non posse esse identificata materiæ proximæ; eoquod in confectione istius sacramenti destruantur, quæstio ulte- rior est, quomodo ex hoc Concilio probe- tur, aliquam materiam esse sacramentis in- trinsecam. Resp. Concilium dicit, omnia sacramenta perfici rebus, tanquam materia, & verbis, tanquam forma: cumque aliqua materia, & forma, semper sint partes com- posito intrinsecæ, debet hoc saltem admitti, quod materia proxima sit pars; ideo ex hoc loco Concilii omnes Theologi, qui post Flo- rentinum scripsere (excepto fortè uno, aut altero) inferunt, omnia sacramenta ex ali- qua materia, & forma, intrinsecè constitui: qui communis consensus auctorum in expli- catione Concilii magnum pondus habet apud omnes rectè sentientes.

Uterius, Concilium hoc in sacramento poenitentia assignat pro materia actus poeni- tentis, qui sunt partes intrinsecæ sacramen- to; nam, licet à Tridentino *sess. 14. c. 3.* isti vocentur *quasi materia*, vocantur ta- men etiam partes, & per illud *quasi* tan-

tum significatur, eos actus non esse mate- riam physicam, naturalem, seu artificialem, aut talem, quæ extrinsecus adhibetur, ut aqua in baptismo; ita enim hunc locum Con- cilii explicat Catechismus Romanus de po- nitentia sacramento §. *Quod verò poeniten- tia.* Neque hoc (ut habet Bellarminus tom. 3. *controv. general. 4. de poenit. l. 1. c. 17.* citans Florentinum, & Tridentinum) po- test amplius in dubium revocari: ergo sup- positum Concilium, etiam in aliis sacramen- tis, dari debere materiam proximam, vel intrinsecam, ut sit paritas.

41. Imò materiam proximam aliorum sacramentorum Concilium satis indicavit; tum quia distinctio materiæ in proximam, & remotam, erat jam omnibus notissima, at- que adeo ex remota, quam expressè assigna- vit, facile proxima colligi poterat; tum, quia (ut rectè Haunoldus *l. 4. tr. 2. c. 2. controv. 1. n. 498.*) materia proxima aliorum sa- cramentorum, sufficienter indicabatur per formas; nam ex veritate formæ, e. g. *Ego te baptizo &c.* facile colligebatur, debere eum, qui baptizatur, à baptizante abluì, adeoque dari ablu tionem.

Quod autem Concilium clariùs locu- tum fuerit, de materia remota, ratio fuit; quia circa hanc potissimum erant, vel esse poterant controversiæ, e. g. an, & qualis liquor, debeat adhiberi in baptismo, vel confirmatione: an, & qualis panis, vel vi- num, & quomodo aqua mixtum, in confi- cienda Eucharistiæ &c. quas controversias Concilium voluit definire. Non autem erat controversia circa materiam proximam; cum omnes facile convenirent in eo, quod, si debeat aqua adhiberi in baptismo, ea ad- hiberi debeat ad abluendum. Quod si etiam aliquod dubium fuisset, id per formam suffi- cienter solum fuisset.

42. Dico 2. Sacramentum quodlibet intrinsecè etiam constituitur ex institutione Christi. Probatur, Sacramentum quodlibet est signum gratiæ ad placitum: ergo consti- tuitur ex voluntate Christi instituentis. antec. est jam *ex n. 10.* notum, conseq. prob. vis significativa signorum ad placitum consti- tit in voluntate instituentium; per hanc enim res ex se indifferentes determinantur, ad hoc potius, quam aliud significandum, e. g. ut hederæ potius significet vinum ven- dibile, quam cerevisiam. Addendum hic, institutionem Christi esse formam denomi- nantem sacramentum, & conferentem vim significandi, atque causandi gratiam.

43. Unde ulterius sciendum, in sacra- mento quolibet intervenire duplicem com- positionem: una est ex rebus, & verbis, e. g. ablutioe, & verbis: *Ego te baptizo &c.* altera est ex rebus, & verbis simul, tanquam materia complexa, vel subiecto composito, & ex institutione Christi, tanquam forma. Neque novum est, in compositis accidenta- libus, ut, quod respectu unius partis est forma, sit materia respectu alterius ter- tiæ partis: sic in ramo arboris, appenso ad fo- res domus, & significante vinum vendibile,

datur duplex compositio: prima, ex materia prima, & forma substantiali ligni: altera ex ma- teria prima, & forma substantiali, ac voluntate instituentium hoc signum: in qua materia, & forma simul, seu totum compositum substan- tiale physicum, est materia, seu subiectum, re- spectu voluntatis institutorum, tanquam for- mæ hujus secundi compositi.

Concilia autem, tam Florentinum, quam alia, quando assignant verba pro for- ma, loquuntur de prima compositione, de qua maximè opus erat loqui, tum, ut hæ- reses confutarentur, tum, ut sciremus, in quo quodlibet sacramentum consisteret, & quomodo inter se differrent. Formam autem secundæ compositionis, seu institutionem Christi, satis adstruxere eadem Conci- lia, dum dixerunt, omnia sacramenta esse à Christo Domino instituta, in signa, & cau- sas gratiæ.

44. Adde breviter explicationem ter- minorum aliorum, Theologis usitato- rum, scilicet, quid sit *sacramentum tantum*, quid *res sacramenti tantum*, quid *res, & sacramentum simul*: qui termini de sum- pti sunt *ex Cap. Cum Martha. 6. de celebrat. Missarum.* Per primum intelligitur id, quod significat, & non significatur: per secun- dum, quod significatur tantum, & non signi- ficat: per tertium, quod simul significat, & significatur. Primum est ordinariè forma, & materia, præsertim remota; quia signifi- cat tantum, & non significantur ab aliis. Se- cundum est gratia sacramentalis, quæ signifi- catur tantam, & non significat. Ter- tium est, in primis character sacramentalis, qui significatur à materia, & forma, & signi- ficat gratiam: item in SS. Eucharistiæ est corpus Christi, significatur per species, & significans gratiam: rursus in aliis sacramen- tis sunt ablutio, unctio &c. quæ significantur per verba, & significant gratiam.

ARTICULUS II.

Solvuntur Objectiones.

45. **O**B. 1. Matrimonium solis per- ficitur rebus, & non opus habet verbis: ergo non omnia sacramenta perficiuntur utriusque. Resp. dist. ant. matrimonium non opus habet ver- bis formaliter talibus. conc. ant. æquivalen- ter talibus. neg. ant. & conf. Quidam au- tem in matrimonio censentur res, quidnam verbum, sunt adhuc variæ auctorum opinio- nes. Melchior Canus *de locis Theol. l. 8. c. 5.* videtur docere, consensum mutuum con- jugum esse materiam matrimonii: at verò benedictionem sacerdotis esse ejusdem, ut sacramentum est, formam: quæ tamen sen- tentia communissimè deseritur. Alii quid- dam cum Lugone volunt, materiam hujus sacramenti esse corpora contrahentium: formam verò esse utriusque conjugis con- sensum, exterius manifestatum. Alii vol- unt, consensum priorem esse materiam, posteriorem esse formam. Alii, & fortè

probabilissimè, volunt, consensum utrumque esse sub aliqua formali ratione materiam, sub alia formam; quatenus enim consensus est traditio, est materia: quatenus est ac- ceptatio alterius consensus, est forma. Quidquid autem ex his dicatur, salva est no- stra conclusio: quid autem absolute dicen- dum sit, determinari debet ab iis, qui de matrimonio ex professo tractant.

46. Ob. 2. Sacramentum poenitentia solis perficitur verbis: ergo non omnia per- ficuntur etiam rebus. antec. prob. confessio consistit in verbis: & possunt etiam peccata fuisse tantum verba: absolutio quoque stat in verbis: & passim etiam satisfactio in precibus vocalibus: ergo. Resp. neg. antec. nam etiam requiritur dolor internus, qui non consistit in verbis. Potest quoque di- stingui antec. sacramentum poenitentia per- ficitur verbis, quæ tamen sunt æquivalenter res, in sensu in hac materia usitato. conc. antec. quæ non sunt æquivalenter res. neg. antec. & conseq. Per rem intelligitur hic, quod *n. 33.* per materiam, nempe aliquid magis indifferens, & determinabile: talia autem sunt verba constituenta confessio- nem; quia sunt indifferencia, ut proferantur, vel in ordine ad absolutionem, vel tan- tum ad humilitatem, & sui confusionem: per absolutionem autem determinantur.

47. Ob. 3. Tota significatio effectus sa- cramentalis poenitentia consistit in abso- lutione: ergo in hac sola consistit hoc sacra- mentum: sed absolutio consistit in solis verbis: ergo hoc sacramentum consistit in solis verbis, & non in rebus. antec. prob. sola absolutio significat remissionem peccatorum: ergo. Confirmatur 1. In aliis judiciis, sola sententia judicis significat liberationem à culpa, vel pœna: ergo etiam in judicio po- nitentia. Confirm. 2. Si confessio, & con- tritio &c. etiam sunt partes poenitentia, confitens, etiam laicus, erit minister sacramen- ti poenitentia: hoc est falsum; quia illud: *Joan. 20. v. 23. Quorum remisistis pecca- ta, remittuntur eis:* dictum est ad solos sacer- dotes, & hi soli instituti sunt ministri hujus sacramenti: ergo. ma. prob. qui ponit par- tem sacramenti, est ejus minister: & hinc quilibet ex contrahentibus est minister ma- trimonii: atqui laicus juxta nos poneret par- tes sacramenti poenitentia: ergo.

48. Resp. dist. antec. tota significatio effectus sacramentalis poenitentia, quæ ha- betur ab institutione humana, consistit in absolutione. conc. antec. tota significatio, quæ habetur ab institutione Divina. neg. antec. & conf. ad prob. dist. antec. sola abso- lutio significat remissionem peccatorum ex institutione humana. om. antec. ex institu- tione Divina. neg. antec. & conseq. Licet sola verba absolutionis, ex vi sua significan- di, quam habent ab institutoribus linguæ, si- gnificent remissionem peccatorum, tamen hæc significatio nullo modo enet practica, & efficax, sed inanis, & vacua, nisi insuper Christus ea verba instituisse, ad significan- dam practicè gratiam: Christus autem pro-

libertate non voluit, verbis illis solis, seu foli absolutioni, tribuere hanc vim significandi, sed partialiter etiam rebus. Ad 1. confirm. om. antec. neg. conseq. In iudiciis aliis tantum datur significatio ex institutione humana, non autem ex Divina.

Ad 2. confirm. neg. ma. ad prob. iterum neg. ma. Sicut non dicitur fecisse statuam, qui tantum suppeditat lignum, sed, qui facit figuram; quia scilicet artifex denominatur à forma, non autem à materia: ita non dicitur minister sacramenti, qui tantum ponit materiam sacramenti, sed qui ponit formam, quam ponit solus iudex sacer: sic etiam in sacramento ordinis requiritur acceptatio calicis &c. nec ramen ordinandus accipiens, sed solus Episcopus tradens, & verba formæ pronuncians, dicitur minister ordinis; nam, ut quis fit minister sacramenti, non debet ponere tantum aliquam partem, sed debet concurrere nomine Christi, secundum specialem, aut specificam rationem sacramenti: cum autem sacramentum poenitentiae institutum sit, per modum iudicii, specialis, aut specificatio concurrere in isto est, concurrere per modum iudicis, quod soli sacerdoti competit. Contra sacramentum matrimonii est institutum per modum contractus; unde specialis ratio ad hoc concurrere, est concurrere per modum contrahentis: quod cum competat utrique conjugum, uterque erit minister. Quod autem non sola absolutio sit totum sacramentum, sed istud etiam constituitur ex contritione, confessione, & satisfactione, satis patet ex Concilio Florentino citato n. 36. ubi dicit, contritionem, & confessionem esse materiam sacramenti poenitentiae: & probabitur adhuc magis in tract. de poenit. à n. 463.

49. Ob. 4. è contrario. Alia iudicia possunt fieri solis nutibus: ergo etiam his solis potest administrari poenitentia: ergo non consistit in verbis. Confirm. 1. Tridentinum enumerat solas res, seu actus poenitentis, tanquam partes sacramenti: ergo absolutio non est ejus pars. Confirm. 2. Absolutio non est actus poenitentis: ergo non est constitutum poenitentiae. Resp. conc. antec. neg. conseq. Verum quidem est, quod, sicut ad contractum, ita ad iudicium ut sic, sufficiant nutus, tum quoad confessionem rei, tum quoad absolutionem iudicis: sed non sufficiunt nutus in hoc iudicio sacramentali. Ratio est ipsa voluntas Christi instituentis, qui certam formam absolutionis præscripsit, sine qua noluisset esse validum sacramentum: nempe præscripsit absolutionem verbalem, prout docet Ecclesiae traditio: non ita præscripsit certam formam contractus in matrimonio.

Ad 1. confirm. dist. antec. Tridentinum enumerat solos actus, tanquam partes materiae sacramentalis. conc. antec. tanquam partes totius sacramenti. neg. antec. & conseq. Tridentinum sess. 14. c. 3. ita loquitur: *Docet præterea Sancta Synodus, sacramenti poenitentiae formam, in qua præcipue ipsius*

vis sita est, in illis ministri verbis positam esse: Ego te absolvo &c. ergo verba sunt forma, adeoque pars: item in verbis potissima vis hujus sacramenti sita est: ergo constituit sacramentum; nam id, in quo potissima efficacia, & vis causandi inest, utique constituit sacramentum causativum. Ad 2. confirm. conc. ant. dist. conseq. absolutio non est constitutum poenitentiae virtutis. om. conseq. poenitentiae sacramenti. neg. conseq. plus enim requiritur ad sacramentum poenitentiae, quam tantum ad virtutem poenitentiae: imò hæc est tantum pars illius.

50. Ob. 5. Verba consecratoria conficiunt Eucharistiam: ergo sunt tantum causa, seu forma extrinseca. Confirm. 1. Sacramentum Eucharistiae adhuc manet, etiam desinentibus verbis: ergo ex his non constituitur. Confirm. 2. Eucharistia est cibus, & potus: verba non sunt cibus, & potus: ergo. Confirm. 3. SS. Patres passim Eucharistiam vocant corpus, & sanguinem Christi: sed verba non sunt pars corporis, & sanguinis Christi: ergo neque sunt pars Eucharistiae. Resp. dist. ant. verba conficiunt Eucharistiam, denominativè sumptam, seu unam illius partem. conc. ant. conficiunt eam quidditivè sumptam, seu omnes ejus partes. neg. ant. & conseq. Sic anima causat unionem cum materia, & cum eadem constituit hominem: & lac causat albedinem, & cum ea constituit album. Responderi etiam potest 2. dist. ant. verba conficiunt, id est, perficiunt (quæ est phrasis hujus Concilii) seu causant intrinsecè sacramentum. conc. ant. causant extrinsecè. neg. ant. & conf.

51. Ad 1. confirm. dist. ant. sacramentum Eucharistiae, desinentibus verbis, manet quidditivè sumptum. neg. ant. denominativè sumptum. conc. ant. & sub eadem distinctione. conc. & neg. conseq. Non manet physicè quidditivè, seu secundum omnes prorsus partes sacramentum Eucharistiae (nam neque manet physicè institutio Christi) sed tantum manent species, & corpus, ac sanguis Domini, quæ denominantur sacramentum Eucharistiae: sic etiam non manet physicè voluntas hominum, instituentium aliquid signum, e. g. ramum in signum vini vendibilis: & tamen dicitur signum permanere, id est, denominativè sumptum, seu secundum subiectum, aut rectum denominationis. Sed hæc nota sunt ex logica.

Ad 2. confirm. dist. ma. Eucharistia, denominativè sumpta, est cibus, & potus. conc. ma. quidditivè sumpta. subdist. est cibus, & potus tantum. neg. ma. est insuper aliquid aliud, scilicet complexum, involvens etiam institutionem Christi, & verba formæ. conc. ma. & om. mi. neg. conseq. Eucharistia est cibus secundum rectum, seu denominativè accepta, non autem secundum omnes omnino partes. Ad 3. confirm. dist. ma. & illi SS. Patres loquuntur de Eucharistia denominativè, seu secundum rectum accepta. conc. ma. loquuntur de ea concretivè, aut quidditivè, seu secundum rectum, & obliquos, accepta, neg. ma. & omis. mi. neg. conseq. Loquuntur

antem Patres maxime de eo, de quo erat controversia cum hæreticis, scilicet de reali præsentia Christi Domini, omittendo ea, quæ non veniebant in disputationem, qualia erant institutio Christi, verba &c.

52. Ob. 6. Partes sacramenti debent esse sensibiles: contritio non est sensibilis: ergo non est pars. Resp. dist. ma. partes omnes debent esse sensibiles immediatè. neg. ma. aliqua, vel aliquæ partes immediatè, & reliquæ saltem mediatè, seu per alias compartes. conc. ma. & dist. mi. contritio non est sensibilis immediatè. conc. mi. mediatè. neg. mi. & conseq. Sic etiam corpus Christi in Eucharistia tantum est sensibilis per species. Contritio autem fit sufficienter sensibilis per confessionem, tanquam per suum effectum, vel tanquam per aliquid præsupponens contritionem.

Dices. Contritio non fit sufficienter sensibilis per confessionem: ergo nulla responsio. prob. ant. contritio non fit aliter sensibilis per confessionem veram, quam per simulatam: per hanc non fit sufficienter sensibilis: ergo per neutram, seu nullam. Resp. argumento hoc probari, nec cognitiones fieri sensibiles per verba; neque enim aliter percipio, e. g. cognitionem Petri per propositionem verbalem veram, quam per mendacem. in forma neg. ant. ad prob. neg. ma. quia per confessionem sinceram contritio verè fit sensibilis: per fictam verò tantum fit sensibilis apparenter. Quod autem confessarius non infallibiliter discernat, an contritio verè adsit, an non, plus non probat, quam, quod contritio per confessionem non fiat infallibiliter sensibilis, quod minimè requiritur.

Si ex hoc inferre velis, sacramentum non fore signum infallibile gratiæ. Resp. neg. illatum; sacramentum enim semper, quandocumque revera datur, est infallibile signum gratiæ (intellige gratiæ conferendæ homini rite disposito: non verò gratiæ semper actu collatæ; nam etiam sacramentum validè, sed fictè, seu instructuosè susceptum, debet esse, & est signum infallibile gratiæ, licet ista tunc non conferatur) atamen nos non discernimus infallibiliter, quando datur, aut quando non datur sacramentum: quando autem datur confessio tantum ficta, non datur sacramentum, consequenter tunc nec datur infallibile signum gratiæ. Sic etiam, quando tantum datur ficta consecratio, non dabitur Eucharistia, licet homines interim decipi possint, ut panem adorent.

53. Ob. 7. Verba possunt æquè determinari à rebus, quam res à verbis: ergo non est potior ratio, cur verba dicantur forma præ rebus. ant. prob. verba consecrationis possunt determinari, à superveniente corpore, & sanguine Christi Domini: ergo. Resp. neg. ant. quoad verba sacramentalia (an in aliis casibus aliquando id fiat, parum refert) verba enim sacramentalia sunt magis determinativa, & habent clariorem significationem. Quod autem aliquando prius adsint verba, quam res, non probat, ea tunc esse materiam; nam etiam anima rationalis prior adest

ante materiam adgeneratam in nutritione, nec tamen est subiectum materiae. Et ne fors dicas, materiam jam esse ab initio mundi, respondeo, sæpe materiam debere de novo creari, quando scilicet consumptis speciebus Eucharisticis debet substitui nova materia; nam etiam homo plures sacras hostias comedendo nutritur: cumque accidentibus nutriti nequeat, debet nova substantia in vicem destructæ substitui.

ARTICULUS III.

An ad Sacramenta requirantur Res, & Verba determinata.

54. Dico 1. Christus Dominus determinavit quoad substantiam, res, & verba sacra-

mentorum novæ legis, atque adeò res, & verba determinata, requiruntur. ita Catholici omnes. Prob. 1. Perpetua Ecclesiae traditio, ab Apostolis derivata, & unanims consensus SS. Patrum, ac Theologorum, hanc assercionem nos docent: ergo. Prob. 2. Tridentinum sess. 7. can. 1. docet, Christum instituisse omnia sacramenta novæ legis: & sess. 21. c. 2. docet, Ecclesiam habere potestatem mutandi quædam, in sacramentorum dispensatione, salvâ illorum substantiâ: ergo Christus quoad substantiam sacramenta instituit: adeoque instituit quoad substantiam res, & verba, quæ identificantur cum sacramentis, utpote eorum constitutiva: ergo. Certè aliàs Christus non esset institutor sacramentorum, nec esset ratio, cur Ecclesia salvam deberet relinquere eorum substantiam. Confirm. Sacramenta sunt signa causativa gratiæ: sed nemo potest instituire, ponere, aut determinare signa talia, excepto Christo, qui solus est auctor gratiæ: ergo debuit iste sacramenta instituisse, seu ea determinasse, saltem quoad substantiam, seu quoad materiam, & formam, aut res, & verba.

55. Unde pessimè dixit Lutherus l. de captiv. Babyl. de baptis. baptismum, quibuscunque verbis collatum, modò non in nomine hominis datur, sed in nomine Domini, fore validum: & pejus addit, quòd, etsi impius minister non daret in nomine Domini baptismum, modò suscipiens baptismum, eum in nomine Domini suscipiat, hic futurus sit validus; hac ratione enim, si quis baptizaretur in nomine diaboli, modò baptismum suscipere vellet in nomine Domini, esset rite baptizatus. Errarunt etiam Zvinglium, Brentius, & alij hæretici, asserentes, non esse necessariam certam formam verborum. Errarunt quoque circa materiam Manichæi, nolentes adhibere aquam, & Jacobitz, loco absolutionis imprimentes infantibus, ferro candente, crucem in fronte, ut scilicet baptizarent igne, propter malè intellecta verba S. Joannis Baptistæ de Christo Matth. 3. v. 11. *Ipse vos baptizabit in Spiritu Sancto, & igni.*

56. Sed quæstio hic jam est, an quælibet mutatio rerum, vel verborum, tollat valorem sacramentorum: in qua cum communissima omnium

omnium dicendum, mutationem substantialem tollere valorem, non verò mutationem accidentalem. Jam verò *mutatio substantialis* non tam desumitur, à diversitate substantiali in sensu physico, quam à diversitate substantiali in sensu morali; hinc illa hic censetur *mutatio substantialis materia*, quando mutatio rei tanta est, ut hæc juxta communem æstimationem hominum specie morali distinguatur ab illare, quam Christus requisivit, ideòque appelletur diverso nomine: alia verò mutatio dici in hac quæstione solet *mutatio accidentalis*. Pariter *mutatio substantialis forma* tunc censetur, quando verba non retinent sensum à Christo institutum: alia autem mutatio, formæ censetur *mutatio accidentalis*. Ratio est; quia sacramenta non operantur secundum sonum, vel numerum syllabarum: sed secundum sensum, à morali æstimatione determinatum.

57. Hinc primò, sive aqua sit calida, sive frigida; sive benedicta, sive non, sive panis azymus, sive fermentatus, validè conficitur baptismus, aut Evcharistia. At verò non conficitur Evcharistia in massa farinacea, nondum pista; licet enim hæc physice non differat specie à pane; differt tamen moraliter, nec censetur panis. Et idem sentiendum de liquore adhuc uvis contento; nondum enim censetur moraliter vinum. Idem dicendum de aqua congelata respectu baptismi; licet enim physice sit aqua, non est moraliter, nec est apta ad abluendum.

58. Secundò. Valida est forma sacramentorum, quocunque idiomate proferatur; alias enim deberemus uti lingua, qua usus est Christus Dominus, quod tamen non fit, sed maximam partem in Ecclesia occidentali utimur Latinâ, in orientali verò utuntur ferè vulgari, Græci Græcâ, Maronitæ Maronitâ &c. Imò Coninck de *sacram. in genere* q. 60. a. 8. dub. 1. n. 68. cum Cajetano, & Suarez, item Comptonus *Theol. Scholast. tom. 2. disp. 63. sec. 2. n. 7.* ajunt, posse misceri duo genera linguarum, modò sensus maneat. Rursus possunt in eodem idiomate adhiberi voces synonymæ. Item potest ordo verborum mutari, manente sensu: vel mutari activum in passivum. Hinc validus est baptismus Græcorum: *Baptizetur* (vel ut La Croix l. 6. p. 1. n. 270. legit *Baptizatur*) *servus Christi in nomine Patris &c.* ut docet Florentinum in decreto Eugenij pro Armenis.

59. Tertio. Validè etiam conferuntur sacramenta, etsi verba pronuncientur aliquo modo corruptè, dummodo maneat sensus: sic Zacharias Pontifex respondit S. Bonifacio (ut habetur *C. Retulerunt. 86. de consecrat. distinct. 4.*) validum esse baptismum ab indocto parochò collatum: *In nomine Patris, & Filii, & Spiritu Sancta*; eoquod verè intenderit parochus ille baptizare *in nomine Patris &c.* & tantum ex incitua lingue malè pronuntiari verba; alias enim dixisset *in nomine Patrie &c.* neque in illis circumstantiis illud *Patria* censi debet esse alia dictio, sed tantum alia terminatio, quæ, cum sit frequens apud Latinos, non statim vitiat sensum.

At, si corruptio, licet physice minima, tamen faciat alium sensum, invalidum est sacramentum: e. g. vocabula *patris, & matris* differunt tantum unâ literâ; invalidus tamen esset baptismus collatus *in nomine matris*. Et quamvis baptizans per *matrem* intelligeret *patrem*, imò etiam adstantibus hoc prius manifestaret, baptismus tamen non valeret; quia verba accipienda sunt juxta communem acceptionem; alias posset quis etiam protestari, & dicere, quod *vox condemnò* idem ipsi significet, quod *absolvo*; & postea dicere pœnitenti: *Ego condemnò te*: pro: *Ego absolvo te.* vide tract. de *Evcharist. n. 175. & seq.*

60. Quarto. Additio verbi alicujus ad formam, vel detractio alicujus ex illa, non tollit valorem, nisi tollat sensum legitimum; hinc, licet quis omitat particulam *enim* in consecratione, validè conficit Evcharistiam: item validè baptizat, qui dicit: *Ego te baptizo in nomine Patris omnipotentis, & Filij unigeniti & Spiritus Sancti Paracliti.* At invalida esset forma: *in nomine Patris majoris, & Filij minoris &c.* quia vitiaret sensum requisitum; nec enim baptizaret in nomine veri Filij DEI.

Item, si quis diceret, *in nominibus*, invalidè baptizaret; quia significaret pluralitatem naturarum in Divinis: quod utique est contra sensum à Christo intentum; nam *nomen* hic significat naturam, aut essentiam, quæ una est. Si quis adderet *in nomine B. Virginis*, rectè distinguit S. Thomas 3. p. q. 60. a. 8. in corp. & ait, quodsi talis intelligeret, quod eodem modo velit baptizare *in nomine B. Virginis*, sicut in nomine SS. Trinitatis; nempe quasi nomen B. Virginis etiam aliquid operari deberet in baptismo, invalidus esset baptismus, & contra sensum à Christo intentum; quia hic voluit, baptismum consecrari, & virtutem habere à sola SS. Trinitate: si autem tantum intelligeret, ut intercessio B. Virginis pro sit baptizato, non redderetur sacramentum invalidum.

61. Idem Angelicus *cod. art. in corp. paulo superius* ait, additionibus, vel detractioibus invalida reddi sacramenta, si proferens verba intendat inducere novum ritum in Ecclesiam; quia talis minister non habet intentionem faciendi, quod facit Ecclesia. Hoc Bellarminus *tom. 3. controu. 1. de sacram. in genere l. 1. c. 21. §. Ideo animadvertendum est.* rectè explicat de volente introducere novum ritum essentialem, respectu totius Ecclesiæ universalis; talis enim minister non habet intentionem requisitam, quæ est, ut faciat, quod facit Ecclesia Christi vera. Si quis autem tantum velit introducere novum ritum in Ecclesiam particularem, quam putat errare, interim tamen intendat facere, quod facit Ecclesia vera, etsi fallatur in agnoscenda vera Ecclesia, validè confert sacramentum, e. g. si Græcus schismaticus, persuasus Romanam Ecclesiam errare, baptizet verbis illis: *Baptizetur* (vel *Baptizatur*) *servus Christi*: putans malè baptizari verbis: *Ego te baptizo*

priso &c. interim tamen intendat facere, quod facit Ecclesia vera, validè baptizat.

Neque enim debet minister intendere facere, quod facit Ecclesia Romana (taliter enim hæretici semper invalidè baptizarent) sed tantum debet intendere, facere, quod facit Ecclesia vera: quamvis sic baptizans saltem implicite intendat, facere, quod facit Ecclesia Romana, quæ sola est vera. Ex quo iterum colligitur, invalidam esse formam, in qua additur *in nomine B. Virginis*, si intentio sit, ejus nomen non aliter, ac nomen SS. Trinitatis invocare. Noto etiam, hæc tunc dicta de valore sacramentorum, minime extendi ad licentiam, ea sic administrandi; sepius enim quis peccaret, & graviter quidem, etiam tantum accidentaliter mutando formam, vel materiam, licet sacramentum verè conficeret.

62. Quintò. Materia, & forma, à Christo instituta, etiam adhiberi debet eo modo, quo Christus instituit; hinc, si quis affunderet aquam, alter pronunciat verba formæ, baptismus non valeret. Item, si materia, & forma, vel aliqua pars formæ, ab altera nimium distaret, iterum non perficeretur sacramentum; quia non haberetur unio requisita ad unum concretum morale. Quænam autem distantia unius ab altero tollat valorem sacramenti, deduci debet ex prudentum judicio, & natura sacramentorum.

Ex his autem desumitur, quòd in iis sacramentis, in quibus significatur actio ministri, aut res talis, quæ indicatur per pronomen *hic*, aut *hoc*, debeat materia, & forma moraliter simul esse, e. g. in baptismo, confirmatione, extrema unctione, & ordine, debent ablutio, unctio, panis in patena, & vini in calice traditio, moraliter simul esse cum pronunciatione verborum formæ: in super in consecratione SS. Evcharistiæ debet materia esse ita præsens, ut per pronomen *hic*, vel *hoc*, possit demonstrari, & humano modo ostendi.

At verò in sacramento pœnitentiæ, quod fit per modum judicii, non debet absolutio statim dari: sed potest rationabiliter differri, modò non tamdiu differatur, ut non amplius possit dici, eam moraliter constituisse cum confessione unum processum judiciale. Quia tamen in forma adhibetur particula *te*, indicans personam, quæ absolvi, debet hæc esse præsens: id quod etiam de reliquis sacramentis intelligendum, in quorum forma eadem particula *te*, vel *tibi*, adhibetur. In matrimonio potest unus consensus per longum tempus abesse ab altero, modò interim prior non revocetur; quia tamen datur sufficiens moralis unio, in ordine ad contractum humanum.

63. Insuper verba formæ debent ita inter se conjungi, ut faciant adhuc sensum grammaticalem, moraliter intelligibilem, talem, qualis ad sacramentum requiritur; hinc, si quis diceret: *Hoc est*: tum verò recitaret preces aliquas: postea primùm adderet reliqua verba, non consecraret; quia homines non intelligerent, priora cum postea.

rioribus necti. Quòd si dubium sit, an partes sufficienter cohererint, opus est, ut minister sub conditione repetat suas actiones, ad sacramentum denuo, & certius conficiendum, præsertim, si agatur de sacramento valde necessario, ne suscipiens gravi exponatur periculo: & hinc etiam circa sacramenta, quæ similitatem, saltem moralem, materiam, & formæ requirunt, curandum semper est, ut istæ physice simul sint: quod Gobat ita graviter censet præceptum, ut dicat, certo mortaliter peccaturum, qui scienter totam formam pronunciat, antequam inciperet, materiam physice applicare, vel postquam jam totam applicasset.

64. Dico 2. Ad sacramenta non requiruntur verba concionatoria, sed consecratoria. Conclusio est Catholicorum omnium contra Calvinum. Prob. 1. Scripturæ, & perpetuus Ecclesiæ usus, seu traditio, jam ab Apostolis accepta, nunquam verba, in sacramentorum administratione adhiberi solita, vocant concionatoria, sed consecratoria; neque unquam requirunt concionem: ergo, prob. ant. S. Paulus 1. ad Cor. 10. v. 16. vocat verba, Evcharistiam conscientia, benedictionem: *Calix benedictionis, cui benediximus.* & Christus Dominus *Matth. 28. v. 19.* docens formam baptismi, dicit, homines baptizari debere *in nomine Patris &c.* nec dicit: *Docete in baptismo in nomine Patris &c.* sed potius vult dicere: *Invocate illud nomen*: sicut quando dixit *Matth. 16. v. 17.* *In nomine meo demonia eijentur*: non voluit, adhibendam esse instructionem energumenorum circa nomen Christi, sed invocationem nominis istius super eos. Quando autem Christus dixit *Matth. 28. v. 20.* doceri debere gentes, non dixit, id fieri debere in ipso baptismo, per verba formæ: sed præviè, uti etiam nos facimus circa adultos.

Eodem modo etiam loquuntur SS. Patres, & quidem antiquissimi. S. Augustinus l. 3. de baptismo c. 10. sic ait: *Non est autem aqua prophana, & adultera, super quam nomen DEI invocatur, etiamsi à prophetis, & adulteris invocetur; quia nec ipsa creatura, nec ipsum nomen adulterum est: baptismus verò Christi verbis Evangelicis consecratus.* S. Ambrosius l. 2. de sacram. c. 5. ait: *Venit sacerdos, precem dicit ad fontem, invocat Patris nomen, presentiam Filij, & Spiritus Sancti, utitur verbis celestibus. Celestia verba qua sunt? Quòd baptizemus in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti.* Similia habent alij Patres passim. videatur Bellarminus *tom. 3. controu. 1. generali de sacram. l. 1. c. 19.*

65. Prob. 2. ad hominem. Hæretici, saltem moderni, non rebaptizant Catholicos apostatas: ergo noster baptismus, qui tamen administratur sine concione, est validus, adeòque concio non est necessaria ad ejus valorem. Confirm. Parvuli etiam apud hæreticos validè baptizantur, quin concio ipsis debeat haberi: ad quid enim ista habeatur coram iis, qui eam non intelligunt? ergo. Resp. Calvinus, parvulos reciperet

capere verum quidem sacramentum, sed potest primū iis utile futurum. Sed contra est. I. Ergo saltem concio non est de essentia sacramentorum. 2. Si parvuli moriantur ante usum rationis; an non erit iis utilis baptisimus?

Respondent Lutherani, parvulos, dum baptizantur, illuminari à DEO, & intelligere concionem, sicut S. Joannes Baptista cognovit presentiam Christi: id quod etiam videtur jam dixisse aliqui hæretici tempore S. Augustini: sed ridet eos hic Sanctus Pater *epist. 57. ad Dardanum circa medium*; sepe enim (ut eadem *epist. paulo inferius* advertit S. Antistes) parvuli, quantum possunt, stendo, & se torquendo, baptismum, (quia e. g. aqua frigida est) fugiunt: ergo essent sacrilegi. Dein quomodo probant Lutherani, hæc miracula quotidie fieri?

ARTICULUS IV.

Solvuntur Objectiones.

66. **O**B. I. contra I. conclusio- nem. Ecclesia adhibet sæpe aliam materiam, & etiam formam, in quibusdam sacramentis, quàm adhibuerit Christus: imò etiam modò adhibet aliam materiam, quàm adhibuerit prima Ecclesia: quin etiam Ecclesia Græca adhibet sæpe aliam materiam, & formam, quàm Latina: ergo Christus non determinavit materiam, & formam sacramentorum. antec. prob. quoad I. partem. sic Christus, quando ordinavit Apostolos sacerdotes, seu dedit ipsis potestatem sacrificandi, tradidit ipsis tanquam materiam, panem, & vinum, jam consecratum, seu suum corpus, & sanguinem: & ut Præpositus vult, tanquam formam adhibuit illa verba *Luca 22. v. 19. Hoc facite in meam commemorationem*. Contra Ecclesia Latina tradit, tanquam materiam calicem cum vino, & patenam cum hostia, nondum consecratis: & formam adhibet hanc: *Accipe potestatem offerendi sacrificium in Ecclesia, pro vivis, & mortuis, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti*, ut habet Florentinum in decreto Eugenij: vel, ut habet Rituale Romanum de ordinat. presbyt. *Accipe potestatem, offerre sacrificium DEO, missasque celebrare, tam pro vivis, quàm pro defunctis, in nomine Domini. Resp. Amen.* Rursus, quando Christus Apostolis dedit potestatem remittendi peccata, in eos insufflavit. *Joan. 20. v. 22.* at modò Episcopus imponit ordinandis manus: ergo modò adhibetur alia materia, & forma, quàm fuerit adhibita à Christo.

Probatur etiam 2. pars antec. Diaconus modò ordinatur, per traditionem libri Evangeliorum: & tamen liber hic nondum erat scriptus, quando in prima Ecclesia S. Stephanus, & alij primi diaconi, fuerunt ordinati, ut admittit Bellarminus *tom. 3. controv. general. 5. l. de sacramento ordinis c. 6. & 9.* & Haunoldus *l. 4. tr. 2. c. 2. controv. 2. n. 528.* item in confirmacione videtur tempore

Apostolorum, seu primitivæ Ecclesiæ, adhibita fuisse sola impositio manuum: & modò adhibetur unctio chrisimatis: ergo modò adhibetur alia materia, quàm adhibita fuerit olim in prima Ecclesia. Prob. tandem 3. pars. Græci in omnibus ordinationibus pro materia adhibent solam impositionem manuum: & pro forma presbyteratus habent hanc: *Divina gratia, qua semper infirma sanat, & qua desunt, supplet, creat, seu promovet N. venerabilem diaconum in presbyterum: oremus igitur pro eo &c.* vide Lugonem de sacram. in genere *disp. 2. sec. 5. n. 85.* ergo à Græcis adhibetur alia materia, & forma, quàm à Latinis.

67. Pro solutione hujus argumenti notandum, quòd Christus Dominus, non eadem restrictione, determinaverit materiam, & formam omnium sacramentorum; nam in baptismo restrinxit materiam usque ad speciem infimam aquæ elementaris: & formam ad verba certa: non autem cum eadem restrictione, determinavit materiam in aliis sacramentis. Sic e. g. confessio potest fieri, vel verbis, vel nutibus, si quis loqui non possit: item dolor potest esse attritio, vel contritio: ad Evcharistiam potest adhiberi panis fermentatus, & azymus, vinum quælecunque de vite, et si probabiliter inter se specie differant: in matrimonio potest consensus exprimi, vel voce, vel scripto, vel nutibus.

Unde non omnes materias, vel formas, sub prædicatis ultimò specificis, Christus instituit, sed aliquas sub prædicatis tantum genericis: & hoc fecit maximè circa materiam, & formam sacramenti ordinis, ubi instituit, seu determinavit materiam, sub hoc prædicato generico, ut scilicet pro materia adhiberetur *aliquid signum proportionatum potestati, qua per talem ordinem confertur*: & formam sub prædicato similiter generico, ut scilicet adhiberentur *verba potestatis collata expressiva*: electionem autem ipsorum in specie verborum reliquit Christus Ecclesiæ. ita Bellarminus *c. 9. num. præced. cit.* quoad materiam: & videtur idem sentire de forma, de qua tamen expressè non loquitur. Idem docent de materia, & forma, Gormaz de *sacram. à. n. 60.* Haunoldus *l. 4. tract. 2. c. 2. controv. 2. n. 530.* Lugo de *sacrament. disp. 2. sec. 5.* His positis

68. Resp. dist. ant. quoad omnes tres partes. Ecclesia adhibet materiam, & formam materialiter aliam, quàm adhibuerit Christus. om. ant. formaliter aliam. neg. ant. & conseq. ad prob. omnium trium partium dist. eodem modo conseq. ergo adhibetur materia, & forma materialiter alia. conc. conseq. formaliter alia. neg. conseq. *Materialis diversitas* materialium, & formarum, stat in eo, quòd tantum differant in prædicato, quòd non venit ad rem, vel ad quòd Christus Dominus non attendit in sua institutione: sicut etiam est diversitas materialis, inter formam linguæ Latinæ, & formam linguæ Germanicæ prolatam. *Formalis diversitas* materialium, vel formarum, daretur, si materiæ, vel for-

mæ, disconvenirent in eo prædicato, sub quo formaliter à Christo sunt institutæ, vel ad quòd prædicatum Christus formaliter respexit: at in hoc prædicato non disconveniunt: cum omnes materiæ, & formæ, tam quæ à Christo adhibitæ sunt, quàm quæ ab Ecclesia Latina, & Græca, adhibentur, conveniant in prædicato, sub quo sunt institutæ, scilicet in hoc, quòd materiæ sint signa proportionata potestati, quæ confertur per sacramentum, & verba sint expressiva ejusdem potestatis.

69. Quòd spectat ad objectionem circa confirmationem, eodem modo solvi potest: quanquam probabilius sit, Apostolos præter impositionem manuum adhibuisse etiam unctionem chrisimatis, ut fuse probat Bellarminus *tom. 3. controv. 2. l. 2. de sacramento confirmationis c. 9. §. Est tamen alia.* Et certè Patres antiquissimi (ut testatur idem Bellarminus *loco modò citato*) Dionysius, Clemens, Theophilus Antiochenus, Tertullianus, Cyprianus, Cornelius, Origenes, & alii, asserunt, Apostolos in confirmatione admittenda usos fuisse chrisimate.

Quin idem Cardinalis eodem *cit. cap. 9. §. Primò igitur sic probò.* ita scribit: *Patres, qui uno in loco dicunt, per impositionem manus dari Spiritum S., iidem in alio loco dicunt, dari per unctionem chrisimatis: & aliquando utrumque simul conjungunt: ex quo apparet, utrumque ad ritum hunc pertinere, & illis perinde esse, sive unum, sive alterum exprimant.* & post pauca *§. Secundò idem probò.* ait: *Patres, quando dicunt, solos Episcopos per unctionem chrisimatis dare Spiritum S. semper allegant verba Luca Actor. 8... ergo, aut Apostoli Actor. 8. manus imponendo ungebant chrisimate, aut isti omnes Patres male argumentantur.* Et sanè SS. Patres malè argumentarentur, si non ibi etiam adfuisset unctio, præsertim, cum non doceant, unctionem manuum impositioni successisse.

Quòd autem Innocentius III. & Concilium Florentinum, videantur dicere, locò impositionis manus dari nunc confirmationem, dictis non obstat: cum tantum velint dicere, quòd sacramentum illud modò aliter nominetur, & quòd dentur alia nomina, non verò aliæ res, saltem quoad substantiam: accidentalibus autem diversitas, & quidem tantum materialis admitti potest, sicut admittitur, quòd sacramentum confirmationis olim habuerit accidentalem prærogativam; quoniam in eo tunc Spiritus S. dabatur visibilibus. Quòd autem tantum hic sensus sit verborum Innocentii, & Concilii Florentini, probatur ex eo, quòd non dicant, impositioni manuum successisse unctionem chrisimatis, seu unam materiam alteri, sed, impositioni manuum successisse sacramentum confirmationis: utique non quoad substantiam; cum certum sit, Apostolos hoc sacramentum administrasse: ergo tantum successit quoad nomen. videatur

Bellarminus *cit. c. 9. §. Dico autem secundo.*

70. Dices. Si Ecclesia elegit certa signa in specie, tunc ipsa potius, quàm Christus sacramenta instituit: hoc est falsum: ergo. Resp. neg. ma. Instituire sacramenta non est tantum determinare materiam eorum quomodocunque: sed est eidem materiæ conferre vim significandi, & causandi gratiam: hoc autem non facit Ecclesia; nam ipsa non tribuit ullam vim, aut efficaciam materiæ, vel formæ: sed tantum ex toto genere materialium, vel signorum, cui Christus suam promissionem de danda gratia, alligavit disjunctivè, seu huic, vel illic speciei, prout Ecclesia elegerit, ista aliquam speciem determinat, cui dein speciei Christus per se ipsum confert vim causandi gratiam.

Sic, licet milites pro libitu eligere possint ramos, vel quercinos, vel fagineos, vel populeos, ut imponant suis pileis, ad se discernendos ab hostibus, non tamen ipsi ramum instituerunt in tale signum, sed bellidux, qui determinavit in genere, ut aliquem ramum in pileo portarent. Sic, licet inferior bellidux eligat potius hanc cohortem, quàm aliam, tanquam suppetias urbi obsessæ mittendas, tamen non dicitur simpliciter ille misisse subsidia urbi, sed imperator, aut dux superior, qui simpliciter iussit aliquos mitti. Sed neque (quòd obiter notandum) conficere sacramentum est illud instituire, sicut loqui cerco idiomate, non est istud instituire.

71. Dices. Si Christus tantum determinavit materiam, & formam, aliquo modo expressivam potestatis collatæ, valida esset ordinatio, à Latinis facta per solam impositionem manuum, vel porrectionem calicis vacui, vel tantum vestium sacerdotium: consequens non potest admitti: ergo. Resp. dist. ma. si Christus non simul etiam determinasset, adhibendam esse materiam, ab Ecclesia electam. conc. ma. si hoc determinavit. neg. ma. & om. mi. neg. conseq. ut enim docent Comptonus, Gormaz, & alii, non voluit Christus, determinationem, etiam tantum materiale, relinquere cuilibet particulari, sed tantum Ecclesiæ universali, quæ dein alia statuit pro Græcis, alia pro Latinis: & hinc Latini non possunt conferre sacramentum ordinis, nisi in materia, & forma, pro ipsis determinata, & Græci etiam non, nisi in sua.

Aliud est de consecratione Evcharistiæ; neque enim est tanta diversitas, inter azymum, & fermentatum panem, ut propterea Ecclesia iudicet, sacerdotem Latinum non validè consecraturum in pane fermentato. Imò Florentinum in *litteris unionis* expressè definit, in utroque sacerdotem validè conficere sacramentum: quanquam addat præceptum, ut quisque suæ Ecclesiæ morem observet: & quidem præceptum tam grave, ut Suarez *tom. 3. in 3. p. disp. 44. sec. 3. §. Unum verò superest.* & Layman *l. 5. tr. 4. c. 2. n. 4.* dicant, nec licere Latinis consecrare fermentatum panem, etiam in casu,

quo non posset ex defectu azymi consecrari viaticum pro moribundo: atque aded prius debere permitti istius mortem sine viatico, quam consecrationem à Latino sacerdote fieri in fermentato.

72. Ob. 2. Tempore Apostolorum valde conferebatur baptismus in solo nomine Christi: modò non valet, nisi collatus in nomine trium SS. Personarum, singillatim expressarum: ergo, vel Christus non determinavit formam baptismi, vel Ecclesia potest determinatam, & institutam à Christo, mutare. Confir. Ante Tridentinum contractus clandestinus erat materia valida, quamvis non licita, matrimonii: post istud Concilium contractus ille non amplius est materia valida matrimonii: sed, ut contractus sit materia valida matrimonii, debet fieri coram parochò, vel alio sacerdote delibentia parochi, aut Ordinarii, & duobus, vel tribus testibus: ergo Ecclesia in illo Concilio mutavit materiam sacramenti matrimonii.

Resp. cum Bellarmino tom. 3. *controv. 2. l. 1. de baptismo c. 3. §. Neque illa argumenta.* neg. ant. Apostoli non baptizarent in nomine solius Christi, sed in nomine omnium trium SS. Personarum, eas distinctè exprimendo: id, quod colligitur, primò ex eo, quòd jam in canonibus Apostolorum *canon. 48.* damnatur, qui aliter, quam invocatis SS. tribus Personis baptizaverit: qui canones, licet non sint authentici *ex C. Sancta Romana Ecclesia. diff. 15.* tamen sunt saltem antiquissimi, & ex ipsis tanquam ex fundamento historico habetur, jam ab antiquissimo tempore Christianis persuasum fuisse, quòd baptismus, expressis tribus Personis SS. Trinitatis, debeat conferri.

Secundò; quia antiquissimi Patres, Apostolorum coevis, idem tradunt. Tertio; quia *Act. 19. v. 1.* refertur, quòd S. Paulus invenerit aliquos discipulos ignorantes, an, & quid sit Spiritus S. & quòd ideo eos interrogaverit *v. 3. In quo ergo baptizati estis?* ergo solebant homines baptizari etiam in nomine Spiritus Sancti; aliàs malè collegisset S. Paulus, eos ex baptismo scire debuisse, quid sit Spiritus Sanctus: cumque *v. 5.* statim subjungatur: *His auditis baptizati sunt in nomine Domini JESU:* rectè inferitur, baptizari in nomine Domini JESU, vel Christi: esse baptizari in nomine SS. Trinitatis. Dicebatur autem baptizari in nomine Domini JESU; quia baptismus hic erat à Christo institutus, & fiebat à ministro, auctoritate, & nomine Christi.

73. Ceterum certum est, modò esse invalidum baptismum, collatum sine expressione trium SS. Personarum; Zacharias enim Papa. *C. In Synodo. 83. de consecrat. distinct. 4.* ait, perfectum Christianum non esse, nisi sit in nomine Patris, & Filii, & Spiritus S. baptizatus; & Pelagius Papa *C. Multi sunt. 82. ead. diff.* definit, baptismum, datum in nomine Christi tantum, nullum esse. Imò dubium est, an valeat baptismus collatus in nomine Genitoris, Geniti, & Proce-

dentis ab utroque; quia plures doctores defendunt, illis vocibus, nec Personas, nec personalitates exprimi, sed tantum significari fundamentum personalitatum.

Unde, quando objicitur auctoritas Nicolai I. Papæ, qui *C. A. quodam Judo. 24. de consecrat. dist. 4.* videtur asserere, baptismum, in nomine Christi datum, esse validum, respondendum est, hoc eum non definivisse; sed tantum id, de quo interrogabatur, scilicet, an baptismus, collatus à Judæo, cum debita intentione, esset validus, quod definivit affirmativè: sequentia tantum addidit ex S. Ambrosio *l. 1. de Spirit. S. c. 3.* tanquam privatus doctor, rationem reddens suæ doctrinæ: rationes autem, si inveniantur etiam in Conciliis additæ, ex se non sunt semper de fide.

74. Ad confirmat. neg. conseq. Ecclesia irritando matrimonium clandestinum, non mutavit materiam sacramenti matrimonii: sed potius id, quod prius erat materia, suo modo destruxit, ut non possit amplius esse pars sacramenti; sicut enim, si quis vinum converteret in acetum, vel nimia aqua affusa ita destueret, ut moraliter non censeretur amplius vinum, faceret, ut id consecrari amplius non posset: nec tamen talis mutaret materiam sacramenti, in sensu questionis, sed destrueret: ita etiam Ecclesia faciendo, ut contractus clandestinus sit invalidus, destruxit rationem contractus validi, quæ ratio ad materiam hujus sacramenti æquè necessaria est, ac prædicatum vini ad consecrationem.

Et sic Ecclesia fecit, ut contractus, qui prius potuit fieri sacramentum, modò post hanc mutationem, vel destructionem, non amplius possit fieri sacramentum: quod non est mutare materiam in sensu questionis; hoc enim esset facere, ut materia, quæ antè fuit valida, & sufficiens ad sacramentum, postea absque sui mutatione, non amplius esset valida, & sufficiens. Quòd autem Ecclesia possit contractum, qui aliquando fuerat validus, reddere postea invalidum, est clarum; cum hoc possit legislator, præsertim supremus in sua communitate, & sapissimè in politicis, & spiritualibus id fiat.

75. Ob. 3. contra 2. conclusionem. Christus, quando sacramenta confecit, adhibuit concionem, ut in ultima cœna: & idem fecere Apostoli, ac primitiva Ecclesia: ergo verba sacramentalia debent esse concionatoria. Confir. S. Hieronymus in *epist. ad Ephes.* adducens illa verba Apostoli, loquentis de Ecclesia, *c. 5. v. 26. Mundans lavacro aqua in verbo vite:* explicat illud in *verbo vite* de doctrina; nam ait: *Aqua lavit corpus, animam doctrina mundavit:* ergo, cum Apostolus ibi agat de baptismo, requiritur ad istum doctrina, seu concio. Resp. neg. ant. Christus Dominus, quando in cœna instituit SS. Eucharistiam, non præmisit ullum sermonem de SS. Eucharistia: sed postea subjunxit valde longum: attamen talem, qui non pertinebat ad SS. Eucharistiam

QUÆSTIO III.

De Intentione requisita ad Sacramentum conficiendum.

ARTICULUS I.

An Intentio Ministri sit necessaria ad conficienda sacramenta.

77. **Q**uæstionem hanc alij alibi tractant: mihi visa est subjungenda quæstioni de materia, & forma sacramentorum; tum quia Florentinum intentionem statim materia, & formæ subdit, ut patet ex verbis *n. 35.* citatis; tum quia à gravibus auctoribus intentio dicitur pars sacramenti, & juxta omnes est saltem necessariò requisita, aded, ut eà omisâ sacramentum sit nullum, ut mox probabimus. Agemus autem primò de intentione ministri ministrantis, tum de intentione subjecti suscipientis sacramentum; nec enim uno, eodèmq; modo, utraque necessaria est, præsertim in rationis incapacibus, ut suo loco monstrabimus.

78. Intentio dividitur in interpretativam, & formalem. Illa, seu interpretativa, est improprie tantum intentio; quia non est actus voluntatis, aut intentio aliqua actu existens, sed tantum existens conditionatè: & censetur tunc dari, quando quis sine intentione aliqua operatur: quia nescit, se debere habere intentionem: ita tamen est dispositus, ut, si sciret, quòd aliqua, & qualis intentio esset necessaria, emeliceret. Altera, seu formalis, est actus voluntatis, aliquid volens certo modo, & ex certo fine. Hæc intentio formalis subdividitur 1. in directam, & indirectam. Prior, seu directam, intendit rem in se: altera, seu indirectam, intendit causam rei, ex qua tamen quis prævidet effectum secuturum: e.g. si ædificando alius tuas ædes, alterius domui lumen injustè eripias, directè quidem tantum intendis tuum ædificium: at censeris, indirectè intendere obtenebrationem alterius domus.

Dividitur 2. intentio formalis in absolutam, & conditionatam. Illa, seu absoluta est, quæ absolute; conditionata verò, quæ tantum sub certa conditione aliquid vult. Dividitur 3. in habituales, virtuales, & actuales. Prima, seu habitualis, est intentio præterita, non amplius existens, nec in se, nec in effectu, nunquam tamen retractata. Virtualis est, quæ est præterita, nec jam amplius in se, sed tamen in aliqua sua virtute, vel in aliquo suo effectu existit. Actualis est, quæ adhuc de præsentibus actualiter existit. Dividitur 4. in explicitam, & implicitam. Prima, seu explicitam est, quæ rem clarè, sub suis propriis prædicatis formalibus cognitam, intendit: secunda, seu implicitam est, quæ rem non clarè, sub prædicatis formalibus cognitam, sed tantum sub aliquo prædicato convertibili cognitam, intendit: sic, qui explicitè vult iter facere, vult implicitè

etiam, sed ad charitatem commendandam. Quod de Apostolis, & Ecclesia affertur, facile negatur, nec potest ullo modo probari. Ad confirm. neg. conf. Inprimis commentaria illa in *epistolas S. Pauli, tom. 8. operum S. Hieronymi* contenta, in quibus textus objectus habetur, teste Bellarmino de *scriptor. Eccles.* non sunt S. Hieronymi, sed Pelagij. Dein etiam, hoc omisso, ibi non explanatur illa verba ad literam, sed tropologicè, ut facile patet legenti: neque etiam explicatur de baptismo, sed de qualibet alia animæ purgatione. Quin etiam S. Hieronymus in veris suis, & longioribus commentariis in hanc epistolam, quæ habentur *tom. 6.* etiam tropologicè loquitur de quavis animæ emundatione: atque etiam verum præcedentem, seu *v. 25. Viri diligite uxores vestras:* explicat tropologicè, ut ipse ait, & ita, ut per viros intelligat animas, per uxores autem corpora.

76. Ob. 4. S. Augustinus *tract. 80. in Joann.* ait: *Unde ista tanta virtus aquæ, ut corpus tangat, & cor abluit, nisi faciente verbo, non quia dicitur, sed quia creditur; nam & in ipso verbo aliud est sonus transiens, aliud virtus manens. Hoc est verbum fidei, quod predicamus.... unde in Actibus Apostolorum legitur: Fide mundans corda eorum: & in epistola sua Beatus Petrus: Sic & vos, inquit, baptisma salvos facit, non carnis depositio sordium, sed conscientia bonæ interregatio. Hoc est verbum fidei, quod predicamus:* ergo S. Augustinus omnem vim tribuit verbo prædicato. Resp. neg. conseq. S. Augustinus explicat ibi illa verba: *Joan. 15. v. 3. Jam vos mundi estis propter sermonem, quem locutus sum vobis:* & vult probare, quòd in omni mundatione, sive intra, sive extra sacramentum, vis mundandi oriatur. ex verbo.

Unde, ut assertionem suam universaliter probet, loquitur absque ulla æquivocatione, primò de verbo sacramentali, postea de verbo extrasacramentali, ut est manifestum. Illa igitur verba: *Unde tanta vis aquæ &c.* explicanda sunt de verbo sacramentali; hoc enim habet vim mundandi animas: non naturalem, quatenus dicitur, seu (ut S. Doctor se explicat) quia est *sonus transiens*, sed supernaturalem, quia creditur: non autem, quia creditur actu; aliàs intans baptizatus, e.g. à Turca, vel Judæo, habente debitam intentionem, non esset validè baptizatus; quia nullus intervenit actus fidei: sed quia creditur potentia, id est; quia est objectum fidei, tanquam res spiritualis, sola fide cognoscibilis, seu, ut S. Doctor ait, quia est *virtus manens*, sive continens invocationem SS. Trinitatis: quasi diceret, sacramentum habere virtutem à verbo sensibili, non quia est sensibile, sed quia est credibile, seu sola fide cognoscibile. Reliqua verba: *Unde in Actibus &c.* explicari possunt de verbo doctrinali extra sacramentum adhibito: quæ verò, eodem tractatu, postea dicuntur, explicanda sunt de verbo DEI generaliter sumpto.

te alia necessaria ad istud: scilicet vult ea sub prædicato, seu ratione necessariorum ad iter. His præmissis

79. Dico. Minister sacramenti debet habere intentionem conficiendi sacramentum, vel saltem intentionem faciendi, quod facit Christus, aut Ecclesia: nec sufficit præcisè intentio serio agendi, vel faciendi actiones externas (discrimen harum intentionum patebit infra ex n. 90.) ita clarè definit Florentinum citatum n. 35. & Tridentinum. *sess. 7. can. 11. de sacram. in genere.* dicens: *Si quis dixerit, in ministris, dum sacramenta conficiunt, & conferunt, non requiri intentionem, saltem faciendi, quod facit Ecclesia, anathema sit.* Ratio etiam est. Ministri sacramentorum debent agere, ut instrumenta rationalia, nomine Christi, sicut inferiores præfecti debent agere nomine regis: ergo debent habere intentionem, utendi sua potestate, & operandi nomine Christi.

Prob. conseq. Prætor e. g. joco tantum dicens, aliquem debere suspendi, non efficaciter hoc dicit, nec ei paratur: sed, ut executioni mandetur supplicium, debet hoc dicere ut volens uti sua potestate, seu ut volens operari nomine regis, adeoque cum intentione requisita sententiam proferre: sed ministri sacramentorum eodem modo se habent: ergo, si joco tantum, vel sine intentione agendi nomine Christi, vel faciendi, quod facit Ecclesia (quæ agit nomine Christi) proferant verba, nihil efficiunt. Confirm. Ex opposito sequeretur, quod sacerdos, e. g. Religiosus, legens serio ad mensam, ex Evangelio verba consecratoria, consecraret omnem panem, & vinum, appositum in mensa: item, quod mater, si, dum balneo mergit infantem (ut scilicet serio, non jocosè eum lavet) diceret: *Lavo te in nomine Patris &c.* non intendens baptizare, sed tantum balneo bene precari, verè baptizaret infantem: hæc sunt absurda, ut est per se clarum: ergo.

80. Ob. 1. S. Augustinus l. 7. de bapt. c. 53. *sub finem* ait, non audere se definire, an baptismus ludicrè, & mimicè, aut joculariter collatus, sit validus. Iterum *tr. 5. in Joann. propius finem*, videtur dicere, baptismum, ab ebrio collatum, esse validum: ergo non est necessaria intentio. Resp. neg. conseq. S. Doctor primo loco nihil audet decidere, sed ait, se malle alios prius audire: imò addit: *Utrum approbandus esset baptismus, qui sic, id est, joculariter, daretur, Divinum iudicium, per alicujus revelationis oraculum, concordat oratione, & impensis supplicii devotione gemitibus, implorandum esse censere.* Satis etiam insinuat ibi, se hac in re nil audere definire; quia necdum quidquam erat definitum in ullo Concilio: modò autem res est definita à duobus Conciliis, Florentino, & Tridentino: ergo, si modò viveret S. Doctor, non dubitaret, quidnam sentire deberet. Nec dicas, hæreticos non recipere ista Concilia; nam etiam Donauistæ, & alij hæretici, non recipiebant plura Concilia, & tamen ex illis S. Augustinus,

& alij Patres contra illos, arguebant, nec malè.

Secundo loco, seu *tract. 5. in Joann.* S. Antistes non dicit, validum esse baptismum ab ebrio, sed ab ebrioso collatum, id est, ab eo, qui quidem solet se inebriare, sed non semper usque ad usum rationis perditum ebrius esse: & talis, si baptizet, non quando ebrius est, sed quando est habitua-liter ebriosus, seu proclivis ad potandum, actu tamen adhuc rationis compos, juxta S. Augustinum validè baptizat. Hanc esse mentem S. Doctoris, inferitur ex quæstione ibi à S. Doctore tractata; quarit enim, an mali quoque, & peccatores, possint validè conferre baptismum, & in exemplum ponit homicidam, raptorem, ebriosum, scilicet malos, sed tamen rationis, adeoque etiam intentionis eliciendæ capaces; hinc, ut patet clarè legenti contextum, sæpius repetit vocem *ebriosus*: nunquam autem ponit vocem *ebrius*.

81. Ob. 2. S. Thomas in 4. dist. 6. q. 1. a. 2. *quæstionc. 1. ad 2.* ait: *Si forma servatur, nec aliquid exterius dicitur, quod intentionem contrariam exprimat, baptizatus est.* item 3. p. q. 64. a. 8. ad 2. ait: *In verbis autem, quæ profert minister, exprimitur intentio Ecclesie, quæ sufficit ad perfectionem sacramenti, nisi contrarium exterius exprimat ex parte minister, vel recipientis sacramentum:* ergo sufficit, modò minister actiones externas faciat, etiamsi eas faciat sine intentione. Resp. 1. dist. ant. & S. Doctor ea verba dicit ex mente sua, neg. ant. ex mente aliorum, conc. ant. & neg. conseq. Expresè ibi S. Doctor præmittit: *Alij dicunt: ex mente autem sua loquitur in corp. ubi docet, debere per intentionem ministri colligari ad invicem requisita ad sacramentum, & sic concludit: Et ideo requiritur intentio baptizantis: & similiter etiam, in omnibus alijs sacramentis requiritur intentio ministri, cum debita materia, & forma, non solum ad effectum sacramenti consequendum, sed ad sacramenti perceptionem:* hoc est, ut sacramentum verè, seu validè percipiatur.

Altero verò loco objecto ex 3. p. q. 64. a. 8. ad 2. expresè dicit *in corp.* requiri intentionem ministri, per quam determinentur actiones, ad sacramentalem potius effectum, quam ad mundationem tantum externam; ait enim: *Et ideo oportet, quod determinetur ad unum, id est, ad sacramentalem effectum, per intentionem abluentis, item ad 1.* loquens de ministro, quem vocat instrumentum animatum, ait: *Ideo requiritur ejus intentio, quæ se subjiciat principali agenti: ut scilicet intendat facere, quod facit Christus, & Ecclesia.* Quare, quando in verbis objectis dicit, exprimi intentionem Ecclesie, nullo modo vult (ut rectè Cajetanus in *hunc locum* commentatur) nullo modo, inquam, vult dicere, quod sufficiat, modò verba etiam sine interna intentione pronuncientur, & exterius nihil ostendatur contrarium: sed tantum vult dicere, sufficienter

cienter nos certificari de intentione ministri, si is verba exterius proferat, nec contrarium signum externum apponat; sic enim intellecta S. Doctoris responsione omnino satisfactio objectioni, quæ erat, quòd, si requiratur intentio ministri, incerti futuri sumus de susceptione sacramenti.

82. Ob. 3. Innocentius in C. 1. de baptismo, teste Angelo in *summa. v. baptismus. s. de ministro n. 7.* sensit, non requiri, ut minister gerat in mente facere, quod facit Ecclesia, imò, etsi contrarium gerat in mente, sufficere tamen ad valorem sacramenti actionem externarum positionem; modò exterius appareat, eum facere, quod facit Ecclesia: ergo. Confirm. 1. Nicolaus I. à Bulgaris consultus, approbavit baptismum, à Judæo collatum, cum debita forma, & materia: sed Judæus non habuit intentionem faciendi, quod fecit Christus, vel Ecclesia: ergo. Confirmatur 2. S. Chrysostomus *hom. 85. in Joann. in fine.* ait: *Sacerdos, & linguam, & manus præbet; neque enim justum est propter alius malitiam ad salutis nostra symbola fide accedentes offendi:* atqui offenderentur accedentes, si minister malitiosè omitteret intentionem internam: ergo. Confirm. 3. Valor sacramentorum esset incertus, si penderet ab intentione ministri: hoc est absurdum: ergo.

Resp. dist. antec. Innocentius sensit, non requiri, ut minister gerat in mente facere, quod facit Ecclesia, quantum ad substantiam actionis. neg. antec. quod facit Ecclesia, quantum ad effectum, seu gratiam, & delationem peccati, id est, sensit, non debere ministrum intendere, producere gratiam, & delere peccatum. conc. antec. & neg. conseq. Hæretici, e. g. Pelagiani, putabant, parvulos, à Christianis natos, non contraxisse originale peccatum; hinc non intenderunt, istud tollere per baptismum: hæretici moderni negant, justificationem fieri per infusionem gratiæ adeoque non intendent, hanc in baptismò infundere: validus tamen est illorum, & istorum baptismus; quia, licet non quoad effectum, tamen quoad substantiam actionis, intendunt facere, quod facit Ecclesia. Et sic seipsum explicat apud eundem Angelum Innocentius, dum addit: *Dummodo baptizare intendat. item: Intendens facere, quod alij baptizantes faciunt.* & addit: *Secus, si intenderet solum lavare:* vult, dicere, baptismum tunc non fore validum.

83. Ad 1. confirm. neg. mi. Supposuit Nicolaus, quòd Judæus ille habuerit intentionem necessariam, & ex hoc supposito respondit ad id, quòd quærebatur, an scilicet baptismus, à non baptizato collatus, sit validus; non enim quærebatur de baptismò absque intentione collato. Et fortè ille Judæus fuit catechumenus, & gnarus finis per baptismum intenti: vel fuit tantum origine Judæus, sed postea ad fidem nostram conversus: certè caput objectum sic habet: *A quodam Judæo, nescitis, utrum Christiano, an pagano &c.* Ad 2. confir. dist. ma. & S.

Chrysostomus loquitur de malitia ratione omiffæ intentionis. neg. ma. de malitia alia, scilicet, si minister aliunde sit malis moribus, & peccatis obnoxius. conc. ma. & conc. mi. neg. conseq. quia, si malitia morum obesset valori sacramentorum, nimis sæpe forent ista invalida, & nimis sæpe offenderentur accedentes ad ea: non autem idem fit, si tantum malitia omiffiva intentionis offenderat accedentes; quia intentio facillimè potest haberi: & semper habetur, nisi minister in raro casu sit omnino pessimus, e. g. veneficus: quo casu alia quoque requisita, ut legitima materia, aut forma, facilè omittentur.

Ad 3. confirm. dist. ma. id est, non esse certi certitudine fidei, quòd receperimus sacramentum. conc. ma. non esse mus moraliter certi. neg. ma. & dist. sic mi. neg. conf. Certitudine fidei hac in re caremus, & propterea dicitur: *Nescit homo, utrum amore, an odio dignus sit. Ecclesiasticus 9. v. 2.* At verò moralis certitudo habetur semper, ob facilitatem eliciendæ intentionis, quæ certitudo sufficit ad pacandam conscientiam: & sic etiam advertarii tantum habent moralem certitudinem, e. g. ex relatione parentum, vel parochi, de eo, quòd in ipsorum proprio baptismò adhibita sit aqua naturalis, vel quòd sint baptizati: sic etiam homines fidunt ministris in sacramento penitentiae, licet non audiant formam submissa voce prolata.

84. Ob. 4. S. Athanasius adhuc puer per ludum baptizavit alios pueros, & tamen hunc baptismum ratum habuit Alexander Episcopus Alexandrinus: ergo non requiritur intentio ministri, sed sufficit, actiones illas, etiam per jocum facere. Confirm. S. Genesius Martyr per jocum in comædia baptismum petiit, & tamen peccata ejus delata sunt: ergo. Resp. dist. antec. S. Athanasius pueros baptizavit per ludum, id est, recreationis causâ, animo tamen verè baptizandi. conc. antec. per ludum, id est, tantum simulando se baptizare. neg. antec. & conseq.

Quandoque aliquid per ludum, seu recreationis causâ, tantum agimus simulate, ut in comædiis: quandoque non simulate, sed verè facimus aliquid; quia tamen simul nos recreamus, dicimus, per ludum id facere: sic e. g. qui per ludum, seu recreationis causâ, laborat in horto, fodiendo terram, & aliqua serendo, vel implantando, verè eo labore aliquid perficit. Primus modus faciendi aliquid per jocum non sufficit in ministro sacramentorum: at verò sufficit secundus: & sic serio egit, seu intentionem serio baptizandi habuit S. Athanasius: quòd colligitur ex eo, quòd meros pueros catechumenos elegerit. Similis responsio danda est, si quæ alia historia similis ex Nicephoro, vel aliunde afferatur.

Ad confirm. Resp. Quidam, qui hanc historiam referunt, scribunt, quòd presbyter jussu imperatoris fuerit vocatus, qui utique habuit veram intentionem: uti etiam

etiam S. Genesius serio petiit baptismum, postquam ab Angelo peccata sua sibi prælegi vidit, spe facta delendi illa, si baptizaretur. Si autem etiam nimis aliquis cum baptizasset, potuisset ad petitionem Genesii, visio isto penitus mutato, visis etiam ejus lacrymis, facere induci ad hoc, ut haberet sufficientem intentionem, facienti verè, quod Christiani solebant facere. Haunoldus addit, posse dici, S. Genesium per actum contritionis delevisse peccata, vel DEUM extraordinariè dispensasse.

85. Ob. 5. Præco, promulgans legem, validè eam promulgat, sine intentione promulgandi. 2. Nuncius, deferens pecuniam donatam, non debet habere ullam intentionem donandi. 3. Famulus, dispensans pecunias, à suo hero pauperibus destinatas, eas validè distribuit, absque intentione dandi elemosynam. 4. Audiens missam, die etiam festo, satisfacit præcepto, etsi non habeat intentionem præcepto satisfaciendi. 5. Reus in foro externo censetur absolutus, modò judex exterius verba pronunciet, quidquid in animo habeat. 6. Contractus, sive per procuratorem, sive per principalem immediatè initus, est validus, modò apponantur debita signa, etsi non adsit intentio contrahendi: ergo etiam sacramenta possunt administrari validè, modò fiant actiones externæ, quamvis non adsit intentio. Resp. in his argumentis, vel falsum esse antecedens, vel nullam consequentiam: ut autem singillatim respondeam.

86. Resp. Ad. 1. conc. ant. neg. conseq. Verba præconis legem promulgantis non debent, habere ullam significationem practica: sed sufficit, si habeant merè speculativam, sive, si tantum intelligantur: ad quod non requiritur intentio loquentis; si enim etiam plitacus ea verba diceret, sufficienter intelligerentur; unde præco se habet tantum per modum instrumenti inanimati: certè lex promulgatur sufficienter scripto affixo, licèt charta inanimata nullam intentionem habeat. At verò verba sacramentalia debent habere significationem practica, ad quam non sufficit, verba esse intelligibilia: sed requiritur, ut adsit etiam animus, verè significandi, quod sonant, & ut verba proferantur à ministro, tanquam instrumento rationali, ut diximus n. 79. neque enim, si plitacus, aut dormiens, vel prætor per jocum, dicat, aliquem debere suspendi, idcirco suspenditur.

87. Ad 2. iterum. neg. conseq. si enim canis transferret, rem donatam, vel equus, vel ventus, donatio esset rata; unde nuncius tantum se habet, ut instrumentum inanimè, vel irrationale: neque debet quidquam facere, quam rem jam donatam tradere. At sacramenti minister est instrumentum rationale, nec debet tantum tradere sacramenta, sed efficere. Ad 3. Vel dominus reliquit famulo tantum nudam distributionem: & est casus similis præcedenti de nuncio, ac neg. conseq. vel dominus reliquit famulo potestatem, & jus, huic potius, quam

alteri, pro libitu dandi: & neg. ant. requiritur enim tunc intentio in famulo.

88. Ad 4. concedo, quòd præcepto satisfiat, modò ponatur res præcepta, etsi non habeatur intentio reflexa satisfaciendi præcepto; unde, modò quis serio audiat sacrum, & cum intentione istud audiendi (sine qua humano modo, quod tamen necessarium est, illud non audit) suæ obligationi satisfacit, licèt non intendat reflexè satisfacere præcepto. At non est bona hæc illatio: *Præcepto satisfiat sine reflexa intentione illi satisfaciendi: ergo minister sacramentorum non debet habere intentionem*: si heret hæc illatio: *ergo etiam præcepto administrandi sacramenta satisfiat sine intentione illi satisfaciendi*. conc. conf. nam parochus, e. g. obligatus ad ministrandam ægroto extremam unctionem, satisfacit suæ obligationi, eam ministrando, licèt non cogitet, obligationi suæ satisfacere.

Si autem fiat ista illatio: *ergo præcepto administrandi sacramenta satisfiat sine intentione ea administrandi*: est consequentia similis huic: *Præcepto jejunandi satisfacit etiam ille, qui tota die dormit: ergo etiam præcepto audiendi sacrum satisfacit, qui toto tempore Missæ dormit*: ubi consequentia nulla est. Scilicet ad satisfaciendum præcepto requiritur ut res præcepta verè fiat: jam verò jejunare possum dormiendo: non autem possum dormiendo audire sacrum humano modo: & pariter non possum, sine intentione facienti, quod facit Ecclesia, vel alia æquivalente, administrare sacramenta. Dein alia est intentio, qua intendo, satisfacere præcepto administrandi sacramenta, & alia, qua intendo ea administrare: sicut est alia, qua intendo, satisfacere præcepto audiendi sacrum, & alia, qua intendo, sacrum audire: secunda requiritur, ad valorem sacramenti, non item prima.

89. Ad 5. Resp. neg. antec. Aliud est censerì, aliud esse. Talis reus revera non est absolutus: censeretur tamen absolutus ex præsumptione. Pariter, qui baptizat sine intentione, si hoc exterius non manifestet, censetur etiam baptizare: at re ipsa non baptizabit. Ad 6. iterum neg. ant. Contractus resp. est nullus. Nec dicas, in foro externo contractum tenere; nam contractus talis ex natura sua invalidus est: at tamen per dispositionem juris, transferretur dominium rei, circa quam celebratus est talis contractus: vel obligatur contrahens ad standum contractu: & hoc merito fit, in poenam fraudis, & ad conservandam tranquillitatem publicam.

90. Ob. 6. Non potest explicari, in quo differat intentio facienti, quod facit Ecclesia, ab intentione facienti præcisè actiones illas externas, & proferendi formam: ergo sufficit, si minister hoc intendat. Confirm. Signa significant etiam sine intentione iis utendi, e. g. ramus appensus domui, significat vinum vendibile, etiam illi, qui hic, & nunc non cogitat, se velle uti hoc signo: ergo Resp. 1. hoc idem explicandum in omnibus actionibus.

actionibus, quæ fiunt per procuratores, vel vicarios; nam, si procuratores tantum volunt res illas quomodoocunque, non sufficit, ut agant tanquam procuratores. Resp. 2. neg. ant. & dico, quòd prior intentio habeat adhuc aliud pro objecto, vel explicito, vel implicito, scilicet etiam institutionem Christi; quia, si ministri sacramentorum habent intentionem facienti, quod fecit, seu instituit Christus, intentio eorum explicitè respicit institutionem Christi. Si autem ministri habent intentionem facienti, quod facit Ecclesia, intentio eorum respicit implicitè institutionem Christi; quia volunt agere res, ut adhibentur, seu usurpantur ab Ecclesia, quæ illas adhibet ut institutas à Christo.

Quare intentio ministrorum debet respicere etiam institutionem Christi, tanquam objectum, non quidem tanquam objectum practicum, seu volendo illam efficere, sed tanquam objectum speculativum, aliunde jam à Christo positum. Unde ministri sacramentorum, non quidem volunt aliud efficere, quam res illas externas: sed eas volunt efficere per aliam volitionem, quæ facit, ut velint agere tanquam ministri: sicut procuratores, volentes rem facere, ut volitam, vel iustam à principali, non volunt facere aliam rem, sed alio modo, qui eos denominat agentes ut procuratores. Ad confirm. dist. ant. aliqua signa significant sine intentione iis utendi. conc. ant. omnia, & præsertim signa practica, qualia sunt verba, à ministris sacramentorum, in istorum confectioe adhibita. neg. ant. & conseq. Certè signa practica non semper practice significant, absque intentione ea adhibendi, ut patet in exemplo prætoris, vel judicis, adducto n. 79.

ARTICULUS II.

An Intentio Ministri sit Pars constitutiva Sacramenti.

91. **D**ico. Intentio ministri, etsi sit necessariò requisita, tamen non est pars sacramenti. Assertionem hanc auctores paulò antiquiores communissimè videntur supponere, ut colligitur ex eorum scriptis: quamvis in terminis quæstio hæc vix tractata sit usque ad Cardinalem de Lugo, qui primus hanc controversiam movisse videtur de sacram. in genere disp. 2. sec. 7. n. 135. ubi nobis contrariam sententiam docet. Eum secuti sunt aliqui recentiores: quamvis ex istis plures cum Dicastillo tract. 1. de sacram. in genere disp. 1. dub. 19. n. 340. & Gormaz de sacram. in genere n. 102: nobiscum sentiant. Prob. conclusio potissimum negativè; quia adversarii positivè asserentes, intentionem ministri esse partem, deberent id positivè probare, quod tamen non possunt, ut patebit ex solutione objectionum.

Confirm. Si rationes adversariorum aliquid probarent, deberet etiam admitti, quòd ipse minister, & suscipiens sacramentum esset pars cujusque sacramenti: rursus R. P. Ant. Mayr. Theol. Tom. II.

quòd baptismus suscipientis aliud sacramentum, vel saltem character baptismalis, item potestas, vel jurisdictionis administrantis sacramentum &c. essent partes aliorum sacramentorum: ulterius, quòd sacramenti ordinis pars esset ordo Episcopi ordinantis, vel certè ipsius character: item sacramenti extremæ unctionis pars esset morbus: quin etiam baptismi adulto collati pars esset fides, eademque etiam esset pars poenitentiae: atqui hæc, quæ merito videntur paradoxa, admitti non debent, nisi efficacissimè probentur: ergo.

92. Prob. ma. Ideo intentio esset pars sacramenti; quia Florentinum citatum n. 35. intentionem adjungit materiæ, & formæ, quæ certò sunt partes, dicens: *Cum intentione ministri*: item, quia non posita intentione, non ponitur sacramentum: sed Florentinum ibidem adjungit etiam personam ministri, dum ait: *Et persona ministri*: atque etiam non posita eà personam, vel non positam aliis, eodem modo non conficitur sacramentum, sicut non posita intentione: ergo.

Ubi noto, præsertim esse difficile, dicere, quòd fides sit pars sacramenti poenitentiae (sine qua tamen hoc sacramentum est invalidum; neque enim potest conferri infideli) nam in Tridentino sess. 14. c. 3. sic dicitur: *Sancta Synodus simul eorum sententias damnat, qui poenitentia partes, incusos conscientia terrores, & fidem, esse contendunt*. Equidem videtur posse utcumque responderi, Concilium non excludere à constitutivis poenitentiae fidem quamcumque, sed tantum fidem, de qua eadem sess. can. 4. loquitur, nempe illam, *qua credit quis sibi per Christum remissa peccata*: sed tamen videtur per se clarum, quòd nostra sententia sit multò conformior Concilio, quòd cit. c. 3. fidem indefinitè è numero partium poenitentiae excludit.

93. Ob. 1. Positis omnibus alijs, sola non posita intentione ministri, non ponitur sacramentum, & hac addita ponitur sacramentum, tanquam novum totum: ergo intentio ministri est pars sacramenti. prob. conf. non potest dari novum totum sine nova parte: atqui in nostro casu datur novum totum: ergo datur nova pars: sed nihil datur novi, nisi intentio ministri: ergo ista est pars. Resp. neg. ant. Si ponerentur omnia alia, daretur sacramentum: at est impossibile, poni omnia alia; nisi enim ponatur intentio ministri, non potest poni institutio Christi, quæ essentialiter respicit ponendam intentionem ministri: adeoque ex defectu hujus intentionis deficit sacramentum, non formaliter, sed arguitivè, quatenus ex defectu intentionis arguitur deficere institutionem Christi, ob cujus defectum formaliter deficit sacramentum.

94. Dices 1. Instituto Christi jam datur, quasi à mille septingentis annis, ante quos Christus sacramenta jam instituit: ergo ista non deficit. Resp. dist. ant. institutio Christi jam datur à tot annis, dependenter tamen

tamen ab intentione ministri, suo tempore ponenda. conc. ant. independenter ab ista. neg. ant. & dist. conf. ergo ista non deficit ex suppositione, quod intentio à ministro sit ponenda. conc. conf. ex suppositione, quod ista non sit ponenda. neg. conf. Ad clariorrem hujus rei explicationem, recolendum hic ex tract. de incarnat. à n. 573. quod Christo Domino tribuenda sit scientia infusa omnium rerum, etiam futurarum, statum ipsius concernentium, saltem earum, quæ non sunt infinitæ: adeoque Christus, ut auctori sacramentorum (ad cujus statum pertinet notitia de futura administratione eorundem sacramentorum) tribuenda est scientia, tam conditionalis, quam absoluta, omnium intentionum, à sacramentorum ministris, quocumque tempore futuris, ponendarum, vel non ponendarum, respectu omnium materialium, & formarum, ad sacramenta conficienda requisitarum.

Hac supposita scientia Christus instituit, tanquam partes sacramentorum, eas materias, & formas, respectu quarum prævidit, dandam esse intentionem ministri: alias autem non instituit; unde, quodcumque adest intentio ministri, adest materia, vel forma instituta, seu institutio Christi, respiciens eam materiam: si intentio deficit, non adest materia, seu forma instituta, sive non adest institutio debita hujus materie, vel forme: quæ tamen institutio requiritur, ut ex hac materia, vel forma, conficiatur sacramentum; licet enim adsit institutio alterius materie, vel forme, ea tamen non facit, ut ex hac materia fiat sacramentum.

95. Dices 2. Est in libera potestate ministri, ut habeat circa has, aut illas materias, intentionem, vel non habeat: sed non est in ejus potestate, ut detur, vel non detur institutio Christi: ergo institutio Christi non est connexa, vel dependens ab intentione ministri. Resp. dist. mi. non est in ejus potestate, ut detur, vel non detur institutio aliqua in genere alicujus materie. conc. mi. non est in ejus potestate, ut detur, vel non detur institutio hujus determinatæ materie, quam ipse adhibet. neg. mi. & conf.

Dices 3. Ergo est in potestate ministri, facere, ut materia, jam ante mille, & amplius annos instituta, non sit instituta. Resp. conc. illat. Hoc idem solvendum est in præscientia, & decretis Divinis, quæ, licet non tantum à mille annis, sed à tota retrò æternitate existant, tamen sunt in tempore impedibilia; quia scilicet suo modo dependent à liberis actionibus hominum. Et pariter institutio Christi, quia præsupponit præscientiam, de intentione ministri liberè elicienda (quæ præscientia à ministro liberè impediri potest) etiam ipsa impedibilis est: quamvis non sit impedienda, ut omnes dicimus de præscientia, & decretis Divinis.

96. Dices 4. Hac ratione materia, quæ non afficitur intentione ministri, non esset apta materia ad sacramentum, e. g. panis, vel aqua: hoc est falsum; nam omnis panis, vel aqua, potest adhiberi ad sacramentum ba-

ptissimi, vel Eucharistiæ: ergo. Resp. neg. ma. est enim etiam ille panis sufficientissime aptus; quia, modò miniger velit ponere intentionem, dabitur alia institutio Christi, instituens hunc panem: & par est ratio de aqua. Sicut scilicet homo, etiam præcursus, est aptus regno cælorum; quia, modò ipse velit bene agere, loco decreti permissivi peccatorum, dabitur decretum prædefinitivum, bonorum operum.

Dices 5. Sic posset etiam dici, quod nec res, nec verba, sint partes sacramentorum, sed tantum sint termini extrinseci, respectu institutione Christi, ita, ut etiam deficientibus rebus, & verbis, sacramentum non deficiat formaliter, sed tantum arguitivè: hoc est falsum: ergo. Resp. neg. ma. nam in omni composito materia, & forma, sunt partes intrinsecæ; cum ergo Concilia dicant, sacramenta consistere rebus, & verbis, tanquam materiâ, & formâ, debent res, & verba esse partes. Accedit, quod omne sacramentum sit signum sensibile, & cæremonia sacra: atqui institutio Christi se sola, nec est sensibilis, nec est cæremonia sacra &c. ergo res, & verba, quæ in sensu incurunt, debent esse partes intrinsecæ sacramenti.

Nec verba tantum sunt pars sacramenti, prout sunt voces articulatæ, sed prout sunt termini significativi; nam ut tales constituunt formam, quæ est oratio aliqua significativa: insuper per verba simpliciter dicta indicantur semper verba aliquid significantia, & constituenta aliquid idioma, alicui nationi humanæ consuetum: & in hoc sensu communissimè usitato etiam terminum *verba* accipiunt Concilia, utpote, quæ solent loqui juxta communiter usitatum modum loquendi. Quare dici non potest, significationem grammaticalem, vel humanam verborum, esse tantum ab institutione Christi respectam, ut respecta est intentio ministri, adeoque non esse partem sacramenti; cum hæc significatio sit pars constitutiva verborum simpliciter dictorum, & constituentium aliquid idioma, ac componentium orationem significativam, qualis oratio est quælibet forma sacramentalis.

97. Alia est quæstio, an in omni sacramento, materia tantum denominativè, an verò etiam quidditivè, seu concretivè sumpta, sit pars sacramenti, sive, an Christus instituerit, materiam tantum denominativè, an verò etiam quidditivè acceptam. Advertendum autem est hic, concretum posse sumi, vel quidditivè, seu concretivè, hoc est secundum omnes omnino partes: vel denominativè, hoc est, secundum illas partes, quæ veniunt in recto, & suscipiunt denominationem: e. g. hoc concretum: *panis justus, vel æqualis, aut conformis delicto*: si consideretur quidditivè, seu concretivè, pro parte dicit etiam ipsum delictum; nam relatio æqualitatis, vel conformitatis, involvit utramque rationem fundandi, tam quæ tenet ex parte fundamenti, quam quæ tenet ex parte termini.

Si au.

Si autem hoc concretum sumatur denominativè, involvit solum pœnam, quæ est rectum concreti, & denominatur justa: non autem involvit delictum, quod est obliquus, & non denominatur justum: & sic DEUS dicitur amare, vel infligere pœnam justam, vel æqualem delicto, quin amet, vel infligat delictum; quamvis pœnam non infligeret, nisi daretur delictum: & hinc istud est quidem obiectum cognitionis præviæ ad amorem, vel determinationem pœnæ: non autem est obiectum amoris, vel determinationis. Sicut autem pœna conformis, vel æqualis delicto, concretivè sumpta, involvit ipsum delictum pro parte, ita confessio vera, quæ est pars sacramenti pœnitentiæ (quod non potest constitui ex confessione falsa) si sumatur concretivè, involvit pro parte etiam ipsa peccata; nam veritas, seu conformitas actus cum obiecto (ut suppono ex logica) involvit pro parte etiam ipsum obiectum.

98. Hinc autem oritur quæstio, an etiam peccata constituant sacramentum pœnitentiæ, sive, an confessio vera, quidditivè sumpta, an tantum denominativè sumpta, sit pars hujus sacramenti: & videtur valde probabile, quod sola confessio vera, denominativè sumpta, constituat sacramentum: peccata autem tantum respiciantur ab institutione Christi, tanquam termini extrinseci, sicut diximus de intentione ministri: quin etiam eodem modo, sive tantum tanquam terminus extrinsecus, videtur se habere morbus, respectu sacramenti extremæ unctionis; quia morbus quidem est pars unctionis graviter ægroti, si hæc unctio quidditivè, vel concretivè consideretur, non verò, si spectetur tantum denominativè.

Saltem non videtur dicendum, quod peccata in sacramento pœnitentiæ, aut morbus in sacramento extremæ unctionis, causent gratiam; quia non videtur, id ulla ratione posse probari: sed illa tantum causant gratiam, quibus denominativè acceptis, conveniunt ea prædicata, quæ dicuntur esse materia, vel forma sacramenti, uti sunt confessio, unctio, ablucio &c. & hæc sola videntur esse instituta, & elevata, ut causent gratiam cum institutione Christi: quæ proprie non est elevata, sed elevans, nec instituta, sed instituens. Quid autem sciendum de consensu matrimoniali, qui potest esse peccaminosus, dicemus infra n. 261.

99. Ob. 2. Actio sacramentalis est pars sacramenti, ut est actio ministri Christi: sed, ut est actio ministri Christi, involvit ipsam intentionem agendi nomine principalis, seu Christi: ergo etiam intentio ista, tanquam pars partis, est pars sacramenti. prob. ma. si minister non velit se gerere ut talem, aut non velit agere nomine Christi, non conficit sacramentum: ergo actio sacramentalis debet poni à ministro, tanquam actio ministri Christi. Resp. juxta modò dicta. dist. ma. actio sacramentalis est pars sacramenti, ut est actio ministri, ita, ut actio ministri quæ talis, quidditivè, & concretivè sumpta, sit pars sacramenti. neg. ma. ut tantum

actio ministri quæ talis, denominativè sumpta, sit pars sacramenti. conc. ma. & dist. sic mi. neg. conf.

100. Debet utique minister se gerere ut ministrum, hoc est, debet habere intentionem agendi nomine Christi: sed non hoc totum, quidditivè sumptum, debet esse pars sacramenti; neque enim hoc totum, quidditivè sumptum, Christus instituit, tanquam partem sacramenti. Dices. Christus instituit actionem ministri ut talem: ergo. Resp. dist. ant. instituit assumendo totum hoc concretum, quidditivè, & concretivè, secundum rectum, & obliquos acceptum, tanquam partem, vel constitutum sacramenti. neg. ant. assumendo hoc concretum tantum denominativè, seu secundum rectum acceptum, ita tamen, ut institutio simul respiceret obliquum concreti, seu intentionem ministri, tanquam terminum necessariò requisitum. conc. ant. & neg. conf.

101. Particula *ut*, etiam reduplicativè sumpta, non semper significat, quod totum concreto, quidditivè sumpto, seu omnibus ejus partibus, conveniat aliquid prædicatum, ratione cujus ea reduplicatio fit: sed tantum indicat, quod prædicatum illud conveniat concreto denominativè sumpto, ratione alicujus alterius, scilicet ratione illius, in quod reduplicatio cadit. Sic amatur à DEO, aut infligitur pœna ut æqualis delicto: non amatur delictum. Sic actus liber ut liber est meritorius, non autem est meritoria libertas actui extrinsecæ, & consistens in actu primo proximo libero. Sic victoria tentationis ut difficilis, est laudabilis, non autem est laudabilis difficultas tentationis: & pariter actio ministri ut talis, seu ut juncta intentioni ministri, est actio sacramentalis, & pars sacramenti: non tamen ideo etiam intentio ministri est pars sacramenti.

102. Ob. 3. Institutio Christi Domini est conditionata, & intentio ministri, est purificatio conditionis, vi cujus redditur institutio absoluta: atqui institutio ut absoluta, est pars sacramenti: ergo etiam intentio ministri, tanquam pars partis. Confir. Intentio ministri est saltem unio, necens moraliter significationem sacramentalem cum sonis verborum: ergo est pars significationis sacramentalis, ut unita verbis, vel est pars verborum, ut sacramentaliter significantium: sed hæc significatio, ut unita verbis, vel verbis sacramentaliter significantia, sunt pars sacramenti: ergo etiam intentio ministri.

Resp. 1. dist. mi. institutio absoluta, quidditivè accepta, est pars sacramenti. neg. mi. institutio absoluta, denominativè accepta. om. mi. & neg. conf. Sensus distinctionis patet ex modò dictis. Resp. 2. & melius, neg. ma. Institutio Christi non est conditionata in se, sed jam absoluta, & absolute instituit materiam, & formam determinatam: intentionem autem tantum respicit, ut purum terminum sacramento extrinsecum, de cujus differentia à conditione multa diximus tract. de gratia à n. 63. vii de euj

de etiam Gormaz de sacrament. in genere, n. 118. & seq.

Ad confirm. neg. ant. Significatio sacramentalis verborum stat in institutione Christi, sicut significatio eorundem humana stat in institutione hominum: sicut autem hæc institutio humana per seipsam moraliter unitor verbis, nec opus habet alia unione, ut verba per eam recipiant vim significandi humanam: sic etiam institutio Christi per se ipsam sufficienter unitor iisdem verbis, nec opus est alia unione, per quam ea verba recipiant significationem sacramentalem.

ARTICULUS III.

Qualis Intentio Ministri requiratur, & sufficiat ad conficiendum Sacramentum.

103. **D**ico 1. Ad conficiendum sacramentum non sufficit in ministro intentio interpretativa, aut purè habitualis. ita Suarez tom. 3. in 3. part. disp. 13. sec. 3. & communis aliorum. Prob. conclusio. Intentio debet esse causa actionum extarnarum, & ad has ministrum determinare, ut ex vi illius istas ponat, adeoque debet intentio in actiones externas influere: atqui nec intentio interpretativa, nec purè habitualis, est causa, aut influit in eas actiones: ergo, prob. 1. p. mi. intentio interpretativa non est, seu non actu datur: sed tantum esset, seu daretur, si sciretur esse necessaria, ut dictum n. 78. ergo non influit, sed tantum influeret, in actiones, si esset. Prob. 2. p. mi. Intentio purè habitualis, cum nec in se, nec in ullo suo effectu existat, ut dictum n. 78. non potest influere, aut determinare ministrum ad actiones sacramentales: ergo non sufficit.

104. Dico 2. Neque sufficit intentio indirecta, sed requiritur aliqua directa. ita rursus communis. Prob. Qui tantum intendit causam, & non etiam ipsas actiones, seu effectus, non habet intentionem faciendi, quod facit Ecclesia; hæc enim habet intentionem faciendi ipsas actiones: ergo non habet intentionem requisitam à Concilio Florentino, & Tridentino: ergo. Nec dicas, sæpe imputari alicui ad culpam actum illum, quem non in se, sed tantum in causa voluit. Resp. enim, id contingere, non quia actus ille verè in se est volitus; sed quia tenetur homo, actum talem malum impedire: & in ordine ad culpam, censetur moraliter idem esse, aliquid velle, & id non impedire, cum quis potest, & debet. At ad confectionem sacramentorum non sufficit, ut alicui actiones externæ possint imputari: sed requiritur, ut quis verè intendat, eas facere, (seu facere, quod facit Ecclesia, quæ eas actiones intendit) & ita, ut intentio influat in actus, humano modo factos.

Confirm. Si sufficeret intentio indirecta, tunc sacerdos, qui vellet legere admen-

sam, in qua deberet pronunciare verba confectionis, haberet sufficientem intentionem consecrandi. Si dicas, debere ministrum sacramentorum velle causam ut causam, seu quia ex illa sequuntur actiones, & ut sequantur. Resp. hanc esse intentionem etiam directam ipsarum actionum; qui enim explicitè vult, vel intendit unum propter alterum, saltem æquè vult, & intendit illud alterum, si hoc sit respectu ipsius intendibile; unde hæc intentio sufficit quidem, sed non est tantum indirecta. Si replices, intentionem indirectam, quæ sufficit ministro sacramentorum, debere esse talem, ut velit, seu intendat causam aliquam, ex qua sequatur etiam intentio faciendi, quod facit Ecclesia. Resp. hac ratione nos iterum esse extra causam questionis; nam tunc sacramentum conficitur, non ratione prioris intentionis indirectæ, sed ratione huius posterioris directæ.

105. Ex quo collige, quod sacerdos, qui prævidens, se consideratione certi objecti ita distrahi, ut proferre soleat, duranti- bus illis distractionibus, verba confectionis super panem, tamen se illi objecto considerando applicat, non consecraret: & multò minùs consecraret ille, qui prævidens, se in ebrietate id facturum, tamen se inebriat. Imò, etsi aliquis sacerdos se inebriaret, ex directa intentione, ut postea pronunciaret verba confectionis, tamen nihil faceret; ut iterum est communis, quæ docet, non debere intendi confectionem sacramentorum, per medium privans usum rationis. Et ratio etiam alia est; quia nempe ebrius, adeoque omni usu rationis privatus, censetur quasi non homo; unde actiones illæ non sunt humanæ, nec morales, quales tamen utique debent esse actiones ministrorum Christi: & par est ratio de actionibus à dormiente factis.

106. Dico 3. Intentio actualis est optima: at non est necessaria, sed sufficit etiam virtualis. ita communissima. Prima pars conclusionis est clara; cum non detur melior intentio, quam actualis. Et sanè dignitas sacramentorum meretur, ut ministri eam studiosè procurent. Prob. 2. pars conclusionis. Si necessaria esset intentio actualis, & non sufficeret intentio virtualis, daretur ansa infinitis scrupulis, obligatio ministrorum esset difficillima, & sacramenta redderentur nimis incerta: ergo non est credibile, quod Christus intentionem actualem requisiverit: sed longè probabilius est, quod tantum petierit intentionem virtualem, seu, quæ perseveret adhuc in suo effectu, & per illum influat, ant. patet ex nimia intellectus, & voluntatis humanæ, mobilitate, atque ad distractiones, præsertim involuntarias, pronitate, adeò, ut in longa actionum serie, qualis datur sæpissimè, durante sacramentorum administratione, moraliter non possit quis semper esse ab illis immunis, & consequenter non possit esse semper animo ita collecto, ut constanter actuali intentioni contiguandæ inhaereat.

Qualis Intentio Ministri requiratur, & sufficiat ad conficiendum Sacramentum. 29

107. Hic agitari solet questio philosophica potius, quam Theologica, quisnam sit ille effectus, in quo dicatur intentio virtualiter permanere: e. g. voluit quis, & formaliter, atque actualiter intendit, dicere sacrum, & consecrare: inde se induit facris vestibus, & reliquas actiones præscriptas incipit: postea distrahitur ad alia, & ipsam confectionem perficit distractus: talis censetur ab omnibus validè consecrassè, adeoque censetur etiam prima ejus intentio virtualiter perseverasse, ac sufficienter influxisse: quaeritur jam, in quo effectu perseveraverit.

Ad hanc questionem Resp. Arriaga, primam intentionem movere, seu applicare potentias executivas externas, & has semel motas, semper ulterius operari, adeoque effectus illarum potentiarum, esse etiam effectus illius intentionis: sicut quando quis intendit aliquem ferire lapide, & ex ea intentione lapidi imprimit impulsum, qui dein per aliquot instantia durat (dum interim intentio, utpote actus vitalis, & instantaneus, jam physice præterit) & novum impulsum producit in capite illius, in quem impingit: in hoc casu impulsus novus, & læsio in capite, est effectus primæ illius intentionis lapidem mittendi.

108. Sed huic responso Haunoldus l. 4. tr. 2. c. 4. controu. 2. §. 3. n. 686. merito opponit, quod actiones, quæ fiunt in sacro, sint nimis disparatæ; nam nunc stare, nunc genuflectere; nunc extendere, nunc jungere manus, nunc altum, nunc submissè orare, nunc huc, nunc illuc ire, nunc calicem te gere, nunc detegere, nunc hostiam elevare, nunc frangere, &c. sunt actiones nimis dissimiles: neque possunt potentia externæ, non cognoscitivæ, eas absque nova determinatione ita ordinatè producere.

Unde meritò, quando sunt actiones disparatæ, & non connaturaliter sese invicem sequuntur, requirit hic auctor, saltem aliquem appetitum sensitivum, qui à phantasia excitatus, dein potentias externas determinet. Idem sentit Eximius Doctor tom. 3. in 3. p. disp. 13. sec. 3. §. Quocirca dicendum. Quin imò nec phantasiæ directio sufficere, ad actiones ita disparatas, ab homine distracto rite perficiendas, nisi talis homo jam habeat habitum, eas actiones ita ordinatè; & consequenter faciendi, adeoque species phantasticas, rite coordinatas. Quando autem quis jam habet habitum, eas actiones faciendi, tunc prima intentio causat excitationem specierum phantasticarum; quæ, cum sint inter se connexæ, successivè excitantur: hæc excitatæ facillè excitant appetitum sensitivum, qui determinat dein potentias executivas, ad novas; & novas actiones: quæ omnes dependent tanquam effectus, à prima intentione, tanquam primo movente: sicut, qui primò impellit aliquem globum, ita, ut hic impellat alium, & hic iterum alium, & sic ulterius, censetur omnes globos impulsisse, & esse causa omnium motuum, in omnibus globis secutorum.

109. Manet tamen adhuc difficultas,

quare non etiam dicatur, virtualiter manere intentio in eo, qui post elicitam intentionem ebrius fit, & in ebrietate pergit, eandem actiones exercere: e. g. si sacerdos, nocte nati- vitaris Domini, ante horam duodecimam bibisset vinum adustum: post duodecimam eliceret requisitam intentionem formalem dicendi sacrum: tum inciperet ipsum sacrum, sub quo primùm suam potestatem excreret vinum, ac sacerdotem sub sacro ratione privaret: talis sacerdos, etsi in sacro pergeret, juxta communissimam non consecraret: & idem dicendum est, si quis dormire inciperet, & ut aliquando fit, dormiens tamen pergeret in suis actionibus.

Resp. cum Gormaz de sacram. disp. 3. sec. 3. n. 136. Ad permanentiam virtualem intentionis requiruntur duo, scilicet, ut operetur homo, tanquam sui compos, & ut effectus procedant ab intentione: quorum si unum deficit, non datur permanentia virtualis, ad sacramenti administrationem sufficiens: quidquid sit, an in latiori aliquo sensu possit dici intentio permanere. Ratio est; quia debet intentio permanere in effectu morali, & humano, qualis non est actio ebrii, vel dormientis: sed tamen talis est actio hominis distracti; nam etiam moralis modus agendi hominum est agere cum distractionibus: & omnes censent, actiones ab homine distracto provenientes, esse actiones humanas; quia non est possibile, ut in omnibus actionibus simul ita præsentis nobis, ut non distrahamur ad alia: & alias plurimæ actiones nihil valerent, essentque contractus plures incerti, vel nulli: adeoque fieret magna rerum confusio; hinc etiam actiones distractorum sufficere ad contractus, & obligationes contrahendas, ut nemo negat: non autem sufficienti, neque etiam quoad moralitatem ita se habent actiones hominis ebrii, vel dormientis, quibus nemo creditur obligari.

110. Ex quo infero, tenues actus voluntatis, reflexè imperceptibiles (quos aliqui etiam à distractis, ad quamlibet novam actionem, elici volunt, & in quibus, tanquam actionibus suo modo imperatis, & intentionibus noviter causatis, quamvis reflexè imperceptibilibus, putant perseverare intentionem primam fortiolem, & discernibilem) non esse necessarios ad perseverantiam virtualem intentionis: imò in hominibus valde distractis probabilius non dari. Sanè est contra experientiam, communemque persuasionem hominum, quod ad singulas actiones, in homine distracto, detur aliquod imperium liberum voluntatis. Non tamen nego, ista imperia in homine, præsertim non nimis distracto, plura dari, maxime in ordine ad actiones notabiliores.

111. Quomodo autem sine his tenuibus actibus explicari debeat meritum orationis, cum intentione virtuali facta, dependet ex illa questione, an actus externus augeat meritum actus interni, an non. Qui admittunt specialem bonitatem meritoriam in ipso actu externo, dicent, ipsum actum orandi exter-

non augere meritum. Qui cum communi-
niori negant eam bonitatem actui externo,
dicent, talem orationem non posse ratione
sui augere meritum, sed tantum ratione a-
ctus interni imperantis, sed ratione inten-
tionis primæ formalis: quæ quo intensior,
aut ferventior fuerit, eo majus meritum af-
feret.

Et poterit hæc intentio intentionis ali-
quando colligi ex ipsa oratione externa, et-
iam distracte peracta: e. g. oratio longior
indicat, intentionem primam fuisse ferven-
tioriam; quia debet quis esse ferventior, ut
ab initio se determinet ad faciendam longio-
rem orationem, quam, ut tantum se deter-
minet ad faciendam orationem brevioriam.
Alii dicent, & quidem probabilissimè, sæ-
pius in oratione, præsertim longiore, in-
tervenire novas intentiones formales, reno-
vantes primam intentionem, quæ afferunt
novum meritum. Alii fors cum Haunoldo
l. 4. ff. 2. §. 4. controu. 2. n. 690. nega-
bunt, orationem distractam esse meritoriam:
sed dicent, esse potius peccaminosam con-
fessionis materiam.

112. Dico 4. Intentio ministri in nullo
sacramento, excepto matrimonio, potest esse
conditionata, sub conditione de futuro.
ita communissimè omnes. Prob. conclus. 1.
Hic ipse consensus maximus Theologorum
est sufficiens testimonium, & quasi traditio,
quod Christus Dominus hac ratione insti-
tuerit sacramenta, ut non valeant, nisi quan-
do materia ponitur cum absoluta intentio-
ne: ergo. Prob. 2. In tali casu non fieret
sacramentum ante impletam conditionem;
quia intentio conditionata ante impletam
conditionem nihil efficit, & minister hic, &
nunc, nondum habet absolutè intentionem
faciendi sacramentum, quæ tamen intentio
necessariò requiritur: ergo.

Sed neque fieret sacramentum post im-
pletam conditionem; quia, cum in hoc casu
impletio conditionis primùm sequeretur
positionem materiæ, & formæ, etiam inten-
tio absoluta primùm sequeretur positionem
materiæ, & formæ: ergo non posset fieri sa-
cramentum, prob. consequ. ut fiat sacramen-
tum, requiritur, ut intentio præcedat, & in-
fluat in positionem materiæ, & formæ; a-
liis enim, si hoc non requireretur, tunc ca-
su quo aliquis prius omnino joculariter ab-
luisset puerum, & formam per jocum protu-
lisset, post aliquod tempus verò primùm in-
tentionem faceret, talis puer esset verè ba-
ptizatus: quod est omnino falsum. Ex his
inferitur, quòd, si sacerdos absolvat Petrum,
sub conditione, si cras iniquè ablata resti-
tuerit, invalidè eum absolvat. Dixi in con-
clusionè: *excepto matrimonio*; quia in hoc
ex communissima autoritate, & praxi, po-
test fieri consensus conditionatus, ex speciali
ratione contractus: de quo plura n. 122.

113. Dico 5. Intentio ministri potest esse
conditionata, sub aliqua conditione de
præsenti, vel de præterito, sive dein condi-
tio sit intrinseca, sive extrinseca. Prob. In
his casibus semper intentio, vel est nulla: &

non fit sacramentum: vel est absoluta; eo-
quòd purificatio conditionis sit, vel actu
præsens, vel jam præterita (quod utrumque
fatis est, ut intentio conditionata transeat
in absolutam) adeoque intentio absoluta ad
confectionem sacramenti requisita adest; &
statim conficitur sacramentum. Confr. Jube-
mur, sæpe sub talibus conditionibus sacra-
menta administrare: e. g. si nesciatur, an in-
fans sit baptizatus, an non, debet baptizari
sub conditione: *si non sit baptizatus*: si du-
bium est, an moribundus, e. g. repentinà a-
poplexiã tactus, sit rite dispositus, e. g. si det
signa dubia doloris &c. absolvi debet sub
conditione: *si sit dispositus*: imò conditio-
nes aliquæ videntur semper subintelligi, e. g.
in sacramentis à baptismo distinctis: *si re-
cipiens sit baptizatus*: in pœnitentiã etiam:
si sit dispositus &c.

114. Dico 6. Intentio ministri debet esse
determinata ad materiam, aut subjectum,
ita communissima, & certa. Prob. In ver-
bis formarum semper ponitur aliquod ex
pronominibus, e. g. *hoc, te* &c. sed hæc ad sui
verificationem requirunt materiam, vel per-
sonam, determinatam: ergo. Quare, si quis
super duas hostias pronunciaret verba con-
secratoria, nolens utramque, sed tantum unam,
nec tamen aliquam determinatè, sed
tantum unam indeterminatè, consecrare,
neutram consecraret. Et pariter, si quis de-
nis e. g. qui ipsi confessi fuerant, distulisset
aliquamdiu absolutionem, & postea vellet
aliquos ex ipsis indeterminatè acceptos ab-
solvere, & sic formulam ea intentione pro-
ferret, dicendo: *Ego vos absolvo*: nullum
reverà absolveret.

115. Sed hinc oritur ulterius quæstio
valde practica, an error ministri circa perso-
nam (e. g. quando putat, se baptizare, vel
absolvere Petrum, cum tamen sit Paulus, vel
quando loco exillimati masculi est foemina)
reddat sacramentum invalidum: ad quam
quæstionem rectè respondet Lugo *disp.
8. de sacram. in genere sec. 7. n. 114.*
quòd, si intentio ministri sit ita alligata uni,
ut excludat alterum, qui hic, & nunc, præ-
sens est, sacramentum sit invalidum; quia
intentio nullo modo est determinata, seu
directa ad præsentem, quod tamen necessa-
rium est; nam particula *te*, vel *hoc*, signifi-
care debent illum, quem loquens determi-
natè intendit significare, quod hic non fieret.

116. Et quidem in sacramento matri-
monij, ob gravissima conjugij onera, & vi-
tam communem perpetuam, quilibet meri-
tò alligat suam voluntatem uni determina-
tè personæ, ita, ut non consentiat, assumere
aliam quamcunque, sed determinatè istam;
nec contentus sit, si alia, etsi æquè bona,
illi substituatur; quia non vult, statim fidere
in re gravissima alieno judicio: præsertim
cum æqualitas non possit ita facile agnosci,
& prævideri, pendeatque ex circumstantiis
plurimis; hinc, si Cajæ substituatur Berta,
matrimonium nullum est. Unde disparitas est
inter matrimonium, & aliquos contractus, in
quibus eadem utilitas obvenit contrahenti,
sive

sive hoc, sive aliud individuum ei detur,
e. g. sive vestis A. sive vestis B. æquè bona,
ei tribuatur: si autem non eadem utilitas con-
trahenti obveniret, nunquam esset licitum,
aliud individuum substituere; hinc etiam sæ-
pissimè invalidè uni equo substituatur alius.

In reliquis autem sacramentis censetur
minister alligare intentionem materiæ, vel
personæ præsentem, circa quam hic, & nunc
operatur. Ratio est; quia non potest aliter
licitè agere (exceptis casibus quibusdam, in
quibus datur gravis ratio, alligandi strictius
intentionem) neque enim licet, sacramen-
tum exponere periculo nullitatis, quod ta-
men fieret per intentionem illam restrictam;
unde in casu supra posito, Paulus loco Petri,
vel puella loco pueri præsens, baptizaretur,
vel absolveretur. Quare pronomen *te*, vel
hoc significat personam, vel materiam, hic &
nunc præsentem, circa quam fit actio sacra-
mentalitis.

ARTICULUS IV.

Solvuntur Objectiones.

117. **O**B. 1. contra 1. conclusio-
nem. S. Thomas 3. p. 9.
64. q. 8. ad 3. de habitua-
li intentione ait: *Qua sufficit ad perfectionem sacramenti*: ergo hæc sufficit. Confr.
1. Sufficit intentio habitualis ad applicatio-
nem sacrificij, seu ad applicationem sacræ
communione pro alio: ergo etiam sufficit ad
conficiendum sacramentum. ant. prob. pos-
sum hodie applicare alicui sacrum, cras à me
dicendum: & ille fructum percipiet, etsi cras
non amplius recorder applicationis factæ;
modo eam non revocem: ergo. Confr. 2.
Sufficit ad recipiendum sacramentum, e. g.
baptismum, intentio habitualis: ergo etiam
sufficit ad idem conficiendum. Confr. 3.
Si requireretur intentio virtualis, ideo re-
quireretur, ut actio penderet ab intentione:
hoc non est necessarium: ergo. prob. mi. po-
test contingere, ut, dum aqua immediatè
post prolotionem formæ, vel cum ultimo ver-
bo effusa, adhuc pendet in aëre, minister
moriatur, quo casu cessaret etiam ejus in-
tentio, & tamen infans baptizaretur: ergo
actio non debet pendere ab intentione.

118. Resp. dist. ant. & S. Thomas per
habitualement intentionem intelligit virtualem.
conc. ant. intelligit purè habitualement, qua-
lem nos intelligimus. neg. ant. & consequ.
Ut rectè notat Cajetanus in *hunc locum*, S.
Thomas se ibi accommodavit usui loquen-
tium tunc temporis, qui omnem intentionem
non actualement vocabant habitualement: intel-
lexit tamen virtualem; quia subjungit: *Ex
virtute prima intentionis percipitur sacra-
mentum*: ergo intentio prima virtualiter
juxta ipsum manet.

Ad 1. confirm. Vasquez negat antec.
ego neg. consequ. Applicatio illa est instar
donationis factæ in crastinum, quæ statim
vim habet, cum dies crastina advenerit:
e. g. si tradens alicui librum dico: *Dono ti-*

bi hunc librum in crastinum: vel: *Liber hic
cras sit tuus*: tunc iste cras absque nova vo-
luntate est tuus; quia, ut donatio facta vim
habeat, non requiritur, ut post ipsam am-
plius aliquid agam. At verò, ut sacramen-
tum cras fiat, debent cras fieri actiones, &
quidem dependenter ab intentione, quod fi-
eri non potest, nisi hæc virtualiter existat.
Ubi nota, quòd, si quis hodie non diceret:
Dono librum in crastinum: sed: *Donabo cras*:
(quod esset exemplum similitudinis nostro casu
de sacramentis; neque enim possum hodie
conficere sacramenta pro crastina die, e. g.
ita baptizare, ut infans primùm cras sit ba-
ptizatus, uti tamen possum hodie facere,
e. g. ut infans cras sit hæres) tunc necessa-
ria esset cras nova intentio donandi: nec
valeret ad transferendum dominium in-
tentio hodierna; quia hæc nondum fuit do-
natio, sive translatio domini, sed tantum
ejus promissio.

119. Ad 2. confirm. conc. ant. neg.
consequ. Suscipiens sacramentum ut susci-
piens, nullam partem sacramenti conficit,
adeoque non requiritur, ut ejus intentio
influat in actiones: sed tantum requiritur,
ut ita consentiat, si est capax rationis, ne
Christus videatur invito, vel non volenti,
obtrudere sacramenta, ad quod sufficit ha-
bitualis intentio: contrario modo se habet
minister, ut satis hucusque est dictum. Ad
3. confirm. neg. mi. ad prob. concessio casu
quomodocunque possibili. neg. consequ. quia
tamen ille delapsus aquæ pendet ab intentio-
ne virtualiter existente; quia dependet ab
effectu intentionis, scilicet à motu primo,
quem sacerdos ex intentione baptizandi im-
pressit aquæ. Potest etiam negari supposi-
tum; lapsus enim aquæ non est actio imme-
diata ministri, sed potius gravitatis aquæ,
atque adeò non debet immediatè pendere ab
intentione ministri: sed sufficit, si ab ea
mediatè pendeat, per primam scilicet motio-
nem illam, qua minister aquam ita invertit,
movit, vel statuit, ut ipse possit dici, eam
affudisse, vel lavasse infantem.

120. Dices. Potest dici, quòd inten-
tio habitualis influat, mediante negatione
revocationis, tanquam suo effectu: ergo suf-
ficit. Confr. Hæc negatio revocationis
denominat actum peccaminosum adhuc vo-
luntarium: ergo etiam potest actionem mi-
nistri denominare voluntariam. Resp. neg.
antec. Negatio illa non est activa, nec de-
terminat ministrum ad agendum; siquidem
datur sæpissimè, & tamen minister non per-
ficit actiones sacramentales, ex oblivione, vel
aliis causis. 2. Negatio illa etiam non est
propriè effectus intentionis; quia hæc ne-
gatio jam extitit ante intentionem; jam enim
antea verum fuit, quòd minister inten-
tionem non retractaverit. Ad confirm. om-
totum. Non sufficit ad actionem ministri,
ut quomodocunque denominetur volunta-
ria; quia per voluntarium aliquando (ut in
casu posito) intelligitur *non retractatum*,
quod non sufficit pro actione sacramentali:
sed, ut probavimus, debet ea actio esse ita vo-
lun-

luntaria, ut volitio, seu intentio in eam influat, atque ad eam determinet.

121. Ob. 2. contra 4. conclus. Intentio absolvendi in foro civili, potest fieri sub conditione de futuro: ergo etiam intentio absolvendi in foro conscientie. Confirm. Intentio requisita ad matrimonium potest fieri sub conditione de futuro: ergo etiam in aliis sacramentis. Resp. retorq. argum. Absolutio in foro civili potest etiam fieri sine verbis: ergo etiam in tribunali sacro. in forma neg. conseq. Christus enim voluit certam formam iudicii, & alligavit vim caufandi gratiam certo modo iudicandi.

Nec dedit Christus ministris potestatem, suspendendi effectum sacramentorum, positâ jam materiâ, & formâ; aliâs, si primum sequeretur intentio materiâ, & formam, prius jam positam, valida esset absolutio, vel baptismus, quod non est verum, ut dictum n. 112. Nec est paritas cum foro civili; nam in hoc potest fieri, ut absolutio verbalis, prius joco tantum prolata, fiat postea valida, si iudex mutata mente, velit eam verè valere. At nemo dicit, hoc etiam fieri posse in tribunali sacro; quia scilicet aliam formam iudicii Christus instituit: & institutioni Christi (quam docet nos maximus consensus auctorum, tanquam aliqua quasi traditio) oportet acquiescere.

122. Ad confirm. neg. conseq. In matrimonio intentio est pars sacramenti, sive dein sit materia, sive forma: ergo nunquam datur materia, & forma, antequam detur intentio: adeoque nunquam verificatur, positâ materia, & forma, à Christo institutis, suspendi effectum: sed tantum verificatur, quod suspendatur positio alicujus partis: id quod utique est in potestate ministri, saltem in quibusdam sacramentis: sic positâ jam actibus penitentis, tanquam materiâ, potest sacerdos semper valide, & ex legitima causa etiam licite, suspendere per aliquod tempus absolutionem.

123. Ob. 3. Validum est sacramentum, si sit confectum cum intentione, respiciente conditionem de presenti: ergo etiam est validum, si sit confectum cum intentione, respiciente conditionem de futuro. prob. conf. omnis intentio, respiciens conditionem de futuro, est saltem æquivalenter intentio, respiciens conditionem de presenti: ergo, si cum ista validè conficitur sacramentum, etiam validè conficitur cum illa. prob. ant. ista intentio conditionata de futuro: *Baptizo te, si aliquando venturus es in calum: vel: Absolvo te, si cras ablata restitueris: æquivalet huic: Baptizo te, si es predestinatus: vel huic: Absolvo te, si DEUS scit, te cras restitutum:* aut huic: *Absolvo te si hodie est verum, quod cras sis restitutus:* atqui hæ sunt intentiones conditionatæ de presenti: ergo.

124. Resp. neg. conseq. ad prob. neg. antec. nam istæ intentiones nullo modo æquivalent quoad modum tendendi, qui tamen modus tendendi est specialis intrinseca ratio intentionis, & specialiter in ea confi-

derandus, ejusque diversitas facit, istas intentiones specie differre. Quod autem non æquivalent hæ intentiones quoad modum tendendi, facile probatur. Intentio sub conditione de presenti non fert secum animum suspendendi effectum, sed potius animum absolutè eum ponendi, si conditio adfit, vel non ponendi, si conditio de presenti non adfit. Econtra intentio sub conditione de futuro, fert secum animum suspendendi effectum, donec conditio futura posita sit: & hanc respicit, non autem scientiam, vel predestinationem DEI, aut veritatem propositionis de futuro: quæ, quia sub humanam notitiam ordinariè non cadunt, non attenduntur: neque etiam prudenter posset, sub conditionibus talibus consensus præstari.

Certè communiter accipimus tales intentiones, promissiones, obligationes &c. sub conditione de futuro, eo in sensu, ut censamus, eas primum postea reddi absolutas, & vim habere: &, si acciperentur tanquam jam habentes vim de presenti, sequeretur, quod, si quis uxorem duceret sub conditione de futuro, non tunc primum matrimonium perficeretur, quando conditio postea impleteretur; sed jam prius fuisset validum; adeoque, si intra tempus illud, quo adhuc expectabatur impletio conditionis, homo ille duceret aliam absolutè, & absque omni conditione, hoc secundum absolutum matrimonium esset nullum, quod est falsum, & contra Ecclesiæ consuetudinem. videatur Suarez tom. 3. in 3. p. disp. 13. sec. 3. §. At verò, si conditio. Haunoldus l. 4. tr. 2. c. 4. controu. 3. n. 700.

125. Sed petes, quid sentiendum sit, si quis non haberet animum suspendendi effectum, sed verè talibus conditionibus de presenti, scilicet: *Si DEUS scit, hoc, vel illud futurum: si verum est hodie, te cras restitutum: si es predestinatus &c.* intentionem suam alligaret, an sacramentum perficeretur? Resp. Atriaga tom. 7. tract. de sacram. in genere disp. 19. sec. 4. n. 37. se non dubitare, quin sacramentum validè conficiatur. At Coninck tom. 2. de sacram. disp. 29. dub. 1. n. 6. id negat: Suarez autem sec. n. præced. cit. §. Sed urgebis, valde dubitat: & quamvis nihil decidat, videtur inclinare in oppositum.

Et fanè vix videtur credibile, Christum ita instituisse sacramenta, ut conferri possint ea ratione, qua maneat incertum, an homo sacramentum receperit, an non; cum tamen Dominus voluerit, ea instituire in bonum hominis, & ut ea recipiens etiam sine revelatione, de ijs receptis sit moraliter securus, & habeat pacem animi, tranquillamque fiduciam de recepta gratia. Quamvis enim de effectu, vel valore sacramentorum, certitudinem physicam nemo habeat, tamen, si facimus, quantum ex parte nostra requiritur, certitudinem morale, tam de valore, quam de effectu eorum, habere possumus.

At verò de sacramenti, sub talibus condi-

tionibus collati, valore, aut effectu, certitudinem nullam unquam possemus habere; nemo enim potest vel moraliter scire (absque revelatione, quam DEUS non solet facere) an sit predestinatus, vel an etiam cras sit hoc, vel illud facturus; eoquod nemo sciat, an sit cras victurus: consequenter nemo posset scire, an modò verè sit absolutus, vel baptizatus. Aliud est, quando conditiones, quas etiam non scimus impletas, tamen sunt tales, ut propterea non maneat ita incertum, an homo receperit sacramentum, an non, e. g. si quis baptizatur sub conditione: *Si non sit prius jam baptizatus:* et si enim nesciatur, an hæc conditio sit impleta, vel non, tamen talis baptismus facit, ut homo sit certus, se baptizatum esse, vel prius, vel nunc.

126. Sed & talis homo, suam intentionem similibus conditionibus affigens, non videtur seriò agere; neque enim hic est ferrius modus operandi hominum: nec in commercio humano, vel contractibus, censetur seriò agere, qui tales conditiones apponit: e. g. *Duco te nunc in uxorem, si es predestinatus. Dono tibi nunc equum, si DEUS scit, te octoginta annos victurum &c.* Quare talis intentio esset saltem iniquissima, & gravissimum sacrilegium, essetque sacramentum saltem sub conditione reiterandum, ut rectè docet Suarez loc. num. præced. cit. & quamvis postea resciretur, conditionem fuisse positam, e. g. si quis baptizatus fuisset sub conditione: *Si DEUS scit, se per tale tempus, e. g. per annum victurum:* tamen reiterandum esset sacramentum, etiam anno interim elapso; nam ingens dubium esset, an intentio fuisset sufficiens, & baptismus validus, nec deberet homo relinqui dubius semper de valore sui baptismi.

Dices. Si sacramentum conferretur sub talibus conditionibus de presenti, nunquam suspenderetur ejus effectus; quia, vel conditio jam esset de presenti impleta, & statim fieret sacramentum: vel conditio nunquam esset implenda, & statim nullum esset sacramentum: ergo. Resp. om. ant. neg. conseq. Etiam si omittatur, quod in tali casu non suspenderetur effectus, est tamen ingens disparitas, inter intentionem alligatam conditioni de presenti, quæ vel sciri potest impleta, vel si ipsa non potest sciri, saltem potest sciri, an sacramentum sit validè receptum: & inter intentionem, alligatam talibus conditionibus, quæ nec ipsæ sciri possunt impleta, nec sciri potest, an sacramentum sub illis collatum, unquam sit validum.

ARTICULUS V.

Solvuntur reliquæ Objectiones.

127. **O**B. 4. contra 5. conclus. Formæ sacramentorum sunt absolutæ: ergo non possunt significare intentionem, alligatam alicui conditioni, etiam de presenti, saltem, si conditio sit extranea sacramento. Confirm. Sacramenta debent esse signa sensibilia, & cer-

tò causativa gratiæ: ergo non possunt alligari alicui conditioni, de qua sciri non potest, an sit impleta, e. g. huic: *Si non sis baptizatus, &c.* Resp. dist. ant. Formæ sunt absolutæ; quia conditio est significata. conc. ant. quia à nulla omnino pendent conditione, tacitè, vel expressè subintellecta. neg. ant. & conf. Utique in absolutione debet subintellecti conditio: *Si es dispositus: in baptismo: Si non es baptizatus.*

Imò Ecclesiâ jubet ministros, quandoque sub conditione sacramenta administrare. Dein (ut Haunoldus l. 4. tr. 2. c. 4. controu. 3. n. 703; pluribus exemplis ostendit) communissimè, sub propositionibus absolutè prolatis, intelliguntur aliquæ conditiones: e. g. si quis dicat: *Duco te in uxorem:* intelligitur utique: *Si non habes impedimentum dirimens.* Nec tantum conditiones intrinsecæ, id est, necessariò requisitæ, sed etiam extrinsecæ, quandoque subintelliguntur: sic ipse DEUS per Jonam absolutè dixit *Jona 3. v. 4. Adhuc quadraginta dies, & Niveve subvertetur:* & tamen subintellecta fuerat conditio: *Nisi penitentiam civis egerint.*

128. Ad confirm. neg. conf. Ad veritatem antecedentis plus non requiritur, quam, ut sacramenta, quando quoad partes omnes existunt, nec ponitur obex, infallibiliter significant, simulque causent gratiam. Quod autem in hoc, vel illo casu, ita existant, non debet sciri, in omnibus casibus particularibus; modò moraliter sciatur, homini esse prospectum, vel nunc, vel prius, ut diximus supra n. 125. Noto hic obiter ex Suarez tom. 3. in 3. p. disp. 13. sec. 3. §. Dico 3. in fine. conditione n. etiam exterioris expressam verbis, non esse partem formæ, atque adeò formam non immutari per eam additionem. Potest autem (ut idem Eximius eodem §. docet) conditio interdum verbis exterioris exprimi, interdum sola mente concipi: neutro tamen modo adhibenda est ulla conditio sine causa, vel necessaria, vel saltem probabili; aliâs peccaret minister, qui teneret, habere intentionem tam absolutam, quam potest.

129. Ob. 5. Si potest intentio esse conditionata, poterit etiam esse alligata conditioni turpi, vel inhonestæ, e. g. baptizando adultum sub conditione: *Si velit amplecti hæresim:* vel ducendo uxorem: *Si furatus fuerit patri decem millia aureorum, vel eum omnino occiderit:* hoc videtur absurdum: ergo. prob. mi. talis intentio esset voluntas, non agendi nomine Christi, nisi indecenter: atqui hæc intentio non videtur sufficere ad sacramentum: ergo. prob. mi. non videtur Christus posse, actiones istas agnoscere ut suas: sed actiones, quæ non agnoscuntur à Christo ut suæ, non sunt actiones sacramentales: ergo. Resp. 1. neg. ma. ex eo enim, quod ob specialem rationem aliqua intentio conditionata non sufficiat, non sequitur, quod nulla sufficiat: in conclusione autem signanter dixi, sub aliqua conditione, ut ab hac difficultate abstraherem. E Resp.

Resp. 2. minorem non esse certam, & qui eam negant, ad ejus probationem distinguunt majorem sic: Christus non videtur posse agnoscere has actiones, ut suas sub omni ratione. conc. ma. sub aliqua saltem ratione, nempe sub ratione materiæ proximæ, aut formæ à se institutæ. neg. ma. & dist. etiam. mi. non sunt actiones sacramentales, quæ non agnoscuntur à Christo, ut suæ sub omni ratione, agnoscuntur tamen sub aliqua, vel aliquibus rationibus. neg. mi. & conseq.

130. Inprimis in aliis sacramentis, excepto matrimonio, ipsa intentio ministri non est actio Christi, atque adeo ipsa positio materiæ, & formæ, quæ est moraliter actio Christi, non est in se indecens, sed tantum denominativè ab actu voluntatis: quod non tollit vim sacramenti; aliis omnis intentio peccaminosa ministri, qui vel intendit malum finem, vel in circumstantiis quomodocunque illicitis, sacramentum vellet conficere, destrueret valorem sacramenti, quod est contra fidem. Quod autem minister hic, & nunc, non vellet agere nomine Christi, nisi indecenter, vel peccaminosè, aliud non significat, nisi ad summum, quod voluntas agendi nomine Christi reddatur absoluta per aliquid indecens, & quod excludat aliam intentionem decentem: quod iterum non tollit valorem sacramentorum.

Ratio est; quia tamen adhuc à tali ministro ponitur forma, atque materia, & potest hanc positionem agnoscere Christus pro sua, non quidem sub omni, sed tamen sub aliqua ratione: præsertim, cum actio externa ex natura sua non sit mala, sed indifferens, & actus internus, seu intentio mala, non sit actio Christi. Insuper clarum est, eandem actionem externam posse respectu alicujus esse bonam, respectu alterius malam, pro varietate intentionis. Sic idem supplicium rei, ad quod duo carnifices concurrunt, unus ex odio, alter ex obedientia, respectu primi est actus malus, respectu secundi est actus bonus.

131. In sacramento matrimonii, ubi intentio ministrorum, id est, contrahentium, est pars sacramenti, nempe materia, vel forma ejusdem sacramenti, potest esse major difficultas; quia ipsa actio, intrinsecè peccaminosa, debet esse materia sacramenti, adeoque actio Christi; nam, si contrahatur etiam peccaminosè matrimonium, tamen valet. e. g. quando quis contrahit matrimonium sub conditione turpi, sine qua id non contraheret, valet matrimonium; modò ea conditio non sit contra substantiam matrimonii. Si quis fors vellet dicere, eam conditionem haberi à jure pro non adjecta, adeoque nihil facere ad rem. Resp. in tali casu tamen intentionem, quæ realiter est consensus, adeoque est pars sacramenti (quæ utique facit aliquid ad rem) esse peccatum.

Adde, quod conditio illa turpis, ut ha-

bet Layman. l. 5. tr. 10. p. 2. c. 7. n. 11. tantum possit haberi pro non adjecta in foro externo, & in dubio: non verò in foro interno, & quando de ea habetur certitudo; nam, si constet de tali intentione, aliter judicandum est; quia Ecclesia supplere non potest consensum in matrimonio. Idem docet Tannerus tom. 4. disp. 8. de matrim. quest. 3. dub. 4. n. 71. ubi addit, talem conditionem turpem, si verè ei consensus alligatus fuerit, suspendere matrimonium, non minus, quam suspendat idem conditio honesta, citatque pro hac sua assertionem complures; ergo conditio turpis non reddit sacramentum invalidum; nisi sit contra substantiam sacramenti matrimonii.

132. Sed petes, quomodo actio peccaminosa ministri possit esse actio Christi. Resp. posse esse actionem Christi, sicut actio procuratoris est actio principalis mandantis. Sicut ergo, licet procurator actionem, quam posset bene agere, malè faciat, non ideo actionis malitia imputatur principali (nisi iste voluerit, procuratorem malè agere, quod non supponimus) item sicut, quando delegatus ad inquisitionem faciendam in aliquem, eam ex odio facit, vel delegatus ad judicandum non fert sententiam justam, nisi post acceptas injustè pecunias, non censetur inquisitio, ut ex odio facta, vel sententia, ut malè vendita, esse actio delegantis; sed tantum talis censetur, ut est inquisitio, vel judicium ut sic: ita, licet minister Christi actionem sacramentalem, quam posset bene peragere, malè faciat, actio illa non est actio Christi, quatenus est mala, nec imputari potest Christo malitia, sed tantum actio ut sic.

133. Quin imò, si mandans voluit, actionem honestè fieri (ut Christus certè voluit, honestè fieri actiones sacramentales) censetur ea actio, ut est mandantis, esse honesta; quia mandanti ex actione illa mala aliud imputari non potest, nisi prædicatum actionis ut sic, quod suo modo morali, seu per imputationem, denominatur honestum à mandato honesto. Ratio est; quia actiones procuratoris non sunt physice actiones mandantis, sed tantum moraliter, quatenus scilicet ejus mandatum est causa moralis harum actionum, & ratione mandati ex imputantur mandanti, tanquam causa ipsas moraliter ponenti: at non potest alicui ratione mandati aliquid imputari, nisi secundum ea prædicata, ad quæ se mandatum ipsius extendit, & quorum causa moralis per se mandatum fuit. Cum igitur mandatum se non extendit ad malitiam actionis, sed tantum ad actionem, volendo ipsam seriò affectivè honestam, etsi permittatur etiam inhonestam, non potest mandanti imputari inhonestam, vel malitiam actionis, nec actio ut mala potest censeri esse actio illius: sed ad summum potest ei imputari illa actio secundum rationem communem actionis ut sic. Quare nec actio ministri ut mala potest imputari Christo, nec ut mala censeri esse actio ejus: sed

tantum ut actio ut sic: vide etiam infra num. 261.

ARTICULUS VI.

Quanam Intentio Ministri ex Contrariis prævaleat.

134. **R**estat adhuc quærendum, quanam intentio ministri, si is, ut facilè contingere potest, habeat intentiones inter se contrarias, ex his prævaleat. Non quidem potest minister, aut alius quisquam, habere intentiones explicitè contrarias; cum voluntas non possit eodem instanti dicere: *Volo hanc rem*: &: *Nolo eandem*: at potest contingere, ut quis habeat intentiones implicitè contrarias, & velit aliquam rem, simulque nolit aliquid cum ea identificatum, vel necessariò connexum, quod tamen nescit, esse identificatum, vel connexum.

Sic potest hæreticus velle baptizando facere, quod facit Ecclesia vera: non tamen velle facere, quod facit Ecclesia Romana; quia hanc non putat esse veram: potest velle conficere sacramentum matrimonii: sed non contractum indissolubilem; quia non putat, matrimonium esse indissolubile &c. In tali casu quæritur, quanam intentio prævaleat; nam ex hoc dein desumendum est, an talis validè, an invalidè confecerit sacramentum.

Supponitur autem, has duas intentiones simul saltem virtualiter existerè; aliis enim illa, quæ tantum habitualiter perseveraret, non amplius influeret, & altera utique prævaleret.

135. Dico. Si simul existunt duæ intentiones contrariæ, tunc illa prævalere censetur, quæ appetitivè est major, seu quæ magis vult suum objectum, quam altera. ita communis. Probat. Videtur per se clarum esse, quod operans illi objecto, quod magis, vel efficacius vult, velit etiam magis annexam esse suam intentionem, & operationem, quam alteri objecto, quod minus efficaciter vult: ergo. Declaratur res magis in exemplis supra positis. Sic in casuposito, si hæreticus est ita constitutus, ut absolutè efficaciter velit baptizare, seu facere, quod facit Christus, quocunque modo legitimo, & tantum nolit facere, quod facit Ecclesia Romana; quia putat, eam errare, baptizaturus tamen, etsi ea non erraret, & sic etiam facturus, quod ipsa facit, valet baptismus; quia hæc intentio absolutè baptizandi est efficacior, & magis vult hoc suum objectum, nempe baptismum validum, quam velit altera suum objectum, scilicet diffirmitatem cum Ecclesia Romana: quæ intentio insuper est tantum quasi conditionata sub conditione scilicet: *Si Ecclesia Romana erret*.

At verò, si hæreticus esset ita pessimè constitutus, ut e. g. ex odio erga Catholicos, nollet facere, quod ipsi faciunt, etsi sciret, eos facere, quod Christus instituit, tunc non

Quanam Intentio Ministri ex Contrariis prævaleat.

baptizaret. Hanc autem intentionem, omnino perversam, non solent habere hæretici, & Ecclesia supponit in ipsis priorem intentionem, quæ valida est: nec hoc supponit immeritò; quia, cum hæretici Christum colant, ejus institutionem, ac voluntatem utique præferunt suæ voluntati: & volunt illam, quocunque tandem modo, implere.

136. Eodem modo discurrendum est de matrimonio; hinc, si quis suum consensum ita alligasset dissolubilitati matrimonii, ut, nisi hæc esset, non contraheret matrimonium, tunc non conficeret sacramentum: si autem prævaleat intentio contrahendi matrimonium, quocunque tandem modo legitimum, juxta Christi institutionem, intentio est omnino sufficiens, & si aliud requiritum nullum desit, etiam est sacramentum. Unde à tali contrahente exquirendum est, qualem intentionem habuerit: & sæpius voluit, hoc secundo modo contrahere, præsertim honestiores; cum velint matrimonium indubitato legitimum, ex quo nascantur liberi indubitato legitimi, quale matrimonium non est illud, quod sub conditione dissolubilitatis contractum est; cum (ut docet Tannerus tom. 4. disp. 8. de matrim. q. 2. dub. 3. à n. 42.) valde probabiliter nullum possit matrimonium esse inter baptizatos, si non sit simul sacramentum.

137. Eodem modo exquirenda est intentio Episcoporum, qui ante collationem ordinis protestantur, se nolle ordinare accedentes cum excommunicatione, aut sine facultate, à suis superioribus obta, aut carentes vero titulo, aliisve impedimentis ligatos; nisi enim Episcopi intentionem aliam haberent appetitivè majorem, qua simpliciter vellet ordinare, omnes, & quocunque accedentes, & sic implicitè revocare priorem intentionem, non ordinarentur excommunicati. Hanc intentionem revocativam prioris eos habere, dum singuli accedunt ad recipiendos actu ordines, censet Gormaz de Sacram. in genere. n. 130. Lugo verò de Sacram. in genere. disp. 8. sec. 7. n. 119. nihil quidem ipse determinat, sed tamen ait, alios censere, quod similes protestationes tantum fiant ad terrorem: Episcopus autem tamen habeat absolutam intentionem, accedentes omnes ordinandi. Addit, se nullo modo probare istas protestationes; eoquod ex intentione Episcopi, verè nolentis ordinare legitime impeditos ab ordinibus, orientur gravissima inconvenientia: quæ videri possunt apud ipsum loco modo citato.

ARTICULUS VII.

Quanam Intentio requiratur in Suscipiente Sacramenta.

138. **N**on procedit hæc questio de parvulis, qui, cum rationis sint incapaces, ex parte sua, nec possunt, nec debent, dispositionem ullam afferre ad recipienda sacramenta, quorum sunt capaces: capaces autem sunt bapti-

baptismi, & confirmationis (nam etiam confirmatio eis validè, & saltem ob aliquam necessitatem, de qua re Illung tract. 6. disp. 3. n. 3. n. 46. licitè administratur) item etiam infantes sunt capaces ordinis, qui eis validè, quamvis non licitè, conferri potest: item Evcharistiæ, quæ eis olim licitè, sed nunc post prohibitionem Ecclesiæ, validè tantum conferuntur.

139. Reliquorum autem sacramentorum infantes non sunt capaces, scilicet sacramenti poenitentiae (quod requirit actus proprios poenitentis, contritionem, confessionem, & satisfactionem, tanquam materiam) item sacramenti extremæ unctionis (quod supponit usum rationis, & probabiliter peccata actualia, de quo videatur Illung tract. 6. disp. 7. n. 3. n. 12.) ac rursus sacramenti matrimonii, quod requirit consensum voluntarium, & rationale.

Infantibus autem quoad receptionem sacramentorum comparatur perpetuo amentes; quia & isti intentionis elicendæ instar infantium semper incapaces fuerunt: non verò ita infantibus comparantur illi, qui prius usum rationis, etiam per modicum tempus, habuerunt; quia jam aliquando intentionem elicere potuerunt. Et ita habet praxis Ecclesiæ, ac docet Catechismus Romanus de baptismo §. Docendum præterea. ubi sic loquitur: *Quodsi in mentis potestate nunquam fuerunt, ita, ut nullum rationis usum habuerint, eos in fide Ecclesia, non secus, ac pueros, qui ratione carent, baptizandos esse, Ecclesiæ auctoritas, & consuetudo satis declarat.*

Queritur ergo hic tantum, an in adultis ad validè recipiendæ sex sacramenta, distincta à SS. Evcharistiâ, requiratur etiam intentio eadem recipiendi: & quidem ea recipiendi, non tantum ut res qualescunque materialiter sumptas, sed ut sacramenta, seu ut aliquas res, quas confert Christus, aut Ecclesia, ut in simili diximus, agendo de intentione ministri n. 79. Dixi sacramenta à SS. Evcharistiâ distincta; nam, cum sacramentum SS. Evcharistiæ non consistat in usu, sed jam ante usum sit sacramentum, atque jam ante in eo adsit verum corpus, & sanguis Domini nostri, adeoque hoc realiter sumatur, etsi nulla adsit suscipiens intentio, utique sine intentione hoc sacramentum validè suscipi potest. Aliud est, quòd ad hoc, ut istud sacramentum causet gratiam, verosimiliter præter alias dispositiones etiam requiratur aliqua intentio suscipientis.

140. Dico 1. cum communi Theologorum. In adultis ad validam dictorum sex sacramentorum susceptionem requiritur intentio saltem habitualis, recipiendi ea ut sacramenta. Probat ex Concilio Carthaginensi III. c. 34. ubi ita habetur: *Ut agrotantes, si per se respondere non possunt, cum voluntatis eorum testimonium sui dixerint, baptizentur.* & ex Arausicano I. c. 12. ubi sic dicitur: *Subito obmutescens, prout statutum est, baptizari, aut poenitentiam accipere potest; si voluntatis præterita testi-*

monium, aliorum verbis habet, aut præteritis in suo nutu: ergo requiritur saltem voluntas præterita, seu habitualis baptismi, & quidem ut talis, non tantum ut materialis balnei; aliter enim juxta decreta horum Conciliorum, nec baptizari, nec absolvi quisquam potest.

Nec dicas, intentionem requiri à Concilio, non ad validam, sed tantum ad licitam receptionem; nam contra est. Concilia nunquam prohibuissent administrationem sacramentorum, in casu necessitatis extremæ, in qua e. g. est moribundus, si eorum receptio, sine omni intentione elicitâ, fuisset valida; fuisset enim prorsus rigidum, privare sacramentis rite dispositos, & extremè indigentes: saltem, cum ista Concilia plenaria non fuerint, fuisset ab aliis Conciliis œcumenicis, vel Pontificibus, aliter, & mitius statutum, uti defacto correctus est rigor quarundam antiquarum synodorum particularium: at nullo modo correcti sunt canonones, allati ex Carthaginensi, & Arausicano: sed contra potius confirmati sunt posterioribus temporibus.

141. Rursus enim idem statutum est in Rituali Romano, edito jussu Pauli V. ubi titulo de baptismo adultorum. de nullo adultorum, qui prius usum rationis habuit, & postea in amentiam incidit, dicitur, quòd sit baptizandus, nisi prius baptismum petierit, vel ejus desiderium ostenderit: ergo requiritur, quòd præcesserit intentio baptismi ut talis. Idem docet Catechismus Romanus de baptismo §. Docendum præterea. ubi ita habet: *In primis itaque opus est, ut velint, propositumque illis sit, baptismum suscipere.* & paucis interjectis docet, *amentes, & furiosos, qui, cum aliquando compos mentis essent, in insaniam deinde inciderunt, ut, qui eo tempore nullam baptismi suscipiendi voluntatem habebant, nisi vita periculum immineret, baptizandos non esse: cum autem in vita discrimine versantur, si, antequam furere inciperent, ejus voluntatis significationem dederunt, abluendi sunt: sin minus, à baptismi administratione abstinendum est. Idemque judicium de dormientibus fieri debet: ergo prærequiritur in suscipiente aliqua intentio recipiendi baptismum ut talem.*

142. Confirm. conclus. I. saltem in ordine ad baptismum, ratione, quam tradit idem Catechismus Romanus de baptismocit. §. Docendum præterea. Per baptismum homo subijcitur novæ legi, novæ vitæ rationi, & disciplinæ, & obligatur ad illam servandam: hæc obligatio non debet imponi invito: ergo. Eadem ratio pugnat pro sacramentis ordinis, & matrimonii. Confirm. 2. ratione, ad omnia sacramenta se extendent. In omnibus sacramentis homo recipit favorem maximum, & gratiam, quæ non solent conferri non volentibus, si possunt velle: ergo requiritur saltem aliqua intentio in adultis. Alia ratio est de parvulis, qui, cum propriam voluntatem non habeant, eorum in civilibus actionibus sæpe obligantur, ratio-

ratione alienæ voluntatis: præsertim, si ex illa obligatione magnum lucrum capiant, quod lucrum aliter percipere non possunt, & ipsis maxime necessarium est, sicut est gratia baptismalis. Pariter etiam per alienam acceptionem parvuli acquirunt sæpe favores, & gratias: adeoque in his potest suppleri defectus per intentionem Ecclesiæ.

143. Dico 2. Non requiritur ad susceptionem sacramentorum intentio actualis, vel virtualis, ita communis. Prob. Intentiones istæ, quæ explicatæ sunt n. 78. non dantur in amentibus, & dormientibus, qui tamen possunt validè, & fructuosè recipere sacramenta: ergo sufficit intentio habitualis. Intellige autem conclusionem de susceptione: si enim suscipiens sit simul mitem tantum; si enim suscipiens sit simul minister, ut in matrimonio, debet habere etiam intentionem virtuales, non quidem tanquam suscipiens, sed tanquam ministrans sacramentum: sicut etiam celebrans sacrum, & in eo recipiens Evcharistiâ, debet habere intentionem virtuales, non propter susceptionem Evcharistiæ, sed propter celebrationem, seu consecrationem ejusdem.

Nec dicas. Si ministrans sacramentum debet habere intentionem virtuales, tunc etiam suscipiens; est enim ingens discrimen inter ministrantem, seu conscientem, & recipientem sacramentum; illius enim actio debet esse facta humano modo, & nomine Christi: suscipiens autem non debet nomine Christi recipere sacramentum, nec etiam aliquid agere humano modo: sed ab ipso tantum requiritur, ut ita sit dispositus, ut Christus non censeatur, gratiam obtrudere, vel obligationem imponere, non volenti.

Addendum hic 1. Non requiritur necessariò, ad susceptionem sacramentorum, semper intentio explicita: sed sufficit, saltem aliquando, implicita, ut magis patebit ex infra dicendis. 2. Sufficit etiam voluntas, seu intentio recipiendi sacramenta, metu coacta; quia metus non tollit voluntarium, & talis voluntas est verè efficax: sicut voluntas projiciendi merces in periculo naufragij, ex metu perditæ vitæ, ut expressè docet S. Thomas in 4. disp. 6. q. 1. a. 2. quæstionum. 3. in corp. Excipi tamen debet matrimonium, respectu cujus gravis metus est jure Ecclesiastico impedimentum dirimens.

ARTICULUS VIII.

Solvuntur Objectiones.

144. **O**B. 1. Innocentius III. C. Majores 3. de baptism. in fine. sic ait: *Tunc ergo characterem sacramentalis imprimit operatio, cum obicem voluntatis contrariæ non invenit obstantem:* ergo tantum requiritur negatio voluntatis contrariæ, ut docet Cajetanus. Imò glossa in hoc capitulum ad verbum *perdurare* dicit, non obesse etiam dissentium internum, modò oretenus petatur baptismus: verbalunt: *Illi ore expriment,*

licet corde dissentiant: & ideo sacramentum percipiunt; quia Ecclesia dare intendit. Confirm. 1. C. De Judæis. dist. 45. dicitur Judæi, qui coacti fuerunt, ad baptismum suscipiendum, obligati ad legem Christi servandam: ergo verè fuerunt baptizati. Confirm. 2. S. Augustinus tract. 20. in Joannem sub initium. ait: *Accipere potest sacramentum nolens:* ergo. Confirm. 3. S. Thomas in 4. disp. 6. q. 1. a. 2. quæstionum. 3. in corp. docet, sufficere adultis ad sacramenta percipienda, si eis non iustè habitu contraria voluntas: ergo.

Resp. neg. conseq. Pontifex expressè dicit, dormientes, & amentes, quando in eo statu baptizantur, characterem baptismi suscipere, si prius catechumeni extitissent: hi autem habuerunt voluntatem recipiendi baptismum; unde per obicem contrariæ voluntatis intelligitur voluntas, retractans priorem voluntatem recipiendi baptismum; talis enim si adesset, prior voluntas, ne habitualiter perseveraret. Autoritas autem Cajetani, & glossæ, meritò postpositur authoritati nostræ conclusionis. Ad 1. confirm. conc. totum; quia illi Judæi habuerunt intentionem veram recipiendi baptismum, licet metu extortam: quæ sufficit, ut diximus n. 143. Ad 2. confirm. dist. conseq. ergo aliquid sacramentum potest valide accipi sine intentione. conc. conseq. omne. neg. conseq. S. Augustinus apertè loquitur de SS. Evcharistiâ, quam jam excepimus; dicit enim ibi: *Accedere ad altare potest nolens: accipere potest sacramentum nolens.*

Ad 3. confirm. S. Thomas 3. p. q. 88. a. 7. per totum. probat, requiri intentionem in baptizando. & a. 12. in corp. ait, furiosos, & amentes, qui aliquando habuerunt usum rationis, baptizandos esse, si prius habuerunt intentionem suscipiendi baptismum, secus verò non. Sed & eo ipso loco objectò ait, non quidem requiri aliquid causans ex parte recipientis, sed solum impedimentum removens, scilicet removens voluntatem contrariam, ut ibi se explicat: per hoc removens tamen non intelligit aliquid tantum negativè removens, sed removens positivè in rationis capacibus, ut apertè patet ex cotextu.

Patet insuper ex eo, quòd ibi S. Doctor sic scribat: *In habentibus usum rationis... requiritur & contritio, sive devotio, ad percipiendam rem sacramenti, scilicet fructum, seu gratiam, & intentio, vel voluntas, ad recipiendum sacramentum, scilicet validum;* unde exigit in rationis capacibus intentionem, saltem habitualiter existentem, & positivè oppositam voluntati contrariæ. in forma. neg. antec. quia verba illa S. Thomæ spectant ad incapaces rationis; docet enim, dari sacramentum, & rem sacramenti in carentibus usu rationis, nisi contraria voluntas habitu insit. At de rationis capacibus docet, debere eis inesse, saltem habitualiter, aliquid positivè removens eam contrariam voluntatem.

145. Ob. 2. Intentio non requiritur in parvulis: ergo nec in adultis. prob. conf. parvuli non minùs recipiunt integrum sacramentum, quàm adulti: ergo sacramentum non involvit alias partes, respectu horum, quàm respectu illorum. Confirm. 1. Concilium Florentinum tantùm requirit intentionem ministri, & non suscipientis: ergo ista non requiritur. Confirm. 2. Suscipiens est tantùm patiens: sed ad passionem non requiritur voluntas: ergo voluntas, seu intentio, non requiritur in suscipiente.

Resp. neg. conseq. ad prob. neg. suppositum, quòd intentio suscipientis sit pars sacramenti; nam est tantùm aliquod requisitum, cui respectu adultorum alligavit Christus suam institutionem: sicut diximus à n. 103. alligasse suam institutionem intentioni ministri: non autem alligavit suam institutionem intentioni parvulorum: nec est inconveniens, quòd author sacramentorum, aliquam majorem dispositionem, ad perceptionem sacramentorum, requisiverit ab adultis, qui eam poterat afferre, quàm à parvulis, quibus ea impossibilis erat.

Ad 1. confirm. neg. conseq. Florentinum tantùm voluit indicare id, quòd semper, & universaliter requiritur, tam respectu parvulorum, quàm adultorum. ita Suarez tom. 3. in 3. p. disp. 14. sec. 2. §. *Atque ex his.* Gormaz de sacram. n. 248. Dicastillo, & alii. Haunoldus autem l. 4. tract. 2. contr. 4. n. 748. ait, intentionem suscipientis esse complementum intentionis ministri, quatenus scilicet intentionem ministri implicite conditionatam, nempe sub conditione, si baptizandus velit baptismum recipere, reddit absolutam: qua ratione etiam intentio suscipientis intelligitur, seu assignatur à Concilio, tanquam pars in toto, seu in tota, & completa intentione ministri: quælibet responsio est bona, atque sufficiens, quamvis prior mihi præplaceat; cum in responsione Haunoldi admitti debeat, aliam intentionem ministri requiri in administratione sacramentorum, adultis facta, aliam in ea administratione facta parvulis. Ad 2. confirm. dist. ma. suscipiens est patiens voluntarium. conc. ma. est tantùm patiens quæcumque. neg. ma. & dist. sic mi. neg. conseq.

146. Ob. 3. Extrema unctio potest conferri in casu subiti periculi, vel necessitatis extremæ, quando etiam perditus est usus rationis, etiam si ægrotus eam unctioem non priùs petierit: ergo non requiritur intentio, etiam tantùm habitualis, recipiendi sacramentum: sed requiritur tantùm intentio interpretativa, vel præsumpta. Resp. conc. antec. neg. conseq. Ecclesia supponit, dari habitualiter in quolibet homine Christiano intentionem recipiendi extremam unctioem in articulo mortis, si non explicitam, certè implicitam, quatenus quilibet, qui Christianè vixit, & vult Christianè mori, censetur, velle illos sacros ritus, quos in bonum animæ solet Ecclesia tunc adhibere: quæ est intentio aliqua formalis, non tantùm interpretativa, aut præsumpta, quanquam non

sit semper explicita: quæ non necessariò requiritur, sed sufficit etiam implicita; si tamen etiam cætera necessaria adsint.

147. Dices 1. Ergo etiam Judæo e. g. potest conferri baptismus, modò habuerit aliquando intentionem, servandi omnia præcepta, si postea incideret in amentiam. Resp. 1. neg. illatum; quia ex eo, quòd ad aliqua sacramenta sufficiat intentio implicita, non sequitur, eam sufficere ad omnia; hinc n. 143. tantùm dictum est, non semper requiri intentionem explicitam. Quare Suarez tom. 3. in 3. p. disp. 14. sec. 2. §. *Dico tamen primo. prope finem.* putat, ad baptismum, cum hic sit janua in Ecclesiam, requiri intentionem magis expressam. Pariter sacramentum pœnitentiæ, cum requirat confessionem, directam in ordine ad absolutionem, videtur *ibidem* eidem Eximio, requirere actum formalem voluntatis, quo quis velit peccata confiteri. Multò magis requiritur volitio, seu consensus magis expressus, ad matrimonium, ut per se patet.

Resp. 2. Haunoldus l. 4. tractatu 2. n. 752. Dicastillo tract. 1. de sacram. disp. 3. à n. 324. quibus consentit Coninck de sacram. q. 64. n. 8. n. 103. conc. illat. nam talis Judæus, si habeat voluntatem servandi omnia præcepta, ex motivo consequendæ salutis æternæ, validè baptizari potest (si non desint alia requisita) quia implicitè vult baptismum; qui enim vult finem, id est, salutem æternam, vult etiam media necessaria, scilicet baptismum. Utraque responsio valde probabilis est, & neutra nobis opposita.

Solum videtur, posse secundæ responsioni opponi, quòd voluntas purè servandi omnia præcepta, non sit implicita voluntas recipiendi baptismum; eoquòd homini profusus ignoranti baptismum, hic non videatur, stante ignorantia, esse præceptus. At respondet, quòd in tali homine contritio perfecta sit votum implicitum baptismi, non ex alio capite, quàm, quòd sit voluntas, adimplendi omnia præcepta: adeoque baptismus tali homini, baptismum invincibiliter ignoranti, sit præceptus, non quidem proximè, sed tamen remotè: & quòd contritio sit votum etiam adimplendi omnia, non tantùm proximè, sed etiam remotè præcepta, quæ scilicet obligarent, si scirentur: quòd mihi videtur probabilius, idque absolute amplecti sum inferius n. 379. & talis voluntas potest esse Judæi in casu supra posito, scilicet voluntas implendi omnia, proximè, & remotè obligantia, adeoque potest esse etiam voluntas adimplendi præceptum baptismi.

148. Dices 2. Ergo, si quis casu sumeret hostiam consecratam, putans, non esse consecratam, augetur in ipso gratia, si aliunde esset dispositus; quia quilibet bonus Christianus habet implicitam voluntatem, augendi in se gratiam quocumque medio: hæc sequela est contra communem sensum doctorum: ergo. Resp. 1. hanc intentionem non semper quemlibet bonum Christianum, etiam justum, habere; quia non quilibet

semper vult facere omnia opera bona. Dein, etsi talis homo habeat intentionem, hæc juxta graves auctores, citatos à Suarez tom. 3. in 3. p. disp. 63. sec. 3. non sufficit: sed requiritur actualis devotio, ex quo capite isti auctores etiam negant, gratiam conferri parvulis per summptionem Evcharistiæ. Econtra Arriaga tom. 7. tract. de sacramentis. disp. 22. sec. 3. n. 13. admittit, esse valde probabile, quòd tali justo, sumenti ita casualiter hostiam consecratam, conferatur gratia. Cui hoc durum videtur, dicat, Christum non voluisse dari gratiam ratione Evcharistiæ, casu sumptæ ab adulto, & hanc ejus voluntatem innotescere ex ipso communi Theologorum consensu (quem objectio necessariò supponit) & sic in forma neget illatum.

149. Alius est casus circa absolutionem sacramentalem, an hæc dari possit, e. g. illi, qui subitò in talem statum vi morbi incidit, ut nec confiteri, nec aliud signum doloris edere possit. Sed respondetur. In hoc casu quidem vita Christiana, & propositum Christianè moriendi, est intentio implicita recipiendi sacramentum, adeoque defectus non est ex parte intentionis. At non sufficit hæc intentio, vel voluntas; neque enim voluntas confitendi, & recipiendi absolutionem, est confessio, vel contritio, quæ tamen necessarie sunt ad recipiendam absolutionem. An autem etiam confessio, vel contritio, statim præsumi possit in tali homine, subita ægritudine oppresso, vel an talis possit dici, sensibiliter confiteri (quod etiam necessarium est ad absolutionem) pertinet ad tractatum de pœnitentia, in quo hanc questionem examinabimus: interim videatur Gormaz de pœnit. sacram. n. 259. & seq.

DISPUTATIO II.

De Causis Extrinsecis Sacramentorum.

150. Hæretici, præsertim nostri temporis, qui pro sua pruriginè contradicendi Ecclesiæ Catholicæ, etiam numerum septenarium sacramentorum pœnegant (quamvis qualem, an binarium, an quinarium, statuere debeant, nesciant) negant consequenter, ea septem symbola, quæ nos sacramenta vocamus, esse instituta à Christo; si enim hanc institutionem non inficiarentur, negare non possent, ea quoque esse sacramenta; cum negare non possent, ea esse signa sensibilia, sacræque actiones, ad nostram justificationem conducentes, vel ex hoc ipso, quòd à Servatore optimo, in bonum suorum fidelium, sint instituta.

Quare ostendendum est nobis, auctorem, & primam causam, omnium illorum septem, quæ ab Ecclesiâ sacramenta dicuntur, esse ipsum Christum Dominum: quòd prima questione exequemur. Inde de ministris, tanquam causis secundariis, agemus, quos ad tractanda sacrosancta hæc mysteria elegit Dominus. Qua in re meritò iterum redarguendi sunt heterodoxi, qui istorum

mysteriorum, quin & sacri sanguinis dispensationem cuilibet hominum sorti, imò & sexui, concedunt: quam tamen potestatem neutiquam promiscuè omnibus tribui posse, altera questione monstrabimus.

QUESTIO I.

De Auctore Sacramentorum.

ARTICULUS I.

Quis instituerit Sacramenta Novæ Legis, & quis eadem instituire potuisset.

151. Dico 1. Sacramenta novæ Legis omnia sunt instituta immediate à Christo Domino.

Conclusio est de fide, & definita à Tridentino sess. 7. de sacramentis in genere. can. 1. ubi ita habetur: *Si quis dixerit, sacramenta novæ legis non fuisse omnia à JESU Christo Domino nostro instituta, aut esse plura, vel pauciora, quàm septem, videlicet Baptismum, Confirmationem, Evcharistiæ, Pœnitentiæ, Extremam unctioem, Ordinem, & Matrimonium: aut etiam aliquod horum septem, non esse verè, & propriè, sacramentum; anathema sit.* Idem docent SS. Patres. S. Ambrosius l. 4. de sacramentis c. 4. ait: *Auctor sacramentorum quis est, nisi Dominus JESUS?* S. Augustinus epist. 118. ad Januarium. sic ait de Christo: *Sacramentis, numero paucissimis, observatione facilissimis, significatione præstantissimis, societatem novi populi colligavit.*

Confirm. S. Paulus 1. Cor. 4. v. 1. vocat se, & alios Apostolos, non institutores, & auctores sacramentorum, sed tantùm ministros, inquiens: *Sic nos existimet homo, ut ministros Christi, & dispensatores mysteriorum DEI:* ergo Apostoli non instituerunt sacramenta, nec Ecclesia; quia, si prima Ecclesia viventibus Apostolis ea non instituit, minùs id fecit Ecclesia posteriorum temporum: præsertim, cum in nullo Concilio legatur quidquam tale tentatum.

152. Dices fortè. Tridentinum Concilium, & Patres, non debent intelligi de immediata institutione, sed tantùm de mediata: ergo potest dici, quòd Ecclesia, vel Apostoli, immediate instituerint sacramenta, sed per potestatem à Christo acceptam, ut adeò Christus eadem mediantibus Apostolis instituerit. Resp. neg. ant. primò enim nemo negavit, DEUM, vel Christum esse mediatum auctorem sacramentorum; quare Concilium neminem dampnasset. Secundò, Concilium sess. 14. c. 1. de institut. extremæ unctioem ait, sacramentum extremæ unctioem esse tantùm à S. Jacobo promulgatum: ergo sess. 7. can. 1. cit. n. præced. voluit definire, Christum esse immediatum institutorem; si enim tantùm docere voluisset, eum esse mediatum institutorem, non fuisset opus, S. Jacobum excludere ab institutione, ac ei tantùm tribuere promulgationem.

Tertio. Concilium sess. 21. c. 2. declarat, hanc potestatem perpetuò in Ecclesia fuisse, ut in sacramentorum dispensatione, sub eorum substantiâ, ea statueret, vel mutaret, quæ suscipientium utilitati, seu ipsorum sacramentorum venerationi, pro rerum, temporum, & locorum varietate, magis expedire iudicaret: hoc est, declarat, Ecclesiam habere potestatem, statuendi cæremonias, & ritus sacramentales, non substantiales: quæ potestate etiam ibidem utitur, decernendo, ut SS. Eucharistia sub una tantum specie à laicis accipiatur: sed hoc non instituit, vel decrevit Ecclesia, nisi potestate accepta à DEO, adeoque DEO mediatè instituyente: ergo, quando Concilium docet, hunc ritum, non à DEO, sed ab Ecclesia esse institutum, non loquitur de institutione tantum mediata: ergo neque loquitur de institutione tantum mediata, quando agit de institutione ipsorum sacramentorum. Quarto. Proreges, Legati &c. instituunt multa per potestatem à suis principibus acceptam: nec tamen simpliciter dicuntur ea ipsi principes instituisse: e. g. non dicitur instituisse Papa, quòd instituit Nuncius Apostolicus; quia per institutorem simpliciter dictum intelligitur institutor immediatus.

153. Sed solet hic ulterius quæri, an saltem DEUS poterit, puræ creaturæ conferre potestatem instituendi sacramenta: ad cuius questionis clariorem intelligentiam, sciendum est, triplicem causam sacramentorum distingui. Prima est *causa principalis*, ac omnino independens ab omni alia, & in qua inest potestas auctoritatis, quæ est solus DEUS. Altera est *causa instrumentalis, conjuncta cum principali*, in qua inest potestas excellentiæ: & hæc est Christus ut homo; nam, cum humanitas Christi hypostaticè conjuncta sit Divinitati, Christus ut homo habet potestatem, instrumentalem quidem (quia habet derivatam à Divinitate, & ab ea dependentem) sed tamen cum excellentia, ratione meritorum sacratissimæ passionis, ex cuius virtute sacramenta habent vim causativam gratiæ: quæ excellentia non competit ulli puræ creaturæ. Tertia est *causa instrumentalis separata*, qualis esset quævis creatura, e. g. homo: & de hac causa quæritur, an sit possibilis, vel an pura creatura possit à DEO accipere potestatem, non tantum ministrandi, sed etiam instituendi sacramenta.

154. Non autem quæritur, an creatura possit, accipere potestatem auctoritatis; quia hæc communicari creaturæ non potest, ut rectè docet Angelicus 3. p. q. 64. a. 4. in corp. neque enim creatura potest non dependere à DEO; unde DEUS solus, tanquam causa primaria, & independens, potest signo sensibili tribuere vim significandi, & causandi gratiam; quia ipse solus potest, creaturam assumere in filium adoptivum, mediis, & modis eligendis, pro suo beneplacito, omnino independenti ab alia voluntate.

Neque etiam quæritur, an pura creatura possit accipere potestatem instituendi sa-

cramenta, cum ea excellentia, qua ea instituit Christus; nam pura creatura non potest, ex meritis propriis dare sacramentis vim causativam gratiæ: sed id tantum potest, vel ex solis meritis Christi, vel ex meritis quidem suis, attamen conjunctis cum meritis Christi; cum tamen Christus hanc vim signis sacramentalibus tribuerit ex suis meritis solis, Quare tantum quæritur, an, sicut Christus per suam volitionem, ab ipso ut homine elicita, instituit sacramenta, ita etiam pura creatura possit elevari à DEO, ad eadem, vel similia, per suam volitionem instituenda.

155. Instituire autem sacramenta, ut jam diximus n. 70. non est tantum determinare quomodoqueque materialiter materiam, vel formam sacramentorum, aut tantum determinare aliquid in specie, ex toto illo genere, cui DEUS jam disjunctivè alligavit suam promissionem de danda gratia. Sed sacramenta instituere dicitur ille, qui, cum in ejus potestate sit, ut ex toto genere rerum, & verborum, detur aliquod signum causativum gratiæ, vel non detur, facit, ut detur potius tale signum, quam non detur.

Sicut scilicet instituere signum qualecunque dicitur ille, qui, cum in ejus potestate sit, ut ex aliquo toto genere aliquid fiat signum certæ rei, vel non fiat, facit, ut potius ex illo genere fiat aliquod signum, quam non fiat: ex qua ratione etiam diximus n. 70. quòd bellus instituit ramum in pileo, tanquam signum distinctivum suorum militum ab hostibus; quia in ejus potestate est facere, ut ex toto genere ramorum aliquod signum distinctivum militum fiat. Ex quibus etiam infertur, quòd ad institutorem sacramentorum requiratur, ut ipse sit auctor, & causa, ut sacramenta habeant vim significandi, & causandi gratiam.

156. Dico. Potest puræ creaturæ concedi à DEO potestas instituendi sacramenta. ita S. Thomas 3. p. q. 64. a. 4. in corp. Suarez tom. 3. in 3. p. disp. 12. sec. 2. §. Sed quamvis. & alii plurimi. Prob. conclus. Potest DEUS concedere puræ creaturæ potestatem, qua liberè eligat certas quasdam res, (quæ necdum à DEO, etiam tantum generice, sint determinatæ, ut sint signa causativa gratiæ) iisque pro libitu suo conferat vim significandi, & causandi gratiam: ergo potest DEUS concedere puræ creaturæ potestatem instituendi sacramenta. consequ. est clara. ant. prob. Inprimis in eo, quòd pura creatura possit eligere talia signa, nondum determinatà à DEO, videtur prorsus nulla implicantia.

Quòd autem etiam pura creatura possit, iis signis tribuere vim causandi gratiam, sic probatur. Vel sacramenta debent causare gratiam moraliter, vel physicè; si dicatur primum, potest creatura, ex facultate à DEO concessa, signis à se electis, applicare merita Christi, & facere, ut à Christo ea signa, seu positiones eorum signorum, reputentur tanquam actiones suæ, adeoque sub hac ratione causent gratiam, sicut defacto causant sacramenta à Christo instituta; quæ enim in hoc

hoc implicantia, ut delegatus nomine sui principis, & ex potestate ab illo accepta, constituat certos ritus, quos princeps reputet actiones moraliter suas, & per quos idem princeps censetur obligari, vel certè moraliter moveri, ad faciendam certam quandam largitionem pecuniæ?

Si autem dicatur secundum, sive, quòd sacramenta debeant, gratiam physicè causare, etiam hanc vim potest ipsi tribuere creatura, ex potestate à DEO accepta: idque potest facere moraliter, quatenus potest applicare his signis, à se determinatis, merita Christi, quæ moveant DEUM, ut DEUS per se ipsum hanc vim iis signis tribuat: quod utique est possibile: & hoc sufficeret ad veritatem conclusionis; hac enim ratione talis creatura verè causaret in iis signis physicam virtutem efficiendi gratiam, & hanc ipsis tribueret tanquam causam moralis: sicut, qui alteri moraliter e. g. imperando, vel impetrando, conferret gladium, verissimè ei conferret potentiam physicam se defendendi contra hostes.

157. Difficultas major est, an possit pura creatura, sacramentis physicè conferre vim efficiendi physicè gratiam. Certum autem est, quòd hoc non possit ullus homo, vel Angelus, naturaliter, seu per potentiam naturalem; est enim certissimum, quòd non possit aliqua creatura substantia ut quod naturaliter facere, ut hic, vel ille, sit filius DEI adoptivus: imò certissimum est, quod nec possit, aliquam entitatem supernaturalem, etiam tantum accidentalem, naturaliter producere; cum ens supernaturale definiatur, esse illud, quod nulli supposito creato, seu nulli creatæ substantiæ ut quod, debetur. Quare, si dicatur, quòd aliqua creatura possit, hanc vim sacramentis physicè conferre, debet in ea admitti potentia obedientialis, quæ nihil aliud est, quam ipsa entitas rei, ita constituta, ut possit, tanquam instrumentum DEI, cum extraordinario, & indebito concursu omnipotentis Divinæ, influere in omnes effectus, in quibus non est specialis repugnantia; unde ad absolutam dubij hujus resolutionem.

158. Dico 2. Datur in qualibet creatura hæc potentia obedientialis. ita S. Thomas in 4. dist. 8. q. 2. a. 3. ad 4. dicens: *Sicut creatura inest obedientia potentia, ut in ea fiat, quidquid creator disposuit, ita etiam, ut ea mediante fiat: quod est ratio instrumenti.* Suarez tom. 1. in 3. p. disp. 31. sec. 5. §. Dicendum ergo. & alii plures. Prob. conclus. Est innegabile, quòd potentia aliqua creata possit elevari, ad producendos aliquos actus supernaturales: ergo non est ulla ratio, negandi omnipotentis Divinæ virtutem elevandi potentiam creatam, ad physicè producendos alios etiam actus, ad quos ipsa potentia creata se naturaliter non extendit. cons. partim fundatur in paritate, partim in principio communiter recepto, quòd omnipotentis Divinæ negari nil debeat, nisi ostendatur implicantia, quæ ostendi in hoc casu non potest, præsertim ostensa possibilitate

actuum supernaturalium. ant. autem facile probatur. intellectus. & voluntas, possunt elevari, & defacto elevantur, ad producendos actus supernaturalium virtutum, imò ad visionem intuitivam DEI, & amorem beatificum: ergo.

Dices 1. Intellectus, & voluntas, recipiunt habitus infusos, vel lumen gloriæ, tanquam potentias superadditas: ergo est disparitas. Resp. om. ant. dist. consequ. est disparitas materialis. om. cons. formalis. neg. cons. quippe tamen semper manet verum, quòd intellectus, & voluntas, eleventur ad actus supernaturales physicè producendos, in quo solo stat paritas, & vis argumenti. Et quid si aliquis diceret, posse in qualibet creatura etiam recipi aliquam similem virtutem elevativam? Adde, quòd neque in intellectu, aut voluntate, necessariò recipiatur talis virtus (& hinc omisi antec.) sæpe enim intellectus, aut voluntas, eleventur ad actus supernaturales tantum extrinsecè, absque infuso habitu: & sic e. g. sine habitu charitatis peccator elicit contritionem, seu actum amoris DEI super omnia, & hæreticus se convertens, sine habitu fidei elicit actum fidei, cum sola omnipotentia Divina extrinsecè applicata.

Dices 2. Actus supernaturalium virtutum, vel etiam visionis DEI intuitivæ, aut amoris beatifici, continentur aliquo modo intra spheram intellectus, & voluntatis, quatenus habent prædicatum cognitionis, vel volitionis: ergo iterum non est paritas. Resp. neg. cons. nam etiam quilibet effectus (in quo non ostenditur specialis repugnantia) est intra spheram obedientiam alterius creaturæ, quatenus habet prædicatum entis producibilis.

159. Dices 3. Requiritur aliqua vicinior proportio inter causam, & effectum: ergo. Resp. neg. ant. nam hæc gratiæ requiritur: neque etiam potest determinari, qualis proportio, seu convenientia requiratur; non enim requiritur, ut convenientia causa, & effectus in specie infima, ut est manifestum, aliàs substantia non potest producere accidens, nec intellectus cognitionem: neque requiritur, ut effectus conveniat in specie infima cum effectibus aliis, qui naturaliter producuntur à causa; nam e. g. cum cognitione naturali, quæ naturaliter producit ab intellectu, non convenit in specie infima cognitio supernaturalis: & tamen ad hanc producendam habet intellectus potentiam obedientialem, seu elevabilem &c. Sanè quidquid dicatur, dicitur divinando, & gratis, dum interim nos de DEO gloriosius sentimus, nec ejus potentiam restringimus, ut restringunt adversarii.

Dices 4. Requiritur saltem, ut actus exigat produci ab hac causa; sicut actus fidei exigat produci ab intellectu: atqui hoc non exigat effectus quilibet, qui per potentiam obedientialem juxta nos deberet posse produci: ergo. Resp. neg. ma. quæ sine omni probatione prorsus gratis asseritur.

Dices 5. Fides nos cogit, ad admittendam elevat.

elevabilitatem intellectus, & voluntatis, in ordine ad aliquos actus supernaturales: non autem nos cogit, ad admittendam elevabilitatem cujusunque naturalis potentie ad quoscunque actus: ergo ista non debet admitti. Resp. neg. conf. nam hac ratione non probatur repugnantia alterius elevabilitatis: sed tantum probatur major necessitas admittendæ elevabilitatis intellectus ad fidem &c. quæ tamen elevabilitas aliam non excludit.

ARTICULUS II

Solvuntur Objectiones.

160. **O**B. 1. contra 1. conclus. S. Cyprianus *serm. de pedum ablutione* ait: *Ipse summus sacerdos sui est sacramenti institutor, & auctor: in cæteris homines spiritum S. habuere doctorem*: ergo Christus tantum instituit SS. Eucharistiam. Confirm. Magister sententiarum Petrus Lombardus *l. 4. dist. 23. §. 2. A quibus institutum.* ait: *Sacramentum unctionis infirmorum ab Apostolis institutum legitur.* item Alenis *4. p. q. 24. memb. 1.* dicit, sacramentum confirmationis post mortem Apostolorum institutum esse ab Ecclesia in Concilio Meldensi, & *p. 4. q. 59. memb. 3.* idem videtur dicere de sacramento poenitentia, quoad contritionem, & satisfactionem. S. Bonaventura autem *in 4. dist. 17. p. 2. a. 1. q. 3. in corp.* videtur dicere, quod sacramentum poenitentia quidem quoad absolutionem sit institutum à Christo, non verò quoad confessionem: ergo non omnia sacramenta sunt instituta à Christo.

Resp. neg. conf. nam per illa verba in *cæteris*, à S. Cypriano non intelliguntur sacramenta, sed ritus, seu ceremonie, in administratione hujus sacramenti adhibendæ, vel etiam alia, quæ vocantur sacramentalia. Adde, quod per illa verba *sui sacramenti*, non videatur intelligi tantum sacramentum Eucharistia, sed quodlibet sacramentum: quasi diceretur: *Ipse summus sacerdos omnis sui sacramenti est institutor.* Certè, quæ præmittuntur de baptismo, ordinatione, &c. omnino indicant, hæc sacramenta etiam intelligi sub verbis *sui sacramenti*.

Ad confirm. Resp. illos auctores fortè explicari posse de promulgatione; sicut enim lex antiqua dicitur lex Moysis, licet eam Moyses tantum promulgaverit: sic fortè juxta hos auctores sacramenta possunt dici sacramenta Apostolorum, & aliquo modo improprio ab Apostolis instituta; licet isti ea tantum promulgaverint. Si autem illi auctores aliter sensissent, non possent nunc post tot definitiones Conciliorum amplius defendi.

Quod dicitur de confirmatione, refertur sufficienter testimonio S. Dionysii Areopagita, S. Cypriani, Tertulliani, & aliorum plurium veterum, qui longè vixerunt ante Concilium Meldense, & jam confirmationis meminerunt. Eorum verba exhibet Bellarminus *tom. 3. controu. 2. l. 2. de confirmat. c. 3. 4. 5. & 6.* Concilium Meldense autem

non aliud statuit, quam (prout habetur *C. Ut Episcopi. 7. dist. 5. de consecrat.*) ut Episcopi, accedentes ad administrandum sacramentum confirmationis, jejuni sint: sicut Concilium Aurelianense statuit, ut fideles ad illud recipiendum jejuni, & confessi accedant, ut habetur *C. Ut jejuni. 6. ead. dist.*

161. **O**B. 2. contra 2. conclus. Illa potentia obediencialis, nec esset naturalis, nec supernaturalis: ergo est impossibilis, prob. ant. non esset naturalis; quia extenderetur ad effectus supernaturales, ad quos potentia naturalis non potest extendi: non esset supernaturalis; quia esset identificata cum rebus naturalibus: ergo. Confirm. Illa potentia non esset materialis, nec spiritalis; ergo nulla, prob. ant. non esset materialis; quia deberet posse producere effectus spirituales, quod non competit enti materiali: non esset spiritalis; quia esset identificata cum omnibus entibus materialibus: ergo. Resp. 1. om. ant. neg. conseq. potest enim dici, quod potentia obediencialis ut media, inter potentiam strictè naturalem, & strictè supernaturalem; quia per ens strictè supernaturale intelligitur illud, quod non potest produci à causis naturalibus; cum tamen hæc potentia, utpote identificata omnibus effectibus creatis, producatur à causis naturalibus. Per potentiam strictè naturalem autem intelligitur potentia, quæ exigit posse effectum suum naturaliter producere: non autem potentia obediencialis exigit, posse naturaliter producere suos effectus, ad quos elevatur.

162. **R**esp. 2. neg. ant. & dico, hanc potentiam esse, in sensu saltem latiori, dicendam naturalem. ad prob. dist. illat. potentia naturalis non potest extendi ad actus supernaturales, ita, ut eos producat naturaliter, & ut non elevata. conc. ant. non potest ad eos extendi, ita, ut producat eos, quando elevatur. neg. ant. Certè etiam juxta aduersarios potentia intellectiva, & volitiva in homine, est naturalis; quamvis ut elevata extendatur ad actus supernaturales. Ad confirm. neg. ant. Illa potentia talis est, qualis est res, cui identificatur. ad prob. neg. quod effectus spiritalis non possit produci ab ente materiali elevato, licet fors non possit produci ab hoc, ut non elevato. Si surgeas: ergo actio, productiva entis spiritalis, esset materialis; responderetur, hoc non sequi, si actio non recipiatur in ente materiali: si autem actio talis recipiatur in ente materiali, & simul sit passio, ita, ut ens spirituale generetur ex materiali, non erit absurdum, admittere, quod talis actio sit materialis: sicut non est absurdum, quod actio productiva substantia sit accidens: & actio productiva entis absoluti sit modalis.

163. **O**B. 3. Juxta nos ens naturale posset producere ens supernaturale, imò ipsam gratiam: hoc videtur fuisse erroneum dogma Pelagii: ergo. Confirm. Ens naturale haberet saltem partialem virtutem producendi ens supernaturale (sicut equus habet partialem virtutem trahendi currum, licet se solo non possit eum trahere) hoc est falsum: ergo. Resp.

Resp. dist. ma. Ens naturale posset producere ens supernaturale, accedente elevatione supernaturali. conc. ma. sine ista. neg. ma. & dist. sic mi. neg. conf. Hoc nullatenus est Pelagianum, sed debent id omnes admittere, in intellectu, & voluntate, producente in se actus supernaturales; nam ex Tridentino *sess. 6. can. 4.* habetur, quod voluntas (quæ est potentia naturalis) à DEO mota, & excitata per gratiam, cooperando cum ista, aliquid supernaturaliter agat; nam anathematizatur dicens, liberum arbitrium *velut inanime quoddam nihil omnino agere, merique passivè se habere.*

Ad confirm. neg. ant. Habet quidem ens naturale aliquam virtutem inadæquatam, seu inchoatam, non strictè, sed tantum latè naturalem, & elevabilem ad effectus supernaturales: non autem habet talem virtutem inadæquatam respectu effectuum supernaturalium, qualem habet equus respectu currus trahendi; hic enim habet virtutem inadæquatam strictè naturalem, & talem, ut concursus alterius concausæ sit ipsi naturalis, & indeterminatè debitus: at verò concursus DEI, elevans potentiam obediencialem, est huic profus indebitus.

164. **O**B. 4. Inter causam, & effectum debet dari proportio: atqui inter causam naturalem, & effectum supernaturalem, non datur proportio: ergo causa naturalis non potest esse causa effectus supernaturalis. Confirm. Si ens naturale nihil recipit intrinsecè, sed tantum elevatur extrinsecè, per omnipotentiam DEI, manet semper intrinsecè improporcionatum: ergo non potest producere ens supernaturale, sed tantum omnipotentia DEI se sola istud producat. Resp. dist. ma. Inter causam, & effectum, debet dari proportio adæquata & connaturalis. neg. ma. aliqua inadæquata, sive tantum inchoata, seu debet dari ex parte causæ aliqua elevabilitas ad effectum. conc. ma. & dist. mi. inter causam naturalem, & effectum supernaturalem, non datur proportio adæquata, & connaturalis. conc. mi. non datur proportio inadæquata, sive tantum inchoata, seu aliqua ex parte causæ elevabilitas ad effectum. neg. mi. & dist. etiam conseq. causa naturalis non potest naturaliter esse causa effectus supernaturalis. conc. conseq. non potest supernaturaliter esse causa effectus supernaturalis. neg. conf.

165. **A**d confirm. neg. suppositum, quod ens naturale sit omnimodè improporcionatum, vel quod magis debeat esse improporcionatum, quam suo modo inadæquatè, inchoativè, & ita, ut possit elevari. Est quidem verum, quod potentia obediencialis per elevationem tantum extrinsecam non acquirit intrinsecè majorem virtutem: sed habet jam requisitam; & ista dein adjuvatur ab omnipotentia extrinsecè applicata. Sic calamus rudis, etsi non habeat tantam virtutem, seu aptitudinem, ut mediocri scriptor possit cum ea eleganter scribere, habet tamen tantam inchoativè, ut scriptor artificiosissimus possit cum ea elegantissimè scribere. Sic

pygmæus impotens, se solo elevare pondus, habet virtutem inchoatam; ut possit juvari à gigante.

Jam, si pygmæus juvetur à gigante, elevatur suo modo extrinsecè ad pondus tollendum; neque solus gigas agit, sed etiam pygmæus; etsi enim gigas posset, se solo totum agere, tamen non vult, sed se accomodat pygmæo. Pariter suo modo se habet omnipotentia, respectu potentia obediencialis elevata; (nam etiam omnipotentia non vult, se sola agere) hoc tamen discrimine, quod concursus gigantis sit naturalis pygmæo: non verò concursus omnipotentia in ordine ad effectum supernaturalem sit naturalis rei elevata; ut dictum *n. 163.* quod tamen discrimine, in ordine ad hanc objectionem, est tantum discrimen materiale.

166. **O**B. 5. Juxta nos quælibet res posset producere effectus infinitos: ergo haberet potentiam infinitam, seu esset omnipotens. Confirm. Quælibet res specificaretur ab infinitis objectis, adeoque haberet respectus infinitos: hoc est supra perfectionem rei creatæ: ergo. Resp. dist. antec. quælibet res posset producere naturaliter effectus infinitos. neg. ant. supernaturaliter tantum, & quidem duntaxat syncategorematicè infinitos. conc. ant. & neg. conf. Ex hoc autem tantum colligitur, DEUM, qui potest elevare creaturam ad infinitos effectus, & cui naturale est, posse producere infinita, esse omnipotentem, & infinitum: minime autem, ipsam creaturam esse infinitam.

Ad confirmationem neg. 1. p. ma. Non specificatur ullum ens creatum ab his effectibus; cum eodem modo omnes alia creatæ causæ possint in eisdem effectus influere, si eleventur: adeoque hos effectus eodem modo respiciant: & hinc effectus isti, ut supernaturaliter tantum producibiles, non sunt proprii, & specificativi causæ determinatæ. Dein om. ma. neg. mi. non enim est supra perfectionem entis creati, respicere etiam infinitos effectus, supernaturaliter tantum à se inadæquatè producibiles, seu non ex virtute strictè naturali, sed tantum posita elevatione supernaturali producendos. Quidquid sit de alia questione, an scilicet sit supra perfectionem entis creati, respicere effectus infinitos naturaliter producibiles, de qua agunt philosophi, dum agunt de immortalitate animæ rationalis.

167. **O**B. 6. Creatura ita elevata non ageret ut instrumentum, sed ut causa principalis, effectuum supernaturalium: hoc non potest admitti: ergo. prob. ma. instrumentum DEI, agentis supernaturaliter, debet procedere à DEO ut supernaturaliter agente: atqui creatura, habens identificatam potentiam obediencialem, non procedit à DEO ut supernaturaliter agente, sed ab eo ut auctore naturæ: ergo. Resp. neg. ma. ad prob. neg. ma. Inprimis non debet artifex facere sua instrumenta; nec enim sartor facit acum, & forficem, nec scribarius ferram, aut dolabram, nec anima producit speciem externam, cum qua tamen ut instrumento pro-

producit speciem internam, seu phantasma; unde neque opus esset, præcisè ob hanc rationem, ut creatura procederet, vel produceretur à DEO ut auctore naturæ; multò minus necessarium est, ut procedat ab eo ut auctore supernaturali.

168. Neque etiam opus est, ut instrumentum physicum (de artificialibus est aliud) recipiat semper motum intrinsicum prævium ab agente principali, ut probatur iterum ex specie externa, concurrente instrumentaliter cum anima. Ratio ergo instrumenti physici stat in hoc, quòd non efficiat effectum, virtute omnino proportionata, nec sit ejusdem, vel eminentioris ordinis cum effectu in perfectione, adeoque ipsum efficere nequeat, nisi ut substans superiori concursui principalis agentis, atque suppletis defectum: & siquidem sit instrumentum tantum obedientiale, debeat subistere concursui principalis causæ sibi indebito. Juxta hanc explicationem potest quoque cum Eximio, & Gormaz defendi, animam rationalem esse tantum causam instrumentalem, respectu actuum supernaturalium, etiam vitalium, & liberorum; quia neutrum prædicatum requirit, ut anima agat principaliter.

169. Ob. 7. Hæc potentia obedientialis esset essentialiter frustranea: ergo implicat. prob. ant. nunquam potest naturaliter prodire in suum actum: ergo. Confirm. 1. Semper adest omnipotentia DEI, quæ se sola potest producere omnem effectum: ergo ista potentia obedientialis non est intendibilis à DEO ut medium ad productionem effectus: sed neque etiam est intendibilis tanquam finis, ut videtur per se patere: ergo. Confirm. 2. Hanc potentiam obedientialem non possemus cognoscere ex effectibus: sed de ratione causæ est, ut possit ex effectibus cognosci: ergo. Resp. neg. ant. ad prob. conc. antec. neg. conseq. Hoc ipsum, quòd finis potentia obedientialis non sit, prodire naturaliter in effectum, non requiritur ad ejus finem, ut hoc possit: sed, cum finis ejus sit, supernaturaliter tantum prodire in effectum, sufficit, si hoc possit: & hinc finem suum sufficienter obtinet, si producat effectum ut elevata.

170. Nec dicas, quòd DEUS in omni prædicato, entibus naturalibus intrinseco, etiam ut formaliter distincto ab aliis, debeat semper intendere finem naturaliter obtinibilem; nam hoc prorsus gratis dicitur, & patet esse falsum in potentia passiva, quam habet anima ad recipienda dona supernaturalia: imò etiam falsum est in potentia activa, quam habet eadem anima, ad producendos actus supernaturales fidei, charitatis &c. Ad r. confirm. neg. i. conseq. DEUM decet habere plura media, per quæ pro libitu possit producere, quidquid vult, & quomodo ei placet; aliis, cum omnipotentia DEI semper adit, neque posset dari in causis creatis ulla vis naturalis agendi; quia eodem modo esset superflua. Adj. confirm. neg. mi. Plurimæ sunt causæ, etiam naturales occultæ, quarum, licet effectus videamus, eas

tamen necdum scimus, ut fatentur facile philosophi: ergo multò minus debemus, ex effectibus semper posse colligere potentias tantum obedientiales. videatur circa hanc objectionem Haunoldus l. 4. tit. 2. c. 3. contr. 2. n. 582.

ARTICULUS III.

Quot sint Sacramenta à Christo instituta.

171. Inter præcipuas Ecclesiæ veræ notas, ut ipsi fatentur hæretici, est consensus in doctrina sacramentorum: & sanè scire media primaria nostræ salutis, non est inter infima fidei nostræ capita: attamen hæretici quoad hoc dogma inter se mirè dissentiant. Lutherus de captiv. Babyl. dicit, unum tantum esse sacramentum, si secundum usum Scripturæ loquendum sit: addit, negandum esse, quòd sint septem, & tria pro tempore ponenda, scilicet baptismum, panem, & pœnitentiam. At verò in fine libri ejusdem dicit, si rigidè loqui velimus, duo esse sacramenta, baptismum, & panem. Econtra in medio libri cap. de confirmatione ait, se non damnare septem sacramenta: sed tantum negare, ea ex Scripturis probari posse; cum tamen initio dixerit, ea esse neganda. Ex hac Lutheri inconstantia variæ natæ sunt hæreses.

172. Primus igitur error Luthero peculiaris est, unum esse tantum sacramentum, in quo non habuit sequaces. Secundus est ejusdem docentis, duo tantum esse, scilicet baptismum, & Evcharistiam, in quo secuti sunt eum Melanchton, Illyricus, Kemnitius, & alii. Tertius est eorum, qui duobus his addunt tertium, scilicet pœnitentiam: & hic numerus sacramentorum est Lutheranis communior, ut patet ex pluribus eorum catechismis. Quartus error est Zvinglii; qui quidem ab initio l. de vera, & falsa relig. c. de sacramentis. admisit duo, baptismum & cœnam: postea verò c. de matrimonio etiam hoc dixit esse sacramentum: adeoque tria sed non eadem omnia cum Lutheranis admisit. Quintus error est Calvinii l. 4. instit. c. 19. & in antidoto Concilii Trident. sess. 7. adstruentis alia tria sacramenta, nempe baptismum, cœnam, & ordinem. Sextus est Melanchtonis, mutantis priorem sententiam in locis editis an. 1536. & admittentis quatuor sacramenta, nempe baptismum, cœnam, pœnitentiam, & ordinem. Imò postea iterum mutavit sententiam, ac admisit quinque sacramenta; addidit enim prioribus matrimonium cum Zvinglio.

173. Dico. Dantur septem, & non plura, nec pauciora, verè, & propriè, novæ legis sacramenta. ita Catholica fides. Dico nova legis; nam de numero sacramentorum legis antiquæ nihil certi statutum est, & fuisse longè plura docet S. Thomas 3. p. 2. q. 65. a. 1. ad 4. de quo vide supra n. 14. Numerum autem septenarium sacramentorum novæ

væ legis expressè definit Tridentinum sess. 7. de sacram. in genere can. 1. quem citavit minus n. 151. Eundem numerum septenarium sacramentorum jam priùs etiam docuit Florentinum in Decreto Eugenii pro Armenis, ubi eadem septem sacramenta, cum suis materiis, & formis, enumerantur, ut videre est in ejus verbis, citatis n. 10. & 35. ac seq. Insuper hæc veritas est confirmata antiquissima traditione, ab Apostolis derivata, potèstque ex Scripturis, & Patribus probari.

Quamvis autem in Scripturis non exprimitur hic numerus, sicut nec numerus miraculorum Christi, ibidem recentiorum, re ipsa tamen exprimitur hoc, quòd hæc septem sint verè, & propriè sacramenta, quòd sufficit; nam multò minus Scriptura docet numerum binarium, vel ternarium sacramentorum, quem adversarii adstruunt. Quòd autem non sint plura sacramenta, habetur ex Concilio Tridentino, & Florentino, quæ tacite interpretantur in hunc sensum Sacramentum Scripturam, & quidem infallibiliter, ob assistentiam Spiritus S.

174. Dein hic numerus septenarius sacramentorum rectè colligitur ex eo, quòd S. Scriptura, si alia adhuc essent, ea non tacuisset: & sic etiam, & non aliter, probatur ex Scripturis, in DEO dari tantum tres Personas, aut solum Filium esse incarnatum. Sed neque adversarii jure petere possunt, ut in Scripturis ostendamus, his omnibus septem additam esse vocem sacramentum; cum nec baptismum, nec Evcharistiæ, inveniatur addita, de quibus tamen etiam ipsi non dubitant, esse sacramenta: sufficit igitur, quòd ostendamus, istis septem, & non aliis, convenire id, quòd generaliter requirunt omnes ad sacramentum: scilicet, quòd sint sacri ritus, seu signa sensibilia, quæ ex Divina institutione habeant annexam promissionem gratiæ. Igitur

175. Baptismi ritus expressus est ad Ephes. 5. v. 26. ubi Christus sanctificans fideles, seu Ecclesiam, dicitur, Mundans lavacro aqua in verbo vite. Institutio, & mandatum Joan. 3. v. 5. Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non potest introire in regnum DEI. & Matth. 28. v. 19. Baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Promissio gratiæ Marci 16. v. 16. Qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit. Quòd attinet ad SS. Patres, pleni sunt eorum libri de ritu, mandato, & effectu baptismi.

Confirmationis ritus exprimitur Act. 8. v. 17. scilicet impositio manuum, quæ, ut diximus n. 69. erat conjuncta cum unctione chrismatis. Promissio gratiæ, & effectus refertur ibidem: Accipiebant Spiritum Sanctum. Institutio, ac mandatum, colligitur ex eo; quòd Apostoli alias non ita confidenter hoc ritu usi fuissent ad dandam gratiam; cum utique sciverint, hominem non posse instituere caremoniam, gratiæ infallibiliter collativam. Quòd spectat ad Patres, sanè Tertullianus de resurrectione carnis c. 8. ponit confirmationem in eodem ordi-

ne cum SS. Evcharistia, uti etiam S. Cyprianus, qui l. 1. ep. 12. vel juxta aliam editionem ep. 70. & l. 2. ep. 1. vel ep. 72. confirmationem modò vocat unctionem, modò manus impositionem. S. Augustinus l. 2. contra literas Petilian. c. 104. ait: Sacramentum chrismatis . . . in genere visibilium signaculorum sacrosanctum est, sicut ipse baptismus.

176. SS. Evcharistiæ ritus habetur Matth. 26. v. 26. & 1. Cor. 11. v. 23. & 24. Accipit panem, & gratias agens fregit &c. Institutio, & mandatum ibidem v. 24. Hoc facite in meam commemorationem. Promissio gratiæ Joan. 6. v. 59. Qui manducat hunc panem, vivet in æternum. Patres etiam de SS. Evcharistiæ mensa, ejusque participandæ præcepto, atque ejus copioso influxu gratiæ, mentionem frequentissimè faciunt, ut notum est insipienti eorum volumina.

Pœnitentiæ ritus externus, qui est judicialis absolutio, ejusque institutio, habetur Joan. 20. v. 23. Quorum remisistis peccata, remittuntur eis: & quorum retinueritis, retenta sunt: quibus verbis etiam explicatur promissio gratiæ; nam ipsa gratia est peccatorum remissio. Mandatum habetur ibidem v. 21. Sicut misit me Pater, & ego mitto vos. & 2. ad Cor. 5. v. 18. ubi Apostolus de DEO dicit: Dedit nobis ministerium reconciliationis. Rursus de pœnitentia, tanquam de sacramento, loquuntur SS. Patres passim.

Sic S. Ambrosius l. 1. de panis. c. 7. pœnitentiam comparat baptismum, & utrumque vocat mysterium. S. Augustinus de baptismo contra Donatistas l. 3. c. 20. ait: DEUS adest sacramentis, & verbis suis, per qualeslibet admittuntur: & inferius eod. cap. Si ergo ad hoc valet, quòd dictum est in Evangelio: DEUS peccatorem non audit: ut per peccatorem sacramenta non celebrentur: quomodo exaudit homicidam deprecantem, vel super aquam baptismi, vel super oleum, vel super Evcharistiam, vel super capita eorum, quibus manus imponitur: ergo sentit, ipsa esse sacramenta, & quidem verè, ac validè talia, etsi per peccatorem admittuntur. Verosimiliter autem hic S. Augustinus per manus impositionem intelligit pœnitentiam.

Verùm de pœnitentia, tanquam sacramento, clariùs adhuc loquitur sequenti cap. 21. sic agens: Quapropter sacramentum gratia dat DEUS etiam per malos: ipsam verò gratiam non nisi per seipsum facit, vel per illius columbae membra, quibus ait: Si cui dimiseritis, dimittentur: si cui tenueritis, tenebuntur. Ubi expressè loquitur de pœnitentia, de qua sola intelliguntur verba: Si cui dimiseritis &c. eamque vocat sacramentum gratiæ: & certè eodem sensu eam vocat sacramentum, quo sacramentum vocavit cap. præced. baptismum, & Evcharistiam, &c.

177. Extremæ unctionis ritus habetur Jacobi 5. v. 14. Orent super eum, ungen-

res cum oleo in nomine Domini. Additur mox v. 15. promissio gratiæ: *Et alleviabit eum Dominus. & si in peccatis sit, remittentur ei.* Mandatum colligitur ex eo, quod sine hoc Apostolus hunc ritum non promulgasset.

Ex Patribus S. Innocentius I. epistola 1. ad Decentium Episcopum Eugubinum (qua habetur tomo 1. Conciliorum Severini Simii) c. 8. vocat extremam unctionem genus sacramenti, dum ait: *Nam, quibus reliqua sacramenta negantur, quomodo unum genus putatur posse concedi?* S. Augustinus citatus n. preced. dum aquæ baptismi, & Eucharistiæ, ac manûs impositioni, tanquam sacramentis, jungit oleum, rectè intelligitur de sacramento extremæ unctionis. videatur etiam Bellarminus tom. 3. contro. 5. l. de extrem. unctione c. 4.

Ordinis ritum habemus impositionem manuum 2. ad Tim. 1. v. 6. & ibidem promissionem gratiæ: *Admoneo te, ut resuscites gratiam DEI, qua est in te per impositionem manuum mearum.* Institutio, & mandatum ordinis habetur ad Ephesios 4. v. 11. *Ipsè dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem prophetas, alios verò Evangelistas, alios autem pastores, & doctores, ad consummationem sanctorum, in opus ministerii &c.* & Act. 20. v. 28. *Attendite vobis, & universò gregi, in quo vos posuit Spiritus Sanctus Episcopos, regere Ecclesiam DEI.* Ex Patribus S. Augustinus contra epistolam Parmeniani l. 2. c. 13. loquens de baptismo, & potestate ordinaria baptizandi, seu de ordine, ait: *Utrumque enim sacramentum est, & quandam consecratione utrumque homini datur: illud, cum baptizatur: istud, cum ordinatur.* Plures alios videre est apud Bellarminum tom. 3. contro. 5. l. de ordine c. 3.

178. Matrimonii tandem ritus externus est contractus inter personas habiles, visibili signo expressus. De hoc sacramento dicit Apostolus ad Ephes. 5. v. 32. *Sacramentum hoc magnum est: ego autem dico, in Christo, & in Ecclesia:* id est: sacramentum matrimonii inter fideles magnum est; quia significat conjunctionem Christi cum Ecclesia; neque enim textus hic explicandus est de conjugio Adami tantum; quia, licet verba præcedentia v. 31. *Propter hoc relinquet homo patrem, & matrem suam, & adheret uxori suæ:* accepta sint ex Gen. 2. v. 24. ubi referuntur ea ab Adam dicta, tamen hic ea non dixit de suo conjugio; nec enim ipse potuit relinquere suum patrem; cum nullum habuerit: sed dicta sunt de conjugio fidelium, de quo etiam verba à nobis adducta: *Sacramentum hoc magnum est &c.* explicant Patres, præsertim S. Augustinus l. de nuptiis, & concupisc. c. 21.

Nec dicas, hunc textum explicandum esse de Christo, & Ecclesia, quasi eorum conjunctio sit magnum sacramentum; contra enim est. Inprimis S. Augustinus, & alii Patres, hunc textum explicant de conjugio fidelium. Dein, cum Apostolus dicat *sacra-*

mentum hoc, certè loquitur de eo conjugio, de quo immediatè antè locutus est: locus est autem immediatè antè de conjugio fidelium; unde illud in Christo, & in Ecclesia, (quod in Græco sonat, in Christum, & in Ecclesiam) significat, quòd Christus, & Ecclesia, sint quasi termini, in quos significandos tendit mysteriosum hoc conjugium, seu matrimonium Christianorum. Kurfus hortatur ibi Apostolus conjuges, ut se invicem diligant, afferendo hanc rationem; quia scilicet ipsorum conjunctio est sacramentum magnum: si autem tantum conjunctio Christi cum Ecclesia fuisset sacramentum magnum, argumentatio Apostoli vim non haberet, vide Bellarminum tom. 3. contro. 5. l. de matrim. c. 2.

Equidem ex hoc textu non inferitur, quòd matrimonium quodlibet sit sacramentum, in eo sensu stricto, in quo sacramentum sumitur, quando agitur de sacramentis novæ legis (nam neque matrimonium Adami, nec matrimonia fidelium in antiquo testamento, fuerant in hoc sensu sacramenta) sed tantum inferitur, quòd sit signum rei sacræ: cum autem ulterius de matrimonio novæ legis ostendatur, quòd fuerit institutum à Christo, & habuerit annexam promissionem gratiæ, sufficienter ostenditur, matrimonium in nova lege esse sacramentum in sensu stricto.

179. Institutio autem hujus sacramenti habetur Matth. 19. v. 6. in illis verbis: *Quod ergo DEUS conjunxit, homo non separet.* Promissio gratiæ colligitur ex eodem c. 5. ad Ephes. ubi Apostolus hortatur conjuges ad mutuam conjunctionem, non tantum carnalem, sed etiam spiritualement, per gratiam, & charitatem; ut scilicet ita invicem jungantur, sicut Christus Ecclesia conjunctus fuit, per gratiam, & charitatem, ut significatio sit perfecta. Jam verò, si DEUS duas personas in hunc finem spiritualement conjungit, sine dubio gratiam eis largitur, sine qua finem illum obtinere nequeunt. Confirm. ex 1. ad Timoth. 2. v. 15. ubi de muliere dicitur: *Salvabitur autem per filiorum generationem:* hoc est, in generatione, aut in statu ad generationem ordinato, seu in conjugio.

Passim etiam SS. Patres docent, matrimonium esse sacramentum. S. Augustinus de nupt. & concupisc. l. 1. c. 19. de matrimonio ait: *Hujus procul dubio sacramenti res est, ut mas, & femina, connubio copulati, quamdiu vivunt, inseparabiliter perseverent.* Idem l. de bono conjugali c. 18. ait: *In nostrarum quippe nuptiis plus valet sanctitas sacramenti, quam fecunditas uteri.* & c. 24. de matrimonio loquens ait: *In sanctitate sacramenti, per quam nefas est, etiam repudio discedentem alteri nubere, dum ejus vir vivit &c.*

Addo tandem, quòd, etsi non de omnibus septem sacramentis posset ex Scripturis clarè ostendi institutio, promissio gratiæ &c. tamen ea, generaliter satis ostendatur ex Act. 1. v. 13. ubi dicitur, quòd Christus post

post resurrectionem egerit cum Apostolis per dies quadraginta, apprensus eis, & loquens de regno DEI: id est, de constituenda Ecclesia; utique enim tunc etiam egerit de sacramentis, ac ea instituerit, & explicaverit: quæ dein per traditionem ad nos pervenerunt.

180. Numerus insuper septenarius sacramentorum probatur efficaciter ex consensu jam antiquissimo totius Ecclesiæ. Certè jam ante annos ferè sexcentos Petrus Lombardus Episcopus Parisiensis, dictus Magister sententiarum, docuit, & cum eo Theologi omnes, septem esse sacramenta. Nec id docuerunt, quasi aliquid novi: sed tanquam aliquid, quod antiquissimo jam Ecclesiæ usû, & traditione esset receptum. Nec ab eo tempore ulli, etiam hæretici, usque ad Lutherum, de hoc dubitarunt. Sanè, si hic septenarius numerus reverà non subsisteret, Ecclesia tempore longissimo, in gravissimo errore fuisset: vel ratione superstitionis, si credidisset plura sacramenta, quàm essent: vel ratione impietatis, si credidisset pauciora: cumque hic error pertinuerit ad praxin fidelium, fuisset valde perniciosus. Hanc rationem meritò gravissimam censet S. Hieronymus dialogo contra Luciferianos c. 4. ubi Luciferianum sic loquentem inducit: *An nefcis, etiam Ecclesiarum hunc esse morem, ut baptizatis postea manus imponantur, & ita invocetur Spiritus Sanctus? Exigis, ubi scriptum sit? in actibus Apostolorum. Etiam si Scripturæ auctoritas non subesset, totius orbis in hanc partem consensus instar præcepti obtineret:* quæ dicta de Ecclesiæ more, & consensu orbis, locum præcepti obtinent, S. Pater minimè refellit sub nomine Orthodoxi, quem cum Luciferiano disputantem inducit; quia scilicet eam veritatem tam certam habuit, ut nec cum hæreticis de ea lis fuerit.

181. Addi his rationibus solent congruentiæ aliquæ, quæ quidem seorsim non essent adèd efficaciæ: sed tamen, supposita fide, congruenter rem istam declarant. Prima est desumpta à similitudine vitæ corporalis cum spirituali. In illa requiruntur ex parte singulorum hominum tria per se, scilicet generatio, augmentatio, nutritio: per accedens duo, scilicet medicina contra morbos, & reparatio virium deperditarum. Ex parte verò communitatis requiruntur duo, scilicet patres, qui vitam corporalem progignant in filiis: & magistratus, qui eam ordinent. Similiter ista requiruntur ad vitam spiritualement. Hinc baptismus est spiritualis generatio: confirmatio est augmentatio: SS. Eucharistia est nutritio: poenitentia est medicina: extrema unctio est remedium contra reliquias morborum spiritualium, & reparatio virium: per matrimonium gignuntur homines ad cultum DEI: per ordinem verò magistratus Ecclesiastici constituuntur.

182. Secunda congruentia desumitur ex septem vulneribus nostris, quibus septem sacramenta medentur. Sic baptismus est contra peccatum originale: poenitentia contra

actuale: extrema unctio contra reliquias peccati: confirmatio contra infirmitatem: SS. Eucharistia contra malitiam: matrimonium contra concupiscentiam: ordo contra ignorantiam. Tertia congruentia deducitur ex numero septem virtutum, quibus septem sacramenta respondent; nam baptismus respondet fidei: extrema unctio spei: Eucharistia charitati: poenitentia justitiæ: confirmatio fortitudini: ordo prudentiæ: matrimonium temperantiæ. Addi solet quarta ex celebritate numeri septenarii in expiationibus Exod. 29. v. 35. & 37. & Levit. 4. v. 6. & seq. unde etiam Naaman Syrus septies lavari in Jordane est jussus 4. Reg. 5. v. 10.

ARTICULUS IV.

Solvuntur Objectiones.

183. **O**B. 1. Alexander I. Papa vocat aquam benedictam sacramentum. S. Augustinus l. 19. contra Faustum. c. 14. etiam signum crucis vocat sacramentum. Idem S. Doctor de symbol. ad catechum. l. 4. c. 1. vocat sacramenta cæremonia, ante baptismum adhiberi solitas, exorcismos, & similia. Item S. Ambrosius l. 3. de sacrament. c. 1. S. Bernardus serm. in cæna Domini. S. Cyprianus serm. de ablut. pedum. volunt lotionem pedum esse sacramentum: ergo plura sunt sacramenta, quàm tantum septem. Confirm. Lotioni pedum conveniunt omnia, quæ juxta nos requiruntur ad sacramentum: ergo. prob. ant. inprimis ejus ritus externus habetur Joann. 13. v. 4. & seq. Institutio, & mandatum ibidem v. 14. *Et vos debetis alter alterius lavare pedes; exemplum enim dedi vobis, ut quemadmodum ego feci vobis, ita & vos faciatis.* Promissio gratiæ habetur eod. c. v. 8. in illis verbis: *Si non laverote, non habebis partem mecum.* Potest addi, fuisse etiam mysterium ob illa verba Christi ibidem v. 7. *Quod ego facio, tu nefcis modo: scies autem postea:* ergo.

Resp. neg. conseq. Aqua benedicta, signum crucis, exorcismi, & alia cæremonia, impenduntur necdum baptizatis, ut constat ex eodem S. Augustino de symbolo ad catechumen. l. 4. c. 1. & tamen ante baptismum non potest conferri ullum aliud sacramentum strictè dictum; cum baptismus sit juxta omnes omnium primum. Denique nihil istorum habet promissionem gratiæ gratum facientis: neque constat, an à Christo instituta sint, an ab Apostolis; cum tamen sacramenta strictè dicta à Christo solo fuerint instituta; unde SS. Patres aliquando vocem sacramentum sumpsere in significatione latiori, quemadmodum etiam id faciunt Scripturæ: quod tunc fieri clarè colligitur, quando iis rebus hæc vox tribuitur, quorum etiam catechumeni sunt capaces, quæque gratiæ promissionem non habent annexam.

184. Quod attinet ad lotionem pedum, S. Ambrosius non putavit, eam esse strictè dictum sacramentum; quia loco cit. num. preced.

præced. dicit, quod Ecclesia Romana non habeat consuetudinem pedes lavandi: quam tamen Ecclesiam propterea non reprehendit, a-jens: *Hoc ideo dico, non quod alios reprehendam, sed mea officia ipse commendem*: debuisset autem eam reprehendere, si sacramentum strictè dictum omisisset. S. Bernardus tantum illam lotionem pedum, quam Christus fecit Apostolis, vocat sacramentum: & neque istam vult esse sacramentum in sensu stricto; quia non fuit stabile signum: sed tantum in sensu lato, tanquam signum rei sacræ; quia per illam significabatur aliquid sacram, quod in nobis debet quotidie fieri, scilicet expiatio culparum quotidianarum venialium; unde S. Bernardus, ut clarum est legenti, *sub finem sermonis* nos hortatur, non ad lotionem pedum materialem, sed ad aliquam metaphoricam, scilicet ad recitationem orationis Dominicæ, cui, ut ibi dicit, inserta est petitio veniæ, ut scilicet liberemur à venialibus delictis. S. Cyprianus non vocat sacramentum ipsam ablutioem, sed tantum dicit, eam factam esse, atque etiam præceptam, postquam sacramentum SS. Corporis Christi fuerit distributum: dein addit, commendatam esse etiam ablutioem; sed statim se explicat, dicens, se intelligere tantum aliquam ablutioem metaphoricam, scilicet expiationem quotidianam, nempe per pœnitentiam (neque enim vult quotidie pedes à nobis physice ablu) sic enim paulò post ait: *Quo modo omni tempore prosequenda, & repetenda sit ablutio pedum, per quam rectè cognitam, & intellectam, adherentes animæ sordēs quotidiana satisfactione lavantur*. Si autem hi Patres existimassent, lotionem pedum materialem esse verè sacramentum, ad expiandas culpas, debuissent nos hortari, ad abluendos quotidie pedes: quod minime fecerunt.

185. Ad confirm. neg. ant. saltem, quod institutio lotionis pedum, & promissio gratiæ ei annexa, habeatur ex illis textibus; illa enim verba: *Exemplum dedi &c.* tantum significant, debere nos, imitari Christi humilitatem: & illa: *Et vos debetis &c.* nunquam fuerunt ab Ecclesia accepta, quasi significarent mandatum lotionis materialis: imò nec hæretici unquam ea verba ita interpretati sunt; nec enim ipsi solent, ante communionem lavare pedes. Quod autem aliqui principes, tam sæculares, quam Ecclesiastici, id obsequii pauperibus præstent, die Jovis sacro, est prorsus arbitrarium, potestque omitti pro libitu: nec unquam quisquam principum, aut aliorum pedes lavantium, existimavit, se tunc sacramentum administrare, sed tantum exercere humilitatem. Altera verò verba: *Si non laverò &c.* non significant promissionem gratiæ, sed tantum præceptum, cui si Petrus fuisset inobediens, peccasset, & periisset. Ità explicant hunc locum S. Basilius l. 1. de baptis. c. 2. item SS. Chrysostr. & Cyrillus, apud Bellarminum tom. 3. contr. 1. de sacram. in genere l. 2. c. 24.

186. Ob. 2. Joan. 19. v. 34. dicitur, ex Christi latere profluxisse tantum sanguis, & aqua: ergo sunt tantum duo sacramenta juxta Scripturam, scilicet baptismus, qui per aquam, & SS. Evcharistia, quæ per sanguinem significatur. Confirm. ex Kemnitio. Apocal. 17. v. 7. vocatur sacramentum illa bestia, quæ septem habebat capita: ergo numerus septenarius sacramentorum pertinet ad Antichristum. Resp. neg. conseq. Est per sanguinem, & aquam, intelligerentur illa duo sacramenta, tamen non excluderentur reliqua: sicut, quando Apostolus ad Hebr. 6. v. 2. tantum recenset baptismum, & impositionem manuum (id est, juxta S. Chrysostr. Theophilactum, & alios, apud Bellarminum tom. 3. contr. 1. de sacram. in genere l. 2. c. 27. confirmationem) reliqua non excludit. Cæterum alii magni Patres, ut S. Cyrillus, & S. Hieronymus, apud eundem Bellarminum loc. modo cit. intelligunt per aquam, & sanguinem, duo baptismata, scilicet fluminis, & sanguinis. SS. Ambrosius, Augustinus, & Beda, per aquam intelligunt baptismum, per sanguinem pretium redemptionis nostræ.

Ad confirmationem. neg. conseq. Est impia, & inepta blasphemia Kemnitii. In Apocalypsi ibi non dicitur, septem capita esse septem sacramenta: sed potius dicitur, illa septem capita esse unum sacramentum; sic enim habetur cit. c. 17. v. 7. *Et dixit mihi Angelus: quare miraris? Ego dicam tibi sacramentum mulieris, & bestie, quæ portat eam, quæ habet capita septem, & cornua decem*: quod sacramentum statim explicatur v. 9. de septem montibus, & septem regionibus: adeoque ineptè hæc à Kemnitio traduntur ad septem sacramenta. Rursus in eadem nostra septem sacramenta continetur etiam baptismus: ergo etiam iste pertineret ad Antichristum, & tamen Kemnitius, omnesque hæretici admittunt, eum esse verissimè sacramentum.

187. Ob. 3. ex Calvino. S. Augustinus, & alii Patres, tantum numerant duo sacramenta: ergo non sunt admittenda plura. Confirm. 1. S. Augustinus, aliis in mysteriis numerorum enucleandis valde frequens, non explicavit numerum septenarium: ergo non arbitratus est, esse septem sacramenta. Confirm. 2. Patres recentiores, etsi ponant plura, quam duo sacramenta, e. g. S. Gregorius tria, S. Dionysius (quem Calvinus vult non esse Areopagitam, sed recentiorum) quatuor: tamen nunquam admittunt, esse septem: ergo. Confirm. 3. Patres, quando largo modo loquuntur, admittunt longè plura sacramenta, quam septem: ergo vel debent adstrui plura, quam septem, vel pauciora.

Resp. neg. ant. Nunquam dicunt SS. Patres, esse tantum duo, vel tria, vel esse pauciora, quam septem sacramenta: quantum neque hic numerus expressus apud eos reperitur; quia scilicet necesse non fuit, ut quisvis Patrum, cum de sacramentis ageret, omnia poneret; sed tantum ea, quæ con-gruebant suæ intentioni, videatur Bellarmi-

QUESTIO II.
De Ministris Sacramentorum.
ARTICULUS I.
Quis sit Minister Sacramentorum.

190. Dico 1. Minister sacramentorum de lege ordinaria est solus homo, & quidem rationis compos. ita omnes. Prob. conclusio. In primis, quod nemo possit esse minister sacramentorum, nisi sit rationis compos, probatur facile ex eo, quod nemo alius possit, habere debitam intentionem. Quod autem nemo possit esse minister sacramentorum, nisi homo, probatur sic. Christus tantum instituit homines in ministros sacramentorum: ergo hi soli sunt ministri. conseq. patet. ant. prob. quandoquæ est sermo de potestate conferendi sacramenta, semper est sermo ad homines: sic quando Christus dixit *Matth. 28. v. 19. Baptizantes eos &c.* *Luc. 22. v. 19. Hoc facite in meam commemorationem &c.* *Joan. 20. v. 23. Quorum remisistis peccata &c.* semper homines allocutus est: ergo.

188. Ad 1. confirm. retorq. arg. S. Augustinus neque explicavit numerum binarium, quem numerum sacramentis affinxit Calvinus: ergo juxta S. Augustinum non sunt tantum duo sacramenta. Resp. dein. neg. conf. Nec denarium, aut duodenarium explicavit, licet decem præcepta DEI, & duodecim symboli articulos crederet; unde non in omnibus, sed tantum in quibusdam, in quibus scilicet ei pro occasione placitum fuit, numeris explicandis immoratus fuit. Ad 2. confirm. neg. ant. Aliud est, non possitè enumerare: aliud est, non admittere; hoc enim significat negare, quod Patres non faciunt. Ad 3. confirm. neg. conf. Debet prius adversarius probare, quod SS. Patres loquendo specialiter de nostris septem sacramentis loquantur in sensu latiori: quod non probabit; cum Patres de his septem loquantur, tanquam de symbolis, consecrantibus hominem, & conferentibus gratiam.

189. Ob. ultimo ex Kemnitio. Duobus tantum convenit definitio sacramenti: ergo tantum sunt duo sacramenta. Resp. dist. ant. duobus tantum convenit definitio conficta ab adversario. conc. ant. definitio vera. neg. ant. & conf. Illa definitio, quam Kemnitius confinxit, est aperte falsa, ut videre est apud Bellarminum tom. 3. contr. 1. de sacram. in genere. l. 1. c. 14. nam dicit, debere sacramentum esse de remissione peccati, ut scilicet excludat ordinem: & tamen Evcharistia, quam omnes admittunt esse sacramentum, non est, saltem necessarîo, de remissione peccati: nec est primario per se instituta, tanquam medium ad remittendum peccatum, sed ad charitatem nutriendam, & augendam; hinc datur sub specie panis, & vini, quæ nutriunt vivos: non excitant mortuos. Hinc etiam Apostolus 1. Cor. 11. v. 28. jubet, ut quisque, antequam ad SS. Evcharistiam accedit, probet seipsum, an scilicet sit absque peccato. Vera autem nostra definitio convenit omnibus illis septem, quæ sacramenta à nobis dicuntur.

Confirm. Creaturæ irrationales non possunt ministrare sacramenta, neque Angeli: ergo solus homo, antec. quod i. p. est clarum; quia in irrationalibus ad minimum deficit necessaria intentio. prob. quoad 2. partem. Angeli non possunt verè loqui, nec vitaliter verba proferre, ut docet S. Thomas 1. p. q. 51. a. 3. ad 4. atqui in ministris sacramentorum requiritur verà locutio, vitaliter prolata, tanquam forma necessaria ad conficienda sacramenta: ergo. mi. colligitur ex institutione Christi, requirentis locutionem, seu verba simpliciter dicta, qualia non sunt soni, tantum in aère ab Angelis producti: quin eadem mi. etiam inferretur ex eo, quod Christus solis hominibus præceperit, ut utantur verbis ad conficienda sacramenta, utique talibus, qualibus solent exprimerè suos conceptus.

191. Rursus. Angeli non sunt capaces administrationis matrimonii, ut patet: neque sunt capaces administrationis ordinis; ut enim habetur ad Hebr. 5. v. 1. *Omnis namque Pontifex ex hominibus assumptus pro hominibus constituitur*: & quandoquæ Christo in Scripturis sermo est de sacerdotibus, semper est sermo tantum de hominibus: ergo nullus ex Angelis est, aut potest esse Episcopus, seu minister ordinis. Imò neque Angeli capaces sunt ordinis sacerdotalis; neque enim possunt esse sacerdotes; quia non possunt sacrificare, nec verba consecrationis vitaliter proferre, nec etiam Evcharistiam per veram comestioneem, aut potationem sumere. Unde etiam S. Chrysostr. l. 3. de sacerdotio, postquam c. 4. dixisset, sacerdotibus datam esse potestatem sacrificandi, & corpus Christi conficiendi, subjungit c. 5. de iisdem sacerdotibus: *his commissum est, ut ea, quæ in cælis sunt, dispensent*:

sent: iis datum est, ut potestatem habeant quam DEUS optinuit, neque Angelis, neque Archangelis, datum esse voluit: scilicet Angelis non est datum, ut sacramenta, præsertim SS. Eucharistiæ, & poenitentia (de qua statim S. Pater mentionem subjungit) administrarent. Similia scribit idem S. Chrysostomus homilia 85. in Joannem sub finem:

Jam verò, si Angeli non possunt esse sacerdotes, neque possunt administrare sacramenta confirmationis, Eucharistiæ, poenitentia, extremæ unctionis; horum enim administratio supponit ordinem sacerdotalem: ergo tantum posset esse dubium, an non Angeli possint baptizare: sed nec hoc eos posse sufficienter habetur ex prima probatione, desumpta ab institutione Christi: & confirmatur ex eo, quòd Florentinum in decreto Eugenii assignans ministrum hujus sacramenti, tam ordinarium, quam extraordinarium in casu necessitatis, faciat mentionem tantum hominum. Plura vide apud Suarez tom. 3. in 3. p. disp. 13. sec. 1. §. Tandem si.

192. Hinc inferitur cum eodem Eximio loco modò citato, neque animam separatam posse esse ministrum sacramenti, seu istud conferre; quia nec ipsa potest verba humano modo formare, nec esse verè homo. Si autem anima reuniretur corpori, ita, ut iterum fieret viator, certum est, quòd posset iterum conferre sacramenta, ut ante mortem. e. g. Episcopus resuscitatus posset validissime ordinare. Si autem non esset amplius viator, sed comprehensor, seu Beatus, tamen S. Thomas 3. p. q. 64. a. 7. ad 2. videtur admittente, quòd verè esset minister validus sacramentorum: quam opinionem etiam Suarez loc. num. præced. cit. censet probabiliorē; quia talis Sanctus verè esset homo, haberet characterem, ac reliqua requisita omnia. Quòd autem Christus tantum allocutus sit viatores, quando contulit potestatem ministrandi sacramenta, non impedit, quo minus potestas absolute collata sit hominibus: nec potest ullo ex capite colligi, eam fuisse limitatam ad statum viæ.

193. Dixi autem in conclusione, de lege ordinaria ministrum sacramentorum esse hominem; nam DEUS utique potest dispensare, ut Angelus ministrat sacramentum; hinc, si certò constaret, alicui ab Angelo bono fuisse collatum aliquod sacramentum, habendum esset ratum, & validum; eoquòd certò credendum esset, illum Angelum egisse ex speciali commissione Divina, & potestate extraordinaria; unde quando (ut refert ex historicis antiquioribus Bellarminus tom. 3. controu. 1. de sacramentis in genere l. 1. c. 24. §. Est tamen observandum) S. Amphilochius fuit ab Angelis ordinatus Episcopus, ejus ordinatio ab Episcopis illius provincie judicata est valida. At, si sacramentum administrasset genius malus, seu dæmon, utique credibile non esset, DEUM ei specialiter hoc demandasse, adeoque sacramentum deberet judicari invalidum, contra quòd docuit Lutherus libro de missa privata, edito anno 1534. ubi ait, quòd, si etiam

dæmon baptizasset, aut consecrasset, aut absolvisset, sacramenta illa essent valida: quæ utique pias aures offendunt. vide Bellarminum capite modò citato sub initium

194. Dico 2. Non omnes homines, etiam Christiani, validè possunt ministrare omnia sacramenta. ita omnes Catholici, Baptisimum quidem validè potest administrare quilibet homo: sacramentum matrimonii quæcunque personæ fideles habiles: reliqua verò sacramenta nemo, nisi ii, qui rite in Ecclesia ordinati sunt. Prob. 1. ex Scriptura. Ad Ephes. 4. v. 11. dicitur, varia esse officia in Ecclesia, nec omnibus omnia convenire: Et ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios verò Evangelistas, alios autem Pastores, & Doctores. Iterum 1. Cor. 12. v. 28. Et quosdam quidem posuit DEUS in Ecclesia, primum Apostolos, secundo Prophetas, tertio Doctores &c. & v. 29. Nunquid omnes Apostoli? nunquid omnes Prophetæ? nunquid omnes Doctores? ergo non quilibet est pastor, vel habet potestatem, pascendi sacramentorum administratione, & verbo DEI gregem Domini.

Nec dicas cum Lutero, Apostolum in his textibus tantum velle dicere, quòd, etsi omnes habeant potestatem, tamen non omnes habeant usum potestatis pastoralis; non enim agitur ibi de usu, sed de potestate; nam non habuerunt Apostoli potestatem, antequam eam à Christo acceperint: ergo hanc unam cum usu acceperunt: & consequenter agit ibi S. Paulus de potestate, à Christo collata. Confirmatur. In lege veteri, ubi sacramenta erant imperfectiora, tamen non quilibet homo omnia, sed aliqua soli sacerdotes poterant administrare: ergo id multò magis convenit sacramentis legis novæ multò perfectioribus.

195. Prob. 2. conclusio. Joann. 4. v. 2. habetur, Apostolos baptizasse ante Christi passionem, & consequenter ante cenam ultimam. Docet etiam S. Augustinus ep. 108. ad Seleucianam, eos etiam ante passionem Domini fuisse baptizatos: & certè credibile non est, eos à Christo iustos fuisse baptizare, antequam essent ipsi baptizati: & tamen ante cenam non habuerunt potestatem consecrandi, quam in illa primùm acceperunt: ergo hæc potestas non acquiritur per baptismum, adeoque non omnes Christiani possunt consecrare. Pariter Apostoli potestatem absolvendi acceperunt primùm postea, quando Christus eis dixit Joann. 20. v. 23. Quorum remisistis &c. ergo neque hæc potestas habetur per baptismum. Hinc meritissimo jure (& hæc est ratio pro Theologo se sola sufficientissima) Tridentinum doctrinam nostram definitivè sess. 7. can. 10. de sacramentis in genere. Si quis dixerit, Christianos omnes, in verbo, & in omnibus sacramentis administrandis, habere potestatem, anathema sit.

ARTICULUS II.

Solvuntur Objectiones.

196. **O**B. 1. ex Lutero. Judas Iscariotes, qui fuit membrum diaboli, potuit baptizare: ergo idem potest ipse diabolus. prob. conseq. quòd potest membrum, seu pars, potest etiam corpus, seu totum: ergo. Confirm. Valor sacramenti non pendet à qualitate ministri: ergo, qualiscunque sit minister, validè administrat sacramentum. Resp. neg. conseq. quòd enim possunt homines (qui ratione peccati mortalis, in aliquo sensu morali, vel aliqua morali æstimatione, sunt membra diaboli) non etiam eoispo potest dæmon; nam iidem homines iterum, in alia æstimatione morali, possunt simul esse membra Ecclesie, & ministri Christi: & quidem possunt esse ministri Christi ob aliquam rationem, quæ dæmoni non competit, ut in præfati casu est humana natura, & ordinatio, quam utramque habuit Judas, non autem dæmon.

Ad prob. neg. ant. non enim semper omnia potest corpus morale, quæ potest membrum morale, præsertim si hoc non sit tantum membrum morale unius, sed sub alia ratione etiam membrum morale alterius corporis, vel totius morali. Sic e. g. canonicus in duabus Ecclesiis cathedralibus, Eystettensi, & Augustana, est utriusque Capituli membrum, & potest eligere Episcopum, e. g. Eystadii, quem tamen eligere non potest Capitulum Augustanum. Eodem modo loquendum est de capite morali; nam non omnia potest caput morale, quæ potest membrum: e. g. Præpositus Capituli Augustani, si non sit simul canonicus Eystadii, non potest ibi Episcopum eligere, quòd tamen potest canonicus Augustanus alius, si simul sit canonicus Eystettensis. Ad confirm. dist. ant. valor sacramenti non pendet à qualitate ministri, à Christo determinatè requisita, ad illud sacramentum administrandum. neg. ant. à qualitate tantum accidentaliter. conc. ant. & neg. conseq. De lege ordinaria ad administrationem omnium sacramentorum determinatè requiritur homo: & ad quinque requiritur insuper, ut sit ordinatus, seu sacerdos, aut Episcopus: non autem ita requiruntur alia in ministris, e. g. fides, gratia, pietas, de quibus infra agemus.

197. Ob. 2. ex eodem. Omnes Christiani sunt sacerdotes: ergo omnes possunt administrare omnia sacramenta. prob. antec. 1. Petri 2. v. 5. dicitur: Tanquam lapides vivi superadificamini, domus spiritualis, sacerdotium sanctum, offerre spirituales hostias: & v. 9. Vos autem genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis, ut virtutes annuncietis ejus, qui de tenebris vos vocavit in admirabile lumen suum. iterum Apoc. 5. v. 10. Fecisti nos DEO nostro regnum, & sacerdotes. rursus Apoc. 20. v. 6. Erunt sacerdotes DEI, &

Christi ejus. & 2. Cor. 3. v. 6. Qui & i-doneos nos fecit ministros novi testamenti: sed hi textus pertinent ad omnes Christianos: ergo omnes sunt sacerdotes. Resp. neg. ant. ad prob. neg. mi. & conseq. Ultimus textus pertinet tantum ad Apostolos; comparat enim ibi S. Paulus se, & Apostolos Moysi, ac ait, hunc ministrasse literas insculptas lapidibus: se verò, ac alios Apostolos ministrasse spiritum: & toto capite præcedente loquitur de se ipso, uti etiam initio capitis citati.

Reliqui quatuor textus, etsi loquantur de omnibus Christianis, non tamen dicunt, omnes esse veros sacerdotes: sed tantum spirituales, seu in sensu aliquo mystico, sive morali: sicut nempe dicuntur domus spiritualis, & reges, licet nec domus, nec reges propriè sint, sed tantum metaphoricè dictum, scilicet preces, & opera bona. Et, quòd hic dicitur de Christianis, Exod. 19. v. 6. dixit DEUS de Judæis: Vos eritis mihi in regnum sacerdotale, & gens sancta: nec tamen ideo omnes Judæi fuere sacerdotes veri; Ozias enim rex, invadens officium sacerdotale, percussus est lepra 2. Paralipom. 26. v. 19. Quando autem S. Petrus dicit, quòd Christiani debeant annunciare virtutes, id non intelligendum est, quasi debeant virtutes annunciare, concionando more sacerdotum: sed tantum, DEO gratias agendo, eum laudando &c. sicut fecerunt Judæi post transitum maris rubri, ad quòd, ut Beda docet, S. Petrus alludit.

198. Ob. 3. ex eodem. Quilibet Christianus habet omnem potestatem, quam Catholici tribuunt sacerdotibus: ergo est sacerdos. ant. prob. nam primò quilibet potest baptizare, ut fatemur. Secundò potest etiam concionari; quia ad omnes dicitur 1. Cor. 11. v. 26. Mortem Domini annuntiabit. & 1. Cor. 14. v. 26. de omnibus dicitur: Unusquisque vestrum psalmum habet, doctrinam habet, apocalypsin habet. & infra v. 31. Potestis enim omnes per singulos prophetare, ut omnes discant, & omnes exhortentur. Tertio quilibet Christianus etiam potest consecrare; quia ad omnes pertinet illud Luc. 22. v. 19. & 1. Cor. 11. v. 24. Hoc facite in meam commemorationem. & ibidem v. 23. Ego enim accepi à Domino, quòd & tradidi vobis. Dein quilibet potest baptizare: ergo multò magis consecrare; quia illud plus est; eoquòd baptismus tollat peccatum, non verò consecratio.

Quartò potest quilibet Christianus sacrificare; quia de omnibus dictum est ad Rom. 12. v. 1. Ut exhibeatis corpora vestra hostiam viventem; quippe sacrificamus corpora nostra per mortificationem vitiorum; neque jam habetur aliud sacrificium in Ecclesia. Quintò potest etiam quilibet Christianus absolvere; quia iterum omnibus dictum est Matth. 18. v. 18. Quæcunque alligaveritis super terram &c. Sextò potest etiam orare pro aliis, ut patet ex oratione Dominica, &

omnibus præscripta, in qua oramus pro aliis. Septimò tandem potest etiam quilibet judicare de doctrina, quod probatur ex Scripturis, quæ jubent, ut falsos prophetas fugiamus, ut *Matth. 7. v. 15. Attendite à falsis prophetis.* item *1. Cor. 14. v. 31.* dicitur: *Si alii revelatum fuerit sedenti, prior taceat: id est, si quidam ex auditoribus sedentibus revelationem accipiat, surgat, & loquatur, ac prior loquens taceat: sed præter has enumeratas potestates non tribuuntur Catholicis ullam aliam potestatem sacerdotibus: ergo quilibet Christianus habet omnem potestatem sacerdotalem.*

199. Resp. neg. ant. ad prob. respondeo ad singula membra, ac ostendo, ea intentionem Lutheri non probare. Et in primis quantum ad primum, seu baptismum attinet, licet quidem in necessitate laicis, etiam mulieribus, baptizare: at tamen id non faciunt ex officio, & eodem modo baptizare potest Judæus, & Turca. Ad secundum. Non licet laico, & multò minus mulieri, concionari: nec annunciatio mortis Domini debet fieri concione: sed fit ipsa sumptione SS. Eucharistiæ, facta in memoriam passionis Christi. Textus autem sequens non intelligitur de omnibus Christianis; quia statim additur: *Linguam habet*: id est, donum linguarum, quod non est omnibus commune; unde ea verba tantum spectabant ad eos, qui hæc dona habebant, qui non erant omnes; nam eadem epist. c. 12. v. 4. præmittit Paulus: *Divisiones verò gratiarum sunt. & v. 30. Numquid omnes linguis loquuntur?* Ulterius, non est probatum, ibi sermonem esse de concione publica, sacerdotibus propria, & non tantum de piis collationibus, quibus se in privatis conventibus mutuò fideles excitabant ad virtutem.

200. Ad tertium. Potestas consecrandi per illa verba: *Hoc facite in meam commemorationem*: collata est solum Apostolis, & nullo modo omnibus fidelibus; verba enim illa directa sunt ad solos præsentés, quos solos tunc Christus alloquebatur, & ordinabat sacerdotes. Nec S. Paulus dicit, se tradidisse Corinthiis potestatem consecrandi: sed tantum ait, se aliquid tradidisse, id est, docuisse, & explicasse, quod Dominus instituerit. Sed neque ex potestate baptizandi inferitur potestas consecrandi; est enim SS. Eucharistiæ sacramentum longè dignius, adeoque potestas consecrandi multò major, quam potestas baptizandi; nam illa est insuper potestas destruendi panem, & vinum.

Accedit, quòd in iis, quæ sunt liberè à DEO concessa, non bene ex uno concessio inferatur etiam concessio alterum omnino dispar: præsertim, cum ratio concedendi unum, e. g. summa necessitas baptismi, non pugnet pro aliis: sic e. g. Eucharistia minimè ita necessaria est, sicut baptismus: quæ necessitas est ratio, cur quilibet possit baptizare. Quòd autem baptismus auferat peccatum, non probat, illum esse majorem, quam sit SS. Eucharistia; nam non minus datur gratia impossibilis cum peccato in sacra-

mento Eucharistiæ, quam in baptismo: imò datur in Eucharistia ipse auctor omnis gratiæ. Quòd autem ab Eucharistia non possit causari prima gratia, vel non est verum, juxta multos Theologos, volentes, eam solum per accidens ab hoc sacramento causari: (quibus & ego confentio inferius n. 303. & seq.) vel, si verum est, ideo verum est; quia ad hoc sacramentum, utpote dignius, requiritur dispositio major, quam ad baptismum.

201. Ad quartum. Falsum est, non esse aliud sacrificium in Ecclesia, quam mortificationem, ut probatur, quando agitur de SS. Eucharistia. Imò mortificatio non est propriè, sed tantum spiritualiter, seu metaphorice sumptum sacrificium, ad quod altare non requiritur: at ad Hebr. 13. v. 10. docet Apostolus, debere haberi altare ad sacrificium Ecclesiæ.

Ad quintum. Verba illa: *Quorum alligaveritis &c.* minimè spectant ad omnes Christianos, sed ad Apostolos, vel Ecclesiæ ministros, per quos in Ecclesia potestas hæc exercetur: id quod insuper ostendit praxis universalis Ecclesiæ per omnes ætates, ut suo loco dicitur: ergo potestas absolvendi non est omnibus communis. Ad sextum. Quod attinet ad orationem, verum est, quòd quilibet, etiam laici, possint facere orationem privatam: at verò publicam, & tanquam personæ ab Ecclesia constitutæ, in Divinis præsertim officiis, non debent facere, nisi sacerdotes.

202. Tandem ad septimum. Apud Catholicos iudicium ferre de doctrina, neque conceditur cuilibet sacerdoti, vel etiam Episcopo, sed tantum Conciliis, vel Romano Pontifici: multò minus id conceditur laicis. Certè istud principium, quemlibet posse judicare de vera doctrina, est origo omnium hæretum. Et, si quilibet posset iudicare ex sola Scriptura, quænam esset vera doctrina, ad quid opus esset doctoribus, & pastoribus, quos tamen Apostolus ad Ephe. 4. v. 12. ait *in edificationem corporis Christi*, seu Ecclesiæ? Igitur debent quidem oves, audire veram vocem Christi, & fugere falsam aliorum: non autem debent eam examinare, comparando illam cum effectis Scripturæ, sed tantum comparando cum doctrina, à pastoribus tradita. Illud: *Si sedenti revelatum &c.* intelligendum est, non de publicis concionibus, sed de privatis collationibus, quæ in prima Christianitate habebantur, more à Judæis desumpto. Et quis ex hæreticis ministris ferret, si ex auditoribus suis aliquis subitò in ejus ascenderet cathedram, & inciperet concionari?

203. Ob. 4. ex eodem. Omnes Christiani sunt fratres Christi: Christus est sacerdos: ergo omnes Christiani sunt sacerdotes. Confirm. Ubi spiritus Christi est, ibi est libertas, & omnis potestas: sed spiritus Christi est in Christianis omnibus: ergo. Resp. neg. conseq. aliàs, cum Christus fuerit thymaturgus, debent etiam omnes Christiani miracula facere. Dein Christus non est sacerdos secundum ordinem Aaron, ubi fratres

fratres sacerdotis erant etiam sacerdotes: sed est sacerdos secundum ordinem Melchisedech. Quanquam nec in ordine Aaronico fratres adoptivi, sed tantum naturales fuerint sacerdotes: Christiani autem sunt tantum fratres Christi adoptivi. Ad confirm. neg. ma. ubi habuit Lutherus potestatem patrandi miracula, prophetandi, & loquendi variis linguis?

204. Ob. 5. ex eodem. Mulieres possunt concionari: ergo etiam possunt esse ministræ verbi, & sacramentorum: ergo multò magis id possunt viri laici. ant. prob. possunt mulieres prophetare: ergo etiam concionari. ant. prob. *Joëlis 2. v. 28.* dicitur: *Prophetabunt filii vestri, & filie vestrae.* & *Actor. 21. v. 9.* de Philippo dicitur: *Huius autem erant quatuor filie virgines prophetantes.* iterum *Exod. 15. v. 20.* *Sumpsit ergo Maria prophetissa, soror Aaron, tympanum.* rursus *Judic. 4.* *Erat autem Debhora prophetis, uxor Lapidoth, quæ judicabat populum.* insuper *4. Regum 22. v. 14.* *Ferunt itaque... ad Holiam prophetidem:* tum *v. 15.* *Et illa respondit eis: Hæc dicit Dominus DEUS Israël.* nec minùs *1. Cor. 11. v. 5.* ait S. Paulus: *Mulier orans, aut prophetans, non velato capite, deturpat caput suum.* & tandem *Luc. 1.* prophetavit etiam B. Virgo, dum cecinit canticum *Magnificat*: ergo mulieres possunt prophetare, & concionari.

Resp. neg. ant. quanquam hoc omisso tamen consequentia eiset falsa; non enim omnis, qui potest concionari, potest omnia sacramenta administrare. ad prob. om. ant. neg. conseq. nam non omnes, qui illustrationem aliquam propheticam, vellumen aliquod propheticum, à DEO acceperunt, propterea statim possunt licitè concionari publice in Ecclesia; nam id S. Paulus, ut *num. seq.* ostendimus, prohibet mulieribus. Sed & antecedens debet distinguì. possunt omnes mulieres prophetare. neg. ant. possunt id aliq. dono prophetiæ à DEO donatæ. conc. ant. & neg. conf. ad prob. concessis textibus sub priori distinctione conc. vel neg. conf.

Quod spectat ad vocem *prophetare*, hæc diversa significat in Sacris Scripturis. Primò significat *insanire*, ut *1. Reg. 18. v. 10.* ubi dicitur: *Invasit spiritus DEI in Saul, & prophetabat in medio domus sue.* Secundò significat *ex instinctu Spiritus S. Divinas laudes, modis insolitis, & quasi per enthusiasmum canere*: sic idem Saul dicitur prophetasse *1. Reg. 19. v. 23.* *Et factus est etiam super eum spiritus Domini, & ambulabat ingrediens, & prophetabat, usque dum veniret in Najoth:* id est, cum psallentibus DEI laudes insolita ratione cantabat. Tertio significat simpliciter *psallere*: sic *1. Paralip. 25. v. 1.* omnes cantores vocantur prophetæ: *Segregaverunt in ministerium filios Asaph, & Heman & Idithun, qui prophetarent in cytharis, & psalteriis, & cymbalis.*

Quarto *prophetare* significat *facere miracula*: sic *Ecclesiastici 48. v. 14.* dicitur de

Elisæo: *Mortuum prophetavit corpus ejus*: quia, ut habetur *4. Reg. 13. v. 21.* suscitavit alium mortuum, in sepulchrum Elisæi injectum. Quintò significat *future prædicere*, quæ significatio est frequentissima. Sextò significat *ex afflatu Spiritus S. docere, & exhortari ad pietatem, & interpretari Scripturas*: & in hoc sensu loquitur S. Paulus *1. Cor. 14. v. 3.* dicens: *Qui prophetat, hominibus loquitur, ad edificationem, & exhortationem, & consolationem*: ubi etiam asserit, melius esse prophetare, quam loqui linguis, idque fat fusè probat.

205. Ex his omnibus significationibus ultima sola probaret aliquid pro Luthero, in qua tamen minimè debent accipi textus ab eo adducti; nam S. Paulus *1. Cor. 14. v. 34.* ait: *Mulieres in Ecclesiis taceant; non enim permittitur eis loqui, sed subditas esse.* & *1. ad Timoth. 2. v. 12.* *Docere autem mulieri non permitto.* Unde quoad mulieres prophetare significat, vel canere, quo in sensu, & non in alio, ut patet ex loco objecto, prophetavit Maria, soror Moysis, & Aaron: vel significat *future prædicere*, si mulier habeat eam gratiam gratis datam. Reliqui textus nullo modo probant, mulieribus licitum esse, habere publicam concionem, vel instructionem in Ecclesia: sed tantum licitum illis esse, dare privatam consilium, vel eis concessum esse regimen politicum: quæ duo etiam apud Catholicos permissa sunt mulieribus.

206. Ob. ultimò ex Calvino contra id, quod diximus, baptismum posse validè administrari à quocunque homine. Christus solis Apostolis dixit, ut irent in mundum universum, docentes, & baptizantes: ergo hi soli possunt baptizare. Confirm. 1. Concilium Carthagenense IV. *can. 100.* dicit: *Mulier baptizare non presumat*: ergo. Confirm. 2. Tertullianus, & S. Epiphanius dicunt, mulieri non permittum esse, docere, aut baptizare: ergo. Confir. 3. Gregorius II. iussit rebaptizari eos, qui à paganis erant baptizati: ergo. Resp. neg. ant. Est valde incertum, an non plures ibi adfuerint; cum Christus videatur illa verba dixisse ea occasione, quando cum Apostolis adfuisse quingenti circiter fratres, ut habetur *1. Corinth. 15. v. 6.* Quòd si etiam Apostolis solis id dictum fuit non fuere exclusi alii, ut explicarunt ipsi Apostoli, quorum tempore jam Diaconus Philippus, & Ananias (qui non fuit Apostolus, imò probaliter fuit laicus) baptizarent.

Eodem modo Tertullianus, atque S. Hieronymus expresse dicunt, laicis, saltem baptizatis, licere baptizare. Id quod etiam clarè colligitur ex baptismo, collato pueris ab Athanasio, adhuc puero, quem Alexander Episcopus approbavit: item ex Innocentio approbante baptismum à Judæo collatum. Idem tandem jam clarè definitum est in Florentino in decreto Eugenii his verbis: *Minister hujus sacramenti est sacerdos, cui ex officio competit baptizare: in causa autem necessitatis, non solum sacerdos, vel diaconus, sed etiam laicus, vel mulier, imò etiam paganus, & hæreticus, baptizare potest.* Trident.

dentinum quoque *seß. 7. can. 4. de baptismo.* definit, baptismum, etiam collatum ab hæreticis, esse validum. Sanè circumcisio in lege veteri poterat etiam fieri per mulieres: imò facta est à Sephora uxore Moyſis *Exod. 4. v. 25.* igitur etiam baptismus, utpote medium parvulis summè necessarium, debet posse administrari à quolibet.

207. Ad 1. confirm. Magister sententiarum *l. 4. diff. 6.* refert, eum canonem, cum hac additione, *nisi necessitate cogente.* & in Decreto Gratiani *diff. 3. de consecr.* adde glossa hæc eadem verba, *nisi necessitate cogente,* quæ conditio saltem debet subintelligi. Potest etiam Concilium Carthaginense explicari de baptismo publico, & Joſemni, in forma, om. ant. dist. conseq. mulier non potest baptizare validè, neg. conseq. licitè, subdist. non potest id sine necessitate, aut publicè, conc. conseq. non potest id in necessitate, & privatim, neg. conseq.

Ad 2. confirm. servit eadem responsio. Quodsi obijciatur, S. Augustinum dubitasse, an baptismus à laico collatus valeat, respondeatur, id contigisse; quia hæc quæstio tunc necdum ab ullo Concilio erat decisa: quam rationem suæ suspensionis S. Augustinus in aliis nonnunquam locis dat, ut videre est *n. 80.* at modò res jam est definita. Ad 3. confirm. neg. conseq. Id prudenter iussit Gregorius, ob periculum grave, ne non intervenisset defectus ex parte intentionis, vel materiæ, aut formæ: non autem id iussit ob defectum ministri.

ARTICULUS III.

An in Ministris Sacramentorum requiratur Fides, & Probitas.

208. Dico 1. Ad valorem sacramentorum non requiritur fides, & probitas in ministro, ità Catholicis omnes. Prob. conclusio 1. ex Conciliis, Pontificibus, ac Patribus. In Concilio Constantiensi *seß. 45. seu ultima* damnatur hæc propositio 4. *Wicleffi. Si Episcopus, vel sacerdos existat in peccato mortali, non ordinat, non consecrat, non conficit, non baptizat.* Tridentinum autem sic definit *seß. 7. can. 12.* *Si quis dixerit, ministrum, in peccato mortali existentem, modo omnia essentialia, quæ ad sacramentum conficiendum, aut conferendum pertinent, servaverit, non conficere, aut conferre sacramentum; anathema sit.* & ead. *seß. can. 4. de baptismo.* sic statuit: *Si quis dixerit, baptismum, qui etiam datur ab hæreticis, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, cum intentione faciendi, quod facit Ecclesia, non esse verum baptismum, anathema sit.* Idem jam prius statuit S. Stephanus I. Papa. S. Innocentius I. Papa, & Concilium Carthaginense I. Idem quoque asserunt SS. Patres, Augustinus, Hieronymus, Gregorius Nazianzenus, & alii, fuse allati à Bellarmino *tom. 3. controv. 1. de sacram. in genere. l. 1. c. 26.* ergo.

209. Prob. conclusio 2. argumento, quæ usus est S. Stephanus Papa contra S. Cyprianum, id est, traditione, & consuetudine, à tempore Apostolorum introducta. *Confir. 1.* Potestas conficiendi sacramenta est gratia gratis data, composibilis cum peccato, sicut potestas prophetandi, quæ fuit in Caïpha, & Balaam: item potestas eiſcendi demones, quæ teste Christo potest manere in peccatoribus, quibus dicentibus *Matth. 7. v. 22.* *Nonne in nomine tuo prophetavimus, & in nomine tuo demonia eiecimus?* respondebit Dominus *v. 23.* *Quia nunquam novi vos: discedite à me, qui operamini iniquitatem:* neque ex ulla ratione constat, quòd Christus eam potestatem conficiendi sacramenta auferat ob hæresin, vel alia peccata: imò ex nostris rationibus constat, quòd eam non auferat: ergo.

Confirm. 2. Per ablationem potestatis, administrandi sacramenta, cum præcipue sit data in bonum aliorum, magis punirentur alii innocentes, seu suscipientes sacramenta, quam ipsi ministri; nam alii fideles innocentes non amplius recipere sacramenta, est putarent, ea à se recipi; cum sapissimè ignorarent, an minister sit fidelis, aut probus, adeoque sine sua culpa, ob ignorantiam culpæ in altero existentis, privarentur fructu sacramentorum: quin imò ex eo, quòd sic sapissimè dubitare deberent de dispositione ministrorum, conijcerentur in graves perplexitates, & angustias: ergo non est censendum, quòd Christus eam potestatem talibus ministris auferat.

Confirm. 3. Judas, est reprobus, baptizabat: negligitur, ut advertit S. Augustinus, rebaptizatos fuisse eos, qui ab illo baptizati fuerant; sic enim habet S. Doctor *tract. 5. in Joan. prope finem.* *Quos ergo baptizavit Judas, non sunt iterum baptizati:* ergo baptismus ab eo collatus fuit validus. Ex quo etiam vel maximè confutatur Wicleffus, qui vult, solos prædestinatos posse esse ministros sacramentorum, ut colligitur ex ejus damnata propositione 8. *Si Papa sit presbiter, & malus; & per consequens membrum diaboli, non habet potestatem super fideles &c.*

210. Dico 2. Ad licitam sacramentorum administrationem, in ministro, saltem specialiter consecrato, & ex officio sacramenta ministrante, requiritur status gratiæ, ità communis omnium, licet quoad asserendam rationem non conveniant. Prob. conclusio. Sacramenta sunt actiones dignificatiæ, & moraliter actiones ipsius Christi Domini, institutæ ad homines sanctificandos, & adoptandos in filios DEI: adeoque continent merita, & sanguinem Christi Domini: ergo ex ipso lumine naturæ habetur, quòd sit gravis irreverentia, & peccatum mortale, si quis, præsertim publicus Christi, & Ecclesiæ minister, specialiter ad hoc munus institutus, & ad id rite exequendum specialia subsidia spiritualia recipiens, tamen accedat in statu peccati mortalis.

211. Confirm. ex Nicolao I. in responsione ad consulta Bulgarorum (quæ habetur *tom. 3. Conciliorum, parte priore Severini Bini*) c. 15. dicente: *Malus bona ministrando, non aliis, sed sibi detrimentum cumulum ingerit.* item ex Gregorio IX. *cap. ult. de cohabitatione cleric. & mulierum.* dicente de clericis: *Esti quemlibet pro mortali peccato, quoad seipsum constet esse suspensum:* quibus verbis Pontifex utique non vult dicere, quòd censura affectus sit: sed quòd eo in statu ei non liceat sacramenta ministrare. Rurſus Catechismus Romanus de sacramentis propius finem ità habet: *Memnisse autem semper debent, sacramenta Divinam quidem virtutem, quæ illis inest, nunquammittere: at vero impure ea ministrantibus aternam perniciem, & mortem asferre. Sancta enim (quod semel, atque iterum, ac sæpius admonere oportet) sanctè, & religiose tractanda sunt.*

212. Dixi in conclusione: *in ministro saltem specialiter consecrato;* quia, an etiam status gratiæ necessarius sit, ut laicus in necessitate e. g. licitè baptizet, non ità conveniunt auctores. S. Thomas 3. p. q. 64. n. 6. ad 3. videtur negare, talem peccare: & ita eum locum etiam interpretatur Cajetanus. Negat idem Suarez *tom. 3. in 3. p. diff. 16. sec. 4. §. Nihilominus disendum.* quia putat, gravem irreverentiam non tantum desumi debere ex sanctitate sacramentorum: sed etiam ex consecratione ministri, qui, cum specialiter ordinatus, & deputatus sit ad hoc ministerium, tanquam publicus minister Christi, & Ecclesiæ, atque in hunc finem spiritualia adjumenta recipiat, merito obligatur ad procurandam in se dispositionem condignam: alteri verò, nempe laico, cui tantum permissa est, in bonum indigentis, & in casu necessitatis, administratio sacramentorum, non videtur debere tantum onus imponi. Confirmat hic auctor suam opinionem ex eo; quòd hæc obligatio non sit tam evidens, ut extendi debeat, & non potius restringi, ad solos ministros consecratos: & sanè textus, *num. præc. citati,* tantum loquuntur de ministris ordinatis.

213. Econtra Vasquez, Lugo, Arriaga, & alii, censent, quemcunque ministrantem sacramentum, sive consecratum sit, sive non, debere esse in statu gratiæ; quia putant, solam sacramenti dignitatem tantam esse, ut, à quocunque ministraretur in peccato mortali, gravis irreverentia committatur; nisi quis aliquando, ratione ignorantia, aut inadvertentia, excusetur. Hinc inferunt, contrahentes matrimonium in statu peccati, duplex peccatum committere, scilicet unum ministrando, alterum recipiendo sacramentum; nam quòd peccent mortaliter ratione receptionis sacramenti, dubium non est; quia certum est, quemlibet recipientem sacramentum vivorum in statu peccati, peccare mortaliter, nisi eum ignorantia excuset; quia scilicet id indignè recipit, & gratiæ obicem ponit.

214. Excipiunt tamen Dicastillo *tr. 1. de*

sacram. in genere diff. 3. dub. 10. n. 199. Arriaga *tom. 7. de sacram. in genere. diff. 8. n. 16.* Lugo de *sacram. diff. 8. sec. 9. n. 151.* & Layman. *l. 5. tr. 1. c. 5. n. 8.* si totus legatur, item Vasquez *tom. 2. in 3. p. diff. 136. c. 3. n. 27.* calum extremæ necessitatis, in quo à peccato excusant etiam ministrum specialiter consecratum, si in statu peccati sacramentum ministret: e. g. si sacerdos, peccati mortalis sibi conscius, videat infantem, vel ægrotum post confessionem, statim moriturum, in his casibus censent isti auctores, sacerdotem, si non habeat tempus, se disponendi ad actum contritionis, posse statim baptizare, vel absolvere: & S. Thomas quoque *loc. cit. n. 212.* clarè admittit, quòd minister in eo casu statim possit baptizare; quia non videtur his auctoribus esse irreverentia, si in extrema necessitate, etiam à ministro constituto in statu peccati, subveniatur proximo; si enim necessitas proximi præponderat præcepto, non conficiendi sacramentum in materia dubia, videtur etiam necessitas eadem præponderare præcepto, non conficiendi sacramentum in statu peccati: sicut etiam in necessitate sæpe multa fiunt circa reges, quæ alias censerentur esse gravissimæ irreverentiæ: e. g. si quis rex è navì decideret in aquas, cum magno periculo submersionis, gratum haberet, si etiam apprehensis capillis retraheretur in navim.

215. Dixi item: *in ministrante sacramentum;* nam in aliis actionibus, quæ non sunt confessio sacramentorum (ut sunt variæ benedictiones, lectio solemnſis Evangelii, conciones &c.) censet Vasquez *tom. 2. in 3. p. diff. 136. c. 4. & 5.* Suarez, Lugo, Arriaga, & alii, non esse tam gravem irreverentiam, quæ mortalem culpam adæquet. Neque etiam ex textibus, aut capitulis juris canonici, aliquid circa hæc actiones potest inferri; alias enim etiam, si quis reus gravis peccati in ordinibus minoribus ministraret, aut si sacerdos in statu peccati aquam lustralem benediceret, graviter peccaret. Quare textus illi accipiendi sunt de actionibus, quibus sacramentum conficitur, aut, si de aliis quandoque accipiantur, intelligendi sunt, si actiones fiant cum scandalo gravi publico: e. g. si publicus concubinari, tanquam diaconus, ad altare ferviret.

216. Excipit tamen Suarez *tom. 3. in 3. p. diff. 16. sec. 4. §. Dices, non oriri.* distributionem sacræ Evcharistiæ; est enim in ea sacramentum non conficiatur, videtur tamen esse tam gravis irreverentia, eam in statu peccati mortalis distribuere, ut ad mortalem culpam pertingat. Idem docet Layman. *l. 5. tr. 1. c. 5. n. 7. & 8.* Docent tamen contrarium Vasquez *tom. 2. in 3. p. diff. 136. c. 3. n. 38.* Lugo de *sacram. diff. 8. sec. 12. n. 198.* Arriaga *tom. 7. de sacram. in genere. diff. 20. sec. 1. n. 5.* Dicastillo autem *tr. 1. de sacram. in genere. diff. 3. dub. 10. n. 229.* & 230. citat adhuc plures in utramque partem, & n. 232. ait, se in neutram partem magis inclinare, spectata præcisè ratione; tandemque asserit, saltem se

non dubitare, quod gravissimum veniale peccatum committatur, indigna ea administratione, vel distributione.

Addo tamen ex Suarez, Vasquez, Dicastillo, Arriaga, Cardinali de Lugo (qui ultimus *disp. 8. de sacram. sec. 9. n. 145.* ait, hoc probari a Vasquez. cum communi doctorum ministrum, qui in peccato existit, & vult administrare sacramenta, non teneri ad confessionem, sed sufficere, si eliciat contritionem, excepta consecratione SS. Eucharistiae, quae sine sumptione fieri non potest; de hac enim est speciale praeceptum, in Tridentino *sess. 13. c. 7.* ut mox dicemus: quod tamen extendi non debet ad administrationem aliorum sacramentorum: imò (ut Suarez *tom. 3. in 3. p. disp. 16. sec. 3. §. Sed quare aliquis.* tradit) nec ad ipsam sacram Eucharistiae distributionem: atque adeo hæc licetè distribuitur præmissa contritione.

217. Præceptum autem speciale de præmittenda confessione, ante celebrationem, vel sumptionem SS. Eucharistiae, habetur, ut dictum est, in Tridentino *sess. 13. c. 7.* ubi ita habetur: *Ecclesiastica autem consuetudo declarat, eam probationem necessariam esse, ut nullus sibi conscius mortalis peccati, quantumvis sibi contritus videatur, absque præmissa sacramentali confessione ad sacram Eucharistiam accedere debeat: quod à Christianis omnibus, etiam ab iis sacerdotibus, quibus ex officio incubuerit celebrare, hac sancta synodus perpetuo servandum esse decrevit; modo non desit illis copia confessoris. Quod si necessitate urgente sacerdos absque prævia confessione celebraverit, quamprimum confiteatur.* Circa quod etiam notandum, damnatas esse ab Alexandro VII. has propositiones, scilicet 38. *Mandatum Tridentini, factum sacerdoti sacrificanti ex necessitate cum peccato mortali, confitendi quamprimum, est consilium, non praeceptum.* & 39. *Illam particulam: quamprimum: intelligitur, cum sacerdos suo tempore confitebitur.*

ARTICULUS IV.

Solvuntur Objectiones.

218. **O**B. 1. contra 1. conclusio- nem. Qui non habet Spiritum S. non potest remittere peccata; nam *Joan. 20. v. 22. & 23.* dicitur: *Accipite Spiritum Sanctum: quorum remisistis peccata, remittuntur eis: sed hæretici, & peccatores, non habent Spiritum S. ergo non possunt remittere peccata, adeoque ad validam hujus sacramenti, & consequenter etiam ad validam aliorum administrationem, requiritur fides, & probitas ministri.* Confirm. 1. Dicitur *Ecclesiastici. 34. v. 4.* *Ab immundo quis mundabitur? & v. 30.* *Qui baptizatur à mortuo, & iterum tangit eum, quid proficit lavatio illius? ergo immundi ministri non possunt mundare alios, per actiones sacramentales, seu administrationem sacramentorum.* Confirm. 2.

Nemo dat, quod non habet: sed hæretici, & peccatores, non habent remissionem peccatorum: ergo non possunt eam dare.

Resp. 1. neg. mi. Per Spiritum S. intelliguntur ejus dona, ut patet *ex 1. Cor. 12.* & hæc sunt varia, ac inter alia etiam est potestas remittendi peccata, quæ manet in peccatore, uti sæpe manet donum prophetiae. Si quis autem vellet evincere, per Spiritum S. intelligi debere gratiam sanctificantem (quod tamen nunquam probabit; quia potest quis sacramentum ordinis scilicet, sive in peccato, atque adeo sine gratia sanctificante, validè recipere.) Resp. 2. neg. ma. nam, licet etiam hæc gratia conferatur in ordinatione, tamen ei non identificatur potestas absolvendi, adeoque potest ista manere, quin maneat illa. Ad 1. confirm. neg. consèq. In priore textu sermo est de eo, qui lavat propria virtute: quod non competit ministris sacramentorum. Alter textus prioris non venit ad rem; agitur enim ibi, non de baptismo nostro, sed de lustratione, seu ablutione, antiquo testamento propria: & baptizari à mortuo non significat, à mortuo, seu in peccatis existente ministro baptizari, sed ablui propter contactum cadaveris; quia judæi, si fors tetigissent cadaver, debant se lavare, ut habetur *Num. 19. v. 11.*

219. Ad 2. confirm. Axioma illud distinguitur centies in philosophia, ac aliter, & aliter, pro cuiusque gustu, dist. ma. sic nemo dat adæquatè, quod non habet. conc. ma. nemo dat inadæquatè. subdist. quod non habet instrumentaliter. conc. ma. quod non habet formaliter. neg. ma. & sic dist. mi. neg. consèq. Instrumentum alicujus causæ superioris, præcontinentis formaliter, vel eminenter effectum, potest aliquando in virtute illius causæ producere illum effectum, quamvis ipsum instrumentum eum formaliter non contineat. Sic legatus regis sæpe confert alteri officium excellentius, quam ipse habeat, aliquando etiam majores possessiones, e. g. principis feudatario. Rursus soli ministri sacramentorum non sunt causa adæquata gratiæ: causa autem inadæquata, (ut etiam in physicis est clarum) non debet formaliter, vel eminenter effectum præcontinere. Iterum discrimen est inter causas físicas, & morales, quales tamen probabilius sunt ministri sacramentorum respectu gratiæ sanctificantis.

220. Ob. 2. Sacramenta sunt solius Ecclesiæ Catholicæ: sed hæretici sunt extra Ecclesiam: ergo non possunt habere vera sacramenta. Resp. retorq. argum. Etiam verum Evangelium est Ecclesiæ: ergo neque hoc possunt habere hæretici. Imò multa alia bona, & vera habent hæretici, quæ ab Ecclesia non debent repudiari. In forma potest negari consequentia; nam quatuor termini syllogismi facile patent: dist. tamen ma. sacramenta sunt solius Ecclesiæ, ita, ut spectent ad ipsam, & ipsa sola habeat jus adlicitum eorum usum. conc. ma. ita, ut hæretici non possint validè, quamvis illicitè, uti. neg. ma. & consèq. mi. neg. consèq.

sic sæpe res, quæ uni est propria jure, ab alio illicitè, vel vi retinetur.

221. Ob. 3. SS. Patres docent, sacramenta hæreticorum esse invalida: ergo. prob. ant. S. Athanasius. *serm. 3. contra Arianos, sub medium* de hæreticis ait: *Non rectè sentientes, ut dictum est, neque sanam fidem retinentes, inutilem possident aquam.* S. Ambrosius *l. de initiandis, vel ut alii citant, de iis, qui iniantur mysteriis, c. 4.* ait: *Non sanat baptismus perfidorum, non mundat, sed pollut. S. Leo ep. 79. ad Nicetam c. 7. sive ultimo,* ait de baptizatis ab hæretico: *Sola sanctificatio sancti Spiritus invocanda est, ut quod ab hæreticis nemo accipit, à Catholicis sacerdotibus consequatur:* ergo. Resp. neg. ant. cujus falsitas patet ex eo, quod hi SS. Patres nunquam doceant, baptismum hæreticorum esse reiterandum, quod tamen deberent docere, si eum quoad substantiam invalidum censerent: certè S. Leo expressè ibi immediatè præmittit: *Cujus absolutio nulla iteratione temeranda est, sed, ut diximus, sola sanctificatio &c.*

Unde SS. Patres tantum volunt dicere, baptismum illum, licet validum, tamen sæpe esse informem; eoquod non conferat gratiam: intellige iis, qui hæreticis baptizantibus in hæresi consentiunt; nam parvulis confert etiam gratiam. Nii tamen hæresis impediatur legitimam intentionem, vel formam, dum tales hæretici non intelligunt verum Patrem, aut Filium, sed tantum, ut ait S. Athanasius ibidem, *nomine tenus ritum istum pronuntiant:* vel non intendunt baptizare in nomine veri Patris, aut Filii, sed aliter, juxta hæresin ipsorum conficti.

Hujus autem rei periculum erat apud Arianos, de quibus ibi agit S. Athanasius, & hinc paulò ante objecta verba ait: *Ariani autem in periculum veniunt, ne amittant integritatem mysterii: loquor autem de baptismo.* Vult dicere, periculum esse, ne baptismus fiat invalidus, non ratione hæresis præcisè, sed ratione formæ, aut intentionis; cum enim non crederent, DEUM verè Patrem esse, nec Filium verè DEUM, periculum erat, ne vellent baptizare, non in nomine veri Patris, & Filii &c.

222. Quod autem attinet ad S. Cyprianum, utique negari non potest, eum sensisse, baptismum hæreticorum esse invalidum: sed in hoc erravit cum pluribus aliis Episcopis Africanis, quorum opinionem S. Stephanus I. Papa rejecit. Non tamen S. Cyprianus se ab Ecclesia Romana propterea separavit, nec alios sibi non consentientes censuit esse hæreticos; sic enim ipsemet scribit *l. 2. ep. 1. vel juxta aliam editionem ep. 72.* ad Stephanum Papam de hoc negotio: *Ceterum scimus, quosdam, quod semel imbiberint, nolle deponere, nec propositum suum facile mutare: sed salvo inter collegas pacis, & concordia vinculo, quedam propria, qua apud se semel sint usurpata, retinere: qua in re nec nos vim cuiquam facimus, aut legem damus.* Idem testatur S. Augustinus *l. 5.*

de baptis. contra Donatist. c. 17. & iterum *l. de unico baptis. c. 13.*

Neque S. Cyprianus baptizatos à Stephani aseculis rebaptizavit, ut docet iterum S. Augustinus *cit. libro de unico baptismo c. 13.* ubi comparat Donatistas rebaptizantes cum S. Cypriano, atque ejus sequacibus, & sic ait *sub finem:* *Rebaptizare hæreticos, quod illi fecisse dicuntur, tunc fuit humani erroris: rebaptizare autem Catholicos, quod adhuc isti faciunt, semper est diabolica præsumptionis.* Idem S. Augustinus *ep. 48. propius ad finem* tradit, S. Cyprianum postea probabilius resipuisse; sic enim habet: *Cyprianus autem sensisse aliter de baptismo, quam forma, & consuetudo habebat Ecclesia, non in canonicis, sed in suis, & in Concilii literis, invenitur: correxisse autem istam sententiam non invenitur. Non incongruenter tamen de tali viro existimandum est, quod correxerit: & fortasse suppressum sit ab eis, qui hoc errore nimium delectati sunt, & tanto velut patrocinio carere noluerunt: quanquam non desint, qui hoc Cyprianum provisum non sensisse contendunt, sed sub ejus nomine, à præsumptoribus, atque mendacibus, fuisse confictum.* & paulò post: *Porro autem Cyprianus, aut non sensit omnino, quod eum sensisse recitatis: aut hoc postea correxit in regula veritatis: aut hunc quasi navum sui candidissimi pectoris cooperuit ubere charitatis, dum unitatem Ecclesie, toto orbe crescentis, & copiosissime defendit, & perseverantissime tenuit vinculum pacis.*

223. Ob. 4. Stephanus VII. dictus VI. dicitur, omnes, à prædecessore suo Formoso Papa ordinaros, iterum ordinaros, vel jusse ordinaros: ergo censuit, ordines à Formoso (quem judicavit perjuro) collatos, fuisse invalidos: ergo ordines collati à perjuris (& eadem est ratio de alio peccatore, sive hæretico) sunt invalidi; quia judicium Pontificis in tali casu non est fallibile. Confirm. Prius jam Stephanus IV. legitimus Pontifex, cum pluribus Episcopis Romæ congregatis, decrevit, ordinationes factas à Constantino (qui per fratrem suum Totonem Ducem Nepesinum, armis, & violentiâ, in Sedem Romanam post mortem Pauli I. fuerat intrusus, & à Gregorio Episcopo Prænestino, ad id faciendum coacto, ordinatus, ac Sedem Apostolicam, & unum annum, & unum mensem occupavit) irritas esse habendas: & si qui, à Constantino ordinati, eo ordine digni viderentur, eos esse iterum consecrandos, seu ordinandos: ergo ordines, collati à ministro existente in statu peccati, sunt invalidi, & reiterandi. vide Baronium *tom. 9. annalium ad an. Christi 767. & 769.*

Resp. Hoc Stephani factum vehementer improbat à Baronio, & à Spondano *ad an. Christi. 897.* & fuit utique Stephanus vehementissimè accensus contra Formosum, quem in suo cadavere deposuit; unde facile potuit concipere opinionem, quod à Formoso, ratione intentionis, vel formæ, vel materiæ, vel potestatis, aliquis defectus sub-

stantialis, fuerit admissus, vel saltem, quod ordines ab eo collati sint dubii, & ex hac opinione potuit ordinationes repetere. Quamquam autem Stephanus circa factum erroneam opinionem habuerit, & malè fecerit, nihil tamen definit, de fide tenendum: nisi forte conditionatè, si factum ita se habeat, seu si invalidè ordinati fuerint.

Bellarminus tom. 1. *contro. 3. de Rom. Pontif. l. 4. c. 12.* ait, Stephanus errasse, sed in quaestione facti, non juris. Et sanè erravit 1. quòd putaverit, Formosum non fuisse verum Pontificem, 2. quòd defacto iusserit, iterum ordinari jam ordinatos à Formoso: quod tamen non iussit ex hæresi, sed ex odio in Formosum. Addit Bellarminus, neque Stephanum, neque Sergium III. qui postea acta Stephani probavit, edidisse decretum, quòd ordinati à degradato Episcopo sint reordinandi; sed tantum defacto id iussisse. Spondanus quidem *ad annum citatum*, ait, Stephanum postea coacto suorum concilio sua acta contra Formosum probasse. Sed hoc non est intelligendum, quasi dogma considerit; sed tantum, quòd ratam haberit sententiam circa factum particulare, circa quod errare potuit: neque approbavit reiterationem ordinum, nisi ex suppositione, quòd ex aliquo defectu invalidi fuerint: quam tamen suppositionem nunquam decreto aliquo veram fuisse definit. Videri meretur Bellarminus *loc. cit.* ubi historia tota compendiosè narratur.

Ad confirm. neg. ant. Concilii illius Romani editio emendatorum non refert, tunc conclusum fuisse, ut Stephanus ordinatos à Constantino denuo consecraret, sed conciliaret; nam pro verbis consecraret, & consecrandi, in margine ponuntur verba conciliaret, & conciliandi: quæ tantum significant, censuram ab eis auferendam, eosque iterum Ecclesiæ reconciliandos, atque suspensionem, quam incurrerant, tollendam. Adde, quòd antiquioribus temporibus sæpe adhibita sint verba, quæ prima fronte videntur significare depositionem ab ordinibus, vel irritationem ordinum susceptorum: & tamen tantum significant suspensionem aliquam ab exercitio ordinum, ut patet legenti antiquiora Concilia, & antiquos canones.

DISPUTATIO III.

De Effectibus Sacramentorum.

224. **H**ucusque de essentia, ac causis sacramentorum, per disputationes duas est actum: jam agendum de eorum effectibus, qui potissimum sunt gratia, atque character. De his itaque inquirendum, & prima quaestione de gratia, an scilicet sacramenta novæ legis gratiam causent, præ sacramentis legis antiquæ, & quem influxum in eam, morale, an physicum præstent. Altera verò quaestione agendum de characterè, quid sit, & à quibus sacramentis imprimatur, quod ejus munus,

aut quæ utilitas &c. Tertia quaestione querendum, an sacramenta fidei, seu cum obice recepta, isto amoto revivificant, hoc est, effectum suum, à quo per fisionem impedita fuerunt, producant. Quæ omnia pro more succinctè, ita tamen, ut necessarii nihil præmittamus, tractabimus; & sic tractatu huic finem imponemus.

QUÆSTIO I.

De Gratia Sacramentali.

ARTICULUS I.

An Sacramenta novæ legis causent Gratiã Sanctificantem.

225. **D**ico. Sacramenta novæ legis causant gratiam in non ponentibus obicem, ex opere operato. ita docet Catholica fides contra hæreticos, modernos, & antiquos, quos refert Bellarminus tom. 3. *contr. 1. de sacram. l. 2. c. 2.* & Suarez tom. 3. *in 3. p. disp. 7. sec. 1.* Definiva est hæc veritas in Concilio Constantinopolitano I. (quod fuit Oecumenicum II.) in ejus symbolo: *Constitetur unum baptisma in remissionem peccatorum*; in Milevitano *can. 2.* dicente: *Parvuli, qui nihil peccatorum, in semetipsis adhuc committere potuerunt, ideo in peccatorum remissionem veraciter baptizantur, ut in eis regeneratione mundetur, quod generatione traxerunt*: item in Arausiano *II. can. 25.* *Hoc etiam secundam fidem Catholicam credimus, quòd accepta per baptismum gratiã omnes baptizati, Christo auxiliante, & cooperante, quæ ad salutem pertinent, possint, & debeant, si fideliter laborare voluerint, adimplere.* Idem docet Florentinum in decreto Eugenii, citato *n. 10.*

Clarissimè autem hanc veritatem definit Tridentinum *sess. 7. can. 6. de sacramentis in genere.* dicens: *Si quis dixerit, sacramenta novæ legis non continere gratiam, quam significant, aut gratiam ipsam non ponentibus obicem non conferre, quasi signa tantum externa sint, accepta per fidem gratiã, vel justitiã, & nota quadam Christianæ professionis, quibus apud homines discernuntur fideles ab infidelibus, anathema sit.* & *can. 7.* *Si quis dixerit, non dari gratiam per hujusmodi sacramenta semper, & omnibus, quantum est ex parte DEI, etiam scripte ea suscipiant, sed aliquando, & aliquibus, anathema sit.* & *can. 8.* *Si quis dixerit, per ipsa novæ legis sacramenta ex opere operato non conferri gratiam, sed solam fidem promissionis ad gratiam consequendam sufficere, anathema sit.*

226. Probatur etiam doctrina Catholica ex Scripturis iisdem, quas attulimus *n. 175.* dum probarem, septem sacramentis annexam esse promissionem gratiæ: sic de baptismo *Marc. 16. v. 16.* dicitur: *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit.* & *Joannis 3. v. 5.* *Nisi quis renatus fuerit, ex aqua, & Spiritu Sancto, non potest intro-*

re in regnum DEI. item *Act. 22. v. 16.* *Baptizare, & ablue peccata tua.* Sic etiam dicitur de penitentia *Act. 2. v. 38.* *Penitentiam agite, & baptizetur unusquisque vestrum in nomine JESU Christi, in remissionem peccatorum*: ac SS. Evcharistia *Joan. 6. v. 59.* *Qui manducat hunc panem, vivet in æternum*: de ordine 2. *ad Timoth. 1. Ut resuscites gratiam DEI, quæ est in te per impositionem manuum mearum*: de extrema unctione *Jacob. 5. v. 15.* *Si in peccatis sit, remittentur ei.* Similia de reliquis sacramentis vide loco modò citato.

Eandem veritatem constantissimè asserunt SS. Patres, Latini, & Græci. Ex Latinis S. Justinus in apologia 2. *ad Antoninum Pium sub finem* ait de homine baptizato: *Expiatus est lavacro, quod in remissionem peccatorum, regenerationemque datur.* S. Ambrosius *l. 2. de penitentia. c. 2.* *Impossibile videbatur, ut peccatum ablueret aqua. Denique Naaman Syrus lepram suam mundari per aquam posse non crederit: sed, quod impossibile erat, fecit DEUS esse possibile, qui tantam nobis donavit gratiam.* S. Augustinus *tr. 80. in Joan.* *Unde ista tanta virtus aqua, ut corpus tangat, & cor abluat?* S. Hieronymus *l. 3. dialog. contra Pelagianos. c. 1.* inducens loquentem Catholicum sub nomine Attici ait: *Hoc scito, baptismum præterita donare peccata.* S. Gregorius *l. 9. registri. epist. 39.* *Omnes, qui in sancto baptizate tinguntur, eorum peccata præterita omnia laxantur.* & post pauca: *Qui ergo dicit, peccata in baptisate funditis non dimitti, dicat, in mari rubro Ægyptios non veraciter mortuos.* Ex Patribus Græcis Origenes *homil. 14. in c. 2. Luc.* ait: *Parvuli baptizantur in remissionem peccatorum.* S. Cyrillus Hierosolymitanus in *præfat. catecheseon sub finem*: *Magnum est sanè propositum hoc baptisima: civitatis liberatio, peccatorum remissio, mors peccati, anime regeneratio.* S. Gregorius Nissenus in oratione de baptisate. *Baptisima igitur peccatorum expiatio est, remissio delictorum.* Plura vide apud Bellarminum tom. 3. *contro. 1. de sacram. l. 2. c. 6.* & 7. & Suarez tom. 3. *in 3. p. disp. 7. sec. 1.* ergo juxta SS. Patres baptismus causat gratiam: ergo etiam reliqua sacramenta; quia inprimis, si baptismus causat gratiam, jam hæreticorum argumenta ruunt: dein, si unum symbolum, seu sacramentum causat gratiam, non est hæc vis neganda aliis, quæ etiam habent promissionem gratiæ annexam.

227. Ob. 1. ex Lutero. S. Paulus ait *ad Rom. 1. v. 17.* *Justus autem ex fide vivit*: ergo non vivit ex sacramentis. Confirm. 1. ex Calvino. Juxta nos DEUS resignat vices suas symbolis externis: hoc est absurdum: ergo. Confirm. 2. Hac ratione abducuntur homines à Christo, ut alligentur signis: hoc rursus est absurdum: ergo. Resp. neg. conseq. Fides, & sacramenta requiruntur ad vitam spiritualem: nec dicit S. Paulus, justum ex sola fide vivere, sed e contra *1. Cor. 13. v. 2.* ait: *Si habuerio omnem fidem, ita,*

ut montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil sum. S. Jacobus in sua epistola *c. 2. v. 20.* ait: *Fides sine operibus mortua est.* Verum non est hic locus, fufius ista tractandi; sed potius supponendum est, solam fidem non justificare. Ad 1. confirm. neg. ma. Sicut faber utens ferrà, non resignat illi vices suas, ita nec DEUS resignat vices suas sacramentis, dum illis, ceu instrumentis utitur. Ad 2. confirm. neg. ma. Imò hac ratione homines vel maxime ducuntur ad Christum, à cujus meritis, & passione, sacramenta vim omnem habere profiteamur.

228. Ob. 2. *Marc. 16. v. 16.* dicitur: *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit: qui verò non crediderit, condemnabitur*: non autem dicitur: *Qui non baptizatus fuerit, condemnabitur*: ergo sola fides, & non baptismus confert gratiam, & justificationem. Confirm. 1. Dicitur *ad Ephes. 5. v. 16.* *Mundans Ecclesiam lavacro aqua in verbo vite*: ergo solum verbum vitæ, id est, concio, vis fides, per hanc excitata, salvat. Confirm. 2. Apostolus *ad Rom. 4.* negat, Abrahamum fuisse justificatum per circumcissionem: sed circumcisio tunc se habuit, sicut modò se habet baptismus: ergo. Resp. neg. conseq. Utrumque requiritur, ut nempe quis credat, & baptizetur: licet autem ibi non dicatur: *Qui non baptizatus fuerit, condemnabitur*: dicitur id satis *Joan. 3. v. 3.* iis verbis: *Nisi quis renatus fuerit denuo, non potest videre regnum DEI.* Dein, qui non credit, non volet baptizari: & si adultus etiam vellet, absque fide ei non prodesset. Ad 1. confirm. neg. conseq. *Verbum vite* non est verbum concionis, sed consecrationis, ut diximus *n. 75.* Ad 2. confir. neg. mi. nam de circumcissione dicit S. Paulus *1. Cor. 7. v. 19.* *Circumcisio nihil est: de baptismo autem ait ad Titum 3. v. 5.* *Salvos nos fecit per lavacrum regenerationis.*

229. Ob. 3. Dicitur, *1. Petr. 3. v. 21.* *Vos nunc similis forma salvos facit baptisima, non carnis depositio sordium, sed conscientiæ bonæ interrogatio in DEUM, per resurrectionem JESU Christi*: ergo baptisima salvat per resurrectionem, id est, per fidem resurrectionis. Confirm. *Luc. 5. v. 21.* dicunt Pharisei: *Quis potest dimittere peccata, nisi solus DEUS?* ergo id non possunt sacramenta. Resp. neg. 2. p. conseq. Baptisima dicitur salvare, non per fidem, sed per resurrectionem Christi. Scilicet, cum baptizatur per immersionem in aquas, & ex his iterum emergimus, representamus Christi resurrectionem, & ejus progressum ex sepulchro. Dein baptisima facit, ut in novitate vitæ ambulemus, quod à nobis requirit Apostolus *ad Rom. 6. v. 4.* ad imitationem Christi, qui per resurrectionem novam vitam incepit; unde baptisima etiam ut symbolum resurrectionis confert gratiam.

Nec præpositio per significat hic causam meritoriam, sed exemplarem; quia resurrectio Christi jam contigit extra viam, seu statum merendi. Priorum autem verborum sensus est, baptismum non salvare, quatenus

tantum adhibetur ad ablucendum corpus. sed, quatenus adhibetur ad mundandam animam: quia occasione Ecclesia solet semper interrogare bonam, seu fidelem conscientiam, an credat, scilicet in DEUM, & resurrectionem Christi. vide Suarez tom. 3. in 3. p. disp. 7. sec. 1. §. Ad locum Petri. Ad confirm. retorq. arg. Sic nec fides possit peccata dimittere: & Christus male dixisset Apostolis Joann. 20. v. 23. Quorum remisistis peccata, remittuntur eis. in forma dist. conseq. sacramenta non possunt dimittere peccata, tanquam causae principales, & auctoritative. conc. conseq. tanquam causae instrumentales. neg. conseq.

230. Ob. 4. ex Lutero. In omni sacramento requiritur promissio gratiae: ergo etiam fides de promissione: adeoque haec justificat. Confirm. 1. Nemo salvatur sine fide; attamen aliqui salvantur sine sacramentis: ergo. Confirm. 2. S. Bernardus *serm. in cena Domini*. ait, sacramenta se habere ut librum, vel baculum, quo instituitur Canonicus, vel Abbas: alii vero Patres vocant sacramenta oblationem fidei: ergo sola fides justificat. Resp. dist. ant. requiritur promissio gratiae in institutione sacramenti. conc. ant. in usu, seu administratione. neg. ant. & conseq. & praesertim neg. 2. partem conseq. quia, etsi fides, & promissio gratiae, requirerentur tanquam condiciones, tamen non se solis justificarent.

Ad 1. confirm. neg. ant. Parvuli salvantur sine fide actuali, & non salvantur sine sacramento; unde sacramentum salvat sine fide actuali. Verum est quidem, quod aliquando etiam fides sine sacramento in re accepto justificat; attamen non justificat sola, sed cum charitate, quae est votum sacramenti: & hinc tam fides, quam sacramentum salvat, sed diverso modo. Ad 2. confirm. neg. conf. Sacramenta quidem suo modo obbeunt haec officia, sed non tantum: verum insuper etiam causant gratiam.

231. Ob. 5. S. Augustinus l. 15. de *Trinitate*. c. 26. ait: Neque enim aliquis discipulorum ejus Christi dedit Spiritum Sanctum. Orabant quippe, ut veniret in eos, quibus manum imponebant: non ipsi eum dabant. 2. Idem l. 21. de *civitate Dei*. c. 20. refert, quosdam docere, quod illi non possint damnari, qui sacramenta baptismi, & coenae Domini in Ecclesia Catholica percipiunt, licet nec fidem, nec bonam habeant vitam, idque c. 25. refellit. 3. Idem Sanctus Doctor l. *questionum veteris, & novi testamenti* q. 59. ait: Nec donum caeleste poterit consequi, qui se per aquam, non per fidem, commutari credit. 4. Iterum lib. *questionum super Heptateuchum* l. 3. super *Leviticum*. q. 84. ait, ministerium solum praebere visibile sacramentum, DEUM vero invisibilem gratiam: imò ait, haec duo posse separari, & quandoque dari sacramentum sine gratia, ut in Simone Mago, quandoque gratiam sine sacramento, ut in bono latrone: ergo sacramenta, aut ministri, non causant gratiam, sed tantum DEUS.

232. Resp. neg. conseq. & retorq. arg. sic nec fides possit dare Spiritum S. aut justificationem. Dein ad 1. textum respondeo, quod per Spiritum S. saepe quidem intelliguntur ejus dona, non tamen semper, & aliquando intelligatur ipsemet, qui mitti, vel dari non potest, nisi a DEO: atque ita eo loco intelligendus est S. Augustinus; alibi enim fatetur S. Doctor *Actor*. 8. v. 17. datum esse ab Apostolis Spiritum S. Suarez tom. 3. in 3. p. disp. 9. sec. 2. §. Ad argumenta, vult, debere intelligi dationem autoritativam, & principalem, qualem facere potest solus DEUS, etiam respectu donorum Spiritus S. Ad 2. textum, Resp. merito illos malos doctores reprehendi; quia adulti, sine fide, & pietate, recipientes ea sacramenta peccant, & damnantur: imò S. Augustinus reprehendit ibi potissimum eos, qui putabant, se gratiam, per sacramenta acceptam, non posse deperdere, quod non nos, sed Lutherani docent. Ad 3. textum, Resp. librum illum non esse S. Augustini, sed haeretici, multa docentis contra fidem, ut *quasi*. 109. quod Melchisedech filius Spiritus S. q. 123. quod Adam non habuerit, Spiritum S. Plura alia inconvenientia, in hoc libro contenta, refert Bellarminus de *Script. Eccles.* ad tom. 4. S. Augustini, atque etiam alii. Potest etiam responderi, nos per fidem commutari formaliter; quatenus fides, in anima formaliter recepta, eam immutat, sicut quodvis accidens immutat suum subiectum: per sacramenta vero nos commutari, non formaliter, sed efficienter.

233. Ad 4. textum S. Augustinus ibi sic habet: *Quomodo ergo & Moyses sanctificat, & Dominus. Non enim Moyses pro Domino: sed Moyses visibilibus sacramentis per ministerium suum: Dominus autem invisibili gratia per Spiritum Sanctum, ubi est totus fructus etiam visibilium sacramentorum*; unde responderi potest, 1. quod hisce verbis non significetur, ministerium tantum praebere nudum ministerium, seu sacramentum sine gratia: sed etiam ipsum sanctificare, quamvis tantum ministerialiter, seu instrumentaliter; cum DEUS sanctificet principaliter, & auctoritative: nempe vult dicere S. Doctor: DEUS dat gratiam per se, physice, & principaliter: Moyses, seu alius minister (nam per Moysen S. Augustinus quemlibet ministerium intelligit) dat eam mediantibus sacramentis, & instrumentaliter, moraliter eam causando, ut postea dicemus.

Responderi potest 2. ministerium posse dupliciter considerari: uno modo, ut est agens naturale, ex virtute naturali lavans corpus, dum baptizat: alio modo, ut est agens, tanquam instrumentum DEI. Primo modo hic consideratur a S. Augustino, & dicitur, tantum lavare corpus: altero modo consideratur; revera per sacramenta, seu per actionem suam, efficit gratiam: non tamen alia actione, quam illa, qua DEUS utitur ad justificandum hominem. In hoc quoque sensu exponendus est S. Hieronymus in 4. l. *Isaia*. ubi dicit: *Ex quo discimus, quod bono tantum aquam tribuat, DEUS autem Spiritus*

Spiritum Sanctum. Quod autem separari possint illa duo, scilicet administratio, seu susceptio sacramenti, & collatio gratiae, seu Spiritus S. aliud non probat, quam, quod sacramenti effectus possit impediri, & quod DEUS possit dare etiam gratiam sine sacramento, quae non sunt nobis contraria. Gormaz de *sacram.* in genere n. 176. vult, his textibus negari influxum physicum sacramentorum in gratiam (qui ex ejus mente solum DEO competit) & adstrui influxum morale.

ARTICULUS II.

An Sacramenta novae legis causent physice Gratiam.

234. Dico. Sacramenta novae legis probabilius non causant physice gratiam: sed causant eam moraliter. ita Coninck de *sacram.* q. 62. n. 4. n. 123. Gormaz de *sacram.* n. 167. Haunoldus l. 4. tract. 2. c. 3. n. 599. Lugo de *sacram.* in genere. disp. 4. sec. 4. n. 35. Canus, Vasquez, Arriaga, Ledesma, Hurtado, & plurimi alii, recentiores praesertim, quibus non parum favet S. Bonaventura in 4. disp. 1. p. 1. q. 4. sub *finem*. Suppono autem ex physica, causam physicam dici illam, quae executivè influit in actionem productivam, & a qua actio essentialiter dependet: causam autem morale esse illam, qua non exequitur actionem, sed ut intentionaliter existens, seu ut cognita, movet causam physicam ad ponendam actionem. Ut autem discrimen sit inter causam morale strictè dictam, & inter causam finale, debet causa moralis strictè dicta movere, non ut sit, sed quia est.

Prob. jam conclusio. Sacramenta saepe causant gratiam, quando non existunt: ergo tunc non causant gratiam physice: ergo nunquam eam physice causant. ant. patet; quia saepe baptismus, vel aliud sacramentum, cum obice susceptum, non causat gratiam tunc, quando datur, sed primum postea, quando obex removetur, & ipsum reviviscere dicitur. prima consequentia, nisi fiat quaestio de nomine, videtur certa; quia, quod physice non existit, non potest physice causare, ut suppono ex physicis: secunda consequentia etiam probatur. omnes rationes, quae afferuntur pro physico influxu sacramentorum in gratiam, si quid probant, universaliter probant pro omnibus casibus, ut patebit expendenti; nam SS. Patres, & Concilia loquuntur universalissimè de sacramentis, sive fictè, sive debito modo susceptis: nec est ulla ratio pro uno casu, quae non aequaliter pugnet pro aliis: ergo, si sacramenta non semper physice causant gratiam, eam nunquam physice causant.

235. Confirm. 1. Totum sacramentum nunquam simul existit; nam aliquando materia jam praeterita est, quando accedit forma, ut in poenitentia: aliquando forma non amplius existit, quando datur gratia, ut in

Evcharistia: in omni autem sacramento ultima tantum syllaba formae datur physice, quando datur gratia: imò etiam, cum ablutio, unctio &c. sint actiones successivae, etiam istarum tantum ultima indivisibilis pars existit, quando conferitur gratia: ergo partes plurimae sacramentorum tantum causant moraliter, & minima tantum pars possit causare physice gratiam: hoc non videtur admittendum: ergo. prob. min. non tantum ultima parti, sed toti sacramento, adaequate sumpto, tribuant SS. Patres, & Scripturae effectum gratiae, nec minus uni parti, quam alteri: ergo omnes debent in eodem genere causare: ergo, cum non possint omnes partes causare physice, debent omnes causare moraliter.

236. Confirm. 2. Si admittatur influxus physicus sacramentorum in gratiam, multiplicentur miracula sine necessitate: hoc ex communi Theologorum fieri non debet: ergo. ma. prob. primò enim sacramenta, utpote entia materialia, debent ratione potentiae obdientialis elevari supernaturaliter, ad producendum spirituale effectum praestantissimum, scilicet ad producendam gratiam, quae est quasi natura in ordine superno. Secundo sacramenta debent saepe agere in distans; non enim datur applicatio physica absolutionis ad poenitentem, in sacramento poenitentiae, nec applicatio consensus ad alteram partem, in sacramento matrimonii &c. Quòd autem nulla sit necessitas istorum miraculorum, probatur in primis ex eo, quod illum influxum physicum nec tradant Scripturae, nec Concilia, aut Patres, ut ob horum auctoritatem necesse sit, ea miracula admittere: dein ex eo, quod utilitas, dignitas, & aestimatio sacramentorum, habeatur etiam tota, modò ipsa infallibiliter, etsi tantum moraliter, causent gratiam; ex hoc ipso enim, quod sacramenta influant in gratiam moraliter, tanquam actiones Christi, ut infra explicabimus, valde sunt aestimanda.

237. Neque dicas cum Dicastillo, sacramentis imprimi à DEO qualitatem, intrinsecè ea elevantem; nam, si illa qualitas materialis est, non potest ipsa, nisi iterum elevetur, producere gratiam, quae est ens spirituale: spiritualis autem esse illa qualitas difficulter potest; quia deberet recipi, pro omni statu suo, in subiecto materiali, scilicet in signis sensibilibus, & sic ei non conveniret definitio entis spiritualis, communiter recepta: nisi iterum adstruatur novum miraculum, quo qualitas illa conservetur supra suam exigentiam, absque subiecto sustentationis, & tantum sit in subiecto informioris. videri poterit etiam haec de re Suarez tom. 3. in 3. p. disp. 9. sec. 1.

238. Respondent 1. Gonetus, Contenton, & Thomistae communiter, ad nostrum argumentum, sacramenta semper physice causare gratiam; quia, etsi ipsa non amplius existant, existit tamen character ab ipsis relictus: vel, si sacramenta non imprimant characterem, existit, juxta aliquos saltem, aliquis ornatu animae, ab ipsis relictus, qui character. vel

ernatus deinde, remoto obice, producit gratiam: adeoque potest dici, quod ipsa sacramenta mediante istis gratiam physicè producant. Sed contra est. In primis sacramenta, quæ characterem non imprimunt, si fidè suscipiuntur, nullum ornatum permanentem animæ conferunt: sed ista potius maculatur peccato: ergo in istis sacramentis non potest salvari efficientia physica.

Secundò. Character non potest producere gratiam connaturaliter, & sine elevatione: ergo non possunt dici sacramenta per ipsum influere physicè. consequenter patet; quia causa non dicitur influere per illum effectum, qui non influit virtute naturali, quam à causa accipit; alias etiam vitis juxta adversarios produceret physicè gratiam; quia ejus effectus, scilicet vinum, aut species ut elevatæ, juxta ipsos gratiam physicè producant. prob. ant. gratia, utpote natura in ordine superno, & primus omnium sacramentorum effectus, non potest connaturaliter produci à characterè; non enim potest produci à characterè, tanquam à causa principali in genere causæ secundæ, ut patet; quia gratia est longè perfectior characterè: non etiam tanquam à causâ instrumentali ex virtute connaturali; quia character non est à DEO ordinatus ad hoc, ut producat gratiam; neque enim, quando per sacramentum, rite susceptum, caulatur gratia, & character simul, iste in illam influit: neque, si gratia baptismi perdat per peccatum, & postea recuperetur per poenitentiam, character illam producit. Sed neque pertinet ad finem characteris, producere gratiam: neque ipse datur, ut suppleat vices baptismi absentis, aut ut sit ejus virtus instrumentalis: ergo sine omnino fundamento asseritur, eum habere connaturalem virtutem instrumentalem producendi gratiam.

239. Respondent 2. alii, modò una indivisibilis pars sacramenti causet physicè gratiam, jam posse dici, totum sacramentum physicè eam causare: sicut totus globus dicitur tangere planum, licèt istud tantum tangat unicum indivisibile punctum globi. Hæc responsio supponit, ab ultima tantum sacramenti parte physicè causari gratiam: sicut etiam responsio superior debet supponere, ab ultima tantum parte sacramenti physicè causari characterem, quod utrumque negatur à nobis. Sed, hoc omisso, contra est primò. Partes globi uniuntur inter se physicè: & sine hac unione non diceretur totus globus tangere planum: certè, si DEUS eo momento, quo indivisibile punctum tangit planum, destrueret reliquas omnes partes globi, non diceretur totus globus tangere planum: atqui in nostro casu omnes reliquæ partes sacramentorum, usque ad ultimam indivisibilem, jam sunt destructæ: ergo.

Secundò. In illo casu partes reliquæ globi, non formaliter, sed tantum denominativè, tangunt planum, nec magis dicuntur tangere planum, quam in concreto dicitur etiam corpus humanum cognoscens; quia constituit totum hominem, qui dici-

tur cognoscens, licèt corpus revera, in formaliter spectatum, minimè cognoscat, aut cognitionem producat: ergo etiam reliquæ partes sacramentorum, quæ non amplius existunt, non verè, & formaliter physicè, sed tantum denominativè causarent gratiam; ergo modus causandi gratiam, à Scripturis, Patribus, & Conciliis, attributus sacramentis, non est modus causandi physicus, sed moralis. prob. conf. modus causandi gratiam, à Scripturis &c. asseritur, competit materiæ, & formæ adæquatè sumptæ, verè, & formaliter, & non tantum denominativè: ergo non est physicus, sed moralis.

Respondet 3. Viva curs. Theol. p. 7. disp. 2. q. 2. à n. 5. posse dici, sacramenta causare physicè gratiam per omnipotentiam DEI, quæ specialiter ipsis inexistit, tanquam virtus illorum propria: & non quidem physicè, sed tamen moraliter ipsis unita est, tanquam suppleans vices qualitatè intrinsecæ, per quam scilicet sacramenta eleventur ad producendam gratiam: fermè, (ut ait) sicut DEUS unitur moraliter justis ratione gratiæ sanctificantis. Ait dein n. 7. hac ratione defendi quoque posse, quòd sacramenta, quamvis non amplius physicè existant, tamen adhuc gratiam physicè causant; eoque ad hoc, ut aliquid physicè causet per suam virtutem, non sit necesse, ut, quando actio fit, virtus sit conjuncta agenti: sed sufficiat, si prius conjuncta fuerit: sicut nempe, (ut ait) una lactuca physicè producit aliam, quando non amplius existit, si semen, illi prius unitum, postea eam producit.

Sed in primis in hoc discursu paritas unionis DEI cum justo, & unionis omnipotentia cum sacramentis, non rectè fit; nam justus est intrinsecæ gratia, quæ exigit amabilem affectum, seu aliquam unionem moralem DEI: nihil simile est intrinsecum sacramentis respectu omnipotentia Divinæ. 2. quia semen est à priore lactuca physicè productum, hinc potest dici suo modo virtus lactucæ, & ista per illud physicè mediare producere alteram lactucam: at omnipotentia DEI non est producta à sacramentis: imo nec est in ipsis intrinsecè, nec fuit aliquando physicè unita, uti tamen semen aliquando unitum fuit lactucæ &c. verum his omisissis contra hanc explicationem, seu asserionem sic arguo.

Hic discursus reducit hanc controversiam ad puram quæstionem de nomine, & in hac recedit à communi sine ulla necessitate. Admittimus utique, quòd omnipotentia Divina aliquo modo moraliter uniatur sacramentis (quidquid sit, an eo modo, quo Viva contendit) Admittimus insuper, quòd omnipotentia suppleat virtutem sacramentorum, & loco istorum gratiam physicè producat. Negamus tamen, posse proprie dici, sacramenta physicè causare gratiam; hoc enim neque physicè causant immediate, nec mediare; nam physicè immediate causant communiter dicitur illa causa, quæ ita extrinsecè influit, ut actio productiva effectus sit

fit ipsum actuale exercitium illius causæ, & hanc essentialiter respiciat, tanquam suum principium, à quo essentialiter dependet: atqui, quando causa non existit, non potest actio ita se habere respectu illius: ergo talis causa non potest immediate physicè influere: consequenter sacramenta non amplius existentia non possunt physicè immediate influere in gratiam.

Causare autem physicè mediare est producere physicè immediate causam posterioris effectus: & sic una lactuca, per semen producens aliam lactucam, ut vult Viva, producit hanc alteram physicè mediare, quatenus immediate producit semen, tanquam causam immediatam alterius lactucæ. Dixi, ut vult Viva, qui hoc exemplum sæpius adducit: quamvis fortè ij philosophi, qui admittunt vitam seminum, negaturi sint, à femine produci lactucam; cum substantialiter jam sit lactuca. Sed quidquid de hoc sit, sacramenta certè non producant omnipotentiam productricem gratiæ, & ideo necmediate producant gratiam.

Equidem scio, quòd aliquando à quibusdam in sensu latiori dicatur aliquid esse causa physica respectu effectus, in quem physicè non influit, imò neque strictè influit in causam effectus: sed tunc, vel debet virtus physicè influens esse aliquid ei rei naturaliter debitum: qua ratione videntur illi, qui potentias ab anima distinguunt, dicere, quòd hæc physicè producat intellectiones, & volitiones: vel saltem debet virtus esse physicè unita, seu intrinsecè recepta in eo, quòd dicitur physicè agere, & non debet esse extrinsecæ, aut tantum quomodolibet moraliter unita. At omnipotentia non est naturaliter debita sacramentis, neque etiam intrinsecè in iis recepta: sed est tantum aliquid extrinsecum, iis utcumque moraliter unitum: ergo neque ex hoc capite possunt sacramenta dici causæ physicae gratiæ.

Adde, quòd omnipotentia non sit magis unita sacramentis, quam sit, vel fuerit unita passioni, & morti, item resurrectioni, & ascensioni Christi Domini: neque magis sit virtus illorum, quam iltarum: & tamen passio, & mors Christi &c. non produxerunt, nec modò producant physicè gratiam: ergo nec sacramenta. Asserit quidem Viva loc. cit. n. 7. quòd passio, & mors Christi &c. causent etiam nunc adhuc physicè gratiam (& certè ex ipsius principii id sequitur) sed planè loquitur omnino impropiè.

Et cur non etiam dicam, nostra merita causare physicè gratiam, & gloriam; cum & ipsis omnipotentia aliquo modo moraliter, vel tanquam suppleans virtutem, aut qualitatè meritis intrinsecam, uniatur, & eorum virtutem suppleat, in ordine ad producendam gratiam, & gloriam? Asserit quidem Viva pro se S. Thomam 3. p. q. 48. a. 6. ad 3. sed ibi Angelicus plus non docet, quam, quòd Divinitas, quæ constituit meritum passionis Christi, sit causa physica gratiæ, & gloriæ, actio autem voluntatis animæ Christi sit cau-

sa moralis meritoria, quòd totum admittimus. Verum de hac quæstione nominis plus, quam satis.

240. Sed petes, quomodo igitur exprimitur causalitas moralis sacramentorum respectu gratiæ. Resp. eam explicari per hoc, quòd actiones sacramentales dicantur esse moraliter actiones Christi Domini; sicut enim actiones procuratorum sunt moraliter actiones principum, ita actiones sacramentales sunt actiones Christi; nam administratores sacramentorum sunt vicarii, ministri, & delegati Christi, quemadmodum dicitur 1. Cor. 4. v. 1. Sic nos existimet homo ut ministros Christi, & dispensatores mysteriorum DEI. Idem docet Florentinum, quod in decreto Eugenii agens de SS. Eucharistia dicit: Sacerdos enim in persona Christi loquens hoc conficit sacramentum. & Tridentinum, quod sess. 14. c. 5. ita habet: Dominus noster JESUS Christus, & terris ascensurus ad calos, sacerdotes sui ipsius vicarios reliquit.

Idem tradit Catechismus Romanus, seu Tridentini de sacram. §. Illud verò maxime, de prestant. & differant. sacram. & eorum auctore. ubi de ministris loquens ait: in sacra illa functione non suam, sed Christi personam gerunt. Idem docent SS. Patres, ex quibus S. Augustinus tr. 5. in Joann. sub finem, explicans illud Joann. 1. v. 33. Hic est, qui baptizat in Spiritu Sancto: ait: Quos enim baptizavit Joannes, Joannes baptizavit: quos autem baptizavit Judas, Christus baptizavit: sic ergo, quos baptizavit ebriosus, quos baptizavit homicida, quos baptizavit adulter, si baptismum Christi erat, Christus baptizavit. iterum tr. 6. in Joann. ante medium in eadem verba: Hic est, qui baptizat in Spiritu Sancto: ait: Petrus baptizet: hic est, qui baptizat: Paulus baptizet: hic est, qui baptizat: Judas baptizet: hic est, qui baptizat: quod utique non potest intelligi, quasi Christus per se baptizet physicè: sed tantum, quòd per suos ministros baptizet moraliter: ex quo satis aperte inferitur, quòd actiones ministrorum sint moraliter actiones Christi.

241. Ubi advertendum, quòd actio procuratoris habeat vim impetrandi &c. à dignitate, & meritis principalis; nam si e. g. rex per legatum aliquid ab alio petit, utique hæc petitio, nomine regis facta, habet longè majorem vim impetrandi, quam si eam faceret per suum legatum aliquis rege inferior, vel si legatus eam faceret, non quia legatus, seu nomine regis, sed nomine suo: item si quis vasallus, qui plurima habet merita apud regem, petat aliquid per suum procuratorem, hæc quoque petitio habet majorem vim, quam si petat alius, qui non est ita bene meritus, ut ex terminis patet. Quare etiam actiones ministrorum Christi trahunt valorem, & vim impetrandi, à dignitate infinita, & meritis sanguinis, passionis, ac mortis Christi; atque adeo habent valorem summum, ad impetrandas, & sic mora.

moraliter caufandas, seu conferendas nobis gratias.

Scilicet eo proportionaliter major est vis impetrandi in petitione, quo major est dignitas, vel quo majora sunt merita illius, qui per se, vel per alium petit, ut est per se clarum, & patet ex exemplis modò adductis: dignitas autem, & merita Christi Domini sunt infinita: ergo. Et hac ratione intelligitur optimè id, quod SS. Patres dicunt, scilicet sacramenta esse burfas, seu vasa plena meritorum Christi, & gratiarum: item, quod S. Augustinus asserit *tr. 15. & 120. in Joan.* nempe Ecclesiae sacramenta manasse ex latere Christi aperto: quod etiam asserit Catechismus Tridentini de sacramentis §. *Ex iis igitur de excellent. sacram.* & statim addit: *Eam gratiam, quam significant, Christi sanguinis virtute operantur.*

ARTICULUS III.

Solvuntur Objectiones.

242. **O**B. I. Scripturæ, Concilia, & Patres, passim dicunt, sacramenta conferre, causare, tribuere, continere gratiam, nos lavare, mundare, regenerare, & liberare à peccatis: sed hæc verba significant causalitatem physicam: ergo, prob. mi. verba Scripturæ debent accipi, ut sonant: atqui, si ista verba ita accipiantur, significant causalitatem physicam: ergo. Confirm. 1. Nomen analogum, absolute prolatum, sumitur pro significato nobiliori: sed nobilior significatio causæ est causa physica: ergo. Confirm. 2. Sacramenta dicuntur à Conciliis, & SS. Patribus, absolute, & simpliciter, sine addito limitante, causæ gratiæ: sed causa, absolute, & simpliciter dicta, est causa physica: ergo. prob. mi. homo generans etiam movet DEUM ad ponendam animam rationalem in materia disposita: & tamen non potest absolute, & simpliciter, absque addito limitante, dici causa animæ rationalis: ergo.

243. Resp. Casu, quo sacramenta non amplius physicè existant, non possunt amplius physicè causare gratiam: & tamen hæc dicta Conciliorum, & Patrum, debent etiam verificari de sacramentis causantibus gratiam, quando non amplius existunt: e. g. de sacramentis, quæ recipiuntur cum obice, & postea primùm, eo remoto, causant gratiam; neque enim SS. Patres faciunt discrimen illum inter unum, & alterum casum. Sic S. Augustinus *l. 3. de baptis. contra Donatist. c. 13.* ait: *Tunc incipit valere idem baptismus ad dimittenda peccata, cum ad Ecclesiam pacem venerint, non ut jam dimissa non retineantur, neque ut ille baptismus, quasi alienus, aut alius improbetur, ut alter tradatur: sed ut idem ipse, qui propter discordiam foris operabatur mortem, propter pacem intus operetur salutem.* Item Author sermonis de passione Domini inter opera S. Cypriani ait: *Licet indigni sint, qui accipiunt, sacramentorum tamen reveren-*

tia, & propinquiorum ad DEUM parat necessum, & ubi redierint ad cor, constat ab solutionis donum, & redit effectus munerum.

244. In forma neg. mi. ad prob. conema. neg. mi. nam causa, etiam apud philosophos, non semper significat physicam: & causa finalis, quæ non est physica, juxta omnem philosophiam est verè causa. Rursus in humano modo loquendi, juxta quem debent accipi Sacra Scripturæ, causa moralis verè dicitur causa, & qui moraliter aliquid facit, dicitur absolute id facere, etiam in Scripturis: sic 2. Reg. 12. v. 9. dicit Nathan ad David: *Uram Hethaem percussisti gladio; cum tamen David tantum fuerit causa moralis necis illius.*

Rursus Scripturæ, Concilia, & Patres, non minùs de sanguine, passione, & morte Christi Domini, quàm de sacramentis, absque addito limitante dicunt, quòd sanctificent nos, & mudent à peccatis: item dicunt de fide, quòd justificet hominem: de elemosyna, quòd resistat peccatis, vel ab his liberet: de peccatoribus, quòd causent suam damnationem; quin ista physicè faciunt. Quare etiam locutiones illæ de sacramentis, possunt intelligi de causa morali: imò debent; cum alias non possent intelligi de sacramentis, primùm post obicem remotum gratiam causantibus, de quibus tamen etiam ea verba debent intelligi.

245. Ad 1. confirm. om. ma. dist. mi. nobilior significatum causæ est causa physica, si id significatum sumatur in rigore logico. om. mi. si sumatur in sensu morali, & humano. neg. mi. & conseq. Dixi: om. mi. quia sæpe mandans, qui est tantum causa moralis, absolute dicitur causa principalis, & magis causa, quàm executor, qui est causa physica. Ad 2. confirm. neg. min. mandans, enim, qui est tantum causa moralis, dicitur simpliciter sine addito causa, & juxta omnem philosophiam dantur quatuor species causarum simpliciter dictarum; unde non tantum causa physica, sed etiam aliæ tres sunt simpliciter causæ.

Ad prob. retorq. arg. Christus non potest simpliciter dici creatura, licet simpliciter possit dici homo, qui tamen est creatura: dicant adversarii quare? Respondent: quia ista locutio, simpliciter prolata, ex mente Patrum, contra Arianos pugnantium, est determinata ad significandam puram creaturam: sed sic pariter dicimus, quòd ista locutio: *causa anima rationalis*, sit ex mente Catholicorum determinata, ad significandam causam physicè productivam animæ rationalis, qualis homo non est. Ex eo autem, quòd aliqua propositio, vel locutio, sit ex consuetudine determinata ad certam aliquam significationem, non sequitur, quòd etiam aliæ sint ita determinatæ; quia in questionibus de nomine non tenet paritas ab una ad alteram, ut est notum etiam logicis. Et sanè in casu nostro de causalitate sacramentorum, vocem *causa* non esse determinatam ad significandam causam phy-

physicam, patet ex retorcionibus nostris. Adde, non esse credibile, quòd Patres voluerint, decidere hanc questionem scholasticam; ipsi enim tantum voluerunt, instruere fideles de efficacia sacramentorum, ad quem finem parum referebat, si sacramenta sint causa morales, siue physicæ.

246. Ob. 2. SS. Patres comparant sacramenta cum causis physicè efficientibus: ergo etiam consent, sacramenta esse causas physicas. ant. prob. sic. S. Leo *serm. 5. de Nativit.* ait, *virtutem altissimi, qua fecit, ut Maria pareret Salvatorem, facere quoque, ut aqua regeneret credentem.* S. Cyrillus Alexandrinus *l. 2. in Joan. c. 42.* ait: *Quemadmodum enim viribus ignis intensus aqua calefacta non aliter, quàm ignis urit: sic Spiritus Sancti operatione ad Divinam aqua reformantur virtutem, qua baptizati corpus abstergunt.* S. Thomas 3. p. q. 62. v. 1. in corp. comparat sacramenta securi, facientis lectum artificialem: ergo. Confirm. Humanitas Christi, versantis in terris, physicè per suum contactum, vel insufflationem, causavit in Apostolis, vel aliis, gratiam, aut alios effectus mirabiles: ergo etiam sacramenta physicè gratiam causant; cum sint actiones Christi: & vel maxime gratiam physicè causat SS. Evcharistia, ubi Christus ipse est præsens.

247. Resp. iterum retorq. arg. in sacramentis, primùm post obicem remotum gratiam causantibus. Dein conc. antec. neg. conseq. Similitudo inter causas invicem comparatas non debet esse omnimoda; aliæ esset identitas; unde tantum datur similitudo quoad aliqua: & in casu nostro ea stat in hoc, quòd sacramenta sint instrumenta ad causandam gratiam, & quòd non habeant minorem connexionem cum suo effectu, quàm habeant instrumenta physica: quòd autem hæc instrumenta physicè, sacramenta verò moraliter causent, non obest similitudini. Sic etiam bona est comparatio illa *Eclesiasticè 3. v. 33. Ignem ardentem extinguit aqua, & elemosyna resistit peccatis:* licet aqua physicè, elemosyna tantum moraliter faciat suum effectum.

Ad confirm. om. antec. neg. conseq. sacramenta enim non sunt physicè, sed tantum moraliter actiones Christi: adeoque non sequitur, quòd debeat idem miraculum admitti in actionibus moralibus, quòd admittitur in physicis. Dein actiones physicæ Christi non debebant, gratiam, vel effectus prodigiosos efficere, quando physicè non amplius existebant, ut tamen deberent causare sacramenta, dum causant post obicem remotum. Quod attinet ad SS. Evcharistiam, utique Christus, qui ibi realiter præsens, & DEUS est, gratiam producit physicè: sed non eam physicè producit, ut sacramentaliter præsens; quia sacramentaliter ibi ut homo ita præsens est, ut connaturaliter agere non possit: adstruere autem novum miraculum idèd tantum, ut Christus, etiam ut sacramentaliter præsens, per peculiarem influxum, producat physicè gratiam, videtur su-

perfluum: certè sine sufficienti ratione id assereretur.

248. Ob. 3. S. Ambrosius *l. 1. de sacram. c. 3.* ait: *Non sanat aqua, nisi Spiritus Sanctus descenderit, & aquam illam consecraverit:* ergo debet aqua recipere qualiter aliam elevantem à Spiritu S. vi cuius physicè producat gratiam. Resp. neg. conseq. Hæc consecratio nihil aliud est, quàm quòd Spiritus Sanctus (cujus etiam opus est sacramentorum institutio, & cui specialiter, & appropriativè, adscribitur nostra sanctificatio) unà cum Verbo, & Patre Divino, instituerit aquam in baptismum, tunc, quando Christus baptisma instituit: per hanc autem institutionem nulla qualitas physica imprimatur aquæ, uti nec altaribus, vel aliis rebus, per benedictiones varias Ecclesiæ. Imò SS. Patres dicunt, Christum etiam consecrassè aquas Jordanis, quando in eo fuit baptizatus: & tamen quis credat, toti fluvio impressisse aliquam qualitatem supernaturalem physicam?

249. Ob. 4. S. Thomas variis locis docet, quòd sacramenta habeant virtutem instrumentalem physicam, ad causandam gratiam: ergo, prob. ant. 1. S. Doctor 3. p. q. 62. a. 1. in corp. rejicit eorum sententiam, qui dicunt, quòd sacramenta non sunt causa gratiæ aliquid operando; sed quia DEUS sacramentis adhibitis in anima gratiam operatur. 2. Angelicus *ibidem* negat, sacramenta se habere, sicut plumbum, vel sigillum plumbeum regis, quò exhibito datur pecunia: vel sicut baculus, aut liber, quò investitur Episcopus, vel canonicus. 3. Quoad *ibidem* arg. 3. sibi objicit, quòd DEUS solus sit causa gratiæ, in responsione, seu ad 3. non distinguit dicendo, DEUM solum esse causam physicam, sacramenta verò esse causam moralem: sed distinguit inter causam principalem, & instrumentalem; licet, agendo de meritis nostris, dicat, DEUM gratiam causare, actiones autem bonas eam mereri: ergo.

250. Resp. neg. antec. Probabile est, S. Doctorem tantum attribuisse sacramentis causalitatem moralem: nec textus ex eo allati probant contrarium: & quoad primùm Resp. etiam juxta nos falsum esse, quòd DEUS causet gratiam, adhibitis tantum quomodocunque sacramentis; nam tantum quomodocunque adhiberi competit etiam puræ conditioni, vel puro termino, non causanti. Quoad secundum textum dico, etiam juxta nos sacramenta novæ legis non tantum se habere, ut plumbeum sigillum, vel baculum; ista enim sunt signa purè speculativa potestatis, collatæ, aut voluntatis regis de danda pecunia; neque enim ista sunt causa voluntatis dandi, aut ipsius dationis: sed tantum indicant voluntatem conferentium potestatem, aut regis volentis, dari pecunias: quæ sola voluntas est causa: illa verò sigillum &c. sunt tantum purus terminus, aut, pura conditio, vel (ut loquitur Angelicus *loco in objectione adducto*) sunt tantum quoddam signum: ac sacramenta sunt causa gratiæ.

Quod attinet ad 3. seu quòd S. Doctor non adhibeat distinctionem, inter causam moralem, & physicam, nihil probat; quia neque adhibet terminos *physicè causare*, sicut nec dicit merita *causare moraliter*, sed tantum dicit *mereri*. Sed neque loco illo erat quæstio, qualis causa essent sacramenta: sed tantum, an essent causa, vel an causa esset solus DEUS: ergo non opus erat, causam distinguere in morale, & physicam; sed tantum ostendere, quomodo sacramenta sint causa, abque præiudicio DEI: quod optime explicabatur per distinctionem inter causam principalem, & instrumentalem. Ad alium textum ex Angelico, citatum à Viva, respondimus n. 239. in fine. Quare ex his textibus Angelici non probatur, eum adstruere in sacramentis causalitatem physicam in gratiam.

251. E contra, quòd S. Thomas tantum admittat in sacramentis causalitatem, seu influxum moralem in gratiam, videtur posse colligi ex eo, quod 3. p. q. 62. a. 4. ad 1. asserit, nempe, quòd in sacramentis sit vis spiritualis, ad causandam gratiam, sicut in voce humana est vis spiritualis, ad causandam in alio intellectionem; nam, licet in voce sit aliqua virtus materialis physica, ad causandam auditionem, tamen nulla est vis spiritualis physica, sed tantum aliqua vis moralis, ad causandam intellectionem, fundata in institutione vocis, seu impositione significationis, per quam vox causat intellectionem: ergo etiam, licet in sacramentis sit physica aliqua virtus materialis, qualitercunque mediata conducens ad gratiam, e. g. in aqua vis conducens ad abluionem, tamen non est vis spiritualis, nisi moralis. Rursus eadem quæst. a. 5. ad 1. ait: *Caro tamen ejus Christi, & mysteria in ea perpetrata* (id est, ejus nativitas, prædicatio, passio &c. ut exponit Cajetanus in eum art. 5.) *operantur instrumentaliter ad animæ vitam*: atqui passio Christi &c. non operantur physice gratiam: ergo per *operari instrumentaliter* non intelligit S. Doctor *physicè operari*: saltem ex hoc ejus modo loquendi id contra nos non potest inferri.

252. Ob. 5. Si sacramenta non causant physice gratiam, minister poenitentiae non verè absolvit: hoc est falsum: ergo. Confirm. Verba ministri juxta nos non aliter se haberent, quam verba venefici: hoc est absurdum: ergo. prob. ma. DEUS concurreret, ex pacto cum Christo inito, ad causandam gratiam remissionem peccati, ob formam à ministro prolatam, sicut demon concurrat ex pacto; ob voces certas à mago prolata, ad effectum magicum: atqui verba à mago prolata non causant effectum magicum: ergo. nec forma, à ministro poenitentiae prolata, causat gratiam remissionem peccati.

Resp. neg. ma. Minister verissime absolvit ab excommunicatione, & censuris; etsi nihil physice producat in absoluto, & ita etiam absolvit à peccatis: sicut etiam in foro civili verè absolvitur is, in quo tamen physice nihil producitur: quòd autem ab-

solutio in sacro tribunali non fiat, quin simul producat gratia, non probat, quòd absolvens eam debeat physice producere: sed sufficit, si eam producat moraliter; unde ad veritatem formæ ad summum requiritur, ut minister, tanquam iudex, pronunciet sententiam absolutionis, quæ moraliter causet gratiam.

253. Ad confirm. neg. ma. Illa verba venefici non sunt causæ morales, sed purus terminus, aut, ut alii vocant, pura conditio: nec etiam habent infallibilem connexionem cum effectu. ad prob. neg. ma. Pactum magi cum dæmone respicit verba magica, ut purum terminum: pactum Christi cum Patre respicit sacramenta, non ut purum terminum, sed ut actiones Christi, & causas morales gratiæ. Ubi notandum, posse aliquod pactum dupliciter iniri. 1. potest e. g. Petrus inire pactum cum Paulo, ut, quotiescunque Joannes, ex se nihil meritus, nomine proprio à Paulo aliquid petat, hic statim ipsi det, non attendendo ad merita Joannis; quia nulla habet, sed habendo ejus petitionem tanquam purum terminum.

Potest 2. Petrus aliter inire pactum, nempe sic, ut Joannem constituat nomine suo, & ita, ut Joannes, petens aliquid à Paulo, non petat nomine proprio, sed nomine Petri, & petitio Joannis censetur actio, aut petitio Petri, à Joanne representata. In hoc casu petitio Joannis non est purus terminus: at verò est in casu priori: illi casui simile est pactum magi cum dæmone: alteri casui simile est pactum Christi cum Patre: & hinc sacramenta non sunt purus terminus, sed causæ morales, quales tamen causæ non sunt verba magica.

ARTICULUS IV.

Solvuntur reliquæ Objectiones.

254. Ob. 6. Anima rationalis elevatur per habitus supernaturales, & gratias actuales

intrinsecè receptas, ad actus supernaturales physice producendos: ergo etiam sacramenta elevantur per qualitatem intrinsecè receptam, ad gratiam physice producendam. Confirm. SS. Patres agnoscunt in virtute sacramentorum speciale opus omnipotentiae Divinae: hoc non elucet, si virtus illa non sit physice effectiva gratiæ: ergo. Resp. neg. conseq. & paritatem; nam 1. anima est subjectum spirituale, capax recipiendi qualitates spirituales. 2. anima non debet causare eos actus physice, quando ipsa non existit, uti tamen debent producere gratiam sacramenta, causantia post obicem remotum. 3. actus illi, utpote liberi, & vitales, necessariò debent produci ab anima physice concurrente; cum ipsa per illos vivat in actu secundo, & exerceat suam libertatem: talis autem necessitas non habetur in sacramentis respectu gratiæ producendæ.

Ad confirm. neg. mi. Utique est speciale opus omnipotentiae Divinae, res ex se val-

de viles instituire in signa efficacia, & infallibilia gratiæ; hoc enim nemo potest, nisi DEUS. Sic quoque est opus magnæ potentiae, instituire certum signum, etiam tantum speculativum, e. g. ignes accensos, vel sonum tympani, aut vocem præconis (etsi hic aliàs homo vilissimus esset) quo viso, vel audito, subditi omnes armati ad certum locum conveniant: quin aliquid physicum ignibus, aut tympano, aut præconi imprimatur. Et tamen sacramenta habent aliquid amplius; quia non sunt tantum signa speculativa, sed practica, & assumpta tanquam actiones Christi: ergo multò magis virtus ista moraliter causandi gratiam, quæ à nullo alio, quam ab omnipotente DEO potuit sacramentis concedi, erit specialiter tribuenda omnipotentiae Divinae, tanquam opus, & effectus maximus, & illi soli competens.

255. Ob. 7. DEUS, juxta Scripturas, & Patres, producit in nobis gratiam per sacramenta, tanquam instrumenta: ergo sacramenta physice influunt in gratiam. prob. conf. DEUS est causa physica gratiæ: sed causa physica non operatur per causam moralem, tanquam per instrumentum: ergo sacramenta non sunt causa moralis, sed physice influunt. prob. mi. causa moralis operatur potius per causam physicam, tanquam per instrumentum, e. g. mandans dicitur per executorem occidere, & non executor per mandantem, vel consulentem: ergo. Confirmatur. Non dicitur aliquid fieri per causam moralem, sed propter illam: e. g. DEUS dicitur conferre nobis gloriam, non per merita, sed propter illa: ergo.

Resp. neg. conf. ad prob. dist. mi. causa physica non operatur semper per moralem, tanquam per instrumentum. conc. mi. nunquam per eam ita operatur. neg. mi. & conf. Angelicus 3. p. q. 62. a. 5. ad 1. sic habet: *Verbum, prout erat in principio apud DEUM, vivificat animas, sicut agens principale: caro tamen ejus, & mysteria in ea perpetrata, operantur instrumentaliter ad animæ vitam*: atqui mysteria tantum moraliter influunt: ergo in hoc nostro casu causa moralis est instrumentum causæ physicae.

256. Ad confirmat. neg. ant. etsi enim non semper ita loquamur, tamen etiam non infrequenter dicimus, aliquid fieri per causam moralem: sic dicitur DEUS nos salvare, vel conferre nobis beneficia, per merita, & passionem Christi, vel per Sanctorum intercessionem: & Ecclesia quotidie orat per Christum Dominum nostrum: licet merita, & passio Christi, sint tantum causæ morales: ergo etiam potest dici, quòd DEUS per sacramenta conferat gratiam, licet ista sit tantum causæ morales. Falsum etiam est, causam physicam non operari per moralem; tunc enim operatur per eam, quando causam moralem est instrumentum causæ physicae, determinatè ab ista procuratur, & quidem in hunc finem, ut per eam moveatur, ad aliquid physice faciendum: & sic debent etiam adversarii fateri, DEUM conferre nobis gratias, per passionem Christi: item

per sacramenta, primum post obicem remotum causantia.

Qua ratione autem hoc fiat, explicari potest in hoc casu, qui frequenter potest, vel etiam solet contingere. Aliquis pater libenter vellet conferre filio magnum donum: sed non vellet id facere, nisi rogetur ab amico; unde insinuat amico, sibi gratum fore, si pro filio intercedat: vel eum aliter inducit ad intercedendum: talis pater confert physice donum illud filio per preces amici, tanquam causam moralem. Rursus causa moralis operatur quidem per physicam, quando ipsa moralis est principalis, ut accidit in mandante, & executore: at, si causa physica est principalis, & moralis est instrumentalis, res accidit è contrario, ut patet in adducto exemplo patris, & amici.

257. Ad do. posse contingere, ut etiam aliquis, physice aliquid faciens, possit dici illud fecisse per mandantem, vel consulentem: e. g. si princeps studiosè procuret, dari sibi hoc consilium, ut e. g. gerat bellum; tunc enim ipse, physice bellum gerens, est causa principalis, & consulens instrumentalis. Aliud est, si aliquod consilium petatur, non determinatè, sed tantum indeterminate; tunc enim consulens determinans potest esse causa principaliter determinans. Idem contingere potest, si subditus studiosè procuret mandatum à principe; tunc enim videtur ipse esse causa principaliter determinans ad mandatum, & per mandatum determinans ad ipsam actionem physicam, quam etiam physice exequitur. Quare causa moralis est instrumentum causæ physicae, saltem tunc, quando à causa physica procuratur, & accipit etiam virtutem movendi, in eum finem, ut ipsam causam physicam moveat: quod totum fit à DEO, respectu sacramentorum novæ legis.

258. Ob. 8. Qui per scripturam adstringitur ad solvendum debitum, non dicitur solvere per scripturam: sed solus creditor dicitur, per eam adstringere debitorem, ut solvat: ergo etiam DEUS non causat gratiam, seu solvit actiones Christi, per sacramenta: sed ad summum Christus exigit gratiam per sacramenta: ergo ista non possunt esse causa moralis, respectu DEI, physice causantis gratiam. Resp. neg. conf. Scriptura non est instrumentum, communiter adhiberi solitum ad solvendum, sed ad obligandum: nec procuratur à debitore in hunc finem, ut solvat: sed procuratur à creditore, ut obliget, & adstringat. Si tamen casus daretur, quo quis studiosè procuraret aliquam scripturam, qua vellet non tantum obligari, sed etiam moveri ad solvendum, tunc se posset ea scriptura habere, sicut preces amici, de quibus supra: & in eo casu talis verè solveret per scripturam. Et legimus etiam, aliquando à quibusdam, volentibus beneficium occultè præstare, procuratas tales scripturas: ordinariè tamen hoc non fit; neque enim ordinariè dantur chirographa à debitoribus, intendendo solutionem tanquam finem; sed dantur, intendendo potius receptionem mutui, vel rei venditæ &c.

& solutio futura tantum se habet respectu debitoris, ut medium ad movendum alterum, ut det mutuum &c.

259. Ob. 9. Si sacramenta sunt causæ morales, sunt causæ principales gratiæ: hoc est contra Tridentinum, quod *Jes. 6. c. 7.* asserit, baptismum esse causam instrumentalem: ergo. prob. ma. 1. quia non daretur in hoc casu alia causâ moralis principalis. 2. quia sacramenta essent actiones Christi: ergo. Resp. neg. ma. ad 1. prob. negari potest, esse necessariam aliquam causam moralem principalem; modò enim DEUS sit causâ principalis physica, & agat per sacramenta, tanquam per instrumenta moralia, jam sacramenta non sunt causâ principales: sicut, quando mandans est causâ moralis principalis, & executor causâ physica instrumentalis, non est necessaria alia causâ principalis physica. Si autem etiam esset necessaria causâ moralis principalis, ista in nostro casu, respectu gratiæ sacramentalis, esset voluntas, seu volitio Christi instituentis sacramenta, ejusque passio, ac mors, & merita universa valoris infiniti. Ad 2. prob. dist. ant. sacramenta essent actiones Christi physice tales. neg. ant. moraliter tales. conc. ant. & neg. conseq. illæ enim actiones non consentiunt valore à persona, à qua physice fiunt, sed ab alia, cujus nomine fiunt.

260. Urgebis. Ergo saltem sacramentum, adæquatè sumptum, pro actione ministri, simul cum institutione, voluntate, & meritis Christi, erit causâ principalis. Resp. si ita sumatur sacramentum, tunc involvit causam moralem principalem, & instrumentalem. At quia communiter in hac quæstione sacramentum tantum sumitur pro actione ministri, quæ est dignificata, & non pro actione quâ dignificata, à voluntate, & meritis Christi, hinc communiter dicitur, esse causâ tantum instrumentalem. Non autem hic dicas, sacramenta non posse DEUM movere, utpote infinite perfectum. Resp. enim à Tridentino esse definitum, quòd merita Christi sint causâ meritoria, seu moralis: adeòque etiam sacramenta possunt esse causâ moralis, scilicet talis, qualis dari potest, respectu DEI: non quidem, ut producant in eo aliquam speciem sui, vel cognitionem: sed, ut cognita à DEO ita æstimentur, ut DEUS ratione ipsorum conferat gratiam: quod sufficit, ut dicantur causæ morales respectu DEI. An autem hic conceptus sit strictissimus, vel an respectu DEI detur causâ moralis, strictissime dicta, quæstio est multum habens de nomine, de qua nolim hic disputare.

261. Ob. 10. Si sacramenta haberent vim causandi moraliter gratiam, tanquam actiones morales Christi, deberet etiam actio sacramentalis peccaminosa, e. g. consensus matrimonialis peccaminosus, esse actio Christi: sed non potest dici, quòd actio peccaminosa sit actio moralis Christi: ergo. Resp. dist. ma. deberet etiam actio peccaminosa quâ talis, esse actio moralis Christi. neg. ma. actio peccaminosa quæ talis. conc. ma. & dist.

sic mi. neg. conseq. Actio moralis alterius est actio alteri moraliter imputabilis: potest autem alicui imputari actio, etiam physice ipsi propria, non quoad omnia prædicata, e. g. non quoad prædicata invincibiliter ignorata, vel quorum in æstimatione morali causâ non fuit: igitur multò magis potest actio, tantum moraliter alterius, huic non imputari quoad omnia prædicata, sed tantum quoad illa, quorum ipse, vel propter suam iustitiam, vel suasionem, aut applicationem suæ auctoritatis &c. in æstimatione morali est causâ moralis.

262. Sic e. g. si minister, missus à rege ad alium principem, ut nomine suo interire, ejus nuptiis, vel convivio nuptiali, id faciat ebrius: vel, si missus ad aliquid petendum, aut de aliquo contrahendum, id faciat superbe, vel iracundè, aut alio modo inconvenienti, et si actiones istæ, quoad prædicata presentia, petitionis, vel contractus, sint actiones morales, regis mittentis, & quoad hæc prædicata ipsi imputentur: non tamen sunt actiones morales regis, quoad errores à ministro commissos.

Pariter, si actio sacramentalis est peccaminosa, ea quidem est moraliter actio Christi, secundum illa prædicata, secundum quæ est instituta à Christo, e. g. consensus matrimonialis quoad prædicatum consensus ut sic in matrimonium: at non est actio Christi quoad prædicatum peccati, vel malitiæ, quod nec à Christo institutum est, nec ei imputari potest. Similiter discurrendum est de aliis actionibus sacramentalibus, si quæ peccaminosæ sint. Hæc ipsæ tamen actiones, uti & consensus matrimonialis, non causant gratiam, dum peccata sunt: sed tunc primum, quando, ut ita dicam, purgata sunt, vel per contritionem, vel per alium medium, vi cujus sacramenta reviviscunt, ut infra dicemus. Neque hoc incredibile debet videri; quia actiones sacramentales non causant gratiam ex opere operantis, sed ex opere operato: nec debent esse actiones meritorie, sed tantum quasi applicationes meritorum Christi. vide etiam dicta n. 132. & 133.

263. Ob. 11. Si sacramenta haberent vim causandi gratiam, tanquam actiones à Christo institutæ, non haberent vim suam ex meritis passionis Christi: hoc est falsum: ergo. prob. ma. actiones institutæ habent vim suam ratione institutionis, & non aliam, quàm habeat ipsa institutio: sed institutio Christi Domini non habet vim ex meritis passionis ipsius: ergo neque actiones ab eo institutæ habent vim ex meritis ejusdem passionis. ma. admittitur communiter; quia actiones externæ (quales sunt actiones sacramentales à Christo institutæ) desumunt vim merendi ab actu interno, scilicet à voluntate, seu institutione Christi. mi. prob. institutio illa Christi facta est post resurrectionem, quando probabiliter Christus non amplius fuit in statu merendi: vel certè facta est post volitionem, in primo instanti conceptionis elicitam, qua acceptavit mortem: ergo, vel

non habuit ullum meritum, vel saltem non habuit meritum passionis, & mortis.

Resp. neg. ma. ad prob. dist. mi. institutio non habet ex meritis passionis Christi vim meritoriam. om. mi. non habet vim imperatoriam. neg. mi. & sub eadem dist. om. vel neg. conseq. ad prob. om. ant. dist. conseq. institutio illa non habuit meritum passionis, id est, actus ille non fuit meritorius, ratione passionis. om. conseq. id est, actus ille non traxit vim imperatoriam ex meritis passionis Christi. neg. conseq. Potest omitti, vel concedi, quòd actus, non elicitus in statu merendi, vel non respiciens certum objectum, aut motivum, nullam habeat vim merendi, vel saltem nullam habeat, ratione illius objecti, & motivi; etsi præcesserit alius actus meritorius ex illo objecto, & motivo, in statu merendi elicitus; nam actus meritorius præcedens non facit meritorium sequentem: imò actus præcedens neque facit ratione sui magis meritorium sequentem, & DEUS non præmiat magis actum charitatis ideo; quia præcessit alius: sed præmium commensurat soli bonitati actus nunc eliciti.

264. Hoc autem non impedit, quo minus actus elicitus extra statum merendi, & etiam non respiciens aliquod objectum, vel motivum, habeat vim impetrandi, & hanc trahat ab illo ipso objecto, vel motivo, quod non respicit; nam inprimis impetratio non exigit statum merendi; Sancti enim in cælo, & animæ in purgatorio, multa nobis impetrant, quino possint mereri: imò de ipso Christo Dominus dicit Apostolus ad Hebr. 7. v. 25. *Semper vivens ad interpellandum pro nobis.* & ad Rom. 8. v. 34. *Qui est ad dexteram DEI, qui etiam interpellat pro nobis.* & 1. Joan. 2. v. 1. *Advocatum habemus apud Patrem JESUM Christum.*

Unde, licet dubium sit apud Theologos, an Christus etiam nunc impetret per orationem formalem, tamen certum est, eum impetrare per sua merita, vel per orationem æquivalenter talem: & licet in morte sit consummatum ejus meritum, ita, ut non amplius mereatur, non tamen in morte ejus meritum est ita consummatum, ut nil amplius impetret: imò eo ipso, quòd data sit ei omnis potestas in cælo, & in terra, data est ei etiam potestas, seu facultas impetrandi, seu, ut possit applicare sua merita, ad impetrandum, quod voluerit, & cui voluerit, & eo modo, quo voluerit.

265. Secundo. Impetratio accipit valorem, non tantum à voluntate præsentis orandi, vel impetrandi, sed etiam ab omnibus aliis obsequiis, & meritis præcedentibus, qualiacunque fuerint, & circa quæcunque objecta, vel motiva, fuerint elicita, licet orans etiam eorum motivorum modò non recorderetur, multò minus, ex iisdem oret; est enim per se notum, quòd facilius exaudiatur is, qui gratior est personæ, quam orat, & plura ei obsequia præstitit, qualiacunque tandem fuerint, quàm alius, qui talia merita non habet. Quare etiam institutio sacramentorum, quodcumque tandem posita fuerit, licet

non habuerit vim meritoriam ex meritis passionis Christi, habuit tamen vim imperatoriam summam, ex meritis ejusdem passionis: adeòque eandem vim potuerunt habere etiam ipsa sacramenta, à Christo instituta, tanquam actiones nomine ipsius factæ, quodcumque eæ factæ sint, etiam nomine ipsius, non amplius in statu merendi constituti.

266. Ob. 12. Ministri sacramentorum sæpe tantum ponunt formam, ut in pœnitentia: ergo non totum sacramentum est actio Christi. Confirm. Matrimonium non potest contrahi nomine Christi: ergo illud sacramentum non est actio Christi. ant. prob. illæ actiones tantum possunt fieri nomine Christi, quas Christus per se ipsum potest facere: at qui Christus per se ipsum non potest facere contractum matrimonii: ergo. Resp. dist. ant. Ministri tantum ponunt formam, sed tamen cum ordinatione ad materiam, & ea intentione, ut faciant illud compositum, quod dicitur sacramentum. conc. ant. sine ea ordinatione, aut intentione. neg. ant. & conseq. Christus Dominus non solum formam, sed toti composito ex materia, & forma, tribuit vim causandi gratiam: & voluit, ut ministri hoc compositum suo nomine facerent: ad hoc autem, ut ministri verè dicantur facere hoc compositum, non requiritur, ut etiam efficiant materiam.

267. Sic dicitur statuarius fecisse statuam, licet lapidem, aut lignum non fecerit, sed tantum figuram, seu formam: & homo dicitur generare hominem, licet nec materiam, nec animam, generet, sed solum unionem. Potest igitur minister quoque dici confecisse sacramentum, & hoc esse opus, vel actio illius, licet solum posuerit formam: quæ etiam est suo modo unio sui cum materia; quia forma sacramentalis tantum debet extrinsecè uniri materiæ: cumque minister ponat formam nomine Christi, rectè dici potest, sacramentum esse opus, & actio Christi. Confirm. neg. ant. ad prob. neg. ma. potest legatus loqui nomine regis muti, vel exhibere reverentiam Pontifici nomine principis claudi, aut impotentis se movere: quare, ut aliqua actio fiat nomine alterius, non requiritur, ut hic possit, physice eam actionem per se ipsum operari: sed tantum requiritur, ut is, cujus nomine actio fit, eam sua autoritate dignificet, & ad finem suum ordinet.

ARTICULUS V.

An etiam Sacramenta Legis Antiquæ causaverint Gratiam.

268. Dico 1. Sacramenta antiquæ legis non fuerunt causæ gratiæ. ita communis, & certa. Hæc assertio, ut bene advertit Arriga, ratione probari non potest; quia præcisè est de facto aliquo libero DEI, qui potuit pro libitu illis sacramentis dare vim causandi gratiam, vel eam negare: quid autem fecerit, colligendum est ex auctoritate. Prob. igitur conclusio 1. ex Scripturis. S. Paulus ad Gal.

lat. 4. v. 9. scribit: *Quomodo convertimini iterum ad infirma, & egena elementa?* per quæ elementa (ut explicat S. Thomas lect. 4. in c. 4. epist. ad Galat. item SS. Hieronymus, Anselmus, ac alii Patres, apud Cornelium à Lapide in citatum locum S. Pauli) intelliguntur omnes observantia legalis: adeoque etiam sacramenta legis antiquæ: quod etiam inde colligitur, quod statim c. 5. v. 2. idem Apostolus de circumcissione, quæ fuit inter præcipua sacramenta legis antiquæ, addat: *Si circumcidamini, Christus vobis nihil proderit*: consequenter juxta S. Paulum, & SS. Patres, sacramenta antiquæ legis sunt infirma, & egena elementa: rursus ad Coloss. 2. v. 17. eadem sacramenta ab eodem Apostolo vocantur *umbra futurorum*, id est, sacramentorum novæ legis: item ad Hebr. 9. v. 10. idem S. Paulus ea vocat *justitias carnis*: ergo non causant gratiam; aliis non essent infirma tantum elementa, & umbra, nec tantum justitiæ carnis, sed spiritus.

Prob. conclusio 2. ex Florentino in decreto Eugenii, ubi hic Pontifex post enumerata sacramenta novæ legis ita subjungit: *Quæ multum à sacramentis differunt antiquæ legis; illa enim non causant gratiam, sed eam solum per passionem Christi dandam esse figurabant: hæc verò nostra, & continent gratiam, & ipsam dignè suscipientibus conferunt*: ergo sacramenta legis antiquæ non causant gratiam.

269. Dices, ex nostris probationibus tantum inferri, quod sacramenta novæ legis causent gratiam physicè, sacramenta verò veteris legis eam causant tantum moraliter. Sed contra est 1. Probabilius est, quod etiam sacramenta novæ legis gratiam tantum causent moraliter, ut paulo antè facti probavimus. 2. Si antiqua sacramenta causassent gratiam moraliter, verè dici possent causæ gratiæ: & tamen Florentinum Concilium absolute negat, illa sacramenta fuisse causas gratiæ. 3. Non potuissent illa sacramenta dici infirma, & egena elementa; quia planè acutissimè maximam utilitatem: sicut passio Christi, & intercessio Sanctorum, non sunt res infirmæ, & egenæ, quamvis tantum moraliter causent, vel tantum sint causæ morales beneficiorum, aut gratiarum, quæ ratione ipsarum hominibus conferuntur. Quare non potest universaliter dici, sacramenta antiquæ legis gratiam contulisse ex opere operato. De sola circumcissione adhuc aliqua lis est, an ratione illius fuerit gratia collata ex opere operato; an non; quia videtur posse dici, eam non fuisse sacramentum legis antiquæ scriptæ, sed legis naturæ; cum jam Abrahamo præcepta sit, diu ante Moysen. Itaque.

270. Dico 2. Neque circumcisio fuit causa gratiæ. ita Patres complures, qui citantur à Bellarmino tom. 3. controv. 1. de sacram. l. 2. c. 15. nempe S. Justinus, Tertullianus, Origenes, S. Cyprianus, S. Irenæus, S. Epiphanius, S. Chrysostomus, S. Ambrosius, S. Hieronymus, S. Damascenus, S. Cyrillus, &c. quibus adduntur, nec immeritò Philo, & Josephus, Judæorum historici diligentissi-

mi, qui, etsi multis describant utilitatem circumcissionis, tamen nunquam mentionem ullam faciunt mundationis à peccato originali: sed tantum dicunt, circumcissionem fuisse, ut habetur Gen. 17. v. 11. *signum faderis inter me, & vos*, hoc est, inter DEUM, & Abrahamidas, ac discretivum Judæorum à Gentilibus: utique autem fecissent aliquam eade re mentionem, si à Judæis creditum fuisset, circumcissione tolli originale peccatum.

Eandem opinionem tenet apertè S. Thomas 3. p. q. 70. a. 4. in corp. ubi expressè sic dicit: *In baptismo confertur gratia, ex virtute ipsius baptismi, quam habet in quantum est instrumentum passionis Christi jam perfectæ: in circumcissione autem confertur gratia, non ex virtute circumcissionis, sed ex virtute fidei passionis Christi, cujus signum erat circumcisio.* & infra: *Baptismus operatur instrumentaliter in virtute passionis Christi, non autem circumcisio.* Consentiant quoque Bellarminus, Canus, Capreolus, Vasquez, Coninck, Layman, Comptonus, Haunoldus, & alii recentiores valde multi, videatur etiam Bellarminus tom. 3. controv. 1. de sacram. l. 2. c. 14. & seq. Per hoc tamen non nego, quod in circumcissione, hoc est, cum illa, data fuerit gratia, & circumcisio fuerit aliqua conditio pura sine qua non, seu purus terminus, qua dere infra n. 294.

271. Probatur autem conclusio. Concilium Florentinum, citatum n. 268. universaliter loquitur, de omnibus legis antiquæ sacramentis, dum dicit, ea non causasse gratiam: ergo etiam loquitur de circumcissione: adeoque docet, etiam istam non causare gratiam. prob. conseq. licet circumcisio jam ante legem scriptam fuerit data Abrahamo, tamen postea, ut Suarez tom. 3. in 3. p. disp. 5. initio ait, *mansit in lege, & inter ceremonias legis veteris computatur; quia per illam capit congregari specialis DEI populus, & ad specialem legem ejus suscipiendam preparari, & postea fuit quasi proprius character illius populi.* Adde, quod circumcisio durante legè duraverit, & hac cessante cessaverit, fueritque ex præcipuis illius ceremoniis: quin imò ipse Christus Dominus Joan. 7. v. 23. eam revocavit ad legem Moysis, cum dixit: *Circumcisionem accepit homo in Sabbatho, ut non solvatur lex Moysi*: ergo etiam circumcisio fuit sacramentum legis antiquæ, adeoque ex Florentino supra citato non causavit gratiam: & ex Apostolo fuit infirmum, & egenum elementum.

272. Confirm. 1. S. Paulus ad Galat. 6. v. 15. dicit: *Neque circumcisio aliquid valet, neque praputium, sed nova creatura*: & videtur sanè Apostolus ideo asserere inutilitatem legis in eadem epistola, ut Galatis dissuaderet circumcissionem: ergo hæc non causat gratiam. Confirm. 2. Idem gentium Doctor 1. ad Cor. 7. v. 19. ait: *Circumcisio nihil est, & praputium nihil est*: ergo non agnovit in circumcissione vim causandi gratiam; aliis non ita eam depressisset. Neque hæc Apostolus dicit tantum de circumcissione post promulgationem Evangelii, sed etiam de

de circumcissione, quando adhuc erat in vigore & quando eam agnoscit aliquo modo utilem fuisse; nam ad Rom. 2. v. 25. ait: *Circumcisio quidem prodest, si legem observes.* & ad Rom. 3. v. 1. *Quid ergo amplius Judæo est: aut quæ utilitas circumcisionis? Multum per omnem modum: primum quidem; quia credita sunt illis eloquia DEI.*

Ex quibus verbis roboratur sententia nostra, etiam ideo, quod in iis Apostolus non dicat, Judæos ratione circumcisionis habuisse gratiam, præ gentilibus: sed tantum dicat, primum bonum circumcisionis fuisse, quod Judæi receperint eloquia, & legem DEI: ex quo probabilissimè inferitur, Apostolum non sensit, quod circumcisio gratiam conferat; aliis de hoc nobilissimo ejus effectu utique mentionem fecisset. Ubi observo ex Bellarmino tom. 3. cont. 1. de sacram. l. 2. c. 14. §. Jam ex verbis. vocem primum non adhibere Apostolum, tanquam notam ordinis, quasi multas utilitates vellet narrare, sed tantum, ut significaret utilitatem præcipuam.

273. Ex his, & præsertim ex Concilio Florentino, probatur ad minimum nostra conclusio, quæ tantum dicit, circumcissionem non fuisse causam gratiæ strictè dictam, hoc est, nec causam physicam, nec morale: id quod plures etiam ex iis concedunt, qui volunt, in circumcissione fuisse collatam gratiam: & præsertim Arriaga id in terminis docet: quod sufficit ad nostram conclusionem, & definitionem sacramenti novæ legis defendendam, ut patebit facile consideranti. Dein communiter etiam admittitur, non fuisse adultis datam gratiam per circumcissionem: sed hos debuisse per dispositionem propriam, & actum contritionis, seu amoris DEI, eam sibi comparare. Quare tantum quæstio superest, quomodo se habuerit circumcisio respectu parvulorum, qui per propriam voluntatem non potuerunt ad gratiam se disponere.

ARTICULUS VI.

An, & Quomodo in Usu Remedii Legis Naturæ, vel Circumcisionis, fuerit Gratia collata.

274. AD hucusque dictorum clariorem intelligentiam sciendum est, jam in lege naturæ, ante institutam circumcissionem, fuisse aliquod remedium pro parvulis ab originali liberandis, ut docet S. Augustinus l. 5. contra Julianum Pelagianum c. 11. scribens: *Nec ideo tamen credendum est, & ante datam circumcissionem, famulos DEI, quando quidem eis inerat mediatoris fides, in carne venturi, nullo sacramento ejus opitulatos fuisse parvulis suis: quamvis, quid illud esset, aliqua necessariâ causâ scriptura latere voluerit*: quod idem docent etiam alii Patres: & ratio est; quia aliis parvuli, tunc temporis mortui, periissent.

Hoc remedium quale fuerit, dubium est. Vasquez in 1. 2. disp. 184. c. 4. §. Hanc autem. vult, fuisse fidem parentum, qui parvulos suos DEO offerebant, vel aliorum, qui id loco parentum faciebant: & per hanc fidem vult, parvulos fuisse justificatos, absque ulla caremonia externa, saltem, quæ concurreret ad justificationem; adeoque negat, remedium illud fuisse sacramentum; quia non erat caremonia sensibilis: quod etiam videtur sentire S. Bonaventura, Richardus, Comptonus.

Eandem sententiam defendit etiam Angelicus in 4. distinct. 1. q. 2. a. 6. quæstion. 2. in corp. ubi sic ait: *Ideo alii probabilius dicunt, quod parvulis sufficiebat sola fides sine omni exteriori signo, non autem habitus fidei solum, sed motus ejus, relatus ad salutem pueri, in vi cujusdam professionis interioris fidei.* Consentit S. Gregorius l. 4. moral. c. 3. saltem de parvulis, qui non erant posteri Abrahamæ; sic enim ait: *Quod verò apud nos valet aqua baptismatis, hoc egit apud veteres, vel pro parvulis sola fides, vel pro majoribus virtus sacrificii, vel pro his, qui ex Abrahæ stirpe proderunt, mysterium circumcisionis.* Per fidem autem intelligitur, non tantum actus fidei formaliter talis, qui est actus intellectus: sed etiam actus aliquis voluntatis, ex fide elicita procedens, scilicet actus oblationis, qua ex fide offerebatur parvulus DEO.

275. At verò plures (ut Suarez tom. 3. in 3. p. disp. 4. sec. 3. §. Discendum ergo est. ubi etiam citat S. Thomam, & alios plures: item Scotus, Durandus, & alii plures, quos citat, & sequitur Arriaga tom. 7. tract. de sacrament. disp. 8. sec. 4. subsec. 2.) volunt, illud remedium fuisse sacramentum: & his consentit S. Augustinus, in primis l. 19. contra Faustum Manichæum c. 11. ubi docet, nullam religionem potuisse esse sine sacramentis, adeoque, cum utique religio aliqua fuerit tempore legis naturalis, etiam in hac juxta S. Augustinum fuere sacramenta, in quibus vel maximè debuit esse remedium pro parvulis à peccato originali liberandis: sic autem habet S. Doctor: *In nullum autem nomen religionis, seu verum, seu falsum, coagulari homines possunt, nisi aliquo signaculo, vel sacramentorum vis inenarrabiliter valet plurimum: & ideo contempta sacrilegos facit.* Rursus hoc docet S. Doctor verbis n. præced. citatis, ubi ait, non esse credendum, ante datam circumcissionem famulos DEI nulla sacramento opitulatos fuisse parvulis suis; ubi apertè loquitur de sacramento aliquo præter fidem interiorem; nam non dicit, illos DEI famulos fide opitulatos fuisse, sed, cum haberent fidem, opitulatos fuisse aliquo sacramento, adeoque à fide distincto.

Citatur etiam S. Thomas 3. p. q. 61. a. 3. ad 2. ubi videtur supponere, ante legem scriptam jam fuisse sacramenta; inter quæ vel maximè numerari debet remedium, ad originale peccatum delendum; ait enim

Angelicus de sacramentis legis scriptæ: *Quæ quidem comparantur ad sacramenta, quæ fuerunt ante legem, sicut determinatum ad indeterminatum.* Quia tamen dicit, ea sacramenta non fuisse determinata, videtur non agnoscere sacramenta propriè dicta; & videtur ejus mens clarior in textu citato *n. preced.* Interim tamen mens Angelici non est satis clara: & aliunde sententia asserens, remedium naturæ fuisse sacramentum, est ab authoritate (à qua tamen hæc quæstio multum dependet) valde probabilis. Adducuntur etiam aliquæ rationes: sed iis congruenter respondet Arriaga *loc. cit.*

276. Lis etiam est inter auctores, an requisita fuerit vera fides: an tantum intentio quæcumque offerendi parvulum DEO; Suarez enim *tom. 3. in 3. p. disp. 10. sec. 1.* dicit, difficulter haberi intentionem offerendi parvulum vero DEO sine fide in DEUM, quamvis addat, potuisse talem hominem multa falsa credere de DEO, adeoque infidelem fuisse: docet autem ibi, quod, sicut in ministro baptismi sufficit intentio faciendi, quod facit Ecclesia, nec requiritur fides, ita etiam in illa lege suffecerit intentio offerendi parvulum vero DEO, vel faciendi, quod fecit synagoga, seu Ecclesia tunc temporis vera: & quod non fuerit requisita vera fides; eoquod aliis sacramenti valor redditus fuisset incertus.

Athæc ratio visa est cuidam probare nimium; nam ob hanc rationem visum est, debere admitti, quod etiam redderetur incertus valor sacramenti poenitentia; quia ad hoc prærequiritur fides, vel certè prærequiritur attritio supernaturalis. Sed respondere facile potest Eximius, aliud esse præquiri aliquam dispositionem ipsius recipientis sacramentum, qui, si potens eam afferre non afferat, culpabilis est, adeoque culpabiliter tantum caret sacramento: aliud esse, si dispositio aliqua requiratur in ministro, quo casu absque sua culpa debet recipiens carere sacramento: quod utique durius est. Attamen iterum replicari potest, non fuisse magnam difficultatem respectu fidelium in eliciendo actu fidei cum gratia DEI, quæ semper à DEO oblata fuit, ut parvuli justificarentur: quod autem parvuli infidelium ut plurimum salute excidissent, non esse adeo mirandum; cum iis etiam in lege gratiæ sæpius non adhibeatur baptismus.

277. Et sanè videntur SS. Patres, Augustinus, Gregorius, Bernardus, & alii, ac etiam Scholastici, communis asserere, quod fides aliqua vera necessaria fuerit. S. Thomas insuper *3. p. q. 70. a. 4. ad 2.* ait: *Probabile tamen est, quod parentes fideles pro parvulis natis, & maxime in periculo existentibus, aliquas preces DEO funderent, vel aliquam benedictionem eis adhiberent (quod erat quoddam signaculum fidei) sicut adulti pro se ipsis preces, & sacrificia offererent.* Quod multo magis videntur debere sentire illi auctores, qui externam aliquam cæremoniam parvulis necessariò adhibendam fuisse contendunt.

Nam, si requisita fuit etiam aliqua cæremonia externa, illa, nisi fuerit determinata sub hoc prædicato, scilicet, quod debeat esse protestatio fidei in DEUM, sub nulla ratione videtur determinata fuisse à DEO; quia de reliquo poterat quilibet parens adhibere quamcunque materialiter sumptam cæremoniam pro libitu, e. g. elevare manus coram infante in cælum, vel ipsum infantem versus cælum attollere, vel dicere aliquas preces &c. ergo non posset explicari, in quo steteret essentia illius sacramenti.

Si autem illa externa cæremonia debuit esse protestatio fidei, utique debuit esse fides in protestante; aliàs mentitus fuisset DEO. Dein non videtur prærogativa sacramentorum novæ legis, quod scilicet sine fide ministri justificent, extendenda esse ad sacramenta imperfecta legis veteris. Unde videtur probabilior sententia asserentium, veram aliquam fidem fuisse tunc necessariam. Hoc tamen concedo, quod fides illa non debuerit esse charitate formata, sed suffecerit etiam fides informis, id est, elicità à peccatore; quod videtur dicendum ob eandem rationem, ob quam ad sacramenta novæ legis non requiritur status gratiæ in ministro.

278. Hoc remedium legis naturæ, quæcunque fuerit, perseveravit etiam in lege scripta, quoad fœminas: item quoad parvulos, qui ante octavum diem moriebantur; neque enim ante octavum diem poterant circumcidi. Rursum permansit apud omnes gentes, quæ non erant de semine Abraham. Insuper quoad actum internum permansit etiam respectu posterorum Abrahami: & circumcisio tantum fuit instituta, ut adesset signum externum sensibile, magis specificè à DEO determinatum, quod prius nullum omnino fuit, vel certè tantum sub genere valde lato determinatum: & duravit idem usque ad promulgationem legis Evangelicæ, vel usque ad tempus, quo hæc obligare cepit; quare de hujus remedii efficacia eodem modo discurrendum est, ac de efficacia circumcissionis.

279. Suppositis hucusque dictis quaritur ulterius, an tam in remedio legis naturæ, quam in circumcissione (quia est par ratio de utroque) data fuerit parvulis gratia tantum ex opere operantis, seu ratione actus fidei à ministro elicitæ, tanquam meriti de congruo, sed tamen ex promissione Divina habentis infallibilem effectum: an verò data fuerit gratia aliquo modo ex opere operato, ratione ipsius cæremonia; externæ, seu circumcissionis, saltem tanquam conditionis sine qua non.

Circa quam quæstionem primò S. Thomas *3. p. q. 70. a. 4. in corp.* sic scribit: *Ab omnibus communiter ponitur, quod in circumcissione peccatum originale remittebatur: ex quo sequitur, etiam gratiam in eadem fuisse infusam.* Secundo certum est, circumcissionem fuisse posteris Abraham graviter præceptam, adeoque Judæos adultos, non admittebant circumcissionem, vel parentes, eam octavo

dicato die filiis non adhibentes, graviter peccasse. Ex quo sequitur tertio, quod circumcisio fuerit saltem conditio, aliquo modo requisita ad gratiam, quatenus, quando ea poterat adhiberi, & non adhibebatur, gratia non dabatur, saltem ex defectu actus fidei, necessariò efficaciter imperantis circumcissionem, hic & nunc faciendam, & non differendam; quia scilicet DEUS non acceptabat fidem quamcumque, sed tantum illam, quæ efficaciter imperabat circumcissionem; si tamen hæc in illis circumstantiis adhiberi poterat.

280. An autem DEUS gratiam tantum dederit, ratione actus fidei imperantis circumcissionem, vel an etiam ob ipsam circumcissionem, saltem tanquam conditionem, dubium est; in quo, quidquid dicas, pro te allegare poteris, & SS. Patres, & graves doctores: quos quidem multi auctores conciliari nituntur: sed, an satis feliciter, valde dubito; cum unus refellat alterius modum conciliandi. Sed &, quidquid ex his duobus dixeris, nihil dices contra nostram conclusionem; modò non admittas dignitatem, & virtutem causativam gratiæ in ipsa circumcissione, sicut non admittit Angelicus *3. p. q. 70. a. 4. in corp.* ubi ita docet: *Dicendum est, quod in circumcissione conferebatur gratia, quantum ad omnes gratia effectus: aliter tamen, quam in baptismo; nam in baptismo confertur gratia, ex virtute ipsius baptismi, quam habet, in quantum est instrumentum passionis Christi iam perfecta: in circumcissione autem conferebatur gratia, non ex virtute circumcissionis, sed ex virtute fidei passionis Christi, cujus signum erat circumcisio: ita scilicet, quod homo, qui accipiebat circumcissionem, proferebatur, se suscipere talem fidem, vel adultus pro se, vel alius pro parvulis.*

ARTICULUS VII.

Solvuntur Objectiones contra Conclusiones duorum Articulorum præcedentium.

281. **O**B. i. ex Calvino. Habetur *Levit. 4. 5. & 6.* peccata expiari per sacrificium, & orationem sacerdotis: ergo etiam sacrificia antiquæ legis, quæ simul fuerunt sacramenta, justificabant. Confirmatur. S. Jacobus eodem modo loquitur de extrema unctione, sicut liber Levitici de illis sacrificiis: ergo vel utraque, vel neutra causant gratiam. Resp. dist. ant. habetur ibi expiari peccata, quoad poenam aliquam temporalem, & immunditiam legalem. conc. ant. quoad ipsam culpam, vel poenam æternam. neg. ant. & consequ. S. Augustinus *tr. 41. in Joann. ante medium* de sacrificiis antiquæ legis sic ait: *In quibus sacrificiis non erat expiatio peccatorum, sed umbra futurorum.*

282. Opus erat adultis in lege antiqua, ad delenda peccata, actu contritionis, cujus signum, & protestatio erant sacrificia (ut du-

dum etiam annotavit S. Thomas *1. 2. q. 103. a. 2. in corp.*) non autem per ipsa debebantur peccata: quod etiam ex eo potest colligi, quod non pro omnibus peccatis sacrificia fuerint instituta: e. g. nullum fuit institutum pro blasphemia, homicidio, adulterio, idololatria &c. sed tantum pro aliquibus peccatis, & maxime pro peccatis ignorantia. Licet autem *Levit. 6. v. 3. & 7.* videatur dici, sacrificio arietis expiari omnia peccata, *in quibus solent peccare homines;* tamen textus loquitur tantum de peccatis circa ablationem rei alienæ, ut est clarum legenti præcedentia, & ex eo etiam colligitur; quod aliàs frustra instituta essent alia sacrificia pro peccatis aliis. Quare sacrificia non expiabant culpam; primò enim in hac providentia non remittitur quoad culpam unum peccatum sine alio, & sacrificia non expiabant peccata omnia, sed tantum aliqua, adeoque non expiabant ea quoad culpam.

Secundò. S. Thomas *1. 2. q. 103. a. 2. ad 2.* rectè notat, non placuisse DEO sacrificia legis antiquæ, nisi ex fide, & devotione offerentium; hinc sæpe in Scripturis reiecit DEUS victimas impiorum: ergo non expiabant peccata quoad culpam; aliàs sacrificia in justorum DEO non displicissent. Tertio. Prophetæ, & S. Paulus docent, peccata sacrificiis Judaicis non expiari: ergo, ne Scripturæ tibi sint contrariæ, intelligi debet textus *Levitici*, quod sacrificia deleant peccata quoad immunditiam legalem: & textus S. Pauli, ac prophetarum, quod ea non deleant, quoad culpam. Ad confirm. neg. ant. dicit enim S. Jacobus, per extremam unctionem remitti omnia peccata: *Si in peccatis sit, remittentur ei. Jacob. 5. v. 15.*

283. Ob. 2. ex eodem. S. Paulus *1. Cor. 10. v. 3. & 4.* loquens de manna Hebræorum, & aqua ex petra scaturiente, ait: *Eandem escam spiritalem manducaverunt, & eundem potum spiritalem biberunt:* ergo eadem fuit spiritualis esca in manna, quæ est in SS. Eucharistia: adeoque manna fuit ejusdem virtutis spiritualis, & non fuit tantum signum aliquod corporale. Confirm. 1. Apostolus vult ibi monere Christianos, ne nimium considerent, neque crederent omnia salva, si baptismum, & Eucharistiam recipebant, omittis bonis operibus: idque facit adducta paritate ab antiquis Judæis, quibus sacramenta sua non profuerunt: ergo, ut argumentum Apostoli valeat, debent antiqua, & nova sacramenta, esse ejusdem efficacitæ. Confirm. 2. S. Augustinus hunc locum Apostoli explicans *tract. 26. in Joannem post medium*, ait, sacramenta Judæorum, & nostra, fuisse in signis diversa, in re autem, quæ significatur, paria: diversa specie visibili, paria virtute spirituali: ergo.

284. Resp. neg. consequ. S. Paulus non dicit, quod Judæi eandem escam spiritalem, quam nos, manducaverint: sed tantum dicit, quod omnes Judæi inter se eandem escam manducaverint. Responso hæc confirmatur ex eo, quod *ibidem v. 3.* dicit Apostolus, non omnes DEO placuisse. Dein

manna, & aqua scaturiens, non erant sacramenta; nam bestia etiam aquam illam biberunt, & canes, ac gallinae, manna manducaverunt: & quidem ex voluntate DEI, producentis aquam ex volumentis. Vocatur autem manna esca spiritualis; quia est esca mystica, vel typica, ut vult Cornelius à Lapide *in eum locum S. Pauli*: vel dicitur talis; quia miraculose producta est à spiritibus Angelicis: sicut etiam vocatur panis Angelorum, non quia isti illud comederunt, sed quia producerunt. Pariter aqua illa vocatur potus spiritalis; quia est à Christo, petra spiritali, producta, ut in sequentibus confirmat Apostolus.

285. Ad 1. confirm. neg. ant. Apostolus *ibi* non intendit, compescere nimiam confidentiam: sed vult suadere Christianis, ne contemnant sacramenta, aut iis abutantur, & statim à manducatione SS. Eucharistiae transeant ad manducationem idolothytæ: ejusque argumentatio est ferè ista: si Judæi puniti sunt propter irreverentiam, quam exhibuerunt illi manna, & aquæ, quanto magis punientur Christiani, qui irreverenter tractant SS. Eucharistiam? Hoc autem argumentum est eo fortius, quo infirmiora sunt illa, quæ in comparisonem adducuntur.

Ad 2. confirm. neg. ant. Calvinus malè citat S. Augustinum; sic enim habet: *Aliud illi, aliud nos, sed specie visibili, quod tamen hoc idem significaret virtute spiritali*: ita editio Antverpiensis, qua hucusque semper usus sum: at in *Breviario lect. 4. in feria 2. octav. Corp. Chri.* habentur verba paulò aliter, nempe sic: *Aliud illi, aliud nos, sed specie visibili quidem, tamen hoc idem significante virtute spiritali*. Unde non dicit S. Doctor, sacramenta vetera, & nova, esse paria quoad virtutem, sed tantum quoad significationem. Certè S. Augustinus *contra Faustum. l. 19. c. 13.* expresse dicit, nostra sacramenta esse virtute majora, utilitate meliora, actu faciliora, numero pauciora. Adde, quòd expositio illa S. Augustini non sit necessariò sequenda (quia tantum obiter, & ex accidenti, textum eum explicavit, de quo vide plura apud Bellarminum *tom. 3. contr. 1. de sacram. l. 2. c. 17. §. Unum est hic observandum*) sed possumus adhærere S. Cyrillo, & præsertim S. Chryostomo, qui ex professo epistolam S. Pauli explicat.

286. Ob. 3. Sacramenta etiam veteris legis fuere actiones Christi, aut DEI: ergo non minus, quam sacramenta novæ legis, causabant moraliter gratiam. Resp. neg. ant. Sacerdotes antiqui inprimis non fuerunt delegati Christi, quòd Arriaga *de sacram. in genere disp. 10. sec. 3. subsec. 2. n. 30.* & Gormaz *de sacram. disp. 4. sec. 4. n. 206.* bene deducunt ex S. Paulo *ad Hebr. 7. v. 23.* ubi dicit Apostolus: *Et alii quidem plures facti sunt sacerdotes, idcirco, quòd morte prohiberentur permanere: hic autem Christus, eoquòd maneat in æternum, sempiternum habet sacerdotium.*

Sic enim discurrunt, & bene. Si sacerdotes legis veteris fuissent ministri Christi,

Christus fuisset principalis sacerdos antiqui testamenti: ergo nullum fuisset discrimen inter sacerdotium legis antiquæ, & novæ; nam principalis sacerdos in utraque lege fuisset perpetuus, & ministri in utraque lege fuissent successivè plures; quia isti in utraque lege mortui essent: hoc autem est contra S. Paulum: ergo sacerdotes antiquæ legis, non nomine Christi, sed nomine suo agebant. Quòd si etiam velis, eos egisse nomine synagogæ, tamen per administrationem suorum sacramentorum non poterunt gratiam conferre tanquam causæ; quia synagoga non habuit potestatem, conferendi signis illis vim conferendi gratiam.

287. Sed neque sacerdotes antiqui administrabant sacramenta nomine DEI, quia, licet sacramenta illa fuerint promissiones, seu pignora gratiæ, à DEO instituta, tamen non fuerunt ita instituta, vel assumpta, ut essent moraliter actiones DEI: sed DEUS actionibus ministrorum alligavit suam promissionem de danda gratia, sicut *Gen. 9. v. 13.* suam promissionem de non delendo mundo per aquas, alligavit iridi, quoniam iris sit moraliter actio DEI: & sicut sæpe homines dant varia pignora suarum promissionum, quæ non sunt actiones promittentium. Dein sacramentorum essentia non est tantum esse pignus, sed etiam esse cultum DEI: ergo sacramenta non possunt esse actiones DEI, prob. consequ. nemo potest colere seipsum, aut substituere sibi alium, à quo tanquam suo vicario; & nomine suo, ipsemet colatur, ut adoretur; hoc enim non potest fieri, nisi à subdito.

Neque dicas, per sacramenta novæ legis coli etiam Christum ut hominem: adeoque ipsum per suos ministros coli à se ipso; nam responderetur, per sacramenta non coli Christum ut hominem, nomine Christi: sed ad summum coli Christum ut hominem à ministro, nomine proprio ministri, quatenus hic ejus institutioni obedit: sicut, quando legatus regis ad Pontificem, nomine regis colit Pontificem, osculando ejus pedes, simul nomine suo, seu legati, colit suum regem, quatenus exequitur ejus justum: atque adeò quatenus ministri sacramentorum sunt vicarii Christi, & quatenus actiones sacramentales sunt actiones Christi, colitur tantum Christum ut DEUS.

288. Ob. 4. contra 2. conclusionem. Circumcisioni fuit annexa promissio vitæ æternæ: ergo causavit vitam æternam, & consequenter etiam gratiam. prob. ant. *Gen. 17. v. 7.* dicit DEUS ad Abraham: *Statuam pactum meum . . . ut sim DEUS tuus, & seminis tui post te*: ergo promissit ei vitam æternam. prob. consequ. Christus dicit *Matth. 22. v. 32.* *Non est DEUS mortuorum, sed vivorum*: ergo. Resp. neg. ant. saltem si intelligatur, quòd promissio vitæ æternæ fuerit annexa circumcisioni tanquam causæ, per quam conferatur actu gratia; nam, vel circumcisioni tantum fuit annexa promissio de danda gratia per alia sacramenta, scilicet per sacramenta novæ legis:

An, & Quomodo in Usu Remedii Legis Naturæ, vel Circumcisionis, fuerit &c. 75
gis: vel tantum fuit ipsi annexa ea promissio tanquam puræ conditioni. Imò, qui negant, circumcisionem fuisse conditionem sine qua non, etiam negant, ei fuisse annexam promissionem de gratia in ipsa danda; eoquòd aliàs non ita posset contemni ab Apostolo: consequenter ajunt, gratiæ promissionem fuisse annexam actu interno fidei.

Ad prob. neg. consequ. Textus adductus tantum significat specialem protectionem temporalem posterorum Abraham: vel, si significat dandam gratiam, & vitam æternam, significat, eam dandam olim ex opere operato per Christum, & sacramenta novæ legis: non verò dandam ex opere operato per circumcissionem, saltem non tanquam per causam moralem. Ad prob. consequ. neg. iterum consequ. Textus ille probat tantum id, quòd Christus intendit contra Sadducæos, scilicet animas hominum esse immortales; utique enim DEUS etiam est DEUS damnatorum.

289. Ob. 5. Innocentius III. *C. Majoris. 3. de baptismo.* ait: *Originalis culpa remittebatur per circumcissionis mysterium*: ergo per eam causabatur gratia. Respondet 1. Valquez, per hoc tantum significari, in circumcissione per fidem, adeoque ex opere operantis, fuisse remissum originale peccatum: quòd etiam sentit Layman. *l. 5. tr. 1. c. 3. n. 5.* Equidem hæc expositio posset videri durior; nam Innocentius dicit *per circumcissionis mysterium*: artamen etiam Haucus *l. 4. tr. 2. n. 6. ad.* citans Esparzam, putat, Papam non plus statuisse, quam, quòd in circumcissione fuerit remissum peccatum originale; quia plus ad ejus scopum non erat necessarium; scopus enim ejus erat damnare hæreticos, negantes, ullum peccatum remitti sine actu contritionis: ac exinde inferentes, inutiliter baptizari infantes: ad hos autem damnandos sufficiebat definire, peccata in baptismo remitti, atque etiam in circumcissione remissa fuisse: quin definiretur quæstio scholastica de modo, quo fiebat remissio in circumcissione, an scilicet id fieret ex opere operato, an ex opere operantis ministri.

Respondet 2. Comptonus *Theol. schol. disp. 67. se. 2. n. 4.* & alii, non omnia, quæ Pontifices in decretis suis afferunt per modum rationis, ab iis definiti, ut est certum Theologis. Responderi potest 3. cum eodem Comptono, verba Pontificis hæc esse: *Quoniam, etsi originalis culpa remittebatur per circumcissionis mysterium, & damnationis periculum vitabatur: non tamen perveniebatur ad regnum celorum, quòd usque ad mortem Christi fuit omnibus observatum: sed per sacramentum baptismi &c.* hæc autem verba videntur à Pontifice dicta tantum in sensu conditionato, & permissivo: quasi diceret: *Etiamsi circumcisio sustulerit peccatum, tamen baptismus adhuc præcellit; quia insuper statim dat jus ad ingressum celi.*

Responderi potest 4. remitti originale peccatum per circumcissionem, tanquam per

puram conditionem, aut quasi applicationem, vel etiam tanquam per purum terminum (de quo infra *n. 294.*) non autem tanquam per causam: sicut etiam dicimus, per applicationem ignis comburi domum. ita videtur sentire Arriaga. *tom. 7. tr. de sacram. disp. 10. sec. 3. n. 43.* Conink *de sacram. in genere q. 62. n. 6. n. 146.* Tannerus *tom. 4. disp. 4. de baptis. q. 3. dub. 5. n. 168.* & videntur consentire, vel certè non oppositi esse Vasquez, & alii cum ipso sentientes.

290. Ob. 6. S. Augustinus *l. 16. de civit. DEI. c. 27.* textum illum *Gen. 17. v. 14.* *Masculus, cujus præputii caro circumcisâ non fuerit, delebitur anima illa de populo suo*: explicat de solis parvulis, ad quam applicationem dandam permotus fuit ex eo; quòd uteretur Bibliis Græcis, vel ex Græco per aliam, quam vulgatar versionem, traductis, in quibus additur *octavo die*: qui dies aliàs erat destinatus circumcissioni parvulorum; unde ait, parvulum talem esse damnandum; quia *deleri de populo significat*, juxta modum loquendi Scripturæ, damnari: sicut *colligi, vel apponi ad Patres* significat salvari: ergo per circumcissionem fuit talis parvulus liberatus à damnatione, seu à peccato originali, quòd fit per gratiam: ergo per circumcissionem collata ei fuit gratia.

Confirm. 1. Idem S. Augustinus rationem additam in Scripturis *loc. cit.* scilicet hæc: *Quia pactum meum irritum fecit*: vel, ut S. Doctor legit: *Quia testamentum meum dissipavit*: explicat de pacto, inter Adamum, & DEUM, quòd parvulus violavit: ergo explicat illud de peccato originali, adeoque vult, hoc tolli per circumcissionem. Confirm. 2. Idem S. Augustinus, ut refert Cornelius in *Exod. 4. v. 24.* vult, quòd DEUS, sive Angelus personam DEI gerens, voluerit occidere filium Moyse; eoquòd non esset circumcisus: ergo circumcisio fuit parvulis necessaria ad delendum originale peccatum.

291. Resp. ex his omnibus non plus probari, quam, quòd circumcisio fuerit conditio necessaria, sine qua non remitteretur parvulis originale peccatum, & quæ sine peccato omitti non poterat, nisi impossibilitas aliqua moralis excusaret. Respondet 2. alii, neque in vulgatis nostris Bibliis, neque in textu Hebræo, nec in Chaldaico, haberi illud *octavo die*, quòd signum est, irrepsisse aliunde: neque textum illum intelligendum esse de parvulis, sed de adultis, qui scilicet graviter peccabant, omittendo, vel impediendo circumcissionem propriam: sicut etiam graviter peccabant parentes, non curantes circumcidi proprios filios, si possent: & ideo debebant puniri temporaliter, vel morte, vel exilio; ista enim duo videntur posse intelligi per illud *deleri de populo suo*. Saltem videtur hoc patere ex lectione illius *c. 17. Gen.* quòd DEUS loquatur non tantum de circumcissione parvulorum, sed etiam adultorum; dixit enim DEUS illa verba: *Masculus*

sculus &c. antequam Abraham, aut servi ejus fuissent circumcisi: adeoque videtur pœna adjuncta tangere potius adultos rationis capaces, quam parvulos necdum rationis usum adeptos.

Adde 1. ex Oviedo in 1. 2. tr. 6. *controv. 9. n. 47.* in translatione septuaginta interpretum, quæ jussu S. Pii V. emendatio prodiit, illud *octavo die* referri ad pœnam, ut sensus sit: *Interibit octavo die*: scilicet ex quo circumcisionem omisit, quæ pœna tangit adultos; unde non probatur, cum textum intelligendum esse de parvulis. Adde 2. quod ista pœna, scilicet delictio de populo, imponatur passim in Scriptura delictis non adeo magnis, ita, ut Bellarmino *tom. 3. controv. 1. de sacram. l. 2. c. 17. §. Secundo idem.* non videantur esse mortalia: sic e. g. de eo, qui tetigerit cadaver hominis mortui, & se non abluerit aquâ expiationis, dicitur *Numer. 19. v. 13. Peribit ex Israël.* & *v. 20. Peribit anima illius de medio Ecclesia.* Sed neque apponi ad patres: significat semper salvari; nam *Gen. 25. v. 17.* dicitur de Ismaele: *Mortuus est, & appositus ad populum suum.* item *Daniel. 13. v. 17.* dicitur de Atyage: *Appositus est ad patres suos:* quin tamen de his certum sit, eos esse salvatos.

292. Ad 1. confirm. Inprimis dici potest, illud pactum non fuisse pactum DEI cum Adamo: sed pactum cum Abrahamo de circumcisione, ut videtur patere ex contextu: & S. Augustinus tantum dicit, illud posse etiam intelligi de pacto cum Adamo. Responderi potest 2. om. ant. dist. conf. S. Augustinus vult, tolli peccatum originale per circumcisionem, tanquam per causam gratiæ, destruentis illud peccatum. neg. conf. tanquam per aliquam conditionem. om. conf. Ad 2. confirm. Non voluit DEUS, seu Angelus occidere parvulum, sed ipsum Moysen, ut alii Patres passim tradunt, & colligitur ex contextu, qui ita habet: *Cumque esset Moyses in itinere in diversorio, occurrit ei Dominus, & volebat occidere eum;* quia scilicet filium suum non circumciderat; nam, cum Sephora uxor statim circumcidisset infantem, liberatus est Moyses à periculo, & infestatione Angeli. vide Cornelium in *Exod. 4. v. 24.*

293. Ob. 7. Apostolus ad *Rom. 15. v. 8.* ait: *Dico enim, Christum JESUM ministrum fuisse circumcisionis:* ergo circumcisio fuit actio Christi. Resp. neg. conf. Si circumcisio fuisset actio Christi, deberet ipse dici auctor, & institutor illius, non minister: sicut non dicitur minister, sed auctor sacramentorum novæ legis: neque legitur, Christum circumcidisse. Textus objectus tantum significat (ut explicat Salmeron, & Cornelius à Lapide) Christum fuisse missum à Patre, ad prædicandum Judæis, & hac ratione fuisse ministrum circumcisionis, seu circumcisorum, id quod ipse Christus de se dicit *Matth. 15. v. 24. Non sum missus, nisi ad oves, quæ perierunt domus Israël.*

294. Ob. 8. Circumcisio saltem fuit

conditio, sine qua non dabatur gratia: ergo etiam fuit causa moralis gratiæ. prob. conf. circumcisio tanquam conditio movit DEUM ad dandam gratiam: ergo fuit causa moralis. Resp. om. antec. neg. conf. ad prob. neg. antec. Duplicis generis datur conditio: aliqua est *pura conditio* (quæ vocatur ab aliis *purus terminus*) quam respicit volitio aliquid facienti, quin ab ea ullo modo moveatur: sic qui dicit: *Si crastinus dies advenerit, ingrediar religionem: si horologium sonaverit, ambulabo:* non movetur à crastina die ad ingrediendam religionem, sed ab amore suæ salutis: neque movetur à sono horologii ad ambulationem, sed à recreatione, vel sanitate.

Pariter, si dominus servo imperet, ut quotiescunque gallus cantat, det elemosinam, non movetur servus à cantu galli, sed ab imperio domini. Unde istæ sunt puræ conditiones, vel puri termini: non autem sunt simul causa moralis: sed se habent in genere morali, sicut applicatio causæ in genere phyfico; applicatio enim non causat, sed tamen est conditio ita requisita, ut causa sine illa causare non possit. Et sic etiam dies crastina, sonus horologii, cantus galli &c. non movent: sed tamen sunt ita requisita, ut causa moralis sine his effectum suum non producat, seu non absolurè moveat.

Alia conditio est *conditio non pura*, quæ scilicet simul est causa moralis, & habet dignitatem, & meritum movendi, vel ad aliquid amplectendum, ratione suæ bonitatis, vel ad aliquid fugiendum, ratione suæ malitiæ: sic, si quis dicat: *Si tempestas veniat, projiciam merces de navis: si famis veniat, ingrediar religionem: si superior imperaverit, vel vir ille prudentissimus fuerit, hoc, vel illud faciam:* istæ conditiones sunt conditiones non puræ, sed simul sunt veræ causæ morales; nam sanitas ratione boni, & tempestas ratione periculi, seu mali, præceptum, & consilium ratione intrinsecæ dignitatis, & æstimabilitatis, ac meriti sui, verè movent ad ita, vel aliter agendum.

295. Jam verò, etiamsi detur, quod circumcisio sit conditio sine qua non, tamen est tantum conditio prioris generis, quæ non habet rationem causæ: sicut etiam intentio ministri est conditio sine qua non, ad conficiendum sacramentum, quin tamen sit causa gratiæ: & eodem modo se habet morbus in extrema unctione. Scilicet ipsa circumcisio non movit DEUM, sed tantum fuit aliqua conditio, sine qua DEUS non voluit gratiam conferre: motus est autem DEUS ad gratiam conferendam à meritis Christi prævisis, vel etiam à fide ministrum efficaciter imperante circumcisionem.

Neque dicas, circumcisionem, utpote actum obedientiam, erga præceptum Divinum, placuisse DEO, adeoque DEUM movisse ad dandam gratiam; nam hac eadem ratione placuerunt DEO omnes cæremoniarum antiquæ legis, quin tamen ullus dicat, eas omnes

omnes causasse gratiam ex opere operato; unde sub hac ratione circumcisio, quatenus scilicet fuit opus operantis externum, non movit DEUM ad dandam gratiam ex opere operato (de quo tamen hic est quæstio) quidquid sit, an ipsa, vel potius volitio eam imperans, causaverit aliquam gratiam: vel de condigno in adulto, prius per contritionem justificato: vel de congruo in parvulo, ratione fidei, vel alterius actus boni, elicit à ministro: de quo hic non quærimus.

296. Dixi: om. ant. nam quæstio esse potest, an circumcisio fuerit talis conditio sine qua non, vel terminus, sine qua non dabatur gratia, nec remittebatur peccatum originale: ad quam tamen videtur respondendum affirmativè; hac enim ratione conciliari videntur Patres, & scholastici, tam qui negant, per circumcisionem fuisse collatam gratiam, quos adduximus *n. 270.* quam qui affirmant, ut S. Augustinus, & Innocentius III. adducti *n. 289. & seq.* cum quibusdam Theologis, ut Soto, Suarez, ac aliis. Nec obest Tridentinum, aut Florentinum; nam ex his Conciliis tantum probatur, quod circumcisio non fuerit causa gratiæ: non autem, quod non fuerit pura conditio, vel purus terminus.

Neque etiam videntur obtare dicta Apostoli, citata *n. 268. & n. 272.* nam observantia legalis, & inter eas etiam circumcisio, rectè dicuntur, vacua egea, & infirma elementa; quia erant vacua gratiæ, & egea, seu destituta virtute omni eam causandi: atque etiam infirma; cum non valerent quinquam perducere ad justificationem: & hæc est expositio S. Thomæ *lect. 4. in c. 4. epist. ad Galat.* In simili sensu potest etiam dici, quod circumcisio nihil valeat, nempe in genere causæ gratiæ: item, quod aliquo modo nihil sit, hoc est, parum, aut nihil æstimabilis; de rebus enim, quas non multum æstimamus, dicere solemus, quod nihil sint: præsertim autem potest dici, quod circumcisio nihil sit, comparativè ad sacramenta novæ legis.

297. Equidem Bellarminus *tom. 3. controv. 1. de sacram. l. 2. c. 14. §. Calvinus.* rejicit explicationem Calvini, qui etiam ait, Apostolum locutum esse de sacramentis veteribus, non sumptis absolurè, sed comparativè, seu comparando ea cum nostris. Sed Calvinus non faciebat talem comparisonem, qualem nos facimus. Ille dicebat, sacramenta novæ legis esse quidem suo modo causas majoris gratiæ: sacramenta tamen veteris legis fuisse etiam eodem modo causas alicujus gratiæ, quamvis minoris: quod merito reprehenditur. Nos autem comparamus sacramenta novæ legis, tanquam causas, cum sacramentis antiquæ legis, tanquam non causis, sed puris conditionibus, aut terminis, quod Bellarminus non reprehendit.

Nec ratio talis puri termini, aut puræ conditionis, videtur sacramentis antiquis negari ab Apostolo; hic enim non voluit dicere, circumcisionem prorsus sub nulla ratione fuisse Judæis utilem; nam ipsemet dicit ad *Rom. 2. v. 25. Circumcisio quidem prodest,*

si legem observes. & iterum ad *Rom. 3. v. 1. Quid ergo amplius Judæo est, aut qua utilitas circumcisionis? multum per omnem modum. Primum quidem; quia credita sunt illis eloquia DEI.* Quare, licet dicatur, quod circumcisio fuerit aliqua conditio, seu terminus, qui requirebatur ad accipiendam gratiam: tamen, quia ipsa nullo modo erat causa gratiæ, fuit egenum, & infirmum elementum, quod suo modo nihil valuit, & nihil fuit, præsertim comparativè ad nostra sacramenta, quæ sunt fontes copiosissimi gratiarum.

298. Quæres adhuc 1. An remedio legis naturæ potuerint salvari infantes, adhuc existentes in utero, vel absentes; quia pro his potuit à parentibus elici fides, & etiam jam tum ipsi offerri DEO. 2. An fuissent salvati parvuli per circumcisionem, casu quo nec parentes, nec minister habuissent fidem. 3. An fuissent salvati, si soli parentes habuissent fidem. 4. An fuissent salvati, si in aliquo casu minister fuisset violenter impeditus à circumcisione, e. g. à gentili, postquam fides jam erat elicitæ, & sic parvuli essent mortui absque circumcisione. Resp. has quæstiones moveri ab authoribus, potius curiosè, quam utiliter, & parum certi de plerisque posse divinari: ut tamen aliquid dicam.

299. Ad 1. videtur respondendum negativè; quia non videntur habuisse illi parvuli remedium facilius applicabile, quam sit baptismus in lege gratiæ: adeoque videtur requisita fuisse circumstantia infantis nati, & præsentis: sicut etiam, quamvis confessio, & absolutio, possent fieri in absentia confessarii, aut poenitentis, tamen, si fierent, essent invalidæ; eoquod requiratur circumstantia præsentis. Ad 2. Iterum videtur respondendum negativè, ut colligi potest ex dictis *n. 276.* at tamen, cum circumcisio probabilius repeti non posset, saltem non nisi difficulter, & post adhibitos varios modos medicandi, talis infans poterat postea justificari per remedium legis naturæ. Ad 3. Videtur sentiendum de bonitate DEI, quod fide parentum fuisset contentus: & eodem modo videtur fuisse contentus fide ministri, si parentes eam non habuissent. Ad 4. Videtur probabile, talem infantem salvandum fuisse, quatenus ei jam aliquo modo applicatum fuisset remedium legis naturæ; nam illa ipsa præparatio ad circumcisionem est jam aliqua exterior actio profitentis fidem internam, quam supponimus adesse. Sed de his satis, quæ certò, vel solida ratione, decidi vix possunt.

ARTICULUS VIII.

Quanam Sacramenta Novæ Legis causent Primam Gratiam.

300. **D**ividuntur sacramenta novæ legis in *sacramenta mortuorum, & sacramenta vivorum.* Illa, seu *sacramenta mortuorum* sunt, quæ ad receptionem sui licitam non exigunt

exigent statum gratiæ; docemur enim ex certa doctrina Ecclesiæ, quod, si quis accedat ad ista sacramenta, etiam cum conscientia peccati mortalis, adeoque mortuus quoad gratiam, tamen, si alia non desint, rite ea recipiat, & per eadem iustificetur: talia autem sacramenta sunt baptismus, & poenitentia. Certè, si quis ante receptum sacramentum poenitentia jam deberet esse in statu gratiæ, absolutio sacerdotalis non esset remissiva peccatorum, sed tantum declarativa remissionis, prius jam obtentæ, contra definitionem Tridentini *sess. 14. can. 9.*

Altera, sive sacramenta vivorum, sunt, quæ ad licitam sui receptionem requirunt statum gratiæ; quia accedens ad illa, cum conscientia peccati mortalis, committit peccatum novum mortale. Et hæc sunt confirmatio, Eucharistia, extrema unctio, ordo, matrimonium; nam si, ut superius *n. 210.* diximus, minister, administrando sacramenta in statu peccati, gravem irreverentiam committit, non minus committit talem irreverentiam suscipiens, exceptis sacramentis mortuorum, quæ in solatium miserorum, ex speciali benignitate Christi, ita instituta sunt, ut etiam à peccatoribus possint suscipi, & isti per ea à peccatis liberari. Inde est, quod sacramenta mortuorum dicantur tendere ad conferendam primam gratiam, seu illam, per quam homo ex statu peccati, & inimici, assumitur iterum ad statum aliorum DEI; cum econtra sacramenta vivorum potius tendant ad conferendam secundam gratiam, seu augmentum præcedentis; quia iam aliquam gratiam supponunt in subiecto, seu in recipiente sacramentum.

301. Distinguunt autem auctores inter conferre primam gratiam per se, & conferre eam per accidens. Terminorum istorum sensus non est, quod conferre gratiam per se, sit conferre eam ex vi institutionis Christi; & conferre per accidens, sit eam conferre, non ex vi institutionis Christi; nam omnia sacramenta, quamcumque gratiam conferant, eam semper conferunt ex vi institutionis Christi, nec aliunde vim ullam habent eam causandi: adeoque in hac significatione omnia conferunt gratiam per se. Sed primam gratiam conferre per se hic significat, eam ita causare, ut per se licitum sit, etiam scienter cum peccato mortali ad illa sacramenta accedere: & primam gratiam conferre per accidens significat, ita eam causare, ut per se illicitum sit, cum peccato mortali accedere ad ea sacramenta, & tantum id licitum sit per accidens; quando scilicet quis invincibiliter ignorat, se esse in statu peccati. His prænotatis

302. Dico. Probabilius omnia sacramenta possunt causare primam gratiam, & quidem sacramenta mortuorum per se: sacramenta vivorum autem per accidens. Prima pars conclusionis de baptismo, & poenitentia, est certa: alteram partem defendunt Suarez *tom. 3. in 3. p. disp. 7. sec. 2. §. Nihilominus contraria.* ubi etiam ait, hanc sententiam à S. Thoma de singulis sacramen-

tis doceri, eamque etiam defendi à Thomistis, & multis aliis. Layman *l. 5. tract. 1. c. 6. n. 2.* asserens, ita docere scholasticos. Gormaz *de sacram. in genere n. 263.* (cum prius *n. 262.* pro hac eadem sententia classet S. Thomam, S. Antoninum, Paludanum, Richardum, Scotum; Alensem, Bellarminum, Valentiam, Coninck, Platelium, Gobat &c.) Arriaga *tom. 7. tract. de sacram. in gener. disp. 16. sec. 1. n. 6.* ubi ait, esse communissimam in scholis, & *n. 8.* ait, eandem tenere omnes Thomistas, & Scottistas, ac exceptis pauculis omnes Theologos, atque jam supra citatis nominatim addit Præpositum, & Tannerum.

303. Probatur conclus. 1. hæc ipsantata autoritate, quæ est maximi momenti in questione, quæ pendet ex sola voluntate DEI; sicut enim communis sensus philosophorum in naturalibus, ita communis sensus Theologorum in supernaturalibus, magnam vim habet. Confirm. conclusio, præferim autoritate Angelici, qui *3. p. q. 72. a. 7. ad 2.* de confirmatione sic scribit: *Si aliquis adultus, in peccato existens, cujus conscientiam non habet, vel si etiam non perfecte contritus accedat, dummodo non fictus accedat, per gratiam collatam in hoc Sacramento consequetur remissionem peccatorum.*

Rursus *3. p. q. 79. a. 3. in corp.* de Eucharistia ait: *Potest tamen hoc sacramentum operari remissionem peccati dupliciter: uno modo non perceptum actu, sed voto, sicut, cum quis primo iustificatur à peccato. Alio modo etiam perceptum ab eo, qui est in peccato mortali, cujus conscientiam, & affectum non habet; forte enim primo non fuit sufficienter contritus: sed devotè, & reverenter accedens, consequetur per hoc sacramentum gratiam charitatis, quæ contritionem perficiet, & remissionem peccati.* Iterum in *supplemento q. 39. a. 1. in corp.* de extrema unctio ait: *Ideo ex consequenti, si invenit peccatum aliquod, vel mortale, vel veniale quoad culpam, tollit ipsum, dummodo non ponatur obex ex parte recipientis, sicut etiam de Eucharistia, & confirmatione supra dictum est.* & paulo post addit: *Unde dicendum, quod principalis effectus hujus sacramenti est remissio peccatorum quoad reliquias peccati, & ex consequenti etiam quoad culpam, si eam inveniat.*

304. Neque dicas 1. S. Thomam loqui tantum de venialibus peccatis; nam, ubi agit de Eucharistia, & extrema unctio, expressè nominat mortalia: & quando agit de confirmatione, loquitur de illo peccato, cum cujus conscientia non licet eam recipere, quod non est veniale, sed mortale. Neque dicas 2. S. Doctorem tantum velle, quod recipienti taliter sacramentum conferantur gratiæ auxiliantes, cum quibus homo ille eliciat perfectam contritionem, adeoque per illam iustificetur; nam in primis gratiæ auxiliantes, & gratia charitatis, sunt inter se valde diversæ. Secundò gratiæ auxiliantes

non possunt facere, ut attritio fiat contritio, neque virtualiter quoad effectum, seu, ut idem efficiat attritio cum auxiliis, quod contritio sine illis facit: sed tantum possunt facere, ut, qui prius habuit attritionem, postea eliciat contritionem, quod non intendit S. Thomas, dicens, attritionem perfici, seu dignificari per gratiam charitatis, ut scilicet habeat eundem effectum, quem habet contritio.

Tertio, si Eucharistia tunc ratione subiecti non dispositi, non potest causare gratiam; quomodo potest probari, quod cautus sit ex opere operato illa auxilia? Tandem ista explicatio omnino non congruit reliquis textibus, ut consideranti patebit. Quod autem docet Angelicus de his tribus sacramentis, ob rationem prorsus parem censendus est sensisse etiam de reliquis duobus, licet agendo de illis quaestionem hanc omittat.

305. Prob. conclusio 2. ex SS. Patribus, qui asserunt, per Eucharistiam tolli peccata, sanari vulnera, purgari iniquitates: sic S. Ambrosius *l. de benedict. Patriarch. c. 9.* ait: *Panis hic remissio peccatorum est.* S. Cyprianus *l. 2. epist. 3. vel juxta aliam editionem epist. 63.* ait, hoc sacramento fieri, ut *maestum peccatus, ac triste, quod prius peccatis angustibus premebatur, Divina indulgentia lætitiâ resolvatur.* S. Ignatius M. *epist. ad Ephesios prope finem* ait: *Frangentes panem, qui est medicamentum immortalitatis, antidotum non moriendi, sed vivendi per JESUM Christum in DEO, catholicum expellens malum:* quæ, cum intelligi nequeant de effectu, ab Eucharistia per se producto (ne aliquid asseratur contra Tridentinum, & fidem) debent intelligi de effectu per accidens, in sensu supra explicato.

306. Prob. conclusio 3. ratione. Omnia sacramenta novæ legis causant gratiam in non ponentibus obicem, ut definit Tridentinum, citatum, *n. 225.* atqui peccator, accedens ad sacramenta, etiam vivorum, bona fide, cum ignorantia sui peccati, & generali attritione de omnibus suis peccatis, non ponit obicem gratiæ: ergo in tali peccatore etiam sacramenta vivorum causant gratiam, eamque primam, seu illam, quæ est expellens peccatum, & hominem ex servo dæmonis faciens filium DEI. prob. mi. talis peccator non ponit obicem, ratione peccati actualis; quia ab hoc excusatur ratione ignorantia invincibilis, ut est certum: sed neque ponit obicem ratione peccati habitualis; nam istud invincibiliter ignoratum, & attritione generali retractatum, non est obex gratiæ, etiam in sacramentis vivorum: ergo.

Prob. 2. pars mi. In primis hoc expressè colligitur ex Angelico supra citato *n. 303.* dein neque ex institutione Christi potest ostendi, quod peccatum tale sit obex: neque ex praxi, aut traditione Ecclesiæ; quod hæc enim tantum habemus, peccatum, quod est in conscientia, seu quod scitur, esse obicem: ergo. Secundò. In sacramento poenitentia, peccatum invincibiliter ignoratum & ideo ommissum, tamen remittitur indirectè;

at verò scienter ommissum non remittitur: ergo potest intelligi, quomodo peccatum cognitum sit obex, & non sit obex peccatum ignoratum: ratione scilicet irreverentia, quam infert sacramento, qui cum peccato cognito accedit, & illud, vel non fatetur, vel non prius delet. Tertio. Sacramentum extremæ unctiois est sacramentum vivorum, & tamen respectu hujus peccatum habituale non est obex: ergo neque est obex respectu aliorum. prob. ant. *Jacob. 5. v. 15.* dicitur de hoc sacramento: *Et, si in peccatis sit, remittentur ei:* item in forma hujus sacramenti dicitur: *Indulgeat tibi Dominus, quidquid per visum deliquisti &c.* ergo.

307. Neque dicas 1. per hoc sacramentum remitti tantum peccata venialia; nam S. Jacobus genericè loquitur de omnibus peccatis, ut rectè infert Angelicus, citatus *n. 303.* Rursus Apostolus dicit conditionarè: *si in peccatis sit:* ergo intelligit mortalia; si enim tantum intelligi voluisset venialia, potuisset abique conditione loqui; cum in ea sapius cadant etiam iusti: idem est de verbo *deliquisti*, quo utitur Ecclesia. Præterea Ecclesiæ usus habet, conferre sacramentum extremæ unctiois, etiam iis, de quibus constat, eos mortaliter peccasse, & confiteri non potuisse: ergo videtur judicare, sufficere aliquam attritionem ad hoc sacramentum; neque enim potest semper, & universaliter præsumi, quod in talibus moribundis detur perfecta contritio. Tandem Tridentinum *sess. 14. can. 2. de sacram. extrem. unctio.* definit, hoc sacramentum conferre gratiam, & remittere peccata: quæ dictio universalis etiam includit mortalia.

308. Neque dicas 2. extremam unctioem quidem posse aliquando causare primam gratiam: non verò alia sacramenta vivorum, & hoc ideo; quia, quod extrema unctio eam virtutem habeat, colligitur ex ejus institutione: non verò idem colligitur eodem modo de aliis sacramentis vivorum; contra enim est. Saltem hac ratione jam habemus, quod ad recipienda cum fructu sacramenta vivorum in genere, non sit necessarium, ut nullum peccatum habituale detur in recipiente: sed quod tantum requiratur, ut hic non sit ejus conficius; adeoque, quod ratio adversariorum, desumpta ex ratione generica sacramenti vivorum, sit nulla: item, quod peccatum habituale ignoratum non sit obex gratiæ, à sacramento vivorum conferendæ: quibus positis firma est ratio nostræ conclusionis *n. 306.* adducta.

Neque dicas 3. quod, si peccatum habituale non sit obex gratiæ, in receptione sacramenti vivorum, nulla sit ratio, cur ad eam prærequiratur poenitentia; contra enim est. Ad sacramenta omnia, etiam mortuorum, respectu quorum non est obex peccatum habituale, tamen requiritur aliqua poenitentia, seu attritio, etiam ad baptismum, in omnibus iis, qui peccatum actuale admiserunt. Ratio autem est; quia in hac providentia nullum peccatum actuale lethale remittitur sine aliqua poenitentia, ut do-

cet Tridentinum *sess. 14. c. 1.* ajens: *Fuit quidem penitentia universalis hominibus, qui se mortali aliquo peccato inquinassent, quovis tempore ad gratiam, & justitiam assequendam necessaria.* videatur Suarez *tom. 3. in 3. p. disp. 28. sec. 1.*

ARTICULUS IX.

Solvuntur Objectiones.

309. **O**B. 1. Sacramenta ex Tridentino causant gratiam, quam significant: sed non significant

primam gratiam: ergo nec eam causant. mi. prob. hoc ipso, quod dicantur sacramenta vivorum, significant, subjecta eorum receptiva debere esse viventia, adeoque jam habentia primam gratiam: ergo non significant istam, sed secundam gratiam. *Confir. 1.* ex Florentino in decreto Eugenii, ubi dicitur: *Per confirmationem augenti in gratia, & roboramur in fide: renati autem, & roborati, nutritur Divinâ Evcharistia alimonia:* nunquam autem dicitur, quod gratia primò conferatur: ergo ista sacramenta (adeoque & alia sacramenta vivorum) nec significant, nec causant initium gratiæ, sed tantum ejus augmentum, consequenter non primam, sed secundam gratiam. *Confir. 2.* Tridentinum *sess. 13. c. 2.* ubi maximè extollit SS. Evcharistiæ, sacramentum tantum dicit, quod sit *antidotum, quo liberemur à culpis quotidianis, & à peccatis mortalibus præservemur:* ergo per hoc sacramentum tantum præservamur, non autem liberamur à peccatis mortalibus, adeoque non accipimus primam gratiam. prob. conseq. malus esset encomiastes, qui tam nobilem effectum taceret: ergo. *Confir. 3.* Idem Tridentinum *sess. 13. c. 8.* docet, quosdam... sacramentaliter duntaxat id sacramentum Evcharistiæ sumere, ut peccatores, id est, sine fructu manducare Evcharistiã: sed etiam peccator ignorans suam culpam est peccator: ergo iste quoque sine fructu manducatur.

310. *Resp. conc. ma. neg. mi. ad prob. dist. ant. significant, subjecta eorum receptiva debere esse viventia in æstimatione propria, hoc est, ut non habeant conscientiam gravis culpæ. conc. conf. debere esse revera viventia. neg. conf. Ad 1. confir. neg. conf. Florentinum ibi tantum explicat effectus per se sacramentorum illorum: non autem explicat effectus per accidens: sic etiam certum est, quod sacramentum penitentiae possit augere gratiam, & hominem, qui spiritualiter vivus, ac sanus est, quique jam omne in te peccatum delevit, magis perficere: & tamen de hoc ejus effectu tacet idem Concilium, dicens: *Quod si per peccatum aegritudinem incurrimus anima, per penitentiam spiritualiter sanamur.* Pariter Florentinum effectum sacramenti ordinis assignat gubernationem Ecclesiæ, effectum matrimonii multiplicationem fidelium: & ta-*

men hæc sacramenta habent adhuc alios effectus, scilicet gratiam, variâque auxilia.

*Ad 2. confir. neg. conseq. ad prob. dist. ant. si talis encomiastis finis esset laudare, vel asserre omnes effectus, tam per se, quam per accidens viventes. conc. ant. si ejus finis sit, asserre tantum effectus per se. neg. ant. & conf. Finis Tridentini (ut legenti patet) sess. 13. maximè fuit, instruire fideles per quinque capita de dignitate hujus mysterii: dein c. 7. & 8. de dispositione debita ad illud recipiendum, ne scilicet quis sibi iudicium manducet, & bibat: ergo tantum loquitur de ejus effectu per se, seu de illo effectu, quem hoc sacramentum causat per se in rite disposito, & non de effectu, quem causat per accidens in aliquo, qui ratione inculpata ignorantiæ bona fide ad illud cum peccato accedit. Neque tamen omnino tacuit Tridentinum effectum per accidens, sed eum sufficienter explicavit *sess. 7. can. 6. de sacram. in genere,* ubi definitur de omnibus sacramentis, ea conferre gratiam non presentibus obicem.*

311. *Ad 3. confir. dist. ma. & Concilio est sermo ibi de peccatoribus, accedentibus cum conscientia peccati mortalis. conc. ma. est sermo de accedentibus cum ignorantia invincibili sui peccati. neg. ma. & conc. mi. neg. conseq. Hunc esse Tridentini sensum, colligitur, tum ex ejusdem *sess. 13. c. 7. preced. seu 7.* ubi sermo est de peccatoribus culpæ suæ conscis: tum ex Catechismo Tridentini de Evcharistia *g. De usu, & modo sumendi sacramenti &c.* ubi hic ipse locus adducitur, & ita explicatur: *Recte igitur, & sapienter majores nostri, ut in Tridentina synodo legitimus, tres hujus sacramenti sumendi rationes distinxerunt; alii enim sacramentum tantum accipiunt, ut peccatores, qui sacra mysteria impuro ore, & corde, accipere non verentur. & paulò poste Qui itaque hoc modo affecti sacra mysteria accipiunt, non solum ex his nullum capiunt fructum, sed ipso Apostolo teste iudicium sibi manducant, & bibunt.* Hæc intelligi non possunt de peccatoribus, bona fide accedentibus; nullus enim adversariorum audeat, tales condemnare novi peccati mortalis: igitur tantum intelligi debent de accedentibus cum conscientia peccati mortalis.*

312. *Ob. 2. Catechismus Tridentini de Evcharistia g. De multiplici, & admirabili fructu tanti sacramenti.* ita habet: *Quod dicitur, Evcharistia gratiam tribui, pastores admoncant, oportet, ita intelligendum non esse, perinde ac necesse non sit, ut, qui re ipsa hoc sacramentum utiliter percipiunt, gratiam ante adeptus fuerit; constat enim, quemadmodum mortuis corporibus naturale alimentum nihil prodest, ita etiam anima, que spiritu non vivit, sacra mysteria non prodesse:* ergo peccator, seu carens gratiã, non recipit utiliter hoc sacramentum. *Confir. 1.* ratione ipsius Catechismi. Cibum corporalis non prodest corporaliter mortuis: ergo cibum spiritualis non prodest spiritualiter mortuis. *Confir. 2.* authg:

authoritate S. Thomæ, qui 3. p. q. 79. a. 3. ad 3. sic ait: *Gratia est sufficiens causa remissionis peccati mortalis: non tamen a se remittit peccatum mortale, nisi cum primo datur peccatori: sic autem non datur in hoc sacramento, scilicet Evcharistiæ: ergo.*

313. *Resp. dist. conseq. Peccator accedens conscis sui peccati, vel sciens, quod careat gratiã, non recipit utiliter hoc sacramentum. conc. conseq. infciscus, & bona fide accedens. neg. conseq. Rectè ait Gormaz de sacram. in genere n. 282. Catechismus ibi agere de effectu Evcharistiæ per se; quia ait, pastores debere de eo admonere fideles: at pastores non debent admonere fideles, nisi de effectu per se, ut scilicet ad hunc se rite disponant. Idem docet Arriaga tom. 7. tract. de sacram. in gener. disp. 16. sec. 1. n. 14. dicens, Catechismus non loqui in sensu quæstionis; eoquod loquatur in ordine ad praxin, quomodo scilicet fideles se debeant practicè disponere ad Evcharistiã; cum quæstio nostra sit tantum speculativa: & sive nostra conclusio sit vera, sive falsa, tamen par semper dispositio est à fidelibus ad Evcharistiã percipiendam adhibenda. Colligi etiam potest ex dictis n. 311. Catechismus loqui de accedentibus cum conscientia peccati mortalis.*

314. *Ad 1. confir. dist. conseq. ergo cibum spiritualis spiritualiter mortuis non prodest per se. conc. conseq. per accidens. neg. conf. Non est omnimoda paritas quoad cibum corporalem, & Evcharistiã; nam cibum corporis non est activus, sed convertitur in alitum: at verò Evcharistia potius convertit in se hominem, quam convertatur in illum, juxta illud S. Augustini l. 7. *confession. c. 10.* ubi in persona Christi Domini ait: *Cibus sum grandium: cresce, & manducabis me: nec tu me in te mutabis, sicut cibum carnis tue: sed tu mutaberis in me:* ergo, licet cibum corporalis non prodest mortuis, & (ut aliqua similitudo sit) etiam Evcharistia per se non prodest spiritualiter mortuis, tamen hæc potest prodesse istis per accidens: & potest panis vivus convertere in se mortuum, atque ei vitam dare. Dein de Evcharistia dicit Christus Dominus Joann. 6. v. 33. *Panis enim DEI est, qui de calo descendit, & dat vitam mundo.**

Tandem, ut rectè advertit Eximius tom. 3. in 3. p. disp. 63. sec. 1. sub finem. mortui per peccatum non sunt profusus omni modo spiritualiter mortui; possunt enim aliquem actum aliquis vitæ exercere, & manducare cibum, non tantum materialiter, sed etiam aliquo modo spiritualiter, suscipiendo illum cum fide, & reverentia &c. *Ad 2. confir. dist. ant. & S. Thomas loquitur de effectu Evcharistiæ per se. conc. ant. de effectu tantum per accidens. neg. ant. & conseq. Est clarum legenti corpus illius articuli, S. Doctorem loqui de effectu Evcharistiæ per se, quem causat in justo; nam in corpore illius articuli aperte admittit, gratiam per hoc sacramentum conferri accedenti.*

ti sine conscientia peccati mortalis. Repeantur tantum verba ex corpore illius articuli, citata à nobis n. 303.

315. *Ob. 3. Effectus sacramentorum debent probari, vel ex Scripturis, vel ex Conciliis, vel ex Patribus: sed ex his non probatur, quod sacramenta vivorum causent primam gratiam: ergo. Confir. 1. Qui conscis est peccati sui, debet conteri, vel confiteri: ergo, qui nihil scit, & non conteritur, saltem nihil accipit. Confir. 2. Qui accedit ad sacramenta mortuorum sine attritione, attamen cum peccato, licet ejus conscis non sit, non justificatur: ergo accedens ad sacramenta vivorum sine contritione, attamen cum peccato, licet ejus non sit conscis, etiam non justificatur: prob. conseq. ideo prior non justificatur; quia attritio est per se requisita in peccatore, ad fructum sacramenti mortuorum: sed etiam contritio est per se requisita in peccatore, ad fructum sacramenti vivorum: ergo.*

316. *Resp. dist. ma. Effectus sacramentorum debent probari evidenter. neg. ma. probabiliter. conc. ma. & sub eadem dist. conc. vel neg. mi. & neg. conseq. Non asserimus, esse evidens, aut certum de fide, quod sacramenta vivorum causent primam gratiam: sed dicimus, esse probabilius: idque valde probabiliter deducimus ex Tridentino, & Patribus, in probatione sententiæ allatis. Ad 1. confir. neg. conseq. Conscis sui peccati debet confiteri, vel conteri, ne novum peccatum irreverentiæ actualiter committat, adeoque actualem ponat obicem gratiæ: infciscus autem nec obicem de novo ponit, nec habet, adeoque gratiam recipit.*

Ad 2. confir. neg. conseq. ad prob. dist. ma. ideo prior non justificatur; quia attritio est ad fructum sacramenti mortuorum per se requisita, necessitate tantum præcepti. neg. ma. quia est requisita necessitate sacramenti. conc. ma. & dist. mi. contritio est ad fructum sacramenti vivorum per se requisita, necessitate præcepti. conc. mi. necessitate sacramenti. neg. mi. & conseq. Quod necessarium est necessitate sacramenti, debet esse tale quid, ut illo etiam inculpabiliter omisso, non recipiatur valide sacramentum: & sic (ut diximus n. 308.) respectu sacramenti mortuorum se habet attritio, vel contritio (nam etiam contritio est apta ad recipiendum sacramentum mortuorum) & hinc, si neutra adsit, sacramentum est invalidum: consequenter neque datur ejus effectus, sive justificatio. Necessitate præcepti necessarium est illud, quo inculpabiliter omisso tamen aliquis potest recipere validum sacramentum: & hinc, cum contritio tantum sit necessaria necessitate præcepti ad receptionem sacramenti vivorum, potest ista inculpabiliter omitti tamen acquiri gratia, modo ponatur attritio.

Quòd autem ad receptionem sacramenti vivorum contritio sit tantum necessaria necessitate præcepti, patet; nam est certum, confirmationem, ordinem, matrimonium, & SS.

& SS. Eucharistiam (quæ omnia sunt sacramenta vivorum) validè recipi ab existentibus in peccato. At verò, si utraq; tam contritio, quam attritio abesset, non conferretur gratia; quia in hac providentia nullum peccatum grave actuale remittitur sine aliqua poenitentia (vide dicta n. 308.) nec etiã infunditur gratia in hac providentia, quin remittantur peccata gravia.

ARTICULUS X.

An sit Diversitas inter Gratias à diversis Sacramentis collatas.

317. **D**ico 1. Non est diversitas ulla inter gratiam sanctificantem, collatam ab uno, & collatam ab alio sacramento. ita S. Thomas 3. p. 9. q. 62. a. 2. in corpore. ubi expressè dicit, gratiam sacramentalem, id est, cuilibet sacramento propriam, tantum addere *super gratiam communiter dictam*, id est, sanctificantem, & *super virtutes, & dona*, id est, habitus infusos, qui comitantur semper gratiam sanctificantem, quoddam Divinum auxilium, ad consequendum sacramenti finem: ergo datur eadem gratia sanctificans, & diversitas est tantum in gratis auxiliantibus. Eandem sententiam tenent Gormaz de sacram. in gener. n. 204. Arriaga tom. 7. tract. de sacram. in gener. disp. 16. sec. 2. n. 19. & hoc teste communiter Theologi. Prob. conclusio negativè. Nulla prorsus est necessitas differentie specificæ inter gratias sanctificantes; cum qualibet gratia, per quodlibet sacramentum collata, faciat filium DEI, secum ferat habitus supernaturales &c. nec videntur Concilia, vel doctores, ullam talem diversitatem agnoscere: ergo non debet admitti.

318. Dico 2. Per diversa sacramenta dantur diversæ gratiæ actuales, ad fines diversos sacramentorum consequendos. ita rursus Angelicus loc. cit. n. preced. Arriaga etiam loco citato. n. preced. Gormaz de sacram. n. 202. ac seq. & Theologi communissimè omnes. Prob. 1. Communissimè Theologi agnoscunt diversos effectus gratiæ in sacramentis: & meritò; si enim non darentur diversi effectus in sacramentis, non differret sacramenta formaliter in causalitate gratiæ, sed tantum materialiter in ritu, & cæremonia: & hinc Arriaga tom. 7. de sacram. disp. 16. sec. 2. n. 17. ait, certum esse, quòd sacramenta habeant diversos effectus: videnturque id etiam reliqui auctores supponere: atqui non possunt assignari alii effectus, in quibus differant sacramenta, quam gratiæ actuales: ergo. prob. 2. gratia habitualis in sacramentis non est diversã, ut modò probatum est: alia autem gratia, quam habitualis, & actualis, non datur: nec sunt alii effectus, omnibus sacramentis communes, quam gratiæ (nec enim omnia sacramenta imprimunt characterem) ergo.

Neque dici potest, unum sacramentum causare primum gradum gratiæ, aliud secun-

dum; nam baptismus, & poenitentia, causant primum, & quodlibet ex reliquis potest per se causare secundum, & tertium, vel accidens primum. Neque etiam dici potest, unum causare intensiorem gratiam, quam alterum; nam, licet Eucharistiæ concedatur causatio gratiæ intensioris, vel majoris, de aliis tamen sacramentis nullum est fundamentum idem asserendi.

319. Quare optimè refunditur diversitas sacramentalium effectuum in diversitatem auxiliorum, scilicet inspirationum, & illustrationum Divinarum. Sic per baptismum dantur auxilia ad conformandum se magis Christo atque ad servandam legem Christianam, cui per baptismum homo se subijcit: item ad recipienda dignè reliqua sacramenta. Per confirmationem dantur auxilia ad fidem internè retinendam, & etiam exterius constanter coram tyranno profitendam. Per Eucharistiam dantur gratiæ ad fovendum devotionis, & charitatis fervorem, ad frangendum concupiscentiæ, iræ, luxuriæ, & invidiæ motus, Per poenitentiam dantur auxilia ad plenius detestanda, & cavenda peccata, itémque ad satisfaciendum pro commissis, ac pacem, & tranquillitatem conscientie acquirendam. Per extremam unctionem dantur gratiæ ad superandas tentationes in articulo mortis, ad spem eo momento firmiorem habendam in DEO, ad molestias morbi fortius tolerandas, & ad salutem corporis, si ita expediat, recipiendam. Per ordinem conferuntur gratiæ ad sacramenta rite administranda, & alia ordinum, munia rite peragenda. Per matrimonium conferuntur auxilia ad servandam fidem conjugalem, fovendam inter conjuges charitatem, & sanctam liberorum educationem.

320. Licet autem gratia sanctificans, quæ confertur vi sacramenti, statim detur in instanti, quo sacramentum totum exiit; quia sacramenta causant ad modum causarum naturalium, quæ, posito actu primo proximo completo, statim producant effectum: hæc tamen auxilia actualia dantur primum suo tempore, quando scilicet occasio est, virtutem, ad quam tendit sacramentum, exercendi, e. g. quando occasio est fidem coram tyranno profitendi: & quidem eadem auxilia dantur sub conditione, si interea non sit amissa gratia sanctificans, quæ in sacramento recepta est, & fundat jus morale ad specialia illa auxilia. Hoc autem jus morale fundatur in promissione Divina, quæ DEUS promittit, collaturum se gratias auxiliantes iis, qui recipiunt sacramenta, atque gratiam sanctificantem, per eorum usum obtentam, habent: quæ gratia sanctificans est quasi natura in ordine superno, exigens potentias, seu habitus supernaturales infusos, & auxilia actualia ad actiones supernaturales: sicut natura humana exigit potentias ad actiones naturales humanas.

Ex hoc tamen non potest inferri, quòd gratia sanctificans, in sacramento collata, differat intrinsecè à gratia sanctificante, extra sacramentum collata; nam tantum sequitur, quòd

gratia sacramentalis à non sacramentali differat extrinsecè, ratione promissionis Divinæ, vi cuius gratia sacramentalis exigit distinctas gratias actuales. Et hæc differentia tantum extrinsecè videtur probabilius asseri, quam intrinsecè; non tamen assertio nostra est certa; nam, ut rectè advertit Gormaz de sacram. in gener. n. 204. ista non possunt certò decidi; cum quæstio hæc sit facti, & nulla existet Conciliorum definitio, aut alia Divina revelatio, vel Ecclesiæ decisio. Objectiones contra has conclusiones, vel nullæ sunt, vel facilè ex jam dictis solvi possunt.

ARTICULUS XI.

An Sacramenta causent inaequalem Gratiam.

321. **Q**uæstio institui potest, vel de sacramentis diversæ speciei, e. g. de baptismò, & Eucharistia: vel de sacramentis ejusdem speciei, e. g. de duobus baptismis. Idem potest quæri de his, an ob diversitatem ministrorum, parentum, vel aliorum, detur diversa gratia, etsi nulla sit diversitas in suscipiente. Tandem quæri hæc potest, & præcipuè solet, an sacramenta ejusdem speciei conferant diversam gratiam, seu magis, vel minus intensam, si in suscipientibus sit diversa dispositio, in uno scilicet major, quam in altero. Quæstio autem procedit de gratia causata ex opere operato, non de causata ex opere operantis. Ad satisfaciendum his omnibus dubiis.

322. Dico 1. Sacramenta diversæ speciei, cæteris paribus, probabiliter causant gratiam inaequalem, ita Arriaga tom. 7. de sacram. in genere. disp. 10. sec. 4. subject. 2. n. 63. Prob. Cum sacramenta sint inæqualia quoad dignitatem, ordinem, necessitatem, finem, & iterabilitatem, probabiliter etiam sunt inæqualia quoad vim causativam gratiæ: ergo. Confirm. Cum sacramenta diversa differant quoad effectus secundarios, seu gratias auxiliantes &c. secundum est, ea differre etiam quoad effectum primarium, seu gratiam sanctificantem. Dixi in conclusione probabiliter; nam res hæc, ut notat Arriaga, loco cit. est valde incerta; quia tota pendet ex voluntate DEI, de qua tamen revelationem nullam habemus. Suarez quoque tom. 3. in 3. p. in commentario ad q. 65. a. 3. ubi quærit, an Eucharistia plus gratiæ causet, quam alia sacramenta, quibus omnibus dignius est, respondet 6. De tertia. Est itaque res incerta: Divus Thomas autem videtur priorem partem insinuare: scilicet, quòd Eucharistia majorem, quam alia sacramenta, gratiam causet.

323. Certum quidem est ex Tridentino sess. 7. can. 3. de sacram. in gener. non omnia sacramenta esse æqualia: certum etiam est, SS. Eucharistiam esse sacramentum cæteris præstantius, ut etiam expressè

docet S. Thomas 3. p. 9. q. 65. a. 3. in corp. ubi etiam inter sex reliqua hunc ponit ordinem: scilicet primum in perfectione sacramentum est ordo, secundum confirmatio, tertium baptismus, quartum extrema unctio, quintum poenitentia, ultimum est matrimonium. Sed non est certum, quòd sacramenta perfectiora causent semper majorem gratiam.

Licet enim SS. Eucharistia, eoquòd contineat ipsum Christum, auctorem gratiæ, videatur majorem propterea debere gratiam conferre, cum tamen sapissime possit reiterari, & baptismus, e. g. possit tantum semel suscipi, videtur sanè meritò posse dubitari, an unica sumptio Eucharistiæ plus gratiæ conferat, quam baptismus. Aliud est, quòd SS. Eucharistia sæpissime repetita plus gratiæ conferat, quàm si non est negandum. Idem dicendum de confirmatione, ac ordine, & præcipuè de istis, quia ordo insuper sacerdotem disponit ad officia sublimissima. Arriaga etiam loco. num. preced. citato. dubitat, an hæc poenitentia plus gratiæ conferat, quam Eucharistia; eoquòd illa sit immediate instituta ad reconciliationem hominis cum DEO, ad quem effectum maximè opus est gratia.

324. Dico 2. Sacramenta ejusdem speciei, e. g. baptismus collatus Petro, & baptismus collatus Paulo, conferunt æqualiter dispositis æqualem gratiam ex opere operato. In hac conclusione, ut ait Arriaga tom. 7. de sacram. disp. 10. sec. 4. n. 64. conveniunt omnes: quanquam autem authores ordinariè loquantur de aliquo sacramento in particulari, maximè de baptismò, tamen eorum fundamentum se extendit ad omnia. Prob. conclusio. Sacramentum quodlibet habet definitum effectum ex certa lege, & promissione DEI: ergo ex parte DEI effectus est æqualis: ergo, si non est diversitas ex parte sacramenti, vel suscipientis, effectus erit simpliciter æqualis. ant. prob. Tridentinum sess. 7. can. 7. de sacram. in genere. sic definit: Si quis dixerit, non dari gratiam per hujusmodi sacramenta semper, & omnibus, quantum est ex parte DEI, etiam si rite ea suscipiant, sed aliquando, & aliquibus; anathema sit: ergo Concilium supponit, sacramenta habere effectum, ex lege DEI determinatum: ergo diversitas gratiæ non oritur ab aliquo, quod se tenet ex parte DEI: adeoque, si reliqua sint paria, etiam par erit gratia.

Confirm. 1. Spectat ad convenientem modum providentiæ, ut causæ habeant effectus determinatos: ergo. Confr. 2. Alias etiam dici potest, nullum sacramentum, comparatum cum alio sacramento, specie distincto, habere determinatum effectum: sed modò unum, modò alterum, plus, aut minus gratiæ conferre, & modò hunc, modò illum effectum, pro arbitrio DEI producere: quod est contra institutionem sacramentorum.

325. Dico 3. Ex eo, quòd unus recipiat sacramentum à ministro meliore, aut

sanctiore, quam alter, non recipit plus gratia ex opere operato. ita communis. Prob. Melior dispositio ministri, vel ejus pietas, ex communis SS. Patrum, præsertim S. Augustini, non facit melius sacramentum, seu meliorem ejus effectum ex opere operato; ergo, prob. ant. ex S. Augustino, qui sic habet *tract. 6. in Joann. ante medium. Quare ergo, si unus ab illo, verbi gratia iusto sancto, baptizetur, alius ab alio, inferioris meriti apud DEUM, inferioris gradus, inferioris sententia, inferioris vite: unum tamen, & par, & æquale est, quod acciperunt, nisi quia: Hic est, qui baptizat? quomodo ergo, cum baptizat bonus, & melior, non ideo iste bonum accipit, & ille melius: sed quoniam bonus, & melior, fuerint ministri, unum, & æquale est, quod acciperunt: non est melius in illo, & inferioris merito, sic & cum baptizat malus... illud, quod datur est, unum est, nec impar propter impares ministros: sed par, & æquale.*

An autem possit minister melior ex opere operantis impetrare suscipienti sacramentum, vel immediatè, vel saltem mediatè, plus gratia sanctificantis, hic non controvertitur. Judico tamen, non posse ministrum immediatè mereri, vel impetrare plus gratia sanctificantis; neque enim amentibus, vel dormientibus potest alius, eam gratiam mereri. Potest tamen minister mereri, vel impetrare mediatè adultis rationis capacibus gratiam, quatenus potest iis impetrare immediatè gratias actuales, quibus, si velint cooperari, possint dein immediatè obtinere plus gratia sanctificantis. Potest etiam aliquando aliquis alteri mereri ipsam capacitatem rationis, e. g. ut ex phrenesi ad se redeat. Sed de his, ut dixi, hic non controvertitur.

326. Dico 4. Sacramenta ejusdem speciei inæqualiter dispositis conferunt ex opere operato gratiam inæqualem. ita S. Thomas 3. q. 69. a. 8. in corp. cum communissima Theologorum. Prob. ex Tridentino *sess. 6. c. 7. ubi agit de causis justificationis, atque, finalem causam esse gloriam DEI, & Christi, ac vitam æternam: causam efficientem esse DEUM: causam meritoriam esse Christum: instrumentalem causam esse baptismum: formalem verò causam esse justitiam DEI, non qua ipse justus est, sed qua nos justos facit: & post pauca addit hæc verba: Justitiam in nobis recipientes, unusquisque suam, secundum mensuram, quam Spiritus S. partitur singulis, prout vult, & secundum propriam cuiusque dispositionem, & cooperationem: ergo justitia, quæ confertur in baptismo (& par est ratio de aliis sacramentis) datur secundum propriam cuiusque dispositionem: adeoque datur magis disposito major justitia, sive gratia.*

327. Nec dicas cum Arriaga *tom. 7. de sacram. in genere disp. 10. sec. 4. n. 68.* fors posse dici, ibi Tridentinum non agere amplius de gratia sacramentali, sed de extracramentali, quæ datur ex opere operantis;

nam, licet concedatur, quòd Tridentinum etiam loquatur de gratia, quæ datur extra sacramentum, tamen negari non potest, quòd loquatur etiam de illa, quæ datur intra sacramentum; cum enim explicet causas omnes extrinsecas justificationis, & inter illas etiam recenset baptismum, inde subjungat causam formalem, seu intrinsecam, aut effectum illarum causarum extrinsecarum, id est, ipsam justitiam, seu gratiam, incredibile est, quòd ibi non loquatur de gratia illa, cujus causas superius enumeravit, seu de sacramentali, sed tantum de alia: ergo Tridentinum vult, etiam gratiam sacramentalem dari juxta cuiusque dispositionem.

328. Confirm. 1. Causæ naturales agunt melius in subjectis magis dispositis: ergo etiam sacramenta, quæ agunt ad modum illarum causarum. Confirm. 2. Est contra sensum communem, quòd homo, cum remissa attritione accedens ad penitentiam, tantam gratiam recipiat, quantam alius, qui cum intensissima attritione accedit: quod tamen contingeret in sententia opposita; quia ex opere operantis neuter aliquid gratia sanctificantis acciperet; non enim dispositio prævia ad gratiam dignificatur ab ista ad merendam gratiam, præsertim, si, ut facile potest contingere, non amplius physicè existat cum gratia, sed jam præterierit antè instans, in quo causatur gratia. Confirm. 3. Videtur exigere suavis providentia DEI, ut detur major gratia magis disposito; quia sic homines alliciuntur ad sacramenta majori devotione percipienda: quod non contingeret in sententia opposita.

329. Quæres, quænam censeatur melior dispositio. Resp. Tridentinum videtur intelligendum esse de dispositione actuali, per actus scilicet fidei, spei, charitatis, penitentia &c. quibus cooperantur ad suscipiendum religiosius sacramentum; quia ait *sess. 6. c. 7. secundum propriam cuiusque dispositionem, & cooperationem.* Arriaga *tom. 7. de sacram. in genere. disp. 10. sec. 4. n. 71.* vult, istos actus debere moraliter influere in susceptionem sacramentorum, ut possint dici cooperatio, quam Tridentinum intelligit per dispositionem; unde judicat, dispositionem, qua e. g. aliquis peccator pluribus diebus, vel etiam tota quadragesimâ, aut anno, sepe elicit actum attritionis, ea etiam intentione, ut se disponat ad confessionem, non servare ad plus gratia recipiendam per sacramentum penitentia, aut Eucharistia, quod in Paschate primùm recipit; quia nempe talis attritio non amplius influit eo tempore, quo fit confessio, vel communio.

Suarez tamen *tom. 3. in 3. p. disp. 7. sec. 5. s. ultimo* videtur admittere, dispositionem etiam habitualement, e. g. majorem gratiam sanctificantem in suscipiente, esse meliorem dispositionem, adeoque eum, qui cum majore gratia, jam prius habita, addit ad sacramentum, si cætera sint paria, plus etiam novæ gratia recipere. Ratio etiam esse potest; quia, cum sacramenta sint actiones Christi impetratoria, & majori præ-

prædictus sit magis Christo amicus, videtur Christus magis amico plus etiam gratia impetrare. Dein, sicut congruum erat, ut homines spe majoris gratia allicerentur, ad afferendam majorem dispositionem actualem, ita quoque videtur congruum, ut alliciantur etiam eadem spe, ad perfectiorem dispositionem habitualement, seu puritatem, & gratiam. Ad Tridentinum autem potest juxta hanc sententiam responderi, Concilium distinguere dispositionem, & cooperationem: & per cooperationem quidem intelligere dispositionem actualem: per dispositionem verò, genericè sumptam, intelligere habitualement.

330. Sed tamen adhuc alii opponunt. Gratia sanctificans major, juxta sententiam saltem communioem, non magis dignificat opus bonum, in ordine ad majus meritum ex opere operantis; alias sequeretur incredibile augmentum sanctitatis, si justus, habens decies mille gradus gratia, tepidè etiam accederet ad SS. Eucharistiam: ergo neque videtur eadem gratia major magis dignificare usum sacramenti in ordine, ad gratiam, & fructum majorem ex opere operato: sed, sicut Deus ad acquirendum meritum requisivit, tanquam dispositionem, statum gratia tantum simpliciter talem, & non ita, ut magis amicus plus mereretur: ita etiam eundem statum gratia tantum simpliciter talem requisivit, ad recipienda sacramenta vivorum, & non ita, ut magis amico conferat Christus plus gratia ex opere operato, aut plus ei impetret.

Quod attinet ad alliciendos spe majoris fructus fideles, ad procurandam majorem dispositionem habitualement, responderet, fideles tamen sufficienter allici ad afferendam majorem dispositionem habitualement; quia ista plurimum conducit, ut habeatur major dispositio actualis, cui correspondet major fructus, seu gratia etiam ex opere operato. Id tamen fors potest admitri, quòd sacramentum mortuorum, e. g. penitentia, receptum à jam antecessenter vivo, seu iusto, plus gratia causet, etiam ex opere operato; eo quòd ipsa gratia habitualis dignificet talem dispositionem, non tantum ad meritum ex opere operantis, sed etiam ad recipiendam majorem gratiam ex opere operato. Sed hæc omnia de dispositione habituali sunt factis incerta.

ARTICULUS XII.

Solvuntur Objectiones.

331. **O**B. 1. contra 2. conclus. Deus prædestinat homines æquales ad inæqualem gloriam: ergo etiam dat æqualiter dispositis inæqualem gratiam. Confirm. 1. Tridentinum citatum *n. 326.* dicit: *Secundum mensuram, quam Spiritus S. partitur singulis, prout vult:* ergo datur uni major mensura

gratia, quam alteri, pro libera voluntate Dei. Confirm. 2. Deus B. Virgini, & S. Joanni Baptistæ, contulit longe majores gratias, quam aliis: ergo. Confirm. 3. Deus potest æqualem gratiam conferre inæqualiter dispositis: vel vicissim æqualiter dispositis inæqualem gratiam: ergo subinde id facit. Resp. neg. conseq. Deus adultos, quos prædestinat ad majorem gloriam, prædestinat ad eam per media inæqualia: adeoque prædestinat eos etiam ad inæqualem dispositionem: qua posita dein confertur gratia inæqualis. Parvulos autem, ante usum rationis decedentes, non prædestinat ad gloriam inæqualem, supposito, quòd baptizentur: quamvis prædestinet unum ad gloriam, quatenus eum prædestinat ad baptismum: alterum non prædestinat ad gloriam, quatenus eum non prædestinat ad baptismum.

332. Ad 1. confirm. neg. conseq. non enim datur uni ex duobus, cum æquali dispositione ad sacramentum accedentibus, major gratia, quam alteri, pro libera voluntate Dei: sed tantum datur omnibus tanta, vel tanta gratia, pro libera voluntate Dei, qua Deus, instituens sacramentum, liberè taxavit gratia mensuram, quam liberè voluit dare, majorem, vel minorem, juxta diversitatem dispositionis. Antecessenter quidem ad institutionem sacramentorum, erat Deus liberrimus, ad dandam, vel non dandam gratiam, ad dandum plus, vel minus gratia, per sacramenta: sed, dum instituit sacramenta, aliquam mensuram liberè determinavit; sicut etiam Deus, antecessenter ad elevationem hominis, erat liber ad dandam operibus bonis supernaturalibus tantam, vel aliam gratia, aut gloria mensuram: sed in elevatione determinavit certam mensuram: & hanc servat, ac tribuit unicuique, secundum opera ejus. Quòd autem Deus in institutione sacramentorum simul mensuram gratia ita determinaverit, colligitur ex hoc, quòd aliis non daret juxta cuiusque dispositionem, prout tamen Tridentinum docet.

333. Ad 2. confir. Responderi potest 1. neg. conf. Juxta S. Chryostomum apud Bellarminum *tom. 3. contro. 2. l. 1. de bapt. c. 5.* gratia B. Virgini, & S. Joanni Baptistæ, in eorum baptismo collata, non fuit sacramentalis; quia tunc baptismus non fuerat sacramentum, ut vult S. Chryostomus: nos autem de sola gratia sacramentali diximus ex Tridentino, eam dari juxta cuiusque dispositionem; unde illa alia gratia potuit dari ex liberalissimo Dei arbitrio. At, quia cenfeo cum Bellarmino *loc. cit.* & aliis, baptismum B. Virginis, & S. Joannis, fuisse sacramentum, adeoque eam gratiam, tunc ipsis collatam, fuisse sacramentalem. Resp. 2. B. Virginem, & S. Joannem, habuisse tunc usum rationis, adeoque potuisse habere, & acta habuisse longè excellentiorem dispositionem, quam habuerint alii. Idem dicendum de Angelis perfectioribus, quando de iis Theologi dicunt, eos accepisse majores gratias; nam per cooperationem supernatu-

ralem perfectiorem, se magis ad eas disposituerunt.

Ad 3. confir. Resp. nos non negare, quod Deus possit inæqualiter dispositis æqualem gratiam conferre, vel vicissim: neque etiam negare, quod id aliquando extraordinariè faciat: sed tantum negare, quod id ordinariè fiat: quanquam etiam gratis fingatur, quod Deus id aliquando extraordinariè faciat: sicut gratis fingeretur, quod Deus aliquando extraordinariè alicui etiam minus disposito plus conferat gratiæ, quam alteri magis disposito. Dein SS. Patres negant, inæqualem gratiam conferri ex opere operato, etiam quando ministri sunt inæquales, modò subjecta sint æqualia, vel æqualiter disposita: ergo multò magis negant, conferri inæqualem gratiam, si omnia prorsus sint æqualia.

334. Ob. 2. Si duo æqualiter dispositi accedant ad baptismum, vel confessionem, ita tamen, ut unus habeat mille peccata, alter tantum decem, uterque liberatur ab omnibus: ergo, qui habet plura peccata, plus accipit gratiæ. Confir. 1. Sacramenta conferunt æqualiter dispositis gratias actuales inæquales: ergo etiam inæqualem gratiam sanctificantem. Confir. 2. Baptismus aliquando confert etiam salutem corporis: ergo confert aliquando æqualiter dispositis inæqualem effectum: ergo etiam potest conferre inæqualem gratiam. Resp. neg. consequ. Quilibet minimus gradus gratiæ sanctificantis est impossibilis cum omni peccato, & omnia excludit, adeoque non requiritur major gratia ad plura peccata delenda.

Ad 1. confir. om. antec. neg. consequ. Tridentinum citatum n. 326. loquitur de gratia sanctificante, non de gratiis actualibus; unde, quidquid de his sit, manet de illa firmum, quod conferatur juxta mensuram dispositionis. Dein gratiæ actuales dantur, ut diximus, primum suo tempore, & quidem sub conditione, si interim non amittatur gratia sanctificans: potest ergo accidere, ut unus, quia perdidit gratiam sanctificantem, postea actuales gratias non recipiat: alius autem, quia gratiam sanctificantem conservavit, eas accipiat. Rursus, licet Deus infallibiliter conferat aliquas gratias actuales intuitu sacramenti, tamen non omnes, quas Deus confert intuitu sacramenti, sunt effectus infallibiliter promissus, sicut gratia sanctificans: sed habeat se, sicut fructus imperatorius Missæ. Ad 2. confir. neg. ultimam consequ. Sanitas corporis est tantum effectus, ad quem baptismus per se non est institutus, & est effectus extraordinarius: nos autem loquimur de effectu, ad quem baptismus per se est institutus, & qui regulariter, ac ordinariè contingit in hac providentia.

335. Ob. 3. Parvuli occupabunt sedes rebellium Angelorum: sed istæ, saltem plures, sunt inæquales: ergo parvuli habebunt sedes inæquales, adeoque etiam gloriam inæqualem, & consequenter gratiam quoque inæqualem: atqui parvuli non habent inæ-

qualem dispositionem: ergo. Confirm. Probabile est, animas humanas esse specie diversas: ergo, sicut Angeli, ob diversitatem specificam naturæ, habent inæqualem gratiam, ita etiam inæqualem gratiam habebunt animæ humanæ, sive homines. Resp. dist. ma. Parvuli occupabunt sedes illas quoad substantiam. conc. ma. quoad sublimitatem diversam. neg. ma. & om. mi. neg. consequ. De adultis tamen, quorum plures occupaturi sunt sedes diversas, etiam quoad sublimitatem diversam, dicendum est, quod ipsi debent prius habere diversam gratiam, vel ratione diversæ dispositionis ex sacramentis, vel ratione diversi meriti ex opere operantis.

Ad confir. om. antec. neg. consequ. vel suppositum. Angeli non habuerunt diversam gratiam ratione naturæ, in hoc sensu, quasi perfectio major naturæ fuerit immediata ratio conferendi plus gratiæ: sed tantum in hoc sensu, quod illa perfectio fuerit occasio perfectioris dispositionis, quam habuerunt Angeli perfectiores; eo quod gratiæ actuali intensius cooperati fuerint, & propterea acceperint plus etiam gratiæ; sic enim docet Angelicus 1. p. q. 62. a. 6. in corp. ubi agit de eo, an Angeli perfectiores plus receperint gratiæ, & respondet affirmativè, sed ejus rei rationem refundit in perfectiorem dispositionem, ajens: *Rationabile est, quod Angeli, qui meliorem naturam habuerunt, etiam fortius, & efficacius, ad Deum sint conversi. Hoc autem etiam in hominibus contingit; quia secundum intentionem conversionis in Deum datur major gratia, & gloria; unde videtur, quod Angeli, qui habuerunt meliora naturalia, habuerunt plus de gratia, & gloria.*

336. Ob. 4. contra 3. conclusionem. Ministri sacramentorum, vel parentes, possunt parvulis impetrare plus gratiæ in baptismo: ergo æqualiter dispositi recipiunt gratiam inæqualem. antec. prob. videtur esse sensus iste communis fidelium; nam felices se existimant, si sacramenta recipiant à ministris sanctis: ergo. Resp. dist. antec. Ministri possunt impetrare plus gratiæ habitualis, aut sanctificantis, & quidem, ut ea detur ex opere operato. neg. antec. plus gratiæ actualis. conc. antec. & neg. consequ. Possunt quidem parentes, vel ministri impetrare parvulis gratias actuales internas, non quidem jam tunc ipsis dandas, sed dandas postea, quando erunt capaces illustrationis: possunt etiam alia beneficia corporalia pro tunc ipsis impetrare, e. g. longiorem vitam.

At verò parentes, vel ministri non possunt impetrare, ut parvulis detur gratia habitualis, neque ex opere operato, neque ex opere operantis: imò nec possunt eam gratiam immediatè impetrare adultis: certè non possunt eam nostris precibus impetrare a mentibus, vel dormientibus. Sic in tract. de incarnat. quando quaeritur, an una creatura possit alteri mereri de condigno remissionem peccati, feri gratiam ejus remissionem.

vam, communiter responderetur negativè, ut nos quoque respondimus in tract. n. 319. & seq. & præsertim id negatur de hac providentia, in qua ex ordinatione Divina condignitas meriti hominis justi tota impenditur in promerenda sibi ipsi gratia, & gloria propria. Licet autem admittatur, quod quis possit alteri de congruo mereri gratiam, e. g. conversionem peccatori, per hoc tamen tantum admittitur, quod quis possit alteri de congruo mereri gratiam habitualem mediatè, merendo scilicet ei gratias actuales, quibus alter adjutus se disponat ad recipiendam gratiam habitualem, seu sanctificantem.

337. Hinc etiam S. Paulus 1. Cor. 1. v. 13. reprehendit Christianos illos, qui gloriabantur, se à ministro perfectiore fuisse baptizatos, vel conversos, ajens: *Nunquid Paulus crucifixus est pro vobis, aut in nomine Pauli baptizati estis?* Idem docet S. Augustinus citatus n. 325. atque alii SS. Patres, apud Suarez tom. 3. in 3. p. disp. 7. sec. 5. §. Dico secundò. item S. Thomas 3. p. q. 64. a. 1. ad 2. his verbis: *Effectus sacramenti non datur melior per meliorem ministrum: aliquid tamen annexum impetrari potest recipienti sacramentum per devotionem ministri*: per quod annexum S. Doctor intelligit gratias actuales, vel aliquid aliud simile. Ad prob. neg. antec. Sensus communis fidelium non est, quod ratione melioris ministri recipiatur plus gratiæ habitualis, sed tantum plus gratiæ actualis: & ob hanc felices se reputant, ratione ministrorum sanctorum.

338. Ob. 5. contra 4. conclusionem. Si datur gratia major, ratione dispositionis majoris, non datur ea gratia major ex opere operato, sed tantum ex opere operantis: ergo. Confirm. Sacramenta non conferunt gratiam, nisi quam significant: sed sacramenta ejusdem speciei non significant gratiam inæqualem: ergo neque conferunt inæqualem. Resp. dist. ant. si datur gratia major ratione dispositionis, præcisè, quia hæc meritoria est, non datur ex opere operato. conc. ant. si datur major ob aliam causam, & quidem per virtutem sacramenti. neg. ant. & consequ. Sic, e. g. contritioni, vel etiam attritioni, cum qua homo, jam antè constitutus in gratia, accedit ad sacramentum penitentiae, duplex respondet gratia: una, quia est actus bonus, cui tanquam merito operantis respondet merces: altera, quia est pars sacramenti, cui respondet gratia, ultra meritum operantis, & intuitu sacramenti.

339. Sic etiam alteri dispositioni sacramentali potest correspondere aliqua gratia ex opere operantis, si illa dispositio est meritoria; & ulterius correspondere illi adhuc alia gratia, tanquam dispositioni ad sacramentum, vi sacramenti ex opere operato. Sic quoque alicui operi pio potest respondere sua satisfactio, hoc est, vis satisfactiva, seu ablatio, aut deletio peccati pro reatu temporalis; quia opus pium est ex opere operantis: & potest respondere adhuc alia satisfactio; quia est opus, à Pontifice

donarum indulgentiæ plenariæ. Ad confir. neg. mi. Sacramenta non sunt tantum signa speculativa, sed practica, & significant ut causæ: atqui causæ significant perfectiorem effectum in subjecto magis disposito; quia ex ipsa natura causarum ducimus cognitionem, quod ipse perfectius operetur, quando inveniunt subjectum magis aptum: ergo

QUESTIO II.

De Charactere Sacramentali.

ARTICULUS I.

Quid sit Character, & à quibus Sacramentis imprimatur.

340. **D**ICO Character sacramentalis est signum aliquod spirituale, & indelebile, anima im-

pressum: & imprimatur à solis his tribus sacramentis, scilicet baptismo, confirmatione, & ordine. ita Concilium Florentinum in decreto Eugenij his verbis: *Inter hæc sacramenta tria sunt, baptismus, confirmatio, & ordo, que characterem, id est, spirituale quoddam signum à cæteris distinctivum imprimunt, in anima indelebile; unde in eadem persona non reiterantur. Reliqua verò quatuor characterem non imprimunt, & reiterationem admittunt.* Idem docet Tridentinum sess. 7. can. 9. de sacram. ita definiens: *Si quis dixerit, in tribus sacramentis, baptismo scilicet, confirmatione, & ordine, non imprimi characterem in anima, hoc est, signum quoddam spirituale, & indelebile, unde ea iterari non possunt; anathema sit.*

341. Habet etiam characterem fundamentum in Scripturis, præsertim adjuncta explicatione Patrum, & Ecclesiarum juxta quam S. Scripturæ sunt interpretandæ. S. Paulus 2. Cor. 1. v. 21. & 22. dicit: *Qui unxit nos DEUS: qui & signavit nos, & dedit pignus spiritus in cordibus nostris.* Unctio ista fit per gratiam, quæ velut oleum sanat, & membra corroborat: signatio fit per characterem, qui passim à Patribus vocatur signum, & sigillum, pignus spiritus &c. Nec potest per signationem intelligi sacramentum externum, quo obsignantur promissiones; quia, sicut Apostolus loquitur de unctio interna, ita etiam censendus est loqui de signatione interna, cordis, non corporis. Neque etiam dicit, signari promissiones, sed signari nos. Iterum idem Apostolus ad Ephes. 1. v. 13. dicit: *In quo & credentes signati estis spiritu promissionis Sancto, qui est pignus hereditatis.* Illud credentes in Græco textu significat idem, ac, qui creditis: ergo signatio ista fit post fidem, scilicet per baptismum, qui datur, saltem adultis (ad quos ibi loquitur S. Paulus) post fidem: similia habentur ad Ephes. 4.

342. Ex SS. Patribus characterem adstruunt S. Cyrillus Hierosolymitanus in ppa. Int.

fat. catecheson sub finem, ubi vocat baptismum signaculum sanctum, & indelebile, & catechesi 16. ait: *Hic Spiritus Sanctus ad hodiernam usque diem obsequat animas in baptismo*. Similia habent SS. Basilii, Ambrosii, Chrysothomus, Epiphanius, apud Belarminum tom. 3. *controv. 1. de sacram. in genere. l. 2. c. 21.* S. Augustinus autem l. 6. *de baptismo contra Donatistas c. 1.* ait: *Satis eluxit pastoribus Ecclesia Catholica, toto orbe diffusa, per quos postea plenarij Concilij autoritate originalis consuetudo firmata est, etiam ovem, quae foris errabat, & Dominicum characterem, à fallacibus depradatoribus suis, foris acceperat, venientem ad Christiana unitatis salutem, ab errore corrigi, à captivitate liberari, à vulnere sanari, characterem tamen Dominicum in ea agnoscere potius, quam improbari, & l. 2. contra epist. Parmeniani c. 13. sub medium, comparans characterem cum impressa aliqua nota, seu characterem in corpore militis, ait: *An forte minus habeat sacramenta Christiana, quam corporalis hac nota; cum videamus, nec Apostatas carere baptismo, quibus utique per penitentiam redemptibus non restituitur, & iudicio amitti non posse iudicatur?**

343. Quod autem hæc tria sacramenta supra dicta imprimant characterem, & non alia, potissima ratio est voluntas Christi Domini, & instituentis, quæ nobis manifestata est in Conciliis Florentino, & Tridentino, citatis n. 340. Congruentiam aliquam Theologi addunt: scilicet, ut in republica civili solent famuli, milites, & duces, certis signis, vel vestibus discerni, ita etiam in republica sacra: atqui per baptismum reddimur famuli Christi: per confirmationem milites, ad defendendam publicè fidem: per ordinem duces, ad gubernandos fideles: ergo conveniens fuit, ut ista sacramenta imprimerent characterem. E contra, sicut in republica civili, convivæ non distinguuntur certis signis, nec conjuges, nec absoluti in iudicio, nec ægroti, vel convalescentes: ita congruenter etiam per reliqua sacramenta, quæ his suo modo respondent, non imprimuntur character. Potuisset tamen utique, si voluisset, Christus aliter hac de re statuere.

344. Dico 2. Character iste non est ens morale, vel relatio rationis, tantum tribuens denominationem extrinsecam subiecto: vel duntaxat ens modale: sed est qualitas physica spiritalis, recepta in anima. ita communis. Prob. 1. p. conclus. Ens pure morale, vel relatio rationis, tantum tribuens denominationem extrinsecam subiecto, non dicitur imprimi subiecto; nec enim, nisi per jocum dicitur doctoratus imprimi doctori: sed character dicitur imprimi (ita enim loquuntur Concilia citata n. 342.) ergo

Confirmatur efficaciter 1. Tridentinum voluit asserere characterem, quem negabant hæretici: atqui isti non negabant, denominationem aliquam moralem, vel relatio-

nem rationis, tribui e. g. à baptismo, que negabant, quod semel baptizatus non possit perdere denominationem extrinsecam baptizati: sed negabant tribui denominationem aliquam physicam, & qualitatem intrinsecè receptam: ergo contra eos Tridentinum voluit asserere characterem physicum. Confir. 2. SS. Patres comparant signum impressum spirituale in baptismo cum signo corporali impresso in circumcissione, quod fuit physicum: nec est ulla ratio probans, esse disparitatem in uno, ac altero signo: ergo. Quare sententia opposita Durandi, aut omnino non, aut vix amplius potest defendi.

345. Probatur jam 2. p. conclus. sive, quod character sacramentalis non sit entitas materialis. Character non est mera actualis indispensabilis determinatio rei aliius indifferentis ad aliquam denominationem: sed est specialis ornatus, vel signum animæ, per se specialiter discernens Dei famulos, domesticos, milites, & duces Ecclesie: insuper character est supernaturaliter separabilis à suo subiecto, & independentem ab eo conservabilis; nec enim in tali conservatio characteris ulla implicatio ostendi potest: ergo non est modus. Ex quo facile infertur 3. p. conclus. sive, quod character sit qualitas physica absoluta. Quod autem sit spiritualis, probatur exinde, quod naturaliter exigit recipi in anima spiritali, nec possit recipi in materia. Recipitur autem immediate in anima, saltem iuxta communem nostrorum sententiam, quæ potestias animæ non admittit ab ea distinctas.

346. Dico 3. Effectus formalis, seu officium, proprium characteris, probabiliter est esse signum, animæ impressum, indicativum certæ potestatis ad specialem cultum Dei. Probatur. Character baptismi dat homini potestatem passivam ad recipiendam reliqua sacramenta; nam ista recipiuntur invalide à non baptizato. Character confirmationis dat homini potestatem passivam ad recipiendam decenter aliqua sacramenta, e. g. sacramentum ordinis; quia non confirmatus non potest licite ordinari, & insuper dat potestatem activam, ad profitendam fidem. Character ordinis dat potestatem activam, ad administranda alia sacramenta: ergo character est tale signum.

Potestas autem, per characterem collata, non est physica; quia character nec physice agit, nec physice aliquid sustentat: nec producit physice gratiam habitualem, aut actualem, nec eam in se recipit; quia gratia habitualis, utpote prima radix, & quasi natura in ordine superno, non potest produci naturaliter, nisi à Deo: gratia actualis autem, cum sint actus intellectus, & voluntatis, producuntur, tum à Deo, tum ab anima. Quare potestas, per characterem collata, est tantum potestas moralis; quia est quoddam jus intrinsecum, ad exigendam gratiam, & auxilia proportionata ad finem sacramentalis, e. g. in confirmatione, ad propugnandam fidem. Per characterem insuper fideles con-

figurantur Christo; quia ista potestas, collata per characterem, est derivata à Christo, & est quasi participatio potestatis Christi, qui est summus sacerdos, habens omnem potestatem in sacramentis: ideoque habentes characterem sunt ei similiores, quam alii cum non habentes.

347. Non tamen etiam animæ Christi Domini fuit impressus character, ut est communis cum S. Thoma. 3. p. q. 63. a. 5. in corp. quia Christus habuit plenam sacerdotii potestatem, eamque autoritativam: fideles autem habent tantum ejus potestatis participationem, & potestatem tantum ministerialem, cuius signum est character. Secundò. Signari pertinet ad servos, & oves, milites, & duces inferiores: non ad dominum, & pastorem, & imperatorem supremum, qualis est Christus. Tertiò. Christus habet unionem hypostaticam, tanquam characterem Divinum, adeoque non eget characteribus imperfectioribus. Quarto. Christus ut Deus est causa principalis sacramentorum: ut homo est causa instrumentalis conjuncta: ergo non indiget characterem, ut vi hujus Deus ex pacto cum ipso concurrat ad effectus sacramentales.

348. Dico 4. Character hic est indelebilis, ita definit Tridentinum, & ex hac indelebitate infert, sacramenta tria reiterari non posse: & hæc definitio est solidissima probatio. Addi potest, quod character non deficiat ex defectu causæ efficientis, quæ est Deus: nec ex defectu causæ materialis, quæ est anima immortalis: nec ex defectu finis; quia semper est signum potestatis aliquando collaræ: nec ob contrarium; quia nullum habet; cum stare possit etiam cum gravissimis peccatis. Quare manet quoque in animabus separatis, etiam in damnatis, licet sit qualitas supernaturalis; quia nec minuit culpam, nec poenam; neque etiam est principium elicitiveum actus supernaturalis, sicut est habitus fidei, qui non manet in damnatis ex eo capite; quia in ipsis actum nullum amplius posset elicere, adeoque careret suo fine.

349. Unde character sacramentalis ex nullo capite repugnat statui damnatorum, manetque ad eorum ignominiam; licet enim damnati spoliarentur aliis bonis supernaturalibus, non tamen spoliarentur iis, quæ cedunt in maiorem eorum confusionem. Nec insolitum est, ut, quod alicui pro aliquibus circumstantiis est ornatus, pro aliis sit dedecus: sic e. g. est ornatus, si quis sit consiliarius intimus, vel secretarius principis, & ferat insignia ejus officii: at, si postea deprehendatur infidelis, & suspendatur, hæc ipsa insignia cedunt in ejus ignominiam. Quamvis autem character à damnatis non cognoscatur intuitivè, cognoscitur tamen sufficienter abstractivè, & discernitur, sicut Christianus à non christiano. Intuitivè autem cognoscitur character à Beatis, qui eo moventur ad nobis succurrendum: & licet possint Beati aliter cognoscere, & distinguere baptizatos à non baptizatis, e. g. per reg.

velationem, tamen congruebat, ut eos cognoscerent etiam per stabile signum, eo ferè pacto, quo martyres, & virgines, cognoscuntur in celo per laureolam. Non tamen propterea, quod maneat in animabus separatis character, possunt istæ ministrare sacramenta; quia non sunt amplius homines, de quo vide n. 192. & seq.

ARTICULUS II.

Solvuntur Objectiones.

350. **O**B. 1. contra 1. conclus. Innocentius III. hunc characterem primum in Ecclesiam invehit: ergo non debet admitti. Confir. S. Augustinus *sermone ad plebem Casariensem de Emerito* docet, characterem exterius agnosci, & agnitum probari: sed character spiritualis exterius agnosci non potest: ergo S. Augustinus non adfruit talem characterem, qualem nos. Confir. 2. Idem *ibidem* ait, characterem esse fidem, vel invocationem Trinitatis: ergo non admittit characterem in sensu nostro. Confir. 3. Idem *in eodem sermone* ait, si quis baptizetur in nomine Donati, recepturum characterem Donati: atqui Donatus non potuit imprimere animæ characterem spiritualem: ergo S. Doctor non loquitur de characterem spirituali animæ impresso. Resp. neg. ant. quod est aperte fallum; nam Innocentius *C. Majores de baptismo*. refert opinionem quorundam, afferentium, baptizatos invitos recipere tamen characterem: ergo hæc doctrina de characterem jam prius fuit in Ecclesia. Dein Patres, à nobis citati, fuere multis sæculis ante Innocentium.

351. Ad 1. confir. Resp. S. Augustinus non ait, characterem agnosci *exterius*, quasi agnoscat per sensus externos: imò non ponit voculam *exterius*: sed tantum *agnoscimus*. Omissa tamen ma. dist. mi. character spiritualis non potest agnosci exterius in se ipso. conc. mi. in baptismo, tanquam in causa. neg. mi. & conseq. S. Augustinus ad summum vult dicere, quod, si aliquem sciamus esse baptizatum, agnoscamus etiam, ei esse impressum characterem, tanquam effectum necessariò consequentem. Ad 2. confir. dist. antec. & ibi loquitur S. Augustinus tropicè, seu per metonymiam, sumendo causam pro effectu. conc. antec. & loquitur propriè. neg. antec. & conseq. Ut patet legenti contextum, S. Pater tantum vult dicere, omnes validè baptizatos, debere esse baptizatos in nomine SS. Trinitatis, & non in nomine Pauli, vel Donati &c. & hæc invocatio SS. Trinitatis est causa characteris, adeoque per metonymiam vocatur character.

Ad 3. confir. neg. conseq. nam syllogismus non est in forma, ut facile patet consideranti: potest etiam distingui mi. Donatus non potuit imprimere characterem spiritualem animæ, facta suppositione, quod aliquis in ejus nomine possit validè baptizari.

neg. mi. non facta ea suppositione. conc. mi. & neg. conseq. Ut rectè ait Bellarminus *tom. 3. controu. 1. de sacram. in gen. l. 2. c. 21.* S. Augustini argumentum fundatur in hypothesi impossibili: si in nomine Donati validè quis baptizaretur; tunc enim (ait S. Doctor) is reciperet characterem Donati. Ex hoc ipso autem, quòd absolute Donatus non possit imprimere characterem, infertur, neminem posse in nomine Donati validè baptizari. Hinc, quando S. Augustinus *ibidem* ait, se talem characterem exterminaturum, aut deleturum, dicere vult, se talem baptismum invalidum iudicaturum.

352. Ob. 2. contra 2. conclus. Etiam peccata dicuntur inesse, & inhære animæ: & tamen non sunt aliquid physicum, sed tantum aliquid morale: ergo etiam de characterem potest dici, quòd inhæreat animæ, licèt sit tantum aliquid morale. Confirm. 1. *Apoc. 16. v. 2.* dicitur, aliquos habuisse, & *Apocal. 10. v. 20.* aliquos accepisse characterem bestiarum: & tamen non receperunt aliquid physicum: ergo etiam potest recipi character sacramentalis, quin recipiatur aliquid physicum. Confir. 2. Prætor dicitur recipere potestatem prætoriam, licèt eam non recipiat physicè, sed tantum moraliter: ergo eodem modo potest recipi potestas sacramentalis.

Resp. neg. conseq. Non hæc sola est ratio, quare dixerimus, characterem esse aliquid physicum: sed sunt duæ, & quidem fortiores aliæ, quæ non militant in exemplo modò adducto. Deinde, cum peccata habitualia sint tantum aliquid morale, ut aliunde constat, non possunt physicè recipi: adeoque necessariò sunt verba illa sumenda in sensu morali: at in characterem nulla est necessitas, ea verba sumendi in sensu tantum morali, consequenter neque debent, in eo tantum sensu accipi, obrationes *n. 344.* allatas. Ad 1. confirm. neg. conf. Character bestiarum non physicè recipitur; quia est tantum aliquid morale, adeoque est necessitas illa verba sumendi in sensu morali: non ita res habet circa characterem sacramentalem. Ad 2. confirm. responsio patet ex dictis; quia potestas prætoriam est tantum quid morale.

353. Ob. 3. Non apparet finis sufficientis, aut necessitas characteris physicè talis: ergo non datur. prob. antec. potest servus, miles, & dux, discerni absque signo physicè recepto: ergo nulla est necessitas characteris physicè. Confirm. 1. Sacramenta veteris legis etiam destinabant homines ad servitium Dei, & tamen non imprimebant characterem: ergo. Confirm. 2. Summus Pontificatus, licèt maximè discernat hominem ab aliis, & faciat cum Vicarium Christi, tamen non imprimi characterem: ergo. Confir. 3. Sacramentum extremæ unctionis destinat nos ad militandum contra dæmonem in ultimo agone, quin imprimat characterem: ergo.

Resp. dist. antec. non apparet necessitas characteris omnimoda, vel strictè dicta. om. antec. non apparet necessitas congruen-

tia, vi cuius Christus convenientissimè determinavit, ut imprimeretur characterem physicum. neg. antec. & conseq. ad prob. om. antec. dist. conseq. ut prius: deinde retorq. argum. potest etiam in humanis unis esse amicus alteri, quin aliquid intrinsecè recipiat ab altero: ergo etiam potest aliquis esse amicus Dei, quin intrinsecè recipiat gratiam, quod est falsum. Scilicet ordo supernaturalis perfectior est naturali: & hinc, sicut Deus amando perficit nos physicè per gratiam, ita nos ordinando ad certa officia perficit nos physicè per characterem.

Ad 1. confirm. neg. conseq. quia sacramenta legis antiquæ non erant tantæ dignitatis, quantæ sunt nostra sacramenta. Ad 2. confirm. neg. conseq. Summus Pontificatus per se non est sacramentum, adeoque non debet imprimere characterem; neque enim dicimus, quòd omnis discretio, aut omnis potestas, secum ferat characterem physicum: sed tantum id dicimus de illa, quæ confertur per tria sæpe dicta sacramenta: cuius rei ratio potissima non sunt congruentia *n. 343.* allata: sed potius rationes *n. 346.* adductæ. Ad 3. confirm. neg. conseq. Sacramentum extremæ unctionis tantum nos destinat ad certamen privatum, non ad militiam publicam: solent autem signari, & ab aliis distingui tantum illi, qui sequuntur militiam publicam, non qui tantum pugnam privatum.

354. Ob. 4. Si character est qualitas, tunc est capax intensionis: sed huius non est capax: ergo. prob. mi. si character est capax intensionis, tunc potest unus homo esse magis baptizatus, vel ordinatus, quam alter: hoc est absurdum: ergo. Resp. 1. Possit negari ma; quia, sicut non repugnat qualitas incapax extensionis, (uti est quævis qualitas spiritualis) ita non implicat qualitas incapax intensionis: & talis fors est character. Resp. 2. cum Gormaz de *sacram. in genere n. 228.* neg. mi. ad prob. neg. ma. Denominatio ordinati, vel baptizati, non habetur à characterem, sed à sacramentis, quæ in omnibus sunt æqualia; neque enim homo baptizatur per characterem, sed per baptismum: character autem est effectus sacramenti, sicut gratia. Addo tamen, quòd, etsi character sit capax intensionis, non tamen propterea sit intensior in uno, quam in altero, qui recipit idem sacramentum; nam character confertur æqualiter omnibus; imprimitur enim vi sacramenti, & non juxta dispositionem suscipientis; nam, qui sacramentum recipit cum conscientia peccati, licèt non recipiat gratiam, recipit tamen characterem.

355. Ob. 5. contra 3. conclus. Non potest explicari, an character sit signum naturale potestatis, vel signum ad placitum: ergo non datur. Resp. 1. neg. conseq. Sæpe aliquid probatur, quoad aliqua prædicata, non verò quoad omnia: & sic non sumus certi de omnibus prædicatis hominum, quamvis de eorum existentia sumus certissimi. Resp. 2. neg. antec. & dico, probabilissimè characterem esse signum naturale, prout

QUÆSTIO III.

De Reiviviscentia Sacramentorum.

ARTICULUS I.

Quid sit, & an detur Reiviviscentia Sacramentorum.

358. Juxta omnes Theologos, imò juxta doctrinam Ecclesiæ, aliud est sacramentum suscipi *validè*,

aliud suscipi *fructuosè*; suscipitur *validè*, quando ponuntur, quæ spectant ad essentiam sacramenti: suscipitur *fructuosè*, quando insuper nullus ponitur obex, quo minus sacramentum producat in suscipiente gratiam sanctificantem: sic e. g. baptismus suscipitur *validè*, si debita materia, & forma adhibeantur, habeatque insuper minister, & suscipiens, debitam intentionem: si tamen suscipiens accedat, cum peccato actuali mortali, non habens, saltem attritionem de illo, non suscipitur baptismus *fructuosè*; quia adest obex gratiæ, scilicet peccatum grave, non retractatum per dolorem.

359. Dicitur autem aliud *obex negativus*, seu *fictio materialis*, quando scilicet aliquid deberet poni, sed omittitur sine novo peccato, e. g. si quis ignorans, se peccasse graviter, bona fide accedat ad baptismum, sine attritione. Aliud dicitur *obex positivus*, seu *fictio formalis*, quando scilicet ponit quis novum peccatum, e. g. si quis, conscius peccati prioris, mala fide, & sacrilegè, accedat ad baptismum: vel si accedat cum actuali affectu ad peccatum, v. g. luxuriam, & in hoc secundo casu accedens ad sacramentum, committit duplex peccatum, scilicet in genere luxuriæ, & sacrilegij.


Sacramentum cum obice, *validè* tamen susceptum, vocatur *validum*, & *informe*: alterum verò cum fructu susceptum dicitur *validum*, & *formatum*. Peccatum autem illud sacrilegij dicitur *peccatum fictionis*, & talis homo dicitur *fictè* suscipere sacramentum: non quòd ficto animo, seu sine intentione recipiendi sacramentum, accedat (tali enim casu sacramentum neque esset *validum*) sed quia fingit, se esse dispositum, ad percipiendum cum fructu sacramentum, cum non sit ita dispositus.

360. Possunt autem sacramenta omnia (excepto fortè sacramento poenitentia, de quo *in suo tractatu*) suscipi *validè* simul, & *infructuosè*; qui enim sacramenta vivorum accipit cum conscientia peccati mortalis, vel sacramenta mortuorum sine dolore de tali peccato, accipit quidem ea sacramenta sine fructu, ut est certum: sed tamen accipit *validè*, ut facile ostenditur; nam aliàs, qui in tali statu suscepisset baptismum, confirmationem, ordinem, aut matrimonium, vel extremam unctionem, possit iterum baptizari, confirmari, ordinari, aliam uxorem vivente adhuc prio-

naturale opponitur signo ad placitum; nam inprimis SS. Patres dicunt, characterem esse figuram, effigiem, imaginem, lumen &c. quæ non bene explicantur, si dicitur is esse tantum signum ad placitum. Rursus character ordinis, & baptismi, probabilissimè intrinsecè differunt: at non differunt intrinsecè, si hoc prædicatum, scilicet esse signum potestatis, non esset eis intrinsecum; aliud enim prædicatum difficultè assignabunt adversarii, in quo intrinsecè hi duo characteres differant. Dicere autem cum Arriaga, characterem esse colorem aliquem spirituales, est profusè divinare.

356. Ulterius character est ens supernaturalis, ut communiter supponunt omnes, & probatur ex eo, quòd sit indelibilis naturæ, atque per se connexus cum gratiis supernaturalibus, adeoque cum fine supernaturali: insuper character non potest connaturaliter produci, nisi dependeret à certo sacramento: ergo habet connexionem ex natura cum illo sacramento, & aliis effectibus, adeoque est signum ex natura, & non ex beneplacito; aliàs enim istam connexionem non haberet. Si dicas, ex his sequi, quòd character habeat connexionem cum institutione Christi, & cum modo, quo substantialiter debet à sacerdotibus administrari sacramentum; Resp. non esse ullum absurdum, istud admittere.

357. Ob. 6. contra 4. conclus. Nulla est ratio, quare character sit indelibilis: ergo non est talis. Confir. 1. Gratia sanctificans est perfectior characterem, & tamen est delebilis, seu destruibilis: ergo etiam talis est character. Confir. 2. Calix consecratus, & templum consecratum, perdunt consecrationem, si franguntur, aut dissolvuntur: ergo etiam homo perdit characterem, si per mortem dissolvitur. Resp. neg. antec. rationes vide *n. 348.* Ad 1. confirm. neg. conseq. Quantitas, & materia prima, sunt incorruptibiles, & tamen non sunt tam perfectæ, quam sint formæ substantiales corruptibiles; quia scilicet hæc formæ excellunt quoad alia prædicata. At sic etiam gratia excedit characterem quoad multa, e. g. quòd ipsa sit quasi natura in ordine superno, quòd sit filiatio Dei &c. Destruitur autem sæpe gratia; quia habet contrarium, nempe peccatum, quale non habet character. Ad 2. confirm. conc. ant. neg. conf. Quando frangitur calix, vel destruitur templum, perit subjectum consecrationis, adeoque etiam ipsa consecratio: at verò per mortem hominis non perit anima, quæ sola est subjectum characteris.



re ducere, & durante eodem mortis periculo rursus inungi, quod est omnino falsum: sequela autem hæc facile probatur; nam, si ista sacramenta fuissent invalida, possent utique conferri de novo; nec enim hoc esset propriè rebaptizare, reordinare &c. Quod attinet ad SS. Eucharistiam, cum hæc jam sit sacramentum ante usum, certum est, eam homini conferri posse validè sine fructu, si hic illam recipiat sciens in statu peccati gravis.

361. Jam *reviviscencia sacramentorum* dicitur tunc dari, quando post sacramenta factè, seu infructuosè, id est, sine gratiæ fructu, percepta tollitur postea obex gratiæ, & ista confertur, atque adeò sacramenta fiunt fructuosa: e. g. aliquis adultus in statu peccati suscepit baptismum, sine omni contritione etiam imperfecta, de suis actualibus peccatis, vel etiam cum actuali affectu ad novum peccatum: quo casu utique baptismum factè, seu infructuosè recepit: si jam talis postea, peracto jam baptismo, dolorem de peccatis sufficientem (de quo infra) eliciat, ita, ut obex tollatur, & ei conferatur gratia (quam, si prius baptismum cum debita dispositione recepit, in ipso baptismo accepisset) dicitur baptismum reviviscere. Itaque hic quaeritur, an detur ista reviviscencia sacramentorum, & an omnium, vel tantum aliorum.

362. Dico 1. Baptismus factè susceptus, recedente fictione, vel obice remoto, reviviscit, & tam peccatum originale, quam actualia, ante eum commissa, tollit. ita S. Augustinus l. 3. de baptismo contra Donatistas c. 13. sic scribens: *Si autem, quamvis apud hereticos, vel schismaticos, idem sit baptismus Christi, non tamen ibi operatur remissionem peccatorum, propter eandem discordiam seditionem, & dissensionis iniquitatem: tunc incipit valere idem baptismus ad dimittenda peccata, cum ad Ecclesiam pacem venerint: non, ut jam dimissa non retineantur, neque, ut ille baptismus, quasi alienus, aut aliis improbetur, ut alter tradatur: sed ut idem ipse, qui propter discordiam foris operabatur mortem, propter pacem intus operetur salutem.*

Idem S. Pater l. 6. de baptis. contra Donatistas c. 5. ita scribit: *Et ideo, si ab illa perversitate correctus, & à separatione conversus, venerit ad Catholicam pacem, sub eodem baptismo, quod acceperat, ejus peccata dimittuntur, propter vinculum charitatis, sub quo baptismo peccata ejus tenebantur, propter sacrilegium divisionis.* Quod autem S. Augustinus hic dicit de baptismo, propter peccatum hæresis, vel schismatis infructuosum, idem intelligendum est, ob paritatem rationis, & communem auctoritatem, de baptismo ob quodlibet aliud peccatum infructuosum. Eandem sententiam docet S. Thomas 3. p. q. 69. a. 10. in corp. & cum eo Theologi communissimè: imò docet Haunoldus l. 4.

tract. 2. c. 5. controu. 2. n. 724. à nemine Theologorum in dubium vocari reviviscencia baptismi, sed eam diversimodè explicari, & declarari.

363. Probatur autem conclusio primò, & potissimum ipsa hac auctoritate communis Theologorum, & præsertim S. Augustini, quæ, cum maximi semper habita fuerit, à tot gravissimis subsecutis doctoribus, non est à nobis minùs æstimanda; præsertim, cum vix ullus scholasticorum sit ausus ei contradicere, & insuper nihil solidum possit in contrarium afferri. Rursus, sicut auctoritas Conciliorum aliquid definitum meretur majorem fidem, quam rationes, ob quas inducta sunt Concilia ad definitionem faciendam: ita auctoritas Patrum, & præsertim S. Augustini, meretur spississime majorem assensum, quam eorum rationes: præsertim, si sententiam aliquam, non obiter tantum tradant, sed ex professio sæpè pertractent, uti S. Augustinus fuscè, & sæpè tractat reviviscencia baptismi. Sanè, sicut auctoritas S. Augustini, ex instituto contra Pelagianos hæreticos pugnantis, semper ab Ecclesia maximi habita fuit, ita auctoritas ejusdem, contra Donatistas hæreticos certantis, debet esse maximi ponderis.

364. Probatur conclusio 2. ratione S. Thomæ, citati n. 362. Baptismus, etiam factè susceptus, imprimat characterem, ut omnes admittunt: sed character, ut ait Angelicus, est quasi forma, quæ tanquam suum quasi effectum exigit gratiam remissionem peccati: ergo, sicut aliæ formæ, exigentes effectum aliquem, eum obtinent, si non adit amplius ejus obex, vel impedimentum, ita etiam character baptismi obtinet gratiam, si non amplius adit, hoc est, si sublatus fuerit, obex. Confirmatur. Character saltem exigit auxilia gratiarum actualium; quia ista debentur homini baptizato, vi characteris: ergo etiam character exigit gratiam sanctificantem.

Prob. consequ. Gratia sanctificans est radix immediata, & connaturalis omnium auxiliorum supernaturalium: ergo, si character exigit illa auxilia, exigit etiam eorum radicem, sine qua connaturaliter non dantur: si autem character exigit gratiam, tunc, quando non datur amplius obex, & character adhuc existit, debet gratia dari: ergo, remoto obice, debet gratia dari, seu baptismus reviviscere: sicut, (quod est exemplum Angelici) si corpus grave violenter per obicem impeditur à sibi debito motu deorsum, mox, ut remotus fuerit obex, illum motum producit.

365. Prob. conclusio 3. Si baptismus non reviviscit, tunc, qui baptismum factè suscepit, non potest amplius justificari: hoc est falsum: ergo. prob. ma. prima justificatio non potest fieri, nisi per baptismum, vel in re, vel in voto, ut docet Tridentinum sess. 6. c. 4. atqui factè baptizatus non potest habere amplius baptismum in re; quia hic non est iterabilis: neque potest

potest habere eum in voto; quia contritio non est votum baptismi, nisi sub conditione, quod ipse nondum præceperit: neque licet tali homini, baptismum rursus desiderare: ergo.

Nec dicas cum Vasquez, sacramentum baptismi debere tantum præcedere, non autem tanquam causam concurrere ad justificationem, adeoque taliter baptizatum esse justificari per poenitentiam; contra enim est. Tridentinum colligit suam doctrinam ex illo Christi Joam. 3. v. 5. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto &c.* ubi baptismus requiritur tanquam causa; nam particula *ex* significat causam. Accedit, quòd ibi Tridentinum loquatur de causis justificationis: atque in hoc sensu etiam idem Concilium interpretati sunt communissimè scholastici, quorum interpretatione tamdiu standum est, quamdiu oppositum non probatur ratione valde efficaci.

366. Dico 2. Probabilius etiam sacramenta confirmationis, & ordinis, remoto obice, reviviscunt. Huic conclusioni favet S. Thomas in 4. dist. 4. q. 3. a. 2. *quæstionum*. 3. ad 3. quatenus virtutem causandi gratiam, remoto obice, refundit in cautionem characteris, quem etiam causant confirmatio, & ordo. Eandem tenet Suarez tom. 3. in 3. p. disp. 28. sec. 6. & plerique Theologi. Probatur. Ista sacramenta etiam imprimunt characterem: ergo militat pro ipsi ratio ex Angelico adducta n. 364. Secundò, si ista sacramenta non reviviscerent, sæpè deberet aliquis pro semper carere fructu eorum; quia iterari non possunt: sed hoc videtur alienum à suavissima providentia Dei: ergo.

Major est clara. prob. mi. nam imprimis ob fragilitatem humanam potest facile contingere, ut quis, vel sciens, vel ignorans, accedat cum obice ad hæc sacramenta: ex altera verò parte sacramenta illa imponunt difficilem obligationem, proficendi fidem in conspectu tyrannorum, ob eundem munera gravissima sacerdotum, ad quæ implenda dantur gratiæ actuales idoneæ, quæ sunt fructus istorum sacramentorum: quibus, si talis cum obice accedens semper deberet carere, sanè accideret ei valde difficile, satisfacere obligationi, vel officio suo; unde videtur suavi providentiæ Dei longè conformius, si dicatur, talem, postea removendo obicem, vel poenitentiam agendo, posse recuperare fructum istorum sacramentorum.

367. Nec dicas, conferri quidem postea, remoto obice, gratias actuales sacramentales, non verò gratiam sanctificantem; hoc enim profus gratis dicitur; cum non sit ullum vestigium in Scripturis, aut Patribus, nec ullum aliud fundamentum, ex quo colligi possit, quòd Deus non det simul gratiam sanctificantem: & auctoritas sententiæ nostræ sit insuper incomparabiliter major. Accedit, quòd uniformiter, quantum fieri potest, discurrendum sit de sacramentis; qua-

re, si baptismus, ut probatum est, reviviscit, & Christus factè benignum exhibuit in institutione baptismi, probabilius se quoque talem exhibuit in institutione confirmationis, & ordinis. Quòd autem S. Augustinus fecerit mentionem solius baptismi, inde fuit; quia de solo illo, non item de aliis, tunc agitabatur controversia, inter illum, & Donatistas.

368. Dico 3. Etiam sacramentum extremæ unctionis, & matrimonii, remoto obice, seu recedente fictione reviviscunt. ita Suarez loco citato n. 366. & alii plurimi. Prob. concl. Hæc sacramenta, extrema unctio, & matrimonium, etsi simpliciter iterari possint, tamen secundum quid non possunt iterari: scilicet extrema unctio non potest iterari in eodem statu infirmitatis, & matrimonium non potest iterari vivente eadem conjugate: ergo factè suscipiens deberet durante eodem statu infirmitatis, vel durante eodem conjugio, carere fructu sacramenti, qui tamen ipsi valde necessarius est; quia maritus valde indiget gratiæ matrimonii, ad toleranda ejus onera, & prolemitè educandam: & similiter infirmus valde indiget gratiæ extremæ unctionis ad resistendum tentationibus: ergo non videtur benignissimus Deus velle talem conjugem, aut infirmum, pro semper privare iis auxiliis: sed remoto obice ea conferre, & simul, ut dictum n. 367. etiam gratiam sanctificantem misericorditer largiri.

369. Dico 4. Si sacramentum poenitentiae potest esse validum, & informe (de quo agitur in tract. de poenit. à n. 469.) etiam reviviscit. Erit autem (si aliquando potest tale esse) validum, & informe tunc, quando quis inculpabiliter oblitus alicujus peccati gravis accedit ad confessionem, cum dolore tantum particulari de peccatis memoriæ occurrentibus, & non se extendente ad peccatum, ex oblivione omisium: & tale sacramentum remoto obice reviviscere docet S. Thomas loco mox citando. & probatur conclusio. Si non revivisceret tale sacramentum poenitentiae, quod validum esse ponitur, tunc aliquis, qui jam validè confessus fuisset suum peccatum, deberet illud de novo confiteri: consequens est contra communem sensum fidelium, & expressè etiam contra S. Thomam: ergo.

Prob. ma. Si talis non deberet peccatum suum iterum confiteri, tunc peccatum ipsius remitteretur sine sacramento poenitentiae in re, & sine eodem sacramento in voto: atqui peccatum hominis Christiani (quale esset istud; cum de eo facta esset confessio) non remittitur sine sacramento poenitentiae in re, vel in voto, ut omnes docent ex Tridentino sess. 14. c. 4. & 5. ergo. Prob. primò. ma. quoad 1. partem. Sacramentum susceptum, utpote informe, & non reviviscens, peccatum non remitteret: novum autem sacramentum suscipere non deberet, ut ponitur: ergo peccatum remitteretur sine sacramento in re. Prob. jam ma. quoad 2. partem. Contritio, ob quam in tali casu deberet remitti

mitti peccatum, non esset votum sacramenti; nam contritio non est tale votum in eo, quod non tenetur ad sacramentum suscipiendum: ergo tale peccatum etiam remitteretur sine voto sacramenti.

Probatur jam etiam minor 1. syllogismi quoad 1. partem. Nemo agnoscit obligationem bis in confessione valida exponendi idem peccatum, & omnes consentent, præcepto confessionis esse satisfactum, si quis semel valide sua peccata clavibus subjecerit: ergo. Prob. etiam quoad 2. partem, allatis verbis Angelici, qui sic scribit in 4. dist. 17. q. 3. a. 4. *quæstionum*. 1. in corp. Et *quævis tunc* (quando scilicet fidei accedit) non percipiat absolutionis fructum, tamen recedente fictione percipere incipiet: sicut etiam est in aliis sacramentis; unde non tenetur iterare confessionem, qui fictus accedit: sed tenetur, postmodum fictionem suam consistere.

370. Dico 5. Eucharistia probabilis non reviviscit, si cum fictione formali recipiatur. ita S. Thomas in 4. dist. 4. q. 3. a. 2. *quæstionum*. 3. ubi, cum sibi arg. 3. objecisset, quod reviviscente baptismo etiam Eucharistia deberet reviviscere, quod tamen non fit verum: respondens ad 3. non ait, Eucharistiam reviviscere: sed dat disparitatem inter illam, & alia sacramenta. Consentit Suarez tom. 3. in 3. p. disp. 63. sec. 8. §. *Dicendum est*. ubi pro eadem hac conclusione citat alios multos. Accedunt Coninck, Lugo, Filiucius, Bonacina, Gonet, & alii contra alios.

Prob. conclus. 1. negativè. Rationes, allatæ pro reviviscencia aliorum sacramentorum, non militant pro sacramento Eucharistiae: nec adfunt aliæ rationes speciales pro hoc sacramento: ergo, licet alia sacramenta reviviscant, tamen non reviviscit istud; nec enim sine ratione debet hæc reviviscencia afferri. prob. ant. hoc sacramentum non imprimit characterem: dein est iterabile, etiam intra breve tempus: & non est necessarium ad remissionem ullius peccati: ergo. Prob. conclus. 2. positivè. Videtur incredibile, & contra communem sensum fidelium, quod e. g. sacerdos, qui multis annis sacrilegè celebravit, si postea in fine vitæ agat seriam poenitentiam, simul accipiat omnem gratiam, quam ex opere operato accepisset, si toto tempore priore semper dignè celebrasset: atqui hoc sequeretur ex opposita sententia: ergo.

Aliud tamen foret, si quis ad SS. Eucharistiam accederet cum obice, per ignorantiam invincibilem ignorato; tunc enim fortè esset major difficultas: pro hoc tamen casu adhuc militarent rationes primo loco adductæ. Probabile tamen est, quod docet Layman l. 5. tract. 1. c. 7. n. 5. & alii, scilicet, quod, si quis, speciebus necdum consumptis, removeat obicem, e. g. per contritionem, gratia ab hoc sacramento adhuc causanda sit: sed hæc non est reviviscencia propriè dicta; quia hæc dicitur tunc dari, si ef-

fectus sacramenti primò producitur, quando sacramentum non amplius physicè existit. Quæstio hæc ulterior est, quæ dispositio requiritur, ut sacramentum fidei susceptum reviviscat; ad quam resolvendam

371. Dico 6. Ad reviviscenciam sacramentorum, à baptismo distinctorum, requiritur, vel contritio, vel attritio cum confessione. Prob. conclus. Peccata, post baptismum commissa, non possunt tolli, nisi per sacramentum poenitentiae, vel in re, vel in voto: atqui obex horum sacramentorum (quæ non possunt, nisi baptizatis, validè conferri) sunt peccata post baptismum commissa: ergo, ut tollatur obex horum sacramentorum, & ipsa reviviscant, opus est ipsa confessione cum attritione, vel contritione: vel saltem sola contritione, quæ sit votum sacramenti poenitentiae. Neque de hac assertione lis est inter authores; quia res est clara: major difficultas est de baptismo. Itaque

372. Dico 7. Si post baptismum, receptum cum fictione tantum materiali, nullum aliud peccatum commissum est, sufficit ad ejus reviviscenciam attritio. ita Suarez, tom. 3. in 3. p. disp. 28. sec. 5. §. *Dico ergo primò*. Comptonus, Elparza, & alii communis: quæ ipsa autoritas potest esse prima ratio pro conclusione. Prob. conclusio ulterius 2. In hoc casu obex baptismi tollitur per solam attritionem: ergo baptismus reviviscit. conseq. patet, ant. prob. per illud tollitur obex, per cujus carentiam est positus: atqui est positus per solam carentiam attritionis: ergo tollitur per hujus positionem. mi. prob. obex baptismi non est peccatum solum, sed peccatum non retractatum per dolorem: ergo, si postea ita retractetur, obex tollitur. Ex quo collige, quod, si baptizatus non habuisset peccatum actuale, sed tantum originale, & cum materiali tantum fictione accessisset; quia e. g. inculpabiliter non habuisset fidem, opus non fit ad reviviscenciam baptismi attritione, sed sola fide.

373. Dico 8. Si post baptismum, cum fictione materiali susceptum, fuit commissum aliud peccatum grave, requiritur, vel usus legitimus sacramenti poenitentiae, vel solus contritio, ad reviviscenciam baptismi. ita communissima cum S. Thoma 3. p. q. 69. a. 10. ad 2. Prob. Baptismus non habet vim delendi peccata post ipsum commissa: ergo non potest reviviscere per attritionem solam. antec. prob. nullum sacramentum habet vim remittendi peccata post ipsum commissa, & nullum etiam acquirit majorem vim per reviviscenciam, sed tantum restituitur suo modo in eum statum, in quo fuisse, si statim in ipsa receptione fuisse fructuosum: ergo neque baptismus habet vim remittendi peccata post ipsum susceptum commissa.

Certè nemo dicit, baptismum delere peccata jam fidelium: sed omnes docent, ista debere clavibus subijci. prob. jam conseq. Non potest reviviscere baptismus, nisi prius tollatur obex; seu peccatum, quod in casu

conclusionis ponitur commissum esse post baptismum: atqui hic obex, seu hoc peccatum, non potest tolli per solam attritionem: ergo. Nec dicas, posse tolli per attritionem, ut conjunctam baptismi præcedenti; nam contra est. Baptismus, ut jam est dictum, nullam habet vim delendi peccata post ipsum commissa, adeoque non concurrat, aut sufficit cum attritione, ad delendum istud peccatum, quod est peccatum hominis fidelis, seu Christiani.

374. Dico 9. Baptismus susceptus cum fictione formali, seu cum peccato, in ipsa susceptione commissus, ita tamen, ut peccatum primò compleatur omnino, eo instanti, quo baptismus ultimò compleatur, probabilis non reviviscit, nisi per sacramentum poenitentiae, vel per contritionem perfectam. ita Suarez tom. 3. in 3. p. disp. 28. sec. 5. §. *Dico tertio*. Comptonus, & alii: estque hæc sententia conformis S. Thomæ, citato num. præced. ubi ait: *Fictio non remouetur per baptismum, sed per poenitentiam subsequentem*. Prob. conclusio. Peccatum hominis fidelis non remittitur sine sacramento poenitentiae, vel in re, vel in voto: & quidem non sufficit votum inclusum in attritione, sed debet esse votum inclusum in contritione: atqui peccatum in ipsa susceptione baptismi commissum, jam est peccatum fidelis: & baptismus nullo modo est contritio: imò neque est votum poenitentiae, sed tantum est votum abstinendi à peccatis: ergo tale peccatum per baptismum absque sacramento poenitentiae, vel contritione, non remittitur: consequenter nec baptismus reviviscit.

Major est certa, minor etiam quoad secundam partem est innegabilis. itaque probatur quoad 1. p. In instanti, quo compleatur baptismus, statim imprimitur character, & revera homo tunc censetur sub jurisdictione Ecclesiae: ergo jam est fidelis, seu Christianus, adeoque ejus peccatum jam est peccatum fidelis. Aliud esset, si peccatum fuisset completum ante baptismum absolutum, e. g. ante prolationem ultimi verbi formæ; tunc enim probabiliter sufficeret attritio ad reviviscenciam baptismi; quia illud peccatum nondum esset peccatum hominis fidelis, aut jam subiecti jurisdictioni Ecclesiae. Quæritur hæc, an sacramentum reviviscens producat gratiam juxta dispositionem, quæ adfuit, quando ipsum cum obice fuit susceptum: an verò juxta dispositionem, quæ adest, quando remoto obice reviviscit. quare

375. Dico 10. Videtur probabilis, quod sacramentum producat gratiam secundum dispositionem primam, quæ dabatur in ipsa susceptione sacramenti. ita Suarez, tom. 3. in 3. p. disp. 28. sec. 4. §. *Atque in hunc modum*. Prob. 1. Sacramentum per reviviscenciam non acquirit majorem virtutem: ergo non potest plus operari, quam statim operatum fuisset, si primò obex non adfuisset.

Prob. 2. Ex sententia contraria sequetur,

retur, quod is, qui sacramentum suscipit fictè, & malitiosè, postea verò elicit perfectam contritionem, recipiat tantam gratiam vi sacramenti præteriti, quantum alius, qui idem sacramentum cum simili contritione primò fructuosè percepisset: item sequeretur, quod is, qui primò elicit attritionem particularem, & sic fictè, sed inculpabiliter, oblatens aliquod peccatum, ad quod se attritio illa particularis non extendebat, ad sacramentum accessit, si postea eliciat attritionem universalem, plus gratiæ recipiat, quam alius, qui primò statim cum attritione universali accessit, & sacramentum fructuosè recepit, postea verò etiam attritionem similem particularem elicit: sequelæ sunt contra sensum communem fidelium: ergo.

Prob. prima sequela. Primus esset æquè bene dispositus, ac posterior: ergo. Prob. secunda sequela. Prior acciperet gratiam ex opere operato, ob duplicem attritionem: alter tantum ob unam; quia attritio particularis subsequens non amplius habet virtutem vi sacramenti, seu ex opere operato, nisi velis contra omnes afferere, baptismum reddere omnes actus subsequentes, ex opere operato productivos gratiæ. Hinc, ut rectè advertit Suarez cit. scilicet 6. præced. Sed circa sacramentum, post formalem fictionem reviviscens, non producit gratiam, nisi in minimo gradu, qui debetur soli sacramento, independentè ab omni dispositione; quia sacrilegè accedens nullam afferit dispositionem: sicut nullam afferit infans ad suum baptismum, qui ideo tantum recipit gratiam soli sacramento debitam.

ARTICULUS II.

Solvuntur Objectiones.

376. **O**B. 1. contra 1. conclus. Potest dici, S. Augustinum tribuere baptismum post motum obicem tantum potentiam remittendi poenas temporales, ratione peccatorum, ante baptismum commissorum, debitas: ergo baptismus reviviscens non remittit culpam. Confirm. Potest dici, quod baptismus tantum eatenus reviviscat, quatenus hominem reddit aptum ad suscipiendum validè sacramentum poenitentiae; per quod postea deleantur peccata: ergo nostra sententia non subsistit. Resp. neg. antec. Habet quidem baptismus reviviscens illum effectum, nempe remissionem poenarum temporalium: sed ex S. Augustino etiam remittit culpam; nam S. Doctor adscribit ei operationem salutis ipsius, seu vitæ æternæ, ut patet ex textu, quem citavimus n. 362.

377. S. Augustinus, ut est notum, in suis septem libris de baptismo contra Donatistas, disputat de valore baptismi, ab hæreticis collati, & asserit, validum esse talem baptismum, nec debere reiterari. Ex hac autem occasione Donatistæ sic argumentari sunt

sunt visi. Si per nostrum baptismum non datur Spiritus Sanctus, debent rebaptizari Donatistæ, quando convertuntur, & sunt Catholici: si verò datur Spiritus S. habemus veram Ecclesiam. Sed respondet eis S. Doctor, idem argumentum posse eodem modo fieri de eo, qui in vera Ecclesia cum peccato actuali, seu fisione formali, baptismum recipit. Dein ad eam objectionem duplicem solutionem proponit *citato c. 13.* Prima, quam tantum videtur referre, non firmiter adstruere, est, baptismum in hæresi, vel fisione susceptum, remittere quidem peccata, sed ea statim redire *per hæresim, & schismatis obstinationem*, seu ob perseverantiam in fisione (quam resolutionem etiam transmiserat S. Doctor *l. 1. de baptif. contra Donatistas c. 12.*) Altera autem responsio, quam statim addit *cit. l. 3. de baptif. contra Donatistas c. 13.* est, baptismum, recedente fisione, operari salutem: ergo iuxta S. Doctorem operatur baptismus ipsam salutem, seu remissionem peccatorum. Et quæso, si baptismus remittit pœnam, cur non etiam deleat culpam, & infundat gratiam? cum remissio culpæ videatur præsupponi aliquo modo ad remissionem pœnæ, & reliqua sacramenta, pœnitentia, extrema unctio &c. nunquam unum faciant sinè altero.

378. Ad confirm. neg. antec. primò enim hoc non est ad mentem S. Augustini, qui ipsam salutem baptismum adscribit; unde etiam, quando S. Augustinus remissionem peccati videtur tribuere correctioni, pœnitentiæ, paci, unitati &c. tantum vult dicere, quòd istæ sint dispositiones, removens obicem; si enim non baptismus, sed sola e.g. pœnitentia, vel unitas, esset causa gratiæ remissivæ peccati, falsum esset, quòd S. Augustinus dicit, nempe baptismum operari salutem. Secundò, hæc ratio non revivificeret baptismus; quia hunc effectum, scilicet reddere hominem capacem pœnitentiæ, statim producit, dum suscipitur: & etiam tunc statim servit ita indirectè ad justificationem. Tertio, sic baptismus non plus possit in peccata ante baptismum commissa, quam in peccata commissa post illum; quia etiam ad horum remissionem eatenus servit, quatenus hominem reddit capacem pœnitentiæ. Quarto, saltem peccata, antecedentia baptismum fisione receptum, non possunt per illum aliud sacramentum directè remitti: quòd autem ista in eo casu tantum indirectè remittantur, non consonat S. Augustino.

379. Ob. 2. Contritio, in ignorante necessitatem baptismi, non est votum baptismi: ergo taliter justificatus non justificatur vi baptismi: ergo peccata antecedentia possunt remitti sinè baptismo. Confirm. Saltem contritio non justificat ut includens votum baptismi: ergo. prob. antec. 1. Alias hoc votum solum, vel saltem cum attritione justificaret: hoc autem non potest dici: ergo. 2. In lege antiqua contritio non justificavit ratione voti baptismi: & eadem non est minoris perfectionis in lege

nova, quam fuerit in antiqua: ergo etiam nunc non justificat ratione illius voti. 3. In contritione etiam includitur votum restituendi ablata &c. quin tamen contritio justificet, ratione hujus voti: ergo neque justificat ratione voti baptismi.

Resp. neg. antec. Contritio est votum implendi omnia præcepta, etiam illa, quæ quis non scit, modò ea sciret: adeoque est votum implendi etiam remotè præcepta, sive hîc, & nunc, ratione promulgationis nondum sufficientis, remotè tantum obligantia, supposito tamen, quòd sufficienter ipsi promulgentur; ita enim debet esse dispositus homo sincerè Deum super omnia amans: atqui ita etiam præceptus est baptismus: ergo. vide etiam dicta. n. 147.

380. Ad confirm. neg. antec. ad 1. prob. neg. ma. Deus non acceptat quemlibet dolorem, aut quodlibet votum, sed tantum conjunctum cum amore Dei super omnia. Ad 2. prob. retorq. argumentum. In lege nova contritio non justificat ratione voti implendi præcepta legalia: & non est minoris perfectionis, quam in lege antiqua: ergo etiam tunc non justificavit ratione illius voti. Resp. 2. neg. conseq. Contritio est votum implendi omnia præcepta graviter obligantia: tale in lege nova est præceptum baptismi: non autem fuit in lege antiqua: ergo, etiamsi tunc contritio non fuerit tale votum, est tamen modò tale votum.

Ad 3. prob. neg. conseq. Disparitas est; quia restitutio non est medium ad salutem, sicut baptismus; nam, etsi in eo, qui obligatus est ad restitutionem alteri faciendam, hæc necessaria sit, ipsa tamen non est medium causans gratiam, sicut tamen tale medium est baptismus; unde votum restitutionis, non est votum medij justificantis, sicut tamen est votum baptismi in contritione inclusum. Et hinc facile intelligitur, quomodo contritio, tanquam votum baptismi, justificet; quia justificat quasi nomine, vel loco baptismi, qui alias justificaret, si adhiberi posset. Non ita contritio potest justificare nomine, vel loco restitutionis; quia hæc, etiamsi adhibeatur, per se justificare non potest. Sed hæc magis declarantur à Theologis, quando agunt de eo, an sacramentum Eucharistiæ, vel pœnitentiæ, sit necessarium necessitate medij.

381. Ob. 3. Opera mortua non reviviscunt: sed sacramenta, fisione recepta, sunt opera mortua: ergo. Confirm. Sacramenta tantum causant gratiam, quam significant: sed tantum significant gratiam de præsentia: ergo tantum causant gratiam de præsentia. prob. mi. sacramenta significant, id fieri interius, quod fit exterius: sed exterior ablutio, &c. fit de præsentia, ergo. Resp. neg. min. sacramenta enim sunt opera supernaturalia Dei, & tantum sunt quasi mortua, sicut granum tritici in horreo, quòd tamen in debitis dispositionibus vim vitam exerit. Ad summum potest dici, sa-

sacramenta esse mortua, quatenus sunt opus operantis: & facile concedo, quòd ille effectus, qui ipsis ex opere operantis correspondisset, non reviviscat. Ad confirm. neg. mi. ad prob. dist. ma. sacramenta significant id fieri interius cum omnibus circumstantiis etiam temporis, neg. ma. præsciendò ab his. conc. ma. & conc. etiam mi. neg. conseq. Responsonis veritas patet in gratis actualibus; nam etiam harum collationem significant sacramenta, vel actiones sacramentales: & tamen, licet e.g. unctio chrisimatis fiat de præsentia, gratiæ actualis datur de futuro, scilicet, quando adest occasio profitendi fidem.

382. Ob. 4. Specialiter contra 4. conclus. Si reviviscit sacramentum pœnitentiæ, etsi possit sæpe reiterari, tunc etiam reviviscit sacramentum SS. Eucharistiæ: sed illud reviviscit: ergo etiam istud. Confirm. Si reliqua sacramenta reviviscunt, peccator fert commodum ex sua malitia: sed vel hoc omnino non est admittendum, vel est etiam admittendum idem in Eucharistia: ergo. Resp. neg. ma. In primis sacramentum pœnitentiæ, vel omnino non, vel rarissime potest esse validum, & informè, ut patet *ex tr. de pœnitentia*. Secundò. Sacramentum pœnitentiæ non potest fieri validum, cum fisione formali, seu peccato actuali: at SS. Eucharistia potest cum peccato actuali verè, & validè percipi. Tertio. Præcipua ratio, quæ pugnat contra reviviscentiam SS. Eucharistiæ, non pugnat contra reviviscentiam pœnitentiæ; neque enim reiterabilitas est sola, vel etiam præcipua ratio, cur Eucharistia non reviviscat: sed potior ratio est negativa, item sensus communis fidelium, ad tandem etiam ipsa dignitas maxima SS. Eucharistiæ, quæ requirit majorem dispositionem.

383. Ad confirm. dist. ma. peccator fert commodum formaliter ex malitia, & ideo, quia ipse malus est, neg. ma. occasionaliter, & per accidens. conc. ma. & dist. sic mi. neg. conseq. Haud est absurdum, quòd Deus occasione mali faciat aliquod bonum; sic enim occasione peccati Adami venit Christus, ut Redemptor in carne passibili; imò *ex S. Augustino* Deus permittit mala, ut faciat bona. Ipsa tamen malitia, formaliter talis, non causat propterea illud bonum; nam, si etiam Deus moveret ab actione mala, e.g. à consensu matrimonii malo, non moveret ab isto, ut est actio physica, & mala ministris, seu à malitia formaliter tali: sed moveret ab eo consensu, ut hîc, & nunc, est moraliter actio Christi. Ne autem dicatur, sic posse asseri, quòd etiam Eucharistia reviviscat, respondeo, nos non impugnare reviviscentiam Eucharistiæ ex eo, quòd peccator ferret commodum ex sua malitia; sed ex ratione negativa, & potissimum ex communi sensu fidelium. vide. n. 370.

384. Ob. 5. contra 7. conclus. Si ad remittendum peccatum, quod post baptismum, fisione receptum, commissum est, opus esset pœnitentiæ, sequeretur, quòd eadem

peccata remitterentur directè, & indirectè: hoc est absurdum: ergo. Confirm. In eo casu sacramentum pœnitentiæ operatur prius naturà, quam baptismus: ergo etiam delet peccata ante baptismum commissa, antecedenter ad influxum baptismi: ergo baptismus nihil agit. Resp. 1. om. ma. neg. min. nam hæc est quæstio de nomine, de qua non opus est multum litigare. Resp. 2. neg. ma. Indirectè dicitur aliquid peccatum remitti, quando nulla adest causa directè remissiva illius: atqui peccatorum, ante baptismum commissorum, causa directè remissiva est baptismus: commissorum autem post baptismum causa directè remissiva est pœnitentia: ergo nullum remittitur indirectè. Ad confirm. neg. antec. In eo casu duo hæc sacramenta operantur simul naturà ad remissionem peccatorum.

385. Nec dicas, pœnitentiam amoverè obicem prius naturà, adeoque tollere peccatum; negatur enim, obicem esse ipsum peccatum; quia peccatum non est obex baptismi, nisi quatenus non est remissum, vel quatenus non est affectum debita pœnitentiâ (sive dein ponatur contritio perfecta, sive attritio cum sacramento) unde pœnitentia formaliter tollit obicem, non auferendo peccatum, sed ponendo scipsam: quæ tamen pœnitentia ipsa non est formalis; sed tantum causalis ablatio peccati: adeoque, in illo signo pœnitentiæ posita, nondum est formaliter ablatum peccatum: sed primum istud auferitur in signo posteriori, tum per baptismum, tum per pœnitentiam, tanquam per duas causas, si vis, etiam totales, sed totales tantum in actu primo, non verò in actu secundo.

386. Ob. 6. contra 8. conclus. Peccatum, in ipsa baptismi susceptione commissum, non est peccatum post baptismum: ergo non subjacet clavibus Ecclesiæ; ergo potest id, tanquam obex gratiæ tolli per solam attritionem. Resp. dist. ant. non est peccatum physice post baptismum commissum. conc. antec. non est moraliter post baptismum commissum. neg. antec. & conseq. Iste modus loquendi est frequens, ut, quòd sit eodem instanti cum aliquo alio, præsertim brevissime durante, dicatur, post illud fieri. Sic dicimus communiter, pueros posse peccare post acceptum usum rationis; cum tamen possint peccare in ipso instanti, quo eum usum primò accipiunt: sic pro eodem sæpissime, imò ordinariè sumitur, post ortum solis, & in ipso ortu; quare etiam Concilium Tridentinum *sess. 14 c. 1. 2. & 5.* loquens de peccatis post baptismum commissis, locutum est in hoc sensu morali: & per peccata illa probabilius tantum intellexit peccata jam fidelium, quæ in æstimatione morali censentur commissis post baptismum, etiam ideo; quia non possunt remitti, nisi post baptismum. Censetur etiam homo ita peccans jam moraliter ingressus Ecclesiam ante peccatum, quia ita est ingressus, ut ejus peccatum sit verè peccatum fidelis, neque possit remitti, nisi post ingressum in Ecclesiam

clesiam : ergo hoc peccatum jam subjacet clavibus Ecclesiæ. Neque refert, quod illa intentio peccaminosa fictæ suscipiendi baptismum, quæ potest simul tempore dari cum ipso baptismum, sit, vel esse possit prior naturâ ad baptismum; quia illa prioritas non est attendenda; non enim facit, quo minus illud peccatum sit peccatum Christiani.

387. Ob. ultimò. S. Augustinus *lib. 1. de baptismo contra Donatistas c. 12.* ait: *Solvitur enim hesternus dies, & quidquid supra est: solvitur etiam ipsa hora, momentumque ante baptismum, & in baptismo: deinceps autem reus esse continuo incipit.* Similiter S. Thomas 3. p. q. 69. a. 10. ad 2. ait: *Baptismus aufert culpam, & reatum omnium peccatorum, precedentium baptismum, & etiam simul existentium cum baptismo: ergo peccatum fictionis, seu quodvis commissum in susceptione baptismi, juxta hos sanctos Doctores, tollitur per baptismum.* Resp. neg. conseq. S. Augustinus *ead. c. 12.* prius sic ait: *Sicut enim in illo, qui fictus accesserat, fit, ut non denuo baptizetur, sed ipsa pia correctione, & veraci confessione purgetur, quod non posset sine baptismo, ut, quod ante datum est, tunc valere incipiat ad salutem, cum illa fictio veraci confessione recesserit:* ergo S. Augustinus vult, peccatum fictionis tolli per penitentiam, aut confessionem, scilicet in re, vel in voto.

388. S. Thomas autem loco cit. verbis allatis præmittit hæc alia: *Fictio non re-*

movetur per baptismum, sed per penitentiam subsequentem: per quam probabilius intelligit cum S. Augustino, quem *ibidem* citat, confessionem, vel in re, vel in voto: ergo illa alia eorundem SS. Doctorum verba intelligenda sunt de peccatis, vel ante baptismum, vel in baptismo, sed tamen ante ultimum ejus instans, commissis. Adde, quod, ut rectè advertit Suarez *tom. 3. in 3. p. disp. 28. sec. 5. y. Nihilominus D. Thomas, moraliter vix accedere possit, ut quis in ultimo adhuc instanti actualiter peccet, & non etiam per momentum post baptismum perseveret: quo tamen casu jam certum est, peccatum non posse deleri per baptismum.* Unde hi SS. Doctores non videntur loqui de casu isto, ferè tantum metaphysicè possibili: sed de alio, quando scilicet quis adhuc, incepto baptismum, est in actuali peccato, sed ante eum completum cessat. Claudamus tractatum de sacramentis in genere verbis Angelici 3. p. q. 62. a. 5. in corp. quibus merito ad habendam de sacramentis estimationem maximam excitetur: sic autem ait: *Sacramenta Ecclesia specialiter habent virtutem ex passione Christi; cujus virtus quodam modo nobis copulatur, per susceptionem sacramentorum. In cujus signum, de latere Christi, pendentes in cruce, fluxerunt aqua, &*



TRA-

TRACTATUS THEOLOGICUS.

In Tertiam Partem
D. THOMÆ
DE SS. EVCHARISTIÆ SACRAMENTO.



Ost discussas quaestiones de sacramentis in genere, communiter Theologi nostri, ex more jam recepto, agunt de SS. Evcharistia; tum quia angustia temporis non admittunt, in scholasticis prælectionibus, longiorem aliquem de baptismum, & confirmationem tractatum; tum quia, quod de baptismum hic præmittitur, jam utcunque dictum videtur in tractatu de sacramentis in genere, ubi de institutione, & vi causandi gratiam, ac reverentia sacramentorum omnium, dictum est: itémque omnium materiæ, ac formæ ex Florentino assignatæ à n. 36. Actum etiam in eodem tract. à n. 190. de ministerio sacramentorum, præsertim baptismi.

2. Addendum hic aliquid de tempore instituti baptismi. Hic probabilius institutum fuit ante Dominicam passionem, ut habet communis Theologorum; cum Christus jam ante passionem suam aliquos baptizaverit, sive per se, sive per discipulos suos, ut habetur *Joan. 3. v. 26.* non utique baptismum Joannis, sed suo, ut videtur per se clarum, & apertè traditur à S. Augustino *tract. 13. in Joannem*, ubi sic ait de Christo: *Baptizatus baptizabat: non eo baptismum. baptizabat, quo baptizatus est.* Attamen tunc necdum obligavit præceptum suscipiendi baptismum: sed hoc primùm obligare coepit post Evangelii promulgationem, sive illam, quam Christus resurgens fecit coram Apostolis, dicens *Matth. 28. v. 19. Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos &c.* sive illam solemniorum in die Pentecostes, de qua *Act. 2.* quando S. Petrus, congregatæ ex omni orbe multitudini, & interroganti, quid sibi faciendum sit, dixit. *v. 38. Baptizetur unusquisque vestrum in nomine Jesu Christi in remissionem peccatorum vestrorum.* vide Gormaz de *sacram. baptismum.* à n. 7.

3. Sacramenti confirmationis materia ex eodem Florentino à nobis adducta est in *tract. de sacram. in genere n. 36.* Ad pauca de hoc sacramento. Primò. Sacramentum hoc institutum fuit in nocte cœnæ. ita communis Theologorum; nam, sicut censetur Christus Dominus instituisse sacramentum baptismi, non quando dedit

præceptum eius suscipiendi, post Evangelii promulgationem: sed quando materiam, scilicet aquam, dererminavit, quod factum est ante passionem: sic etiam censendus est, instituisse sacramentum confirmationis, quando ejus materiam, scilicet chrismam, determinavit.

Jam verò hoc probabilissimè factum est, quando Christus Dominus idem chrismam conficere docuit: at qui hoc docuit in nocte cœnæ, ut habetur ex antiquissima traditione, & ex *epist. 2. Fabiani Papa ad omnes orientales Episcopos sub initium:* ubi sic habetur: *In illa enim die Dominus Jesus, postquam cenavit cum discipulis suis, & lavit eorum pedes (sicut à SS. Apostolis prædecessores nostri acceperunt, nobisque reliquerunt) chrismam conficere docuit.* Ec hæc etiam est ratio, cur quot annis in die cœnæ chrismam novum, combusto veteri, ab Episcopis soleat consecrari.

4. Secundò. Oleum, ex quo cum balsamo mixto, fit materia hujus sacramenti, seu chrismam, essentialiter debet esse oleum olivarum, ut communiter docent cum S. Thoma 3. p. q. 72. a. 2. ad 3. quia hoc est oleum simpliciter dictum, ut ait *ibi* Angelicus. An mixtio balsami sit etiam de essentia hujus sacramenti, controversa est inter Theologos, de qua re vide Dicastillo *tr. 3. de confirmat. dub. 3. à n. 26.* & La Croix *l. 6. p. 1. à n. 375.*

Qui affirmant, eam mixtionem esse essentialiter requisitam, fundant se in verbis Florentini, quod in decreto Eugenii de confirmatione dicit: *Materia est chrismam, confectum ex oleo, quod nitorem significat conscientia, & ex balsamo, quod odorem significat bona fama.* Auctores verò oppositi fundant se maximè in *C. Pastoralis. 1. de sacramentis non iterandis*, ubi Innocentius III. de casu, in quo aliquis solo oleo fuerat confirmatus, dicit: *Non est aliquid iterandum: sed caute supplendum, quod incautè fuerat præmissum:* ergo (inferunt) hoc sacramentum in solo oleo fuit validè administratum; aliàs enim debuisset iterari. Saltem mixtio balsami est necessaria necessitate præcepti, & quidem probabilius Divini, ut vult Dicastillo *cit. dub. n. 29.*

Debet insuper materia esse benedicta ab Episcopo, seu debet adesse benedictio Episcopalis, & quidem juxta communem

hæc requiritur essentialiter, ita, ut chrisma ad simplici sacerdote benedictum invalidè adhibeatur, saltem, nisi prius Summus Pontifex tali sacerdoti per dispensationem contulerit potestatem chrisma benedicens: quam tamen potestatem chrisma benedicensi simplici sacerdoti per dispensationem posse conferri negant Conink *de sacram.* q. 72. n. 3. n. 42. & Dicastillo *tract.* 3. *de confirm.* dub. 4. n. 49. Idque etiam Suarez, & Henriquez, probabiliter esse censent. Materia autem proxima est unctio chris-matis in fronte baptizati, ab Episcopo facta in crucis figuram.

Forma confirmationis Græcis usitata est hæc: *Signaculum Spiritus Sancti.* Latinis usitata est ista: *Signo te signo crucis, & confirmo te chrismate salutis, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.* de qua iterum controversitur, an in ea essentialis sit invocatio SS. Trinitatis. Et quidem hanc essentialiter necessariam esse plures apud Dicastillo *tract.* 3. *de confirm.* dub. 7. n. 74. docent, ex eo capite, quod per confirmationem roboretur homo ad fidem profitendam, cujus præcipuum caput est mysterium SS. Trinitatis: cujus proinde mentio in administratione hujus sacramenti merito fiat. Adducunt etiam pro se S. Thomam 3. p. q. 72. n. 4. *in corp.* At verò Angelicum tantum de necessitate præcepti intelligi volunt Illung, & alii, qui censent, eam invocationem tantum esse necessariam necessitate præcepti; eoquod aliàs forma Græcorum deberet dici invalida, quod durissimum est: dicere autem, aliam formam esse essentialiter requisitam pro Græcis, aliam pro Latinis, est asserere aliquid sine fundamento, ut in simili dicemus infra n. 199.

Minister tandem hujus sacramenti ordinarius est Episcopus: & si sacerdos simplex absque licentia, vel commissione Summi Pontificis, hoc sacramentum administraret, probabiliter non tantum illicitè, sed etiam invalidè ageret, ut docet Illung *tract.* 6. *disp.* 3. n. 42. & 44. citans Gonetum, & quinquaginta sex alios, tacitis tamen eorum nominibus. Videtur autem hæc assertio efficaciter probari ex C. *Quant.* 4. *de consuetud.* in quo Innocentius III. ait, quod à simplicibus sacerdotibus *sacramenta... solis Pontificibus reservata, ut est sacramentum confirmationis... inaniter conferantur.* item ex C. *Manus.* *de consecr.* *dist.* 5. in quo Eusebius Papa de hoc sacramento sic loquitur: *Ab aliis perfici non potest, nisi à summis sacerdotibus,* hoc est, Episcopis: & addit: *Si aliter presumpsum fuerit, irritum habeatur, & vacuum: & inter Ecclesiastica nunquam reputabitur sacramenta.* Sed & Clemens VIII. teste Illung *cit.* n. 44. iussit infantes, à presbyteris Græcis confirmatos, sub conditione de novo confirmari.

Dixi: absque licentia, vel commissione Summi Pontificis; nam ex hujus commissione potest etiam simplex sacerdos hoc sacramentum administrare, ut sumitur ex

Concilio Florentino, in decreto Eugenii pro Armenis, ubi ita habetur: *Legimus tamén, aliquando per Apostolica Sedis dispensationem, ex rationabili, & urgente admodum causa, simplicem sacerdotem, chrismate per Episcopum consecuto, hoc administrasse confirmationis sacramentum.* His breviter præmissis ad explicandum SS. Eucharistiæ sacramentum pergimus. itaque sic

DISPUTATIO I.

De Essentia, & Constitutivis SS. Eucharistiæ.

Disputatione hac prima de SS. Eucharistiæ sacramento, agendum nobis potissimum est, de ejus partibus, seu constitutivis, nempe forma, atque materia: & quidem de ista, tam proxima (seu accidentibus Eucharisticis, atque ipso Christo sub istis præsentè) quam remota (seu pane, & vino, ad conficiendum hoc sacramentum requisito) atque inde etiam de Eucharistica conversione: de quibus nempe hoc in tractatu Theologi communiter agere solent. Ex his plura erunt, quæ adhuc salva fide, ac pace Christiana, inter doctores Catholicos in controversiam solent adduci: erunt tamen etiam aliqua, quæ Catholici contra hæreticos firmissimè credimus: quorum tamen explicatio, seu probatio, utilis erit ad hoc, ut pro occasione religio nostra contra adversarios strenuè possit defendi.

QUÆSTIO I.

De Essentia Sanctissime Eucharistiæ. ARTICULUS I.

Quid sit Sacramentum SS. Eucharistiæ: quæ sint ejus partes: & an unum sit, vel multiplex.

5. **D**ico 1. *Eucharistiæ est sacramentum corporis, & sanguinis Christi, sub speciebus panis, & vini, ad spirituales animarum refectionem, divinis institutum.* ita Layman l. 5. tr. 4. c. 1. n. 1. & quoad substantiam omnes Catholici. Prob. definitio hæc est brevis, & clara, discernitque hoc sacramentum ob omnibus aliis: habet etiam suum genus proximum, nempe *sacramentum*, cui tanquam differentia junguntur reliqui termini: ergo est bona bonitate Theologica, licet fortè non omnes minutias logicas observet. Dicitur autem *corporis, & sanguinis Christi*; quia ista in hoc sacramento Eucharistiæ sunt præsentia, ut paulò post probabimus. Dicitur *sub speciebus panis, & vini*; quia per has corpus, & sanguis Christi, sensibilia redduntur, sine qua sensibilitate non essent signum sensibile, consequenter neque sacramentum. Dicitur *ad spirituales animarum refectionem institutum*: per quæ verba explicatur 1. institutum, non ad per se dandum, sed ad

per se nutriendam, vitam animæ. 2. quod ejus finis sit resectio spiritualis animarum, conferendo eis gratiam per modum convivii.

6. Dico 2. Corpus, & sanguis Christi Domini, sunt partes intrinsecæ hujus sacramenti. ita Bellarminus, Suarez, Vasquez, Lessius, Lugo, Præpositus, Conink, Layman, l. 5. tr. 4. c. 1. n. 1. ubi plures alios citat, & communissimè nostri, contra plures Scotistas, & plures etiam Thomistas, qui hoc sacramentum constituunt in solis speciebus, ita, ut Christus non sit pars sacramenti, sed tantum realiter addit in sacramento. Prob. conclus. Primò. Scripturæ, SS. Patres, & doctores, passim dicunt, hoc sacramentum esse cibum, & potum spirituales: sed hoc non convenit speciebus, quæ quidem significant cibum, & potum, non tamen sunt proprie ipse cibus, & potus; Christus enim ait *Joan.* 6. v. 56. *Caro enim mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus*: ergo. Secundò. SS. Patres vocant hoc sacramentum corpus, & sanguinem Christi: dicunt, panem mutari in corpus Christi &c. hæc autem verba, tam clara, & toties repetita, non debent ad sensum tropicum detorqueri, absque gravi ratione, qualem adversarii non afferunt: ergo.

7. Tertiò. Sacramentum SS. Eucharistiæ ipsum propter se adoratur, juxta hymnum Ecclesiæ: *Tantum ergo sacramentum veneremur cernui*: quod etiam docet Tridentinum *sess.* 13. c. 5. sed species propter se non adorantur: ergo hoc sacramentum etiam involvit corpus Christi. Quodsi dicas, non solas species, sed species ut connotantes corpus Christi, esse sacramentum: contra est. Vel hæc denominatio, *species ut connotantes corpus Christi*, involvit aliam novam partem, vel non: si primum, habetur intentum; nam involvet corpus Christi, vel, si involvat aliquid aliud, iterum sacramentum hoc non poterit propter se adorari: si secundum, dabitur nova denominatio sine nova parte, quod impossibile esse, satis clarè ostenditur jam in logica. Quartò. Juxta omnes sacerdotes conficit hoc sacramentum, ex præjacente materia: sed non conficit species: ergo istæ solæ non sunt hoc sacramentum: sed datur adhuc alia pars, scilicet corpus, & sanguis Christi, quæ ut præsentia, vel quorum præsentiam, sacerdos conficit: ergo.

8. Dico 3. Species panis, & vini, sunt etiam pars constitutiva hujus sacramenti. ita communissima. Prob. Sacramentum hoc est signum visibile gratiæ: sed tale non est ratione corporis, & sanguinis Christi, quæ non sunt immediatè in se sensibilia, in Eucharistiæ: ergo debet dari aliud constitutum, nempe species, quæ immediatè in se sint sensibiles, & reddant sacramentum sensibile. Secundò. Ipse panis, & vinum, destruuntur in consecratione, & sunt tantum materia remota hujus sacramenti: species autem panis, & vini, ut communiter docetur, sunt materia proxima (nam alia, eaque sensibilibus, qualis ad sacramentum requiritur, non est assignabilis; Christus

enim non est sensibilis, & non datur aliqua actio circa panem, aut vinum, ut in baptismo datur ablutio circa aquam, vel in confirmatione unctio circa chrisma) sed materia proxima est pars constitutiva sacramenti: ergo.

Tertiò. Tridentinum *sess.* 13. c. 1. docet, in almo sancta Eucharistiæ sacramentum Dominum nostrum Iesum Christum... verè, realiter, ac substantialiter, sub specie illarum rerum sensibilibus contineri: adeoque etiam ejus corpus, & sanguinem: atqui nihil continetur in seipso, sed in alio, saltem inadæquatè distincto; sicut scilicet pars dicitur contineri in toto: ergo etiam hoc sacramentum est inadæquatè distinctum à corpore, & sanguine Christi: adeoque etiam tanquam partem involvit species sacramentales. Neque reponas, posse dici, hoc sacramentum involvere verba consecrationis; non enim dicit Concilium, in his verbis contineri corpus Christi, sed *sub specie illarum rerum sensibilibus*: neque sacramentum hoc tantum est sensibile transeunter, per verba transeuntia, sed est sensibile permanentè, per species permanentes.

9. Quartò. Apostolus 1. Cor. 10. v. 16. de SS. Eucharistiæ ait: *Panis, quem frangimus, nonne participatio corporis Domini est? & Actor.* 2. v. 42. dicitur: *Erant autem perseverantes in doctrina Apostolorum, & communicatione fractionis panis* item Ecclesia canit in suo hymno: *Fracto demum sacramento &c.* ergo hoc sacramentum frangitur: atqui non frangitur corpus Christi in se, neque verba formæ: sed solæ species: ergo, ut possit dici, hoc sacramentum frangi, debent species id constituisse.

Quintò. Innocentius III. *Cap. Cum Marthæ.* 6. *de celebrat. Missarum.* ait: *Distinctum est tamen subtiliter inter tria, quæ sunt in hoc sacramento discreta, scilicet, formam visibilem, veritatem corporis, & virtutem spiritualem*: hoc est, inter species, & corpus Christi, ac gratiam sanctificantem: & addit: *Primum est sacramentum, & non res. Secundum est sacramentum, & res. Tertium est res, & non sacramentum.* Primum dicit, Pontifex, essetantum sacramentum; quia purè significat, scilicet gratiam. Alterum dicit, esse sacramentum, & rem; quia significat, nempe gratiam, & significatur per verba, & species. Tertium ait, esse rem tantum; quia tantum significatur. Jam sic. Communiter auctores dicunt, illud, quod in hac terminorum acceptione vocatur sacramentum, esse de constitutivo sacramenti; quia vel est totum signum sensibile, vel pars illius: ergo species sunt constitutum sacramenti Eucharistiæ. Sextò tandem. Corpus Christi sæpe est in aliquo loco, ubi non est sacramentum, e. g. in cælo: ergo ipsum solum non est totum sacramentum. Si velles dicere, corpus Christi debere connotare species, ut sit sacramentum, jam hanc responsionem refutavimus n. 7.

10. Quare hujus sacramenti partes sunt tam species, quam corpus Christi: & quidem corpus Christi, non nudè acceptum, sed

sed ut præfens sub speciebus; licet enim darentur hic species, & alibi corpus Christi, non daretur sacramentum: adeoque etiam præsentia, seu connexio corporis Christi cum speciebus (in quocumque tandem hæc consistat) est pars constitutiva hujus sacramenti. Præter hæc sacramentum istud constituit forma consecrationis (de qua re jam egimus in tract. de sacram. in genere n. 50.) item institutio Christi, de qua etiam egimus in tract. de sacram. in genere n. 42.

Panis verò, & vinum, seu materia remota Evcharistiæ, probabilibus non est pars Evcharistiæ in factò esse; sed ad summum inferi, ut loquuntur philosophi; cum enim destruantur panis, & vinum, in conversione Evcharistica, non possunt constituere SS. Evcharistiam: sicut forma ligni non constituit ignem, in quem convertitur. vide etiam tr. de sacram. in genere n. 39. Sed neque sumptio, seu usus Evcharistiæ est pars sacramenti, ut habet S. Thomas 3. p. q. 73. a. 1. ad 3. dicens: *Sacramentum Evcharistiæ perficitur in ipsa consecratione materia: alia verò sacramenta perficiuntur, in applicatione materia ad hominem sanctificandum*: ergo non, ut aliorum sacramentorum, ita etiam Evcharistiæ, pars est usus, seu applicatio materiæ, vel sacramenti. Et sanè juxta communem sensum Ecclesiæ hoc sacramentum perficitur ante usum: & sumptio est tantum applicatio ejusdem, ut causet gratiam.

11. Dico 4. Evcharistia est unum specie sacramentum, integrum, & completum. ita S. Thomas 3. p. q. 73. a. 2. in corp. ajens: *Hoc sacramentum multa quidem est materialiter, sed unum formaliter, & perfective*. & consentit communis doctorum. Probatur primò ratione Angelici. Sacramentum hoc est institutum, ut sit spirituale convivium, quod corporali assimilatur: ad corporale autem convivium, ut integrum sit, requiritur cibus, & potus: ergo etiam ad unum integrum spirituale convivium requiritur cibus, & potus: ergo hoc sacramentum est tantum unum formaliter, continens Christum sub specie cibi, & potus. Secundò, ut fides docet, sunt tantum septem sacramenta: ergo Evcharistia est tantum unum; alias forent plura: & hinc Catechismus Romanus tit. De Evcharistia sacramento. sic ait: *Licet autem duo sint elementa, panis scilicet, & vinum, ex quibus integrum Evcharistia sacramentum conficitur: non tamen plura sacramenta sed unum tantum esse, Ecclesiæ auctoritate docti, confitemur; aliter enim septenarius sacramentorum numerus, quemadmodum semper traditum, atque à Conciliis, Lateranensi, Florentino, & Tridentino, decretum est, constare non poterit.*

12. Quod autem attinet ad multiplicationem numericam, quæstio est, ut rectè advertit Suarez, de modo loquendi: & potest hoc sacramentum dici, unum, vel multiplex, prout vox Evcharistia à diversis accipitur. Qui dicunt, importari in recto so-

lum corpus Christi, dicunt, esse unum numero sacramentum; quippe concreta accidentalia multiplicanter multiplicato recto, & alias non. Et hi auctores afferunt quidem pro se aliquas auctoritates: at tamen iis alii non malè respondent, dicendo, illis exprimitantùm, quod præcipuum est in Evcharistia.

Qui verò dicunt, etiam species venire in recto, afferunt, esse plura, saltem inadaquate distincta sacramenta: quod à fortiori dicunt illi, qui cum Valquo docent, solas species venire in recto: & hi afferunt pro se textum C. Tribus gradibus. 23. dist. 2. de consecrat. ubi Clemens Papa sic loquitur: *Tanta in altario certè holocausta offerantur, quanta populo sufficere debeant. Quodsi remanserint, in crastinum non reserventur: sed cum timore, & tremore, Clericorum diligentia consumantur*: ex quo inferunt, hostias consecratas vocari holocausta plura, adeoque esse plura sacramenta.

13. Notant tamen hi authores, non sufficere, ad multiplicationem etiam tantum numericam hujus sacramenti, si species tantum sint physicè multiplicatæ: sed ajunt, debere eas esse etiam moraliter multiplicatas, seu esse discontinuas: imò Haunoldus l. 4. tract. 3. c. 2. n. 780. non sufficit discontinuatio tantum physica, quando e. g. sacerdos hostiam in tres partes dividit, vel plures particulas residuas sumit; sicut enim (ait hic auctor) qui plures bolos ejusdem cibi sumit, non dicitur sumere plures cibos, sic, moraliter loquendo, non dicitur talis sacerdos sumere plura sacramenta.

Itaque ad talem multiplicationem sacramentorum, juxta hunc authorem, requiruntur sumptiones moraliter plures: quales non sunt, si sacerdos continuatis vicibus sumit plures successivè particulas. Unde juxta istum modum loquendi multiplicitas numerica Evcharistiæ desumitur, inprimis à speciebus physicè distinctis, & discontinuis: dein à sumptionibus moraliter pluribus; quare, si eadem species replicatæ sumerentur à duobus: vel si essent species, physicè quidem distinctæ, sed tamen continuæ: vel si sumerentur una moraliter sumptione, non censeretur, dari plura sacramenta. videatur Suarez tom. 3. in 3. p. disp. 39. sec. 4. & Haunoldus l. 4. tr. 3. c. 2. contro. 1. & 2.

ARTICULUS II.

Solvuntur Objectiones.

14. **O**B. 1. contra 2. conclus. Corpus Christi Domini non significatur, sed significatur: neque est sensibile: neque etiam est materia, aut forma: ergo non constituit sacramentum Evcharistiæ. Confirm. 1. C. Ego Berengarius. 42. dist. 2. de consecrat. dicitur: *Post consecrationem non solum sacramentum: sed etiam verum corpus, & sanguinem Domini nostri Jesu Christi esse*: ergo

Quid sit Sacramentum SS. Evcharistiæ. quæ sint ejus partes: & an unum sit, &c. 103
 go sacramentum distinguitur à corpore Christi. Confirm. 2. C. Cum Martha. 6. de celebrat. Missarum. dicitur, corpus Christi esse sacramentum simul, & res sacramenti: sed, quod est sacramentum simul, & res sacramenti, non constituit sacramentum, ut patet in caractere, qui etiam est res, & sacramentum simul: ergo.

Resp. neg. antec. corpus enim Christi significatur quidem per formam, sed etiam significat gratiam: dein non est quidem immediatè, sed tamen mediatè sensibile: neque plus requiritur, ut diximus tr. de sacramentis in genere. n. 8. Tandem corpus Christi potest reduci ad materiam, præsertim, si comparatur cum institutione Christi, tanquam cum forma ex tract. de sacram. in genere n. 43.

15. Ad 1. confirm. dist. consequ. sacramentum distinguitur à corpore Christi adæquate. neg. consequ. inadæquate, sicut pars à toto. conc. consequ. quòd autem in cit. C. Ego Berengarius. species videantur dici sacramentum, licet sint tantum ejus pars, inde est, quòd aliquando parti tribuatur denominatio totius, præsertim, si pars illa sumatur tanquam rectum denominationis, uti saltem aliquando videntur species sumi. Et juxta hæc explicandus etiam est modus loquendi, quo dicitur, in sacramento Evcharistiæ esse, vel contineri corpus, & sanguinem Christi Domini. Ad 2. confirm. dist. min. quòd est sacramentum, & simul res sacramenti, aliquando non constituit sacramentum. com. mi. semper non constituit. neg. min. & conf. Quando autem constituat, quando non constituat, est ex aliis principiis desumendum. Certè character non est pars, e. g. lavacri spiritualis, quæ est essentia baptismi, adeoque hunc non constituit: at verò corpus Christi est cibus spiritualis animæ, quæ est essentia Evcharistiæ.

16. Ob. 2. contra 3. conclus. SS. Patres dicunt, hoc sacramentum esse corpus, & sanguinem Christi: & solum corpus, ac sanguis, sunt cibus, & potus spiritualis: ergo solum corpus, & sanguis Christi, sunt sacramentum. Confirm. 1. Species non causant gratiam: ergo non sunt pars sacramenti. Confirm. 2. Quòd est sacramentum simul, & res sacramenti, non est pars sacramenti: ergo neque, quòd est sacramentum tantum: sed species sunt sacramentum tantum: ergo. Confirm. 3. Si vocula tantum ita rigorosè attenditur, ut propterea species sint pars Evcharistiæ; quia sunt tantum sacramentum, deberent species solæ esse sacramentum: hoc est contra nos: ergo.

Resp. neg. consequ. SS. Patres, quando ita loquuntur, loquuntur de sacramento denominativè sumpto, quatenus dicit in recto corpus Christi; nam (quod bene notandum) SS. Patres aliquando loquuntur de hoc sacramento ita, ut in recto veniat corpus Christi: aliquando, ut in recto veniant species, ut patet ex diversis modis loquendi. Quando Evcharistia vocatur

convivium, cibus, potus &c. species nec partialiter constituunt rectum harum denominationum: idemque est, si hoc sacramentum vocetur corpus, caro, & sanguis Christi: quando autem dicitur, in hoc sacramento contineri corpus Christi: vel hoc sacramentum frangi, &c. tunc in recto veniunt species.

17. Ad 1. confirm. Resp. neg. antec. quia, cum species sint materia proxima sacramenti, probabilibus sunt elevatæ ad causandam gratiam, sicut ablutio in baptismo, & unctio in confirmatione. Alii fortè, qui admittunt, morbum periculosum esse partem sacramenti extremæ unctiois, respondent. om. ant. neg. consequ. de quo vide tr. de sacram. in genere n. 98. Ad 2. confirm. neg. ant. Corpus Christi est juxta illum modum loquendi sacramentum, & res sacramenti, & simul pars. Dein om. etiam ant. neg. conf. ob. communem auctoritatem, ut dictum n. 9. Ad 3. confirm. neg. ma. aliud enim est, si dico: *Species sunt tantum sacramentum*: aliud: *Tantum species sunt sacramentum*: sicut aliud est, si dico: *Tantum Petrus est Grammaticus*: aliud: *Petrus est tantum Grammaticus*; mutaretur enim appellatio, si una propositio acciperetur in eodem sensu, ac altera: sed hæc spectant ad summulas.

18. Ob. 3. contra dicta n. 10. Si sacramentum Evcharistiæ constituitur per formam consecrationis, non est sacramentum permanens: hoc est falsum: ergo. prob. ma. si potest hoc sacramentum dici permanens, vel manere, licet non maneat verba, quamvis ista sint pars hujus sacramenti, poterit etiam dici, manere idem sacramentum, licet non maneat corpus Christi, vel species: atqui hoc dici non potest: ergo. Confirm. Si panis absque consecratione converteretur in corpus Christi, esset verum sacramentum Evcharistiæ: ergo forma consecrationis, seu verba, non sunt ejus pars.

Resp. neg. ma. ad prob. iterum neg. ma. nam, sicut manente ramo, quamvis non manente physicè institutione, manet signum vini vendibilis: non verò manet hoc signum, remoto ramo, & manente, vel renovata sola institutione: ita manente corpore Christi, & non manentibus verbis consecrationis, manet Evcharistia: non autem vicissim. Debet igitur inspicere natura denominationis, & quid per illam intelligatur: atqui non intelligitur ab ullo, per denominationem hanc Evcharistia sola forma, sed corpus, & sanguis Christi Domini sub speciebus: ergo. Ad confirm. dist. antec. si panis absque consecratione converteretur in corpus Christi, esset verum sacramentum, sed diversæ speciei à hoc nostro. om. antec. esset ejusdem speciei. neg. antec. & consequ.

19. Ob. 4. Evcharistia ante usum se habet, sicut oleum respectu extremæ unctiois: ergo, sicut ista constituitur per unctioem, ita illa constituitur per usum. Confirm. 1. Saltem sumptio se habet in sacramento Evcharistiæ, sicut satisfactio in sacramento penitentia: ergo est saltem pars integralis. Con-

Confirm. 2. Sumptio, ut dictum n. 13. est ratio, quare sacramentum Evcharistiæ sit numero unum, vel multiplex: ergo est pars sacramenti. Resp. neg. antec. Nemo dicit, oleum ante unctionem esse sacramentum: dicitur autem Eucharistia sacramentum jam ante sumptionem: item oleum non est materia proxima extremæ unctionis: est autem corpus Christi materia proxima Evcharistiæ.

Neque etiam sumptio Evcharistiæ se habet, sicut unctio olei; hæc enim est materia proxima extremæ unctionis, & verè actio Christi, substatque formæ sacramentali, atque per hanc significatur: non ita significatur sumptio per formam consecrationis, nec est materia proxima Evcharistiæ: sed est tantum applicatio hujus, requisita ad causationem gratiæ: quin ipsa sit causans gratiam ex opere operato. Ad 1. confirm. neg. ant. Satisfactio est materia proxima poenitentæ, & dicitur à Tridentino pars: non ita sumptio Evcharistiæ. Alii dicunt, satisfactionem significari per formam, quatenus ista significat remissionem peccatorum, obtinendam per satisfactionem: dum econtra per formam Evcharistiæ nullo modo significatur sumptio eiusdem.

20. Ad 2. confirm. dist. conseq. ergo sumptio est pars sacramenti Evcharistiæ ut sic, seu specificè sumpti. neg. conseq. est pars sacramenti, ut in genere morali individualiter multiplicati. conc. conseq. Sumptio, seu usus Evcharistiæ, in ordine ad multiplicationem numericam hujus sacramenti, se habet, sicut divisio rami in ordine ad multiplicationem signorum: si ramus totus pendeat ex una domo, erit unum signum vini vendibilis: si dividatur in partes, & istæ pluribus domibus appendantur, erunt plura signa. Nec tamen ideo divisio, vel conjunctio rami, est pars constitutiva signi, vini vendibilis: sed ad summum est pars signi, ut moraliter unius, vel moraliter multiplicis, vel signi materialiter tam magni, vel tam parvi. Pariter sumptio non est pars sacramenti Evcharistiæ ut sic: sed ad summum est pars sacramenti ut moraliter multiplicis, & quidem, si ut tale sumatur quidditative, non verò, si sumatur denominative: sicut etiam continuatio, vel divisio specierum Evcharisticarum, est tantum pars sacramenti, ut tam magni, vel tam parvi, scilicet materialiter pro quantitate specierum.

21. Licet autem unitas, vel multiplicitas physica, sit prædicatum realiter intrinsecum rei specificativè acceptæ, non tamen necessariò est prædicatum intrinsecum rei specificativè acceptæ: etiam unitas, vel multiplicitas tantum moralis: atque ideo sumptio Evcharistiæ non debet esse intrinseca sacramento Evcharistiæ ut sic, seu specificativè accepto: sed tantum debet esse intrinseca illi reduplicativè accepto, scilicet ut moraliter multiplici. Imò sumptio non est pars sacramenti Evcharistiæ ut moraliter unius; quia jam est unum moraliter sacramentum, antecedenter

ad omnem usum, sive est à nullo sumatur.

Nec dicas. Si multiplex sumptio facit sacramentum multiplex, una sumptio facit unum; negatur enim illatum; nam licet ad denominandum sacramentum Evcharistiæ multiplex, requiratur sumptio multiplex, tamen ad id denominandum unum nulla requiritur sumptio: sed requiritur tantum forma opposita, seu negatio multiplicis sumptionis, quæ etiam datur tunc, quando nulla datur sumptio. Quamvis autem una sumptione existente etiam detur tantum unum sacramentum, non tamen denominatur sacramentum illud unum ab ea una sumptione, sed à negatione multiplicis sumptionis.

22. Ob. 5. contra 4. conclus. Si Evcharistia esset tantum unum specie sacramentum, tunc laici, sub una tantum specie communicantes, non sumerent totum sacramentum: hoc dici non potest: ergo, prob. mi. Tridentinum *sess. 21. c. 3.* docet, sub una specie sumi verum sacramentum: ergo. Confirm. 1. Ecclesia in *Missæ Dom. 1. Quædrag.* ita orat: *Purificet nos, quasumus Domine, sacramenta, quæ sumpsimus:* ergo sunt plura. Confirm. 2. Dantur duæ diversæ materiæ, & formæ: ergo dantur etiam duo sacramenta. Confirm. 3. Evcharistia, ut contenta sub speciebus panis, differt ab Evcharistia ut contenta sub speciebus vini: ergo.

Confirm. 4. Denominatio totius non competit parti: ergo, si species sunt tantum pars sacramenti Evcharistiæ, non potest ipsis, e.g. hostiis consecratis in pyxide, competere denominatio sacramenti: atqui competit, & tribuitur ipsis communissimè: ergo species, seu hostiæ consecratæ, non sunt tantum pars sacramenti, sed totum sacramentum: ergo pro multiplicatione specierum multiplicatur hoc sacramentum. Confirm. 5. Potest dici, quòd SS. Patres, & Concilia, non loquantur de specie infima sacramentorum, sed tantum de subalterna: ergo potest dici, dari plura sacramenta Evcharistiæ in specie infima.

23. Resp. dist. ma. si Evcharistia esset tantum unum sacramentum, tunc laici non sumerent totum sacramentum, quoad rem contentam, scilicet quoad Christum, & sufficientem vim causandi gratiam per modum refectionis spiritualis, neg. ma. non sumerent totum sacramentum quoad continens, seu quoad species, & quoad completam significationem refectionis integræ, per modum convivii. conc. ma. & dist. sic mi. neg. conseq. ad prob. conc. totum. quia nil probat contra nos. Christus sub unica etiam specie est, & potest dici, verum sacramentum, ut patet magis ex dicendis n. 25.

Sumunt ergo laici totum Christi Domini corpus, tanquam cibum spirituales, & realiter etiam sanguinem corpori junctum, qui est potus: quamvis non sumant sanguinem sub speciebus vini (quæ significant eundem sanguinem, per modum potus) adeoque non sumant totum id, per quod significatur integrum convivium, ad

Quid sit Sacramentum SS. Evcharistiæ, quæ sint ejus partes: & an unum sit, &c. 105

quod requiritur cibus & potus. Quamvis autem laici non sumant corpus, & sanguinem Christi sub duabus speciebus, & sumunt tamen corpus, & sanguinem Christi, sub iis speciebus, per quas significatur resectio spiritualis; nam resectio simplex non exigit cibum, & potum: sed potest fieri per utrumque seorsim, adeoque etiam potest per utramque seorsim speciem significari. Per hanc sumptionem corporis, & sanguinis Christi, sub una specie, confertur etiam laicis gratia sacramentalis: de qua re tamen plura infra, quando de communione sub utraque specie.

24. Ad 1. confirmation. dist. conseq. sunt sacramenta plura specie. neg. conseq. sunt plura individualiter. conc. conseq. quia, præsertim antiquis temporibus, ordinariè plures communicabant: quod etiam indicant verba ibidem addita: *quæ sumpsimus.* Ad 2. confirm. dist. ant. dantur duæ diversæ materiæ, & formæ, quæ tamen ordinantur, ad complendam unam integram significationem. conc. antec. quæ non ita ordinantur. neg. antec. & conseq. Sic etiam in sacramento ordinis, & extremæ unctionis, sunt plures materiæ, & formæ: quia tamen ordinantur ad unam completam significationem, est tantum unum sacramentum ordinis, & unum extremæ unctionis; hinc etiam illæ materiæ, & formæ, vocantur partiales. Ad 3. confirm. dist. antec. Evcharistia sub specie panis differt ab Evcharistia sub specie vini, sicut una pars differt ab altera. om. antec. sicut totum differt à toto. neg. antec. & conseq. nam neutra species habet seorsim significationem completam gratiæ, in ea ratione, in qua ex sua institutione illam significat, scilicet in ratione convivii.

25. Ad 4. confirm. neg. antec. Licet denominatio totius non tribuatur semper partibus, tribuitur tamen ijs valde sæpe: sic, si amphoram vini divides in plures cyathos, in quolibet dicitur esse vinum: si ramus major dividatur in minores, quilibet dicitur ramus: item si idem convivium, constitutum ex triginta cibus, dividatur, ita, ut e. g. hodie inferantur quindecim, & cras reliqui quindecim cibi, erunt duo convivia: ergo etiam, si dividatur sacramentum Evcharisticum, & sumatur tantum una pars, seu una species, poterit tamen dici, sumi sacramentum. Hinc, si quis sumeret solam sacram hostiam, & alius solum sacrum sanguinem, duo sacramenta reciperent.

26. Ad 5. confirm. neg. ant. Si SS. Patres, & Concilia, dum asserunt, aliquid esse unum sacramentum, non loquerentur de specie moraliter infima, sed tantum de subalterna, seu generica non suprema, potuissent aequè dicere, dari duo, vel tria sacramenta, quàm dicere dari septem; nam facile posset inveniri talis ratio specifica subalterna, quæ tantum completeretur duas species, e. g. unam speciem sacramenti vivorum, alteram sacramenti mortuorum: unam sacramenti iterabilis, alteram sacra-

R. P. Ant. Mayr. Theol. Tom. II.

menti non iterabilis: vel, ut assignarentur tria sacramenta, posset dici, dari unum sacramentum sub præcepto absolutè, alterum sub præcepto conditionatè, tertium sub nullo præcepto. Et sic possent alia rationes genericæ inveniri pro assignandis sacramentis quatuor, vel quinque: adeoque non esset certus numerus sacramentorum, contra Tridentinum, & Florentinum. Pariter etiam possent assignari sacramenta plura, quàm septem, dividendo e. g. baptismum in plures species infimas: & sic de alijs.

ARTICULUS III.

An, & Quomodo Christus Dominus sit realiter præsens in SS. Evcharistia.

27. **P**Ræcedentibus articulis suppositum, Christum Dominum, in SS. Evcharistiæ sacramento, verè realiter esse præsentem, quod modo probandum est. Præmitto autem doctrinam Concilii Tridentini, quod de hoc mysterio ex professo agit *sessio 13. & ibi can. 1.* sic definit: *Si quis negaverit, in sanctissima Evcharistia sacramento, contineri verè, realiter, & substantialiter, corpus, & sanguinem, unam cum anima, & Divinitate, Domini nostri Jesu Christi, ac proinac totum Christum: sed dixerit, tantummodo esse in eo, ut in signo, vel figura, aut virtute; anathema sit. & canone 2. Si quis dixerit, in sacramento Evcharistiæ sacramento remanere substantiam panis, & vini, unam cum corpore, & sanguine, Domini nostri Jesu Christi, negaveritque mirabilem illam, & singularem conversionem, totius substantiæ panis in corpus, & totius substantiæ vini in sanguinem, manentibus dumtaxat speciebus panis, & vini, quam quidem conversionem Catholica Ecclesia aptissime transubstantiationem appellat; anathema sit.*

28. Rursus *can. 3. Si quis negaverit, in venerabili sacramento Evcharistiæ, sub unaquaque specie, & sub singulis cujusque speciei partibus, separatione facta, totum Christum contineri; anathema sit. & can. 4. Si quis dixerit, peracta consecratione, in admirabili Evcharistiæ sacramento non esse corpus, & sanguinem, Domini nostri Jesu Christi, sed tantum in usu, dum sumitur, non autem ante, vel post, & in hostiis, seu particulis consecratis, quæ post communionem reservantur, vel supersunt, non remanere verum corpus Domini; anathema sit.* Qui canones statuti sunt contra tres potissimum hæreses: ex quibus

29. Prima est dicentium, in Evcharistia non adesse, verè, & realiter, corpus, & sanguinem Domini nostri. ita post Berengarium, Archidiaconum Andegavensem, Zvinglium, Oecolampadium, Carlostadium, dicti *Sacramentarii*; qui insuper asseruerunt, non verè, & realiter, manducari corpus, vel bibi sanguinem Domini, sed tantum spiritualiter per fidem. Ad hos proxime accedit Calvinus, qui etiam negat præ-

ten-

sentiam realem Christi Domini in Evcharistia; quamvis interim velit, in eadem Evcharistia realiter manducari substantiam corporis Domini: quam manducationem realem, tamen ait, non esse aliud, quam opinionem aliquam vivificam in animis hominum credentium, quæ producta sit ab aliqua virtute, inseparabiliter inhaerente corpori, & sanguini Domini. Quasi verò receptio alicujus effectus, à causa producti, dici possit manducatio causæ.

30. Secunda hæresis est eorum, qui dicunt, Christum Dominum esse tantum præsentem in usu Evcharistia, non verò post usum, adeoque non amplius esse in hostiis consecratis, ac in tabernaculo conservatis. ita Lutherus, Bucerus, Brentius, Melancton, Kemnitius, & Lutherani hodie communiùs. Tertia hæresis est docentium, Christum quidem adesse in Evcharistia, sed simul cum pane, & vino: adeoque hi negant transubstantiationem, à Tridentino definitam. ita Lutherani hodie communiùs.

31. Lutherus quidem initio tantum negavit, transubstantiationem esse articulum fidei: at postea docuit, Christum posse dici esse in pane; quia est ubique, etiam quoad corpus: quem errorem Ubiquitatis dein amplexi sunt Brentius, Illyricus, Schmidelinus, Kemnitius, & Lutherani complures: atque adeo admittunt, corpus Christi etiam esse in pane. Vocantur autem isti *Impanatores*; quia Christum cum pane simul conjungunt. Hi sunt errores magis communes circa SS. Evcharistiam, præter quos tamen dantur adhuc aliqui particulares, quos debellandos relinquimus Theologis Polemicis; quia omnes hinc prosequi, nimis longum foret, & cum novæ semper hæreses succedant prioribus, ob auctorem, vel sectatorum inconstantiam, esset ferme impossibile, omnes referre. videri potest Bellarminus *tom. 3. contr. general. 3. l. 1. c. 1. & l. 3. c. 11. ac l. 4. c. 1.*

32. Dico I. In Evcharistia verè, realiter, & substantialiter, continetur corpus, & sanguis Christi Domini. ita Catholici cum Tridentino supra citato n. 27. Prob. Christus Dominus ipsemet de Evcharistia dicit *Matth. 26. v. 26. Hoc est corpus meum. & v. 28. Hic est enim sanguis meus novi testamenti*: quæ eadem verba habentur *Marci 14. v. 22. & 24. At Luc. 22. v. 20. discrimine purè accidentali circa calicem habentur ista: Hic est calix novum testamentum in sanguine meo. & S. Paulus 1. Cor. 11. v. 25. sic habet: Hic calix novum testamentum est in meo sanguine.*

Hæc verba (tam inter se similia, & toties repetita, ita, ut vix ullum aliud mysterium toties, & tam similibus verbis in sacris literis contineatur) si in sensu literali, ac proprio accipiantur, veram, realem, & substantialem, præsentiam corporis, ac sanguinis Christi aperte adstruunt: atqui debent hæc verba in sensu literali, ac proprio accipi: ergo. ma. non potest negari, nisi aut à præfractæ audaciæ homine, aut à

linguæ Latine ignaro: & hinc ipsi adversarij non negant eam propositionem majorem conditionatam: sed negant minorem absolutam, quam tamen efficacissimè Catholici probant, & nos cum ipsis.

33. Probatur itaque minor. Primò. Christus, quando ea verba locutus est, condidit testamentum, in quo solent adhiberi clarissimi termini in sensu literali: ergo etiam Christus ea verba adhibuit in sensu literali, & obvio, sine omni translatione, aut occulta significatione. Certè, si alicui testamento legaretur domus his verbis: *Hæc domus sit tua*: nemo intelligeret, quòd tantum ejus esse debeat aliquod signum domus: vel quòd tantum figura domus ad eum vi testamenti pertineat. Secundò. Christus hæc verba dixit, quando discipuli de illo testati sunt *Joan. 16. v. 29. Ecce nunc palam loqueris, & proverbium nullum dicis*: ergo locutus est in sensu literali, & obvio. Tertiò. Christus Dominus illis verbis nullam addidit explicationem, quam tamen solitus est adhibere, quando metaphorice loquebatur, præsertim, quando ex aliis circumstantiis metaphora non poterat colligi. Sic, quando dixit *Joan. 2. v. 19. Solvite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud*: statim *v. 21. additur explicatio: Ille autem dicebat de templo corporis sui. Et, si unquam, certè hic opus fuisset explicatione, ne daretur occasio idololatriæ, circa Evcharistiam committendæ.*

34. Quartò. Si hæc verba non sunt accipienda ad literam, cur S. Paulus adeò sollicitè hortatus est fideles *1. Cor. 11. v. 28. ut ante manducationem Evcharistia se probarent?* Certè, ut tantum quis manducet corpus Christi per fidem, & memoriam, non indiget tanta probatione; hoc enim etiam fit legendo Sacram Scripturam, vel osculando pedes Crucifixi; nemo autem Zvinglianorum præscribit suis tam exactum examen, & penitentiam de peccatis, si tantum velit legere Sacram Scripturam.

Adde, quòd Apostolus præmittit *ibidem v. 27. Quicumque manducaverit panem hunc, vel biberit calicem Domini indignè, reus erit corporis, & sanguinis Domini*: hoc est idem, ac: *Reus erit læsæ majestatis Divinae*: non autem est reus læsæ majestatis, qui imaginem tantum regis temerè, & inofficiosè atrectat, nisi id faciat ex intentione regem contemnendi: ergo, si in Evcharistia non adesset verè corpus Domini, sed tantum ejus figura, tunc, qui accederet cum peccato gravi, non tamen ex contemptu, non esset reus corporis, & sanguinis Domini: quod est contra Apostolum.

35. Quintò. Hæc verba à primordio nascentis Ecclesiæ semper accepta sunt in sensu literali, ab omnibus Conciliis, & Patribus: & cum sæculo undecimo Berengarius, Archidiaconus Andegavensis, aliquid circa præsentiam realem corporis Domini in Evcharistia innovasset, statim à Concilio Romano (quod habitum est circa ann. 1060. sub Ni-

An & Quomodo Christus Dominus sit realiter præsens in SS. Evcharistia. 107
colao II.) hæresin suam abjurare coactus est: ejusque confessio, vel abjuratio exhibetur in decreto Gratiani. de consecrat. dist. 2. c. 42.

Nimis longum foret, cuncta Concilia, & Patres, eorumque catecheses adducere, quibus hoc dogma stabilitur à Sæculo Christiano I. usque ad Sæculum X. à quo ipsi adversarij ajunt, creditam in Ecclesia esse veram Christi præsentiam; unde lectorem remitto ad Bellarminum *tom. 3. contr. general. 3. de Evcharistia l. 2. per totum*: ubi per omnes Ecclesiæ ætates, seu Sæcula, hanc fidei veritatem ex SS. Patribus copiosissimè probat. Sed & textus SS. Patrum, qui prosequentibus duabus conclusionibus adducuntur, hanc quoque primam efficaciter probant: atque etiam illi, quos ex S. Augustino afferemus n. 59. & seq.

36. Id hic addendum, quòd, si quando aliqui Patres obscurius de hoc mysterio locuti sunt, id fecerint. Primò; quia arcani, à gentilibus celandi, studiosi fuerunt, & hinc noluerunt verbis omnino apertis loqui, cujus rei testes SS. Dionysium, Cyrillum Hierosolymitanum, & Basilium adduximus in tract. de sacram. ingenere n. 5. (vide etiam infra n. 56.) Secundò id fecerunt; quia necdum existentibus hæreticis, verba in malo sensu accipientibus, abique timore sinistrae interpretationis, aliquando minus circumspèctis modis loquendi uti sunt, prout S. Augustinus *l. 1. contra Julianum. c. 6. ante medium* ait, fecisse S. Chrysostomum, de quo sic scribit: *Disputans in Catholica Ecclesia non se aliter intelligi arbitrabatur: tali questione nullus perturbatur: vobis nondum litigantibus secretis loquebatur.* Debent ergo textus SS. Patrum obscuriores, ex aliis eorum verbis, quibus clarius loquuntur, & præsertim, quibus catechumenos instruunt, declarari, & eorum mens, ac sententia colligi.

37. Dico 2. Sacramentum Evcharistia non consistit tantum in usu: sed Christus existit in eo, etiam ante, & post usum. ita rursus Catholici omnes. Prob. Primò. Christus locis n. 32. citatis dixit: *Hoc est corpus meum & Hic est sanguis meus*: non dixit: *Erit, vel fuit*: inique ea verba dixit, antequam Apostoli manducarent, aut biberent: ergo jam ante usum fuerat corpus, & sanguis Christi. Secundò. A temporibus Apostolorum Ecclesia semper adoravit Christum, ut præsentem in hoc sacramento, ut probat Bellarminus *tom. 3. contr. general. 3. de Evcharist. l. 4. c. 29. in fine*: & assert præsertim verba S. Chrysostomi *homil. 61. ad popul. Antiochen. Si pura sunt vestimenta, adora, & communica*: quæ in editione, qua usus sum, paulò aliter habent: *Sordescunt tibi vestimenta, & nihil est tibi cura. At pura sunt: igitur adora, & communica.* ergo Christus jam ante usum adesse debet; alias enim non posset hoc sacramentum adorari. Tertiò. Olim à laicis, & monachis, domum deferre-batur Evcharistia: imò mittebatur ab uno

Episcopo ad alterum: ergo supponebatur, Christus jam ante usum adesse.

38. Quartò. Semper fuere graves poenæ statuta in illos, qui species sacras, seu (ut jam tunc dicebatur) sacrum sanguinem effudissent; hinc jam Origenes *homil. 13. in Exodum* exponens *Caput 25. ait: Cum suscipitis corpus Domini, cum omni cautela, & veneratione servatis, ne ex eo parum quid decidat, ne consecrati muneris aliquid dilabatur; reos enim vos creditis, & recte creditis, si quid inde per negligentiam decidat.* & S. Pius I. qui vixit *an. Chri. 156. jam statuit poenam quadraginta dierum*; si ex negligentia sacerdotis aliquid de sacro sanguine in terram deciderit, ut habetur *in Brevario ad diem 11. Julii*: insuper particulae residua post communionem summa reverentiâ reponebantur in pastophoriis, seu tabernaculis: sed, si non adesset Christus, non deberet tanta cura haberi, nec tanta poena statui in eos, quorum negligentia aliquid de speciebus sacris effusum fuisset; eoque irreverentia non fuisset tanta: ergo. Quintò. Præsentia Christi Domini, in Evcharistia extra usum, tot est comprobata miraculis, ut liberos impleverint.

Sextò tandem. Hæretici sunt in sua doctrina circa hoc punctum inconstantissimi; aliqui enim cum Kemnitio volunt, Christum esse præsentem, in tota actione coenæ, dum panis benedicatur, frangitur, distribuitur, etiam dum è coena desertur ad ægros. Alii dicunt, toto triduo servari posse sacramentum propter ægros, & toto eo tempore manere Christum. At, si manet per horæ quadrantem, non est ratio ulla, cur non maneat diutius, quandiu scilicet manent species sacramentales. vide Bellarminum *tom. 3. contr. general. 3. de Evcharistia l. 4. c. 2.*

39. Dico 3. In Evcharistia non manet substantia panis, & vini. ita rursus Catholici. Prob. conclusio 1. autoritate Conciliorum, & in primis Lateranensis, quod C. Firmiter. 1. de summa Trinitate & c. sic definit: *Cujus Christi corpus, & sanguis, in sacramento altaris, sub speciebus panis, & vini, veraciter continentur, transsubstantiatis pane in corpus, & vino in sanguinem; potestate Divina*: quæ verba tam clara sunt, ut ipse Lutherus de captivitate Babilon. c. 1. agnoscat, hic definitam esse transubstantiationem ut articulum fidei. 2. autoritate Concilij Constantiensis, quod *sess. 8. & iterum sess. 45. seu ultima*, damnat hanc primam propositionem Wicleffi: *Substantia panis materialis, & similiter substantia vini materialis, remanent in sacramento altaris.* 3. autoritate Concilij Florentini, quod in decreto Eugenij pro Armenis sic definit: *Ipforum verborum virtute substantia panis in corpus Christi, & substantia vini in sanguinem convertuntur.* 4. autoritate Tridentini citati n. 27.

40. Prob. conclusio 2. ex Patribus, quorum, etiam antiquissimorum, catalogum texit Bellarminus *tom. 3. contr. general. 3.*

nerali. 3. de Evcharist. l. 3. c. 20. Quamvis autem Patres vocem *transubstantiatio* non adhibuerint ante Concilium Lateranense, tamen adhibuerunt voces illi æquivalentes; dixerunt enim, *ex pane fieri corpus Christi: panem transmutari, aut trans elementari in corpus Christi: non esse amplius panem, sed corpus Christi: non esse id, quod natura formavit, sed quod benedictio consecravit: sensus falli, nec ijs credendum esse.* Insuper Patres extollunt omnipotentiam Dei, quæ in hoc mysterio se quasi exhauserit: comparant cum Evcharistica conversione alias prodigiosis transmutationes, e. g. aquæ in vinum &c.

41. Adduco ex Patribus plurimis tantum unum, aut alterum. S. Cyprianus, vel quisquis est auctor sermonis de cæna Domini (qui non videtur esse idem cum sermone de cæna dispositione, de quo Bellarminus de script. Ecclesias. in Cypriano ait, eum continere ineptas, & ridiculas fabellas; nam ille nil tale continet, sed gravis, & doctus est) in hoc, inquam, sermone sic habetur: *Panis iste, quem Dominus discipulis porrigebat, non effigie, sed naturâ mutatus, omnipotentia verbi factus est caro.* S. Cyrillus Hierosolymitanus *cateches. 4. mystagog. Hoc sciens, & pro certissimo habens, panem hunc, qui videtur à nobis, non esse panem, etiamsi gustus panem esse sentiat, sed esse corpus Christi.* S. Ambrosius *lib. de initiationibus: vel: de iis, qui initiantur mysteriis c. 9. Quanti igitur utimur exemplis, ut probeamus, non hoc esse, quod natura formavit, sed quod benedictio consecravit: majoremque vim esse benedictionis, quam naturæ; quia benedictione etiam natura ipsa mutatur.* & infra: *Ipse clamat Dominus Filius: Hoc est corpus meum. Ante benedictionem verborum celestium species nominatur: post consecrationem corpus Christi significatur. Ipse dicit sanguinem suum. Ante consecrationem aliud dicitur: post consecrationem sanguis nuncupatur. Et tu dicis: Amen: hoc est: verum est. Quod os loquitur, mens interna fateatur: quod sermo sonat, affectus sentiat. & inferius. In illo sacramento Christus est, quia corpus Christi est.* Similibus dictis plenus est totus sermo citatus: & adhuc plenior est ejusdem S. Ambrosii *lib. 4. de sacramentis*, ubi per singulas quasi lineas veritatem realis præsentia Christi, & conversionem panis in corpus Christi, significantissimè adstruit. Textus ex S. Augustino idem confirmantes adducemus à n. 59.

42. Probatur conclusio 3. Verba Christi de Evcharistia intelligenda sunt ad litteram, ut probavimus n. 35. ergo in Evcharistia non remanet panis, & vinum, conseq. prob. quamvis aliquando, dum metaphoricè loquimur, per pronomen *hic*, vel *hoc*, non demonstratur substantia, latens sub accidentibus indigetatis, e. g. si in imaginem Cæsaris digitum intendens dicam: *Hic est Cæsar*: tamen, quando propriè loquimur (sicut Christus Dominus in cæna utique locutus est) per pronomen *hic*, vel *hoc*, demonstra-


tur substantia latens sub accidentibus: & quidem, si demonstratur id, quod apparet esse panis, non significatur alia substantia, tantum sub pane latens, vel cum pane compenetrata, sed significatur ipse panis, tanquam immediatè substantia illis accidentibus: ergo, si in Evcharistia verè adhuc adesset panis, per pronomen *hoc* significaretur panis: atqui per pronomen *hoc* non significatur panis: ergo panis non amplius adest.

Prob. antec. Si per pronomen *hoc* posset verè significari substantia alia latens, vel compenetrata, vera esset hæc propositio, qua, intendens digitum in lignum, dicerem: *Hoc est Deus*: vel: *Hoc est Angelus*: vel: *Hoc est demon*; Deus enim semper, Angeli, vel demones sæpe compenetrantur cum ligno: item potuisset aliquis, indigendo lapidem sepulchralem, quem Christus resurgens penetravit, dicere: *Hoc est Christus*: sed hæc propositiones ex omnium sensu sunt falsæ: ergo. Licet autem aliquando per pronomen *hoc* demonstratur, non res immediatè appares, sed res contenta, e. g. quando, demonstrando dolium, dico: *Hoc est vinum*: id tamen nunquam contingit, nisi quando res, immediatè sensibus subiecta, ex natura sua, vel ex usu, est ordinata ad continentiam alteram substantiam; sicut dolium est ordinatum ad continentiam vinum: at panis, & vinum, minime sunt ordinata ad continentiam Christum Dominum.

43. Probatur jam etiam min. subsumpta. Si per pronomen *hoc* significaretur panis, propositio esset falsa: sed istud dicere est blasphemum: ergo. prob. ma. in propositione affirmativa, & vera, debet subiectum, & prædicatum identificari: sed panis, & corpus Christi non identificantur: ergo propositio hæc affirmativa revera esset falsa. Rursus hæc propositio: *Hoc est corpus meum*: faceret hunc sensum (quem quidem aliqui hæretici, sed ineptè adstruunt) *Hic panis verè, & propriè, est corpus Christi*: qui utique falsus est, id quod facile potest probari; vel enim significaretur, dari identitatem inter corpus Christi Domini, ac panem: & hoc est manifestè falsum: vel significaretur, dari aliquam unionem hypostaticam: & hæc neque ex Scripturis, neque ex Patribus; neque aliunde potest probari: dein sic Verbum non minus posset dici *imparatum*; quam *incarnatum*: vel significaretur tantum, dari conjunctionem localem: sed hæc non sufficit ad illam prædicationem; alias homo obfessus à demone posset dici *dæmon*, & quilibet penetratus à Deo posset dici *Deus*: quæ sunt absurdissima.

ARTICULUS IV,

Solvuntur Objectiones ex Scripturis:

44.  B. 1. contra 1. conclus. Verbum est in Scriptura sæpe accipitur pro verbo significat

ent: ergo etiam sic accipitur in hac propositione: *Hoc est corpus meum.* antec. prob. Gen. 41. v. 26. dicitur: *Septem boves pulchre, & septem spica plena, septem ubertatis anni sunt.* item Exod. 12. v. 11. dicitur de agno paschali comedendo: *Est enim phagise, id est, transitus Domini.* & Luca 22. v. 20. *Hic est calix novum testamentum in sanguine meo.* rursus Christus dicit *Joan. 6. v. 48. Ego sum panis vita.* & *Joan. 15. v. 1. Ego sum vitis vera.* item *Joan. 10. v. 9. Ego sum ostium.* iterum *Joan. 9. v. 5. Lux sum mundi.* & 1. ad Cor. 10. v. 14. dicitur: *Petra autem erat Christus*: ergo. Resp. 1. hoc argumento eodem modo posse probari hæresin Arianam, vel Socinianam; quæ Christus abnegabat Divinitatem; nam hac ratione etiam posset metaphoricè explicari illud *Joan. 1. v. 1. Deus erat Verbum*: item posset negari incarnatio, & metaphoricè explicari etiam illud *Joan. 1. v. 14. Verbum caro factum est.*

45. Resp. 2. neg. conseq. & retorq. potius argumentum. Verbum est ordinariè accipitur, seu adhibetur in Scripturis, ad significandam identitatem unius cum altero, in sensu proprio: ergo etiam hic debet ita accipi. Dein verba Sacra Scripturæ debent accipi in sensu proprio, & literali, quamdiu ipsa Scriptura, autoritas Conciliorum, & Patrum, ac manifesta ratio id patitur: & multò magis, quando tota antiquitas eum sensum literalem ut verum hætenus tenuit, quemadmodum in nostro casu accidit. At non idem accidit in propositionibus objectis; nam quoad primam ratio clara docet, quòd boves, & tempus, non sint idem. Sed nec agnus, vel ejus comestio, & transitus, sunt idem. Tropus, apud S. Lucam adhibitus, est. usitatissimus; quia sæpissimè sumitur continens pro contento, & declaratur sufficientissimè aliis verbis aliorum Evangelistarum. Quando Christus dicitur *lux, ostium, panis, petra* &c. nunquam fuere illa verba ab ullo SS. Patrum, aut Conciliorum, accepta in sensu proprio, qui significaret identitatem, sed semper metaphoricè: contrarium autem accidit in verbis Evcharisticis, quæ semper in tali sensu proprio accepta sunt à Conciliis, & Patribus: & à nullo SS. Patrum doctus est Zvinglius, eos textus metaphoricè explicare; sed, ut ipse fateatur, noctu ab Angelo (quem, ait, nescire se, an ater, an albus fuerit) edoctus est, quòd textus illi Scripturæ accipiendi sint, tanquam locutiones figuratæ. Certè fuerit spiritus ille valde niger, ac tenebrosus.

46. Ob. 2. Verba Christi Domini *Joan. 6. v. 52. Panis, quem ego dabo, caro mea est promundi vita:* item *ibidem v. 56. Caro enim mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus: qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in illo*: sunt tantum metaphoricè; & in sensu figurato accipienda: ergo etiam altera: *Hoc est corpus meum*: sunt figuratè accipienda, antec. prob. auctoritate plurium,

etiam Catholicorum doctorum, qui ea verba ita accipiunt. Confir. 1. ille sermo *Joan. 6.* à Christo Domino habitus est, ante institutionem SS. Evcharistia: ergo non agitur ibi de Evcharistia. Confir. 2. Agitur ibi de manducatione, quæ deberet infallibiliter operari vitam æternam: hoc non facit Evcharistia: ergo.

Resp. neg. antec. SS. Patres apud Bellarminum *tom. 3. controu. 3. de Evcharist. l. 1. c. 5.* unanimiter illa verba explicant in sensu proprio: pariter ea ita explicat Tridentinum *sess. 13. c. 2. & 4.* nec est ulla ratio, quare verba illa tam clara improprie accipiantur: imò à contrario sunt rationes plurimæ, ob quas accipiantur in sensu proprio; primò enim Christus Dominus non tantum semel, sed minimum sæpius eo capite dicit, se carnem suam daturum ad manducandum: idque vocibus *Amen, Amen*, quasi juramento confirmat: certè quomodocumque clarè voluerit Christus loqui de reali manducatione sui corporis, non debuit adhibere alios terminos, & vix potuit clariores uturpare. Secundò. Christus ibi promittit, se primum daturum hunc cibum: atqui, si cibus tantum fuisset spiritualiter manducandus, jam tunc eum actum dedisset; cum jam ibi potuerint fideles in Christum credere, & sic eum per fidem spiritualiter manducare.

47. Tertio. Ibi Christus promittit longè præstantiorem cibum, quam haberint Judæi per manna: atqui istud æquè fervire poterat ad excitandam fidem: ergo Evcharistia manducatio non est tantum excitatio fidei, aut fides. Quarto. Quando hæc verba Christus Dominus est locutus, omnes præsentés, Pharisæi, turba, discipuli, intellegebant ea in sensu proprio: & hinc plures scandalizati sunt, & discesserunt ab eo: nec tamen Christus ea aliter explicavit, nec publice, nec etiam privatim, ut saltem solebat parabolæ Apostolis: quin etiam Servator, aliàs misericordissimus, permisit plures abire, & perire: quorum tamen ruinam potuisset faciliè, ex mente adversariorum, impedire, si declarasset, se loqui tantum de spirituali manducatione. Quintò. Juxta adversarios posset amicus valedicens alteri dicere prudenter: *Manduca meam carnem, & bibe meum sanguinem; quia significaret: Memento mei, cum abiero, & in me spem, gaudiumque tuum repones; te enim juvabo:* quod est absurdissimum. Sextò tandem. Si illo capite sexto Christus non egit de Evcharistia, solus S. Joannes, dilectissimus Christi discipulus, nihil scripsit de Evcharistia, quod est incredibile.

48. Ad probat. conc. antec. neg. conseq. Quòd Catholici aliqui doctores dixerint, eo capite sexto non agi de Evcharistia, id event ex præcipiti fervore disputationis; cum enim disputarent contra eos, qui afferbant necessitatem communionis sub utraque specie, ut facilius se ab eorum argumentis expedirent, & maxime à textibus ex capite illo *Joan. 6.* allatis, negarunt, ibi agi de Ev-

de Eucharistia: quæ responsio incogitantia tribuenda est. Neque etiam privati doctoris sermo, in contentione scholastica elapsus, communi Ecclesiæ interpretationi potest conferri.

Ad 1. confirm. neg. conseq. ibi enim promittebatur Eucharistia, postea instituenda; ait enim Christus Dominus *dabo*: ergo utique potuit esse sermo promissivus Eucharistiæ, antequam institueretur. Quando autem ibi v. 55. dicitur: *Qui manducat*: significat idem, ac: *Qui manducabit*: ut est frequentissimus modus loquendi hominum, utendo præsentis pro futuro: e. g. frequentissimè dicitur: *Qui sumit venenum, moritur*. Et hoc maximè isto loco est sentiendum; quia Christus initiò usus est futuro. Adde, posse etiam dici, Christum locutum fuisse propheticè, utendo præsentis pro futuro. Ad 2. confirm. diff. ma. manducatio deberet operari infallibiliter vitam æternam, postis certis conditionibus. conc. ma. non postis iis conditionibus. neg. ma. & diff. sic mi. neg. conseq.

49. Ob. 3. Variis locis Scriptura negat, Christum esse realiter præsentem in Eucharistia: ergo. antec. prob. Primò. *Johan. 6. v. 64.* dicitur: *Spiritus est, qui vivificat: caro non prodest quidquam*: ergo Christus non secundum corpus, aut carnem, sed tantum secundum spiritum, seu spiritualiter est in Eucharistia. Secundò. *Matth. 15. v. 17.* dicitur: *Quod in os intrat, in ventrem &c.* hoc de SS. Eucharistia dici non potest: ergo. Tertio. *Matth. 24. v. 23.* dicitur: *Si quis vobis dixerit: Ecce hic est Christus, aut illic: nolite credere*: atqui Catholici dicunt, eum esse hic in templo: ergo. Quarto. *Matth. 26. v. 11.* ait Christus: *Pauperes semper habetis vobiscum, me autem non semper habetis*: atqui haberemus Christum semper nobiscum, si esset in Eucharistia: ergo. Quintò. *Johan. 12. v. 26.* iterum Christus ait: *Ubi sum ego, illic & minister meus erit*: sed ministri non sunt in Eucharistia: ergo. Sextò. *Johan. 16. v. 28.* dicit Christus: *Relinquo mundum, & vado ad Patrem*: ergo non mansit in mundo. Nec dici potest, Christum quidem non mansisse in mundo visibiliter, seu sensibiliter, mansisse tamen invisibiliter, seu insensibiliter; nam si mansisset, etiam tantum invisibiliter, non misisset sui loco Spiritum Sanctum: ergo.

50. Resp. neg. antec. ad probationes explico textus, & ostendo, ex ijs nil contra nos probari. Ad 1. ea verba non significant, quòd sanctissima caro Christi non proficit; hoc enim dicere, est blasphemum; nam utique per passionem, & mortem, à Domino in carne toleratam, liberati sumus: & certè, si juxta Zwinglium prodest caro figuratè tantum talis, cur non etiam caro realiter talis? Quare sensus illorum verborum est iste: *Id, quod vobis suggerit carnalis vestra imaginatio, circa verba à me*

prolata, quasi caro mea dentibus esset consumenda, vanum est: nec prodest quidquam ad usum, & intelligentiam hujus mysterij. Potest etiam textus intelligi, ita, ut significetur, solam manducationem corporis Christi, absque fide, & caritate, non prodesse; cum potius obstat tanquam sacrilegium. Ad 2. Sermo ibi est de cibo, qui consumitur, & mutatur realiter in substantiam alicui: & de facibus alimenti. At corpus Christi Domini non consumitur, sed duntaxat tamdiu manet præsens, quamdiu manent species, quibus destructis cessat adesse.

Ad 3. Christus ibi loquitur de illis impostoribus, qui Judæos decepturi erant, tempore excidij Hierosolymitani, vel sub adventum Antichristi: pater hic sensus verborum apertè ex contextu; unde ea verba minimè spectant ad Eucharistiam. Ad 4. Sensus est, Christum non semper nobiscum futurum in eo statu visibili, in quo posset utilitatem corpoream ab hominibus recipere, ungi, lavari &c. Ad 5. Non dicit Christus, ministrum suum futurum ubique, ubi ipse esset, seu in omni loco; allas debuisset cum ipso esse in cruce, vel sepulchro: sed dicit *ubi*, id est, in aliquo loco, scilicet in cælo. Ad 6. Reliquit mundum Christus specie corporali, & sensibili illa, qua prius ambulabat, & conversabatur in terris, & ex cujus præsentia Apostoli singularem consolationem sensibilem etiam hausserunt: quæ ut suppleretur, missus est postea Spiritus Sanctus, qui eam compensavit plurimis gratis. Unde falsum est, quòd stante invisibili, seu insensibili, aut sacramentali sua præsentia, non voluerit Christus mittere Spiritum Sanctum; nam tantum non voluit eum mittere, dum ipse esset præsens corporaliter, aspectabili, & immediatè in se sensibili præsentia, seu in forma humana.

51. Ob. 4. iterum ex Scriptura. Primò. *Marci 16. v. 19.* dicitur de Christo: *Sedet à dextris Dei*: ergo non est in altari. Secundò. S. Paulus *ad Philip. 3. v. 20.* ait: *Nostra autem conversatio in cælis est: unde etiam salvatorem expectamus*: ergo Christus Salvator non est in terra. Tertio. *Actuum 17. v. 24.* dicit idem Apostolus de Deo: *Non in manufactis templis habitat*: ergo non est in tabernaculo altaris. Quarto. *Johannis 20. v. 17.* dicit Christus Magdalene: *Noli me tangere; nondum enim ascendi ad Patrem meum*: ergo Christus post resurrectionem vult omnes nostras cogitationes in cælum dirigi: quod etiam vult Ecclesia, dum toties canit: *Sursum corda*. Resp. neg. omnes consequentias, quæ malè inferuntur ex adductis textibus, quos melius explico. Ad 1. dico, hoc argumentum esse simile huic: *Anima est in capite: ergo non est in pede.* vel: *Deus est totus compenetratus cum Petro: ergo non est compenetratus cum alio homine;* quæ consequentiæ sunt omnino falsæ.

52. Scilicet, sicut Deus est immensus, & ideo potest esse in pluribus locis: ita est omnipotens, & potest facere, ut eadem res sit in pluribus locis, etiam discontinuis. Quodsi replicationem, præsertim corporum non capimus, eam tamen credere possumus: & hic potest, & debet habere locum illud S. Augustini *ep. 3. ad Volusianum ante medium*. *Demus, Deum aliquid posse, quod nos fateamur investigare non posse.* Sanè, quamvis intellectus noster non capiat replicationem, non eo ipso hæc impossibilis est; sicut nec mysterium SS. Trinitatis, nec mysterium incarnationis, quamvis humano intellectu imperceptibilia sint, propterea impossibilia sunt: quibus si comparemus replicationem, statim apparebit, hanc minimè esse illis captu difficiliorem.

Unde non debent adversarii, omnipotentia Divinæ negare virtutem efficiendi replicationem: sicut ei non negant virtutem producendi summè mirabilem unionem hypostaticam: quin ex eo, quòd replicatio sit magnum miraculum, non impugnant, sed roboratur doctrina Catholica; cum à primis sæculis Christianis, Patres, & fideles, semper crediderint, SS. Eucharistiam esse rem maximam, summè mirabilem, solius Divinæ omnipotentia opus.

53. Itaque ad hunc textum neg. conseq. est enim Christus simul utroque in loco. Nec dicas, ipsum Angelicum 3. p. q. 75. a. 1. cum sibi. *arg. 3.* objecisset: *Nullum corpus potest esse simul in pluribus locis*: dein ad 3. id non negare, adeoque saltem implicite fateri, Christum non posse esse simul in cælo, & simul in Eucharistia; nam S. Thomas nullo modo negat, imò ibi apertissimè affirmat, Christum esse in Eucharistia realiter præsentem: item apertissimè affirmat, Christum esse simul in diversis altaribus: quod nos solum intelligimus, quando dicimus, Christum esse in pluribus locis. S. Doctor autem per esse corpus in loco, intelligit, illud non quomodocumque ibi existere, sed modo speciali, & specialiter conveniente corpori: & hinc est, cur ibi dicat: *Non est Christus eo modo in hoc sacramento, sicut corpus in loco, quod suis dimensionibus loco commensuratur: sed quodam speciali modo, qui est proprius huic sacramento.*

Scilicet Angelicus vult tantum dicere, Christum in Eucharistia non adesse per præsentiam quantitativam, & connaturalem corpori quanto, ita, ut excludat aliam quantitatem, & sit quidem totum in toto, sed non totum in qualibet parte, ita scilicet, ut quælibet pars habeat suum locum connaturalem, à quo aliud corpus, & aliam quantitatem excludat: simul etiam ita loco circumscriptur, ut extra eum non sit. Non autem negat S. Doctor, Christum esse in Eucharistia præsentem, per modum aliquem supernaturalem, specie diversam à præsentia corporibus connaturali, nunc explicata, per quem supernaturalem modum sit realiter

præsens, potius hic, quam alibi. Eodem modo explicandus est S. Augustinus, quando l. 20. *contra Faustum c. 11.* sub finem ait de Christo: *Secundam præsentiam verò corporalem, simul & in sole, & in luna, & in cruce, esse non possit.*

54. Ad 2. textum dico, Apostolum tantum velle dicere, Christum venturum de cælo ut iudicem ad iudicium universale. Et veniet inde in majestate magna; nam Christus etiam in cælis est, ut inde venire possit: nec est ubique in terra, ut ad nullum locum de novo venire possit: minùs jam est in loco illo, ubi sessorus est iudex. Attamen est in SS. Eucharistia, quod nullo modo negat Apostolus. Ad 3. textum. Sermo ibi S. Paulo est de Divinitate, quæ implet omnia, & nullis locis concluditur; cum tamen ad hoc, ut aliquis strictè dicatur alicubi habitare, requiratur, ut eo loco concludatur. Dein etiam Christus non propriè templo, aut sacra pyxide clauditur; quia etiam extra hanc, & illud existit, adeoque neque strictè ibi habitat: minùs indiget templo tanquam tecto: quod aliqui etiam requirunt ad habitationem.

Ad 4. textum. Sensus ejus proprius iste esse videtur: *Noli festinare ad meum tactum, vel eo te detinere; nam eris adhuc tempus; nondum enim ascendi ad Patrem: sed cito vade, & nuncia fratribus meam resurrectionem.* Quod addit de Ecclesiæ monito: *Sursum corda*: id non est intelligendum de corporali elevatione; aliàs mathematici, oculis, & pectore, ad cælum inspicendum conversi, magis impleverent voluntatem Ecclesiæ, quam ij, qui oculos præ modestia in terra defigunt; unde tantum significatur eo monito, animum à terrenis, ad cælestia, & æterna esse elevandum: quod etiam fit, elevando cor ad Christum, in altari præsentem.

ARTICULUS V.

Solvuntur Objectiones ex SS. Patribus.

55. Ob. 1. SS. Patres SS. Eucharistiam sæpe appellant figuram, symbolum, signum, typum, antitypum corporis Christi: ergo in ea non est realiter corpus Christi. Confr. Clemens Alexandrinus l. 1. *pedagog. c. 6.* & S. Hieronymus in *psal. 147.* per carnem, & sanguinem Christi, intelligunt verbum Dei, Scripturas, & doctrinam, quibus spiritualiter nutrimur: ergo non censent, dari veram realem præsentiam Christi in Eucharistia. Resp. Mens SS. Patrum est quoad hoc mysterium clarissima: & possunt videri apud Bellarminum tom. 3. *controv. 3. de Eucharist. l. 2. per omnia capita*, citati, per omnia æræ Christianæ sæcula, & ætates, invicta Patrum testimonia, quæ esset longum referre: referam tamen eorum doctrinam.

56. Itaque SS. Patres primò expressis verbis excludunt solam figuram, ajuntque, hoc sacramentum differre à veteribus, agno paschali, manna, panibus propositionis &c. (quæ fuere figuræ) differre, inquam, tantam veritatem à figuris, corpus ab umbra, rem caelestem, Divinam, & inconsumptibilem, à terrena, vel consumptibili. Secundò docent, Christum non sola fide, sed ipsa nobis conjungi. Tertio mirè extollunt maximum amorem Christi, nos patientis sua carne; cum nec pastores ovibus, nec matres filiis, nec amici amicis, carnem suam manducandam apponant. Quarto dant rationem, quare sub specie panis, & vini, se manducandum dare voluerit, ne scilicet concipiamus horrorem ex alia specie ciborum, vel accidentium. Quintò honorant titulis magnificentissimis hoc sacramentum, vocantes illud per antonomasiam *sanctum Dei, sancta sanctorum, ipsum bonum, memoriam omnium beneficiorum Dei, terribile mysterium, bonam gratiam.*

Sextò dicunt, Evcharistiam esse stupendum Divinæ omnipotentiae miraculum, transcendens omnem captum humanum; & hinc fidelibus constanter inculcant, non esse credendum sensibus, sed verbis Christi: dubiaque non solvunt, nisi adducendo infallibilem auctoritatem Christi, & extollendo Divinam potentiam: insuper comparant hoc mysterium cum aliis mysteriis maximis, incarnationis, Trinitatis, & similibus.

Septimò constanter asserunt Patres, hoc sacramentum dignum esse summo honore; hinc illud adorarunt, & diligentissimè præcaverunt, ne quid in terram decideret: asseruerunt, ad stare illi Angelos adoratores: non permisere illud videri ab infidelibus, imò nec à catechumenis: & coram his non fuit de eo locuti, nisi verbis obscuris, & tectis, loco explicationis ad dentes illud: *Norunt fideles*: qua phrasi etiam utitur S. Augustinus tract. 26. in Joannem. hinc etiam Patres Synodi Alexandrinæ in Egypto in suis literis ad omnes Catholicos (quæ habentur in apologia 2. S. Athanasij) graviter queruntur de Arianis, quòd coram catechumenis, vel etiam gentilibus, litem intentaverint S. Athanasio de sacro calice, & addunt: *Non enim fas est, mysteria gentibus prodere, ne per imperitiam ea subsannent, aut catechumeni per curiositatem scandalizentur.* vide etiam tract. de sacram. in genere n. 5.

Octavò docent SS. Patres, in hoc mysterio fieri veram mutationem, & conversionem panis, & vini, in corpus, & sanguinem Christi, quam comparant mutationibus aquæ in vinum, virgæ Moysis in serpentem, panis in carnem: docent quoque, non manere panem, & hanc mutationem fieri per omnipotentiam Dei. Quæ omnia minimè convenient illi, ab adversariis assertæ tantum figuratæ Christi præsentiae, ut cuilibet, non omnino indisciplinato ingenio, facile

patet. videatur Bellarminus citatus n. 55. 57. Resp. jam ad objectionem directè, conc. antec. neg. conseq. Evcharistia dupliciter potest sumi, vel, ut in recto veniant sola species: vel, ut in recto veniat ipsum corpus, & sanguis Christi: si primò modo sumitur, est signum corporis Christi præsentis: si sumitur secundo modo, est signum corporis Christi ut visibilis humanam formam, & in cruce immolati. Et in hoc sensu sæpe Evcharistiam SS. Patres, & præsertim S. Augustinus, vocant signum, quatenus scilicet significat, & in memoriam revocat, corpus Christi Domini, & sanguinem in cruce immolatum. Ad confirm. neg. conseq. Etsi SS. Patres aliquando loquantur in sensu morali, & figurato, non propterea excludunt sensum realem, & literalem: id quod patet ex clarissimis eorum textibus pro veritate Catholica, quorum paucos adduximus n. 37. & seq. & aliquos adhuc adducemus n. 59. longè plures autem videre est apud Bellarminum loc. cit. n. 55. & alios polemicos.

58. Ob. 2. S. Augustinus non agnoscit realem præsentiam Christi in Evcharistia: ergo. prob. antec. adductis ejus textibus. Itaque primò agens de SS. Evcharistia tract. 25. in Joannem, in illa verba Christi Joan. 6. v. 29. *Hoc est opus Dei, ut credatis in eum, quem misit ille*: ait: *Hoc est ergo manducare cibum, non qui perit, sed qui permanet in vitam æternam. Ut quid paras dentes, & ventrem? Crede, & manducaſti.* Secundò l. contra Adimantum Manichæi discipulum. c. 12. ait: *Non enim Dominus dubitavit dicere: Hoc est corpus meum: cum signum daret corporis sui.* Tertio enarration. in psalm. 3. *non longè ab initio* ait: *Cum Judam adhibuit ad convivium, in quo corporis, & sanguinis sui figuram discipulis commendavit, & tradidit.*

Quartò idem S. Augustinus enarrat. in psalm. 98. sic scribit: *Non hoc corpus, quod videtis, manducaturis estis, & bibituris illum sanguinem, quem susuri sunt, qui me crucifigent: sacramentum aliquod vobis commendavi.* Quintò tract. 59. in Joannem. ait: *Illi manducabant panem Dominum: Judas panem Domini contra Dominum: adeoque impij non manducant corpus Christi: consequenter istud tantum manducatur spiritualiter.* Sextò tract. 26. in Joannem. sub initium scribit: *Crederet enim in eum hoc est manducare panem vivum.*

Septimò idem S. Doctor l. 3. de doctrin. Christian. c. 16. in illa verba: *Nisi manducaveritis &c.* ait: *Figura est ergo, præcipiens passioni Domini communicandum, & suaviter, atque utiliter recondendum in memoria, quòd prò nobis caro ejus crucifixa, & vulnerata sit: quasi diceret, cogitandam esse Christi Domini mortem.* Octavò l. 1. contra Julianum c. 4. ait de Innocentio I. Summo Pontifice: *Qui denique parvulos definivit, nisi manducaverint carnem filii hominis, vitam prorsus habere non posse:* quam

quàm tamen manducationem à parvulis fieri per baptismum, explicat S. Augustinus, relictus C. *Quia passus est. 30. dist. 2. de consecratione.* hæc autem manducatio est tantum spiritualis, & consequenter juxta S. Augustinum non datur realis.

59. Resp. Quid sentiat S. Augustinus (cujus auctoritate vel maximè abutuntur heretici), colligi potest ex ejus textibus à Bellarmino tom. 3. controv. 3. de Evcharist. l. 2. c. 24. allatis, ubi ex omnibus tomis huius S. Doctoris afferuntur sententiæ, hoc mysterium Catholicè adstruentes, ex quibus paucos assero. Sic epist. 20. ad Honoratum c. 27. in psalm. 21. v. 30. *Manducaverunt, & adoraverunt omnes divites terræ (sic ipse legit: vulgata modò habet: pingues terræ) sic ait: Et ipsi quippe adducti sunt ad mensam Christi: & accipiunt de corpore, & sanguine ejus: sed adorant tantum, non etiam saturantur &c.* ergo ex S. Doctoris mente accipiunt de corpore Domini reali, quod scilicet solum adoratur.

Item enarrat. in psalm. 98. circa medium ait, per scabellum pedum Dei, quod est terra, posse intelligi carnem Christi, quæ est de terra, & sic posse impleri illud v. 5. huius psalmi: *Adorate scabellum pedum ejus.* verba S. Augustini sunt ista: *Et quia in ipsa carne hic ambulavit, & ipsam carnem nobis manducandam, ad salutem dedit: nemo autem illam carnem manducat, nisi prius adoraverit, inventum est, quemadmodum adoretur tale scabellum pedum ejus:* ergo juxta S. Augustinum Christus dat nobis manducandam carnem, in qua in terris ambulavit, & quæ debet adorari ante summptionem: ergo dat verè realiter suam carnem; non enim ambulavit in figura: neque etiam figura carnis deberet adorari.

Item l. 5. de baptis. contra Donatist. c. 8. sic scribit: *Sicut enim Judas, cui buccellam tradidit Dominus, non malum accipiendo, sed male accipiendo, locum in se diabolo præbuit: sic indignè quisque sumens Dominicum sacramentum, non efficit, ut, quia ipse malus est, malum sit, aut, quia non ad salutem accipit, nihil acceperit; corpus enim Domini, & sanguis Domini, nihilominus erat etiam in illis, quibus dicebat Apostolus: Qui manducat indignè, iudicium sibi manducat, & bibit: ergo etiam sacrilegè accedentes ad communionem intra se habent corpus Christi: non spiritualiter: ergo materialiter, seu realiter, quamvis sine fructu.*

60. Rufinus l. 3. de Trinitat. c. 10. ait, infantibus dici auctoritate gravissima, quòd in altari sit Christi corpus, & sanguis: ergo, cum pueri hoc audientes intelligant de reali, & non tantum de spirituali, aut figurata præsentia, nec falsam eos fidem habere S. Augustinus judicet, realiter Christus est præsens. Item l. 2. contra advers. legis. c. 9. ait: *Sicut mediatorum Dei, & hominum, Christum: Jesum carnem suam nobis manducandam, bibendumque sanguinem dantem,*

fideli corde, atque ore suscipimus: ergo non tantum spiritualiter corde, sed etiam realiter ore, carnem Christi manducamus, & sanguinem bibimus.

Iterum enarrat. in psalm. 33. concion. 1. explicans titulum psalmi, qui teste Bellarmino tom. 3. controv. 3. de Evcharistia. l. 2. c. 24. erat: *Et ferebatur in manibus suis: ait: Hoc verò fratres, quomodo posset fieri in homine, quis intelligat? Quis enim portatur in manibus suis? Manibus aliorum potest portari homo: manibus suis nemo portatur. Quomodo intelligatur in ipso David secundum literam, non invenimus: in Christo autem invenimus: ferebatur enim Christus in manibus suis, quando commendans ipsum corpus suum ait: Hoc est corpus meum: ferebat enim illud corpus in manibus suis. Ubi nota, S. Augustinum velle, Christum secundum literam, hoc est, realiter, corpus suum tulisse; nam in hoc aliquod speciale prodigium, quod aliis hominibus, etiam Davidi, impossibile fuerit, agnovit. At, si Christus tantum figuratè tulisset corpus suum, nil prodigiosi fecisset, nec aliquid Davidi, aut aliis impossibile; cum quilibet possit ferre in manibus suis aliquam sui imaginem. plura vide apud Bellarminum loc. modò cit.*

61. Jam in form. neg. ant. & respondeo ad textus objectos. Ad 1. S. Augustinus ibi loquitur, non de sacramento, sed de fide incarnationis: neque per cibum, qui non perit (de quo ibi meminisse) intelligit SS. Evcharistiam, sed varios actus virtutum, utiles ad vitam æternam; nam ibi nondum venerat ad locum Evangelij, ubi agitur de sacramento; unde, licet de spirituali aliqua manducatione ibi agat, non excludit realem manducationem Evcharistia, de cujus manducatione ibi non loquitur. Ad 2. textum. Resp. Evcharistia est signum corporis Domini præsentis, si species sacramentales veniant in recto: vel, si ipsum corpus veniat in recto, est signum corporis Domini, ut in cruce immolati, de qua re vide dicta n. 57. Ad 3. textum. Evcharistia iterum dicitur signum, seu figura corporis; vel quia species sacramentales veniunt in recto; vel quia significatur corpus in cruce.

Ad 4. textum. S. Doctor vult dicere, non esse idem corpus quoad aliqua accidentia, licet sit idem quoad substantiam, eo sensu, quo quidam à perversa vita ad meliorem conversus dixit: *Ego non sum ego*: aut sicut Apostolus 1. Cor. 15. v. 37. dicit: *Non corpus, quod futurum est, seminans, sed nudum granum*: ubi allegoricè vult dicere, non idem corpus humanum mori, & seminari in sepulchro, quod postea resurget: quod verum non est, nisi intelligatur, non idem quoad accidentia; est enim idem quoad substantiam: & in hoc sensu hæc ipsa Apostoli verba explicat ipse S. Augustinus epist. 146. Quomodo autem non manducetur idem corpus, explicat S. Doctor, cum eadem enarrat. in psalm. 98. paulò post medium de Cappharnaitis ait: *Durum illis visum est, quòd*

ait: *Nisi quis manducaverit carnem meam, non habebit vitam eternam: acceperunt illud stulte, carnaliter illud cogitaverunt, & putaverunt, quod praeisurus esset Dominus particulas quasdam de corpore suo, & daturus illis.*

62. Ad 5. textum Resp. opponendo illi alium textum, supra n. 59. citatum ex l. 5. de baptis. contra Donat. c. 8. ubi S. Doctor dicit, etiam in impiis, adeoque etiam in Juda (de quo ibi etiam loquitur) post sumptam SS. Evcharistiam esse corpus Christi: non autem est spiritualiter: ergo tantum materialiter. Unde, ut textus objectus concilietur cum altero modo citato, notandum, quod S. Augustinus aliquando aliquam nomenclationem, seu appellationem adhibeat in sensu restrictiore, ita, ut eam non tribuat cuilibet rei, quae tantum habet essentiam, ea nomenclatione, seu appellatione significatam: sed tantum illi, quae habet etiam effectum, seu qualitatem sibi debitam; unde, cum Judas, licet receperit essentiam Evcharistiae, non tamen receperit effectum ejusdem, dicitur à S. Augustino, Evcharistia non fuisse manducata à Juda.

In hoc sanè sensu idem S. Augustinus loquitur *serm. 2. de verb. Apof.* dum ait: *Illud manducare refici est... illud bibere, quid est, nisi vivere?* certè vivere est tantum effectus, non verò essentia illius potùs; nam etiam sacrilegè bibens sibi ad mortem, & judicium, tamen bibentiam illius potùs accipit. Dein saepe, quando aliqua res nominatur, ea non intelligitur quoad substantiam, sed tantum quoad qualitatem, & effectum: sic 1. *Cor. 15. v. 44.* dicitur: *Surget corpus spiritale;* cum tamen quoad substantiam corpus resurgens sit materiale: & *ibidem v. 50.* dicitur: *Caro, & sanguis regnum Dei possidere non possunt:* quod tantum intelligi potest de effectibus carnis, seu peccatis, vel qualitate carnis, id est corruptione, ut exponit S. Augustinus *ep. 146.* ajens: *Melius eo loco intelligitur caro, & sanguis, pro corruptione carnis, & sanguinis posita:* alias utique corpora erunt in caelo.

Ad 6. textum. Illud credere est aliqua spiritualis manducatio, sed non excludit realem. Ad 7. S. Augustinus tantum excludit realem manducationem eo modo, quo sibi eam imaginabantur Capharnaitae, de quibus n. 61. nam ille modus poterat videri indecens, aut crudelis, vel peccaminosus: non autem ille, quo sub specie panis Christum manducamus. S. Doctor autem tantum vult, non literaliter significari modum manducandi flagitiosum; ait enim illis verbis: *Nisi manducaveritis &c. Facinus, vel flagitium, Christus videtur jubere:* & hinc vult, cogitandam potius esse Domini mortem, quam talem crudelem modum manducandi. Ea autem recogitatio mortis Christi fit per ipsam manducationem Domini, sub speciebus sacramentalibus; unde hinc S. Augustinus aliud non vult, quam quod praecipit S. Paulus 1. *Cor. 11. v. 26.* per illa verba: *Mortem Domini annuntiabit.*

63. Ad ultimum, seu octavum textum, inprimis retorq. argumentum. Infantes nec spiritualiter per fidem actualem possunt Evcharistiam sumere. Resp. 2. S. Augustinum ad summum ibi docere, infantibus esse necessariam Evcharistiam, non in re, nec in voto explicito (cujus ob defectum rationis sunt incapaces) sed in voto implicito, quod ait, esse baptismum; sicut enim quilibet corporaliter genitus exigit, & desiderat cibum, sed suo tempore sumendum: ita etiam quilibet spiritualiter genitus exigit pro suo tempore spiritualem cibum. Dein per baptismum homo ingreditur Ecclesiam, atque incorporatur Christo, quae incorporatio juxta SS. Patres aliquo modo aequivaler sumptioni Evcharistiae: & in hoc sensu baptismus est virtualis sumptio Evcharistiae. Unde hic textus prorsus non explicat, quid sit Evcharistia in se, sed ad summum exponit aliquem modum allegoricum, vel mysticum, eam sumendi.

Et hanc esse mentem S. Augustini magis patet ex C. *Quia passus est. 30. dist. 2. de consecrat.* ubi hic S. Doctor refertur sic loqui: *Nulli est aliquatenus ambigendum, tunc unumquemque fidelium, corporis, & sanguinis Domini, fieri participem, quando in baptisate membrum efficitur Christi, nec alienari ab illius panis, calicisque consortio, etiam si, antequam panem illum comedat, & calicem bibat, de hoc saculo, in unitate corporis Christi constitutus, abscedat; sacramenti quippe illius participatione, ac beneficio non privatur, quando in se hoc, quod illud sacramentum significat, invenit: quae verba, paucissimis accidentaliter mutatis reperuntur C. *Nulli. 131. dist. 4. de consecr.* & in eundem prorsus sensum loquitur S. Fulgentius *epist. ad Ferrandum de baptismo aethiops sub finem:* ubi exhibetur etiam S. Augustini *sermo ad infantes &c.* vide etiam *tr. de virt. Theol. n. 384.**

Quare videtur SS. Augustinus, & Innocentius, aliud non velle, quam parvulos debere per baptismum (de quo ex primaria sua intentione hi SS. Patres agunt) fieri membra illius corporis mystici, quod manducant illum panem, & bibunt illum sanguinem, ut tali ratione eum panem manducant in corpore suo, sive per alios, sicut credunt per alios. Vel (ut videtur satis aperte indicare S. Fulgentius *loc. modo cit.*) videntur isti SS. Patres velle, parvulos per baptismum fieri membra Christi, vel incorporari Christo, adeoque participes fieri corporis Christi: & hinc est, quod quidem S. Fulgentius ferè eadem verba, quae C. *Quia passus est. supra cit.* habentur, ad Ferrandum scribat: attamen in fine paulò aliter habeat, scilicet: *Sacramenti quippe illius participatione, ac beneficio non privatur, quando ipse hoc, quod illud sacramentum significat, invenitur:* hoc est, quando ipse invenitur esse corpus Christi, seu de corpore Christi, quod illo sacramento significatur.

64. Ob. 6. contra 3. conclus. In vino, in

in quod Christus *Joan. 2.* convertit aquam in nuptiis Canae Galilaeae, manet materia prima aquae: ergo etiam manet materia prima panis in Evcharistia. Confirm. 1. Christus dicit *Marc. 14. v. 25.* *Non bibam de hoc genimine vitis, usque in diem illum, cum illud bibam novum in regno Dei* (quod etiam habetur *Matth. 26. v. 29.*) atqui hoc dictum fuit post consecrationem: ergo post hanc adhuc adest vinum. Confirm. 2. Evcharistia nutrit etiam corporaliter: ergo est panis. Confirm. 3. Ad sacramentum requiritur elementum: ergo requiritur panis. Confirm. 4. Si destruitur panis, debet dari transubstantiatio: sed haec incognita fuit antiquis, & primum inventa est in Concilio Lateranensi IV. sub Innocentio III. ergo non datur, adeoque neque destruitur panis.

65. Resp. om. antec. neg. conseq. quia, quod semel in aliqua conversione factum est, non debuit semper fieri. Dein non potest ex materia panis fieri corpus Christi; esset enim aliud corpus, quam passum fuerit: at potuit ita fieri ex materia aquae vinum. Ad 1. confirm. neg. mi. S. Lucas clarè distinguit duos calices c. 22. v. 17. & 20. & primo calici, sive non consecrato, subnectit verba objecta: tum refert alium calicem datum, scilicet consecratum, cui nihil postponit. ita docent S. Hieronymus in *Matth. 26. v. 26.* *Canantibus autem &c.* Beda, Theophylactus apud Cornelium à Lapide in c. 26. *Matthaei. v. 29.*

Quod autem S. Matthaeus, & Marcus haec verba referant, postquam jam meminere consecrationis, inde est, quod illi non respexerint ad illum calicem, sed tantum ad vinum in mensa appositum: vel, ut Cornelius ait, non narraverint suo loco rem non adeò magni momenti. Quod si etiam verba illa dicta fuissent post consecrationem, tamen (ut exponit S. Anselmus in c. 26. *Matth. & eum versum*) non deberent referri ad calicem consecratum, sed ad calicem prius potatum, cum esu agni paschalis; cum Christus ibi voluerit dicere, se non amplius bibiturum more veterum, observando caeremonias Judaicas agni paschalis.

66. Ad 2. confirm. neg. conf. Deus enim miraculosè supplet defectum materiae, producendo novam, in locum prioris destructae: quod miraculum non gratis asseri, sufficienter probant nostrae rationes gravissimae pro conclusione. Ad 3. confirm. neg. conseq. Elementum, seu materia Evcharistiae, sunt species sensibiles panis, & vini, non autem ipsa substantia. Ad 4. confirm. neg. mi. quia transubstantiatio quoad rem fuit semper assera, quamvis fortè haec vox *transubstantiatio* antiquis non fuerit in usu: sicut autem occasione aliarum haeresum Ecclesia coepit adhibere alias voces, e.g. contra Nestorianos vocem *Theotocos*, adversus Arianos *homoios*; ita contra istos impanatores potuit adhibere vocem *transubstantiatio*; praeteritum, cum à Patribus passim confectio SS. Evcharistiae vocetur *conversio*, *trans-*

mutatio, & à Theophylacto *transselementatio*, dum in 14. *Marci* ait: *Speciem quidem panis, & vini, servat: in virtutem autem carnis, & sanguinis transselementat.*

67. Ob. 7. SS. Patres SS. Evcharistiam vocant panem, & vinum: ergo post consecrationem adhuc realiter adest panis, & vinum. Confirm. 1. S. Irenaeus l. 4. *advers. haeres. c. 34.* ait: *Jam non communis panis est, sed Evcharistia, ex duabus rebus constans, terrena, & caelesti:* ergo constat corpore Christi, & pane. Confirm. 2. Origenes in c. 15. *Matth.* ait, Evcharistiam secundum id, quod habet materiale, abire in ventrem, & in secessum emitti: ergo partialiter saltem constat pane.

Confirm. 3. Theodoretus in *Eraniste, seu dialogis contra sui temporis haereticos. dial. 2. post medium* ait: *Neque enim signa mystica post sanctificationem recedunt à sua natura; manent enim in priore substantia, & figura, & forma:* ergo manet substantia panis. Confirm. 4. Gelasius l. contra *Eutych. de duab. natur. Chri.* ait: *Sacramenta, quae sumimus, corporis, & sanguinis Christi, Divina res est, propter quod & per eandem Divina efficiuntur consortes natura: & tamen esse non desinit substantia, vel natura panis, & vini:* ergo. Confirm. 5. S. Damascenus l. 4. *orthod. fidei. c. 14.* ait: *Quoniam ita fert hominum usus, atque consuetudo, ut panem edant, vinumque, & aquam bibant, idcirco Divinitatem suam cum ipsis conjunxit:* ergo.

68. Resp. neg. conseq. SS. Evcharistia à SS. Patribus post consecrationem adhuc vocatur panis ex triplici causa 1. quia est panis caelestis, & supersubstantialis. 2. quia est panis apparenter propter remanentes species, seu accidentia panis. 3. quia est panis ampliativè, id est, immediatè antè fuit panis: sic *Exod. 7. v. 12.* serpens, in quem virga Moysis, seu Aaronis, fuerat conversa, vocatur *virga*: & statua falis, in quam *Gen. 19. v. 26.* versa est uxor Loth, dicitur uxor eius. Ad 1. confirm. neg. conf. Res terrena de qua S. Irenaeus, non est panis, sed sunt species sensibiles. Ad 2. confirm. Origenes aut deferendus est, aut in sensu morali intelligendus, de parte novae substantiae, quam Deus loco materiae panis creat, quaeque aliquo modo latè potest dici materia panis: & partialiter vadit in secessum.

Ad 3. confirm. neg. antec. Verba in Graeco ita sonant: *Manent enim prioris substantiae forma, & figura:* ergo loquitur de accidentibus. Dein Graeci (qualis fuit Theodoretus) saepius per naturam intelligunt naturam accidentium, seu ipsas proprietates, & externam speciem. Si tamen omnino Theodoretus sensisset, manere substantiam ipsam panis, materialiter errasset, sicut aliquando erravit, dum Nestorio favit, à quo errore postea resipuit. vide *Belarminum de scriptorib. Eccles.* Ad 4. confirm. nego suppositum. Gelasius ille non est Gelasius Papa, sed alius, de quo vide *Canum de locis*

locis Theol. l. 6. c. 8. ad arg. 9. & Bellarminum de scriptor. Eccles. in Gelasio. Sed & hic auctor tantum videtur intelligere accidentia, prout aliquando, non tantum scriptores Græci, sed etiam Latini intelligunt, ut videre est apud Bellarminum tom. 3. contr. 3. de Eucharist. l. 2. c. 27. si tamen hic auctor aliud voluisset, deferendus esset.

Ad 5. contr. neg. conf. S. Damascenus tantum vult, dari conjunctionem Divinitatis cum pane apparenter tali, seu aliquam conjunctionem cum speciebus; nam statim addit: *Panis ipse, ac vinum, in corpus, & sanguinem Dei immutantur*: idque explicat similitudine commutationis panis, & vini profani, ab homine sumpti, & per nutritionem in corpus hominis conversi: quo casu utique non manet panis. Ne autem dicas, manere saltem materiam; respondeo, S. Damascenum nullo modo velle, similitudinem esse omnimodam; nam ibidem ait, modum conversionis panis in corpus Christi, admirabilem esse, & nulla ratione indagari posse.

69. Ob. 8. Pronomen *hoc* potest juxta nos in recto significare accidentia: e. g. quando dicitur: *Hoc est fractum: hoc est congelatum*: quæ propositiones tantum veræ sunt, si intelligantur de speciebus panis, & vini: ergo idem pronomen *hoc* potest significare panem, adeoque iste potest adesse in Eucharistia cum corpore Christi. Resp. neg. suppositum argumenti. Non dicimus, quod simpliciter loquendo nunquam per pronomen *hoc* possit significari aliquid distinctum à corpore Christi: sed tantum dicimus, tale aliquid distinctum non posse significari per illud pronomen in ista propositione: *Hoc est corpus meum*; nam vi hujus propositionis ut veræ, debet illud, quod significatur per pronomen *hoc*, identificari cum corpore Christi: atqui panis cum illo non identificatur, ut est per se clarum, & explicativum n. 42.

70. Quod attinet ad propositiones in objectione adductas: *Hoc est fractum: Hoc est congelatum*: melius forte res exprimeretur dicendo: *Ha species sunt fracta: Ha species sunt congelata*: vel (ut modum loquendi Ecclesie servemus, adductum. n. 9.) *Hoc sacramentum est fractum*: & tunc possent per pronomen illud significari species, seu accidentia; quia ista inadæquate identificantur cum sacramento corporis Christi. Ad summum in illis propositionibus per pronomen *hoc* potest intelligi corpus Christi ut Eucharisticum: sub qua reduplicatione iterum species, seu accidentia, ipsi inadæquate identificantur. An autem etiam debeat dici: *Hoc sacramentum est congelatum*: vel: *Hic sanguis Christi ut Eucharisticus est congelatus*: multum dependet ab eo, an etiam usitati sint hi modi loquendi. Saltem istæ propositiones plus significare non possunt, quam species sacramentales esse congelatas. Cæterum, quidquid dicatur de his, & similibus propositionibus, semper manebit verum, quod in altera propositione:

Hoc est corpus meum: non possit per pronomen *hoc* intelligi panis.

QUÆSTIO II.

De Materia Eucharistica.

ARTICULUS I.

Quenam sit Materia Remota Sacramenti SS. Eucharistia.

71. Dico 1. Materia remota, necessaria ad valorem sacramenti Eucharistia, est panis triticeus, & vinum de vite. ita S. Thomas 3. p. q. 74. a. 1. in corp. & cum eo communissime Theologi omnes, exceptis uno, & altero, quorum tamen sententia ab aliis merito deseritur. Probatur ex Concilio Florentino in decreto Eugenij IV. pro Armenis, ubi ita habetur: *Tertium est Eucharistia sacramentum, cujus materia est panis triticeus, & vinum de vite, cui ante consecrationem aqua modicissima admisceri debet.*

Nec dici potest, Concilium assignare tantum materiam præcipuam, & convenientissimam, aut necessariam tantum necessitate præcepti, non verò necessariam necessitate sacramenti; nam mens hujus Concilii ex communi Theologorum est, tradere materias, & formas sacramentorum essentialia; alias enim nihil certi posset ex hoc Concilio colligi, postlerque eadem ratione dici, ad baptismum non esse simpliciter necessariam aquam, sed tantum esse materiam magis convenientem: ad extremam unctionem non esse necessarium oleum, sed hoc esse tantum magis conveniens, & ad ejus sacramenti valorem sufficere etiam alium quemcumque liquorem &c. quæ admitti non possunt.

72. Dico 2. Sive panis triticeus sit azymus, sive fermentatus, valide in eo consecratur. ita iterum Florentinum in literis unionis, ubi sic habetur: *Diffinimus ... in azymo, sive fermentato pane triticeo, corpus Christi veraciter confici*: scilicet uterque panis est verè, & simpliciter dictus panis; nam de fermentato nemo dubitat: de azymo habetur clarum testimonium ex Luca 24. ubi de Christo, duobus discipulis in Emmaus apparente, dicitur v. 30. *Accepti panem, & benedixit, ac fregit.* & v. 35. *Cognoverunt eum in fractione panis.* ubi panis azymus, quo ea die certissimo utebantur Judæi, vocatur simpliciter panis. Confir. Sive vinum sit rubrum, sive album, utrumque sufficit ad consecrationem calicis: ergo etiam uterque panis; cum in hoc non sit major discriminem morale in uno, quam in altero.

Necessitate autem præcepti tenentur Latini consecrare in azymo, Græci verò in pane fermentato, ut iterum statuit Florentinum, verbis ultimò citatis hæc adjungens: *Sacerdos*

sacerdotesque in altero ipsum Domini corpus conficere debere, unumquemque scilicet juxta suam Ecclesiam, sive Occidentalis, sive Orientalis, consuetudinem. Item teste Tamburino, in methodo expedita commun. c. 2. §. 9. n. 2. constituit Pius V. ne Græci Latino more, & Latini Græco ritu Missas, & alia officia Divina celebrarent.

73. Unde Suarez. tom. 3. in 3. p. disp. 44. sec. 3. §. Illud verò. Coninck de sacram. q. 74. a. 4. dub. 3. n. 117. Tamburinus meth. expedit. commun. c. 2. §. 9. n. 7. dicunt, licere quidem, ut sacerdos Latinus, transiens per Græcam Ecclesiam, vel Græcus per Latinam, se accomodet ritibus loci, ita, ut Latinus celebret in fermentato, Græcus in azymo: at statim addunt, eum non teneri; imò melius, & expeditius esse, si quisque in suo ritu celebret; quia hæc consuetudines non sunt tantum diversorum locorum particularium, sed sunt consuetudines generales Ecclesie. Dein valde difficulter addideret sacerdos Latinus Missam Græcam, vel Græcus Latinam: dicere autem sacrum ritu, & idiomate Latino, cum pane tamen fermentato, esset celebrare, partim Græco, partim Latino ritu, quod non potest decenter, aut licite fieri.

Si verò sacerdos talis non tantum transiret per aliam Ecclesiam, tanquam peregrinus, sed stabiliter velit ibi manere, fiet membrum Ecclesie illius, adeoque, ut ajunt iidem auctores, debet se accomodare ritui Ecclesie, ad quam transiit. Ex hucusque dictis inferitur, etiam sufficere panem sale conditum; nam hic communiter misceri solet pani fermentato, qui tamen sufficit: præterquam, quod salis quantitas, quæ miscetur, sit modica.

74. Dico 3. Non tantum adhibetur valide ad consecrationem, panis ex tritico strictè dicto, quod germanicè vocatur *Waizen*, sed probabilius etiam valide adhibetur panis ex tritico minus strictè dicto, & Suevis maxime usitato, quod vulgò vocatur *Kern*, seu *Fesem*. Certè Petrus de Palude, seu Paludanus, & Albertus Magnus apud S. Antoninum. 3. parte. tit. 13. c. 6. initio docent, ex spelta posse confici Eucharistiam: & sanè Albertus Magnus, qui Lauingæ in Suevia natus est, per speltam videtur intelligere triticum Suevicum, & defacto apud nos triticum illud Suevicum latinè solet vocari spelta. Tamerus tom. 4. disp. 5. q. 2. dub. 3. n. 107. asserit, de hoc tritico, ut vocat, Suevico, esse extra controversiam, quod sit materia valida. Eandem speltam, seu triticum Suevicum, materiam esse validam sacramenti Eucharistia, docent Layman l. 5. tr. 4. c. 2. n. 2. Haunoldus l. 4. tr. 3. c. 3. contr. 1. n. 788.

Idem docet Gobat in alphab. sacrific. casu 2. n. 29. qui ibidem n. 28. præmierat, non esse dubitandum, quin Episcopi, alique superiores Ecclesiastici, sedulo caveant, ne ad tam augustum sacramentum adhibeatur materia non idonea. Consentunt Illung tr. 6. disp. 4. a. 2. n. 63. Sporer, Sangallenses, Anacle-

tus, Gervasius. Idem censent recentiores Germani, in manuscriptis passim. Tandem etiam Arriaga, qui in Bohemia scriptis, idem probabilius esse asserit tr. de Euchar. disp. 30. sec. 1. n. 5.

75. Et horum, præsertim Germanorum Theologorum, autoritas, videtur debere hac in re magis attendi, quam exteriorum, qui ordinariè dubitare solent, quid significetur per vocem *spelta* (quam vocem nos Germani tribuimus tritico Suevico, germanicè dicto *Kern*, vel *Fesem*) quia nesciunt, quid apud nos crescat: adeoque tam parum ferre possunt iudicium, quam nos de Hispano *candéal*, *timefimo*, *ladolla*, *centeno*, vel *italico farro*: quibus quid strictè significetur, ignoramus. Sed neque termini Latini clari sunt. Auctores quidem conveniunt in eo, quod hordeum, & avena significant *Gersten*, & *Haber*: at non conveniunt, quid propriè significant *sligo*, *spelta*, *secale*, *alicatrum*, *far*, *ador*, *zea*, *typha*.

Nos siliginem germanicè vocamus *Roeken*: sed dubium est, an antiquis non aliud significarit, nempe triticum aliquod electus, de quo Plinius *Histor. natural. l. 18. c. 8.* ait: *Siliginem propriè dixerim tritici delicias.* & c. 9. *Est siligine lautissimum panis.* Columella econtra de re rustica l. 2. c. 9. ait: *Nec nos tanquam optabilis agricolis fallat sligo; nam hoc tritici visum est: & quamvis candere præset, pondere tamen vincitur.* & post pauca: *Omne triticum solo uliginoso post tertiam sationem convertitur in siliginem.* Vicissim tamen Plinius l. 18. c. 8. ait, siliginem in quibusdam terris intra biennium verti in triticum. Arriaga tr. de SS. Eucharist. disp. 30. sec. 1. n. 3. testatur, idem contingere in Hungaria, & aliquibus terris Hispaniæ. Et quidem Arriaga certò loquitur de siligine, seu de eo frumento, quod germanicè vocamus *Roeken*; quia illud enucleatè describit, & accuratè distinguit à tritico Suevico.

76. Prob. jam conclusio. In Suevia, & aliis finitimis Sueviæ regionibus, passim defacto sunt sacræ hostiæ ex spelta (sic deinceps vocabimus triticum Suevicum) eaque adhibeantur citra scrupulum à viris doctissimis, & religiosissimis, ac probabilissimè ab ipsis Episcopis: non autem est credibile, quod Deus hoc permetteret, si hæc materia esset invalida; esset enim error maxime perniciosus, qui probabiliter invalidas redderet ordinationes etiam sacerdotum: ergo. Confirm. 1. Panis ex spelta est sapidissimus, & candidissimus, etiam principibus usitatus, & in æstimatione morali nihil serè differt à triticeo strictè tali: ergo est sufficiens. prob. conseq. communiter asseritur, non solum triticum strictè dictum sufficere, sed etiam illud, quod in æstimatione morali, eorum maxime, qui regionum, & rei rusticæ, sunt periti, triticum etiam censetur (ex hac enim ratione Hispani ajunt, suum *candéal*, esse sine controversia aptam SS. Eucharistia materiam) sed

sed Suevi, regionis suæ, & rusticæ rei periti, censent de sua spelta, eam esse in morali æstimatione triticum: ergo.

Confirm. 2. Licet S. Thomas 3. p. q. 74. n. 3. ad 2. videatur insinuare, quod spelta non nascatur ex tritico, sed tantum siligo, tamen Petrus Paludanus apud S. Antoninum 3. p. tit. 13. c. 6. initio ait: *Comperit enim est, quod in eadem terra triticum seminaturo uno anno generabat speltam, vel far: in alio triticum: quod si verum sit, non differt specie ex S. Thoma loc. cit.* adeoque spelta est materia apta conficiendæ SS. Eucharistiæ. vide S. Antoninum loc. cit. Quod si far, & ador idem sint cum spelta (ut videtur velle Frisius in *lexico*) eadem de ipsis est conclusio: sin minus, nihil autem decidere; quia sunt mihi incognita frumenta.

77. Dico 4. Panis etiam ex siligine, seu fecali (si per hæc verba intelligitur ea species frumenti, quam germanice dicimus *Rocken*) est materia valida SS. Eucharistiæ. ita S. Thomas 3. p. q. 74. n. 3. ad 2. & alii Theologi communiter. Prob. conclusio. Panis iste adhuc censetur esse ex tritico, saltem latius dicto, estque valde bonus, & valde communis; etiam regionibus, ubi nullus tritici strictè dicti est defectus, adeoque est simpliciter panis sine addito. Confirm. Ut supra n. 75. ex Plinio dictum est, ex tritico, ob terræ malignitatem, nascitur siligo, & ex siligine, ob terræ fertilitatem, nascitur triticum: ergo non differunt specie; cum terræ diversitas non videatur posse inferre diversitatem specificam germinum.

Necessitas, etiam acetum nasci ex vino, & fortè neque differre specie physica à vino, quin tamen sit materia apta Eucharistiæ, respondetur enim, acetum non nasci ex vino, tanquam germinante, sicut ex tritico germinante nascitur siligo: sed acetum nasci ex vino, tanquam materia subiecta, in quam agit alia causa corruptiva vinum. Quod si dicas, vinum desinare in acetum per solam separationem certorum corpusculorum, adeoque physice non differre specie. Resp. Qui sic loquuntur, supponere debent systema atomisticum, seu corpuscularium: in hoc autem systemate differt specie physica complexum corpusculorum constituens vinum, à complexo constituyente acetum. Dein saltem specie morali valde inter se differunt vinum, & acetum; cum hoc non sit aptum ad potum. At non ita differt moraliter siligo à tritico, ut non sit apta ad cibum; cum ipsa constituat panem valde bonum, & usualem. Quod autem sit aliquanto deterius tritico strictissime dicto, non refert; nam etiam unum triticum est aliquando deterius altero.

78. Dico 5. Panis ex aliis frumentis, hordeo, avena, ocymo, milio, tritico Turcico, oriza, cicerebus, lentibus, fabis, pisif, nucibus, glandibus, castaneis, amygdalis, & aliis fructibus, vel corticibus arborum, aut leguminibus, est materia certò invalida. ita communissima. Probatur. Omnes istæ

species panis, non sunt panis triticeus, nec moraliter talis, qualem tamen Florentinum requirit: nec sunt panis communiter usualis: sed tantum sunt panis, qui adhibetur in defectu veri, & simpliciter dicti panis: nec vocatur talis panis simpliciter panis, sed cum addito, avenaceus, hordeaceus &c. & sic vocatur ille in Evangelio, quem Christus distribuit *Joan. 6. v. 9.* item ille, quo Euseus pavit populum 4. *reg. 4. v. 42.* ergo talis panis non est materia apta consecrationi SS. Eucharistiæ.

79. Dico 6. Non potest consecrari pasta farinacea cruda; sed debet esse cocta, seu pista. ita communis. Prob. Massa talis cruda, etsi physice non differat specie à pane, differt tamen valde moraliter, nec est panis usualis: ergo. Ubi addendum, panem consecrationi aptum debere esse confectum ex farina triticea, & aqua elementari, permixtis; si enim adhiberetur aqua rosacea, lac, vel butyrum, aut misceretur caseus, seu mel, esset potius placenta, vel libum, quam panis usualis: adeoque esset materia inepta: nisi tamen in minima tantum quantitate misceretur tale aliquid impertinens; tunc enim non foret contra substantiam sacramenti. Sic sæpe miscetur farinæ triticeæ modicum quid farinæ ex avena, vel milio &c. Lugo de *Eucharistiâ. disp. 4. sec. 1. n. 4.* etiam rejicit, & bene, hoitias rubras, mixtas cinnabari, quibus obignantur literæ; quia panis usualis non sunt. Idem docet Diana *parte. 7. tr. 12. resolut. 8.*

80. Dico 7. Vinum de vite cujuscunque regionis, sive abum, sive rubrum, est materia sufficiens ad consecrationem calicis, ita omnes. Probatur ex praxi communi Ecclesiæ, quæ est optima ratio, atque certissima hujus conclusionis. Per vinum autem de vite intelligit Florentinum, ex communi doctorum sententia, id, quod naturaliter debet provenire ex vite; quare, si supernaturaliter aliquid vinum produceretur, utique sufficeret: potuissentque Apostoli, si tum jam fuissent sacerdotes, consecrare vinum, in nuptiis Canæ Galilææ miraculosè productum; sicut etiam sufficeret ad hostias triticum, vel panis miraculosè productus: & pariter sufficeret ad confirmationem balsamum, & oleum olivarum miraculosè productum. Meritò tamen aliqui in Germania rejectum est vinum Hispanicum dictum; quia non est vinum ex Hispania allatum, nec per vites productum, sed ab Oenopolis quandoque confectum, infusâ, & immixtâ plurimâ aliâ materia, ut verè amplius vinum non sit: adeoque consecrationi sit ineptum.

81. Dico 8. Vinum adustum, seu spiritus vini, sive fiat ex ipso vino, sive ex residuis facibus vini, vel acinorum expressorum, sive ex facibus cerevisiæ: item liquor ex pomis, cerasis, vel aliis fructibus, expressus (qui etiam aliquando vocatur vinum, seu mustum; non tamen simpliciter, sed cum addito) rursus lora, seu lorea, id est, aqua illa, quæ botris jam expressis affun-

affunditur, ut iterum expressi denuò liquorem, vini particulis mixtum, reddant: item sapa, seu defrutum, quod est quasi pulmentum, ex musto ad tertiam partem de facto factum: non sunt materia apta consecrationi. Prob. Ista non sunt vinum simpliciter tale, & usuale: ergo. Similiter agrestis, seu succus, ex uvis immaturis expressus, nondum est moraliter vinum. Acetum autem, licet fuerit, tamen non est amplius vinum; quia jam est corruptum. Sed neque consecrari possunt ipse uvæ ante expressionem; quia non sunt moraliter potus, sed cibus: nec dicimur, uvas bibisse, sed comedisse. Et quoad hæc conveniunt omnes auctores.

82. Succum, ex uvis passis expressum, esse materiam validam SS. Eucharistiæ, admittit Amicus *tom. 7. disp. 16. sec. 3. n. 34.* asserens Egypti consuetudinem. Admittit etiam Gobat *tr. 3. seu alphabet. sacrific. casu. 2. sec. 2. n. 49.* asserens, esse substantialiter vinum, & quidem sine aqua; nec dissentit Diana *tom. 7. tractatu 12. resolut. 8.* Interim tamen his primùm annis, nempe *an. 1716. mense Junio* Claudius Sicard, Missionarius in Egypto ex nostra Societate, non ausus est adhibere tale vinum, & maluit ex crypta S. Antonii Magni, absque peracto sacrificio, recedere; nam, ut scribit, Egyptii uvas passas immittunt in aquas, ut scilicet intumescant, & humorem attrahant, quem dein mixtum naturali humori illarum uvarum exprimunt, & ad sacrificium adhibent. ita scripsit dictus Missionarius Cajro *an. 1717.* Et sanè talis liquor non est vinum, sed aqua dulcis.

Vinum absynthicum, vel aromaticum, aut conditum, nisi sit notabiliter corruptum, & degeneret ab usuali, probabilius sufficere asserit Tannerus *tom. 4. disp. 9. 2. dub. 5. n. 141.* quia, ait, absynthium permixtione non magis mutatur natura vini, quam aqua permixtione lalis, aut sulphuris. & tamen ad baptismum potest valde adhiberi aqua sulphureis particulis mixta.

Intellige, ista vina probabiliter sufficere quoad valorem; nam licet adhiberi minime possunt, nisi in casu maxime necessitatis, ob prohibitam, ab Innocentio XI. propositionem primam, asserentem, adhiberi licet posse materiam tantum probabilem, quando agitur de valore sacramenti, & potest haberi certa, ac tuta. Et sanè ipsa dignitas sacramenti exigit; ut nulli prorsus frustrationis periculo exponatur.

83. Vinum ascensum consecratur valide juxta omnes, & ita habetur in *rubricis Missalis de defectibus. §. 4. n. 2.* quia adhuc verè est vinum, licet jam sit dispositum ad corruptionem. Licet tamen adhiberi non potest extra necessitatem; eoquod dignitatem tanti sacramenti dedecet. Suarez tamen *tom. 3. in 3. p. disp. 85. sec. 2. §. Primò igitur.* numerat inter defectus leviores, si vinum sit tantum aliquantum acidum, & putat, si aliud haberi non possit, tolerandum esse. Idem censet Gobat *tr. 3.*

seu alphabet. sacrific. casu 2. sec. 2. n. 54. & videtur confirmare praxim in pagis. Quando ergo in *rubricis Missalis de defectibus. §. 4. n. 2.* dicitur, peccari graviter, si visum accessens, aut mustum, vel aqua rosacea mixtum, vel simile quid, adhibeatur ad sacrificium, juxta hos auctores videtur id dictum intelligendum esse, non de quolibet defectu ibi expresso, sed tantum de aliquibus indeterminatè, qui magis adhuc determinari debent ex consideratione ipsius defectus, an nempe gravis videatur, an non: & non videtur gravis defectus istis auctoribus, si vinum modicè sit acidum: at verè si sit valde acidum.

84. Dico 9. Mustum, ex uvis recens expressum, est materia valida consecrationis. ita habetur in *rubricis Missalis de defectibus. §. 4. n. 2.* his verbis: *Si vinum ceperit acescere, vel corrumpi: vel fuerit aliquantum acre: vel mustum ex uvis recens expressum: vel non fuerit admixta aqua: vel fuerit admixta aqua rosacea, seu alterius distillationis; conficitur sacramentum: sed consciens graviter peccat.* Probatur. Mustum est substantialiter vinum verum, & etiam usuale, licet sit adhuc facibus mixtum, ob quam rationem non licet id adhibere extra necessitatem: in qua tamen permittitur à Julio Papa C. *Cum vixit crimen. 7. de consecr. dist. 2.* ubi dicitur: *Si necessè sit, botrus in calice comprimaturo, & aqua misceatur.*

85. Suarez tamen, Vasquez & alii, citati à Gobat *tract. 3. seu alphabet. sacrific. c. 2. sec. 2. n. 50.* non approbant consuetudinem aliquarum diæcesium, certo anni tempore multum in calicem exprimendi, & consecrandi: ipse tamen Gobat *loc. cit.* putat, excusandum esse hunc morem; quia usus longævi non est levis auctoritas, ut habetur C. *Cum consuetudine, de consuetudine.* Tannerus etiam *tom. 4. disp. 5. de SS. Eucharisti. q. 2. dub. 5. n. 144.* præmittens, dici in C. *Cum omne crimen, de consecratione. dist. 2.* si necesse fuerit, posse botrum in calice exprimi, & aqua misceri &c. subjungit: *Cur non etiam ob egregiam aliquam causam antiquissima institutionis, à Sanctis forsam auctoribus derivata, publicæque edificationis, & devotionis, similis consuetudo licetè retineatur, juxta communem, & antiquum Ecclesiæ alicujus ritum, à Pontificibus utique scitum, & nunquam hætenus improbatum?*

86. Dico 10. Vinum congelatum, est quidem probabilius materia valida: sed non est materia licita. Validam esse docet communior cum Gobat *tr. 3. seu alphabet. sacrific. c. 2. sec. 2. n. 56.* Layman *l. 5. tr. 4. c. 2. n. 6.* ubi citat Suarezium, Angelum, Sa, Conink de *sacram. q. 74. n. 5. n. 126.* Illung *tract. 6. disp. 4. n. 2. §. 2. n. 66.* Ratio est; quia vinum congelatum est adhuc verè substantialiter vinum, ut patet, si iterum resolvatur. Quod autem non sit materia licita, probatur ex eo, quod aliqui probabiliter doceant, requiri ad consecrationem vinum proximè potabile, quale non est vinum

vinum congelatum. Si tamen species post consecrationem congelentur, manet ibi Christus, ut desumitur ex rubricis *Missalis, de defectibus* §. 9. n. 11. debentque species ante sumptionem liquefieri, vel manibus (quæ tamen ordinariè ipsæ rigidæ parùm proficiunt) vel pannis calefactis, vel aqua ferventi, vel (ut sæpe in nostra Germania fit) prunis altari impostis, & admoto decenter sacro calice.

Si verò vinum congeleat ante consecrationem, putant Suarez, tom. 3. in 3. p. disp. 45. sec. 1. in fine. Coninck de sacram. q. 74. n. 5. n. 127. & alii, tutius, ac decentius adhiberi novum vinum; quia Alanus cum pauculis dubitat, an non vinum moraliter corrumpatur. Tannerus etiam tom. 4. disp. 5. de *Evcharist.* q. 2. dub. 5. n. 142. item Dicastillo. tr. 4. de *Evcharist.* disp. 2. dub. 5. n. 87. dicunt, mutandum esse vinum; si facile solvi non possit.

Gobat autem tr. 3. seu *alphan. sacrif. casu* 2. sec. 2. n. 55. ait, liquefaciendum esse vinum congelatum, nisi id fieri non possit sine longa mora, & perturbatione populi; hoc enim casu etiam putat, esse aliud vinum infundendum. Sed & Illung tr. 6. disp. 4. n. 2. n. 66. tantum ait, solvendam esse glaciem: quin Layman l. 5. tract. 4. c. 2. n. 6. ait, si vinum facile solvi possit, consultius fore, illud post factam resolutionem consecrare, quam mutare. Sanè nullum est dubium morale de valore consecrationis, post glaciem resolutionem factæ, nisi vinum fuerit rigidè congelatum, quo casu spiritus solent avolare, & vinum vigorem perdere.

ARTICULUS II.

Quæ ulterius sint notanda circa Materiam Remotam SS. Evcharistia.

87. Conveniunt in primis omnes in hoc, quòd materia utraque consecranda debeat esse præfens, ita habet traditio Ecclesiæ, quæ est ratio primaria. Altera ratio est; quia materia debet posse demonstrari per pronomen *hoc*, vel *hic*; alias forma consecrationis non esset vera. Debet itaque materia esse ita moraliter præfens, ut supra illam rectè cadant pronomina *hoc*, & *hic*; alias non consecrabitur: & hinc debet materia jam esse præfens, quando consecrans incipit pronunciaré formam; alias demonstratio non esset vera.

Jam verò, quàm vicina debeat esse præfentia, vel quanta possit esse distantia, desumendum est ex morali hominum iudicio. Item ex magnitudine, vel parvitate materia; licet enim de parvitate, vel turri, remota viginti, vel triginta, vel etiam centum passibus, possim dicere: *Hæc est pulchra civitas, vel turris*: non possum de acicula tam remota dicere: *Hæc est acicula*: etsi eam

viderem; unde incertum est, quòd aliqui dicunt, materiam viginti passibus distantem consecrari posse, non verò distantem triginta, vel quadraginta passibus.

88. Aliqui distinguunt inter acceptionem pronominum illorum *hic*, *hæc*, *hoc*, latissimam, latam, & strictam. Prima, seu *latissima acceptio* est, in qua significatur objectum tantum intentionaliter præfens, abstractando, an sit etiam physicè præfens: sic dicimus: *Hæc est sententia S. Thoma*. Secunda, seu *lata* est, in qua significatur objectum sensibilibiter præfens, sed abstractando, an habeat certam propinquitatem; vel non: sic dicimus: *Hic est sol*: *hæc est luna*. Tertia, seu *stricta* est, in qua significatur objectum sensibilibiter præfens, magis loquenti, quàm audienti. Sed hæc absque prudentum iudicio non potest esse ultima regula, ut patebit consideranti. Optimum est, hanc de distantia sola difficultatem esse potius speculativam quàm practicam; nam in praxi, cum non sit licitum consecrare materiam extra corporale, propinquitatis semper datur plus, quàm sufficiens.

89. Noto tamen, ad præfentiam non sufficere propinquitatem solum; nam communiter negant, hostiam à tergo positam validè posse consecrari, saltem, nisi quis eam manu teneat, vel alio signo demonstrat: licet etiam in hoc casu aliqui negent, validam esse consecrationem (licita enim certò non est) edquòd iudicent, debere talem esse præfentiam, ut alia demonstratione, quàm quæ per formam verborum fit, non egeat. Rursus, si interjectus sit paries, invalida consecratio est; quia non censetur, id moraliter demonstrari posse pronomine *hoc*, quòd est retrò parietem.

Fallum autem est, quòd aliqui volunt, materiam tangi debere; quia consecraturæ simplicem formulæ in corporali positæ, quin tangantur. Neque etiam debet materia ita esse propinqua, ut tangi possit; utique enim materia distans tribus passibus potest demonstrari per pronomen *hoc*. Minus verum est, quòd quidam videtur velle, scilicet debere sonum verborum devenire ad materiam; quia potest utique validè consecrari materia à sacerdote, qui ita submisit loquitur, ut vox eò non pertingat: sicut potest quis absolvi à peccatis, quin vox formæ ad ejus aures perveniat.

90. Sed neque debet materia actu videri; quia potest quis cæcus, vel alius in tenebris, consecrare: vel etiam verba ex Missali ita legere, ut durante consecratione materiam non videat: ad quam tamen visio præcedens nihil facit. Nec etiam debet materia esse præfens aliis sensibus, ut est clarum de gustu, & auditu: de tactu etiam jam diximus: & par est ratio de odoratu; quia sæpe, præsertim in hyeme, odor sentiri non potest: e contra aliquando potest panis, maximè recens est fumo, per odorem sentiri, quin tamen habeat præfentiam sufficientem ad consecrationem.

91. Debet tamen materia esse præfens, vel

vel in se, vel in toto, vel in continente proximo, & ordinato: hoc est, ut materia, vel immediatè in se sit visibilis exposita, uti est hostia major, e. g. coram sacerdote: vel in toto, uti sunt interiores partes panis expositæ ratione superficialium, vel plures formulæ in uno cumulo, ex quo tantum superiores videntur: vel in continente, uti sunt hostiæ in pyxide, vinum in calice, vel dolio.

Dixi, in continente proximo, & ordinato, scilicet ad eam materiam continentem; nam demonstrando continens, ordinatum ad continentem aliquam rem, rectè in humano modo loquendi, demonstratur contentum, & dicitur esse *hoc* &c. Sic demonstrando dolium, vel vitrum, aut cantharum plenum vino, rectè dico: *Hoc est vinum*: aut demonstrando marsupium, vel cistam plenam auro: *Hoc est aurum* &c.

92. At, si continens non sit ita ordinatum, non rectè adhibetur hic modus loquendi: sic licet panis sit in cubiculo, vel pannus sit in officina, non rectè dico, indigetando cubiculum, vel officinam: *Hoc est panis*: *hoc est pannus*. Ex quo infer, sacerdotem, transeuntem ante cellam clausam, non posse consecrare vinum intus latens: & probabilius neque poterit consecrare hostias, in tabernaculo positas, ut docet Coninck de sacram. q. 74. n. 2. dub. 1. n. 22. quia tabernaculum non est proximè ordinatum, ad recondendas hostias: sed remotè tantum, quatenus est ordinatum, ad recondendam pyxidem. Neque sacerdos (ut mihi cum Coninck loco modo citato videtur) poterit consecrare hostiam, infra mappam altaris latentem; quia mappa se habet ferè ut paries interjectus, neque est ullo modo ordinatum continens. Et eadem videtur esse ratio, si hostia jaceat sub Missali, vel simili integumento. Validè tamen sacerdos potest consecrare hostias, in pyxide etiam clausa ante se positas, vel vinum in calice clauso; neque de hoc dubitatur: at verò, ut licitè consecret, præscribitur à rubricis, ut detegatur vas, vel pyxis, in qua continentur hostiæ.

93. Quæritur autem hic, quid fieret, si sacerdos reposuisset super altare in corporali hostias, e. g. in lineo, ut vocamus, pileolo tecto, habens ab initio Missæ intentionem eas consecrandi, postea verò, dum consecrat, omnino oblitus, eas non detexisset, an tales hostiæ essent censendæ consecratæ. Hoc dubium, etsi hinc soleat ab authoribus agitari, tamen potius spectat aliò; quia præfentia est sufficientissima, & dubium esse potest tantum de sufficientia intentionis. Hinc, si incipio sacerdote fuissent hostiæ in corporali positæ, non essent consecratæ; quia in ignotum non fertur intentio: si verò sacerdos eas vidit, offerri, e. g. ab ædituo, ut consecret, & ab initio Missæ fecit intentionem consecrandi eas formulas, sive dein tempore oblationis, vel consecrationis, earum recorderetur, sive non; & sive eas detegat, sive non; absque dubio validè eas consecrat.

R. P. Ant. Mayr. Theol. Tom. II.

secreat. At quæritur, an intentio, communitè elici solita, se etiam extendat ad tales formulas, quarum oblitus sacerdos est, quasque non detexit.

94. Circa quòd primò dicendum, si formulæ non sint coopertæ, sed detectæ, eas omnino consecrari; præfentia enim earum sufficientissima est: intentio etiam ad illas se extendit; quia eas ab initio sacerdos intendit consecrare, eaque intentio virtualiter perseverat. Et hæc est communissima. Ratio autem, quam aliqui in contrarium afferunt, quòd scilicet intentio eas consecrandi non virtualiter perseveret, facile refellitur negando.

Dicent fortè, actiones sacrificii à sacerdote eodem modo esse eliciendas, sive unam tantum hostiam, scilicet solum grandem consecret, sive alias simul: adeoque in his actionibus non perseverare virtualiter intentionem consecrandi plures hostias. Sed respondetur, quòd illa intentio virtualiter perseveret, quæ ab initio fuit elicitæ: hæc autem fuit intentio consecrandi omnes hostias: ergo. Dein, licet actiones istæ externæ eadem sint materialiter, sive hæc, sive alia intentio, præcedat: tamen non sunt eadem actiones moraliter, seu ut liberæ, vel imperatæ; quia scilicet est alius actus liber imperans in uno casu, quàm in altero. Sanè P. Josephus Vogler, vir eruditissimus, in manu scriptis ait, hanc sententiam communissimam esse, ac passim sacerdotes doctos, & timoratos, absque nova consecratione distribuere ejusmodi formulas.

95. Jam verò, si formulæ sunt tectæ, & sacerdos eas non detexit, ait Gobat tr. 3. seu *alphan. sacrificant. casu* 3. n. 88. nullam esse difficultatem circa earum formularum consecrationem, modò nihil aliud deest. Tamburinus quoque de sacrificio *Missæ* l. 2. c. 1. §. 3. n. 15. ait, verum esse, quòd particule tales sint consecratæ. Diana part. 3. tr. 6. *resolut.* 103. asserit, etiam si pyxis non aperiat, fieri tamen consecrationem, & hoc docent omnes doctores. Busebaum quoque l. 6. tract. 3. c. 1. dub. 5. n. 3. ait, consecrari eas formulas, etiam ad oblationem non detegantur.

Alii verò auctores detectionis mentionem non faciunt: sed tantum dicunt, si sint hostiæ super corporali, & sacerdos eas prius consecrare intenderit, censendas esse consecratas: sic Suarez tom. 3. in 3. p. disp. 43. sec. 6. §. Sed obijciunt. La Croix l. 6. p. 1. n. 458. Coninck de sacram. q. 74. dub. 3. n. 41. Layman l. 5. tr. 4. c. 2. n. 54. Illung tr. 6. disp. 4. n. 3. n. 77. Bonacina tom. 1. disput. 4. q. 2. punct. 5. n. 6. dicunt, validè particulas tales consecrari, etsi sacerdos tempore consecrationis earum penitus oblitus fuerit: quo casu utique pyxidem clausam non aperiet, vel detegat. Apud hos auctores insuper videre est citatos plures alios, Scotum, Angelum, Reginaldum, Sa, Navarrum, Præpositum &c.

Videntur autem isti auctores, præsertim

tim Layman, & Illung sensisse, etiam consecrationem validam esse, etsi detectio non fiat; cum enim in Germania nostra scripserint, utique noverunt, hostias semper tectas ad altare afferri: adeoque, si putassent, omissam detectionem impedire valorem consecrationis, monere debuissent. Idem censendum de Coninck, qui cum *cit.* 9. 74. n. 23. dicat, hostias, etiam in pyxida clausa appositas, validè consecrari, utique scivit, eas ita solere ad altare afferri: sed & alii auctores non videntur de alio casu loqui.

96. Tannerus tamen *tom. 4. disp. 5. de Euchar. q. 2. dub. 2. n. 74. & 75.* movet aliquod dubium ex eo; quòd sacerdos censendus sit, tantum habuisse eam intentionem, quam licitè potuit habere: atqui non videtur, licitè potuisse habere intentionem consecrandi formulas, seu hostias non detectas; cum hoc sit contra rubricas: ergo. Sed respondet ipsemet *n. 76. dist. mi.* non videtur, licitè potuisse habere intentionem consecrandi primò, & per se, formulas non detectas. conc. mi. non videtur, licitè potuisse habere intentionem eas consecrandi per accidens, seu ex hypothesi oblivionis inculpatæ. neg. mi. consèq.

Vult dicere, quòd, quamvis sacerdoti non liceat, velle absolute, in quibusvis circumstantiis, consecrare hostias non detectas, e. g. etiam casu, quo id adverteret, tamen illi liceat, velle eas coopertas consecrare, casu quo inculpabiliter oblitus fuerit detectionis. Imò addit *ibidem n. 77.* Tannerus, non dubitare se, quin licitum, imò consultum sit, ad vitandos utrinque scrupulos, hanc intentionem elicere, scilicet consecrandi etiam formulas tectas, casu quo quis oblitus fuerit, eas detegere: ergo ex eius confessione intentio hæc licita est, adeoque sacerdos, qui censetur velle consecrare, quod licitè potest, censendus etiam est, eas consecrare voluisse.

97. Adde, quòd non videatur velle Ecclesia, ut non liceat sacerdoti, habere intentionem consecrandi formulas, cum aliqua etiam violatione rubricarum, si illa ex inculpabili inadvertentia, vel ignorantia oriatur. Et inprimis, si consecratio necessaria sit, ad sacrificium completum faciendum, utique Ecclesia certo non prohibet, quo minus sacrificium validè, & licitè fiat, etiam si plures rubricæ inculpabiliter non observentur; quia rubricæ longè prævalet necessitas, & præceptum, sacrificium in utraque specie integrum faciendi. Quamvis autem consecratio plurium formularum non sit necessaria ad sacrificium completum, tamen non videtur Ecclesia velle, prohibere intentionem tales formulas, e. g. non detectas consecrandi; si enim non liceret sacerdoti, concipere intentionem consecrandi tales formulas, etiam non necessarias ad sacrificium complendum, sæpe oriretur perturbatio gravis, aut fortè etiam aliquando scandalum, ex eo, quòd tales hostiæ distri-

bui non possent, nec alius adesset, qui consecraret, e. g. in paschate.

Dein neque liceret, concipere intentionem consecrandi formulas, quibus esset mixta una, aut altera, quibus esset, valde fumosa &c. quia etiam talem acervum non posset quis consecrare, si sciret, tales formulas latere; nam utique dedecret, sciret id facere: si ergo ignorantia non facit, ut licitè quis possit, intentionem suprädictam concipere, neque talis acervus consecratus censendus foret, quod neminem dicitur autumo. Et quis sacerdos, si distribuendo S. Eucharistiæ advertit, talia esse immixta, unquam cessavit à distributione illarum formularum?

98. Rursus, neque liceret sacerdoti, concipere intentionem consecrandi formulas, quarum oblitus fuisset circa oblationem, adeoque eas tunc non detexisset; cum etiam rubricæ præcipiant, eas tunc detegi, & offerri: atqui Layman *l. 5. tr. 4. c. 2. n. 15. in fine* ait, videri sibi peccatum sacerdotem, qui non eliceret hanc intentionem, sed contrariam, scilicet non consecrandi formulas, quarum ita esset oblitus; cum hæc intentio posterior non sit conformis communi intentioni, aut praxi Ecclesiæ. Quare etiam suprâ citatus P. Vogler ait, rectè, & juxta communissimam praxin, concipere sacerdotem intentionem, consecrandi formulas in pyxide clausas, tamen si per oblivionem eas detegere omiserit. Unde, si sacerdos intenderit, formulas illas omni meliorem, & licito modo consecrare, censendæ erunt consecratæ.

99. Aliud esset, si hostiæ, seu formulæ, non essent positæ super altare, vel corporale; longè enim magis requirit Ecclesia, ut S. Eucharistia non celebretur extra altare, ne gravis irreverentia committatur. Et in hoc casu possunt quidem validè consecrari, tamen neque ex Ecclesiæ praxi, neque aliunde constat, quòd sacerdos possit habere licitè intentionem consecrandi formulas, etiam per oblivionem, extra corporale, vel arulam consecratam positas. Suarez certe *tom. 3. in 3. p. disp. 43. sec. 6. §. Sed objicit.* ait, regulariter non esse censendas consecratas, saltem rem esse valde dubiam.

Nec videntur rem conficere paritates, quæ à quibusdam afferuntur, scilicet Ecclesiam etiam permittere, ut sacerdos, in statu peccati mortalis ignorati, sacrificium faciat, vel suæ censuræ non conscius consecret; nam in his casibus, si sacerdos non consecraret, non perageret sacrificium: melius autem est, ut sacerdos habeat intentionem sacrificandi in statu peccati mortalis, hic, & nunc ignorati, quam non consecrandi in tali statu: & melius est, eum tunc facere intentionem, sacrificium complendi, quam non complendi; maxime, cum in eo casu audientes sacrum sæpe adorarent panem: at verò sine consecratione formularum extra altare verè adhuc sacrificium completur.

100. Gobat quidem *tract. 3. seu alphab. sacrific. casu. 3. n. 88.* censet, tales formulas fore consecratas, citatque Gamachæum, & Præpositum: tamen de hoc, præter Suarezium, etiam Tannerus *tom. 4. disp. 5. q. 2. dub. 2. n. 74. & seq.* dubitat, atque etiam alii: imò ipse Gobat *loc. cit.* & Præpositus, dicunt, non esse distribuendas tales formulas sine necessitate; unde videtur, sub conditione reiteranda consecratio: quod plerique concedunt.

Plerique etiam requirunt, ad validam consecrationem, ut formulæ, vel vinum, jam adsint ad initium formæ pronuntiandæ; alias, ut ajunt, non rite diceretur forma: quæ, cum sit aliqua benedictio, sive consecratio, non dicitur, nisi super rem actu præsentem; nemo enim benedicit aquam non præsentem: neque validè baptizaretur mortuus ad initium formæ, etsi ante formam finitam revivisceret. Addi potest, pronomen *hoc* significare aliquid actu præsens, saltem accidentia, ut dictum *n. 87.* & pluribus dicitur infra *n. 182.* videatur Lugo *de Eucharist. disp. 4. sec. 5.*

101. Ad licitam consecrationem etiam requiritur, ut hostiæ consecrandæ adsint ad offertorium, ut habet Layman *l. 5. tr. 4. c. 2. n. 14.* & colligitur *ex rubricis, de ritu celebr. Miss. §. 7. n. 3.* volentibus, tunc eas hostiæ detegi, & unâ cum hostia majore offerri. Gobat tamen *tr. 3. seu alphab. sacrific. casu. 3. n. 85.* citans Dianam cum Gavanto, vult, licitè hostias consecrari, modo adsint ante præstationem: imò idem Gobat *loc. cit.* cum Tamburino *de sacrif. Miss. l. 2. c. 5. §. 2. n. 9. & 11.* censet, licitè consecrari posse hostias, dummodo adsint ante consuetam consecrationem, saltem casu, quo dimittendi essent alii sine communione.

Si autem formulæ afferrentur post offertorium, faciendæ essent ante consecrationem oblatio earum, non verbis, sed mente, ut docet Tamburinus *loc. cit.* itemque Gobat etiam *casu cit. n. 86.* ubi etiam notat, sacerdotes peccare venialiter, si statim post consecrationem hostias auferant ab altari, & distribuunt communicantibus, nisi factum excuset necessitas, maturius S. Eucharistiæ ministrandi; est enim inordinatio, si non fiant super iis formulæ signa præscripta. Arriaga autem *tom. 7. disp. 55. de SS. Eucharistia sec. 1. n. 6. & 7.* videtur, praxin statim distribuendi tales sacras particulas non improbare, eamque ait, esse frequentem inter homines valde doctos.

102. Ex occasione quæres, quid censendum sit de guttis vini, non continuis cum majori copia vini in calice. Resp. Si ex exteriori calici adhæreant, non possunt consecrari sine sacrilegio, adeoque, cum nemo præsumatur malus, non sunt censendæ illæ consecratæ: si interioribus hæreant in lateribus calicis, diversa sentiunt authores. Bonacina *tom. 1. disp. 4. q. 2. punct. 5. n. 7.* censet, omnes consecrari: at negat Lay-

man *l. 5. tr. 4. c. 2. n. 15.* atque Suarez *tom. 3. in 3. p. sec. 6. §. Sed objicit.* Coninck *de sacram. q. 74. a. 2. dub. 3. n. 43.* putat, eas etiam guttas in calicis lateribus hærentes consecrari, quæ vicinæ sunt majori quantitati vini, & levi motu conjungi possunt. In praxi elice intentionem, qua velis te conformare intentioni Ecclesiæ: ne autem guttæ dispersæ adhæreant lateribus calicis, proderit inclinatio paululum calicis vinum infundere, ut vinum, & aqua per pattem ita declivem leniter delabatur, sine eo, quòd aliqua guttæ subfiliant: post infusionem latus calicis, vel, si aliquas guttas videas, morali diligentia absterge.

Quodsi obliviscaris illas abstergere, easque primùm advertas, quando consecraturus calicem detegis, tunc, si quidem facile, aut commodè potes, eas absterge: si autem id non possis, nisi difficulter, Tamburinus *de sacrif. Miss. l. 2. c. 1. §. 3. n. 29.* censet, non expedire, ut eas tunc abstergas cum adstantium admiratione. Si timeas, ne jejunium naturale violetur per illas guttulas, videris excusari per benignitatem Ecclesiæ, quæ suo præcepto non vult scrupulis exponere fideles: certe alias vix posset sacerdos festo nativitatis Domini celebrare tria sacra; cum facillimè, patenâ radendò corporale, misceatur sacro sanguini aliquid non consecratum. Addit Tamburinus *§. modo cit. n. 30.* dubium, an non ex guttæ sint consecratæ, facere, ut non possit dici, temerè admixta fuisse materia non consecrata consecratæ: sed ut ea mixtio rationabilis sit. Idem ait, dubium de consecratione talium guttarum conciliare eis aliquam reverentiam, quæ exuperet dubium de jejunio.

Lugo etiam *de Eucharist. disp. 15. sec. 4. n. 79. & seq.* ait, Ecclesiam per præscriptum jejunium non excludere summptionem alicuius non consecrati cum consecrato: idque probat, tum ex antiquo Ecclesiæ more, dandi parvulis reliquias S. Eucharistiæ, vino non consecrato confersas: tum ex alio antiquo more, dandi fidelibus sacrum sanguinem, cui mixtum erat multum vini non consecrati: quem morem olim fuisse in Romana Ecclesia testatur *Ordo Romanus* (qui habetur *tom. 1. auctariorum bibliothecæ Patrum*) titulo: *In nomine Domini incipit liber de Romano ordine, qualiter celebrandum sit officium Missæ*: ubi sub finem dicitur: *Calice sancto, de quo parum refundit Archidiaconus in majorem calicem, sive in sepulum, quem tenet acolythus, ut ex eodem sacro vase confirmetur* (hoc est, ut patet ex sequentibus, *communicetur*) *populus; quia vinum etiam non consecratum, sed sanguine Domini commixtum, sanctificatur per omnem modum*: & postea apertè additur, omnes ex eo majore calice communicari.

ARTICULUS III.

Quid adhuc notandum circa Materiam Eucharistia.

103. **U**lterius materia consecranda debet esse determinata. ita communis: & ratio est; quia alias demonstrari non posset materia pronomine *hoc*, vel *hic*; unde sequitur. Primò. Si ex pluribus formulis velles consecrare unam, indeterminatè sumptam, vel ex decem consecrare octo, non determinando certas, nihil ageres.

Secundò. Si ex pluribus velles consecrare unam, quam Deus determinaret, probabiliùs etiam nihil ageres. ita Suarez *tom. 3. in 3. p. disp. 43. sec. 6. §. Et hinc. Tamburinus de sacrif. Miss. l. 2. c. 1. §. 3. n. 7. Coninek. de sacram. q. 74. n. 2. dub. 3. n. 32. Layman l. 5. tr. 4. c. 2. n. 12. Tannerus tom. 4. disp. 5. q. 2. dub. 2. n. 71. Lugo de Eucharist. disp. 4. sec. 7. n. 129. alique communiter. Ratio est; quia talis materia non est determinata, nec potest determinari per pronomen *hoc*, vel *hic*, ut patet consideranti. Insuper, ut diximus *tr. de sacram. in genere n. 125.* vix videtur credibile, Deum instituisse sacramenta conficienda per talem intentionem, vi cuius humanitus semper maneat incertum, an aliqua, vel quænam materia, sit sacramentum.*

Tertiò. Si velles consecrare dimidiam tantum partem hostiæ, determinando tamen dextram, vel sinistram partem ejus, pessimè quidem, sed tamen validè ageres; licet enim dimidia pars non possit determinari mathematicè quoad ultima puncta, potest tamen moraliter determinari, quod sufficit ad humanum modum agendi.

Quartò. Si per errorem duas hostias grandes acceperis, nec ante consecrationem adverteris, probabiliùs consecratæ sunt ambæ; quia juxta usum, & praxin Ecclesiæ, sacerdos vult consecrare, quidquid habet in manibus consecrabile: & hinc in rubricis *Missalis de defectibus &c. §. 7. n. 2.* jubetur sacerdos simul utramque sumere tempore communionis: quod non juberetur, si nulla esset consecrata: sed potius juberetur repetere consecrationem: imò nec juberetur sumere ante sacrum sanguinem utramque, si, ut quidam vult, superior tantum esset consecrata.

Quintò. Si existimes, hostias tibi appositas, ut eas consecres, esse novem, reverà autem sint decem, aut duodecim, omnes consecras, ex eadem ratione, qua modò probatum est, consecrari duas hostias grandes: nisi tamen intentionem restringas ad novem, ita, ut nolis plures consecrare: quod faciendò valde malè faceres.

104. Sed quid faciendum, si pluribus formulis consecratis, per errorem misceatur aliqua nondum consecrata, nec jam possit discerni? Layman *l. 5. tr. 4. c. 2. n. 12.* & Tamburinus *de sacrif. Miss. l. 2. c. 1. §. 3. n.*

10. putant, esse in alio sacro consecrandum, quod priùs non est consecratum, restringendo scilicet intentionem ad hostiam non consecratam. Sed Lugo *de Eucharist. disp. 4. sec. 7. n. 136. ac seq. & Arriaga tom. 7. disp. 30. de Eucharist. sec. 4. n. 18. & seq.* rejciunt hoc; quia, licet materia in calicatu sit præfens, & aliquo modo determinata, seu non omnino vaga, tamen non est ita determinata, ut possit demonstrari pronomine *hoc*; nam e.g. si in cumulo numerorum aureorum jaceat unum tantum ex aurichalco, quem tamen ex aliis discernere nequeo, non possum demonstrando illum cumulum dicere: *Hoc est aurichalcum.* Item; si integra turba sit hominum, & ex his aliquis sit Petrus, non possum dicere: *Hic est Petrus:* si illum non novi; quia ad veritatem demonstrationis requiritur, ut res demonstrata possit ab aliis discerni, vel immediatè ratione sui, vel ratione totius, cujus est pars, vel ratione continentis proximi.

105. Quare Lugo *loc. cit. num. præced.* putat, in tali casu cuilibet communicanti dandas esse duas hostias. Sed, licet hoc videri possit faciendum, si una tantum hostia non consecrata sit mixta, & simul inter plures communicantes, priùs monitos, possint omnes formulæ, vel hostiæ illæ distribui, tamen, si formulæ illæ deberent servari divitius, facile posset sacerdos oblivisci, vel ignorare, hac ratione distribuendas esse formulas, adeoque facile aliquis privaretur sacramento: rursus hoc non procederet, si tres, vel quatuor hostiæ non consecratæ, fuissent immixtæ; dare enim cuilibet communicanti quatuor, vel quinque hostias, esset valde insolitum. Cuidam visum est, debere in his casibus species servari, donec corruptantur: at videtur valde inconveniens, sinere propter duas, aut tres hostias non consecratas, corrumpi maximam quantitatem hostiarum verè consecrarum, & fortè abire in vermes, quod aliàs gravissimè prohibitum est.

106. Arriaga *citatus n. 104.* ait, si non possint illæ hostiæ, prout vult Lugo, citatus *n. præced.* distribui, tunc totum cumulum iterum esse consecrandum, sub hac conditione: *Si non sit consecratus:* hac ratione putat hic auctor, non fieri injuriam sacramento; cum constet, aliquam materiam non consecratam adesse, in qua conditio purificetur: & insuper hostiæ illæ sufficienter possint demonstrari in toto cumulo. Sed & hoc non videtur facile posse admitti, ut scilicet quis intentionem consecranti, etiam tantum sub conditione, dirigat ad hostias, de quibus certus est, eas jam esse consecratas.

Itaque in tali casu videtur fore convenientissimum, si sacerdos formulas illas in frequentibus pluribus sacris ablutat, tamen do semper plures ex illis post sumptum sacrum sanguinem; neque enim videtur Ecclesia in hoc casu requirere, ut etiam ablutio sumatur ab ita jejuno, ut de ejus jejunio nullum prorsus sit dubium; nam sic vix unquam

quam posset sacerdos purificare pileolum, ut vocant, lineum, in quo priùs sacræ hostiæ postæ erant; ea enim occasione ferè semper, saltem aliquid materiæ non consecratæ, sumit. Dein posset in hoc casu sacerdos, majorem diligentiam adhibere, in exhauriendo sacro sanguine, ita, ut moraliter saltem non censeatur aliquid in calice esse residuum. Adde, Lugonem, & Arriagam *locis n. 104. citatis* saltem consentire in hoc, quòd consecratio, sub conditione repetita, adhibenda sit, si pluribus hostiis non consecratis misceatur una, aut multo pauciores consecratæ.

Quòd si calici consecrato infunderetur gutta non consecrata, nulla prorsus esset necessitas denuò illum consecrandi, sed totum posset à sacerdote sumi. Quòd si etiam (ut in consecratione Episcoporum fit) pluribus Neopiscopis esset propinandus sacer sanguis, tamen moraliter non esset possibile, ut aliquis solam reciperet illam guttam. At verò, si dolio vini immitteretur gutta consecrata, deberet totum illud vinum servari, & successivè totum consecrari, ut vult Suarez, *tom. 3. in 3. p. disp. 57. sec. 4. in fine* & Lugo *de Eucharist. disp. 5. sec. 7. n. 139.*

107. Quæres ulterius, an materia SS. Eucharistia debeat esse determinata quoad quantitatem, seu magnitudinem, aut parvitatem, Resp. negativè; quia validè consecratur quæcunque quantitas materiæ, magna, vel parva; modò sit sensibilis, & moraliter præfens. Neque admittitur sententia aliquorum, volentium, tantam præcisè materiam validè consecrari, quanta sufficit ad usum fidelium; hæc enim limitatio potestatis sacerdotalis gratis asseritur; quòd enim sit aliquid inconveniens, ingentem quantitatem consecrare, non tollit valorem sacramenti, sicut nec multa alia peccata, in consecratione commissa. Sanè, si ad eum usum limitaretur potestas sacerdotalis, sequeretur, ut arguit Suarez *tom. 3. in 3. p. disp. 43. sec. 8. §. Dicendum est ergo.* quòd nec per plures consecrationes posset major materia consecrari, quàm ea, quæ sit sufficiens usui fidelium, adeoque, si sacerdos nesciens, priores consecratas hostias nondum esse absumptas, pronunciarer formam super hostias novas, nihil ageret: quod est contra Ecclesiæ sensum.

10. Unde magnitudo materiæ non obstat, nisi aliquando tanta sit, ut moraliter non censeatur præfens: e.g. si totus Danubius esset vinum, sacerdos stans in ripa prope Ingolstadtium non consecraret validè totum Danubium; quia non censeatur totus præfens, etiam secundum partes aquæ in Hungaria. Idem est de Oceano, si vinum foret; neque enim, cui præfens est aqua maris, e.g. prope Gades, censeatur etiam esse præfens aqua maris prope Goam, vel Chinas, ita, ut verè illam possit demonstrare per pronomen *hoc.* Difficile tamen est, propter nimiam quantitatem materiæ impediri valorem consecrationis, & rectè

ait Suarez *sec. n. præced. citata §. Dico secundo.* quis fingat tam magnum acervum panis, aut tantam vini copiam, ut non possit homini præfens fieri?

109. Circa parvitatem materiæ sciendum est, quòd particula materiæ, se sola quidem insensibilis, attamen conjuncta cum pluribus aliis, & cum his constitutis totum sensibile, possit consecrari, de quo non est dubium. At verò, si talis particula insensibilis existat ab aliis separata, consecrari non potest; quia non potest demonstrari per pronomen *hoc*, vel *hic.* Quòd si particula quædam, non quidem naturaliter; attamen supernaturaliter esse sensibilis, putant multi, eam validè posse consecrari: sed Suarez *tom. 3. in 3. p. disp. 43. sec. 7. §. Sed dicit aliquis.* citans Majorem, & alios, & clariùs adhuc *sec. 8. §. Hic verò inquiri.* id negat; quia putat requiri, ut materia sit humano modo sensibilis. Sed quid si mica aliqua per microscopium posset videri? Resp. posse tunc, quando videtur, validè consecrari (quanquam, ut puto non licitè) quia verè est panis, potestque demonstrari, etiam aliis microscopio utentibus.

Si particula non possint videri, sed tantum olfactu sentiri, e.g. evaporationes panis recentis, vel vini, quæ, in moderna præsertim philosophia, odorem constituunt, vel saltem comitantur, res est controversa. Videtur mihi tamen sentiendum cum iis, qui censent, tales particulas, e.g. evaporationes panis, vel vini, consecrari non posse; nam sanè videntur tales evaporationes non posse sufficienter demonstrari; nam extra nasum nesciuntur, ubi sint: intra nasum autem quomodo demonstrantur aliis? præterquam, quòd talis materia non sit apta usui Eucharistico; nam non potest ullo modo naturaliter comedi, vel bibi: adeoque non est apta ad finem sacramenti.

110. Major est controversia, an in particulis minimis, & separatim insensibilibus, quæ tamen ante consecrationem aliis conjunctæ, faciebant totum sensibile, adeoque consecrabile, si post consecrationem separatæ sint, e.g. ab hostia consecrata deciduerint, an, inquam, in talibus particulis Christus maneat, de quo vide *tract. de sacram. in genere n. 30.* ubi adduximus sententiam Eximii Doctoris *tom. 3. in 3. p. disp. 43. sec. 8. §. Respondetur.* quæ docet, Christum sub talibus minimis particulis manere. Et sanè sæpe plus requiritur ad formam introducendam, quam conservandam, ut patet in generatione animalium: item in characteri sacramentali, qui quidem conservatur in anima separata: at in eam primò introduci non potest.

Rursus, si in talibus particulis minimis, e.g. evaporationibus è vino expirantibus, Christus non amplius adest, tunc nec debet manere in iis, quæ e.g. è sacris speciebus, in alembico igni lenissimè calido, aut balneo Mariæ, ut vocant, impofitis, expirarent: consequenter, quando in superiore parte iterum conjungerentur, & in

sensibilem liquorem confluerent, ibi Christus non adesset: quod videtur difficile dictum. Dicere autem cum Majore, quem citat Suarez, tunc iterum sine nova consecratione adfuturum Christum, est prorsus absurdum.

Difficultas tamen in hac sententia Eximii Doctoris, asserentis, in his particulis Christum manere, est, quod, cum aliquando contingat, ut calida tempestate species evaporent, sequatur, corpus Christi Domini inexistere naribus canum, & murium, qui species illas ofuscant: nisi velis dicere, Angelos (quorum officium est, attendere, ne Christo Evcharistico injuria fiat) impedire motum particularum, seu specierum, ne ad talia animalia deferantur: sicut communiter censentur Angeli tollere particulas parvas, etiam per se sensibiles, quæ utique aliquando decidunt, dum sacra Evcharistia plurimis, turmatim concurrentibus, distribuitur, ne scilicet hominum, aut animalium pedibus proterantur. Sentiat quisque, quod lubet.

111. Ultimò addo, valere quidem consecrationem unius speciei sine altera: at non esse licitam. Prob. 1. pars. Consecratio cujuslibet speciei est absoluta, adeoque statim habet suum effectum ante consecrationem alterius: & certè sacra hostia adoratur ante calicis consecrationem. Neque dici potest, consecrationem vini præsupponere essentialiter consecrationem panis; quia etiam hæc forma, si à ministro cum debita intentione proferatur, habet effectum: & ordo consecrandi panem ante vinum est quidem necessarius necessitate præcepti, sed non necessitate sacramenti. Altera verò pars probatur ex verbis Christi: *Hoc facite in meam commemorationem: Luc. 22. v. 19. & 1. Cor. 11. v. 24.* & ex traditione totius Ecclesiæ, ex qua habetur, Christum præcepisse, ut offeratur sacrificium consecratione utriusque speciei, ut scilicet representetur passio, & mors ipsius, ac etiam genus mortis per effusionem sanguinis, ut colligitur ex Tridentino *sess. 22. c. 1.*

112. Est autem præceptum consecrandi utramque speciem, non humanum, sed Divinum: & probabilis est, Pontificem non tantum non posse strictè in eo dispensare, sed neque posse per modum interpretationis declarare, licitum esse aliquando conferre unam speciem sine altera, ut docet Suarez *tom. 3. in 3. p. disp. 43. sec. 4. §. Dico quartò.* quia, sicut hæcenus nulla occurrit, ita probabilis neque potest occurrere necessitas sufficiens, ad talem interpretationem faciendam. Unde, quod dicitur, Innocentium VIII. dispensasse cum Norvegis, ut ab inopiam vini consecrarent in solo pane, solius Volaterani testimonio fulcitur; cumque idem scribat, dispensasse Pontificem, ut calicem sine vino consecrarent, quod est adhuc absurdum, meritissimò inter fabulas recensetur. videatur Suarez *tom. 3. in 3. p. disp. 43. sec. 2. 3. & 4.*

ARTICULUS IV.

Solvuntur Objectiones contra baptismum dicta.

113. **O**B. 1. Materia necessaria Evcharistia debet esse talis, ut ubique terrarum possit haberi: non ita se habet triticum, & vinum: ergo non sunt materia necessaria Evcharistia. Confirm. Canones Apostolorum admittunt, in altari offerri uvas, oleum, & incensum: alia verò prohibent: ergo ista quoque sunt materia sacrificii, adeoque etiam sacramenti. Resp. om. ma. neg. min. Defacto in omnes terras, etiam ad Japonas, ubi alias oriza in usu est, delatum est triticum, & vinum, multò amplius, quam necessarium sit ad sacrificium ritè peragendum.

Quòd autem non ubique nascatur triticum, aut vinum, non refert; neque enim debuit materia hujus sacramenti ita esse ubique obvia, sicuti materia baptismi; quia Evcharistia non est ita necessaria. Sic etiam apud nos non crescit oleum, aut ballamum, necessarium ad confirmationem. Ad confirm. dist. antec. Canones illi admittunt offerri in altari uvas &c. in ordine ad consecrationem. neg. antec. per modum aliquis doni, vel exolutionis voti. conc. antec. & neg. conseq. agit enim ibi de illis, quæ offerbantur ad ornatum, vel venerationem sacrificii, vel in gratiarum actionem pro beneficiis &c. quæ dependent ab institutione Ecclesiæ, nec sunt de necessitate sacramenti.

114. Ob. 2. Aqua congelata non est materia valida baptismi: ergo neque vinum congelatum est materia valida Evcharistia. Confirm. 1. Vinum congelatum non est proximè potabile: ergo. Confirm. 2. Vinum congelatum se habet ut succus in uvis: sed hic ex dictis non est materia valida consecrationis: ergo nec vinum congelatum. Resp. conc. antec. neg. consi. Disparitas est, quòd baptismus consistat in usu aquæ, ad actualem abluionem adhibitæ, ad quam abluionem aqua congelata non est apta.

At verò sacramentum Evcharistia non consistit in usu: sed est sacramentum permanens, adeoque non requirit materiam proximè aptam usui: sed tantum requirit materiam, quæ absolute sit potus, qualis est etiam vinum congelatum: quod se habet ad potum, ut panis valde induratus ad cibum; licet enim hic non sit proximè comestibilis, tamen censetur esse cibus. Addit Lugo *de Evcharist. disp. 4. sec. 1. n. 13.* vinum congelatum, etiam in magna quantitate sumptum, non frangere jejunium Ecclesiasticum, adeoque minimè censi cibus. Ad 1. confirm. neg. conseq. Responso patet ex dictis. Ad 2. confirm. neg. antec. quia verè in æstimatione moralis uvæ sunt cibus, & earum comestio frangit jejunium.

115. Ob. 3. Succus in uvis, & mustum sunt idem: ergo vel utrumque, vel neutrum est materia valida consecrationis. Confirm. Sanguis, adhuc contentus in corpore humano, est, & dicitur sanguis: ergo etiam vinum, adhuc in uvis existens, est, & dicitur vinum: ergo est materia valida consecrationis. Resp. dist. antec. succus in uvis, & mustum sunt idem physice. om. antec. sunt idem moraliter. neg. antec. & consi. Unum est moraliter cibus, alterum est moraliter potus. Ad confirm. Ex hac ipsa paritate infert Coninck *de sacram. q. 74. a. 5. n. 123.* uvæ non esse consecrabiles; quia ait, non posse eum succum, adhuc in uvis existentem, designari per particulam *hic*; eoquòd non contineatur vinum in uvis, sicut in dolio tanquam continente, sed sicut pars in toto, seu sanguis in animali: atqui indigitando Petrum non possum dicere: *Hic est sanguis*: ergo neque possum dicere indigitando uvam: *Hoc est vinum*: nisi per metaphoram. Idem æquivalenter docet Lugo *de Evcharist. disp. 4. sec. 1. n. 11.* negans, vinum, uvis contentum, esse demonstrabile per pronomen *hic*, vel *hoc*. Unde juxta hos auctores vinum non est sufficienter præsens.

116. Resp. 2. om. antec. (quia an dicatur strictè vinum, vel an nondum dicatur strictè vinum, donec sit expressum, parum refert) dist. conseq. est vinum, & tunc se habet per modum cibi. conc. conseq. se habet per modum potus. neg. 1. & 2. conseq. Dices fortè. Vinum non est cibus: sed etiam juxta nos uvæ sunt vinum: ergo non sunt cibus. Resp. neg. ma. Vinum enim ab uvis necdum separatum est cibus, & quamdian intra uvas dicimur illud comedere; neque enim omnis fluore est potus; quia ferme quodlibet jusculum, etsi liquidum, dicitur cibus, & sanè frangitur etiam fluidis quandoque jejunium.

Si velles replicare, species vini mixtas speciebus panis (qua ratione Græci communicant sub utraque specie) etiam esse cibum, respondet 1. Lugo *de Evcharist. disp. 4. sec. 1. n. 12.* talem panem, vel tale vinum, probabilis non posse consecrari: quamvis Christus maneat, si prius consecratio facta fuit: quare nec uvæ consecrari poterunt. Respondet 2. Dicastillo *de sacram. tr. 4. disp. 2. n. 92.* tale vinum adhuc esse potabile, non autem uvæ: quòd autem talis quasi offa esse panis, & vini speciebus, dicatur comedi, ait, id fieri denominatione desumpta à pane, qui est crassior. Responso prior fortè est expeditior.

117. Ob. 4. In extrema unctione, quamvis sit plures partiales formæ, & materia, tamen, antequam omnes partes absolvantur, non datur effectus, seu gratia: ergo etiam in Evcharistia nihil fit, donec omnes partes absolvantur, adeoque non potest una species consecrari sine altera. Resp. 1. retorq. argum. in sacramento ordinis, quod complectitur plures partiales formas, & materias, & in unaquaque datur suis ef-

fectus; valida enim est ordinatio subdiaconi, & diaconi, sine collatione presbyteratus, vel Resp. 2. om. antec. (quod controverti posset juxta Suarez *tom. 3. in 3. p. disp. 43. sec. 2. §. Objici verò potest.*) neg. conseq. totum enim hoc pendet ab institutione Christi: instituit autem Evcharistiam ita, ut una species esset validè consecrabilis sine altera, ut constat ex traditione Ecclesiæ. An eodem modo instituerit extremam unctionem, non est hujus loci disputare. Alias disparitates vide apud Eximium *loco modo citato.*

ARTICULUS V.

An Aqua sit necessariò miscenda Vino in Sacrificio.

118. **D**ico 1. Debet vino consecrando misceri in sacro naturalis aqua. Prob. conclusio ex Concilio, & inprimis ex Aurelianiensi IV. quod *canone 4.* ita habet: *Ut nullus in oblatione sacri calicis, nisi quod ex fructu vineæ speratur, aqua mixtum, offerre presumat; quia sacrilegium judicatur, aliud offerri, quam quod in mandatis sacratissimis Salvator instituit.* ita habet editio Binij, & Parisiensis Harduini; unde in editionem Coloniensem, in qua habetur *sine aqua*, mendum irrepsit: item ex Carthaginensi III. quod *canone 24.* sic ait: *Ut in sacramentis corporis, & sanguinis Domini, nihil amplius offeratur, quam ipsè Dominus tradidit, hoc est panis, & vinum aqua mixtum.* item ex Africano, Florentino, Tridentino, & unanimi Patrum, ac doctorum consensu, ut videtur apud Suarez *tom. 3. in 3. p. disp. 45. sec. 2.* Bellarminum *tom. 3. controu. 3. l. 4. c. 10.* & alios.

Et quidem Tridentinum *sess. 22. c. 7.* ac Florentinum *in decreto Eugenij ad Armenos* mixturæ hujus has rationes allegant; 1. quia juxta SS. Patrum testimonia creditur ipse Christus, in vino aqua permixto, sacramentum hoc instituisse: & certè ita senserunt Patres Concilii Carthaginensis modò citati: idem quoque testantur Lyturgia antiquissima S. Jacobi Minoris, ac S. Marci, quorum verba dabimus infra *n. 135. & 136.* Idem testatur S. Cyprianus *epist. 63. seu juxta aliam editionem l. 2. epist. 3.* ac alii Patres apud Bellarminum *loco modo citato.* 2. quia sic representatur Dominica passio, in qua sanguis, & aqua, è latere Christi profudit. 3. quia, cum in Scripturis per aquam intelligatur populus, significatur per hanc mixtionem conjunctio populi cum Christo, cujus sanguinem significat vinum.

119. Debet autem hæc aqua admisceri ipso in sacro, nec sufficit id jam factum à caupone domi; est enim cæremonia sacra. Rursus debet aqua esse valde modica; ita enim habet Florentinum: *Cui vino ante consecrationem aqua modicissima admisceri debet:*

bet : & infra. *Paululum aquæ, prout dictum est, admisceant vino*: estque certum ex Suarez tom. 3. in 3. p. disp. 45. sec. 3. §. *Secundo quoad*. & aliis, sufficere minimam sensibilem guttam. Nec tamen debet quis sibi statim scrupulum facere, si aliquanto liberalior sit. Concilium Triburienſe ad Rhenum, tempore Formosi Papæ anno 895. à viginti duobus Episcopis Germanis celebratum c. 19. sic statuit : *Ut dua partes sint vini ; quia major est majestas sanguinis Christi, quam fragilitas populi : tertia aqua, per quam intelligitur infirmitas humana natura*. Sed vix ullus audebit modò tantum aquæ affundere.

120. Gobat tract. 3. seu alphab. sacrif. casu 2. n. 62. putat, Acroniano (quod est inter vina Germaniæ debiliora) optinò posse misceri quartam, mediocri quintam partem aquæ : saltem octava, aut nona pars videtur posse affundi cuilibet vino, quod hoc nomen meretur ; si enim tantilla pars aquæ jam vinum ita mutaret, ut vinum amplius dici non posset (quo casu invalida foret consecratio) deberet sanè fuisse extra modum debile, & indignum, quod vinum appelleretur. Proderit etiam ad scrupulos vitandos, uti majori quantitate vini, ut eò minus corrumpatur ab aqua.

Debet etiam aqua, quæ vino miscetur, esse naturalis. 1. quia est Ecclesiæ praxis constans miscendi aquam naturalem. 2. quia naturalis aqua simpliciter venit nomine aquæ, & ista folet vino usuali affundi, non verò rofacea &c. 3. quia Christiani aquam naturalem verosimiliter miscuit vino. 4. quia hæc est apta ad significationem ; naturalis enim aqua de Christi latere fluxit, & hæc in Scripturis populos significat.

121. Dico 2. Aqua non est necessaria ad Eucharistiam necessitate sacramenti. ita communissimi. Prob. Florentinum reprehendit quidem Armenos, omittentes mixturem aquæ, sed non ideo, quasi invalidè consecrarent : sed tantum ideo, quòd recederent ab universalis consuetudine Ecclesiæ. Rursus C. Cum omne. 7. de consecrat. dist. 2. dicitur : *Si vinum tantum quis offerat, sanguis Christi esse incipit sine nobis* ; quia scilicet non significatur adunatio populi Christiani cum suo capite. Item rubricæ Missalis titulo de defectibus in celebrat. Miss. §. 4. n. 7. ita habent : *Si autem celebrans ante consecrationem calicis advertat, non fuisse appositam aquam, statim ponat eam, & proferat verba consecrationis ; si id advertat post consecrationem calicis, nullo modo apponet ; quia non est de necessitate sacramenti*.

122. Dico 3. Aqua est necessaria necessitate præcepti, quod probabilius non est Divinum, sed Ecclesiasticum. Quòd mixtio aquæ sit præcepta, probatur facile ex Florentino, & aliis Conciliis, & præsertim clarissimè ex Tridentino, quod sess. 22. c. 7. sic habet : *Monet deinde sancta Synodus, præceptum esse ab Ecclesia sacerdotibus, ut a-*

quam vino in calice offerendo miscerent. Quòd autem hoc præceptum sit Ecclesiasticum, non Divinum, in primis probatur ex verbis Tridentini modò allatis, in quibus ea mixtio dicitur præcepta ab Ecclesiâ : nec videtur Concilium insuper agnoscere aliud præceptum. Idem videtur sentire Florentinum, quod Armenis tantum objicit usum, & consuetudinem universalis Ecclesiæ, & addit : *Inconveniens admodum videtur, ut alia quavis regio, ab hac universalis, & rationabili discerpet observantia*. Tandem teste Eximio tom. 3. in 3. p. disp. 45. sec. 2. §. *Nihilominus*. hæc opinio est communis doctorum, nec est aliquod solidum argumentum in contrarium.

123. Non autem hinc sequitur, posse in casu necessitatis hanc mixturem licitè omitteri ; quia, cum sit caremonia antiquissima, & maximi momenti, videtur gravius esse, hanc omittere, quam sine vestibus sacris celebrare : & tamen sine his, præsertim omnibus, celebrare vix unquam videtur posse esse licitum ; neque enim ob præceptum de audiendo sacro implendum, nec ob communicandum infirmum, est licitum, sine sacris vestibus celebrare, ut teste Gobat tract. 3. seu alphab. sacrif. casu 11. n. 347. & 349. tradunt, quoad primum omnes, quoad secundum plerique. Hinc ait Suarez, tom. 3. in 3. p. disp. 45. sec. 2. §. *Nihilominus*. quòd, licet Pontifex possit probabilius dispensare validè, tamen vix possit prædictè occurrere casus, in quo Pontifex possit dispensare licitè, ut sacerdos sine aqua admixta celebret ; eoque hæc mixtio facillima semper, & obvia sit.

ARTICULUS VI.

An, & quomodo Aqua Vino mixta convertatur in Sanguinem Christi.

124. Dico. Aqua vino admixta, si nondum est mutata in vinum tempore consecrationis, probabilius immediatè convertitur in sacrum sanguinem. Hanc sententiam multi defendunt contra multos. Tenet eam Cardinalis Alanus l. 1. de sacram. Eucharist. c. 13. ubi ait de nostra conclusione, seu asserto : *Idè certa fide tenendum est*. Cardinalis Baronius, qui ad an. 1188. n. 29. ait : *Certum est, quod credidit, & custodivit sancta Romana Ecclesia, nimirum aquam simul, & vinum, transubstantiari in sanguinem Christi*. Cardinalis Lugo, de Eucharistia. disp. 4. sec. 3. n. 45. & seq. ubi SS. Patres, & authores alios plurimos citat : & inter hos Cardinalem Tolertum, Paulum Arefium Dortonensem, & Janfenium Gandavensem, ac Canum Canariensem Episcopos.

Tenent eam etiam Layman l. 5. tr. 4. c. 2. n. 9. ubi etiam plures alios citat. Con-

An, & quomodo Aqua Vino mixta convertatur in Sanguinem Christi. 129

nick de sacram. q. 74. n. 8. n. 144. etiam multos Patres, ac doctores allegans. Dicastillo de sacram. tr. 4. disp. 2. dub. 9. n. 133. & seq. magnam etiam auctoritatem adducens, Haunoldus l. 4. tr. 3. n. 799. multa auctoritate Patrum, & doctorum adducit, Illung. tr. 6. disp. 4. n. 2. §. 2. n. 71. & 72. apud quem etiam plures citatos videre est : & sanè Dicastillo loc. cit. n. 136. ait, jam suo tempore esse hanc sententiam satis communem : & nunc præsertim inter nostros est longè communior. De mente S. Thomæ videbimus infra.

125. Prob. autem conclusio per partes : & primò pars prior, seu quòd aqua mutetur in sacrum sanguinem. In primis Innocentius III. consultus ab Archiepiscopo Lugdunensi, utrum aqua cum vino vertatur in sanguinem, C. Cum Martha. 6. de celebrat. Missar. §. *Quævisisti etiam*, respondet : *Inter opiniones prædictas illa probabilior judicatur, quæ asserit, aquam cum vino in sanguinem transmutari, ut expressius eluceat proprietates sacramenti*. Idem docent Patres plurimi, quorum auctoritas maxima est, præcipuè in hac conclusione, quæ maxime auctoritate probanda est, utpote dependens ab institutione, & voluntate Christi, quæ, qualis fuerit, bene testimoniis, difficulter rationibus probatur.

126. Igitur S. Justinus Martyr, qui vixit circa an. 150. in apologia 2. sub finem sic ait : *Qui apud nos diaconi dicuntur, dant unicuique eorum, qui adsunt, percipiendum panem, vinum, & aquam, quæ cum gratiarum actione consecrata sunt, & ad eos, qui adsunt, perferunt. Atque cibus hic apud nos Eucharistia nominatur*. S. Irenæus, qui vixit eodem ferme tempore, l. 4. adversus hæreses. c. 57. ait *Dominus temperamentum calicis suum sanguinem esse confirmavit*.

S. Ambrosius l. 4. de sacram. c. 4. ait : *Vinum, & aqua in calicem mittitur, sed fit sanguis consecratione verbi celestis. &c.* S. Anso verba Christi calix est vini, & aqua plenus : ubi verba Christi operata fuerint, ibi sanguis efficitur. S. Hieronymus in c. 14. Marci ad verba v. 22. *Accipit Jesus panem &c. de Christo Domino ait : Formans sanguinem suum in calicem, vino, & aqua mixtum*. Theodoretus in Eraniste, seu dialogis contra sui temporis hæreticos, dialogo. 1. circa medium, ait de Christo : *Corpus panem appellavit, & sanguinem id, quod in calice infusum, & commixtum est*.

127. S. Damascenus l. 4. orthod. fidei. c. 14. postquam dixit : *Dominus omnia, quæcumque voluit, fecit &c.* dein interrogat : *Tu quoque nunc quæris, quomodo panis corpus Christi, & vinum cum aqua conjunctum, sanguis Christi fiat ? & paulò antè dixerat : Quid tandem asserri potest, quin ex pane corpus suum, ex vino & aqua sanguinem suum efficere queat ?* Patchesius Rabertus Corbeienſis Abbas (qui vixit circa an. Dom. 820. & teste Bellarmino de

R. P. Ant. Mayr, Theol. Tom. II.

script. Ecclesiast. primus seribò, & copiosè scripsit, de veritate corporis, & sanguinis Christi) l. de corpore, & sanguine Domini c. 11. ait : *Propterea non inconvenienter etiam ob hoc ibidem aqua consecratur : non quòd aqua permaneat, sed quòd vertatur in sanguinem*.

Omitto Samonam Episcopum Gazensem, Nicolaum Merhonensem, Rabanum Maurum, Algerum, Gaufridum monachum Cisterciensem &c. quorum textus videre potes apud Dicastillo de sacram. tr. 4. disp. 2. dubitat. 9. n. 133. vel Cardinalem de Lugo de Eucharist. disp. 4. sec. 2. n. 48. Insuper quoad hanc partem conclusionis, scilicet aquam saltem ordinariè aliquo modo, vel mediatè, vel immediatè, transire in sacrum sanguinem, conveniunt communissimè doctores, adeò, ut aliqui oppositum censurent.

128. Probatur jam secunda pars conclusionis, sive, quòd aqua, si tempore consecrationis necdum conversa fuerit in vinum, convertatur immediatè in sacrum sanguinem. SS. Patres citati, universaliter, absolute, & illimitatè dicunt, aquam offerri, benedici, consecrari, verti in sanguinem : ergo non debent limitari eorum verba, quasi tantum vellent, tunc aquam consecrari, quando prius est versa in vinum, consequatur, tum ex eo ; quòd gratis exceptio adstruatur, ubi SS. Patres, nec distinguunt, nec excipiunt : tum ex eo ; quòd aliàs SS. Patres non potuissent universaliter dicere, aquam converti in sacrum sanguinem.

Vel enim supposuerunt SS. Patres ut certum, quòd aqua semper prius vertatur in vinum : vel id non supposuerunt, si dicatur secundum, scilicet, quòd id non supposuerint, sic argumentor. Si SS. Patres id non supposuerunt, & tamen sententiam oppositam tenuerunt, non potuerunt dicere, aquam universaliter verti in sanguinem ; cum universaliter non mutetur ante consecrationem in vinum : & tamen nec unus ex Patribus ullam unquam adhibuit exceptionem, vel restrictionem.

129. Si autem dicatur primum, scilicet, quòd id supposuerint, dicitur aliquid, quòd nullo modo probari potest ; nam in primis est incertum in philosophia, an vinum possit physicè convertere aquam in se, idque jam à Plinio, & iterum tempore Innocentii III. negatum fuit, à compluribus philosophis, ut habetur C. Cum Martha. 6. de celebrat. miss. his verbis : *Licet physici contrarium assererent, qui aquam a vino per artificium posse asserunt separari*. De in dato etiam, quòd vinum possit convertere in se aquam, non tamen potest hoc ordinariè facere vinum illud, quòd adhibetur ad consecrandum ; quia sæpe est valde debile, & etiam modicum : neque ante Florentinum adhibebatur tam modica quantitas aquæ, ut colligitur ex Triburienſi Concilio citato n. 119. & Honorio III. Pontifice, qui C. Perniciosus. 13. de celebrat. Missar. tantum

tum corripit sacerdotes, qui plus adhibebant aquæ, quam vini.

130. Rursus tempus est perbreve ab offertorio ad consecrationem, vix aliquot minutorum, præsertim apud quosdam sacerdotes, qui intra quadrantem norunt integram Missam absolvere. Adde, quod antiquitus erat brevior Missa, quam hodie, ut ex S. Gregorio probat Raynaudus *opusculo de brevitatis n. 7.* Accedit quod hæc conversio physica non possit fieri in iis casibus, in quibus sacerdos debet de novo in calicem vinum, & aquam, infundere, & juxta rubricas mox consecrare, e. g. si immediatè ante consecrationem advertit, non esse appositam aquam, vel si in sumptione advertat, meram aquam calici infusam esse; tunc enim planè intra tam modicum tempus non potest aqua naturaliter prius in vinum converti.

131. Adde ulterius, quod ignis, qui maximè activus est, tamen non possit aquam notabilem statim in se convertere: ergo minus id poterit vinum. Rursus ignis non totum lignum, imò nec totum oleum potest in se convertere: sed remanent cineres, aut fumus, partibus oleosis plurimum unctus: quomodo ergo potest supponi, quod vinum statim, & ordinariè possit, totam aquam in se convertere? Quod si igitur saltem aliqua pars aquæ manet, jam ea juxta adversarios non converteretur in sacrum sanguinem: & tamen SS. Patres dicunt, aquam omnem (quia illimitatè loquuntur) converti in sanguinem Christi.

Accedit tandem, probabilius aquam vino mixtam, iterum posse ab eo separari, ut philosophi jam tempore Innocentii III. defendebant, prout dictum n. 129. & certè apud Conimbricenses l. 1. de generat. c. 10. q. 1. a. 1. Nemescius ait, spongiam oleo imbutam ex vino mixto puram aquam attrahere. Alchimistæ volunt, id fieri posse, junco decorticato, seu ejus medulla, in vinum mixtum immisâ. Plinius etiam l. 16. *hisor. natural. c. 35.* ait, vas ex ligno hederæ è Cilicia, seu ex similitate confectum, si infundatur ei vinum aqua mixtum, retinere aquam, & vinum transmittere.

132. Dicunt quidem adversarii, in talibus casibus non extrahi aquam ex vino, sed liquorem tantum aquæ similem: at hoc est gratis confectum, & redit argumentum; quia hic humor non est vinum: ergo vel vertitur immediatè in sacrum sanguinem, vel non. Si primum, ruit potissimum argumentum adversariorum, scilicet solum vinum esse materiam consecrationis. Si secundum, ruit argumentum, quo communiter probant, debere affundi modicissimam aquam, ut scilicet convertatur in vinum; insuper debet admitti, non tantum ex accidenti, sed ordinariè remanere in calice materiam non consecrabilem.

Nec dicas, elementa manere formaliter in mixtis, eaque posse extrahi, adeoque aquam ex vino; contra enim est; quia e-

lementa in ea sententia non possunt extrahi, nisi destructo mixto: ergo debet destrui tanta pars vini, ut haberetur tanta pars aquæ atqui nec spongia, nec hederæ destruit vinum: ergo. Deum non extrahitur aqua ex vino prorsus sincero: atqui, si tantum extraheretur aqua, latens in vino ob initiationem elementorum, deberet etiam ex vino sincerissimo extrahi: ergo.

Tandem, si vinum potest in se convertere aquam, cur semper sit debilius, etiam quando guttatim affunditur aqua? cur nunquam reparat vires, sicut homo eas reparat per alimenta, licet aliquantulum etiam ab istis patiat? si dicas, fieri novum vinum, seu tertiam substantiam, dicis effectum, cuius causam non habes; nam substantiæ destructæ non possunt novam producere: alia causa certè non adest; nisi confusio ad accidentia, quæ sunt causa valde incerta. Ex quibus omnibus patet, probabilius SS. Patres nec supposuisse hanc conversionem, nec sententiam adversam tenuisse.

133. Dices cum Tannero *tom. 1. disp. 5. dub. 6. n. 175.* SS. Patres tantum dixisse, quod aqua vertatur in sanguinem: abstraxisse autem à modo, quo id fieret; scilicet, an mediatè, vel immediatè fiat. Hæc certè negari non potest, quod sæpe certa sit alicujus rei existentia, quin certus sit ejus modus producendi: e. g. certa est existentia substantiarum: non est certum, quomodo producantur, an à substantiis, an ab accidentibus: certa est unio animæ cum corpore: incertum, in quo ea consistat.

Unde ulterius infert hicauctor, ex dictis SS. Patrum nihil probari, contra modum tantum mediatæ conversionis aquæ in sacrum sanguinem. Sed contra est. Hoc saltem debet Tannerus concedere, quod non debeat adstrui modus conversionis aquæ in sanguinem, quo posito SS. Patrum dicta vera esse non possunt: atqui, posito isto modo conversionis mediatæ, non possunt vera esse dicta SS. Patrum; quia non potest verificari, quod aqua ordinariè convertatur in sacrum sanguinem: ergo.

134. Confirmatur hæc ratio. SS. Patres non aliter loquuntur de conversione aquæ, ac de conversione vini: atqui loquentes de conversione vini semper intelligunt de conversione immediatâ: ergo etiam debent intelligi de conversione aquæ immediatâ: imò, si etiam quidam Patres loquantur aliquanto obscurius, debent explicari per alios clariùs loquentes: atqui isti loquuntur de conversione aquæ immediatâ, ut videre est in citatis textibus SS. Justini, Ambrosii, Damasceni, Paschasii, citatis n. 126. ergo. Certè, quando S. Justinus dicit, aquam à diaconis præberi, supponit, post consecrationem adhuc adeste species aquæ: quando S. Ambrosius ait, ante verba Christi esse calicem aquæ plenum, supponit necdum aquam esse conversam in vinum: quando Paschasius ait, aquam consecrari, supponit, eam adeste tempore consecrationis: quando S. Damascenus ait, ex aqua,

aqua, & vino, fieri sanguinem Christi, utique loquitur eodem modo de aqua, ac vino. Clarissimè autem loquitur Innocentius III. non quidem ut Pontifex, sed ut privatus doctor l. 4. de *myster. Evangel. legis, ac sacram. Euchar. seu myster. Miss. c. 11.* dum ait: *In sacramento corporis est trinitas specierum, videlicet panis, vinum, & aqua: scilicet species panis, vini, & aquæ: hoc verum non esset, si aqua prius conversa fuisset in vinum: ergo.*

135. Probatur eadem secunda pars conclusionis 2. Si aqua conversa est in sanguinem, maximè in eum conversa est tunc, quando Christus consecravit: sed probabilius tunc non fuit prius conversa in vinum: ergo. ma. admittitur ab adversariis, & ex Patribus, præsertim S. Irenæo, Theodoro, S. Hieronymo, citatis n. 126. satis aperte deducitur. mi. prob. probabilius tunc in ter mixtionem aquæ cum vino, & consecrationem, non intercessit tempus sufficiens, ut vinum naturaliter potuerit aquam in se convertere: ergo. antec. prob. in Lyurgia S. Jacobi Minoris, quæ habetur *tomo 6. bibliotheca Patrum*, ita habetur: *Similiter, postquam cœnavit, accipiens calicem, & permiscens ex vino, & aqua, & aspiciens in calum, ac ostendens tibi Deo, & Patri, gratias agens, sanctificans, benedicens, implens Spiritu Sancto, dedit nobis discipulis suis dicens: Bibite ex hoc omnes: hæc est sanguis meus &c.*

136. in Lyurgia S. Marci, quæ etiam habetur *tom. 6. bibliotheca Patrum*, dicitur: *Similiter, & calicem, postquam cœnavit, accipiens, factæque vini, & aquæ commixtionem, suspiciens in calum, ad se Patrem suum, Deumque nostrum, & Deum universorum, gratias egit, benedixit, sanctificavit, implevit Spiritu Sancto, & tradidit.* In Lyurgia, seu Anaphora S. Basilij, quæ habetur *eodem tom. 6. biblioth. Patr. sic habetur: Similiter autem & calicem vini, nati è vitè: & postquam cœnaverunt, accepit, miscuitque aquis, gratias egit, benedixit, sanctificavit, ac gustavit, & divisit discipulis suis, & Apostolis sanctis, dicens: hæc verba indicant, Christum brevi spatio omnia abolvisse.*

137. Sanè non malè ait Haunoldus l. 4. tr. 3. c. 3. n. 801. *Quis hic sibi persuadat, Christum his actionibus mediam horam impendisse?* Et tamen vix sufficisset naturali conversioni aquæ in vinum media hora, præsertim, cum Christum non exiguum quid aquæ infuderit, ut patet ex verbis S. Basilij n. præc. citatis. & communiter id videntur supponere antiquiores; cum dicant, miscuisse Christum aquam juxta morem regionis: quod etiam habet S. Thomas in 4. dist. 11. q. 2. a. 4. *quæstioncul. 1. in corp.* dicens: *Dominus apposuisse aquam probabiliter creditur ex more illius patriæ, quia vinum ibi sine aqua nunquam bibitur propter vini fortitudinem.* Ex quo tamen non sequitur, Christum adhibuisse vinum generosissimum; ducebat enim vitam paupe-

rum; unde naturaliter non potuit vinum, à Christo adhibitum, tam cito aquam in se convertere. Fingere autem cum Arriaga (qui id tamen subtimidè facit) miraculum, vi cujus aqua in vinum fuerit versa, est adstruere gratis aliquid, ratione, & auctoritate destitutum: sicut si fingeretur, idem contingere, quando sacerdos debet statim post aquam infusam calicem consecrare. Et cur non dicatur potius, statim miraculose aquam converti in sacrum sanguinem?

ARTICULUS VII.

Solvuntur Objectiones.

138. **O**B. 1. Innocentius III. C. *Cum Martha. 6. de celebr. Missar.* respondens ad

quæsitum supra memoratum Archiepiscopi Lugdunensis, de mutatione aquæ in sanguinem Domini, ait, super hac re sententias apud scholasticos esse varias: inde assert tres sententias, & primam ait fuisse, quod aqua mixta vino mutetur in illam aquam, quæ fluxit ex latere Christi: tum addit secundam his verbis: *Alii verò tenent, quod aqua cum vino transubstantiatur in sanguinem; cum in vinum transeat mixta vino, licet physici contrarium asseverent, qui aquam à vino per artificium posse asserunt separari.* Postea refert tertiam sententiam, asserentium, aquam non converti in sanguinem: ac tandem subiungit: *Verum inter opiniones prædictas illa probabilior judicatur, quæ asserit, aquam cum vino in sanguinem transmutari, ut expressius eluceat proprietates sacramenti; nam, cum aquæ multa sint populi multi, juxta quod alibi legitur: Beati, qui seminatis super omnes aquas: ideo vino aqua unitur, ut Christo populus adunetur: ergo Pontifex approbat tanquam probabiliolem sententiam secundam, quæ asserit, aquam prius in vinum, dein primum in sacrum sanguinem mutari.*

139. Resp. Coninck de *sacram. q. 74. a. 8. n. 152.* ex hac ipsa autoritate Innocentii confirmari nostram sententiam. Primum; quia ex ea infertur, tunc temporis, vel communissimam, vel communiorem fuisse opinionem, aquam non converti in vinum. Ratio est; quia neutra pars litigantium (tam, qui asserbant, aquam mutari in sanguinem, quam, qui dicebant, eam remanere, speciebus sacri sanguinis circumfusam) mentionem ullam fecit conversionis aquæ in vinum; cum tamen priores facillimè potuissent, hac ratione se expedire ab objectis auctoritatibus Patrum, asserentium, tantum offerri panem, & vinum, dicendo, nil aliud offerri, seu consecrari, quam vinum; cum aqua prius fuerit versa in vinum. Posteriores etiam potuissent, respondere aliquali objectioni, sibi factæ ex Patribus asserentibus, vinum, & aquam converti in sanguinem Christi, dicendo, quod non ma-

neat aqua, sed statim convertatur in vinum: si tamen non converteretur prius in vinum, mansuram aquam: Patres autem tantum loqui, vel de vino, vel de aqua prius converta in vinum.

140. Secundò, ut rectè advertit Conink cit. articulo n. 162. altera, seu secunda responsio Pontificis, habet duo membra, scilicet 1. quòd aqua convertatur in sanguinem, & 2. quòd convertatur prius in vinum: primum asserit Pontifex esse probabilis: alterum rejicit tanquam contrarium physicis. Nec dicit, hanc rationem, quòd nempe aqua convertatur prius in vinum, communiter asseri; sed tantum ait, asseri ab aliquibus ejus sententiæ patronis, quibus tamen non accedit; nam certè tunc communiùs supponebatur, aquam immediatè converti in sanguinem.

Gaufredus monachus Cisterciensis, qui hanc controversiam perscripsit ad Cardinalem Albanensem, in sua epistola (quam refert Baronius ad an. 1188. n. 27.) sic loquitur: *Reversus novam, & mihi hæcenus inauditam, ventilari inter aliquos repeti quaestionem de substantia aquæ, quæ vino mixta in calice similiter offertur, an & ipsa similiter cum eodem vino in sanguinem Domini convertatur.* Certè prius non fuit communiter judicatum, aquam non converti in sanguinem: ergo, cum hæc quaestio nova, & inaudita fuerit, debet fuisse communiter judicatum, eam unà cum vino converti in sanguinem Domini; quòd etiam Baronius ibidem tradit. Quare non, ut quidam dicunt, omnes antiqui scriptores, vel omnes Canonistæ, nostræ sententiæ oppositi sunt, sed potius sunt ei conformes: neque etiam credibile est, Pontificem hanc sententiam, tunc adeò receptam, statim rejicisse.

Unde conjectatur Conink de sacram. citata q. 74. a. 8. n. 163. sententiam avariam tunc primum post illas concertationes excogitatum fuisse ab iis, qui prius omnino negabant, aquam converti in sacrum sanguinem; cum enim nollent credere, etiam aquam posse esse materiam SS. Eucharistiæ, nec possent respondere objectis Patrum effatis, videntur hanc mediam sententiam excogitasse. Quod confirmat hic auctor ex eo, quòd Gaufredus in sua descriptione illius disputationis (quam in Galliis agitatam refert ex ipso Gaufredo Baronius ad an. 1188.) ne quidem per umbram faciat mentionem sententiæ asserentis, aquam prius converti in vinum. Quia tamen Pontifex in suo responso facit mentionem hujus opinionis, saltem jam aliqui debuerunt, eam prius tenuisse, si non in Gallia, saltem aliis in locis, etsi nostra sententia communior fuerit.

141. In forma neg. conseq. Pontifex approbat substantiam conclusionis tanquam probabilior, sed non rationem quorundam ejus patronorum, id quòd sapientimè fit, dum amplectimur alicujus auctoris sententiam, quin rationes ejus defendamus.

Hoc patet ex ipso responso, in quo Pontifex prorsus abstrahit ab illa ratione, quòd prius aqua mutetur in vinum: & apponit longè aliam, scilicet, ut expressius elucens proprietates sacramenti. Ulterius, quando Pontifex rationem illam de conversione aquæ in vinum refert, statim addit, eam à physicis negari, nec istos refellit; hinc censendus est, eam rationem neutiquam approbare: quin imò, dum in suo responso expressè ait, *aquam cum vino in sanguinem transmutari*, videtur planè supponere, aquam adhuc existere, quando calix consecratur. Accedit, quòd idem Innocentius III. l. 4. de mysteriis Evangel. l. 6. g. 29. loquens tanquam doctor privatus, cum movisset quaestionem de immediata conversione aquæ in sanguinem, dicat: *Quis hoc audeat diffinire?*

142. Quare, quando idem Pontifex eod. l. 4. de myst. Miss. c. 30. dicit: *Quibusdam verò non absurdum videtur, quòd aqua cum vino transit in sanguinem, et videlicet ratione, quòd aqua per admixtionem transit in vinum: & vinum per consecrationem transit in sanguinem: quis enim ambigat, aquam in vinum transire, cum multo vino modicum infunditur aquæ?* vel per hæc verba non adstruit tranficum physicum, seu conversionem physicam, sed tantum moralem, quatenus scilicet in estimatione morali aqua perdit suam denominationem, & totum illud mixtum dicitur vinum usuale: id quòd ex eo verosimiliter dicitur, quòd idem Pontifex eodem libro c. 11. dicat: *In sacramento corporis est trinitas specierum: quod verum non esset, si aquæ species non remaneret: quæ tamen non remaneret, si aqua prius physicè in vinum converteretur.* Vel, si verba intelligenda sint de conversione physica, Pontifex saltem non vult, id ordinariè, aut semper fieri; quia alias trinitas specierum nunquam daretur: sed ad summum vult, id aliquando contingere, quando multo vino (quantum tamen in Eucharistiâ vix adhibetur) modica aqua infunditur. Veletiam potest dici, quòd, sicut primum dictum Pontifex refert ad mentem aliorum, ita etiam illud alterum: *Quis ambigat &c.* referat tanquam rationem aliorum.

Dicastillo de sacram. tract. 4. disp. 2. dub. 9. n. 151. asserit adhuc aliam solutionem, asserens, quòd Pontifex tantum dicat, secundam sententiam esse probabilior, quam alias duas, quarum una omnino negat, aquam converti, altera asserit, eam verti in aquam, è latere Christi effulam: non verò dicat, quòd sit probabilior, quam sententia nostra, quæ ab hac utraque diverfa est, scilicet, quòd aqua immediatè convertatur in sanguinem Christi. Qui prolixè cupit legere examinatam hujus Pontificis mentem, consulat Aegidium Coninck de sacram. q. 74. de Euchar. n. 8. a. n. 151.

143. Dices. S. Thomas aliter interpretatur Innocentium; nam 3. p. q. 74. a. 8. in corp.

ait: *Et ideo sicut ipse Innocentius dicit, aliorum opinio probabilior est, qui dicunt, aquam converti in vinum, & vinum in sanguinem: ergo.* Confirm. Idem S. Doctor eod. art. arg. 2. ait: *Parva aqua multo vino admixta corrumpitur: item in 4. dist. 11. q. 2. a. 4. quaestiuic. 1. ad 2. ait: Modica aqua, vino admixta, quod est magis activum, à vino corrumpitur, & in speciem vini transit: ergo.* Respondet Elparza l. 10. de sacram. Eucharist. q. 62. a. 8. ad 2. S. Thomam habuisse vitiosum exemplar illius Decretalis; quia non refert verba Pontificis, prout habentur in Decretali, seu C. Cum Marthe. Resp. neg. antec. admittimus enim, eodem modo aquam converti in vinum, sicut S. Thomas, (aut, juxta primam responsionem n. 142. datam, etiam Innocentius) scilicet converti aquam moraliter, & apparenter in vinum, non autem physicè.

144. Nam S. Thomas eadem 3. p. q. 74. a. 3. postquam sibi arg. 3. objecit, vix inventi materiam triticicam puram ab admixtione alterius, e.g. hordei, respondet ad 3. *Modica permixtio non movet speciem: & rationem addit: Quia id, quod est modicum, quodammodo absumitur à plurimo. & infra ait: Si verò sit magna permixtio (puta ex aqua, vel quasi) talis permixtio speciem mutat.* Rursus in 4. dist. 11. q. 2. a. 2. quaestiuic. 2. in corp. ait: *Si ergo fiat tanta mixtio extranei, quòd solvantur species panis triticeæ, non poterit confici ex pane illo: si autem adeo sit parva admixtio, quòd species panis triticeæ maneat, & illud, quod additur, ad naturam tritici convertatur, potest exinde confici sacramentum: ergo S. Thomas agendo de pane, ejusque conversione in aliam speciem, intelligit tantum conversionem aliquam moralem; utique enim non vult dicere, triticum in maiore copia convertere minorem copiam hordei physicè in suam, seu tritici naturam? Certè tam parum est credibile, quòd farina triticæ possit convertere in suam naturam farinam hordeicam, quam parum, quòd possit pulvis aureus convertere in suam naturam argenteam.*

Rursus S. Doctor 3. p. q. 74. a. 3. ad 3. ait: *Quod est modicum, quodammodo absumitur à plurimo: quæ vocula quodammodo satis innuit, non absumi in rigore physico, sed tantum in aliquo sensu morali.* Certè nostra interpretatio S. Doctoris, præsertim, si tantum dicamus, eum non semper, & necessariò debere intelligi de conversione physica aquæ, est longè verosimilior, quam si quis diceret, eum etiam adstruere conversionem physicam farinæ hordeicæ. Quare, quando S. Doctor loquitur de conversione aquæ, sensendus est tantum loqui de conversione, seu mutatione morali.

145. Explicatur paulò magis hæc res. Modica admixtio hordei tam bene in genere physico constituit aliam inadæquatè speciem panis, quam admixtio multa; copiosior enim admixtio tantum facit, ut dentur plu-

res partes panis, in sensu physico quoad speciem diversæ, seu quasi plura individua: non autem facit, ut detur iterum alia nova species panis in sensu physico. At in sensu morali res aliter se habet; nam, quando hordeum e.g. mixtum est multum, e.g. in quaeritate æquali, vel quasi æquali cum tritico, censetur esse nova moraliter species panis: si verò hordeum mixtum sit tantum modicum, ut non sentiat, censetur panis simpliciter triticeus, & non speciei mixtæ.

Et hæc interpretatio, vel explicatio verborum Angelici, non est tam torta, quam illa, quam adversarii adhibent dictis SS. Patrum; quando enim Patres dicunt, vinum cum aqua converti in sanguinem, significat juxta ipsos, solum vinum, sed partialiter ex aqua generatum, verti in sanguinem: quòd idem sonat, ut ait Coninck, ac si, quando dico: *Comedi bubulam*: significare vellem: *Comedi bovem cum herba*; quia etiam herba prius mutata est in substantiam bovis: vel, si convivæ in nuptiis Canæ Galilææ dixissent: *Bibimus vinum cum aqua*; quia biberunt aquam, in vinum conversam; qui sanè sunt modi loquendi valde impropii.

Ad confirm. sufficit, data responsio: scilicet distinguitur in er corruptionem moralem, & physicam: & ista negatur, illa verò conceditur. Tandem S. Doctor in 4. dist. 11. q. 2. a. 4. quaestiuic. 1. in corp. ait, in Evangelio non fieri mentionem aquæ ratione Eucharistiæ, ideo; *quia non est principalis materia in hoc sacramento: ergo juxta ipsum est saltem materia minus principalis, adeoque potest immediatè converti in sacrum sanguinem.*

146. Ob. 2. Catechismus Romanus tit. de SS. Eucharistiâ ait, aquam modicam infundendam esse: & rationem ponit: *Nam Ecclesiasticorum scriptorum sententiâ, & iudicio, aqua illa in vinum convertitur: ergo.* Confirm. 1. Florentinum docet, modicissimam aquam affundi debere: hujus alia ratio non est, quam, ut aqua possit converti in vinum: ergo. Confirm. 2. Aquam prius converti in vinum, fuit olim communis opinio Ecclesiasticorum scriptorum, ut testatur Alanus, licet eam sententiam non defendat: ergo ista opinio est probabilior.

Resp. 1. cum Lugone de Euchar. disp. 4. sec. 4. n. 59. Catechismus Romanus, seu Tridentini, convenienter explicari posse de conversione latè sumpta, seu morali, dum nempe vinum prædominans absorbet ita aquam, ut illud complexum non denominetur jam aqua, sed vinum: de qua conversione diximus n. 143. etiam explicandum esse S. Thomam. Saltem potest congruenter dici, quòd Catechismus non velit aliam conversionem adstruere necessariam, casu quo non possit prius aqua à vino physicè converti in suam naturam: certè conversio illa moralis sufficit ad finem Catechismi, volentis, modicum quid affundi, ne vinum destruat, seu non sit amplius moraliter vinum.

vinum. Neque negant S. Thomas, aut Catechismus Tridentini, vel etiam alii antiquiores doctores (ut ait Illung *tr. 6. disp. 4. n. 73.*) aquam converti in sanguinem Christi per consecrationem, si ob temporis brevitatem, vel vini debilitatem, prius non potuit aqua converti in vinum: imò hoc potius supponunt; cum negent, post consecrationem manere aquam in calice.

147. Respondet 2. Dicastillo, Catechismum Tridentini unum monere, scilicet modicam aquam affundi debere, quod libenter admittimus: alterum testari, scilicet Ecclesiasticorum scriptorum iudicio aquam verti in vinum: quo tamen in testimonio non intelligit conversionem physicam: vel certe non intelligit, eam esse omnium Ecclesiasticorum scriptorum sententiam; nam supra satis probatum est, plurimos docere contrarium. Tandem advertendum est, quod, sicut etiam in Conciliis, rationes adductæ non habent eandem auctoritatem, quam canones, vel decreta, ita nec in hoc Catechismo eadem videatur esse auctoritas rationis, quod aqua debeat verti in vinum: & conclusionis, quod sit modicæ aquæ utendum, in forma neg. confeq.

148. Ad 1. confirm. neg. mi. Florentinum non dat illam rationem, sed alias, nempe 1. quod Christus etiam adhibuerit aquam: & 2. quod ex latere Christi quoque fluxerit aqua: ac 3. quod aqua mixta vino significet adunationem populi cum Christo. Primæ duæ vix probant, aquam debere esse in minore quantitate: at verò id probat tertia; nam, cum aqua significet populum, vinum autem significet maiestatem Christi, atque populus sit aliquid longè minus æstimabile, quam Christus, debet quantitas aquæ esse minor, quam quantitas vini, quæ etiam est illatio Concilii Triburienfis, citati *n. 119.*

Accedit, aquam debere esse modicam, ne vinum moraliter corrumpat: non autem, ut ipsa in vinum possit mutari; si enim ideo deberet aqua esse modica, ut posset verti in vinum, cur Ecclesia jubet, aliquando affundi aquam immediatè ante consecrationem? cur non jubet, eo casu sacerdotem expectare, donec aqua convertatur in vinum? cur non jubet omnes imitari ritum RR. PP. Prædicatorum, statim in initio aquam affundentium? Ad 2. confirm. Vel Alanus tantum sua dicta intelligi vult de conversione morali, vel ejus assertio multum excedit, ut patet ex dictis. Certè SS. Patres, qui tamen sunt præcipui inter Ecclesiasticos scriptores, non dicunt, aquam prius verti in vinum. Dein multi Alano cœvi admiserunt immediatam conversionem aquæ in sanguinem, ut Sorus, Canus, Janfenius Gandavenfis. in forma. neg. ant.

149. Ob. 3. Ignis in momento comburitur stupam, vel oleum: ergo etiam vinum potest statim in se vertere aquam. Confirm. Aristoteles *1. de gener. sext. 10.* docet, aquam modicam converti in aërem: ergo etiam convertitur in vinum. Resp. re-

torq. arg. Modica scintilla ignis ingentem acervum pulveris statim in se convertit: ergo etiam modicissimum vinum magnam copiam aquæ, vel vicissim guttula aquæ multum vinum poterit in se convertere. Est igitur ingens discrimen inter activitatem causarum. Ignis est maximè activus, & tamen, ut diximus *n. 131.* non facile aquam in se convertit: multò minus totaliter; cum nec lignum totaliter in se convertat: quomodo igitur modicum vinum tam citò aquam totaliter in se vertet? Adde, quod ignis, dum comburit vitæ, vires sumat, nec lakem sensibilibiter ejus virtus per reactionem debilitetur; nec enim sensibilibiter frigidus fit, dum ligna consumit: sed vinum ab aqua, etiam guttatim affusa, tandem ita debile fit, ut vix non aqua sit, in forma neg. confeq.

150. Ad confirm. Aristoteles *loc. cit.* sic habet: *Si enim in minores aquas aqua divisa sit, citius aër generatur;* unde tantum vult dicere, aquam in minimas particulas divisam facilius mutari in aërem, qui quasi immensus eam ambit: sicut scilicet inferius *textu 88.* ait: *Gutta vini decem millibus congijs aqua non miscetur; solvitur enim forma, & mutatur in universam aquam.* At non est paritas ab immenso aëre, vel decem millibus congijs aquæ, ad modicam quantitatem vini, quæ in calicem infunditur; unde in forma nego conf. saltem nego, quod aqua semper physicè in vinum mutetur.

Adde, quod longè facilius sit, vini mixtum ab elemento, infinitum quasi excedente, quam elementum, fortissimè etiam resistens igni, vini à mixto sæpe valde debili, & in non magna quantitate adhibito. Adde, quod hanc conversionem negent philosophi plurimi, non tantum atomistæ, aut alii recentiores (qui non ita faciles sunt, ut antiqui, in admittendis physicis substantiis transmutationibus) sed etiam antiquiores, qui vivebant tempore Innocentii III. ut patet *ex n. 129.* Tandem, etsi detur, quod aliquando aqua vertatur in vinum, non sequitur, id semper contingere, aut ordinariè in sacrificio Missæ, ut patet ex dictis.

ARTICULUS VIII.

Solvuntur reliquæ Objectiones.

151. **O**B. ulterius 4. Aqua non est materia calicis: ergo non vertitur in sacrum sanguinem, nisi fuerit prius versa in vinum. prob. antec. Tridentinum *sess. 13. c. 3.* tantum dicit, Christum reliquisse suum corpus, & sanguinem *sub panis, & vini specie:* & non facit ullam mentionem aquæ, aut ejus speciei: atqui verba Concilii debent sumi proprie, adeoque per vinum debet intelligi tantum vinum proprie tale: ergo solum vinum proprie tale est materia calicis. Confirm. 1. Christus non dedit Apostolis potestatem con-

vertendi aquam in suum sanguinem: ergo hæc non est materia Eucharistiæ. prob. antec. Christus non dedit eis præceptum convertendi aquam in suum sanguinem: ergo neque dedit eis potestatem. Confirm. 2. Mistio aquæ est tantum ex præcepto Ecclesiæ: ergo aqua non est materia calicis. prob. confeq. Ecclesia non potest statuere, & determinare materiam sacramenti: ergo, cum ipsa statuat infusionem aquæ in calicem, hæc non est materia Eucharistiæ. antec. admittitur ab omnibus; alias posset Ecclesia etiam determinare puram aquam, quod est falsum.

152. Resp. dist. antec. Aqua se sola, seu non constituens vinum usuale, non est materia calicis. conc. antec. aqua actu constituens vinum usuale. neg. antec. & confeq. ad probat. dist. mi. verba Concilii debent sumi proprie in sensu moraliter vero, & proprio, prout possunt, ne contradicatur tot Patribus &c. conc. mi. in sensu physico strictissime sumpto. neg. mi. & confeq. Sicut Christus Dominus instituendo panem, nec determinavit azymum, nec fermentatum, sed utrumque voluit sufficere: ita etiam nec determinavit vinum purum, nec mixtum, sed utrumque voluit sufficere: sicut neque determinavit potius vinum album, quam rubrum, aut vicissim; unde etiam vinum mixtum, & consequenter aqua, ut constituens vinum mixtum, est materia calicis; quia hoc mixtum totum verè est, & dicitur vinum usuale, atque in æstimatione morali habetur, & vocatur simpliciter vinum, & non vocatur aqua; quare etiam dicitur simpliciter consecrari vinum, non verò aqua, nisi cum addito mixta vino.

153. Quod autem dicit Gonetus *tom. 3. tract. 4. disp. 3. n. 4. n. 61.* vinum mixtum non dici vinum usuale, sed tantum potum usuale, est præcisè excoGITatum, ut aliquid possit responderi contra communissimum modum loquendi. Et quis dicat, cauponem, qui vino suo affudit aquam, non amplius vendere vinum, sed tantum potum? Et quomodo *Prov. 9. v. 5.* dicit Sapiencia Divina? *Bibite vinum, quod miscui vobis.*

Rursus, quod aqua, mixta vino, sit materia Eucharistiæ, desumitur ab exemplo ipsius Christi Domini, adhibentis vinum mixtum in cœna, ut dictum *n. 118.* & ex sensu fidelium; quia, ut Baronius *ad ann. 1188. n. 29.* ait: *Credidit, & custodivit semper Romana Ecclesia, nimirum aquam simul, & vinum transsubstantiari in sanguinem Christi:* ex quo legitime inferitur, aquam esse materiam hujus sacramenti. Tridentinum autem non dixit, vinum purum esse materiam, sed vinum, abstrahendo, an sit purum, an mixtum.

154. Quod atinet ad Concilium Florentinum, quando istud dixit, vinum esse materiam, cui modicissima debeat misceri aqua, non tantum voluit, hanc mixturem fieri, tanquam aliquam cæremoniam, sed voluit, aquam mixtam verè esse materiam

sacramenti Eucharistiæ: estque idem, ac si dixisset, materiam calicis esse vinum mixtum aqua, quod sufficienter expressit idem Concilium, dum in decreto Eugenii pro Armenis dixit: *Credetur, ipsum Dominum in vino aqua permixto hoc instituisse sacramentum.*

Neque tamen hinc potest inferri, duplicem esse materiam calicis; sicut enim farina, aqua, & fermentum, ex quibus panis conficitur, simul constituunt unam materiam integram, completam primæ speciei; ita etiam vinum, & aqua, constituunt unam integram completam materiam secundæ speciei. Ad 1. confirm. neg. antec. ad prob. dist. ant. Christus non dedit Apostolis præceptum determinatè de aqua, seu de vino mixto. conc. ant. non dedit eis præceptum disjunctivè. neg. antec. & confeq. Retorsio est clara in pane azymo, & fermentato, vino albo, & rubro &c.

155. Ad 2. confir. neg. conf. ad prob. dist. ant. Ecclesia non potest determinare formaliter materiam sacramenti, necdum etiam disjunctivè contentam, sub institutione Christi. conc. antec. non potest determinare aliquo modo materialiter materiam, jam disjunctivè saltem contentam sub institutione Christi. neg. antec. & confeq. ad prob. dico, admitti antecedens ab omnibus in sensu distinctionis. Nec propterea Ecclesia potest instituere aquam puram; quia hæc sola nec disjunctivè continetur sub institutione Christi, qui instituit vinum, sed disjunctivè, id est, vel purum, vel mixtum, ut habetur ex definitionibus Ecclesiæ contra Aquarios, qui solam aquam ad consecrationem adhibebant. Hæc omnia clariùs patent, si recolantur ea, quæ diximus de determinatione materiæ sacramentalis in *tr. de sacram. in genere. an. 54.* Addo tantum, hoc præceptum miscendi aquam se habere, ut præceptum miscendi fermentum in Ecclesia Græca; quia etiam hoc est tantum Ecclesiasticum: non tamen sequitur, Ecclesiam, determinando panem fermentatum, egredi limitès suos, & formaliter determinare materiam sacramenti.

156. Ob. 5. Tridentinum *sess. 13. can. 2.* definit, post consecrationem manere tantum species panis, & vini: atqui juxta nos manerent etiam species aquæ: ergo. Confirm. Idem Concilium *ead. sess. can. 3.* definit, Christum manere sub singulis cujusque speciei partibus: ergo juxta nos maneret etiam sub speciebus solius aquæ, si à speciebus vini separarentur, uti fieri posset per eandem artem, per quam separari potest aqua à vino: sed, si maneret Christus sub speciebus aquæ, non est ratio, quare non posset in eas primò introduci, adeoque consecrari sola aqua: ergo. Resp. 1. retorq. arg. Juxta adversarios sæpe maneret ipsa substantia aquæ, quod videtur æquè, vel magis Tridentino contrarium. Resp. 2. dist. ma. Tridentinum definit, manere tantum species vini usualis. conc. ma. tantum manere species vini puri. neg. ma. & om. mi. neg. con-

conseq. Tridentinum tantum vult docere, quod non maneat substantia panis, & vini, idque contra hæreticos impanatores: de cætero non vult ulli sententiæ præjudicare.

157. Ad confir. Conink de sacram. q. 74. n. 8. n. 191. putat, probabiliter posse dici, manere Christum sub speciebus aquæ post consecrationem separatis. Neque inde sequitur, posse etiam Christum introduci in solam aquam; quia plus requiritur ad introductionem, quam tantum ad consecrationem: sic in anima separata conservatur character; non tamen potest in eam introduci. Idem tamen Conink postea n. 192. melius negat, Christum sub illis speciebus aquæ manere: quod etiam negant Dicastillo, Lugo, & alij, cum quibus dist. antec. Tridentinum definit, Christum manere sub cuiusque speciei partibus, si sint species materiæ consecrabilis, seu adhuc species vini usualis. conc. antec. secus. neg. antec. & conseq. Tridentinum vult tantum docere, Christum manere sub speciebus vini usualis, quales non amplius sunt species aquæ separatae: sunt autem species aquæ adhuc mixtae. Sic etiam panis componitur ex aqua: at, si post consecrationem species aliquæ aquæ per evaporationem separarentur (ut rectè ait Lugo de Eucharist. disp. 4. sec. 4. n. 67.) non esset censendum, quod Christus sub iis remaneret; quia non amplius essent species panis.

158. Dices ex Arriaga. Juxta nos Christus non maneret sub speciebus vini, posito, quod immisceantur ingenti copiae aquæ: hoc non potest dici: ergo. prob. ma. etiam tuæ cæ species perdunt denominationem specierum vini usualis: ergo. Resp. neg. ma. nam requiritur, ut species, vel sint physice species vini, vel moraliter: species aquæ separatae neutro modo sunt species vini: at species vini, mixtae speciebus aquæ, etiam longè copiosioris, sunt, & quidem physice, species vini, etiam post mixtionem, donec corrumpantur. Si ulterius petas, quare non sufficiat, fuisse aliquando species vini usualis, quod competit etiam speciebus aquæ iterum separatis. Resp. 1. quærendo, cur id non sufficiat in speciebus aquæ evaporatis ex speciebus panis. Resp. 2. Ideo non sufficit; quia non manet materia Eucharistiae, adeoque nec Christus; materia enim non est, quod fuit panis, vel vinum: sed quod actu, physice, aut moraliter, est panis, vel vinum.

159. Ob. 6. Juxta nos esset materia secundæ consecrationis etiam aqua in æquali, vel etiam majori copia, quam sit vinum, in calicem infusa, modò non corrumpet vinum, quod posset fieri, si vinum esset valde generosum: secundò etiam aqua, à caupone mixta in hospitio: tertio etiam gutta mellis, aut absinthii vino mixta: etiam hæc admitti non possunt: ergo. ma. prob. ista omnia constituunt vinum usuale; quia apud Italos, & Hispanos, est valde consuetum, mediam partem, vel plus etiam aquæ admi-

scere vino in ordine ad potum: ergo. Resp. singillatim ad sequelas.

Ad 1. sequelam: Aliqui cum Aresio istam concedunt: alij cum Coninck de sacram. q. 74. n. 8. n. 184. melius negant; quia, cum vinum ex institutione Christi sit materia principalis, debet prædominari, non tantum virtute, sed etiam quantitate. Neo materia calicis dicitur aqua vino mixta, sed vinum mixtum aqua; hinc Honorius III. C. Perniciosus. 13. de celebr. Missar. censuit, perniciosum abusum esse, miscere plus, aut tantundem aquæ, quam vini, contra constantem praxin, & consuetudinem Ecclesiæ universalis. Ex qua ipsa praxi rectè inferitur, vinum usuale, à Christo institutum, debere esse tale, ut in eo vinum etiam quantitate prævaleat aquæ. Addo, hoc argumentum etiam premere adversarios; si enim est vinum tam generosum, ut non corrumpatur admixtione majoris copiae aquæ, juxta ipsos etiam poterit convertere in se illam aquam: certè, si maneat vinum adhuc usuale, debet juxta ipsos aqua esse mutata in vinum.

160. Ad 2. sequelam. Si aqua à caupone non sit immoderate affusa, non video, cur non convertatur immediatè in sacrum sanguinem. Certè aliis sæpe oporteret dubitare de valore sacramenti: cum caupone non raro vino satis aquæ affundant, & paulò post è cella aditu illud pro sacra ministrant, antequam potuerit, etiam juxta adversarios, aquam in se convertere. Ad 3. sequelam. Alanus l. 1. de Euchar. c. 13. sub finem, eam concedit. At Dicastillo de sacram. tr. 4. disp. 2. n. 164. Tannerus tom. 4. disp. 5. q. 2. n. 163. & alij negant; quamvis enim modica talis gutta non impediatur conversionem vini, tamen non etiam ipsa convertitur; quia non est pars vini usualis, ut rectè ait Dicastillo, sed est tantum additum quid: Christus autem pro hoc sacramento non instituit aliud, quam vinum usuale, sive sit purum, sive aqua, sed non alio liquore mixtum.

161. Quæ hæc dicta sunt de melle, vel absinthio, mixtis vino, eadem dicenda sunt de musca, e. g. vel alia re simili, mixta farinae, & dein remanente in pane; nec enim musca est pars panis usualis, nec moraliter convertitur in triticum ex communi sensu. Aliter loquendum de modica farina hordei, mixta farinae triticeæ; illa enim constituit panem usualem, & triticeum; nam non tantum vocatur panis triticeus ille, qui est ex purissimo tritico, sed etiam ille, qui est ferne ex puro tritico.

Unde S. Thomas 3. p. q. 74. a. 3. ad 3. ait: Si sit modica admixtio alterius fragmenti ad multo majorem quantitatem tritici, poterit exinde confici panis, qui est materia hujus sacramenti. Et sic Lugo de Eucharist. disp. 4. sec. 4. n. 70. ac Dicastillo disp. modo citat. n. 162. censent, talem farinam mixtam converti: quin Dicastillo id expressè admittit de butyro, melle & c. pani mixto, sed ita modicè, ut maneat panis usualis: quamvis dein non admittat, talem

alem guttam mellis & c. vino mixtam converti, ut dictum. Quodsi tamen quis probaret, talem farinam hordeaceam non esse partem constitutivam panis triticei usualis, coipso probaret, quod non sit paritas, inter eam farinam, & aquam; hæc enim ab omnibus dicitur pars vini usualis.

Quæres, quid dicendum sit de gutta aquæ calidæ, quam Græci post consecrationem infundunt in sacrum sanguinem, ut testatur Cardinalis Alanus de Eucharist. sacram. l. 1. c. 13. & Cardinalis Lugo de Eucharist. disp. 4. sec. 3. n. 46. Resp. eam non consecrari; non enim consecratur materia, quæ non est præsens, saltem tunc, quando dicitur ultima pars formæ, ut est communissima omnium: nec est par ratio inter sacrum sanguinem, & alias res benedictas, in quibus dicitur pars major trahere minorem; nam in aliis rebus nihil debet physice immutari, sed tantum debet ipsis moraliter applicari consecratio præcedens: at verò in Eucharistia debet dari physica conversio.

162. Sed nec etiam moraliter censetur applicari tali aquæ consecratio: imò censetur ipsi non applicari; quia omnes censent, Christum non fuisse tali guttæ; aliis deberet etiam lubefcere hostiæ alicui non consecratae, si ista agglutinaretur hostiæ consecratae: sicut benedictio partis majoris Ecclesiæ, censetur applicari alteri parti, de novo per cæmentum conjunctæ, vel agglutinatae. Idem respondere debent auctores asserentes, aquam prius converti in vinum; nam, licet talis aqua tamdiu maneret conjuncta, vel confusa cum speciebus vini, ut juxta eorum sententiam deberet in vinum converti (quod juxta ipsos faciliè contingere posset in sacrificio longiore, & quando vinum fuisset robustum) tamen non admitteretur, quod in eo casu aqua illa converteretur in sanguinem Christi: sed ad summum convertenda esset in vinum.

Hucusque egimus de materia remota SS. Eucharistiae: videretur igitur etiam agendum de materia proxima, quæ, ut diximus n. 3. sunt species, seu accidentia panis, & vini: sed, eum de his agi soleat, quando de conversione Eucharistica agitur, & nos quoque ibi de iisdem acturi sumus; ideo hæc tractationem de dictis speciebus omittimus, ne jam hæc dicta iterum ibi repetere debeamus.

QUÆSTIO III.

De Forma Eucharistica.

ARTICULUS I.

Quæ, & qualis sit Forma Consecrationis SS. Eucharistiae.

163. **D**ico 1. Forma consecrationis panis essentialiter consistit in his verbis: Hoc est R. P. Ant. Mayr. Theol. Tom. II.

corpus meum. ita communiter omnes contra Nicolaum Cabasilam, Marcum Ephesinum, & alios Græcos schismaticos, qui (ut tradit Suarez tom. 3. in 3. p. disp. 59. sec. 1. §. Secunda sententia.) voluerunt insuper requiri, & quidem essentialiter hæc verba: Quod pro vobis datur: vel tradetur: item, (ut tradit Bellarminus tom. 3. controuv. 3. de Eucharist. l. 4. c. 13.) etiam hæc alia verba, precatória sacerdotis: Fiat hic panis corpus Christi, & hoc vinum sanguis Christi. Prob. conclusio 1. Concilium Florentinum formam à nobis assignatam, & non aliam tradit, & SS. Patres communiter adimplantur: ergo.

Prob. conclusio 2. validissimè. Si illa verba: Quod pro vobis datur: essent essentialiter requisita, Ecclesia Romana non consecraret validè: hoc dicere est error intolerabilis: ergo. ma. est clara; quia ea verba non adhibentur ab Ecclesia Romana, nisi negetur, probanda est veritas religionis Romanæ Catholicæ, quam hæc meritò supponimus probatam in tr. de virt. Theol. Confir. 1. Forma essentialiter consistit in verbis Christi: ergo illa verba: Fiat hic panis & c. non sunt pars formæ. conseq. est clara. antec. probatur fusè ex SS. Patribus à Bellarmino tom. 3. controuv. 3. de Eucharist. l. 4. c. 13. Confir. 2. Verba à nobis assignata se solis sufficienter significant præsentiam Christi sub speciebus panis: ergo etiam sufficienter eam causant.

164. Hinc quoque verba illa, quæ præmittuntur, scilicet: Qui pridie quam pateretur & c. sunt tantum necessaria necessitate præcepti, ut tenent communiter omnes Thomistæ, & nostri: & ex Scotistis etiam Pontius, Mastrius, ac Bosco, qui Theol. sacram. p. 2. disp. 4. sec. 3. conclus. 1. vult, Scotum, quando verba superiora videntur requirere, tanquam necessaria necessitate sacramenti, tantum fuisse locutum dubitando, & argumentando, non autem firmiter aliquid asserendo.

Ratio etiam est. Illa verba non sunt verba Christi: imò fuere primum ab Alexandro I. Papa, relata in canonem, ut habetur in Breviario ad 3. May. atqui ex una parte, ut colligitur ex Florentino; & plurimis SS. Patribus, ac vetustissimis rerum liturgicarum scriptoribus, (quos videre est apud Bellarminum tom. 3. controuv. 3. de SS. Euchar. l. 4. c. 13.) sacerdos consecrat solis verbis Christi: ex altera parte etiam dici non potest, ante Alexandrum non fuisse adhibitam essentialem formam Eucharistiae, vel fuisse aliam, quam nunc sit: ergo.

165. Nec dicas, verba illa: Qui pridie & c. requiri propterea, ut intelligatur sacerdos loqui nomine Christi verba sequentia: Hoc est corpus meum; non enim ideo sacerdos loquitur nomine Christi; quia dicit, se loqui nomine Christi: sed quia à Christo est constitutus minister, & habet intentionem loquendi nomine Christi. Sic Angelus in veteri testamento sæpe dixit nomine Dei: Ego sum Dominus Deus tuus: licet

licet reflexè non dixerit, se loqui nomine Dei: sic etiam legatus loquitur nomine regis, etsi hoc reflexè non dicat; modò sit constitutus à rege: & certè, si laicus omnia illa verba dicat, propterea non loquitur nomine Christi: sicut non loquitur nomine regis, qui tantùm narrat alteri verba à rege prolata.

Rursus (ut bene observat Gormaz de Eucharistia n. 50.) per illa verba non determinantur verba: Hoc est corpus meum: ad prædicè significandum, quòd id, quod sacerdos nunc habet in manibus, sit corpus Christi: sed tantùm, quòd illud fuerit corpus Christi, quod Dominus in cœna habuit in manibus: ergo, si significatio horum verborum determinaretur à verbis illis præcedentibus, sacerdos non consecraret: nec loqueretur nomine Christi, in ordine ad convertendum nunc panem in corpus Christi: sed tantùm ad significandum, talem conversionem esse factam in die cœnæ.

166. Dico 2. Forma consecrationis calicis consistit essentialiter in his, vel æquivalentibus verbis: *Hic est calix sanguinis mei*: aut: *Hic est sanguis meus*. ita Scotistæ, & communissimè nostri. Prob. concl. 1. Hæc verba sola sufficienter significant præsentiam sanguinis Christi sub speciebus vini, & conversionem vini in sanguinem Christi: ergo in his verbis solis consistit essentialiter forma consecrationis calicis. conseq. non videtur posse negari; quia forma cuiusque sacramenti essentialiter consistit in verbis, essentialiter requisitis ad conficiendum illud sacramentum: adeoque etiam forma consecrationis calicis essentialiter consistit in verbis, essentialiter requisitis ad conficiendum sacrum sanguinem &c. ant. prob. ut etiam docet S. Thomas 3. p. q. 78. n. 3. in corp. verba à nobis adducta non minus significant præsentiam sacri sanguinis sub speciebus vini, & huius conversionem in illum, quàm verba: *Hoc est corpus meum*: significant præsentiam corporis Christi sub speciebus panis, & huius conversionem in corpus Christi: ergo, sicut ista sufficiunt ad panem, ita illa sufficiunt ad vinum convertendum in SS. Eucharistiam. conseq. prob. verba consecrationis efficiunt id, quod significant: nec minoris sunt efficaciam in consecratione vini, quàm panis: ergo.

167. Prob. conclus. 2. Verba, quæ non reperiuntur in omni liturgia, vel canone, non sunt essentialia: atqui verba illa *novi, & æterni testamenti* &c. usque ad illa: *Hæc quotiescumque* &c. non reperiuntur in omni liturgia, aut canone: ergo. ma. colligitur ex Angelico 3. p. q. 78. n. 1. ad 4. ubi dicit, alia verba canonis non esse de essentialibus; quia canon *Missa non est idem apud omnes*: quasi diceret Sanctus Doctor: Essentialia verba debent esse eadem apud omnes: non ita se habent omnia verba canonis: ergo non omnia verba canonis sunt essentialia. Quod probatur ulterius ex eo; quia est incredibile, quòd in pluribus

liturgiis, quorum authores creduntur esse Apostoli, & SS. Patres, non habita sit valida forma consecrationis; cum tamen Florentinum, quod accuratè discussit ritus Græcorum, non arguerit illos invalidæ consecrationis.

168. Prob. jam min. In liturgiis antiquis Græcorum, S. Jacobi Minoris, S. Marci, & S. Basilii (de quibus n. 135. & 136.) non habentur hæc verba *æterni, mysterium fidei*: in liturgia Æthiopum (quæ S. Matthæo tribuitur, & habetur tom. 6. Biblioth. Patrum) non habentur hæc verba *novi, & æterni testamenti, mysterium fidei*: in missa Mozarabum, seu Muzarabum (quæ habetur, sed non integra tom. 6. Biblioth. Patr. ac plenior habetur tom. 2. auctarii Biblioth. Patr. sub finem) non habentur verba *æterni, mysterium fidei*. Cardinalis Lugo oculatus testis refert disp. 11. de Eucharist. sec. 4. n. 61. in liturgiis Maronitarum, (quæ tribuntur S. Joanni Evangelistæ, S. Marco, Eustasio, & Joanni Patriarchæ) tantùm hæc verba haberi: *Hic est sanguis meus: Sanguis meus est hic: Hoc sanguis meus est*.

169. Confirmatur 1. Nec S. Paulus 1. Cor. 11. nec ullus Evangelista, habet hæc verba *æterni, mysterium fidei*: non est autem credibile, quòd hagiographi omiserint ea, quæ pertinent ad essentialiam formæ. Si dicas, Evangelistas tantùm fuisse historicos, nec omnia enucleatè narrasse, imò abscondisse verba essentialia, ne gentilibus innotescerent: contra est. Omnes scriptores ex Evangelio colligunt ea, quæ essentialiter spectant ad formam, tam panis, quàm vini consecrandi.

Dein, si Evangelistæ non absconderunt formam consecrandi panem, non est ratio, cur absconderint formam consecrandi vinum; nec enim scripserunt infidelibus, sed fidelibus: & sacri libri, non minus, quàm alia mysteria, abscondebantur gentilibus. Si dicas, hæc verba omissa non esse essentialia, sed tantùm alia, scilicet: *Qui pro vobis* &c. jam evertuntur plures rationes adversariorum, ut infra patebit. Confirm. 2. Complures SS. Patres apud Suarez tom. 3. in 3. p. disp. 6. sec. 1. tantùm referunt ista verba: *Hoc est corpus meum: hic est sanguis meus*: ergo hæc quoad substantiam debent sufficere.

170. Dico 3. Verba consecrationis proferuntur, simul recitativè, & enunciativè. ita communiter Theologi. Prob. 1. pars conclusionis. Proferre verba recitativè, quod idem est, *historicè*, seu, ut alii vocant, *materialiter*, significat, verba proferre narrando, tanquam dicta ab auctore: sed sacerdos proferet verba consecrationis, tanquam dicta à Christo: ergo proferet ea recitativè. prob. mi. sacerdos ante verba consecrationis ait de Christo: *Benedixit, fregit, deditque discipulis suis, Accipite* &c. ergo refert verba Christi, seu recitat illa, quæ Christus Dominus protulit. Prob. 2. pars conclusionis. *Enunciativè* proferre verba, seu *formaliter*, &

significativè, significat, ea proferre, non tantùm narrando, tanquam verba alterius: sed etiam asserendo id, quod per verba significatur: atqui etiam hoc facit sacerdos, asserendo scilicet, hoc esse corpus Christi &c. ergo ea verba etiam proferunt enunciativè.

171. Confirm. 1. Qui tantùm narrat verba alterius, vel ea tantùm recitat, loquitur tantùm in sua persona: non verò in persona illius, cuius verba narrat: atqui sacerdos ex Concilio Florentino, ac Tridentino, & SS. Patribus, loquitur in persona Christi: ergo non tantùm ea verba recitat, seu recitativè narrat: sed etiam enunciativè proferit. Confirm. 2. Patres, & Concilia, colligunt ex verbis consecrationis, fieri conversionem panis, & vini, tunc, quando datur consecratio: atqui, si sacerdos tantùm narrativè ea verba proferret, non posset ex ijs colligi, tunc fieri illam conversionem, sed tantùm, eam factam fuisse olim in cœna Domini; plus enim non requireretur ad veritatem puræ narrationis: ergo. Licet autem utraque hæc prolatio, nempe tam recitativa, quàm enunciativa, debeat per se intendi à sacerdote (& ordinariè utique habetur hæc intentio saltem implicite) communis tamen est sententia authorum, sufficere ad valorem consecrationis, modò verba enunciativè proferantur.

ARTICULUS II.

Solvuntur Objectiones.

172. **O**B. 1. Ex nostra sententia sequeretur, quòd in ordine ad consecrandum panem validè adhiberi possent hæc formæ. 1. *Hoc corpus meum*; quia non solum Hebræi, & Græci, sed etiam Latini sæpe subintelligunt verbum *est*: & hoc verbum in Græca editione S. Luca non exprimitur in consecratione calicis. 2. *Istud, vel Illud est corpus meum*. 3. *Fiet, vel Fiat hoc corpus meum*. 4. *Ecce corpus meum*. 5. *Hæc est caro mea*. 6. *Hoc est corpus Christi*. 7. *Meum est hoc corpus*. 8. *Consecro hunc panem in corpus meum*. 9. *Hoc est corpus meus*. 10. *Hic cibus, hæc res, hoc contentum sub his speciebus, est corpus meum*. 11. *Corpus meum est hoc*. 12. *Hic est corpus meum*: sed hæc formæ non possunt validè adhiberi: ergo.

Resp. neg. ma. Non sequeretur, quòd juxta nos validè adhiberentur omnes istæ formæ, ut patebit ex mox dicendis. Diximus intr. de sacram. in genere. n. 56. quòd accidentaliter mutatio formæ non impediatur valorem sacramenti: impediatur autem eam mutatio substantialis. Unde, si in his, vel aliis formulis, datur tantùm accidentaliter mutatio verborum, vel sensus, valida erit conse-

cratio: at, si fuerit mutatio substantialis, consecratio erit invalida.

173. In particulari autem loquendo de his formis. De prima Conink de sacram. q. 78. n. 3. n. 34. ait, videri sibi, eam formam esse invalidam; quia non videtur facere sensum perfectum in idiomate Latino: quidquid sit de idiomate alio. Suarez tom. 3. in 3. p. disp. 59. sec. 2. §. Unde ultimò. omnino negat, esse validam; tum quia Christus adhibuit illud *est*; tum quia, ut ait, deberet sensus esse ita connexus: *Accipite, & comedite hoc corpus meum*; cum tamen illud *accipite* non spectet ad formam.

Ad 2. Vocula *illud* non significat materiam præsentem, neque vox *istud*, ut notat ex Valquio Gobat tract. 3. seu alphab. sacrificantium casu. 3. n. 81. significat enim rem præsentem illi, quem alloquor; unde, si in epistola Augustam directâ scribam *ista civitas*, intelligor loqui de civitate Augustana: debet autem materia etiam esse præsens, & significari præsens illi, qui loquitur, & consecrat. Suarez verò sec. modo citata. §. Unde infero. consentit quidem, voculam *illud* non significare rem præsentem: at *voce istud* ait quandoque adhiberi à Latinis ad significandam rem præsentem; unde saltem illa forma est dubia.

Ad 3. Verba non indicant, Christum statim adesse post finitam formam, adeoque non habent significationem à Christo institutam. Ad 4. Suarez sec. modo citata §. Secundo colligitur. ait, sibi verosimile esse, quòd sit mutatio substantialis, & videri sibi, per eam formam non significari conversionem, sicut significatur per illam, qua nunc utimur: item ait, mutari saltem significationem explicitam in implicitam.

174. Ad 5. Suarez sec. n. præced. cit. §. Dico tertio. ait, centeri à scholasticis, in hac forma dari mutationem substantialem; quia caro minus significat, quàm corpus. Licet autem alibi per synecdochen adhibeatur caro pro corpore, tamen, ait hic author, in forma servandam esse proprietatem verborum. Nec dicas, Christum Joann. 6. vocasse hoc sacramentum suam carnem; non enim Christus ibi voluit tradere formam consecrandi. Interim in quadam liturgia Maronitarum, de qua Lugo de Eucharist. disp. 11. sec. 4. n. 61. habentur hæc verba: *Hoc caro mea est*. Nec videtur credibile (ut etiam advertit *ibidem* hic Cardinalis) eos populos formam essentialiter requisitam tamdiu ignorasse, ac tanto tempore, saltem frequenter, dum scilicet eam liturgiam adhibebant, vero sacrificio caruisse; præsertim, cum eos Romana Ecclesia propterea nunquam reprehenderit, aut correxerit. Peccaret tamen gravissimè, si quis sacerdos Latinus eam formam uteretur.

175. Ad 6. Inprimis hæc verba, ut connexa cum præcedentibus, non essent vera; quia ista Christus nondixit. Dein sacerdos non exprimeret, se loqui nomine Christi, adeoque probabiliter nihil efficeret: quamvis Suarez sec. 2. n. præced. cit. §. Unde

Unde infero. dicat, sufficientem esse hanc formam: *Hoc contentum sub his speciebus est corpus Christi*: adeoque hæc forma est dubia. Ad 7. Verba illa potius significant possessionem, quam conversionem; quare non significant debito modo. Ad 8. Forma hæc potius actionem sacerdotis, quam permanentiam Christi significat: quæ tamen permanentia videtur debere significari in forma, conficiente sacramentum permanentem, etiam extra actionem, & usum. Ad 9. Barbarismus non obest valori, ut jam dictum *tr. de sacram. in genere n. 59.* & dicemus iterum *num. seq.*

Ad 10. Formæ illæ conveniunt quoad rem cum nostra: non autem convenirent, si diceretur loco *corpus* ex parte prædicari *substantia*, e.g. *Hæc res est substantia mea*; quia hic terminus est valde communis, & posset, vel ratione totius, vel ratione sanguinis, aut animæ, vel alterius partis, verificari. Multò minus valeret forma, si omitteretur vox *meum*; quia non significaret corpus Christi, sed posset verificari in quocunque corpore, etiam pane &c. Ad 11. Forma est valida, & habetur in liturgia S. Marci.

Ad 12. Discurrendum de hac forma, ut discurremus in *tr. de sacram. in genere n. 59.* de forma baptismi: *In nomine Patriæ &c.* Si minister indoctus tantum faciat solæcismum, non vitiatur forma substantialiter: si autem doctus vocem *hic* sumat adverbialiter, ut significet *hoc loco*, vitiatur sensus, & nihil fit. Et idem fieret, si quis in consecratione calicis ex perversa intentione sumeret voculam *hic* adverbialiter.

176. Addo, circa voces æquivocas hoc notandum. Si sunt voces adhibitæ ab Ecclesia, ut est particula *hic* in consecratione calicis, earum significatio satis est determinata per usum Ecclesiæ, & consequenter per generalem intentionem ministri Ecclesiæ conformem. Si verò voces æquivocæ non sint adhibitæ ab Ecclesia, debet earum indifferentia ad hoc, ut significant, quod significari Christus voluit, determinari per circumstantias aliquas externas; rectè enim docet S. Thomas 3. p. q. 60. n. 8. in corp. quod *verba operentur in sacramentis quantum ad sensum, quem faciunt*: hoc est, secundum illum sensum, quem faciunt, ut habet S. Doctor. *cit. q. 60. n. 7. ad 1.*

Intellige autem sensum, quem verba faciunt juxta communem acceptionem, & prudentem existimationem aliorum, nempe eorum, respectu quorum adhibentur tanquam signa rerum; non enim intelligendus est sensus, quem verba faciunt in mente loquentis; quia sacerdos indoctus posset particulam *hic* in consecratione calicis intelligere adverbialiter, & tamen validè consecraret, si haberet intentionem legitimam; quia intentio, & intellectio formæ, sunt res diversæ, & significatio formæ non pendet ab intellectu, vel etiam intentione ejus, qui illa utitur, sed ab instituti-
one, & communi acceptione verborum.

Unde, si quis nollet, formam profere in debito sensu, sed intenderet alium, in quidem nihil efficeret: non autem ex defectu formæ; quia hæc tamen haberet suam significationem: sed ex defectu intentionis; cum nollet facere, quod Christus instituit. Quod de sensu verborum æquivocorum, à ministris intento, dubium aliquod oritur, attendi etiam debet, an ministri sint docti, an non; si enim indocti sint, facilius potest præsumi, eos habuisse intentionem sufficientem, & verba in debito sensu, quamvis ob ignorantiam non omnimodè bene, protulisse. vide dicta in *tr. de sacram. in genere n. 59.*

177. Videri etiam de hac re meretur Tannerus *tom. 4. disp. 3. q. 1. dub. 3. ubi n. 130.* insuper asserit, quod, si spectato usu Ecclesiæ, & consideratis omnibus circumstantiis externis, forma mutata permaneat adhuc dubia, sic, ut tam veram, quam falsam, aut sacramentum contrarium sensum exprimere possit, sacramentum non conficiatur. Et sanè, sicut in physicis causis non determinata non producit actionem, ita etiam, & multò magis ex institutione Christi in sacramentis, forma non determinatè significans id, quod Christus voluit, nihil agit.

Quare, si quis, nec blæsus, nec ignarus Latini idiomatis, baptizaret in nomine *patriæ, & filia &c.* quamcumque demum intentionem haberet, nihil ageret. At verò, si ex circumstantiis inscitia ministri vel defectus linguæ blæsa, vel præcipitantis, colligeretur, eum tamen significare velle, quod Christus significari voluit, valeret baptismus. Pariter, si quis indoctus diceret: *Hic est corpus meum*: ratione circumstantiarum supponi posset, tantum factum esse solæcismum, nec vitiatum sensum: at non idem posset supponi, si doctus consecraret; cum potius posset supponi, eum sumere particulam *hic* adverbialiter: adeoque in his circumstantiis non significaretur per formam, quod Christus intendit.

178. Ob. 2. Græci primùm post consecrationem orant, ut fiat corpus Christi: ergo non sufficient verba formæ à nobis assignata, ad inducendam præsentiam Christi. Confirm. Si post consecrationem adest corpus Christi, non potest explicari, quid significet in forma primæ consecrationis particula *hoc* (& eadem est ratio de particula *hic* in forma secundæ consecrationis) ergo. prob. antec. non significat panem; aliàs esset sensus: *Hic panis est corpus meum*; quod est falsum: vel: *Hic panis transit in corpus meum*: & sic vox *est* sumeretur improprie, nec jam ita efficaciter posset redargui heretici ex eo, quod eam vocem improprie explicent pro *significat*. Sed neque particula illa significat accidentia; quia nec ista identificantur cum corpore Christi: vel, si sensus sit: *Hæc accidentia continent corpus Christi*: iterum verbum *est* sumitur improprie. Neque tandem illa particula si-

gnificat corpus Christi; aliàs enim esset sensus: *Hoc corpus meum est corpus meum*: qui sensus esset identicus, & nugatorius: ergo.

179. Resp. dist. antec. Græci (intellige Catholici, non schismatici; etsi enim isti erent, non obest nostræ conclusioni) orant, ut corpus Christi fiat simpliciter. neg. antec. ut fiat sumentibus, & adorantibus, id est, his proficit. conc. antec. & neg. conseq. Ita solverunt hoc argumentum sibi objectum Græci in Concilio Florentino, ut habetur *sessione 25. seu ultimâ sub finem*; nam *reponderunt, se firmiter credere, verbis illis Dominicis sacramentum fieri: sed, quemadmodum Latini confecto sacramento hæc solent uti oratione: Fube hæc perferri per manus Sancti Angeli tui in sublime altare tuum: ita quoque Græcos illa verba proferre solere, ut sanctissimum Christi corpus, & sanguis, peccatorum nostrorum remissioni, ac nostris animabus salutis fiat.* Itaque, ut sapientissimè advertit Lugo *de Eucharist. disp. 11. sec. 1. n. 10.* verba *corpus, & sanguis*, non se tenent ex parte prædicati, sed subjecti, quod petitur, ut fiat salutare &c.

180. Ad confirm. neg. antec. ad prob. dico, non significari panem, nec accidentia sola, vel in recto, sed in obliquo: & per *hic*, vel *hoc*, significari *substantiam his speciebus*: vel *contentum sub his speciebus*: & hic sensus nullo modo est identicus, aut nugatorius; ut enim talis esset, requiretur, ut formaliter idem poneretur ex parte prædicati, quod positum est ex parte subjecti, e. g. dicendo: *Petrus est Petrus*: non autem sufficit, si tantum ponatur realiter idem ex utraque parte; hoc enim semper debet fieri; cum debeat dari identitas inter subjectum, & prædicatum: sic non est nugatorium dicere: *Hic homo est Petrus*: licet realiter idem sit ex parte subjecti, & ex parte prædicati. Sed dices, sub hoc termino complexo: *contentum sub his speciebus*: vel intelligitur corpus Christi; debeat enim identificari subjectum, & prædicatum.

181. Urgebis. Quando pronunciat vox *hoc*, nondum adest corpus Christi, sed primùm adest postea, quando dicitur ultima syllaba formæ: ergo non potest per illud *hoc* intelligi corpus Christi; quia particula demonstrativa significat aliquid actu præsens. Resp. neg. conseq. In propositionibus practicis, seu quæ faciunt suum objectum, non præsupponitur objectum jam ante ipsas existens: sed sufficit, si id existat in fine earum, etiam si propositiones sint demonstrativæ. ita S. Thomas 3. p. q. 78. n. 5. in corp. & communissimè alii: & patet e. g. in mathematico, qui, si simul incipit dicere: *Hic est circulus*: & simul eum facit, etsi hunc primùm periciat, quando ultimam verbum dicit, non censetur falsum dixisse. Item, si donans tibi pallium dico: *Tuum sit hoc pallium*: vera est propositio, licet, quando profero vocem *tuum*, nondum sit pallium tu-

um; sed primùm in fine propositionis sit tuum. Cum igitur forma Eucharistica sit practica, seu efficiens suum objectum, non exigit, ut illud jam adsit in principio propositionis; modò adsit in fine, & tunc continetur Christus sub his speciebus.

182. Dices. Ex hoc sequeretur, non esse necessarium, ut panis jam adsit præsens ab initio consecrationis, modò adsit in fine & contra quam diximus *n. 100.* Resp. neg. illatum; accidentia enim statim debent præsentia esse: ergo etiam panis, sine quo illa ante consecrationem non sunt præsentia. Ratio est; quia particula *hoc* demonstrat etiam accidentia: at non demonstrat ea practice (quia illa non efficit) sed speculative: atque verba speculative demonstrantia objectum, supponunt illud præsens ab initio; sicut omnis propositio speculativa supponit, objectum ita se habere ab initio propositionis, prout ipsa illud affirmat; si quis enim me interroget: *Vivit frater tuus?* & ego respondeam: *Vivit frater meus*: verum dico, si ab initio propositionis vivat, etsi, priusquam eam propositionem omnino absolvam, sub prolatione scilicet ultimarum syllabarum, moriatur; nam loquens nescit, quid interim futurum sit (nec enim supponitur propheticè loqui) adeoque censetur loqui juxta notitiam præviam ad propositionem, seu prout scit, rem se habere tunc, quando incipit loqui: & hoc desumitur ex communi modo accipiendi propositiones.

183. Quando autem aliqua propositio speculativa aliquando videntur non facta accipi, ratio est; quia non sunt strictè, sed (ut Dicastillo *tr. 4. de Euchar. disp. 3. dubit. 10. n. 172. ait*) tantum in sensu accommodo demonstrativa: e. g. si, dum mihi monstratur herba in Germania, dico: *Hæc herba nascitur etiam in Hispania*: non volo strictè demonstrare individuum, sed tantum speciem herbæ, & accommodè individuum. At verba consecrationis sunt strictè demonstrativa. Aliquando verò propositiones non sunt speculativæ, etsi videantur tales; sed sunt practica: sic, si dico: *Nunc taceo* (quo casu nondum taceo, dum primam syllabam pronuncio, sed primùm post ultimam nil amplius addo) propositio practica est; nam per propositionem practicam hæc intelligimus, non tantum illam, quæ ipsa facit objectum, sed etiam, quæ significat objectum, hic, & nunc factum à loquente: qualis est etiam illa *n. 181.* posita: *Hic est circulus*. videatur Arriaga. *tom. 7. tr. de Eucharistia disp. 40. sec. 8.*

184. Ob. 3. Si Christus statim adest post verba consecrationis, tunc non possunt plures simul consecrare eandem hostiam: hoc est falsum: ergo. prob. ma. est moraliter impossibile, ut omnes finiant verba consecrationis in eodem momento physico: ergo, si Christus statim adest, primo momento completæ alicuius formæ, plures, qui intentionem habent simul consecrandi, atque etiam pronuntiant verba consecra-

oni, tamen non possunt consecrare; quia hostia jam prius est consecrata.

Prob. etiam mi. superior. Dum ordinantur novi sacerdotes, jubentur omnes simul cum Episcopo ordinante consecrare, ad significandam potestatem, quam acceperunt, æqualem cum Episcopo, in ordine ad consecrandum corpus Christi: & hinc monetur, ut alta voce, lentè, & attentè, verba consecrationis proferant, ita tamen, ut non præventi Episcopo; unde etiam in novo Pontificali dicuntur, Episcopo celebrare. Quare dici non potest, quòd jubeantur tantum verba consecrationis materialiter proferre; hoc enim non esset celebrare: nec esset impedire consecrationem Episcopi, etsi verba prius abolverent: idèòque neque opus esset, eos hac de re monere: ergo falsum est, quòd non possint plures simul eandem hostiam consecrare.

185. Confir. 1. Sæpe potest contingere, ut neomytha ordinatus, oblitus moniti, vel nimium sollicitus, præveniat consecrationem Episcopalem: ergo iste juxta nos consecraret, & primarius celebrans non consecraret: hoc non est verosimile: ergo. Confir. 2. Saltè exonerentur verba sacramentalia valde probabili periculo nullitatis; quia valde probabile est, aliquem, vel etiam plures ex neomythis, serò pronuntiuros esse verba formæ, consequenter non consecratos, adeòque verba pronuntiuros super materiam jam prius consecratam: hoc autem est illicitum: ergo.

Resp. esse certum, quòd plures possint simul consecrare, sicut etiam plures possunt simul baptizare, & absolvere. Certè Ecclesia Romana neomythis id præcipit, & in ordinatione novorum sacerdotum, tam Romæ, quam alibi id fit, præsertim post novum Pontificale à Clemente VIII. editum: quin S. Antoninus 3. p. tit. 13. c. 6. §. 2. refert ex Innocentio III. quòd olim Cardinales consueverint, Summum Pontificem celebrantem circumstare, & cum eo pariter celebrare.

186. Quare in primis pro praxi docent auctores, neomythis præstanda hæc duo. 1. ut quantum possunt, conentur simul cum Episcopo verba absolvere: at eum non prævenire. 2. ut habeant intentionem primariam proferendi verba modo meliore, quo possunt, & debent proferri, ex voluntate Dei, & Ecclesiæ. Si autem ulterius instituat quæstio speculativa, qualis in particulari debeat esse intentio, communiùs dicitur, debere esse conditionatam, scilicet consecrandi, si cum Episcopo formam absolvant: non verò consecrandi, si ante, vel post eum abolverint. Nec censenda est Ecclesia, ideo hanc intentionem rejicere; eoquòd non moncantur ordinandi, de hac intentione habenda; nam fortè non omnes Episcopi, vel assistentes, sequuntur hanc sententiam: vel non sunt solliciti de intentione ordinandorum; quia quis sciat, ordinandos habere intentionem peragendi eam actionem ea ratione, qua fieri

oportet: & utique possunt prudenter senseri, habere hanc intentionem, saltè implicitè, vel æquivalenter. Quòd autem Ecclesia potius sollicita sit de admonitione, ne neomytha præveniant Episcopum, inde est; quòd, si quis haberet intentionem absolutam, & præveniret Episcopum, juxta communiorem Theologorum is solus consecraret, & non Episcopus, quod inconveniens foret.

187. Posita autem dicta intentione conditionata, evitatur hoc inconveniens; quia solus ordinans habet intentionem absolutam, & certò consecrat: adeòque non sumit utramque sacramentum ille, qui non consecrat: quòd autem non omnes alij, qui etiam consecraverunt, si scilicet simul verba abolverunt, sumant utramque speciem, non potest esse absurdum; cum Ecclesia novis sacerdotibus tunc non permittat sacrum calicem.

Quare, vel non est de jure Divino, ut celebrans sumat utramque speciem, vel saltem non est de jure Divino, ut utramque speciem sumat omnis celebrans, in omnibus circumstantiis, etiam quando Ecclesia aliter ordinat, ut fit in hoc casu: sed sufficit, si utramque speciem sumat unus sacerdos ex celebrantibus, nempe primarius. Licet autem non omnes consecrantes verba simul absolvant, moraliter tamen fieri potest, ut unus, aut alter ita absolvat: quod sufficit, ad exprimendam æqualitatem potestatis.

188. Jam in forma Resp. neg. ma. ad prob. neg. conf. nam, quòd in eo casu plures nihil efficiant, causa non est, quòd non possint plures eandem hostiam consecrare; sed quòd non simul verba absolvant: quod tamen absolute facere possent. Sed nec est absurdum, quòd nihil efficiant alij, vel plures, qui formam tantummodo conditionatè proferunt (sive dein id formaliter, sive æquivalenter fiat) uti proferunt neomytha; id enim etiam posset contingere in aliis sacramentis, e. g. baptismo, aut penitentia. Qui autem formam absolute pronunciat, nempe Episcopus ordinans, ille jam efficit sacramentum.

Ad 1. confir. neg. confeg. ut enim jam dictum, si neomytha habeant intentionem conditionatam, modo paulò ante explicato, semper Episcopus consecrabit. Ad 2. confir. dist. min. est illicitum, verba tantum conditionatè prolata exponere periculo nullitatis, vel ea pronuciare super materiam jam consecratam, & quidem hoc facere ex gravi causa, scilicet ex ordinatione Ecclesiæ. neg. antec. est illicitum, verba absolute prolata tali periculo exponere, conc. antec. & neg. confeg. Totum hoc fit, si infans, de cujus baptismo merito dubitatum est, iterum sub conditione baptizetur.

Sed ulterius queritur, si contingat, sicut sæpe contingere potest, ut unus, aut aliter neomytha, non absolvat verba primæ consecrationis cum Episcopo, an talis pos-

sit, etiam pronuciare verba secundæ consecrationis; hac enim ratione consecraret unam speciem sine altera, quod videtur per se esse illicitum. Ob hanc difficultatem vult Dicastillo de sacram. tr. 4. disp. 3. dub. 11. n. 243. in tali casu addi adhuc aliam conditionem in secunda consecratione, scilicet: *Si primam speciem consecraverit*. At, si absolvisset verba primæ consecrationis, non autem abolveret verba secundæ, contingeret idem inconveniens.

Haunoldus l. 4. tr. 3. c. 8. n. 871. putat, in prima consecratione addendam esse hanc conditionem: *Si Deus scit, me absolute etiam simul verba secunda consecrationis*. At hæc responsio mihi videtur difficilis, ob dicta in tract. de sacramentis in genere. n. 25. Dicastillo cit. modo dubio. n. 247. putat, præcepto consecrandi utramque speciem, quatenus est Divinum, affici tantum primarium consecrantem, seu primarium celebrantem: sicut tantum primarius celebrans afficitur præcepto sumendi utramque speciem; nam neomythis, dum ordinantur, non præbetur sacer calix. Et sanè, modò unus celebrans utramque speciem consecraret, jam est verum, non consecrari unam sine alia, & offerri completum sacrificium. Addit Dicastillo, hoc colligi ex ipso usu Ecclesiæ, quæ neomythis exponit illi periculo; quamvis velit, ut conentur, quantum possunt, verba simul absolvere.

189. Verum adhuc est difficultas, in eo, quòd plures verba inaniter proferant, & super materiam jam consecratam. Sed iterum ad hæc respondet Lugo de Eucharist. disp. 11. sec. 8. n. 172. nemini in particulari constare, materiam jam esse consecratam; cum omnes conentur simul formam absolvere: posse igitur omnes consecrare sub conditione, si materia non sit jam consecrata: seu, si Episcopus non prævenit; cum saltem dubium sit cuique, an materia jam sit consecrata: nec esse malum, verba consecrationis proferre sub conditione super materiam dubiam, & cum spe consecrandi, quam omnes habent.

Arriaga tr. de Euchar. disp. 40. sec. 9. n. 67. ait, nullum totam formam proferre post alterum, sed tantum ultimum verbum; nam post singula verba fit aliqua pars: non autem esse sacrilegium, repetere tantum unum verbum super materiam consecratam, e. g. si sacerdos repètat vocem *meum* in forma consecrationis: ultimum autem verbum, à neomytha tardius prolatur, eodem modo se habere; cum verba formæ, in eo casu à pluribus prolata, censeantur esse tantum una moraliter pronuciatio formæ: adeòque ait, tale verbum, tardius prolatur, non aliter se habere, quam, si sacerdos, se solo celebrans, repèteret vocem *meum*: nec considerari debere tanquam novam formam superadditam, sed tanquam unum verbum secundum se additum, quod nihil jam significet; attamen omitti non debeat; cum præsertim nullus scienter

proferat verbum post alios, sed conetur cum aliis proferre.

190. Sed quidam, ut potest contingere, quidam ex neomythis certò advertat, se in prima consecratione ultimum verbum tunc primum dixisse, postquam jam audiit, alium idem prius pronuciantem, adeòque se primam speciem non consecrasset: quid deinde faciet? An tacebit, & non dicet formam secundæ consecrationis? At hoc, ut ait Haunoldus l. 4. tr. 3. c. 8. n. 872. non permittitur, estque contra omnem consuetudinem. Igitur proferet verba secundæ consecrationis? Sed sic consecrabit unam speciem sine alia, quod iterum est illicitum.

Hanc difficultatem solus, quem videre potui, ex impressis Haunoldus examinat, cuius solutionem ex Esparza vide loc. modo cit. Resp. In hoc casu dicenda sunt verba secundæ consecrationis, cum intentione proferendi illa modo meliore, quo possunt, & debent proferri: speculativè autem loquendo, si præceptum Divinum consecrandi utramque speciem tantum afficit primarium consecrantem, poterit talis neomytha habere intentionem consecrandi secundam speciem: si autem id præceptum afficit etiam alios, poterit habere eam intentionem, quam habent omnes, sub conditione, quòd non absolvant verba cum Episcopo: id est (ut ait Suarez tom. 3. in 3. p. disp. 61. sec. 4. §. Quocirca in hac re. ubi etiam citat Cajetanum) materialiter tantum verba proferendi.

191. Aliter ad hanc objectionem respondet P. Josephus Vogler in manuscriptis, atque ita discurrit. Licet concedatur, quòd Christus Dominus in hoc casu voluerit esse prævens, statim sub speciebus eo momento, quo unus physicè complevit formam, tamen incertum est, an ipsius præsentia, quæ tantum moraliter caulatur à verbis consecrationis, ponatur duntaxat intuitu verborum, prius physicè prolatorum, vel an non etiam ponatur intuitu verborum omnium, etiam eorum, quæ aliquanto tardius sequuntur ultimum verbum, jam ab alio prius prolaturum.

Ex quo tamen, ait hic author, non sequitur, idem Christum voluisse in aliis quoque casibus, ubi contra præceptum suum, vel Ecclesiæ, plures simul conficere volunt sacramentum. Et juxta hanc sententiam dubium est, an non etiam serò veniens consecraverit: adeòque talis potest sub hac conditione: *Si prius consecravi*: pronuciare formam secundæ consecrationis, & velle calicem consecrare. Qui plura hac de re desiderat, videat auctores citatos, & hanc quæstionem valde copiosè tractatam inveniet.

Id solum observo, Voglerum tantum dicere, incertum, vel dubium esse, an non etiam serò veniens in prolacione verborum consecraret: ex quo non sequitur, superfluum esse admonitionem neomytharum, ne Episcopo

piscopum præveniant; nam, licet etiam dubium esset, an non Episcopus serò veniens adhuc consecraret, tamen adhuc valde inconueniens esset, si non esset certum, quòd primarius celebrans, & qui solus utramque speciem sumit, consecraverit.

ARTICULUS III.

Solvuntur reliquæ Objectiones.

192. **O**B. 4. contra 2. conclusionem. Verba *novi, & æterni testamenti &c.* sunt in Missali etiam scripta majoribus literis, sicut priora: ergo etiam sunt essentialia. Confirm. 1. S. Thomas 3. p. q. 78. a. 3. in corp. expressè docet, sequentia etiam esse essentialia: & Pius V. iussit, ex Cajetano in editione Romana ejus operum deleri illum locum, ubi defendit, verba illa non esse essentialia: ergo talia sunt. Confir. 2. Voces subseqentes determinat præcedentes ad completam significationem: ergo sunt etiam de essentia. Confirm. 3. Si illa verba non essent essentialia, Ecclesia ea addidisset sine ulla ratione: atqui hoc non potest dici: ergo. Resp. retorq. arg. in particula *enim*, quæ non est essentialis, & tamen scripta est majoribus literis. Dein neg. conseq. Ratio ea verba ita scribendi sufficiens fuit; quia vel pertinent ad integritatem, vel ad meliorem explicationem effectus sacramentalis.

193. Ad 1. confirm. ant. videri potest dubium. Si S. Doctor est nobis contrarius, non viderit liturgias antiquas: cæterum plures etiam ex Thomistis tenent, S. Doctorem, dum ibi ait: *Omnia prædicta verba sunt de substantiæ forma*: tantum vellet; quòd illa verba pertineant integraliter ad substantiam, vel quòd essentialia sint, non consecrationi, sed explicationi fructus sacramenti: certè S. Doctor ait *ibidem*, quòd per verba: *Hic est calix sanguinis mei*: significetur conversio Eucharistica: per sequentia autem designetur triplex fructus Eucharistiæ: scilicet, quòd æterna hæreditas explicetur per verba *novi, & æterni testamenti*: iustitia verò gratiæ, quæ habetur per fidem, explicetur per verba *mysterium fidei*: deletio autem peccati significetur per verba: *qui pro vobis, & pro multis effundetur*. Quòd attinet ad correctionem Cajetani, illa facta est, non quòd doctrina esset falsa (hoc enim Pontifex minime decidit) sed quòd tunc videretur Cajetanus, non, ut debebat, explicasse S. Thomam; cum tamen profiteretur, se esse commentatorem Angelici.

194. Ad 2. confirm. dist. antec. voces subseqentes determinat præcedentes, ad significationem fructus sacramenti. conc. antec. ad significationem conversionis, seu essentialem significationem ipsius sacramenti. neg. antec. & conseq. Unde, si quis consecrans nosset, valere suam consecrationem per præcedentia verba, donec dicta etiam

essent sequentia, vellet effectum consecrationis suspendere, quod non potest, ut dicitur *tract. de sacramentis in genere n. 112.*

Ad 3. confirm. neg. ma. Rationes subjungendi ea verba sunt. 1. ut memoria passionis Domini melius exprimat, quòd melius, & clarius sit exprimendo effusionem sanguinis, quàm tantum exprimendo corpus, & sanguinem, vel etiam traditionem corporis. 2. cum consecratio calicis sit posterior, & ultima, vocibus illis: *Qui pro vobis, & pro multis effundetur*: sufficientissimè significatur etiam traditio corporis, scilicet ad mortem: non verò per traditionem corporis significatur effusio sanguinis: utramque autem, scilicet & traditionem, & effusionem, voluit Ecclesia aliquatenus exprimendo in memoriam revocare. 3. cum sacrificium in cruce consummatum fuerit effusione sanguinis, bene etiam in sacrificio altaris, post consecrationem ultimam, immediate subjunguntur voces, quibus denotetur ea effusio sanguinis.

195. Ob. 5. Concilium Colonienſe habitum an. 1536. part. 7. c. 14. & Catechismus Tridentini de Eucharistia sacram. §. Sequitur nunc, ut de forma. dicunt, formam consecrationis calicis contineri, illis verbis: *Hic est calix sanguinis mei, novi, & æterni testamenti, mysterium fidei, qui pro vobis, & pro multis, effundetur in remissionem peccatorum*: ergo. Confirm. 1. Voces sequentes aliquando præcedunt, nam *Luce c. 22. v. 20.* ita forma ponitur: *Hic est calix novum testamentum in sanguine meo*. Eadem verba ponuntur a S. Paulo *1. Cor. 11. v. 25.* ergo etiam hæ voces sunt essentialia. Confirm. 2. Nulla est ratio negandi; quòd Christus etiam voluerit, verba sequentia esse essentialia: sicut voluit, esse essentialem invocationem SS. Trinitatis in baptismo. & juxta multos etiam in confirmatione: ergo. Resp. In primis Concilium Colonienſe omittit vocem *æterni, & mysterium fidei*; ponit enim hæc verba: *Hic est sanguis meus novi testamenti, qui &c.* dein om. ant. neg. conseq. Contineatur utique in illis verbis forma: sed non omnia sunt partes essentialia formæ; ab hæc enim quaestione illis locis abstrahitur.

196. Ad 1. confir. Etiam particula *enim* præcedit, quin sit de essentia; unde neg. conseq. & hinc, si quis ita diceret: *Hic est calix effundendi pro vobis sanguinis mei*: illa verba effundendi pro vobis non essent essentialia. At verò in forma S. Lucae, & S. Pauli, videtur saltem vox *testamentum* esse essentialis; quia sine ipsa non est sensus completus: sicut etiam in nostra forma est essentialis vox *calix*; quia etiam sine ipsa sensus non esset completus; nam dicendo: *Hic est sanguinis mei*: nihil completè significaretur. Hæc autem nostra forma usurpatur convenientius; quia clarius exprimit SS. Eucharistiam per modum potus. Ad 2. confirm. Resp. In primis adt. Ad 2. confirm. Resp. In primis adt. Ad 2. confirm. Resp. In primis adt. Ad 2. confirm. Resp. In primis adt.

asserunt. Dein neg. antec. Rationes, ob quas Christus noluerit, eas voces esse essentialia, possunt esse eadem, ob quas noluit, esse essentialem invocationem SS. Trinitatis in absolutione. Tandem responderi etiam potest: *Sit pro ratione voluntas.*

Congruentiæ autem, quare Dominus voluerit in forma baptismi, & confirmationis, esse essentialem invocationem SS. Trinitatis, sunt: quoad baptismum; quia hic est janua sacramentorum, & externa protestatio fidei Christianæ; hinc merito Christus voluit, ut in eo administrando fieret mentio primarii mysterii nostræ fidei. Quod attinet ad confirmationem, Theologi, qui tenent, necessariam esse in ejus administratione invocationem SS. Trinitatis, dicunt, quòd confirmatio sit specialiter instituta ad faciendam professionem fidei, & hinc Christus noluerit, dare gratiam, huic sacramento propriam, quæ nempe juvet ad fidem fortiter in quavis occasione profitendam, nisi in ejus administratione expressa fiat quædam invocatio SS. Trinitatis, tanquam præcipui mysterii nostræ fidei. Hæc tamen congruentiæ per se non necessitarunt Christum Dominum, ad ita statuendum; unde, licet forè similes etiam possent afferri, pro illis verbis subseqentibus in forma Eucharistiæ, non sequitur, Christum etiam similiter voluisse, ita verba esse essentialia; præsertim, cum de contraria ejus voluntate probabilius nobis constet, ex omnibus rationibus in probatione adductis.

197. Ob. 6. Verba formæ, à nobis assignata, non sufficiunt ad sacrificium: ergo neque ad sacramentum. Confirm. Si quis omitteret verba subseqentia, deberet denuò consecrare: ergo ea sunt essentialia. Resp. conseqens non esse certum; quia potest plus requiri ad sacrificium, quàm ad sacramentum: sic juxta plurimos ad sacrificium requiritur communio: juxta nonnullos etiam oblatio: non tamen ista requiruntur ad sacramentum. Resp. 2. neg. antec. Etiam sub specie panis Eucharistica est sacrificium, quin debeat traditio corporis exprimi verbis. Dein sacrificium Missæ non est cruentum: ergo non debet ibi esse effusio sanguinis: illa verò effusio sanguinis, quæ facta est in sacrificio crucis, significatur per hoc, quòd vi verborum ponatur sub speciebus panis corpus, & sub speciebus vini sanguis. Neque necessarium est, ut omnes fines sacrificii exprimantur per formam; modò exprimat substantia; unde non est necesse, exprimi remissionem peccatorum.

198. Ad confirm. neg. conseq. Ex eo, quòd talis deberet iterum consecrare, tantum sequitur, nostram sententiam non esse certam; cum enim in administratione sacramentorum ea, quæ ad valorem spectant, debeant adhiberi, quantum fieri potest, certò sufficientia, deberet in eo casu etiam repeti forma tota; cum non sit certum, verba, à nobis assignata, esse sufficientia, licet nobis videatur, id esse proba-

bilis. Addo hæc, quæ habentur in rubricis Missalis de defectibus. §. 5. n. 2. *Si celebrans non recordetur, se dixisse ea, quæ in consecratione communiter dicuntur, non debet propterea turbari: si tamen certò ei constet, se omisisse aliquid eorum, quæ sunt de necessitate sacramenti, id est, formam consecrationis, seu partem, resumat ipsam formam. & cætera proseguatur per ordinem: si verò valde probabiliter dubitat, se aliquid essentialia omisisse, iteret formam, saltem sub tacita conditione: si autem non sunt de necessitate sacramenti, non resummat, sed procedat ulterius.*

199. Ob. 7. ex Gonetio tom. 5. tract. 3. disp. 7. a. 2. n. 47. Licet verba subseqentia non sint essentialia apud omnes, possunt esse essentialia in Ecclesia Romana: ergo nostræ probationes non subsistunt. prob. antec. potest dici, Christum tantum determinasse verba consecrationis latius, & ultimam materiam determinationem reliquisse Ecclesiæ, ut etiam nos diximus circa sacramentum ordinis *tract. de sacram. in genere n. 67.* ergo. Resp. neg. antec. ad prob. neg. antec.

Hoc modo posset etiam dici, Græcis in consecratione panis esse essentialia verba: *Quod pro vobis tradetur*. item iisdem Græcis in confirmatione esse essentialem, non tantum unctionem frontis, sed etiam cæterarum partium; unde non est paritas ab uno ad alterum sacramentum. In sacramento ordinis constat ex autoritate communissima doctorum, & praxi perpetua totius Ecclesiæ, quòd Christus non determinavit materiam quoad ultimam speciem: at verò in consecratione Christus non minus determinavit formam, quàm in baptismo; ita enim hæcenus censuerunt auctores: & hæc nova conjectura Gonetii non habet sufficientes fundamentum, nec in autoritate, nec in ratione.

200. Ob. 8. contra 3. conclus. S. Ambrosius l. 4. de sacram. c. 4. ait: *Ubi venit, ut consecratur venerabile sacramentum, jam non suis sermonibus sacerdos, sed utitur sermonibus Christi*: ergo verba formæ non dicuntur à sacerdote recitative. Confirm. 1. Si sacerdos sine præcedentibus diceret sola verba formæ, non diceret ista recitative: ergo nunquam ea recitative dicit. Confir. 2. Si verba formæ dicerentur recitative, significaretur, Christus esse sub speciebus panis illius, qui fuit in cæna Christi: hoc non significatur, quando de novo consecratur: ergo

Resp. neg. conseq. S. Ambrosius tantum vult dicere, quòd sacerdos principaliter non suis, sed principalissimè utatur sermonibus Christi: sicut *Matth. 10. v. 20.* dicitur: *Non enim vos estis, qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri*. Potest etiam dici, S. Ambrosium significare voluisse, consecrationem sacramenti non essentialiter pendere à verbis recitative prolatis, sed ab iis prolatis enunciative. Ad 1. confirm. neg. conseq. quia in illo casu nulla esset

esset ratio, cur proferantur recitative. Ad 2. confir. neg. mi. nam sacerdos dicit utrumque, scilicet, & Christum esse sub speciebus panis modò presentibus, & tempore priori fuisse sub speciebus panis, in ultima cœna presentibus: & hoc secundum dicit recitative, illud autem enunciative.

201. Ob. 9. Si sacerdos profert verba formæ enunciative, dicit, hoc esse corpus suum: hoc est falsum: ergo. Confir. 1. Verba: *Accipite, & bibite ex hoc omnes*: tantum dicuntur recitative: ergo etiam reliqua. prob. conseq. non decet in eodem contextu aliqua verba proferre tantum recitative, & alia etiam enunciative: ergo. Confir. 2. Christus potuit ita instituire hoc sacramentum, ut sufficeret prolatio verborum recitativa: ergo defacto ita instituit. prob. conseq. doctores existimantes, sufficere eam prolationem recitativam, validè consecrant: ergo. Confir. 3. Sacerdos sufficiens loquitur in persona Christi, si ex ejus voluntate verba illa recitative narret: ergo. Resp. dist. ma. sacerdos dicit, esse corpus suum, si loquitur enunciative nomine suo. conc. ma. si loquitur nomine Christi. neg. ma. & conc. mi. neg. conseq.

202. Ad 1. confir. Quidam authores volunt, omnia dici enunciative: sed, hoc omisso. neg. conf. ad prob. neg. ant. quia ex n. 170. & seq. habetur specialis ratio, aliqua proferendi enunciative, non item alia. Ad 2. confir. conc. antec. neg. conseq. quòd enim Christus aliter voluerit instituire hoc sacramentum, probatur nostris rationibus. ad prob. neg. conf. Doctores contrarii, utpote homines probi, habent intentionem conformem intentioni Christi, & Ecclesiæ, prævalentem privatæ suæ opinioni; unde validè consecrant. Ad 3. confir. neg. ant. alius sacerdos, legens ex voluntate superiorum, vel Christi Domini, Evangelium, in quo habentur verba consecrationis, consecraret. Alii distinguunt, inter loqui ex persona Christi, & loqui in persona Christi: illud dicunt fieri in casu adversariorum: non verò istud; quia ad hoc requiritur insuper, ut loquens assumat personam Christi, & intendat facere, quod Christus fecit.

203. Ob. 10. Si idem dicitur recitative simul, & enunciative, idem affirmatur, & non affirmatur: hoc est absurdum: ergo. prob. ma. affirmatur tanquam dictum enunciative: non affirmatur tanquam dictum recitative: ergo. Confir. 1. Idem sacerdos loqueretur in persona propria, & in persona aliena: hoc iterum est impossibile: ergo. Confir. 2. Sacerdos affirmat utrumque esse verum, scilicet, quòd sub speciebus panis olim in cœna, & modò sub speciebus presentibus, sit Christus: ergo utrumque dicit enunciative. Resp. dist. ma. affirmatur idem, & non affirmatur eodem modo. neg. ma. affirmatur uno modo, & non affirmatur alio modo. conc. ma. & dist. sic min. neg. conseq. ad prob.

iterum neg. conf. Non sunt contradictoria, affirmari enunciative, & non affirmari recitative. Sed nec est etiam illa impossibilitas, vel etiam difficultas in eo, quòd idem dicitur simul recitative, & enunciative. Sic concionator, citans Scripturam, & Patres, eorum textus pronuntiat recitative, & enunciative: sic sæpe quis dicit alteri: *Dixi tibi, & iterum dico: non hoc faciam*: quo casu etiam idem dicit recitative, & enunciative.

Ad 1. confir. dist. min. loqui tantum in propria persona, & simul in aliena, est impossibile. conc. mi. loqui in persona propria, & simul in aliena. neg. min. & conseq. Ad 2. confir. Resp. fieri quidem posse, ut sacerdos reflexè affirmet veritatem verborum Christi, quatenus ea Christus dixit in cœna: quo casu etiam diceret enunciative, Christum fuisse olim in cœna presentem sub speciebus panis: at hoc non debet necessariò fieri: sed satis est, si abstrahendo ab illa affirmatione, ea verba ut verba, seu ut talia recitet, & narret: ad quod per se non requiritur enunciatio illius, quod narratur. Debet tamen sacerdos semper, vel explicitè, vel implicitè enunciare, corpus Christi esse præsens sub speciebus presentibus in altari. in forma neg. ant. saltem id non necessariò, aut semper fit.

ARTICULUS IV.

Quid ponatur vi Verborum sub qualibet Specie, & quid per Concomitantiam.

204. Illud dicitur vi verborum propriè, cuius positio necessaria est ad veritatem verborum: reliqua verò, quæ adsunt ratione connexionis, quam habent cum necessariis ad veritatem verborum, dicuntur poni per concomitantiam. Tridentinum autem sess. 13. c. 3. definit, ex vi verborum sub specie panis existere corpus: sub specie vini verò sanguinem Christi: at verò sub utraque specie existere corpus, & sanguinem, & animam, vi naturalis illius connexionis. & concomitantia, qua partes Christi Domini, qui jam ex mortuis resurrexit, non amplius moriturus, inter se copulantur: *Divinitatem verò propter admirabilem illam ejus cum corpore, & anima, hypostaticam unionem.*

205. Disputant hinc authores, quid intelligatur per corpus, & sanguinem. In philosophia traditi, corpus constituitur ex materia prima, & formis partialibus: sanguinem verò ex materia prima, & forma sanguinis. Qui formas partiales negant, vel etiam sanguinem animatum esse continent, dicunt communius, per corpus significari materiam primam ut accidentaliter organizatam, & per sanguinem significari materiam primam accidentibus suis ita instru-

Quid ponatur vi Verborum sub qualibet Specie, & quid per Concomitantiam. 147

instructam, ut statim possit habere animam, vel aliam formam, quæ animæ succedat; ipsam enim animam sanguis dicere non potest; cum Tridentinum definiat, anima non vi verborum, sed per concomitantiam in calice poni.

206. Mihi adhuc placet opinio, adstruens formas partiales, quam defendunt Scritistæ, & recentiores plurimi, & est ad hanc questionem explicandam aptissima, ut fateatur etiam Dicastillo de sacram. tr. 4. disp. 5. n. 113. quamquam formas partiales non admittat. Haunoldus verò l. 4. tract. 3. c. 6. n. 847. putat, per corpus non significari formas partiales; cum jam ante has introductiones debeat dari aliqua organizatio accidentalalis in materia, tanquam dispositio ad illam formam, quæ cum materia constituat corpus.

Sed contra est. Quando datur tantum accidentalalis dispositio ad ignem, nondum materia prima cum illis dispositionibus potest dici ignis, donec etiam habeat formam ignis. Pariter neque materia prima cum illa organizatione est corpus (intellige organicum) nisi habeat etiam formam substantialem corporis organici; unde materia prima completa adhuc aliâ formâ, corporis non organici, quamvis jam habeat aliqua organa accidentalalia, nondum potest dici strictè corpus organicum, sed tantum in sensu latiore, in quo dicitur e. g. igneum, quod habet ingentem calorem, sed non formam ignis.

207. Caterum de fide est ex eodem Tridentino ead. sess. 13. c. 3. sub quavis, tam panis, quam vini specie, contineri totum Christum, ob connexionem naturalem partium inter se. Unde hic queritur, quam sit connexio inter corpus, & sanguinem, in sententia eorum, qui negant, sanguinem esse animatum: adeoque etiam negant, eum cum corpore physicè esse continuum. Questio hæc, multum habet de philosophia, in qua dixi, connexionem sanguinis cum corpore consistere 1. in conjunctione locali, & subordinatione sanguinis ad hoc corpus, atque stabili inexistencia sanguinis intra istud corpus. 2. in jure, quod habet hoc corpus ad hunc sanguinem, à se elaboratum: & vicissim in jure, quod habet hic sanguis ad hoc corpus, in quo ipse connaturaliter conservatur; nam intra has arterias, aut venas, præsertim majores, connaturalius conservatur hic sanguis: nec sine violentia in aliud corpus transfunditur: quòd autem in poris corporis sanguis patiatur violentiam, & convertatur in carnem, non provenit ab exigentia sanguinis.

Rursus de fide est ex eodem Tridentino ead. sess. 13. can. 3. quòd facta specierum divisione totus Christus sit sub quavis parte specierum. Et hinc etiam ante divisionem specierum est Christus totus in qualibet parte, adeoque definitivè replicatus; si enim Christus ante divisionem non esset totus in qualibet parte specierum, & tamen

juxta Tridentinum postea in qualibet totus esset, inciperet sine nova consecratione esse totus in aliqua parte hostiæ, in qua prius non erat totus: quod est absurdum, & ab omnibus rejectum.

208. Ulterius in Eucharistia sunt, non tantum caro Christi, sed & ossa, ac nervi, atque etiam sanguis: non tantum is, quem Christus in passione effudit, sed etiam ille, qui remansit in corpore, si quis remansit intra venas, cor, jecur &c. Præterea in Eucharistia adsunt etiam capilli, dentes, & ungues Christi; quia non est Christus ibi edentulus, aut calvus, vel exunguis: & spectant hæc ad integritatem corporis humani perfecti. Insuper adsunt omnia accidentalia absoluta, seu qualitates: item quantitas &c. Non autem adsunt omnia accidentalia modalia: e. g. non adest ubicatio celestis, supposito, quòd hæc replicari non possit: quod tamen aliqui negant. Quænam autem ex his ponatur vi verborum, quænam per concomitantiam, patet ex dictis.

Quantum attinet ad Divinitatem, ea proprie, & formaliter, non ponitur in Eucharistia; cum jam ante consecrationem adsit, nec novam ubicationem vi consecrationis acquirat: adest tamen Divinitas (ut & Verbum) per concomitantiam propter admirabilem illam ejus cum corpore, & anima hypostaticam unionem (ut ait Tridentinum cit. sess. 13. c. 3.) ita, ut, si per impossibile non adesset ratione suæ immensitatis, adesset ratione unionis hypostaticæ.

Pariter (ut Theologi longè communius docent, adsunt etiam in Eucharistia speciali titulo per concomitantiam Pater, & Spiritus Sanctus, propter conjunctionem cum Verbo, cujus naturæ sunt identificati. Est tamen hæc concomitantia magis mediata, quam illa Verbi; nam Verbum adest propter unionem hypostaticam: Pater autem, & Spiritus Sanctus, tantum adsunt propter Verbum. Unde dici non potest, panis converti in Patrem, & Spiritum Sanctum; quia isti non succedunt loco panis; hoc enim convenit soli corpori, & sanguini Christi. Quodsi dicatur id etiam convenire Filio Divino, debet id verificari ratione communicationis idiomaticæ: quæ non datur inter hominem, & Patrem Divinum, aut Spiritum Sanctum. vide Dicastillo de sacram. tract. 4. disp. 5. dubi. 7.

209. Dices 1. Pronomen *meum* significat Verbum: ergo etiam Verbum ponitur vi verborum. Resp. neg. conf. Verbum, licet aliquo modo indicetur per illam vocem *meum*, non tamen indicatur ut præfens; quia sæpissimè possessor absens vocat rem suam. Dices 2. Corpus Christi debet significari ut subsistens: ergo etiam debet significari subsistentia, quæ est Verbum: consequenter etiam hoc ponitur vi verborum. Resp. neg. antec. Quando loquimur de corpore, ut est pars hominis, non indicatur ejus subsistentia; sed tantum natura: sicut rectè dicimus: *Hæc manus est mea*; quin significemus subsistentiam particularem, & us

& ut Haunoldus *l. 4. tr. 3. c. 6. n. 352.* habet, rectè dicitur, natura humana constare capite. Aliud forè est, quando significatur totum, sicut præviè ad consecrationem significati potest panis tanquam totum. Quamvis autem corpus sit subsistens, non tamen ut tale significatur vi verborum: sicut non significatur ut animatum, licet tale sit.

210. Dices 3. Si omnes partes Christi in Eucharistia adsunt, etiam debet adesse ubicatio Christi in cælo: hæc non potest adesse: ergo. Resp. 1. Ubicatio rei non est propriè pars rei, nisi hæc reduplicativè sumatur ut ubicata. Resp. 2. Jam *n. 208.* excepimus hanc ubicationem; unde neg. ma. nam tantum defendimus, adesse accidentia Christi illa, quæ non sunt essentialiter affixa uni loco. Sic etiam Petrus replicatus Romæ, & Ingolstadii, si hæc comederet, non etiam necessariò comederet Romæ; nam hæc actiones habent ubicationes essentialiter loco affixas.

Dices 4. Si adest tota SS. Trinitas, eam comedimus: hoc est falsum: ergo. Resp. neg. ma. Hic modus loquendi non est admittendus; quia comedi non competit SS. Trinitati, neque ratione communicationis idiomatum, neque ex ulla alia ratione; nam comedi, vel bibi, non competit, nisi illi, quod deglutitur, & in stomachum traicitur, quod SS. Trinitati non competit: licet competat Christo in concreto.

Dices 5. Si debet unum unitum semper esse in omni loco, ubi est alterum, debet natura humana unita Verbo esse ubique: hoc est hæreticum. ergo. Resp. neg. suppositum majoris. Nunquam diximus, quod unum unitum debeat semper esse in omni loco, in quo est alterum; hoc enim tunc tantum debet fieri, quando nullum ex unitis essentialiter affigitur certo loco, & nullum exigit ex natura sua majus spatium, quam alterum. Jam nec corpus Christi, nec Divinitas affigitur certo loco, & corpus Christi non exigit majus spatium, quam Divinitas; hinc debet hæc esse in omni spatio, in quo est corpus. At verò, cum Divinitas exigit quasi spatium infinitis majus, quam corpus, non debet hoc esse ubique, ubi est Divinitas. Sic etiam, licet anima rationalis debeat naturaliter esse ubique, ubi e. g. est digitus, cui unitor: non tamen vicissim debet digitus esse ubique, ubi est anima.

QUÆSTIO IV.

De Conversione Eucharistica.

ARTICULUS I.

An in hoc Sacramento detur, & unde colligatur vera Conversio Panis, & Vini.

211. **R**epetendum hic est ex philosophia, tria ad conversionem requiri; cum enim

1. Quæstio IV. Articulus I.

conversionis sit transitus unius rei in aliam; requiritur terminus à quo, seu res, quæ transit, terminus ad quem, seu res, in quam alia transit, & commune medium, aut commune tertium, seu aliquid, quod remanet, & utriusque termino commune est: e. g. quando lignum convertitur in ignem, terminus à quo est lignum, terminus ad quem est ignis, commune medium est materia prima: & sic in Eucharistia terminus à quo est panis, & vinum, terminus ad quem est corpus, & sanguis Christi Domini, commune medium sunt accidentia panis, & vini.

212. Dividitur autem conversio in trialem, formalem, & materialem. Prima, seu conversio totalis, est conversio unius totius in aliud, e. g. ligni in ignem. Altera, seu conversio formalis est conversio unius forma in aliam, e. g. tristitia in gaudium, quem modum loquendi etiam Christus Dominus adhibuit. *Joan. 16. v. 20. Tristitia vestra vertetur in gaudium.* Tertia, seu conversio materialis, est conversio unius materie, seu subjecti in aliud, e. g. si calor, prius sustentatus ab uno subjecto, postea sustentaretur ab alio.

Ulterius alia conversio dicitur substantialis, quando termini sunt substantiales: alia accidentalis, quando termini sunt accidentales: alia mixta, quando unus terminus est substantialis, alter accidentalis: alia physica, quando termini sunt phytici, & phyticam habent oppositionem circa commune medium: alia moralis, quando termini sunt morales, & habent tantum moralem oppositionem circa commune medium; aliqua enim ex his oppositionibus requiritur ad conversionem; si enim termini non habent ullam oppositionem, non dicitur unus in alium converti: sic non dicitur album, converti album in calidum, si maneat album, & tantum de novo recipiat calorem.

213. Quæri etiam solet, an ad conversionem necessariò requiratur desitio termini à quo, & productio termini ad quem: e. g. an ex essentia conversionis Eucharisticæ necessariò requiratur desitio panis, & vini, ac productio Christi: quæ tamen quæstio, cum magis philosophica sit, quam Theologica, ad eam breviter sic respondeo. Ad conversionem totalem quidem facile admititur, ista requiri; cum priora tota debeant saltem secundum unam partem, e. g. secundum unionem, vel phyticam, vel moralem, quam prius habebant cum communi tertio, desinere, & secundum unam nempe saltem secundum unionem (qualiscunque detur) de novo produci: ita, ut prius totum, tanquam terminus à quo, saltem inadæquatè, seu quoad aliquam partem, desinat, & novum totum, tanquam terminus ad quem, saltem secundum aliquam partem de novo producat. At verò ad conversionem formalem, neutram requiri docent Esparza *l. 10. de sacram. q. 61.* & Haunoldus *l. 4. tr. 3. c. 5. contrav. 1.*

Ego

An in hoc Sacramento detur, & unde colligatur vera Conversio Panis, & Vini. 149

Ego in philosophia quidem defendi, ad conversionem substantialem non requiri productionem novam termini substantialis ad quem: & quamvis non apertè decidèrim, inclinavi tamen in opinionem, negantem requiri desitionem termini à quo simpliciter talem; cum necessitatem nullam probari viderem, & verba Eucharistica viderentur mihi, ad sui veritatem, nec desitionem, nec productionem illam requirere: sed tantum videbatur mihi, necessaria esse desitio termini à quo quoad inexistenciam, ut scilicet non amplius subsit, vel uniatur communi tertio. Minus videbatur mihi, ad veritatem eorumdem verborum necessarium esse, ut terminus ad quem de novo producat; sed tantum, ut succedat quoad inexistenciam, vel unionem cum communi tertio. His præmissis

214. Dico 1. In sacramento Eucharistiæ datur vera conversio totius substantiæ panis, & vini, in substantiam corporis, & sanguinis Christi Domini: & hæc rite interitur ex verbis Christi. Prob. Tridentinum *sessio. 13. c. 4.* ita habet: *Per suam semper in Ecclesia Dei fuit, idque nunc denuo Sancta hæc Synodus declarat, per consecrationem panis, & vini, conversionem fieri totius substantiæ panis in substantiam corporis Christi Domini nostri, & totius substantiæ vini in substantiam sanguinis ejus. Quæ conversio convenienter, & propriè, à Sancta Catholica Ecclesia transubstantiatio est appellata:* ergo. Rationes alias jam cecidimus à *n. 39.* quibus probavimus, desinere substantiam panis, & vini, & loco istius sub accidentibus Eucharisticis poni corpus, & sanguinem Christi, adeoque dari transitum illius in istud, seu conversionem; nam conversio aliud non est, quam transitus unius in aliud.

Ex quibus etiam habetur, hanc conversionem esse rectè ex verbis Christi à Tridentino illatam *loc. modo cit.* ubi Concilium sic ait: *Quoniam autem Christus Redemptor noster corpus suum, id, quod sub specie panis offerebat, verè esse dixit, ideo per suam semper in Ecclesia Dei fuit, idque nunc denuo Sancta hæc Synodus declarat, per consecrationem panis, & vini, conversionem fieri totius substantiæ panis &c.* Nempe ad veritatem verborum Christi requiritur, ut panis non adsit cum corpore, & sanguine Christi, sub speciebus, ut ostendimus supra à *n. 40.*

Confirm. Panis, & vinum, non possunt manere sub speciebus cum corpore, & sanguine Christi sine miraculo; diversæ enim substantiæ completæ non possunt naturaliter esse sub iisdem accidentibus: sed hoc miraculum non datur: ergo. prob. min. non dantur, nec admitti debent miracula, quæ nulla auctoritate, aut ratione probantur: & minimè debent admitti illa, quæ sunt contraria communi sensui fidelium; quia miracula operatur Deus ad instruendos fideles, & ostensionem omnipotentis Divinæ: consequenter ea, aut revelatione, aut alia

authoritate, aut ratione manifestat: atqui istud miraculum nulla revelatione, auctoritate, aut ratione probatur: ergo.

215. Dico 2. Substantia panis, & vini, post consecrationem destruitur, & simpliciter desinit esse, ita communissimus Theologorum, & fidelium sensus: certè Suarez *tom. 3. in 3. p. disp. 49. sec. 3. §. Sed quæret.* ait, hoc esse certum, imò ait: *Pro comperto habuit Ecclesia Dei, ab Spiritu Sancto edocta, simpliciter non manere in rerum natura substantiam panis: & sec. 4. §. Dices tandem.* quærens, an non posset dici, quod materia panis maneat in rerum natura, responderet, esse valde temerarium, id asserere contra omnium scholasticorum doctrinam, & contra id, quod videtur docere Patres, & Concilia.

Cardinalis Lugo de Eucharistia *disp. 7. sec. 9. n. n. 167.* videtur docere, desitionem totalem substantiæ panis, & vini, definitam esse à Tridentino. An autem hanc destructionem, vel desitionem totalem, Concilium intulerit ex solis verbis Christi, an ex alia simul ratione supposita, non est opus decidere: & potest etiam fieri quæstio aliqualis de nomine, quid nempe significet colligere aliquid ex verbis Christi, de quo videatur Lugo *cit. sec. n. 168.* ubi vult, illud etiam ex solis verbis colligi, vel inferri, quod infertur ex iis, & simul ex alio supposito aliunde certo. At, si illud suppositum possit abesse (uti in casu isto abesse potest negatio miraculi, quo substantia panis sine accidentibus conservaretur; nam hoc fieri posset) vel si illud suppositum sit aliquid extrinsecum veritati verborum, nec ad istorum verificationem necessariò præsupponatur, non videtur esse verum hoc Lugonis assertum.

Prob. jam conclusio. Vi verborum Christi non manet substantia panis, & vini, sub speciebus: ergo, nisi simpliciter desinere, deberet alibi miraculosè conservari, & quidem per miraculum fidelibus incognitum, imò communi eorum sensui contrarium: sed tale miraculum admitti non debet, ut dictum *num. præced.* ergo, ant. patet ex dictis, conseq. prob. substantia naturaliter conservari non potest sine suis accidentibus, sine quibus nec potest agere, nec pati, adeoque non habet finem naturaliter intendibilem: ergo naturaliter debet desinere.

216. Quod si etiam omitteretur, substantiam non statim necessariò naturaliter destrui, etiam si spoliata sit accidentibus; tamen deberet admitti in nostro casu miraculum; nam vel conservaretur illa substantia sine accidentibus: & hoc clarè est miraculum: vel producerentur nova accidentia: & inprimis deberet tunc substantia illa iterum esse sensibilis, quod nunquam continetur: dein deberent accidentia nova statim produci in primo instanti; alias enim jam in aliquo instanti conservaretur miraculosè substantia sine accidentibus. Ulterius deberet ea substantia aliò transferri; quia naturaliter stare

T 3

stare

stare non posset cum quantitate priore, remanente cum speciebus : naturaliter autem transferri non posset ea substantia instructa accidentibus, nisi sensibilibus, quod nunquam contingit; nunquam enim advertitur, quod panis, aut vinum, aliò transferatur.

Si autem dicas, translationem illam insensibilibus fieri, iterum admittis novum miraculum, de quo nemo vel suspicatur. Adde, quod ea translatio, miraculose occultata, debet contingere infinitis propè vicibus, propter innumeras quotidie consecrationes, quod est incredibile: certè nullus ex fidelibus hæc miracula suspicatur: imò fideles videntur citius admitturi miraculum, si necesse foret, ad destruendam substantiam panis. Et hæc dicta non tantum intelligi debent de forma substantiali panis, & vini: sed etiam de materia prima, quæ non minore connexionem habet cum forma substantiali, & accidentibus, quam habeat ipsa forma substantialis cum proprietatibus.

ARTICULUS II.

Solvuntur Objectiones.

217. **O**B. 1. contra 2. conclus. Majus est miraculum desitio materia primæ, quam e-
jus conservatio: sed non debet adstrui miraculum majus præ minore: ergo non destruitur materia prima panis, consequenter nec totus panis. Confirm. 1. Juxta nos panis omnino annihilaretur: hoc est contra S. Thomam. 3. p. q. 75. a. 3. ergo. Confir. 2. Ex eo, quod in Christo fuerint accidentia hominis, inferunt à SS. Patribus, eum fuisse hominem: ergo, quia in Eucharistia adfunt accidentia panis, etiam rite inferunt, adesse panem. Resp. dist. ma. majus est miraculum desitio materia, supposito, quod sit spoliata omni forma substantiali, & accidentali: neg. ma. hoc non supposito. conc. ma. & om. m. neg. conseq. Adde, quod conservatio talis materiae esset miraculum contra sensum fidelium, ut diximus n. 215. non autem tale miraculum esset destructio materiae.

Ad 1. confir. neg. ma. Annihilari rem, ex communi modo loquendi, præsertim S. Thomæ, significat, rem ita destrui, ut neque subiectum ejus maneat, nec in communi tertio aliud succedat; sic enim ait S. Doctor loco objecto, seu 3. p. q. 75. a. 3. ad 3. Licet post consecrationem hæc propositio sit falsa: Substantia panis est aliquid: id tamen, in quod substantia panis est conversa, est aliquid: & ideo substantia panis non est annihilata. Nec dicas, omne illud creati, quod producit ex nihilo sui, & subiecti, etsi succedat alteri: adeoque etiam omne illud annihilari, quod destruitur; tam quoad se, quam quoad subiectum suum, licet ei succedat aliud; nam responderetur, non esse bonam paritatem, ab uno modo loquendi ad al-

terum; cum modus loquendi dependeat à libera voluntate hominum, qui de quibusdam volunt aliquo modo loqui, non item de aliis: & sic ex communi modo loquendi dicitur res etiam tunc creari, quando succedit alteri, modo producatur ex nihilo sui, & subiecti: non autem dicitur res annihilari, si ei succedat aliud in communi tertio: sed tunc dicitur converti. Ad 2. confirm. dist. antec. & à SS. Patribus subintelligitur, nullum factum esse miraculum. conc. antec. hoc non subintelligitur. neg. antec. & conseq.

218. Ob. 2. Potest dici sine ullo inconvenienti, manere materiam primam panis: ergo debet hoc dici. Confirm. 1. Christus non habuit ullam rationem, cur voluerit destrui panem: ergo non voluit, eum destrui. Confirm. 2. Si non maneret panis, tunc accidentia significarent falsum, & nos deciperent: hoc admitti non potest: ergo. Resp. neg. antec. Concilium Tridentinum docet, manere sola accidentia, & siqui Catholici aliquando visi sunt admittere, manere materiam primam, scripserunt ante Tridentinum, & eorum sententia modo teneri minime debet. Ad 1. confir. neg. ant. Etsi Christus non revelaverit rationem, quam habuit, destruendi panem, tamen absque dubio habuerit aliquam prudentissimam: nobis sit interim pro ratione voluntas Christi Domini, ut in multis aliis: nec debet alia assignari. Dein ratio potuit esse, ut esset veneratio major SS. Eucharistia; eoquod solus Christus substantialiter adfuit: item, ut SS. Eucharistia non sit cibum ventris, sed tantum mentis. Accidentia autem Christus voluit manere, ut detur signum sensibile.

Ad 2. confir. dist. ma. Accidentia nos deciperent, nisi Deus per Ecclesiam, & SS. Patres nos monuisset, ut alius cogitationibus nostris ascenderemus. om. ma. postquam moniti sumus. neg. ma. & conc. m. neg. conf. Si credimus mathematico dicenti, solem esse multò majorem terrâ, est oculus eum repræsentet parvum: item si eidem credimus dicenti, baculum in aqua esse rectum, licet appareat curvum, credamus multò magis SS. Patribus, circa Eucharistiam multa supra sensum docentibus.

219. Ob. 3. De Christo verè dicitur: Hic est Deus: etsi simul sit homo: ergo etiam potest verè dici: Hoc est corpus: licet simul sit panis. Confirm. 1. Licet etiam Deus sit sub ligno, tamen dicitur: Hoc est lignum: ergo, quamvis sub accidentibus Eucharisticis sit etiam panis, tamen potest dici: Hoc est corpus. Confirm. 2. Sensus verborum: Hoc est corpus: potest esse: Contentum sub accidentibus, & substantia panis, est corpus Christi: ergo potest etiam manere panis simul sub accidentibus.

Resp. neg. conseq. In illa propositione particula hic denotat substantiam, seu Personam Christi, quæ verè est Deus. Dicitur autem simul homo ratione communicationis idiomatum; quia natura humana as-

sumpta est à Verbo in unitatem Personæ. At non ita assumpta est substantia panis à Verbo, aut corpore Christi; neque enim Verbum, aut corpus Christi, hypostaticè unitur panis; unde particula hoc, nec ratione identitatis, nec ratione communicationis idiomatum, potest in Eucharistia designare corpus Christi, & panem. Ad 1. confir. neg. conseq. Illud denotamus per particulam hoc, quod subest accidentibus modo speciali, scilicet, ut uniatu physicè, vel moraliter: non ita se habet Deus sub ligno: habet autem se panis, si adest sub accidentibus, & in exemplo objecto ita se habet lignum. Ad 2. confir. neg. antec. ut enim contentum illud ita exprimeretur per particulam hoc, deberet continens esse proximum, & ordinatum, ad rem significatam continentem, ut supra diximus n. 42. quod in casu hujus questionis non contingit.

220. Ob. 4. Sicut accidentia dolij habent duplicem significationem, unam naturalem vasis lignei, alteram moralem vini: ita accidentia panis possunt etiam habere duplicem significationem: nempe possunt naturaliter significare panem, moraliter verò corpus Christi: ergo potest simul sub iis adesse panis. Confirm. 1. Etsi mel mixtum sit vino, tamen totum dicitur vinum: ergo, etiamsi panis sit conjunctus corpori Christi, potest tamen totum dici corpus Christi. Confirm. 2. Dum videmus enigmam, dicimus: Hic est daemon: licet adit etiam ipse homo obsecus: ergo. Resp. neg. antec. panis enim non est ordinatum continens corporis Christi, adeoque, si sit præsens panis, non possunt accidentia significare corpus Christi.

Ad 1. confir. neg. conf. Parum melis reputatur pro nihilo: si multum mellis esset mixtum. neg. antec. tunc enim diceretur *multum*. Sanè nemo aggregatum ex corpore Christi, & pane, simpliciter vocat corpus Christi. Ad 2. confir. dist. ant. ita, ut particula hic sumatur adverbialiter, & significet locum. conc. antec. ut significet substantiam contentam sub iis accidentibus. neg. antec. & conseq. Res se habet in hoc casu, sicut, si non video, sed audio Joannem, & digito monstro locum, unde vox advenit, ac dico: Hic est Joannes; non enim volo dicere, cubiculum, vel sylvam, esse Joannem, sed tantum, eo loco esse Joannem: vel ad summum volo dicere, eum, cujus est hæc operatio, esse Joannem: quo modo etiam possum dicere, eum, qui in energumeno ita operatur, esse dæmonem.

221. Ob. 5. Etiam sanguis, & anima Christi Domini continetur sub speciebus panis, & tamen per verba consecrationis tantum significatur corpus Christi: ergo etiam potest contineri panis, etsi tantum significetur corpus Christi. Confirm. Veritas verborum consecrationis constituit involvit ipsum objectum, seu ipsam conversionem: ergo non potest ea veritas conver-

onem causare, vel esse prior naturâ, ad conversionem panis in corpus Christi.

Resp. neg. conseq. ut enim ait Arriaga tom. 7. tr. de Eucharistia. dist. 33. sect. 4. n. 28. per particulam hoc significatur, quidquid est per se contentum sub accidentibus sensibilibus: per se autem contineri dicitur id, quod vel naturaliter continetur, (ut contineretur panis, si adesset, & consequenter deberet significari) vel, si non continetur naturaliter (prout nec corpus, nec anima, nec sanguis Christi, continetur naturaliter sub speciebus panis) per se contineri dicitur illud, quod continetur ex intentione primaria, & directâ, facientis conversionem: at Christus directè tantum voluit, adesse suum corpus: ergo hoc solum per se ibi continetur, & consequenter solum significatur per particulam hoc: sanguis autem, & anima, adfunt sub specie panis, non ideo; quia Christus directè voluit, sanguinem, & animam sub illis speciebus adesse, sed, ut ait Tridentinum sess. 13. c. 3. vi naturalis illius connexionis, & concomitantia, qua partes Christi Domini, qui jam ex mortuis resurrexit, non amplius moriturus, inter se copulantur: adeoque sanguis, & anima Christi, non significantur per verba consecrationis.

222. Ad confir. dist. antec. Veritas verborum consecrationis quidditativè sumpta, involvit ipsam conversionem. conc. antec. veritas illa tantum denominativè sumpta. neg. antec. & dist. conseq. ergo veritas adæquatè, & quidditativè sumpta, vis omnia illius constitutiva, aut omnes partes, non possunt causare conversionem. conc. conseq. veritas denominativè, seu inadæquatè sumpta, seu secundum unam tantum partem, id est, pro solis verbis accepta. neg. conseq. Verba ipsa, ut radicaliter, seu exigitivè vera (quatenus nempe sunt verba æternæ veritatis) jam exigunt dari conversionem, licet se solis nondum sint adæquatè formaliter tota veritas. Sed neque est ullum absurdum, quod una pars totius causet alteram, ut patet in millenis exemplis, e.g. in materia prima, causante compositum materiale, in intellectu cognoscente per cognitionem à se causatam, seu productam.

ARTICULUS III.

Quomodo Christus sit sub Speciebus Panis, & Vini.

223. **D**ico 1. Christus non ponitur sub speciebus per re-
productionem sui. ita S. Bonaventura in 4. dist. 10. p. 2. a. 1. q. 2. in corp. ubi comparans Christi nativitatem cum consecratione ait: *Accipit enim à matre humanitatem, & esse: non tantum esse hic, vel esse ibi: in consecratione verò, sicut melius patebit, corpus Christi non incipit esse.* & s. seq. ait: *Corpus Christi in consecratio-*

ratione non fit certe tunc non fit ejus humanitas. Lugo de Eucharist. disp. 7. sec. 6. n. 89. Bellarminus tom. 3. controv. 3. de Eucharist. l. 3. c. 18. §. Secundo notandum. Haunoldus l. 4. tr. 3. c. 5. n. 837. ubi citat Valentiam, Vasquez, Turrianum, Turrecrematam, Gasparem Hurtado, Pallavicinum, Esparzam, Dicastillo de sacram. tract. 4. disp. 4. dub. 7. n. 117. ubi insuper citat Bonacinam, & Ochogaviam. Accedunt recentiores passim.

Prob. conclusio. Hanc reproductionem Christi in SS. Eucharistia, neque requirunt verba consecrationis, neque conversio: ergo non debet admitti. prob. ant. non requirunt eam verba consecrationis; quia ista sunt vera, modò Christus in Eucharistia addit: non requirit eam conversio; quia, si salvatur veritas verborum consecrationis sine hac reproductione, salvatur etiam conversio, quæ ex illis inferitur: ergo. Sed neque ullæ aliæ rationes probant eam reproductionem Christi: ergo non est adstruenda.

Confirm. 1. Reproductio illa Christi fieret per actionem secundam totalem subordinatam, qua Christus seipsum in cena posuisset, & adhuc in quolibet sacrificio, tanquam principalis consecr. ns, se ipsum poneret: atqui hoc (data etiam possibilitate actionis totalis secundæ subordinatæ, quam plurimi negant) esset novum, & magnum prodigium, quod sine sufficienti ratione, qualis non affertur, admitti non debet: ergo neque debet admitti ista reproductio. Confirm. 2. Istæ secundæ reproductiones Christi ex una parte deberent nimium quantum multiplicari, scilicet toties, quot sunt species Eucharisticæ, unquam consecratæ, vel consecrandæ: ex altera parte nulla est earum necessitas: ergo non sunt adstruendæ.

224. Dico 2. Christus non unitur physice speciebus Eucharisticis, sed tantum moraliter. ita Suarez tom. 3. in 3. p. disp. 47. sec. 3. §. Dico ergo primò. Haunoldus l. 4. tr. 3. c. 4. n. 819. & seq. ac plures alii, præsertim recentiores. Probatur conclusio in primis negativè. Nulla est necessitas unionis physice: ergo probabilius non datur. Dein probatur etiam argumento positivo Suarezii. Si Christus uniretur physice dictis speciebus, vel ea unio physica esset substantialis, vel accidentalis: neutrum potest dici: ergo. prob. mi. non posset esse substantialis; unio enim substantialis tantum datur inter duas substantias: neque posset esse accidentalis; quia illa unio nec esset informativa, nec continuativa; nam ex Constantiensis accidentia sunt sine subiecto, adeoque Christus non est eorum subiectum, neque Christus dicitur calidus, frigidus, glaciatus: & multò minus accidentia sunt subiectum Christi: consequenter ea unio non esset informativa; hæc enim datur inter formam, & subiectum: neque etiam illa unio esset continuativa; quia non datur in hoc sacramento continuatio cum Christo, sed compenetratio: aliam autem fingere

unionem tertiæ speciei, quæ nullum alium effectum tribuat, quàm inseparationis, est multiplicare mysteria sine necessitate; cum, ut videbimus ex solutione argumentorum, sufficiat unio aliqua moralis.

225. Hæc autem unio moralis, quam inter Christum, & accidentia dari asserimus, involvit ista. 1. ut Christus sit finis principalis specierum, & hæc ad eum continentium, atque ipsum tanquam cibum spirituale designandum, sint à Deo ordinatæ. 2. ut Christus sit intimè præfens speciebus, & quidem ipse solus, absque substantia panis. 3. ut per decretum Dei Christus sit stabiliter annexus illis speciebus, ita, ut iis motis moveatur etiam Christus, iis quietibus etiam ipse quietescat, & tamdiu sub ipsis præfens perseveret, quamdiu ipsæ manent.

His positis, potest Christus omnino dici moraliter unitus speciebus; nam habetur 1. quomodo Christus possit demonstrari per pronomen hoc; si enim ipse solus est præfens tanquam finis specierum, ad eum continentium hinc, & nunc ordinatarum, potest per pronomen hoc demonstrari, non minus, imò magis, quam possit demonstrari aurum in marsupio, vel vinum in dolio: quo tamen modo non potest demonstrari, Deus, vel Angelus, tantum penetratum cum cælo, quod stabiliter movet; tum quia eum Angelo, vel Deo, sub accidentibus, vel speciebus, simul adest substantia altera, ad quam naturaliter sunt ordinata illa accidentia; tum quia, moto cælo, vel alio, non movetur Deus. Si autem alia substantia abesset, & reliqua à nobis requisita adessent, non malè demonstraretur Angelus per pronomen hoc, indigitando illas species, seu accidentia cæli.

Habetur 2. quomodo Christus dicatur portari, deglutiri &c. cum enim, stantibus illis tribus, sit inseparabilis à speciebus, semper cum iis movetur: quòd autem, si non sit iis physice unitus, non moveatur physice, sed tantum moraliter, non refert; sicut enim sacerdos, tantum moraliter conscientis præsentiam Christi sub speciebus, tamen dicitur, verè eam conficere: ita etiam, quamvis idem Christum tantum moveat moraliter, tamen potest dici, verè eum movere.

226. Quæri hinc etiam potest, an corpus Christi in hoc sacramento naturaliter aliquid pati possit, ab agentibus externis: item, an naturaliter possit, aliquid sentire: rursum an possit, agere in corpora circumjecta. Et quæstio hæc instituitur, non de corpore jam glorioso, & impassibili, sed de corpore, ut fuit in cena. Thomistæ, & Scotistæ, acnostri, communissimè ad ista respondent negativè, à qua adeò communi sententia non videtur Suarezio recedendum. Probant autem solet hæc assertio. 1. Agentia corporalia non agunt ad extrà, nisi per influxum quantitativum, & localiter extensum: hic recipi non potest in subiecto, quod localiter extensum non est, sicut non est corpus Christi in Eucharistia: ergo. 2. Motus recipi-

cipitur per modum recipientis: ergo deberent motus, ab aliis agentibus profecti, in Christo recipi, ut toti essent in toto, & toti in qualibet parte: sed hoc efficere nequeunt agentia naturalia corporea: ergo.

227. Jam si Christus nequit pati, nec poterit sentire; nam 1. ut sentiret, deberent species (quæ etiam sunt aliquis motus physicus, potentia sensitivæ impressus) ab objectis in ipso causari: hoc ex modò dictis fieri non potest: ergo. 2. Organa sensuum ad suas operationes exigunt extensionem, ut species visivæ, sonoræ &c. possint rite applicari: sed organa in Christo Eucharistico non sunt extensa: ergo. 3. Si Christus posset agere, deberet etiam species alterare, calore, aut frigore, vel deberet adstrui novum miraculum: neutrum potest dici: ergo. Hæc enucleatius tractata vide apud Suarezium tom. 3. in 3. p. disp. 53. sec. 1. 2. & 3. vide tamen etiam Arriagam de Eucharist. disp. 37. sec. 3. ubi rationes pro hac assertione allatas impugnat, & sec. 4. & 5. ubi ulterius hanc materiam tractat: sed vix dicit, quid sentiat, nisi quòd n. 14. admittat, Christum aliquo modo posse agere ad extrà.

ARTICULUS IV.

Solvuntur Objectiones.

228. **O**B. 1. contra 1. conclusionem. SS. Patres dicunt, *corpus Christi fieri, confici, creari*: ergo producitur per secundam actionem. Confirm. 1. SS. Patres comparant conversionem Eucharisticam aliis conversionibus substantialibus, in quibus terminus ad quem de novo est productus: e.g. comparant conversioni uxoris Loth in statuam salis, conversioni virgæ Moysis in serpentem, conversioni alimentis in alitum: ergo supponunt, quòd etiam in hac conversione terminus ad quem de novo producat. Confirm. 2. Si non producitur terminus ad quem in conversione Eucharistica, tantum producitur aliquid accidentale: ergo non erit transsubstantiatio, sed tantum transaccidentatio, vel adductio localis Christi.

Resp. dist. antec. SS. Patres dicunt, *fieri, creari &c.* corpus Christi in abstracto. neg. antec. corpus Christi in concreto. conc. antec. & neg. conseq. Fit scilicet hoc concretum *corpus Christi substans his accidentibus*: ut autem dicatur fieri concretum, non requiritur, ut omnes partes fiant, sed sufficit fieri unam partem; aliàs non posset Verbum dici caro factum. Dein SS. Patres communius dicunt, *fieri corpus Christi præfens in hoc sacramento, ex pane fieri corpus Christi, confici sacramentum corporis Christi*: quibus modis loquendi factis innuunt, fieri aliquid præter corpus Christi, & istud fieri tantum in concreto.

Pauci autem, qui dicunt, creari corpus Christi in Eucharistia, addunt, creari per *sa-*
R.P. Ant. Mayr Theol. Tom. II.

cerdotes, vel per os consecrantis: ergo non videntur loqui in sensu rigoroso; cum pauci admittant, creaturam posse elevari ad creandum. Adde 1. quòd hæc nostra explicatio Patrum fulciatur auctoritate longè communiore Theologorum. Adde 2. quòd etiam adversarii debeant, recurrere ad nostram explicationem, seu distinctionem; nam S. Cyprianus *serm. de cena Domini*. quo adversarii vel maximè nituntur, sic loquitur de Christo: *Qui usque hodie veracissimum, & sanctissimum corpus suum, creat, & sacrificat, & benedicit, & pie sumentibus dividit*: sed vox *dividit* non potest accipi de corpore Christi in abstracto, sed tantum de eo in concreto, seu ut substantia accidentibus.

229. Ad 1. confirm. neg. conseq. Similitudo omnis claudicat: certè etiam in illis conversionibus semper terminus ad quem producitur per primam actionem, quin hoc fiat in Eucharistia. Unde SS. Patres tantum volunt indicare, fieri in Eucharistia conversionem substantialem: quidquid tandem ad eam requiratur. Similitudo alimenti potius nobis favet; cum non producatur in augmentatione hominis anima rationalis. Quare saltem in sententia philosophorum, non admittentium formas partiales (quales olim fuere, & etiamnum sunt plurimi) non requiritur ad conversionem productio termini ad quem.

Ad 2. confirm. neg. conseq. Talis est conversio, quales sunt termini: & rectè dicitur substantialis; quia tota substantia convertitur. Licet autem fortè non sit talis conversio substantialis, qualis naturaliter solet fieri, est tamen verè conversio substantialis supernaturalis, quæ denominationem desumit à terminis substantialibus: & hinc non est tantum transaccidentatio, sed transsubstantiatio. Minus adhuc est tantum adductio localis, vel actio adductiva Christi; hæc enim tantum dicit productionem ubicationis, & quidem cum motu locali, ac mutatione loci: Christus autem non mutat locum; quia non deserit cælum. verbo: actio transsubstantiativa consistit in actione introductiva corporis Christi sub specie loco panis, conservando accidentia sine pane, & deperditâ reparando, intuitu Christi, stabiliter præfens ex decreto Dei.

230. Ob. 2. Si in nuptiis Canæ Galilææ tantum fuisset adductum vinum, non fuisset aqua in illud conversa: ergo neque panis convertitur in Christum, nisi hic reproductur. Confirm. S. Augustinus l. 18. de civit. c. 18. negat, homines fuisse conversos in volucres, quando dæmones transulerunt inadvertenter homines, & substituerunt volucres: ergo, nisi producatur terminus ad quem, non datur vera conversio. Resp. Si tantum fuisset loco aquæ adductum vinum, in primis non fuisset data illa conversio, quam homines, quos Christus minimè ludificabat, ibi fieri supponebant; nam supponebant, ex materia aquæ fieri vinum,

Insuper probabiliter nec fuisset data conversio alia; quia non fuisset datum aliud commune medium, quam locus extrinsecus, in quo succedere non sufficit ad conversionem. simpliciter dictam; tum quia locus extrinsecus, nec physice, nec moraliter unitur locato; tum quia alias, si Petrus loco pelleretur ab asino, converteretur in asinum: quod videtur absurdè dici. Dicitur tamen aliquando, dari in tali casu conversio aliquo modo moralis: & sic dicitur, in theatris sylva converti in aulam, vel vicissim, in forma om. vel conc. antec. neg. conseq. In illo casu non fuisset datum commune medium; non enim vinum fuisset sub accidentibus aquæ: at hoc medium datur in conversione Eucharistica.

Ad confirm. Eadem servit responsio; quia tantum fuit mutatio localis. Si etiam illi homines non fuissent translati, sed exterius apparenter immutati, manente anima rationali, tamen non fuisset conversio substantialis; quia non cessasset terminus à quo inexistere communi medio: in quo iterum esset disparitas inter conversionem Eucharisticam, & transmutationem illorum hominum.

231. Ob. 3. Verba Christi, in consecratione adhiberi solita, habent vim efficiendi corpus Christi, atque istud significant: sed verba Christi efficiunt, quod significant: ergo efficiunt corpus Christi. Confirm. Corpus Christi per aliquam actionem productivam existit in Eucharistia: atqui non existit per illam, per quam existit in celo: ergo per actionem aliquam reproductivam. prob. min. necessarius est major influxus, ut corpus Christi existat in Eucharistia, quam, ut tantum existat in celo: ergo non existit corpus Christi in Eucharistia per illum influxum, seu per illam actionem, per quam existit in celo, prob. antec. actio, per quam corpus Christi existit in Eucharistia, postulat, ut ipsum sit compenetratum: actio, per quam existit in celo, non exigit, ut sit compenetratum: ergo illa est fortior. prob. conseq. actio produciens, vel conservans aliquid sine proprietatibus, e. g. formam sine accidentibus, vel accidentia sine subjecto, est fortior, quam actio alia, produciens, vel conservans formam cum proprietatibus, vel accidentia in subjecto &c. ergo etiam actio produciens, vel conservans corpus Christi compenetratum, sive sine extensione ei propria, est fortior, quam altera, ipsum produciens cum extensione.

Resp. neg. ma. probabilius enim est, Deum illis verbis non dedisse vim moralem efficiendi ipsum corpus Christi: nec ea vis necessaria est ad sacrificandum, vel conficiendum sacramentum. Dein neg. etiam mi. si prorsus universaliter, & illimitatè sumatur; non enim prorsus omne id, quod significant, verba sacramentalia efficere possunt; alias forma baptismi efficeret SS. Trinitatem, personam baptizantem, & baptizatum, & aquam: sed verba sacramentalia tantum illa efficiunt, quæ non jam aliunde

existere debent, independentè à sacramento.

232. Ad confirm. neg. mi. ad prob. neg. antec. ad hujus prob. neg. i. p. antec. non enim compenetratioem corporis Christi exigit actio productiva corporis, quæ potius etiam ipsa petit extensionem: sed eam compenetratioem postulat actio productiva replicationis, seu ubicationis corporis Christi: & hæc duæ actiones debent accuratè distingui, ad prob. conseq. neg. conseq. vel ejus suppositum, sive, quod actio, quæ conservat Christum in Eucharistia, producat, seu conservet ipsum ut compenetratum, seu exigit ejus compenetratioem; actio enim ista non exigit compenetratioem; unde est eadem cum illa, quæ Christum conservat in celo. At verò actio conservativa accidentium sine subjecto est diversa specie, ab alia actione, conservativa eorumdem accidentium in subjecto; quia illa est creativa, hæc generativa.

An autem altera actio, qua conservatur forma sine proprietatibus, sit etiam ita diversa, ad minimum est dubium. Aliqui omnino videntur id negare: alii dicunt, eam tantum esse diversam quoad modum, & circumstantias. Quidquid de hoc sit, paritas nulla est; quia, cum in hoc casu non supponatur forma jam semel producta in circumstantiis naturalibus, facile potest admitti, quod, cum tantum produceretur in circumstantiis supernaturalibus, detur alia actio productiva fortior, seu fortior influxus, & fortè etiam supernaturalis. At, cum Christus jam supponatur productus in celo, in circumstantiis naturalibus, non debet actio conservativa ejusdem in sacramento esse fortior; cum possit esse, & actu sit eadem cum actione primò productiva ejusdem in celo, nec debeat exigere compenetratioem: sed tantum debeat fieri miraculum, vi cuius eadem actio replicetur, tali replicatione, quæ exigit compenetratioem partium corporis Christi.

Sic etiam, si replicetur Petrus, non debet ipse per aliam actionem etiam in secundo loco produci: sed ad summum debet actio ejus productiva replicari. Et sic etiam, casu quo substantia, vel forma, in uno loco produceretur naturaliter cum suis proprietatibus, & ita replicetur, ut in altero loco esset sine suis proprietatibus, non deberet in hoc secundo loco per aliam fortioiorem influxum, vel aliam actionem produci: sed tantum deberet forma, vel substantia, aut etiam actio productiva formæ, vel substantiæ cum suis proprietatibus, replicari, per talem tamen replicationem, per quam proprietates non replicarentur.

233. Ob. 4. Ad conversionem requiritur desitio termini à quo: ergo etiam requiritur productio termini ad quem. antec. prob. tum ex communissimo doctorum sensu; tum ex eo, quia alias anima hominis per mortem converteretur in formam cadavericam, vel Christus, destructis speciebus, in vermes; tum etiam ex eo, quod SS. Patres

patres contra Eutychemem docent, scilicet ideo naturam Divinam non potuisse converti in humanam; quia non potuit desinere. ergo ad conversionem requiritur ista desitio. Resp. de antecedenti posse controverti; inprimis enim habet etiam sententia opposita suos auctores, præsertim recentiores: quando autem S. Thomas dicit, terminum à quo non manere, potest explicari, quod tantum velit, eum non manere inexistentem. Locutio de anima potest admitti; nec enim est ratio, cur possit dici, formam cadavericam, e. g. carnis, converti in animam in nutritione, & non possit pariter dici, animam converti per mortem in formam cadavericam.

234. Christus tamen, juxta hos auctores, non debet dici, converti in vermes, præsertim coram indoctis; quia facit alium sensum absurdum, scilicet Christum mutari in vermes, sicut mutatur aliud cadaver, quod utique est falsum: dein deficit commune medium. Quod spectat ad dicta SS. Patrum respondetur, ea non accipienda esse de quacunque conversione, sed de illa, quam adstruebat Eutyches, scilicet talem, ut per eam immutaretur natura Divina, & ex Divina, ac humana natura, prodiret aliqua tertia: quod utique impossibile est. Sed omisso antec. neg. conseq. Vocabula debent accipi juxta communem eorum intellectionem; cum ergo ex communi (ut supponitur in hac objectione) non dicatur converti, nisi illud, quod deinit, debet terminus à quo desinere. At non possunt adversarii ostendere, quod non dicatur aliquid converti in aliud, nisi etiam hoc aliud produceretur; cum auctores plurimi oppositum doceant. vide etiam dicta n. 213.

ARTICULUS V.

An maneat in SS. Eucharistia aliqua Accidentia Absoluta.

235. **S**upra n. 214. probavimus, dari veram in SS. Eucharistia sacramentum conversionem, & n. 211. ostendimus, ad hanc requiri commune tertium, seu aliquid, quod prius se habuerit ex parte termini à quo, & postea se habeat ex parte termini ad quem. Hoc quidem in aliis conversionibus naturalibus ordinariè, vel saltem persæpe, est aliqua substantia: at in conversione Eucharistica, quæ est transubstantiatio, seu mutatio totius substantiæ in aliam, commune tertium non potest esse substantia; quia nihil de priore substantia panis, & vini, potest manere in hoc sacramento. Hinc istud commune tertium sunt accidentia, vel species panis, & vini.

236. Hæc autem vocabula Theologis idem significant, ut est manifestum ex Magistro sententiarum, qui, ut testatur Bellarminus de script. Eccles. floruit circa annum 1145.

non multò ante Concilium Lateranense IV. sub Innocentio III. habitum, in quo C. *Dammamus. 2. de sum. Trinit.* approbatur ejusdem Magistri, seu Petri Lombardi, doctrina de SS. Trinitate, atque C. *Firmiter. 1. eodem tit.* fit mentio specierum. Hic autem Magister l. 4. *sentent. dist. 11. c. 12. id*, quod post consecrationem remanet ex pane, & vino, nominat modò species, modò accidentia: & *dist. 12.* sic incipit: *Si autem quaritur de accidentibus, quæ remanent, id est, de speciebus.* Idem manifestum est ex SS. Thoma, & Bonaventura, qui paulò post idem Concilium floruerunt, nempe teste Bellarmino de scriptor. *Eccles. circa an. 1265.* cum Concilium dictum fuerit celebratum an. 1215. ex quibus prior 3. p. 9. 77. maxime a. 1. 2. & 3. posterior verò in 4. *dist. 11. p. 1. a. 1. q. 1. 2. & 3.* eodem modo, quod remanet ex pane, & vino, nunc species, nunc accidentia, indiscriminatim nominant.

237. Hos Magistros secuti sunt postea omnes Theologi orthodoxi, usque ad novissima ferme tempora Gassendi, ac Cartesii, quorum philosophia, cum accidentia eliminare studeat, novitate sua aliquos, sed comparativè paucissimos, Theologos ad se attraxit, qui contra omnem antiquitatem voluerunt, inter accidentia, & species, discrimen aliquod statuere, & aliquid longè aliud per has voces intelligere, quam intellexerint antiqui doctores. His autem paucissimis exceptis, reliqui Theologi omnes cum Magistro, & SS. Thoma, ac Bonaventura, senserunt: qui Theologi non tantum fuere, Religiosi (quos quidam minus liberè hac in questione sentire potuisse opponit) sed sæculares quoque innumeri, Cardinales, & Episcopi, quicumque de hoc mysterio paulò antiquius scripserunt, quique omnes unanimiter in hac assertionem conveniunt.

Sed & de Religiosis non, nisi omnino gratis, fingi potest, eos, ut contra mentem suam sentirent, Ordinum statutus necessitates fuisse; cum nec minimum vestigium renitentia in ulla eorum lucubrationibus inveniantur: & rationes eorum, ac modus, assertionem istam communissimam probandi, summe serius, & efficax, satis apertè ostendant, eos motu proprio ita sensisse.

238. Jam verò non videtur, posse ullo modo prudenter dubitari, quod Concilia easdem voces, nempe *species, & accidentia*, non in alia significatione adhibuerint, quam in ea, in qua adhibita sunt à doctoribus, qui eo tempore, ante, & post eadem Concilia scripserunt; quia magna, vel major pars Patrum, fuere ipsi Theologi apprime docti (nam isti in pastores animarum sæpissimè fuere electi, & adhuc hodie eliguntur, præsertim in Hispaniis, & Galliis) vel certè ut plurimum erant doctorum illorum in Theologia discipuli, qui à doctrina, à præceptoribus hausta, non recesserint: præsertim, cum nullo prorsus indicio, alios hac de re unquam monuerint.

Si hoc negent atomistæ, ostendant suos

suos Patres, aut Theologos in Concilio Lateranensi (quod ultra mille Episcopos censuit) vel in Constantiensi, Florentino, aut Tridentino. Certè nec unum nominare possunt, qui sententiam atomisticam hac in controversia amplexus fuerit. Sed nec Concilia potuerunt, ea verba in alio sensu accipere, quam in eo, in quo communissimè accipiuntur, nisi monuissent; alias suas definitiones, aut doctrinas, proposuissent valde involutas, & minimè claras, sub terminis, quos nec doctores, in sensu à Conciliis intento, intellexissent: quod nemo prudens suspicari potest.

239. *Accidens physicum* autem, de quo loquimur, est ens, quod exigit inherere alteri, tanquam fini cui, adæquate a se distincto: hoc est, substantiæ, quæ est finis, in cuius bonum accidentia ordinantur. Hæc definitio est communissimè recepta à Theologis, ac Philosophis: & ex ea inferitur 1. quòd accidens sit aliquid adæquate distinctum à substantia; non enim aliquid ordinatur ad inherendum sibi ipsi, tanquam subiecto. 2. quòd accidens non possit, naturaliter sine subiecto existere. 3. quòd tamen vi hujus conceptus non impediatur, quominus accidens aliquod speciale, seu quod vocatur absolutum, supernaturaliter existat sine subiecto; quia, cum in definitione, vel conceptu accidentis sit sic, non exprimitur essentialis exigentia inhærensionis actualis, potest Deus in ea exigentia dispensare, & accidens sine subiecto conservare.

Ubi etiam nota, aliud esse, essentialiter accidens exigere inesse subiecto, & aliud, accidens essentialiter exigere esse subiecto: sicut aliud est, essentialiter hominem, seu naturam (sunt enim identificata) exigere cibum: & aliud, hominem exigere essentialiter, seu (quod idem est) indispensabiliter cibum; primum enim est verum, alterum aperte falsum. Nec aliquid dicit, accidens saltem ex suppositione, quòd existat, essentialiter inherere subiecto, sicut homo ex suppositione, quòd actu existat, essentialiter existit.

Nam in primis, strictè loquendo, non est verum, hominem etiam ex suppositione, quòd existat, essentialiter existere; sicut non est verum, hominem ex suppositione, quòd peccet, essentialiter peccare, sive eum necessariò, & indispensabiliter peccare, & non tantum necessitate consequente peccatum necessariò existere (hoc enim significat essentialiter peccare) alias enim (ut patebit consideranti) qualibet propositio contingens esset essentialiter vera: quod nemo admittit. Dein, etiam homo ut actu existens essentialiter existeret, non ideo accidens actu existens essentialiter inhereret; non enim probari ulla tenus potest, essentialiter esse identificatam inhærensionem, sicut essentialiter hominis identificata est existentia.

240. Prædicata autem, quæ in nostra definitione accidentibus tribuimus, Theologi, & Philosophi paulò antiquiores,

communissimè attribuant accidentibus absolutis: videantur tantum Magister sententiarum, S. Thomas, S. Bonaventura, & alij. Sic Magister sententiarum l. 4. dist. 11. ait: *Ut sub illis accidentibus, sub quibus erat prius substantia panis, & vini, post consecrationem sit substantia corporis, & sanguinis: sic tamen, ut non eis efficiatur: hoc est, non physice uniatur, vel informetur corpus Christi, vel non sit eorum subiectum: ergo accidentia Eucharistica sunt aliquid remanens ex pane, & vino sublato, & non sunt aliquid receptum in corpore Christi tanquam subiecto: multò minus aliquid identificatum corpori Christi.*

Paulò post idem ait: *Post consecrationem ergo non est ibi substantia panis, vel vini, licet species remaneant; est enim ibi species panis, & vini, sicut & sapor, & dist. 12. de accidentibus, quæ, ut ait, remanent, sic scribit: Potius mihi videtur fatendum, existere sine subiecto, quam esse in subiecto; quia ibi non est substantia, nisi corporis, & sanguinis Domini, quæ non efficiuntur illis accidentibus; non enim corpus Christi talem habet in se formam.*

241. S. Thomas 3. p. q. 77. art. 1. in corp. ait: *Accidentia panis, & vini, quæ sensu apprehenduntur in hoc sacramento remanere post consecrationem, non sunt sicut in subiecto, in substantia panis, & vini, quæ non manent. Manifestum est etiam, quòd hujusmodi accidentia non sunt in substantia corporis, & sanguinis Christi, sicut in subiecto; quia substantia humani corporis nullo modo potest his accidentibus affici: neque etiam est possibile, quòd corpus Christi gloriosum, & impassibile existens, alteretur ad suscipiendas hujusmodi qualitates.* Dein ad 2. ait: *In hoc autem sacramento non datur accidentibus, quòd ex vi sua essentia non sint in subiecto, sed ex Divina virtute sustentante. Et ideo non desinant esse accidentia; quia nec separatur ab eis definitio accidentis, quæ est aptitudo ad subiectum, quæ semper manet in ipsis: non actualis inherentia, & ead. q. a. 3. ad 1. ait: Species sacramentales, licet sint forma sine materia existentes, retinent tamen idem esse, quòd habebant prius in materia: ergo ex S. Thoma species istæ, sive accidentia, sunt prorsus separata à materia, tam panis, quam vini, & multò magis sunt à materia corporis Christi distincta.*

242. Similiter S. Bonaventura in 4. dist. 11. p. 1. a. 1. q. 1. in corp. ait: *Manent sola accidentia, quæ dependent, & per se stare non possunt. & ead. dist. & art. q. 2. in corp. ait: Constat enim, quòd accidentia remanent secundum esse, & operationem, postea autem dist. 12. p. 1. a. 1. q. 1. fusiè probat, accidentia posse supernaturaliter esse sine subiecto, in eo sensu, in quo nostri auctores loquuntur, atque in corp. & ad 1. definitionem accidentis non dicere, quòd accidens actu semper debeat esse in subiecto, sed quòd aptum sit, ut sit in sub-*

jecto: quæ dein sequentibus articulis confirmat. Et certè videtur, nimium audax esse, etiam tantum in dubium revocare, an isti, vel etiam alij antiquiores auctores, eorum vestigiis indubitatè inherentes, alio in sensu acceperint vocabulum *accidens*, quam nos accipiamus. Quos magnos Magistros, si, ut oporteret, legerent recentiores quidam atomistæ, non pro libitu suo alias accidentium, vel entium absolutorum definitiones procederet: e. g. *Ens absolutum est, quòd à nemine, nisi à solo Deo dependet: Accidens est, quòd essentialiter exigit inherere subiecto: quibus admittis utique impossibile est, dari accidens absolutum.* At non licet, definitiones pro arbitrio fingere: sed debemus eas, quæ à venerabili antiquitate statutæ sunt, acceptare; si enim in omnibus questionibus de nomine, multò magis in questionibus de definitione, standum est autoritate.

243. Adde, quòd in conceptu objectivo, qui respondet definitioni formali accidentis, à nobis traditæ, adversarij nec micam impossibilitatis possunt, vel à longè probare; nec enim debent potentia Divinæ tam arcti limites præscribi, ut nihil posse dicatur, nisi, quòd cadat sub sensus; vel sub captum, aut potius apprehensionem atomistarum, quam de rebus materialibus habent. Præsertim autem non possunt, suam sententiam in impossibilitate accidentium, à nobis assertorum, fundare illi atomistæ nocentiores, qui, ut se facilius expediant argumento ex SS. Eucharistia petito, admittunt, talia accidentia, qualia nos adstruimus, posse supernaturaliter produci: quæ admittit possitilitate potissimum argumenta atomistarum, ut patet consideranti, subruuntur: & tamen hæc responsio difficultati non satisfacit; nam, ut species possint dici, in Eucharistia remanere, debet dici, quòd eæ, sive accidentia, jam ante consecrationem in pane, & vino producta sint: sed sic debent etiam in aliis panibus produci; dicere enim, quòd in aliis panibus non ita producantur, est prorsus arbitrariò fingere.

244. Jam accidens aliud dicitur *modale*, quòd nec supernaturaliter potest esse sine suo subiecto, e. g. ubicatio sine ubicatione, actio sine effectu. Aliud dicitur *absolutum*, quòd, non quidem naturaliter, atamen supernaturaliter, potest existere sine suo subiecto. Rursus aliud accidens est *quantitas*, quæ est radix saltem naturaliter exigitiva alicuius impenetrabilitatis cum alio corpore: estque etiam in corporibus, sicut divisibilibus, radix dimensionum, & extensionum variarum &c.

Aliud accidens dicitur *qualitas*, quæ scilicet subiecto tribuit denominationem, quæ pro responso datur interroganti, quale sit objectum, e. g. an calidum, an frigidum, an grave, an leve &c. Et in hac significacione etiam accidentia Eucharistica à S. Thoma 3. p. q. 77. a. 2. in corp. & ad 3. dicuntur *qualitates*, & a. 3. arg. 2.

forma accidentales. Dividuntur autem istæ qualitates in *primas*, quæ communissimè assignantur quatuor, scilicet, *calor, frigus, humiditas, siccitas: & in secundas*, quæ mixtionem priorum consequuntur: tales sunt *gravitas, odor, sapor &c.* de quarum tamen aliquibus sæpe disputatur, an sint aliquid à substantia, vel aliis qualitatibus, realitèr distinctum. Quidquid autem sit de numero qualitatum, quem nolim determinare.

245. Dico. Dantur, seu manent in SS. Eucharistia accidentia verè talia, & absoluta. ita paulò antiquiores doctores omnes, & recentiores etiam communissimè, exceptis paucis audacioribus atomistis. Prob. concl. 1. ex Concilio Lateranensi IV. sub Innocentio III. relato C. *Firmiter. de summa Trinitate.* ubi sic habetur de Christo Domino: *Cujus corpus, & sanguis in sacramento altaris sub speciebus panis, & vini, veraciter continentur, transubstantiatis pane in corpus, & vino in sanguinem, potestate Divina: ergo non manent, sed transubstantiatio, aut substantièliter conversio panis, & vini, manet corpus, & sanguis Christi, sub speciebus panis, seu sub accidentibus, à pane, & vino, supernaturaliter separatis: ergo dantur talia accidentia absoluta in Eucharistia.*

246. Prob. conclusio 2. ex Concilio Constantiensi, in quo *sess. 45. seu ultima in Bulla Martini V. Papa. Inter cunctas.* inter plures propositiones hæreticas Wicleffii, damnantur etiam istæ. *Substantia panis materialis, & similiter substantia vini materialis, remanent in sacramento altaris: & secunda. Accidentia panis non manent sine subiecto in eodem sacramento* (intellexit autem Wicleffus subiectum substantiale; nam, quòd in Eucharistia maneat quantitas, tanquam subiectum accidentale accidentium, est sententia satis communis Theologorum cum S. Thoma 3. p. q. 77. a. 2. in corp. ubi docet, quantitatem esse immediatum subiectum accidentale accidentium Eucharisticorum: & sanè, quamvis quantitas maneat, tamen datur conversio totius substantiæ, seu transubstantiatio) atque secunda propositio non esset damnabilis, nisi darentur accidentia absoluta, seu existentia sine subiecto: ergo.

247. Quòd autem Wicleffus accidentia fumpserit in eo sensu, in quo communissimè sumuntur à peripateticis, est innegabile; nam *sess. 15. ejusdem Concilij Constantiensis*, in qua præcèti sunt errores Wicleffi, ex quadam, ut ibi vocatur, *papyri schedula*, sic refertur hic hæreticus loqui: *S. Cum mendacium. Securè denuncio modernis hæreticis (sic appellat Catholicos rite sentientes de mysterio Eucharistico) quòd non possunt declarare, nec intelligere accidens sine subiecto: quibus fermè verbis aliqui atomistæ (excepto quòd peripateticos non dicant hæreticos) utuntur, dum dicunt, istorum accidentia non posse capi, sua verò facilè explicari.*

Paulo post *fructus*. refertur ibidem Wicleffus sic docuisse: *Fructus istius demetia, qua fingitur accidens sine subiecto, foret blasphemare in Deum, scandalizare Sanctos, & illudere Ecclesie per verba accidentis*. Ecce iterum dicit, doctores illius temporis tale fingere accidens sine subiecto, ut Deum blasphemet, affingendo scilicet ei potentiam producendi Chimæram &c. Sed & ex supra dictis satis patet, quod etiam Concilium sumpsit vocem *accidens* in significatione, quam ei tribuebant unanimiter omnes Theologi, & Episcopi, doctrinam Magistri Sententiarum, aut SS. Thomæ, vel Bonaventuræ, aut Scoti, proficientes.

248. Prob. concl. 3. ex Concilio Tridentino, quod *sess. 13. c. 4.* sic habet: *Sancta hæc Synodus declarat, per consecrationem panis, & vini, conversionem fieri totius substantie panis in substantiam corporis Christi Domini nostri, & totius substantie vini in substantiam sanguinis ejus. Quæ conversio converteret, & proprie, à Sancta Catholica Ecclesia, transsubstantiatio esse appellata, & can. 2. sic definit: Si quis dixerit, in sacrosancto Eucharistia sacramento, remanere substantiam panis, & vini, unâ cum corpore, & sanguine Domini nostri Jesu Christi, negaveritque mirabilem illam, & singularem conversionem totius substantie panis in corpus, & totius substantie vini in sanguinem, manentibus dumtaxat speciebus panis, & vini, quam quidem conversionem Catholica Ecclesia aptissime transsubstantiationem appellat; anathema sit: ergo maneat solæ species, seu accidentia panis, & vini, à suis subiectis, scilicet pane, & vino, separata, adeoque absoluta.*

249. Confir. 1. Concilium Colonense celebratum *an. 1530* (hoc est, novem annis ante inchoatum Concilium Generale Tridentinum) *part. 7. de administrat. sacrament. c. 15.* sic habet: *Quid enim panis, vinique species aliud sunt post consecrationem, quam species sacramentales, & accidentia sine subiecto? ergo in sacramento Eucharistie dantur accidentia absoluta sine subiecto, & ista accidentia etiam sunt species sacramentales, si ve per istas species intelliguntur accidentia illa, & vicissim per ista accidentia illæ species: qua ratione etiam firmanter dicta superius n. 235. Nec dicant adversarii, Concilium hoc non fuisse universale, adeoque nec infallibile; nam, quamvis non habeat auctoritatem infallibilem, habet tamen absque omni dubio multo majorem, quam habeant pauci atomitæ, qui ei opponuntur: & rectè ait Canus *de locis Theol. l. 5. c. 4.* quod, si talia Concilia non reprobentur, hoc ipso communi Ecclesie silentio multum commendentur; non enim Ecclesia solet, diu dissimulare talis Concilij apertum errorem.*

250. Confir. 2. Sententia nostra est recepta ab omnibus Theologis paulò antiquioribus: & insuper viâ est gravissimis vi-

ris tam certa, ut triginta, & plures apud Raynaudum *tom. 6. opusculo de exvivijs panis, & vini, seu de accidentibus Eucharisticis. sec. 2. punct. 7.* dicant, sine hæresi negari non posse, vera panis, & vini accidentia superesse in SS. Eucharistia: quam quidem censuram non est meum ferre: sed sufficit mihi, eam retulisse. Attamen ex hoc ipso ostenditur, quam obscurati fuerint in defendenda hac conclusione antiquiores doctores. videri etiam meretur Raynaudus *cod. opus. sec. 3. punct. 5.* Confir. 3. In hoc sacramento est Tridentino datur vera conversio panis, & vini, in corpus, & sanguinem Christi: atqui ad conversionem essentialiter requiritur commune tertium, seu medium, quale hic aliud, quam accidentia Eucharistica, assignari non potest: ergo.

251. Confir. 4. Apostolus *1. Cor. 10. v. 16.* loquens de Eucharistia, ait: *Panis, quem frangimus, nonne participatio corporis Domini est? & Actor. 2. v. 42.* dicitur de fidelibus: *Erant autem perseverantes in doctrina Apostolorum, & in communicatione fractionis panis.* item Ecclesia in hymno: *Lauda Sion Salvatorem, canit: Fractio demum sacramento ne vacillet, sed memento, tantum esse sub fragmento, quantum toto tegitur:* ergo sacramentum SS. Eucharistie frangitur: atqui non frangitur ipsum corpus Christi, ut est clarum ex ipsis verbis hymni, quibus dicitur, tantum esse sub fragmento, quantum sub toto: & ex Tridentino *sess. 13. cap. 3. & can. 3.* ergo debent frangi accidentia absoluta; aliud enim non est assignabile. Confir. 5. SS. Patres docent, sacramentum hoc consistere ex visibili elementorum specie, & invisibili corpore Christi, vocantque species sacramentales symbola, sub sensum cadentia, signa visibilia rerum Divinarum: hæc in adversa opinione explicari non possunt: ergo.

252. Sub his itaque accidentibus, hucusque explicatis, & probatis, continetur in SS. Eucharistia corpus, & sanguis Christi, quin & anima, ac Divinitas, ut dictum est *n. 204.* ac tandem sub iisdem speciebus manet præsens, quamdiu species non corrumpuntur, quod diversimodè fit; nam eo tempore corrumpuntur species istæ, quo corrumpuntur panis, & vinum, si quis ante consecrationem ea sumpsisset: at hoc fit diversimodè pro diversitate stomachi, nempe citius, si hic validus: & lentius, si debilis sit.

Nec est universaliter verum, quod dicit Arriaga *tom. 7. tr. de Eucharist. disp. 39. sec. 5. n. 25.* scilicet tunc species jam esse consumptas, quando sacerdos, à finito sacro iterum sacras vestes deposuit; nam Tamburinus *in methodo expeditæ communionis c. 3. §. 4. n. 4.* testatur, post mediam horam ab infirmo sacram particulam vomitu ejectam fuisse: & in praxi nemini, præsertim sacerdoti, qui etiam species vini, quæ tardius corrumpuntur, sumpsit, suaderem, ut extracalam prævalentis necessitatis medicinam acciperet, quæ vomitum causeret, quin horam saltem

saltem à communione effluxerit; quod etiam ante horam à communione elapsam non faciendum censet Tamburinus *loco modo citato*.

253. Quia autem ratione, vel occasione corruptionis istarum specierum, homo nutritur, id utique non provenit ab accidentibus, quæ non nutriunt: minus id procedit à substantia corporis Christi, quæ venit à substantia in hominem; unde Deus in eo casu supplet defectum materię, vel novam creando: vel, ut alii volunt, eam, quæ prius in pane, & vino, destructa erat, creativè reproducendo.

254. Quæres, cum in SS. Eucharistia quandoque appareat Christus, quid tenendum de miraculosis hujusmodi apparitionibus? Resp. S. Thomas *3. p. q. 76. a. 8. in corp.* varios casus distinguit, & docet, quod, si Christus tantum unius talis videatur, probabilius mutatio tantummodò fiat ex parte sensuum videntis: quod idem dicendum, si apparitio non sit constans, sed tantum ad breve tempus, post quod hostia iterum appareat more aliâ solito. Quod si vero apparitio sit universalis, & constans, S. Doctor, contra aliquos, volentes tunc videri ipsam speciem propriam corporis Christi, cenet, fieri mutationem miraculosam circa aliqua accidentia hostiæ, e. g. figuram, & colorem, manentibus tamen prioribus dimensionibus panis, ac vini: & obhas manentes (*tanquam fundamenta*, ut S. Doctor *in corp. ait, aliorum accidentium*: vel, ut *ad 1. ait, tanquam id, quod est principale.*) mutatis licet aliis, infert Angelicus manere Christum: quod confirmat ex eo, quod eadem reverentia exhibeatur ei, quod tunc apparet, quæ prius exhibebatur sacræ hostiæ, sub panis specie visibili. Hæc S. Doctor *loco citato*.

ARTICULUS VI.

Solvuntur Objectiones.

255. **B. I.** Concilium Lateranense, & Tridentinum, non dicunt manere accidentia, sed species: ergo potest dici, vel quod Christus præsens, destructo pane, faciat omnes actiones, quas panis tanquam objectum causeret in sensibus: adeoque æquivalenter adint species: vel potest dici, quod per species intelligantur species expressæ, seu ipsæ sensationes: ergo non debent admitti accidentia absoluta in sensu peripateticorum. Confir. Ipse S. Thomas sic explicat miraculosas apparitiones Christi, e. g. apparentis sub specie carnis in sacra hostia: ergo etiam potest ita explicari altera apparitio miraculosa sub specie panis.

256. Resp. neg. conf. Ex dictis *n. 235.* & *249.* satis patet, quod per species à Concilio intelligantur accidentia absoluta. Deinjuxta hanc sententiam, primò non daretur

conversio illa mirabilis, quam Tridentinum, & Lateranense, tantopere prædicant; quia non daretur ullum commune tertium, nec remaneret species, vel quidquam aliud ex pane, aut vino. Secundò, Sacramentum Eucharistie non esset permanens; quia, quando esset Christus clausus in tabernaculo obferato, neque darentur illæ actiones, seu impressiones Christi, nec illæ sensationes, adeoque profus nihil præter solum Christum, qui tamen solus non est sacramentum.

Tertio, Etiam non existerent species illæ sine subiecto substantiali, ut patet; nam reciperentur eæ actiones, vel sensationes, quandoque darentur, in potentia sensitiva substantiali. Quarto, Tridentinum *sess. 13. can. 3.* docet, *sub singulis cujusque speciei partibus, separatione facta, totum Christum contineri*: sed non videtur ullo modo congruè explicari posse in hac sententia, quid sit pars speciei; nam ubique esset Christus totus operans: ergo.

257. Ad confirm. neg. conf. S. Thomas *3. p. q. 76. a. 8.* ubi hæc de re ex professo agit, expressè *ad 1.* dicit, quod ad hoc, ut in tali hostia maneat Christus, tanquam verum sacramentum, vel debeant manere omnes qualitates sacramentales (quando scilicet tantum sit aliqua mutatio in oculo videntis; quæ tamen mutatio nullo modo censetur à S. Doctore esse species sacramentalis, aut constitutiva sacramenti: sed hoc in isto casu juxta ipsum constituitur ex speciebus panis adhuc præsentibus in ipsa hostia) vel debeant manere saltem aliqua qualitates, aut dimensiones panis: ut nempe semper maneat saltem aliqua species & aliqua accidentia, quæ, ut *ibi in corp.* ait S. Doctor, *sunt fundamenta aliorum accidentium*: seu, prout *ad 1.* ait, ut in tali casu species maneat secundum id, quod est principale in eis. Unde ad hoc sacramentum Angelicus manifestè exigit species, quas dein *eodem art. ad 3.* statim vocat *accidentia*.

258. Dices 1. Posset ab adversariis nostris dici, quod maneat species eadem, non physicè, sed moraliter: ergo. Resp. neg. ant. Si non maneat eadem species physicè, non datur ullo modo conversio, seu transsubstantiatio propriè dicta, nec etiam sacramentum Eucharistie est permanens, ut patet ex modò dictis. Nec est paritas cum flavio, qui dicitur manere idem, licet non maneat eadem physicè aqua; nam fluvius dicitur alveum determinatè, & aliquam aquam fluentem per alveum indeterminatè; quamdiu ergo manet hoc complexum, scilicet idem physicè alveus, & aliqua semper aqua, fluens per alveum, rectè dicitur manere fluvius.

At sacramentum SS. Eucharistie dicitur, non tantum determinatè Christum, sed etiam determinatè species panis, per consecrationem conversi: adeoque paritas hæc est nulla. Sed nec dicas, per species posse intelligi modos, seu modificationes corpusculorum;

lorum; nam, vel intelliguntur modificationes corpusculorum corporis Christi Domini: & hæc non sunt species panis, nec remanent ex pane, nec sic datur conversio: vel intelliguntur modificationes corpusculorum panis: & hæc non possunt manere destructo pane; est enim modis essentialia inhærentia actualiter suo modificato.

259. Dices 2. Species non possunt esse accidentia absoluta: ergo debent esse modi. prob. ant. si essent talia accidentia absolute existentia, tunc essent res: sed non sunt res: ergo prob. mi. ex hymno Ecclesiæ *Lauda Sion Salvatorem*. in quo dicitur: *Sub diversis speciebus, signis tantum, & non rebus, latent res eximia*: ergo species non sunt res. Resp. Scio equidem, atomistas quosdam eò devenisse, ut negarent sensationes, intellectiones, modos, aut modificationes rerum &c. esse aliquid distinctum à principio sentiente, vel intelligente, aut modificato: cum autem manifestè detur inter ista separabilitas antecedens, & consequens, manifestum etiam est, eas sensationes, intellectiones, modos, seu modificationes, esse aliquid realiter distinctum à principio, vel modificato, & consequenter esse in se aliquid physicum, seu esse res, accipiendo hanc vocem in significatione transcendentali, in qua res significat tantum aliquid physicum: ergo etiam adversarii ipsi, qui hoc argumentum obijciunt, debent idem solvere.

260. Resp. in forma. dist. ant. Species essent res, accipiendo hunc terminum, tantum in significatione transcendentali, pro entitate physica. conc. ant. accipiendo eum in significatione restricta, pro re substantiali, in qua adhibetur in objecto hymno, etiam ratione metri. neg. ant. & conf. Et in dicto sensu transcendentali S. Chrysostomus *homil. 60. ad populum Antiochenum*, quæ est de *summentibus indignè Divina, & sancta mysteria*, ait: *Nihil enim sensibile nobis Christus tradidit: sed sensibilibus quidem rebus* (hoc est, accidentibus) *at omnia intelligibilia*: ita versio, ex qua desumpta est lectio IV. *Brevitarii Dom. infr. octavo. Corp. Christi*. alia versio habet: *Sed res quidem sensibiles, omnes autem intelligibiles*.

261. Ob. 2. Potest dici, Concilia per species intellexisse corpuscula: vel superficialia panis, & vini: vel alia in poris panis, & vini latentia: ergo nondum debent admitti accidentia absoluta. Resp. neg. ant. quoad utramque partem. Prima pars apertè refellitur ex Tridentino *sess. 13. c. 4.* ubi definitur, *conversionem fieri totius substantia panis, in substantiam corporis Christi Domini nostri, & totius substantia vini in substantiam sanguinis ejus*. item ex formula Tridentini professionis fidei, ubi sic habetur: *Prosteor . . . ferique conversionem totius substantia panis in corpus, & totius substantia vini in sanguinem, quam conversionem Catholica Ecclesia transubstantiationem appellat.*

Ex his apertè inferitur, quòd non maneat ulla corpuscula panis, aut vini, & multò minus maneat tam multa, seu tot, quot juxta adversarios debent manere, quæ scilicet occuparent omne spatium, quòd prius panis, & vinum occupabant; nam dicere, quòd pauciora remanentia ita extendantur, vel rarefiant, vel replicentur, ut illud spatium totum occupent, est prorsus arbitrariò, & sine omni ratione & autoritate, imò contra auctoritatem communissimam, communissimumque fidelium sensum, fingere miraculum hucusque profus incognitum.

262. Secunda pars antecedentis objecti refellitur sic. Primò hac ratione iterum non daretur conversio; quia corpuscula in poris panis, aut vini latentia, non spectabant ad ipsum panem, vel vinum: adeoque in eo casu non daretur commune tertium. Secundò. Illa corpuscula non possent esse tam multa, ut omne id spatium occuparent, quòd prius occupavit totus panis, & totum vinum; nisi iterum recurreretur ad miraculum nemini suspicabile.

Tertiò. Corpuscula illa non possunt in ullo sensu usitato dici species; quis enim unquam somniavit, aërem in poris e. g. ligni existentem, posse dici species ligni? Sed nempe ad hæc penitus incredibilia asserenda adiunguntur consequentià suæ doctrinæ ij, qui ubique queruntur, à nobis imperceptibilia dici. Quartò. Christus non est ibi, ubi prius non fuit panis, vel vinum: atqui in poris panis, vel vini, non fuit panis, aut vinum, ut est manifestum: ergo neque ibi, seu in illis corpusculis est Christus.

263. Ob. 3. Ipsa corpuscula corporis Christi sunt species Eucharisticæ: ergo istæ non debent esse accidentia absoluta. prob. ant. si hoc non dicatur, non potest explicari, quomodo ipsum corpus Christi immediate tangatur, gustetur, aut sentiatur: sed hoc debet explicari: ergo. prob. mi. SS. Patres dicunt, Christum Dominum in Eucharistia immediate tangi, videri, comedi &c. sic S. Chrysostomus *homil. 60. ad populum Antiochenum* ait: *Ecce eum vides, ipsum tangis, ipsum manducas. Et tu quidem vestimenta cupis videre: ipse vero tibi concedit, non tantum videre, verum & manducare, & tangere, & intra te sumere* (alia versio habet *suscipere*) ergo.

Resp. neg. ant. quod non videtur posse ullo modo sustineri. Primò; quia sic nulla daretur conversio, nec remaneret species panis, & vini: quæ duo tamen sunt huic sacramento essentialia. Secundò; quia doctrina Ecclesiæ circa species Eucharisticas apertè supponit, eas esse aliquid, quòd prius fuit in pane, vel vino: quòd cum hac assertionem concordari non potest. Tertiò; quia, si corpuscula corporis Christi ita combinentur, ut referant panem, non tantum quoad externam speciem, seu colorem, aut magnitudinem, sed etiam quoad saporem, odorem, gravitatem, levitatem, calorem, frigus &c. quid deest juxta adversarios, quò minus corpusculu;

puscula, seu corpus Christi, fiat verè physice panis?

Cum enim formam substantialem atomistæ non admittant, assignare nil poterunt, quò minus corpuscula illa verè fiant panis (quòd est prorsus falsum) quòd enim hæc combinatio corpusculorum Christi sit secunda, nil obest; nam utique panis potest, & debet fieri simpliciter ex aliis mixtis præcedentibus, ex quibus corruptis generatur, vel oritur triticum, adeoque potest, ac debet sæpe fieri per secundam combinationem corpusculorum.

264. Ad prob. ant. neg. mi. Est inauditum in scholis Theologicis, quòd Christus in Eucharistia sit sensibilis, ita immediate, ut nec mediant accidentia. Certè etiam alia substantia, quæ habent sibi naturaliter unita accidentia, non cadunt sub sensum, nisi ratione ipsorum accidentium; neque enim sensus potest cognoscere immediate in se substantiam, etiam materialem: sed eam percipit, aut cognoscit ratione qualitatam sensibilibus ei innærentium, quæ immediate à sensu percipiuntur; sic enim habet Angelicus. 3. p. q. 77. a. 2. ad 4. *Dicitur autem materia sensibilis ex hoc, quòd subjicitur sensibilibus qualitatibus*. Unde, quia nulla substantia potest à sensu percipi, nisi mediantibus qualitatibus, ista mediatio in æstimatione morali non attenditur, & id, quòd sentitur nulla mediante alia substantia, dicitur immediate sentiri: sic dicitur ignis immediate sentiri, quamvis immediatè sentiatur calor.

Ad prob. mi. neg. ant. si per immediate sentiri intelligatur sine mediis accidentibus: & ad S. Chrysostomum dico, eum per illa verba citata: *Eum vides, ipsum tangis &c.* aliud non velle dicere, quam Christum sub accidentibus verè adesse; quòd enim non velit, Christum per sensum percipi, etiam nullis intervenientibus accidentibus, clarum est ex eadem homilia, in qua paulò antè præmittit: *Assentiamur, & credamus, & intellectibus ipsum oculis intruamur*: vel, ut paulò aliter habet alia versio: *Et pareamus, & credamus, & intellectibus ipsum oculis intruamur*: ergo non vult, nos posse eum immediate intueri in se, oculis externis, seu sensitivis. Adit S. Pater verba jam supra n. 260. adducta: *Nihil enim sensibile nobis Christus tradidit, sed sensibilibus quidem rebus: at omnia intelligibilia*: ergo non ipse Christus, sed tantum species, sub quibus se tradidit, sunt immediate in se sensibiles.

265. Dices 1. Berengarius Archidiaconus Andegavensis in sua confessione fidei, quæ ab ipso facta est coram Nicolao II. Papa, & Episcopis pluribus in Synodum congregatis, & habetur. *Cap. Ego Berengarius. 42. de consecrat. dist. 2.* sic loquitur: *Prosteor . . . post consecrationem non solum sacramentum, sed etiam verum corpus, & sanguinem Domini nostri Jesu Christi esse, & sensualiter non solum sacra-*
R.P. Ant. Mayr Theol. Tom. II

mento (alia lectio clarius habet in *sacramento*) *sed in veritate manibus sacerdotum tractari, frangi, & fidelium dentibus atteri*: & hæc confessionem Pontifex approbavit, quin etiam ad variorum regnorum Episcopos misit, ut (quemadmodum eod. can. habetur) *gauderent de reverso, atque converso*: ergo ipsum corpus Christi est per se, & ratione sui, immediate sensibile, immediate frangitur, immediate dentibus atteritur.

266. Resp. Glossa in hunc can. v. *Dentibus*. sic habet: *Nisi sanè intelligas verba Berengarii, in majorem incidet hæresim, quam ipse habuit: & ideo omnia referas ad species ipsas; nam de Christi corpore partes non fecimus: & Magister sententiarum l. 4. dist. 12. §. Sed quia corpus. ait: Ideoque illa Berengarii verba ita distinguenda sunt, ut sensualiter, non modo in sacramento, sed in rei veritate, dicatur corpus Christi tractari manibus sacerdotum: frangi vero, & atteri dentibus, verè quidem, sed in sacramento tantum: adeoque Magister sentit, verba Berengarii non in sacramento spectare tantum ad tractari manibus: non verò ad frangi, vel dentibus atteri: id quòd sæpe alias etiam fit, & non una etiam vice in Sacris Scripturis. vide Cornelium à Lapide in *Genes. c. 15. v. 13. & c. 49. v. 10.* & verba: *De femore ejus*.*

267. Potest etiam facile responderi, Berengarium per *sacramentum tantum* intellexisse *signum*, sicut etiam est modus loquendi Theologorum, præsertim antiquorum, qui loquentes de sacramentis distinguunt hæc tria: *sacramentum: rem sacramenti: rem, & sacramentum simul*: de quibus egimus *tract. de sacram. in genere. n. 44.* quo in sensu sacramento dicitur illud, quòd tantum significat, seu tantum est signum. Et sanè hic fuit error primus Berengarii, quòd negaverit, corpus Christi verè adesse in Eucharistia, & voluerit, Eucharistiam tantum esse signum corporis Christi.

Unde, quando in sua confessione fidei dicit, Christum, non tantum in sacramento, sed in rei veritate, tractari manibus, frangi, & dentibus atteri, tantum vult dicere, Christum Dominum verè adesse sub illis speciebus, quæ franguntur: & ipsum corpus Domini ori, vel dentibus admoveri, ac deglutiri, non verò tantum ejus signum, sive sacramentum; neque enim ulla ratione dici potest, ipsum Christi corpus frangi, sive corpuscula, Christi corpus constituentia, ab invicem separari, vel dentibus comminui; aliàs Christus non esset amplius totus sub qualibet parte speciei; cum tamen eum sub qualibet parte speciei totum esse clarè definiat Tridentinum *sess. 13. can. 3.*

268. Dices 2. In hoc sacramento falluntur sensus, ut docent SS. Patres: sed juxta nos non falluntur; quia verè percipiunt accidentia panis &c. falluntur autem juxta sententiam adversam, dum putant, se videre, aut gustare corpuscula panis, & vi-

dent, ac gustant corpuscula corporis Christi: ergo. Resp. neg. ma. cum S. Thoma *opusculo 57. seu officio de festo Corporis Christi lect. 3. sive, ut habetur in Breviario, lect. 5. in ipso festo SS. Corporis Christi*, ubi sic ait: *Accidentia autem sine subiecto in eodem subsistunt, ut fides locum habeat, dum visibile invisibiliter sumitur, aliena speciositate occultatur: & sensus à deceptione redantur immunes, qui de accidentibus iudicant sibi notis*: ergo strictè loquendo, non sensus, sed tantum intellectus, naturalibus viribus relictus, fallitur, dum ex ea sententia inferit, adesse panem: quod solum volunt indicare SS. Patres, si quando videntur dicere, in SS. Eucharistiæ sacramento sensus nostros decipi.

269. Dices 3. Corpuscula aquea possunt ita combinari, ut repræsentent glaciem: ergo etiam corpuscula carnea Christi possunt ita combinari, ut repræsentent panem: ergo potest dici, quod species Eucharisticæ sint corpuscula corporis Christi Domini. Resp. 1. Corpuscula aquea, ita combinata, sunt reverà glacies: ergo etiam corpuscula Christi Domini erunt reverà panis: quod est hæreticum.

Resp. 2. neg. suppositum, scilicet, quod glacies sit aliud, quam aqua; est enim formalissimè aqua, sed informata accidente violento; sicut est formalissimè aqua, quamvis sit calefacta, seu informata calore violento. Sic etiam ferrum ignitum, & flexile, est idem cum frigidò, & rigido. Aliud est, quod aqua glaciata non immediatè sit idonea ad omnes usus, e.g. ad potum, aut ablutionem: at propterea non tollitur ab ea ratio aquæ: sicut etiam, quando est calida, non est utilis ad refrigerandum, & tamen manet aqua. Resp. 3. Quidquid sit, an corpuscula carnea Christi, ratione potentia obedientialis, seu quodlibeticæ, possint ita modificari, seu combinari, ut panem repræsentent, tamen id defecto non fit, ut efficaciter probavimus; tum ex eo, quod accidentia absoluta debeant admitti; tum ex eo; quod juxta opinionem adversam, nec conversio Eucharistica posset explicari, nec accidentia remanent, nec Christus, exclusis accidentibus, esset sensibilis &c.

270. Dices 4. Pronomen *hoc* non potest significare accidentia: ergo debet significare corpus Christi: ergo istud debet immediatè esse sensibile sine accidentibus. Confir. Si Christus in Eucharistia esset involutus accidentibus, non esset ratio, quare, si quid de speciebus Eucharisticis, præfertim vini, decidat in terram, debeat ista radi, aut lavari &c. ut jam præcepit S. Pius I. Papa, & Martyr, qui *an. 156. rexit Ecclesiam*: sed hoc non potest admitti: ergo. prob. mi. si cadit in terram tantum ciborium, vel si etiam caderet sacer calix, quin tamen effunderetur sacra hostia, vel sacer sanguis, non esset ratio, cur terra lavaretur, aut raderetur: ergo etiam non esset ratio lavandi, aut radendi terram, si caderet in eam Christus, accidentibus involutus; quia,

sicut in priore casu immediatè terram tangerent tantum ciborium, aut calix, ita in isto tantum terram tangerent accidentia.

271. Resp. conc. ant. & 1. conf. neg. 2. dam. Etiam, quando digito intendo Petrum, & dico: *Hic est Petrus*; iste, licet subsistans suis accidentibus, tamen significatur; nam pronomen *hoc* ex sua institutione significat id, quod subsistat accidentibus, quæ immediatè sub sensu cadunt. Et sic etiam per pronomen *hoc* in forma Eucharistica significatur corpus Christi: non tamen significatur, illud existere sine accidentibus. Ad confir. neg. ma. Isti adversarii; quia nisi corpuscula cogitant, imaginantur sibi accidentia quasi aliqua corpuscula, mediania inter terram, & corpus Christi, sicut argentum ciborii, vel calicis.

At longè aliter se habent accidentia; nam ista non mediant, sicut aliquod involucrum substantiale: sed substantia corporis, & sanguinis Christi, est ubique compenetrata cum ipsis, & ubi est aliqua particula accidentium, ibi etiam est corpus, & sanguis Christi: ergo merito lavatur, & raditur terra, ne aliquid de accidentibus, & consequenter ipse Christus in terra jacens permaneat, fortè cum gravi irreverentia pedibus terendus. Non autem ita Christus est compenetratus cum calice, vel ciborio: adeoque est disparitas latissima.

272. Ob. 4. Impugnando nostras probationes. Concilium Constantiense non definivit, manere accidentia absoluta sine subiecto: ergo probatio, ex illo Concilio desumpta, est nulla. ant. prob. Cardinalis Petrus de Alliaco, seu de Ailly, Episcopus Cameracensis, qui interfuit Concilio Constantiensi, in *4. sent. q. 6. n. 3. de hoc puncto*, an nempe dentur accidentia absoluta, sic scribit: *Istud autem secundum, nec est evidens, nec est in Scriptura expressum, nec ab Ecclesia determinatum*: ergo hac de re nihil est definitum à Concilio.

Resp. Cardinalem hunc suas quæstiones jam edidisse ante Concilium Constantiense, adeoque, etsi tunc nihil adhuc definitum fuisset, potuit in ipso Concilio aliquid definiri. Ratio autem hujus asserti est; quia hic Cardinalis natus est *an. 1350. inde diu prælegit Theologiam in Sorbona*, cujus etiam cancellarius fuit, tuncque discipulum habuit celeberrimum Joannem Gersonem: postea interfuit Concilio Constantiensi (quæ omnia de eo testatur Morerius in *dictionary historico. v. D. Ailly*). Cum autem Concilium hoc inchoatum fuerit 5. Novembris *an. 1414. Petrus tunc jam fuit 64. annorum, & an. 1418. quo Concilium fuit finitum*, ille jam fuit 68. annorum.

Quis autem credat, quod tunc primum (quod jam erat senectio, & oneratus negotiis gravissimis sui Episcopatus, atque insuper etiam aliis, à rege Carolo VI. cui æstimatissimus fuerat, adhibitus) scripserit lucubrationem suam in libros sententiarum,

ultimis vitæ annis? certè non nisi octo anni post finem Concilii Constantiensis ei superfuerunt; nam testè Bellarmino de *scriptor. Ecclesiast.* obiit *an. 1426.* Unde longè credibilis est, quod in libros sententiarum scripserit, quando adhuc erat Doctor Sorbonicus: atque per eam scriptionem sibi gradum fecerit ad honores Ecclesiasticos, & ipsum Cardinalatum, ad quem teste eodem Morerio, à Joanne XXIII. promotus est *an. 1411. ætatis suæ 61.*

273. Accedit, quod hic Cardinalis loco obiecto nullam prorsus mentionem faciat Concilii Constantiensis, quam tamen certissimè, ea occasione opportunissima, fecisset, si post illud scripserit, & uti debuisset, in recenti memoria habuisset damnationem propositionum Wicleffianarum. Addendum insuper, quod in *purpura doctæ l. 3. n. 2.* ubi agitur de hoc Cardinale, referatur, à Pico Mirandulano refutatum fuisse hujus Cardinalis Alliacensis *opusculum de concordia Theologia cum Astronomia, & Historia*: quod, ut eibidem dictis videtur colligi, primum tenex conscripsit, ut adeo etiam ei non fuerit tempus, quæstiones in libros sententiarum tunc primum conscribendi: quare hæc auctoritas prorsus immerito contra nostram sententiam afferitur.

274. In forma dist. ant. Concilium Constantiense non definivit evidenter, seu non est evidens, quod definiverit, accidentia manere sine subiecto. om. ant. non est incomparabiliter probabilis, quod id definiverit. neg. ant. & consequ. Ex hoc autem, quod non dicamus, esse evidentem definitionem Concilii, seu non esse evidens, quid intellexerit per accidentia, sequitur, quod neque dicamus, sententiam oppositam, de qua disputamus, esse hæreticam; ad hanc enim censuram ferendam requiritur, ut definitio Ecclesiæ sit clara, & aperta. Interim tamen manet, semper incomparabiliter probabilis, quod Concilium definiverit nostram sententiam.

Quin etiam nostram sententiam positive amplectitur ipse Cardinalis Alliacensis *loc. cit.*; nam in primis nullo modo approbat sententiam oppositam, sed de ea tantum dicit: *Dubium est, utrum debeat haberi tanquam hæretica.* & infra: *Quarta, & communior opinio, & cui favet magis doctrina Ecclesiæ, est, quod in sacramento accidentia, quæ fuerunt panis, remanent sine subiecto, & in illis fit fractio: & hanc teneo.* & iterum paulo post. *Credit Aristoteles, quod tale accidens non haberet esse, nisi per inesse, & sic, quod non posset esse, nisi inesse: sed hoc non est verum secundum fidem.*

275. Dices. Sententia opposita toleratur à Pontificibus, quod non feret, si opponeretur definitioni Concilii Generalis. Resp. Pontifices multa tolerant, quin approbent, ut clarè patet ex decreto Innocentii XI. 2. Martii. *an. 1679.* ubi *sub finem* sic ait: *Non intendens tamen Sanctitas*

sua per hoc decretum alias propositiones, in ipso non expressas, & Sanctitati suæ quomodolibet, & ex quacunque parte exhibitas, vel exhibendas, ullatenus approbare. Sed neque Pontifices statim solent, damnare sententias, quæ non omnino clarè sunt oppositæ definitionibus Ecclesiæ &c.

Unde ex eo, quod propositio, vel sententia aliqua, non sit damnata à Pontifice, minimè sequitur, eam non posse impugnari definitionibus Conciliorum, sicut & textibus Sacræ Scripturæ; nam cujuslibet auctoris, volentis aliquam sententiam defendere, est ostendere, eam, nec Conciliis, nec Sacris Scripturis repugnare: & si quis exciperet, suam sententiam non esse damnatam à S. Sede, adeoque his argumentis impugnari non posse, latis ineruditum se monstraret.

276. Ob. 5. Ex damnatione propositionis 2. Wicleffi nihil inferitur pro stabiliendis accidentibus absolutis: ergo etiam nihil inferitur pro iisdem ex Concilio Constantiensi. prob. ant. propositio illa habet hunc sensum: *Accidentia panis manent, & manent eorum subiectum*: ergo contradictoria, quæ vi definitionis Concilii debet esse vera, est ista: *Vel non manent accidentia, vel non manent eorum subiectum*: sed hæc propositio disjunctiva est vera, etiam si non dentur accidentia absoluta: ergo ex damnatione illius propositionis nihil inferitur pro accidentibus absolutis. prob. mi. subsumpta. ut notum est ex summulis, ad veritatem propositionis disjunctivæ sufficit veritas unius membri: atqui etiam juxta adversarios, qui negant accidentia absoluta, verum est saltem alterum membrum, quod nempe non maneat subiectum accidentium, seu panis: ergo.

277. Resp. 1. Cur non dicunt, verum etiam esse primum membrum; nam juxta adversarios accidentia non manent, saltem propriè, & in sensu Conciliorum talia? Resp. 2. neg. ant. Certè ille sensus non fuit intentus à Wicleffo, ut patet ex dictis *n. 247.* de recitatis ejus hæresibus ex charta papyracea, ex quibus habetur, eum locutum fuisse in sensu, in quo tunc omnes Theologi de accidentibus loquebantur; cum iis omnibus voluerit contradicere.

Dein propositio damnata est negativa; unde vel negat subiectum, estque de subiecto non supponente: adeoque negat accidentia, & consequenter Concilium econtrario ea adstruit: vel (quod intentioni Wicleffi conformius est, ex dictis *n. 247.*) negat de subiecto prædicatum; debetque explicari, sicut ista: *Petrus non venit sine socio*: quæ juxta omnes summulis significat: *Vel Petrus omnino non venit, vel, si venit, venit etiam aliquis ejus socius.* Hinc etiam ista propositio: *Accidentia non manent sine subiecto*: significat: *Vel non manent accidentia, vel, si manent, manent etiam eorum subiectum*: quæ propositio cum sit apertè disjunctiva, ejus contradictoria ex summulis debet esse copulativa, scilicet ista:

Manent accidentia, & si maneat ista, tamen non manet eorum subiectum. Et hæc propositio copulativa est doctrina à Concilio definita, quæ vera non est, nisi dicatur, dari accidentia absoluta.

278. Dices i. Concilium damnavit hæresim Wicleffi circa SS. Evcharistiam, per modum complexi in duabus primis propositionibus, citatis n. 246. adeoque sufficit, si negetur illud complexum: sed hoc fit negativa parte, scilicet negata permanentiâ panis, quam etiam adversarii negant: ergo. Resp. neg. ma. Concilium clarissimè distinguit hæreses Wicleffi circa SS. Evcharistiam, easque per tres omnino distinctas propositiones damnat, quarum duas dedimus cit. n. 246. tertia autem est ista: *Christus non est in eodem sacramento identice & realiter, in propria presentia corporali.* Cur non dicunt adversarii, quod omnes tres hæreses damnatæ sint tantum per modum complexi, adeoque sufficiat, negare tantum unam partem hujus complexi, ex tribus constituti? quoposito sufficeret, juxta hunc modum arguendi, profiteri Christum, realiter esse presentem in Evcharistia, quamvis non negaretur, adesse panis: quod est apertè hæreticum.

279. Dices 2. Hæc quæstio est tantum philosophica: ergo Concilium, quod tantum sollicitum fuit de quæstionibus Theologicis fidei, eam non definiit. Resp. dist. ant. est quæstio philosophica, quæ tamen arctè connectitur cum quæstione Theologica, seu fidei de SS. Evcharistia. conc. ant. quæ non ita connectitur. neg. ant. Quæstiones philosophicas, sed connexas cum Theologicis, multas hinc inde deciderunt Concilia.

Sic in Lateranensi sub Leone X. *sess. 8. in Bulla. Apostolici regimini.* definitum est, animam rationalem esse immortalem etiam secundum philosophiam, quod quidam negabant; licet admitterent, ejus immortalitatem ex principiis fidei probari. Et certè multa, quæ Plato, Aristoteles, & Empedocles, ignorarunt quoad naturas rerum, ex principiis fidei discere debuimus, e. g. possibilitatem replicationis, & compenetrationis corporum &c. Hinc, si etiam ex principiis naturalibus solis non possit satis clarè ostendi possibilitas, vel existentia accidentium absolutorum, ea sufficenter probaretur argumentis Theologicis.

280. Ob. 6. Possit dici, dari unum accidens, nempe quantitatem, à cujus modificationibus proveniant illæ sensationes omnes, quas circa SS. Evcharistiam experimur: ergo. Resp. neg. ant. In primis hæc sententia, cum jam admittat possibilitatem accidentium absolutorum, non potest pro se afferre ullum argumentum, ad speciem efficaciam, nisi solum negativum: hoc autem non debet prævalere judicio omnium Theologorum, & Patrum, ex quorum scriptis, & modis loquendi, nisi prorsus violentè torquantur, inferuntur plura accidentia, quæ etiam adstruunt Concilia; cum interim

sola quantitas sit tantum unum accidens, non plura accidentia.

Neque verum est, quod ex SS. Patribus tantum colligi possit, manere aliquem statum accidentalem sensibilem panis, in quocunque tandem iste consistat; cum expressè explicent statum sensibilem, & dicant manere odorem, saporem, dimensionem, pondus, seu gravitatem, & figuram panis: quod autem omnia ista consistant in sola quantitate, SS. Patres nunquam cogitarunt: imò cum ijs S. Thomas 3. p. q. 77. a. 2. arg. 4. & ad 4. ea accidentia vocat qualitates, inter quas non habet locum quantitatem.

281. Dices. Non asserit ista opinio, manere solam quantitatem panis, sed insuper ait, manere ejus modificationes, quæ sunt plura accidentia. Sed contra est. Hæc modificationes aliud esse non possunt, nisi certæ ubicationes, vel uniones continuativæ partium quantitatis: quis autem unquam ex antiquis doctoribus, vel etiam modernis, aut quis ex aliis fidelibus, nisi præoccupatus adversâ sententiâ, unquam sibi persuasit, odorem, saporem &c. aliud non esse, nisi ubicationem, vel unionem quantitatis? Ostendant adversarii vel minimum hujus rei indicium in scriptis antiquorum.

Nec dicant, figuram etiam juxta nos esse duntaxat modum quantitatis; nam fideles omnes, & multò magis doctores, facile capiunt, & implicitè saltem asserunt, figuram aliud non esse, quam certum situm partium necessarium, & negationem redundantium &c. At non ita judicant de aliis accidentibus, etiam non ita de coloribus, ad quos neoterici quoque requirunt saltem lucem. Sed nec isti modi sunt qualitates, saltem non sunt immediatè, & ratione sui sensibiles, quales tamen qualitates in SS. Evcharistia dari communissima sententia tradit cum S. Thoma 3. p. q. 77. a. 2. arg. 4. & ad 4. Multò minus sunt qualitates alterantes, quales tamen esse species, seu accidentia Evcharistica, apertè supponit S. Thomas 3. p. q. 77. a. 1. in corp. absque dubio ex mente etiam aliorum suo tempore auctorum: adeoque per solam quantitatem, quomodocunque modificatam, non habentur ex species, vel ea accidentia, quæ juxta communem fidelium sensum, itèmq; ad mentem doctorum, ac Patrum, in SS. Evcharistia debent admitti.

DISPUTATIO II.

De Necessitate, & Effectibus SS. Evcharistia.

282. **M**ultum, & diu, de necessitate, & effectibus SS. Evcharistia, disputatum fuit in Concilio Tridentino: & quidem in sessione XIII. an. 1551. sub Julio III. 11. octob. celebrata, cum necdum videretur res factè discut-

discussa, factum est decretum (quod habetur post illius sessionis canones, & decreta de reformatione) vi cuius etiam prorogabatur definitio quatuor articulorum. 1. *An necessarium sit ad salutem, & Divino jure præceptum, ut jinguli Christi fideles sub utraque specie ipsum venerabile sacramentum accipiant.* 2. *Num minus sumat, qui suo altera, quam, qui sub utraque communicat.* 3. *An erraverit sancta Mater Ecclesia, laicos, & non celebrantes sacerdotes, sub panis specie duntaxat communicando.* 4. *An parvuli etiam communicandi sint.* Et duravit ea prorogatio hujus definitionis undecim annos, donec tandem an. 1562. 16. Julii. sub Pio IV. *sess. 21.* per quatuor capita, & quatuor canones, hi articuli definiti sunt.

Similiter & de effectibus hujus sanctissimi sacramenti multa agitata sunt, præsertim *sess. 13. c. 2.* ubi multi ejus effectus numerantur, & can. 5. anathema dicitur ei, qui dixerit, *præcipuum fructum sanctissimi Evcharistia esse remissionem peccatorum, vel ex ea non alios effectus provenire.* Ex his ea, quæ nostris in scholis tractari solent, paulò pluribus modò elucidabimus. Quare sit

QUÆSTIO I.

De Effectibus SS. Evcharistia.

ARTICULUS I.

Quando SS. Evcharistia causet Gratiam.

283. **D**E effectibus hujus sanctissimi sacramenti Tridentinum sic loquitur *sess. 13. c. 2.* Sumi autem voluit Saluator sacramentum hoc, tanquam spirituales animarum cibum, quo alantur, & confortentur viventes vitâ illius, qui dixit: *Qui manducat me, & ipse vivet propter me: & tanquam antidotum, quo liberemur à culpis quotidianis, & à peccatis mortalibus prævertemur. Pignus præterea id esse voluit futura nostra gloria, & perpetua felicitatis.* Rursus de effectibus ejusdem sacramenti loquens Catechismus Tridentini §. de multiplici, & admirabili fructu tanti sacramenti. sic habet: *Nam quos usus corpori panis, & vinum affert, eos omnes animæ salutis, & jucunditati, ac meliori quidem, ac perfectiori ratione, Evcharistia sacramentum præbet.* & S. Thomas 3. p. q. 79. a. 1. in corp. ait: *Omnem effectum, quem cibus, & potus materialis facit, quantum ad vitam corporalem (quod scilicet sustentat, auget, reparat, & delectat) hoc totum facit hoc sacramentum, quantum ad vitam spirituales.*

284. Itaque sanctissimum hoc sacra-

mentum confert animæ sustentationem, ne deficiat: itèmq; animam corroborat contra incursum dæmonum: tollit quoque infirmitates peccatorum venialium, & debilitates relictas à mortalibus, postquam hæc per poenitentiam deleta sunt. Reparatur quoque vires animæ perditas, conferendo novas vires, seu gratias, quibus etiam facit animam crescere, & augeri quoad gratiam, & habitus virtutum. Sed & delectat, ingerendo animæ spirituales dulcedinem devotionis, & uniendo eam Christo Domino, ac tranquillitatem conscientia causando, atque præbendo pignus æternæ gloriæ &c. quæ sibi prosequitur Tannerus tom. 4. *disp. 5. q. 7. dub. 1. n. 2.*

Hos autem, & alios effectus omnes causat SS. Evcharistia sacramentum, causando gratiam, quam cum causent omnia sacramenta (ut probatum *tr. de sacram. in genere à n. 225.*) multò magis causat istud, in quo realiter adest ipse author gratia. Causat autem SS. Evcharistia gratiam, per se quidem secundam; cum sit sacramentum vivorum: at, per accidens potest etiam causare primam, ut probatum est *tr. de sacr. in genere à n. 302.* Quærimus jam, quando causet gratiam, ad quam quæstionem.

285. Dico i. Sacramentum SS. Evcharistia tunc causat gratiam, quando datur ejus manducatio, vel potatio, communis. Prob. Promissiones Christi, de danda per hoc sacramentum gratia, semper respiciunt manducationem, vel potationem: ergo. prob. ant. sic *Joan. 6. v. 52.* dicitur: *Siquis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum.* & v. 55. *Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam:* similes alii textus habentur adhuc eodem loco: sed verba hæc debent explicari ad literam: ergo.

Confirm. Licet hoc sacramentum non consistat in usu, tamen usus est applicatio ejus; sicut ergo cætera sacramenta non causant gratiam toto tempore, quo fiunt, sed tunc, quando verum est, eorum usum esse completum, ita etiam censendum est de Evcharistia, eam causare gratiam, quando ejus usus est completus; cum quoad hoc non sit ulla ratio specialis discriminis, inter hoc, & alia sacramenta: qualis tamen ratio potest afferri circa alia, in quibus differt Evcharistia ab aliis sacramentis.

286. Manducatio autem, vel potatio, non jam datur tunc, quando corpus, vel sanguis Domini, ponitur in ore; nam manducatio, vel potatio, significat vitalem tractionem cibi, vel potus in stomachum: certè, ut rectè Cardinalis de Lugo de Evcharistia *disp. 12. sec. 2. n. 28.* ait, non cenetur manducasse, qui cibum tantum ori imponit, & iterum statim eximit: imò censetur talis jejunos: quin etiam talis imponens sacram hostiam in os, & iterum eximens non censetur jam implevisse præceptum communionis. Insuper, si talis jam posset dici manducasse, non esset ratio, qua-

re ægris, pronis ad vomitum, vel impotentibus aliquid deglutire, non poneretur sacra Eucharistia, saltem in os, & brevi retraheretur.

Quando autem manducatio perficiatur, & compleatur, litigant authores. Aliqui videntur velle, eam tunc perfici, quando cibus attingit inferiorem partem œsophagi: alij volunt, eum debere attingere stomachum. videatur Lugo *loc. modo cit.* Res hæc non potest physicè determinari, sed morali sensu est æstimanda: saltem non requiritur, ut veniant species in fundum stomachi; quia sæpe ob alia non possunt naturaliter illuc deferri. Sed neque videtur requiri, ut tota hostia sit manducata, modo una pars specierum, sub qua jam latet totus Christus, sit manducata.

287. Dico 2. Eucharistia non causat ex opere operato gratiam tamdiu, quamdiu manet in stomacho, sive crescat interim dispositio, sive non. ita videtur sentire S. Thomas 3. p. q. 80. n. 8. ad 6. ubi ait: *Maxima devotio requiritur in ipsa sumptione hujus sacramenti; quia tunc percipitur sacramenti effectus: qua quidem devotio magis impeditur per præcedentia, quam per sequentia, & ideo magis est institutum, quod homines jejurent ante sumptionem hujus sacramenti, quam post: quæ ratio nulla foret, si etiam postea perciperetur effectus hujus sacramenti.* Eandem sententiam defendunt Dominicus Soto, Victoria, Ledesma, Vasquez, Hurtadus, Henriquez, Prapollina, Tannerus *tom. 4. disp. 5. q. 7. n. 22.* & hoc teste communiter doctores. Arriaga *tom. 7. tr. de SS. Eucharist. disp. 41. n. 9.* & ipso teste recentiores longe communius.

Probatum conclusio. Nec ex Concilijs, nec ex Patribus, nec ex communi sensu scholasticorum, potest probari, quod Christus promiserit gratiam, ratione Eucharistiæ dandam, nisi, dum manducatur: atqui, dum est in stomacho, non manducatur: ergo, mi. est clara. ma. probatur solutione objectionum, & auctoritate nostræ sententiæ longè majori. Certè ante Cajetanum, aut Gabrielem, non habet opinio contraria authorem, ut asserit Arriaga *tom. 7. tract. de Eucharist. disp. 41. sec. 2. n. 10.* Confirm. 1. Cætera sacramenta non conferunt gratiam extra usum: nec est ratio specialis pro Eucharistia quoad hoc punctum: ergo.

288. Confirm. 2. Juxta opinionem adversariorum melius esset dispositus, ad recipiendam gratiam, qui esset debilioris stomachi; quia diutius ibi durarent species: item plus acquireret gratiæ, qui plures, vel majores hostias fumeret, vel in calicem vinum copiosius infunderet: e contra malè faceret sacerdos, qui communicanti, ex rationabili aliâ causa, daret tantum dimidiam hostiam: sed hæc non debent admitti: ergo. Certè (ut testantur Tannerus *loc. n. præced. cit.* & Arriaga *disp. n. præced. citata n. 16.*) ab Inquisitoribus Hispanis rejecta est ut supersticiosa illa devotio scemina-

rum, & laicorum, qui vel majorem hostiam, vel plures petebant hostias: & Innocentius XI. illam devotionem prohibuit, edito decreto *anno 1679. 12. Febr.* quod exhibet Viva p. 2. *trutina Theol. ad prop. 16. ejusdem Innocentij XI.* Deinde sacerdotes etiam timorati, laicis, & Religiosis, dimidias tantum particulas distribuunt: in quo malè facerent, si plus gratiæ ratione majorum, vel integrorum particularum acciperetur; quia ipso gratiæ excessu immeritè fideles privarent: ergo.

ARTICULUS II.

Solvuntur Objectiones.

289. **O**B. 1. Manducatio dicitur à mandendo: hoc jam fit, dum SS. Eucharistia est in ore: ergo jam tunc datur aliquis manducatio, adeoque etiam datur gratia. Confirm. Juxta nos, si æger non omnino posset deglutire sacram hostiam: item si quis bene valens species corrumpere in ore, vel, si alicui miraculosè sacra hostia, non per os, sed per pectus ingrederetur, non perciperet gratiam: hoc videtur durum: ergo. Resp. neg. conseq. Vitium syllogismi, & quatuor termini clari sunt. Dein ex eo, quod manducatio dicatur à mandendo, non sequitur, utrumque fieri eadem in parte corporis; nam sæpe etymologia nominis deducitur à rebus, diversis, & aliquando etiam opposita significantibus.

Certè etymologia jam est bona; modo deducatur à vicinis: cum ergo mandere, vel masticare cibos, & manducare, seu comedere, sint vicina, bona est etymologia, licet non sint idem mandere, & manducare, nec eodem loco utrumque fiat. Alii deducunt manducare à comedendo: & certè animalia, quæ dentes non habent ad masticandum, ut aves, tamen manducant. Ad confirm. neg. min. Certè Ecclesia non solet præbere Eucharistiam iis, de quibus non est spes, quod eam possint deglutire. Valens sibi ipsi adscribat damnum, quod tamen est rarissimum, & vix timendum, nisi quis inepetè vellet nimis diu sacras species in ore retinere. In casu miraculoso fortè dispensat Deus, sicut dispensare videtur quandoque in aliis sacramentis, ut quando S. Amphilo-chium per Angelos fecit ordinari Episcopum, de quo. *in tr. de sac. in genere. n. 193.*

290. Ob. 2. contra 2. conclus. Christus dicit *Joan. 9. v. 5. Quamdiu sum in mundo, lux sum mundi:* ergo etiam, quamdiu Christus est in sacramento, causat gratiam. Confirm. 1. Sententia adversa est magis pia, & alliciens fideles ad sacram communionem: ergo est nostræ præferenda. Confirm. 2. Omnes judicant, post communionem esse aliquamdiu orandum: non autem hoc judicant post alia sacramenta: ergo si-gnum est, post communionem aliquamdiu augeri gratiam ex opere operato. Resp. neg.

neg. conseq. Hoc argumentum probaret, quod etiam Eucharistia in manibus deberet causare gratiam. Textus ille intelligendus est, vel de Christo, ut prædicante Evangelium: vel, si etiam intelligendus est de eo, ut contento in Eucharistia, tantum significat, quod Christus tunc semper causet gratiam, quando datur debita applicatio, id est, manducatio.

291. Ad 1. confirm. neg. conseq. Non, quod est magis pium, vel etiam magis excitat ad devotionem, statim amplectendum est ut verum: sed est attendendum, quid promiserit Christus Dominus; aliâ quoque Christus post corruptas species deberet adhuc causare gratiam, vel quando est adhuc in manibus. Ad 2. confir. neg. 2. p. ant. Utique etiam post confessionem aliquanto plus oramus, quam præcisè requiritur ad implendam poenitentiam, præsertim, si hæc modicissima sit: item adulti post baptismum grates agunt. Dein diutius longè orant fideles, vel mediocriter devoti, quam species durent. Ulterius iste instinctus longè aliunde provenit, scilicet ex debita reverentia, vel gratitudine, quin credatur augeri gratia ex opere operato.

292. Ob. 3. Cibus Eucharisticus se habet ut materialis: sed hic nutrit materialiter tamdiu, quamdiu est in stomacho: ergo etiam ille tamdiu nutrit spiritualiter, seu producit gratiam. Confirm. 1. Manducatio est applicatio cibi: & se habet, ut adductio sacerdotis ad inungendum ægrotum: ergo non est simpliciter necessaria ad effectum sacramenti. Confirm. 2. Cibus Eucharisticus in stomacho manet per manducationem applicatus: sed, quamdiu manet applicatus, tamdiu agit, id est, producit gratiam: ergo.

Resp. 1. neg. mi. Cibus materialis non nutrit, dum est in stomacho; sed primum postea, quando extra illum vertitur in sanguinem, & carnem &c. ergo deberet etiam Eucharistia primum producere gratiam corruptis speciebus, quod nemo dicit. Resp. 2. dist. mai. cibus Eucharisticus habet se ut materialis quoad aliqua. conc. ma. quoad omnia. neg. ma. & om. mi. neg. conseq. ita respondent etiam adversarij, qui (ut Arriaga *tom. 7. tr. de Eucharist. disp. 41. n. 13.* ipsis objicit) utuntur hac similitudine cibi materialis, & spiritualis, pro beneplacito, nunc eam admittendo, nunc negando.

293. Habet se itaque cibus Eucharisticus, & materialis aequaliter in hoc, quod uterque nutriat: sed non in eo, quod nutriat eodem modo: materialis, quia debet converti in alitum, non nutrit nisi corruptus: spiritualis, quia non convertitur in alitum, nutrit prius: & quidem, ut colligitur ex promissionibus Christi, & communi explicatione istarum, nutrit in manducatione.

Ad 1. confirm. neg. 2. p. antec. Adductio illa sacerdotis non est necessaria, si sacerdos jam adsit, nec huic promittit Chri-

stus gratiam, sed unctioni: est autem manducatio Eucharistiæ omnino necessaria, & huic promittitur gratia, ut colligitur ex sæpe dictis. Ad 2. confirm. retorq. argum. Etiam post baptismum aqua est applicata sæpe adhuc capiti infantis, quin causet amplius gratiam. in forma dist. ma. cibus Eucharisticus manet applicatus materialiter. conc. ma. formaliter, seu per applicationem à Christo requisitam, id est, per manducationem adhuc existentem. neg. ma. & dist. sic mi. neg. conseq.

294. Ob. 4. In sententia adversa non esset felicior, qui haberet stomachum debiliorem, ratione stomachi, sed ratione melioris dispositionis (authores enim, saltem aliqui, requirunt etiam continuationem bonæ dispositionis, seu bonorum actuum) ergo nostra ratio est nulla. Resp. neg. ant. nam primò, si ponantur utrinque æquales dispositiones, & æquali tempore durantes, certè ab eo, in cujus stomacho diutius durat præsentia Christi, plus acquiritur gratiæ ex opere operato: quod autem diutius ea præsentia duret, causa est stomachi debilior.

Secundò. Nondum per hanc responsionem solvitur, cur, supposita veritate adversæ sententiæ, damnari debuerit tanquam supersticiosa devotio, petentium plures, vel majores hostias; quia, sicut non est supersticiosus, qui citius manè surgit, ut se magis præparet ad communionem, & pro majori dispositione plus gratiæ acquirat: ita non esset superstitionis damnandus, qui peteret aliud medium augendi gratiam.

Tertiò. Ulius ille majorum, vel plurium hostiarum, damnatus est ut supersticiosus, non quod fuerit contra aliquod præceptum Ecclesiæ; nullibi enim extabat tale præceptum: nec quasi esset irreverentia facta sacramento; quia nulla apparet: ergo juxta adversarios nulla esset ratio eum damnandi. Quartò. Ut rectè ait Arriaga *tom. 7. tract. de Eucharist. disp. 41. sec. 2. n. 10.* ad hoc, ut tribuatur alicui sacramento effectus actualis, non sufficit præcisè, eum non esse inconvenientem: sed debet is positivè probari, vel ex Scripturis, vel ex Patribus, vel ex traditione, vel ex alio loco Theologico; qui enim positivè plus asserit, debet etiam positivè plus probare; aliâs possemus semper plures effectus sacramentis attribuire: atqui effectus hic major ex nullo tali loco Theologico probatur: ergo.

ARTICULUS III.

An duæ Species sumptæ plus causent Gratiam, quam una.

295. **D**ico. Duæ species, in una moraliter communionem sumptæ, non causant plus gratiæ, quam una: sive Christus, sub duplici specie sumptus, non causat plus gratiæ, quam

quàm sumptus sub una; sic enim intelligitur conclusio, ut abstrahatur ab alia quaestione, in ipsa etiam species causent gratiam, de qua re obiter aliquid dictum n. 17. Hæc sententia est valde apta ad refellendos hæreticos nostri temporis, extorquere nitentes etiam pro laicis communionem sub utraque specie. Tradit autem eam S. Thomas 3. p. q. 80. a. 12. ad 3. ubi ait: *Potest autem à populo corpus sine sanguine sumi: nec exinde sequitur aliquod detrimentum; quia sacerdos, in persona omnium, sanguinem offert, & sumit, & sub utraque specie totus Christus continetur. & opusculo de venerabili sacramento, quod est 21. vel juxta aliam editionem. 58. dans rationem, cur populo non detur calix, ait: Si enim populus rudis acciperet sanguinem sub specie vini, vix crederet, illum esse sub specie panis. . . . sicut sumit sacerdos sanguinem Christi sacramentaliter de calice, sic populus sumit eum intellectualiter sub specie panis de ipso corpore Christi: & est eis tam utilis, & tam dulcis, ut sacerdotibus, qui sumunt eum sub specie vini de calice.*

296. Accedunt Theologi communissimi, quorum magnum numerum vide citatum apud Suarez tom. 3. in 3. p. disp. 63. sec. 6. §. Nihilominus dicendum. & Arriagam tom. 7. tr. de Eucharist. disp. 42. sec. 4. n. 20. quibus addi possunt plures adhuc recentius impressi, Elparza, Maurus, Illung, Gervasius. Plures citat Haunoldus l. 4. tract. 3. c. 9. n. 884. quamvis in sententiam oppositam inclinet. Nosram etiam sententiam docet Concilium Moguntinum, habitum anno 1549. sub Archiepiscopo Sebastiano, ubi c. 32. ita habetur. *Cum autem nemo fidelium dubitet, virtutem sacrosanctæ Eucharistia, non ex speciebus pendere, sed ex vivifica Christi carne, & sanguine provenire: jam ne hoc quidem quisquam fidelis dubitare debet, illum sub una specie communicandi morem ad salutem sumenti-um aque utilem, & efficacem esse, quàm alterum sub utraque; cum constet, non minus accipi in una specie.*

Quamvis autem dictum Concilium provinciale tantum fuerit, nec à Pontifice approbatum, tamen habet, ut quodlibet aliud Concilium provinciale, magnam auctoritatem (de qua vide supra n. 249.) & ex eo colligitur sentus communis doctorum tunc temporis; cum Concilium dicat, neminem de nostra sententia dubitare debere. Itaque hujus Concilii, & doctorum plurimorum auctoritas ratio sit prima, quæ magni ponderis est, præsertim in quaestione, in qua agitur de eo, quid instituerit Christus, ut alibi diximus.

297. Probatur conclusio. 2. Nullum est fundamentum in Scripturis, Conciliis, aut Patribus, vel communi Ecclesiæ sensu, dicendi, Christum plus gratiæ promississe sumenti duas species Eucharisticas, quàm sumenti tantum unam: ergo non debet dici, plus gratiæ per duas conferri; nam sacramenta plus non conferunt, quàm Christus

institutor promiserit. Confirm. 1. Sumens plures species ejusdem rationis, una moraliter sumptione, e. g. sacerdos sumens plures hostias, non acquirit plus gratiæ, quàm sumens tantum unam (ut concedunt omnes, & constat ex dictis n. 288. & ex eo, quòd alià esset utilis, dividere hostiam in plures partes, & sumere sacrum sanguinem per plures haustus, quod nemo prudens facit) ergo etiam sumens plures species diversæ rationis, eadem moraliter sumptione, non acquirit plus gratiæ. prob. conseq. ideo in primo casu non datur major gratia; quia est una moraliter sumptio, & Christus non minus est totus sub una, quàm sub pluribus speciebus: sed hoc totum etiam habetur in nostro casu: ergo.

298. Confir. 2. Juxta adversarios deberent iumentum utramque speciem etiam dari plures, & diversæ gratiæ actuales: scilicet spiritualiter confortantes, ratione specierum panis, & spiritualiter exhilarantes, ratione specierum vini: hoc non videretur credibile: ergo. prob. mi. Christus prævidit, laicis non semper concedendum esse usum calicis: ergo non est credibile, quòd voluerit, huic annexas esse illas gratias, quibus major pars fidelium deberet privari absque sua culpa, quâsque non possent sibi compensare per frequentiorum accessum ad sacram Eucharistiam, licet maxime indigerent, & fortè magis, quàm sacerdotes, gratiis exhilarantibus, inter tot molestias, molestias, ac angustias, quas patiuntur laici conjugati, vel alii.

Nec dicas, laicos etiam debere carere gratiis actualibus, annexis sacramento ordinis; nam his debent carere laici, sicut clerici in sacris carere debent gratiis, annexis sacramento matrimonij; scilicet sunt speciales difficultates, in exercendis muneribus sacris, quas laici non habent, & hinc non ita indigent gratiis sacramento ordinis: quin etiam in muneribus diversorum ordinum sunt speciales difficultates; unde etiam facile capitur, per diversos ordines conferri quoque diversas gratias actuales, e. g. alias per collationem diaconatus, alias per collationem presbyteratus &c.

299. Ob. 1. Patres Concilii Tridentini, licet non definiverint, tamen, teste Francisco Blanco Archiepiscopo Compottelano, citato ab Henriquez, unanimiter tenuerunt oppositam nobis sententiam, ut refert Cardinalis Lugo de Eucharist. disp. 12. n. 68. ergo. Confirm. 1. Concilium Tridentinum sess. 21. c. 3. de communicantibus sub una specie ait, *nulla gratia necessaria ad salutem eos defraudari*: ergo videtur admittere, eos defraudari saltem gratiæ augmento, seu gratiæ utili: sicut è contra, quando sess. 14. c. 5. docet, exponendum esse numerum peccatorum, & circumstantias específicas, docere videtur, quòd non sint exponendæ circumstantiæ, intra eadem speciem tantum aggravantes. Confirm. 2. Clemens VI. (ut Lugo loco citato

titato refert) concessit regi Galliæ, ut communicaret sub utraque specie, *ad majus gratiæ augmentum*: ergo. Resp. neg. antec. Henriquez ex Blanco tantum refert, multos Patres sensisse, duas species plus gratiæ conferre, quàm unam: quod longè abest ab unanimi consensu; demus enim fuisse triginta, vel quadraginta, dici possunt multi: sed, si reliqui dissenserunt, longè plures fuerunt, & isti fortè vix modica pars fuissent. videatur Arriaga tom. 7. tract. de Eucharist. disp. 42. sec. 2. n. 9. ubi putat, errorem fuisse amanuensis Cardinalis de Lugo, qui verba similia in ordine ad aliam quaestionem (nempe an Bohemis concedenda sit communio sub utraque specie) ab Henriquez posita, huc traxerit.

300. Imò Pallavicinus in histor. Concil. Trident. l. 17. c. 7. n. 10. & c. 12. n. 3. potius asserit, majorem partem, imò plerosque Patres inclinasse in æqualitatem gratiæ, & Hostium Legatum cum Episcopo Quinque Ecclesiarum contendiisse, ut hæc sententia definiretur. Rursus ante Tridentinum nostra sententia plures habuit fautores, etiam ex illis, qui postea Tridentino interfuerunt: nec credibile est, eos ibi statim mutasse sententiam, etiamsi nihil definiverint.

Ad 1. confirm. neg. conseq. Concilium ibi agit contra hæreticos, contendentes, communionem sub utraque specie esse simpliciter necessariam ad salutem, & hos damnat: alterum verò, quòd fideles fraudentur augmento gratiæ, nullo modo decidit: & cur id decideret; cum ejus decisio necessaria non esset, & præviderentur, in ijs circumstantiis ex occasione talis decisionis, oritur novi clamores hæreticorum, quasi injustè laicis usus calicis prohiberetur?

Quin potius videtur Concilium, nostra sententiæ non parum favere, dum suæ definitionis hanc rationem addit, nempe quòd Christus integer sit sub qualibet specie: quæ ratio probat, neminem fraudari gratiæ etiam utili. Nec est paritas à doctrina Tridentini de exponendis circumstantiis peccatorum ad nostrum casum; ibi enim Concilium voluit, clarè, & dogmaticè definire, quid in confessione exponendum sit: adeoque, si etiam exponendæ essent circumstantiæ tantum aggravantes, non potuisset eas præterire. At in nostro casu non voluit Concilium decidere, an, aliquâ gratiâ priveretur sub una tantum specie communicantes; sed tantum voluit definire, eam communionem non obesse fidelium salutem, nec necessariam esse communionem sub utraque specie; eoquòd communicantes sub una non fraudentur ullâ gratiâ necessariâ ad salutem: de alia autem gratiâ prorsus præcindere voluit.

301. Ad 2. confirm. Fatetur Haunoldus, licet adversarius. l. 4. tr. 3. c. 9. n. 885. hanc Bullam Clementis VI. à P. Mendo quaesitam, inveniri non potuisse: additque alius recentior, adversarios velle hanc Bullam editam anno 1341. cum Clemens VI. R. P. Ant. Mayr Theol. Tom. II.

primùm anno 1342. Pontifex creatus fuerit. Rursus Galli in Tridentino non fecere mentionem hujus privilegii, à Clemente concessi, sed tantum dixerunt, quòd ab immemoriali tempore reges Christianissimi die coronationis suæ soleant, sub utraque specie communicare.

Sed his omisso neg. conseq. Si intelligitur hic gratia, non tantum ex opere operantis, sed etiam ex opere operato, potuit hoc privilegium Pontifex dare, & ea verba addere ideo; quia sperabatur rex, tali privilegio affectus, magis se dispositurum ad SS. Eucharistiam: qua ratione augmentum gratiæ recepturus erat, ratione majoris dispositionis; quia etiam ratione hujus sacramenta plus conferunt gratiæ ex opere operato: & sanè in multis occasionibus devotio major est occasione privilegii; unde non absurdum debet videri Haunoldo, quòd dicamus, regem non fuisse se ita præparatum ad unam speciem; sæpe enim fit, quòd, quando non adest speciale privilegium, non ita excitetur ad devotionem: & valde credibile videtur, Christianissimos reges majori præparatione accedere solere ad hanc extraordinariam communionem, quàm ad alias communi more obeundas.

302. Ob. 2. Sacramentum causat illos effectus, quos significat: atqui species panis, & vini, significant diversos effectus gratiæ: ergo etiam causant diversos effectus gratiæ. prob. min. species panis significant cibum spiritualem, & confortationem: species vini significant potum spiritualem, & exhilarationem juxta illud hymni Ecclesiæ de hoc sacramento: *Dedit fragilibus corporis ferculum: dedit & tristibus sanguinis poculum*: ergo. Resp. neg. min. vel enim species diversæ deberent significare diversam gratiam habitualement: & non est diversitas in illa: vel deberent significare diversam gratiam actualem: & hoc est contra dicta superius n. 298.

Non ergo aliud significatur per duas species, quàm per unam; quamvis per utramque significetur aliquanto clarius; nam qualibet species, ut docet Suarez tom. 3. in 3. p. disp. 63. sec. 6. §. Ad tertium. significat animæ refectionem, & unionem; quamquam utraque simul perfectius significet refectionem animæ per modum integri convivii: ob perfectiorem autem significationem non debet dari nobilior effectus, seu major gratia; aliàs baptismus collatus per trinam immersionem in aquam, qui perfectius significat mysterium SS. Trinitatis, & sepulturam, ac resurrectionem Christi, deberet causare plus gratiæ, quàm baptismus collatus per infusionem aquæ.

303. Ad prob. min. dist. antec. & species panis, saltem mediâtè propter concomitantiam, significant etiam sanguinem Christi, tanquam potum, & exhilarationem: ac vicissim species vini propter concomitantiam, saltem mediâtè, significant etiam corpus Christi, tanquam cibum & confortationem. conc. antec. secus. neg. antec.

tec. & conf. nam primò illi versus hymni, ut rectè ponderat Arriaga *tom. 7. tr. de Evcharist. disp. 42. sec. 3. n. 17.* diriguntur ab Ecclesia ad omnes homines: ergo etiam species panis causant exhilarationem; alias, si laici hanc non perciperent, quid eis illa deprædicaretur?

Secundò. Fames, & sitis, in spiritualibus idem est, ut habet S. Augustinus *tr. 25. in Joan.* post medium in illa verba Christi: *Qui venit ad me, non esuriet &c.* dum enim ait: *Quod dixit: non esuriet: hoc intelligendum est: non sitiet unquam; utroque enim illa significatur æterna satietas:* aperte indicat, quòd, sicut expletio famis, & sitis spiritualis, sunt idem, ita etiam idem sint fames, & sitis: item, sicut non esurire, & non sitire sunt idem, ita etiam sitire, & esurire: & certè tam sitis, quam fames spiritualis, aliud non est, quam ingens desiderium novæ gratiæ, & charitatis, adeoque utraque expletur per quamvis speciem Evcharisticam; quia quævis confert gratiam. Tertio. Utraque species habet vim confortandi, & exhilarandi; quia hæc formaliter consistunt in eo, quòd voluntas reddatur prompta, & fervens, ad obsequium Dei, quæ promptitudo confertur, tam per species panis seorsim acceptas, quam per species vini, si in aliquo casu licite seorsim accipiantur, ut saltem videntur olim quandoque licite acceptæ, de qua re vide infra *n. 326.*

304. Dein totum hoc argumentum retorquetur in extrema unctione, ubi singulæ unctiones, & formæ partiales, habent æquè diversam significationem, quam habent species panis, & vini: & tamen non confertur diversa gratia, ratione diversarum unctionum partialium; quia scilicet illæ diversæ unctiones habent tantum significationes partiales, & constituunt unum sacramentum: ac hoc totum dici potest de speciebus Evcharistiæ.

Ubi tamen obiter noto, non idem posse dici de sacris ordinibus; nam isti se habent, ac si species panis, & vini, seorsim sumerentur, per duas moraliter distinctas sumptiones; isti enim ordines, etiam minores, non confertur per ordinationem moraliter unam; nam, ut ex usu, & praxi Ecclesiæ habetur, quilibet ordo confertur seorsim per suam singularem ordinationem: & quamvis e. g. ordines minores omnes conferantur sub eodem sacro, tamen conferuntur per quatuor physicè, & moraliter distinctas ordinationes: quæ ad minimum se habent, sicut, tria sacra, e. g. die natali Domini ab eodem sacerdote tempore continuo dicta. Adde, quòd per diversos ordines dentur etiam diversæ gratiæ actuales, qua de re vide *n. 298.*

305. Dices cum Haunoldo. In sacramento extremæ unctionis primùm post ultimam unctionem confertur gratia: ergo non est paritas ab isto ad sacramentum Evcharistiæ, ubi jam datur gratia post primam sumptionem primæ speciei panis. Resp.

Inprimis ex hac paritate cum sacramento extremæ unctionis tamen adhuc patet, quòd diversitas qualiscunque significationis, utpote, quæ etiam datur in diversis istis partialibus unctionibus, non probet, dari novam gratiam. Dein neg. ant. nam post perfectam unctionem sensuum, aut partium, essentialiter requisitam, confertur gratia, ut habet communis; quia tunc sacramentum est substantialiter integrum: & tamen sæpe dein subjunguntur adhuc duæ unctiones, in pedibus, & in renibus, non essentialiter requisitæ, quo casu non datur gratia post ultimam unctionem.

Dices, dari etiam in hoc casu gratiam, post ultimam unctionem causativam gratiæ; eum additæ duæ unctiones gratiam non causent. Resp. licet istæ duæ unctiones, non causent novam gratiam, tamen etiam causant prius collatam, sicut scilicet sumptio alterius speciei. Saltem hoc est valde probabile, & gratis oppositum supponitur.

306. Ob. 3. Juxta nostram opinionem non potest dari ratio, cur Christus instituerit utramque speciem: hoc est absurdum: ergo. Confirm. 1. Juxta nos sumptio alterius speciei esset frustranea, hoc est falsum, & contra SS. Patres: ergo. Confirm. 2. In triduo mortis Christi Evcharistia sumpta sub utraque specie contulisset plus gratiæ, quam sumpta sub una: ergo hoc etiam nunc facit. Resp. neg. ma. Ratio sufficientissima est, quòd per Evcharistiam, tanquam sacrificium incruentum, vi utriusque speciei melius significetur sacrificium cruentum, seu passio Christi, & effusio sanguinis.

Ad 1. confirm. retorq. argum. in eo casu, quo sacerdos sumit plures hostias, vel earum reliquias. Dein neg. ma. sumptio secundæ speciei servit ad perfectionem sacrificij, meliorem representationem separationis sanguinis à corpore, meliorem representationem convivij integri: trematur gratia saltem ex opere operantis: probabile etiam est, Deum conferre quidem gratiam statim post sumptionem primæ speciei, sed tamen etiam intuitu secundæ, casu quo hæc secutura est. Addunt aliqui cum Suarez. *tom. 3. in 3. p. disp. 63. sec. 6. in fine.* quòd, si quis sumpsisset primam speciem in peccato, & postea, adhuc ante sumptionem secundæ speciei contereretur, recepturus esset gratiam per sumptionem secundæ speciei: quanquam hoc alij negent.

Ad SS. Patres autem, quando dicunt, bibi remissionem peccatorum: vel nos sanguine, non tantum exterius liniri, sed interiorius etiam omnipotentis virtute muniri: responderi potest, eos quidem ostendere, quantam virtutem habeat sacer sanguis ex se: non autem decidere, quòd, quando is jam est sumptus sub specie panis, & postea etiam sumatur sub specie vini, eandem virtutem denuo exerat: vel potest dici, SS. Patres tantum velle, quòd Deus etiam gra-

gratiam conferat ratione, seu intuitu speciei secundæ, ut modò dictum.

307. Ad 2. confirm. Resp. cum Suarez *tom. 3. in 3. p. disp. 63. sec. 6. §.* Ad secundum. rem esse incertam; cum Christus pro eo casu, in quo vidit, non esse futurum usum Evcharistia, nihil determinaverit: si data tunc fuisset major gratia propter utramque speciem, fors ratio fuisset; quia tunc non continebatur sub una specie totus, & integer Christus: quam rationem videntur aliqui velle colligere ex Tridentino; eoquòd *sess. 21. c. 3. dicit, etiam sub altera tantum specie totum, atque integrum Christum, verumque sacramentum sumi; ac propterea, quod ad salutem eos defraudari, qui unam speciem solum accipiunt: adeoque, cum in triduo mortis non fuisset sub qualibet specie totus, atque integer Christus, videretur istis autoribus, ex Concilio, colligi posse, non tantum gratiæ per unam, quantum per geminam speciem sumptam, tunc accipiendum fuisse.*

Verum, si hæc ratio efficax foret, debuisset in triduo mortis Christi non tantum gratiæ dari per utramque speciem, quantum nunc datur per unam (quia sub nulla tunc adfuisset anima Christi, adeoque nec sub utraque integer Christus) quòd videretur difficile: Unde Suarez existimat, non posse ex Tridentino efficaciter probari, quòd in triduo mortis Christi, plus gratiæ collatum fuisset, per duplicis speciei, quam per unius tantum sumptionem.

Pucat insuper possedici, quòd Tridentinum, assignando pro ratione sumptionem totius, ac integri Christi, vel non velit dare rationem adæquatam, aut necessariam, sed tantum sufficientem, & clariorem, ac certiorum quoad nos: vel quòd per totum Christum intelligat totum quoad suppositum Divinum. Et certè, cum Divinitas etiam in triduo mortis Christi fuisset præsens, adfuisset sufficientissima causa gratiæ: attamen hæc adfuisset etiam in eo casu sub qualibet specie: consequenter ex hoc capite non debuisset plus gratiæ conferri, ratione utriusque, quam ratione unius tantum speciei.

308. Ob. 4. Non potest juxta nos explicari, quando conferatur gratia: an statim post primam sumptionem: an primum post secundam: sed hoc debet posse explicari: ergo. Resp. retorq. arg. in casu, quo sacerdos sumit plures hostias. in forma. neg. ma. & dico, probabilius conferri statim totam gratiam post sumptionem primæ speciei; primò enim ibi jam sumitur totus Christus, & non est ratio, cur sacramentum, integrè applicatum, non statim operetur suum effectum. Secundò, si prævideretur sacerdos moriturus ante secundam sumptionem, Christus misericordissimus non expectaret illum, sed prius daret gratiam: ergo melius dicitur, hoc universaliter fieri.

Tertio, si sacerdos communicaret populum post suam communionem, & distribuendo Evcharistiam peccaret: postea in peccato absumeret reliquias sacrarum hostiarum, nemo diceret, eum per suam communionem non recepisse prius gratiam: ergo idem videtur idendum in nostro casu. Probabile autem est, ut diximus *n. 306.* gratiam, quæ confertur statim post primæ speciei sumptionem, tamen etiam conferri intuitu sumptionis secundæ speciei, si hæc quoque extitura sit.

QUESTIO II.

De Necessitate SS. Evcharistiæ.

ARTICULUS I.

Quomodo Evcharistia sit necessaria.

309. **S**upponendum, alia esse ad salutem necessaria necessitate mediæ, alia necessaria necessitate præcepti: inter quæ differentia est ista. Necessaria necessitate præcepti sunt illa, quæ ideo debent fieri, ut evitentur violatio alicujus præcepti per grave peccatum, quo poneretur obex gratiæ, adeoque salutis æternæ: quæ tamen, si inculpabiliter omitantur, non propterea perditur salus. Necessaria necessitate mediæ sunt illa, quæ sunt media conducentia, ad obtinendam primam gratiam, eamque per se causantia, ac talia, ut sine illis, etiam inculpabiliter omiffis, salus acquiri non possit. Quid autem sit per se causare primam gratiam. vide in tract. de sacram. in genere *n. 301.* Exempla necessariorum necessitate mediæ sunt, fides, baptismus, poenitentia post grave peccatum actuale commissum.

Quia verò baptismus e. g. vel sacramentum poenitentia, non semper potest realiter adhiberi, ob defectum, vel scientiæ, vel materiæ, vel ministri, hinc misericors Deus contentus est, si habeatur saltem perfecta contritio, quæ est votum baptismi in non baptizato, & votum confessionis in baptizato; unde dicuntur baptismus, & poenitentia, necessaria necessitate mediæ, vel in re, vel in voto: hoc est, necessaria esse sacramenta baptismi, & poenitentia, vel reipsa suscepta, vel saltem necessarium esse votum ea suscipiendi: & hoc votum habet quivis amans Deum super omnia; quia ita est constitutus, ut, si, vel necessitatem sciret, vel occasionem haberet, ista sacramenta suscipiendi, ea reipsa susciperet.

310. Si dicas, quòd perfectè contritus, vel amans Deum super omnia, etiam debeat ita esse dispositus, ut, si posset restituere ablatum, id faceret: &, quòd, si non esset ita dispositus, non possit obtinere salutem, adeoque, quòd etiam restitutio sit necessaria.

cessaria necessitate medii ad salutem, scilicet vel in re, vel in voto. Resp. Etsi aliquo modo votum restitutionis sit necessarium ad salutem, non tamen restitutionem esse necessariam necessitate medii; quia, quod est necessarium necessitate medii, debet esse medium, conferens primam gratiam, quale non est restitutio; quia ipsa potest reipsa fieri, & sæpe fit, quin conferatur gratia; unde restitutio tantum est removens prohibens, seu removens impedimentum gratiæ: non verò est conferens gratiam: quam tamen conferunt baptismus, & pœnitentia, si reipsa adhibeantur.

311. Quare, etsi contritio sit votum baptismi, & restitutionis, tamen dicitur conferre gratiam, ut est votum baptismi: non verò ut est votum restitutionis; votum enim, seu desiderium rei, quod est quasi vicarium ejusdem rei, non habet majorem vim, quam habeat ipsa res; cum ergo restitutio ipsa non possit conferre gratiam, neque id potest ejus votum, seu contritio, formaliter sumpta, ut est votum restitutionis.

At potest conferre gratiam contritio, ut est votum baptismi; quia ipse baptismus potest conferre gratiam: adeoque rectè dicitur baptismus, suo modo justificare in contritione, seu dilectione Dei, tanquam voto sui: de quo vide plura in tract. de pœnit. à n. 216. verbo: cum restitutio, nec in se, nec in suo voto, sit medium justificans, non est necessaria necessitate medii: baptismus verò, & sacramentum pœnitentiæ, cum sint talia media, dicuntur necessaria necessitate medii. videatur Haunoldus l. 4. tr. 3. c. 2. controu. 3. n. 781. His suppositis

312. Dico 1. Evcharistia non est necessaria necessitate medij, ita plurimi. Prob. conclus. Necessarium necessitate medij, ut diximus n. 309. est, quod est medium per se conducens ad obtinendam primam gratiam, eamque per se causans, ac tale, seu ita necessarium, ut sine eo adhibito, vel in re, vel in voto, non conferatur prima gratia, nec obtineatur salus: sed tale medium non est Evcharistia: ergo. prob. mi. Evcharistia, utpote sacramentum vivorum, non confert per se, sed tantum per accidens primam gratiam, ut diximus in tr. de sacram. in genere à n. 302. ergo.

Secundò. Evcharistia non est omnibus hominibus ita necessaria, ut sine ea, vel in re, vel in voto, non conferatur gratia; nam parvulis ista confertur, quin sacramentum hoc re ipsa suscipiant, ut habetur ex Tridentino sess. 21. c. 4. & can. 4. atque etiam, quin id recipiant in voto; nam parvuli non possunt Evcharistiam in voto recipere; quia ut rationis, ita etiam voti sunt incapaces. Sed neque est ulla ratio, qua probetur, Evcharistiam esse saltem adultis rationis capacibus necessariam necessitate medij: ergo.

313. Neque etiam dici potest, Evcharistiam esse necessariam necessitate medij ex eo; quod ipsa per se requiratur ad perse-

verantiam in gratia; nam 1. non potest intelligi perseverantia finalis; quia, cum sacramentorum effectus sit infallibilis, & perseverantia finalis non sit effectus infallibilis, non potest esse effectus Evcharistia. Nec 2. intelligi potest perseverantia ad longum, vel etiam breve tempus; hæc enim non est absolute necessaria; cum homo possit prius mori, & salvari: insuper potest homo brevi tempore perseverare virtute gratiæ, in baptismo, vel pœnitentia, receptæ: ergo ad nullam perseverantiam Evcharistia est necessaria necessitate medij.

314. Dico 2. Evcharistia est necessaria necessitate præcepti. ita omnes. Prob. conclusio. Datur præceptum Ecclesiæ sumendi sacram Evcharistiam, idque habetur. C. O. mnis utriusque sexus. 12. de pœnit. & remiss. ubi præcipitur paschalis communio sub gravissima pœna, scilicet, ut transgressores arceantur, vivi ab ingressu Ecclesiæ, & mortui priventur Ecclesiastica sepultura: rursus, Tridentinum sess. 13. can. 9. anathematizat negantes hoc præceptum: quin etiam Innocentius XI. damnavit hanc propositionem 55. *Præcepto communionis annua satisfacit per sacrilegam Domini manducationem*: ergo.

Olim tempore Fabiani Papæ tenebantur fideles ter in anno communicare, scilicet die Natalis Domini, Paschæ, & Pentecostes, ut habetur C. Etsi non frequentius, 16. de consecr. dist. 2. qui canon à Fabiano statutus est. Idem habetur C. Saculares. 10. de consecr. dist. 2. quod caput ex Agathensi Concilio desumptum, sic habet: *Saculares, qui in Natali Domini, Paschæ, & Pentecoste, non communicaverint, Catholici non credantur, nec inter Catholicos habeantur*: nunc autem Ecclesia contenta est unica annua communione.

315. Dico 3. Præceptum sumendi SS. Evcharistiam non est tantum Ecclesiasticum: sed est etiam Divinum. ita Theologi communiter cum S. Thoma 3. p. 2. q. 80. n. 11. in corp. ubi sic ait: *Homo tenetur hoc sacramentum sumere, non solum ex statuto Ecclesiæ, sed ex mandato Domini*. Prob. 1. ex illo Joann. 6. v. 54. *Nisi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis*: quæ verba ex communi SS. Patrum doctrina intelligi debent de manducatione reali, & ex communi sensu doctorum, & fidelium indicant, præceptum à Christo statutum, adeoque Divinum: ergo.

Secundò. Tridentinum sess. 13. c. 2. ait: *Salvator noster ... in illius Evcharistia sumptione colere nos sui memoriam præcepit*: non autem jussit Christus, ut, dum communicamus, reflexè habeamus memoriam passionis ejus; aliàs multi, præsertim simplices, violarent hoc præceptum: ergo jussit, ut per ipsam communionem habeamus hanc memoriam, sive jussit, ut ad eam accedamus. Tertiò. Christus Apostolis, & in iis etiam aliis animarum pastoribus, præcepit, ut fideles laicos pascere sacra dape; hoc enim

enim voluit, quando Luc. 22. v. 19. & 1. Cor. 11. v. 24. & 25. dixit: *Hoc facite in meam commemorationem*: ergo, implicite saltem, etiam præcepit laicis, ut eam recipe- rent. Quarto. Jam à primis temporibus Ecclesia semper urget sumptionem hujus sanctissimi sacramenti: non ita urget receptionem aliorum sacramentorum, de quibus nullum præceptum Christus reliquit: ergo.

316. Dico 4. Non tantum in paschate quovis anno, sed etiam in articulo mortis, est Evcharistia, seu communio præcepta. ita communiter Theologi cum Suarez, & Vasquez, qui ipse communissimus sensus doctorum, imò, ut ait Tamburinus in methodo expedit. commun. t. 5. §. 1. n. 1. communissimus sensus fidelium, & Ecclesiæ, est ratio valida in iis, quæ, utpote pendentia ab institutione Christi, ab autoritate potissimum probari debent.

Ratio ulterior est. Tunc obligat hoc præceptum, quando est maxima necessitas Evcharistia: sed maxima ejus necessitas est in articulo mortis: ergo. prob. ma. ex simili necessitate bene infertur obligatio, eliciendi in eo articulo actus fidei, spei &c. ergo etiam legitime infertur obligatio sumendi SS. Evcharistiam. Confirm. Hoc sacramentum est institutum tanquam viaticum, & præfiguratum fuit per agnum paschalem, ac manna, quæ data sunt in nutrimentum pro gratia di via, adeoque & ipsum est institutum, in nutrimentum, & robur, pro gratia di via, seu transitu ex hoc in alterum mundum: ergo debet accipi, quando instat grande illud iter æternitatis.

ARTICULUS II.

Solvuntur Objectiones.

317. **O**B. 1. contra 1. concl. SS. Evcharistia præcedit dignitate omnia alia sacramenta: ergo etiam præcedit necessitate: sed aliqua alia sacramenta sunt necessaria necessitate medij ad salutem: ergo multò magis ita necessaria est SS. Evcharistia. Confirm. 1. Sicut dicitur Joann. 3. v. 3. *Nisi quis renatus fuerit denuo, non potest videre regnum Dei*: ita etiam dicitur Joann. 6. v. 54. *Nisi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis*: ergo, sicut baptismus est necessarius necessitate medij, ita etiam necessaria est Evcharistia. Confirm. 2. S. Augustinus l. 1. contra Julianum c. 4. ait, etiam parvulis necessariam esse Evcharistiam, idque Innocentium I. definitivè (textum citavimus n. 58.) sed his non est necessaria necessitate præcepti, cujus incapaces sunt: ergo necessitate medij.

Confirm. 3. Alii etiam SS. Patres videntur docere, SS. Evcharistiam esse necessariam necessitate medij: ergo. Confirm. 4. Cibus corporalis est medium necessarium, ad

conservandam vitam corporalem: ergo cibus spiritualis est medium necessarium ad conservandam vitam spirituale. Confirm. 5. Evcharistia est necessaria ad accipiendas gratias actuales, huic sacramento correspondentes: sed hæc ipsæ sunt homini simpliciter necessariae ad salutem: ergo etiam Evcharistia. Resp. neg. conseq. Imò, quia Evcharistia præcedit dignitate alia sacramenta, debet supponere statum gratiæ, ad convenientiorem sui receptionem: adeoque ipsa non potest esse necessaria ad habendam primam gratiam. Ad 1. confir. neg. conseq. Tantum sequitur, utrumque sacramentum, tam baptismi, quam Evcharistia, esse necessarium, vel necessitate medij, vel præcepti.

318. Ad 2. confir. dist. ma. S. Augustinus ait, parvulis esse necessariam Evcharistiam in re. neg. ma. ait, eam esse necessariam in voto. subdist. in voto explicito, vel simpliciter tali. neg. ma. in voto implicito, vel tantum æquivalenter tali, quale votum est ipse baptismus. conc. ma. & om. min. sub eadem dist. conc. vel neg. conseq. Alii ajunt, ex S. Augustino parvulis esse necessariam rem sacramenti, seu gratiam: alii ajunt, necessariam esse manducationem mysticam, per quam uniantur corpori Christi. videantur dicta. n. 63.

Ad 3. confir. neg. ant. nam, quod spectat ad alios SS. Patres, qui præter S. Augustinum etiam obijciuntur, ut Cyrillus, Cyprianus &c. isti loquuntur tantum de necessitate morali, respectu illorum, qui habent commoditatem Evcharistiam recipiendi. S. Thomas verò etiam plus non dicit, quam S. Augustinus, & 3. p. 2. q. 65. n. 4. in corp. expressè dicit, duo tantum sacramenta esse singulis simpliciter necessaria, nempe sacramenta baptismi, & pœnitentiæ. Ad 4. confir. neg. conseq. Cibus corporalis necessarius est, ut vertatur in alitum, quod fieri non potest sine reali sumptione: cibus spiritualis vertit alitum spiritualiter in se, quod fieri potest sine reali sumptione: & si effet omnimoda paritas inter utrumque cibum, neque sufficeret anima Evcharistia in voto, sicut non sufficit corpori cibus corporalis in voto. Ad 5. confirmationem neg. mi. quæ non probatur.

319. Ob. 2. contra 3. conclus. Ecclesia ob gravissima crimina quosdam sacra communione privat in articulo mortis: ergo hæc in eo articulo non est de præcepto Divino. Confirm. Olim in Hispania, & Gallia, vel etiam in aliis provinciis, moris fuit, non præbere Evcharistiam damnatis ad mortem: ergo hæc non est de jure Divino. Resp. Aliqui volunt, quod tota Ecclesia olim quosdam privavit ob scelera quædam sacra communione, etiam in articulo mortis: idque volunt inferre ex Innocentio I. qui epist. 3. ad Exuperium Tolosanum Episcopum ait: *Et hoc quæsitum est, quid de his observari oporteat, qui post baptismum omni tempore incontinentia, & voluptatibus dediti, in extremo sine vita*

*sua, penitentiam simul, & reconciliatio-
nem communionis exposcunt. De his obser-
vatio prior durior: posterior intervenien-
te misericordia inclinatio est; nam con-
suetudo prior tenuit, ut concederetur eis
penitentia, sed communio negaretur: de
qua re vide Francolinum in Clerico Rom.
disp. 3. n. 5. & disp. 11. n. 50. Resp. Si
antecedens est verum, dicendum est, præ-
ceptum Christi esse conditionatum: scilicet
sub hac conditione: Nisi Ecclesia propter
graves causas alicui communionem prohibe-
at. Sic etiam Ecclesia non concedit, ob
dandum viaticum moribundo, celebrare
Missam sine vestibus sacris; quia scilicet
etiam præceptum Christi non obligat, ut
in eo casu per talem celebrationem procu-
retur SS. Evcharistia, & sumatur.*

320. Ad confirm. Hanc consuetudi-
nem abrogavit Pius V. motu proprio, anno
1569. de quo vide Francolinum in Clerico
Rom. disp. 4. in fine. Sed & Philippus II.
(ut fertur) eodem anno præcepit, ne affi-
cerentur rei supplicio, nisi post viginti qua-
tuor horas à communione: quamvis hoc
non sit necessarium, & possint rei horâ
unâ, aut duabus, ante suspendium, recipe-
re Evcharistiam. Moderni autem doctores
cum Suarez contra Navarrum damnant judi-
cem peccati mortalis, si extra casum mani-
festæ necessitatis non permittat reo commu-
nionem; & aliâs possit etiam impedire con-
fessionem, quod est contra Clementin. Cum
secundum. r. de penit. & remiss. Si quid o-
lim, vel in Gallia, vel in alijs regionibus,
aliter factum est, vel etiam penitentia quib-
usdam mortis reis, vel serò penitentibus,
negata fuit, id nunquam ab Ecclesia univer-
sa approbatum fuit; sed sæpe reprobatur,
de quo vide Francolinum in Clerico Rom.
disp. 3. & 4.

ARTICULUS III.

An sit necessaria Communio sub Utraque Specie.

321. **E**cclésiasticum morem admi-
nistrandi laicis SS. Evcha-
ristiam diversis temporibus
diversum fuisse, & aliquando sub una, ali-
quando sub duabus speciebus, sacram
communione populo distributam fuisse, no-
tum est omnibus eruditis. De hac re Car-
dinalis Ptolomæus, vir in historia Eccle-
siastica versatissimus, in suis controversiis
manuscriptis sequentia tradit, in quibus, ut
ait, etiam Protestantes, exceptis paucis re-
fractarijs, nobiscum conveniunt, quæque
eruditionis gratiâ hic apponere visum est.
Sub incitium (ut scribit) nascens Ecclesia
vespere post cœnam (quæ agape, seu cha-
ritas appellabatur) sacram communionem
ad Christi Domini exemplum Christiani su-
mebant. Paulo post tamen, ob invalescen-
tes abusus, prohibita præcedente agapes

sumptione, præceptum est fidelibus, ut jeju-
ni communicarent.

Quamvis autem primis quatuor sæcu-
lis, publica in Ecclesijs synaxis ordinariè sub
utraque specie à fidelibus celebraretur, erat
tamen permittum, ut, qui vellent, sub una
tantum specie SS. Evcharistiam acciperent,
præsertim extra liturgiæ solemnitate, ut
etiam ex argumentis, pro veritate Catholica
infra adducendis, aperte patebit. Quinto
postea sæculo propter hæresin Manichæo-
rum, primò non probata, dein etiam omni-
no prohibita est, abstinencia à specie vini,
præsertim in publicis Missarum officijs, ut
patet ex S. Leone sermon. 4. de quadrages.
circa an. 450. & ex Gelasio Papa. C. Comperi-
mus. 12. de consecrat. diff. 2. circa an. 496.
de quibus infra in solutione objectionum.
Scilicet agebant tunc Romæ occulti Mani-
chæi, qui cum fidelibus Catholicis accede-
bant ad sacram communionem: sed abstine-
bant à specie vini; tum quòd crederent, vi-
num esse à diabolo, & esse ejusdem fel; tum
quòd crederent, Christum Dominum san-
guine caruisse, ac corpus tantum phantasti-
cum assumptisse. Ut igitur isti deprehende-
rentur, jussi sunt fideles, SS. Evcharistiam
sub utraque specie accipere.

Extincta hæresis Manichæorum, iterum
permittum fidelibus est, ut sacram commu-
nionem, etiam in publica liturgia sub una
tantum specie sumerent. Postea verò sæcu-
lo undecimo ob novam hæresin Berengarii,
negantis realem præsentiam Christi in SS.
Evcharistia, Ecclesia maxime incubuit, ad
promovendum Christi Evcharistici cultum,
& amovendam omnem ab eo irreverentiam;
quæ cum quandoque contingeret, & sæpius
timenda esset, ratione usus calicis (quo
stante sæpius periculum erat, ne sacer sanguis
effunderetur) hinc fideles, cum ex doctrina
Ecclesiæ scirent, se sub una specie totum
Christum accipere, sponte cœperunt à specie
vini abstinere, approbante Ecclesia religio-
sam hanc circumspectionem. Tandem,
cum Hussitæ ex hæretica sua persuasione, ca-
licis usum fidelibus necessarium esse doce-
rent, adeoque eum sibi arrogarent, Concili-
um Constantiense decreto universalis, omni-
bus fidelibus non celebrantibus eo interdi-
xit: quem cum dein posteriorum tempo-
rum hæretici iterum revocare conarentur,
Tridentinum iterum sess. 21. c. 1. & 2. ac
can. 1. 2. & 3. eorum errores damnavit. His
præmissis

322. Dico I. Nulla est necessitas, ad
stringens laicos, ad sumendam utramque spe-
ciem. ita omnes Catholici post Concilium
Constantiense sess. 13. & Tridentinum sess.
21. c. 1. & can. 1. 2. ac 3. Probatur concl. contra
hæreticos I. Nec ex natura rei, nec ex ullo
præcepto, est necessaria communio sub utra-
que specie: ergo nullo modo. prob. 1. pars
antec. non est necessaria ex natura rei; nam
primò. Christus est sub utraque specie totus,
ut habetur ex n. 204. quia scilicet sub
specie panis adest corpus Christi vivum,
adeoque cum sanguine: & sub specie vini
adest

adest sanguis, suo modo unitus, & intrinse-
cus corpori, adeoque etiam adest corpus.
Secundò. Totus effectus hujus sacramenti,
saltem necessarius, scilicet gratia, habetur
per unam speciem.

Tertiò. Una etiam species sufficienter
significat unionem populi cum Christo, cui
per sumptionem unitur: & unionem popu-
li inter se; quia una species est ex multis
granis, altera ex multis acinis, ut habet S.
Augustinus tract. 26. in Joan. sub finem.
dicens: Aliud in unum ex multis granis
conficitur: Aliud in unum ex multis acinis
conficitur. Quarto. Habetur etiam per quam-
libet speciem seorsim refectio animæ, adeo-
que tota significatio (licet hæc per utram-
que speciem habeatur clarior) nec enim de-
bet per species significari convivium inte-
grum; modò hoc significetur per rem con-
tentam, seu Christum, qui est refectio, si-
mul extingvens famem, & sitim.

Neque etiam Evcharistia ut sacrificium
exigit, ut omnes, de omnibus speciebus,
participent; nam non tenentur fideles om-
nibus, sub omnibus sacris communicare;
& multò minus tenentur, sub omnibus sacris
communicare sub utraque specie: & ad sa-
crificium sufficit, si sacrificans de eo parti-
cipet. Rursus Evcharistia, neque ut est re-
presentatio passionis Dominicæ, exigit su-
mi sub utraque specie; nam hæc repræsen-
tatio, & quidem perfecta, habetur per Ev-
charistiam ut sacrificium est: non autem
debet totum id, quod pertinet ad sacrifici-
um, ab unoquoque sumi.

Ulterius Evcharistia id non exigit, ut
est memoria passionis Christi Domini; nam
hæc memoria haberi potest per sumptionem
unius speciei, quatenus etiam hæc est si-
gnum mortis Christi, licet non sit perfecta
repræsentatio ejus. Potest autem haberi
memoria beneficij, non tantum per repræ-
sentationem perfectam, sed per quodcum-
que signum. Tandem neque ipsa species ex-
igitur simul sumi; hoc enim, si exigerent,
exigere non ratione sui, sed ratione my-
sterij à Christo instituti: atqui ratione hujus
id non exigunt, ut patet ex dictis: ergo

323. Probatur jam 2. p. antec. seu
quòd non sit necessitas sumendi utramque
speciem ex præcepto. Prob. autem in pri-
mis negativè. Nullum præceptum sumendi
Evcharistiam sub utraque specie potest ullibi
ostendi, nec in Scripturis, nec in Conci-
liis, nec in Patribus, nec in traditione:
ergo nullum datur. Prob. etiam positivè
ex Scripturis, ex quibus colligitur, nullum
dari tale præceptum; nam primò (ut rectè
ait Tridentinum sess. 21. c. 1.) Christus
Joan. 6. promittit indifferenter vitam, &
gratiam, tam sumentibus utramque speciem,
(intellige, semota prohibitione Ecclesiæ)
quam sumentibus tantum unam: & quidem
sæpe tantum mentionem facit unius: sic
v. 52. Si quis manducaverit ex hoc pane,
vivet in æternum. & ibidem. Panis, quem
ego dabo, caro mea est pro mundi vita.

rursus. v. 59. Qui manducat hunc panem,
vivet in æternum.

Secundò. Plures figuræ SS. Evchari-
stia, ut lignum vitæ in paradyso, manna, pa-
nis Eliæ, panes propositionis, agnus pascha-
lis &c. sub una tantum specie hoc mysterium
adumbrabant. Et, licet inveniantur
aliquæ figuræ duarum specierum, eæ non
sunt nobis contrariæ; nam libenter conce-
dimus, sub duplici specie Evcharistiam ali-
quando sumi posse, imò semper debere à sa-
cerdotibus: & tantum dicimus, sufficere eti-
am unam speciem: quòd ostenditur per fi-
guras tantum unius speciei.

324. Tertiò. Ut testatur S. Augustinus
1. 3. de consensu Evangelist. c. 23. & SS.
Patres plures, Christus discipulis in Emmaus
dedit Evcharistiam: atqui dedit ipsis tan-
tum unam speciem: ergo non debet sumi
semper ambæ species. prob. mi. Christus
post fractionem panis statim evanuit, quin
daret calicem, cujus etiam propterea ibi
nulla fit mentio: ergo. Nec quis dicat,
Christum ibi in suo præcepto dispensasse;
nam hoc gratis dicitur, & deberet prius
probari, extitisse hoc præceptum. Aliud
est, quòd ibi ex sua potestate excellen-
tiæ consecraverit unam speciem sine altera;
ex quo non sequitur, quòd idem alii sacer-
dotes licitè facere possint; quia isti obligan-
tur præcepto Christi ad non consecrandam
unam speciem sine altera, de quo vide dicta
n. 111. quò tamen præcepto ipse Christus
Dominus non fuit ligatus. Verum neque
in Emmaus, sed in cœna Christus instituit
sacrificium Evcharisticum, ejusque cele-
brandi modum tradidit: quem servari se vel-
le illis verbis indicavit: Hoc facite in me-
am commemorationem: quæ S. Paulus 1.
Cor. 11. v. 24. & 25. refert, bis à Domino
dicta esse, scilicet post cujusque speciei conse-
crationem.

Quarto. Actor. 2. dicuntur Christiani
fuisse perseverantes in doctrina: Apostolo-
rum, & communicatione fractionis panis,
& orationibus: quæ verba intelliguntur de
Evcharistia, fatentibus ipsis adversarijs Lu-
thero, & Calvino; cum fractio panis con-
jungatur alijs pijs exercitijs, quæ referun-
tur ad laudem Christianorum illius tempo-
ris: nulla autem laus eorum foret, si à con-
vivij profanis celebrarentur: atqui iterum
hic nulla fit mentio vini: & cum Nazaræi
etiam probabilissimè interfuerint, qui serva-
bant tunc temporis adhuc licitè legalia; &
ex præcepto Moysis abstinere à vino, di-
cendum est, non fuisse datas cuilibet com-
municanti species vini: ergo non fuit præ-
ceptum Divinum communicandi sub utra-
que specie; aliâs Apostoli, & ferventissimi
fideles primitivæ Ecclesiæ id utique observâ-
rent.

325. Prob. conclusio 2. ex historia Ec-
clesiastica, & traditionibus, ac consuetudi-
nibus antiquissimis Ecclesiæ. Primò. Te-
ste Tertulliano, Clemente Alexandrino, SS.
Cypriano, Basilio, Hieronymo, apud Bel-
larminum tom. 3. controv. 3. de SS. Evcha-
rist. r. 1.

rist. l. 4. c. 24. §. Secundus ritus. primis Ecclesie saculis SS. Evcharistia à fidelibus domum deferrebat, præsertim tempore persecutionum, quando ad synaxes non facile poterant convenire: item post pacem Ecclesie redditam ab anachoretis: non autem domum deferrebat sacer sanguis; cum in domibus laicorum non esset calix sacer, in quo servaretur, ut patet ex literis Synodi Alexandrina in Ægypto ad Catholicos, qua habentur in apologia 2. S. Athanasii contra Arianos: ubi dicitur: *Mysticum autem poculum... nusquam, nisi apud legitimos Ecclesie præsidēs invenias, ... idemque duntaxat penes eos habetur, qui Ecclesie præsumt &c.* Unde, quando postea domi communicabant, sub una tantum specie id faciebant. Dein Evcharistia olim dabatur, saltem viris, in manus (ut habetur ex S. Cyrillo Hierosolymitano *catech. myst. 5. sub finem.*) feminis autem, vel etiam aliquando viris, in orarium, seu linteum mundissimum, ut colligitur ex S. Ambrosio in orat. funebr. de S. Satyro: ergo non dabatur sub speciebus vini; quia ista, ut patet, non poterant infundi manibus, aut linteis.

326. Secundò. Asservabatur Evcharistia pro ægrotis, ut constat ex Conciliis pluribus: & jubebatur quandoque in absentia sacerdotis diaconus deferre sacramentum, quod conficere non poterat: servabatur autem, aliquando per integrum annum, prout meminit Sophronius, vel potius Joannes Moscus in *prato spirituali. c. 79.* & Bellarminus *tom. 3. controv. 3. de Evcharist. l. 4. c. 24. §. Ac primum.* ergo servabantur tantum species panis; nam species vini interim, vel debuisse acclerere, vel frigore corrumpi: at non ita species panis, quæ post consecrationem exiccabantur.

Communicarunt etiam ægroti sub una specie, ita de S. Serapione testatur Eusebius, de S. Ambrosio S. Paulinus, de S. Basilio S. Amphiloehius, de quibus Bellarminus *loc. num. præc. citato.* Idem desumitur ex Concilio Toletano XI. c. 11. ubi dicitur, quosdam ægrotos acceptam sacram Evcharistiam rejecisse, *non quod infidelitate hoc agerent, sed quod præter Dominici calicis haustum tradidit sibi non possent Evcharistiam deglutire:* ergo ægrotis istis S. Evcharistia data est sine speciebus vini, sine quibus ob faucium siccitatem, ut paulò antè ibidem dicitur, non poterant species panis deglutire. vide hoc Concilium apud Binium *tom. 2. Concil. fol. mibi. 1189.* cujus capitulum 11. habetur *fol. 1189.*

Tertiò. Vicissim infantibus probabiliter solus sacer sanguis fuit instillatus, ut videtur colligi ex S. Cypriano *serm. de lapsis post medium,* ubi narrat, puellam infantem prius vino idolis immolato pollutam, non potuisse postea sacrum sanguinem deglutire, cui utique non fuerit prius datum corpus Christi sub specie panis; alias utique hoc prius rejecisset. vide etiam Bel-

larinum loco citato, ubi rectè ait, infantem non potuisse absumere species solidi cibi. Idem sacer sanguis probabiliter aliquando colligi ex citato Concilio Toletano XI. c. 11. ubi dicitur: *Solet enim humana natura infirmitas, in ipso mortis exitu prægravata, tanto siccitatis pondere deprimi, ut nullis ciborum illationibus resciri, sed vix tantundem illati delectetur populi gratiâ sustentari.* Et fertur, istud adhuc fieri apud varios Orientis populos circa infantem.

327. Quartò. Parvulis paulò grandioribus, sed adhuc innocentibus, data fuerunt absumendæ reliquie communionis, ut docet Lugo de *Evcharistia. disp. 15. sec. 4. n. 80.* & habetur clarè expressum in Concilio Matifconensi II. can. 6. ubi sic habetur: *Quicumque reliquia sacrificationum post peractam Missam in sacrario superfederint, quarta, vel sexta feria innocentes ab illo, cujus interest, ad Ecclesiam adducantur, & indico eis jejunia eisdem reliquiis conspersas vino percipiant:* per quod vinum non intelligitur vinum consecratum, sed commune; nam consecratum non poterat fervari; cum aliàs facile accleresceret: nec aliam ob causam vino reliquie illæ aspergebantur, quàm, ut eas parvuli facilius, & libentius absumerent. Quintò. A primis, & antiquissimis Romanis Pontificibus, missa est aliis Episcopis, etiam remotis, Evcharistia, ut refert Eusebius l. 5. *hist. Eccles. c. 24.* ergo non sub specie vini, quæ corrumpi, vel effundi sæpe debuisset.

328. Sextò. Apud Græcos totà quadragesimâ, excepto Sabbato, & Dominicâ, ac festo Annunciationis, fit *communio ex præsanctificatis*, sive ex non tunc, sed prius, seu antecedente tempore, jam consecratis, alibi singulis, alibi ternis hebdomadæ diebus, jam à tempore Concilij Laodicensis, celebrati sæculo quarto, ut colligitur ex *eius canone 49.*: certè jam à temporibus, S. Chrysostomum antecedentibus: hæc autem communio fit sub una specie panis: & quamvis huic à Græcis quibusdam instilletur aliquid sacri sanguinis; tamen hæc species quinque dierum spatio exhalantur: neque consuetudo hæc instillandi aliquid sacri sanguinis requirit apud omnes Græcos, ut tradunt veterum periti. Vinum autem, quod in ipsa missa præsanctificationum adhibetur, & cui sacræ species panis intinguntur, non est consecratum.

Eadem communio ex præsanctificatis fit in Ecclesia Latina die Parasceves, seu die Veneris sancto, quo sacerdos communicat sub una specie; & viget hic usus saltem à tempore Innocentij I. qui rexit Ecclesiam jam initio sæculi quinti; nam is jam ejus consuetudinis meminit *epist. 1. c. seu n. 4.* ubi ait, quod *traditio Ecclesie habeat, isto biduo nempe die Veneris, & Sabbathi sancto, sacramenta penitus non celebrari.* Olim quæque populum sub una tantum specie communicasse die Veneris sancto habetur ex Ordine

dine Romano titulo. *Ordo de officiis Divinis à cæna Domini.* ubi post orationem: *Deus incrementorum &c.* & alia pauca dicitur: *Sumat Episcopus de ipsis oblatas integras ad servandam usque mane diei parasceves: de quibus communicent absque sanguine Domini: sanguis vero eadem die penitus consumatur.* Deinde. *titulo Ordo in die parasceves. §. Istis vero versuculis dicitur: Sumit de sancta oblata, & ponit in calicem nihil dicens... sanctificatur autem vinum non consecratum per sanctificationem panem: & communicant omnes cum silentio: ex quo aperte habetur, administratam fuisse communionem, sub una tantum specie, & quidem publicè in Ecclesia.*

329. Septimò. Manichæi tempore S. Leonis (ut ipse testatur *serm. 4. de quadragesima*) ne se manifestarent, communicabant cum Catholicis: sed non sumebant species vini; eoque ex hæresi sua crederent, vinum esse à diabolo, imò esse ejus fel: item quod crederent, Christum Dominum sanguine caruisse, & corpus tantum phantasticum habuisse: at, nisi etiam Catholici plures abstinissent ex legitima causa à speciebus vini, Manichæi non laussissent, sed statim fuissent redditi mandati: ergo. Hinc circa illud tempus, ad eam hæresin confundendam, introductus est usus utriusque speciei: qua hæresis iterum cessante, vel obcurata, iterum liberum fuit, pro cuiusque Ecclesie consuetudine, vel utramque, vel tantum unam speciem sumere. Taceo Patres, & doctores, aliquanto recentiores, ut S. Bernardum, S. Thomam, & alios, qui jam aperte hoc dogma Catholicum defendunt. videatur Bellarminus *tom. 3. controv. 3. de SS. Evcharist. l. 4. c. 24.*

330. Confirm. Lutherus ipse in *declaratione sermonis à se habiti de Evcharistia* ait: *Non dixi, neque consului, nec est intentio mea, ut unus, aut aliquot Episcopi, propria auctoritate incipiant, alicui utramque speciem porrigere, nisi ita institueretur, ac præciperetur in aliquo generali Concilio, & in formula Missæ, scribit: Si quod Concilium statueret, aut permitteret utramque speciem, nos nequaquam utramque uti vellemus: sed in respectu Concilij, ejusque statuti, aut unâ, aut neutrâ, & minime utramque uti vellemus:* ergo juxta ipsum non est præceptum Divinum, laicis etiam datum, utramque speciem sumendi; aliàs Lutherus non debuisset ita loqui. Verum quidem est, eum alibi aliter loqui: sed hoc aliud non probat, quàm eum fuisse in suis articulis proponendis valde inconstansem. Unde utique ejus autoritate consensionem non stabilimus; sed tantum adversariis, argumento ad hominem, ut vocant, ostendimus, nostram conclusionem etiam admittendam esse, si ipsorum dux non fallat. Similia de Melancthone, atque aliis Protestantibus, vide apud Bellarminum *tom. 3. controv. 3. de Evcharist. l. 4. c. 20.* & Tannerum *tom. 4. disp. 5. q. 8. dub. 6. n. 151.*

331. Dico 2. Ecclesia justissimè prohibet laicis usum calicis. Conclusio est de fide ex Tridentino *sess. 21. c. 1. & 2.* Prob. Non pertinet usus calicis ad substantiam sacramenti (ut conclusione præcedente probatum est) sed tantum ad modum sumendi: atqui circa hunc potest Ecclesia statuere, & disponere ea, quæ serviunt ad utilitatem sacramentum, & venerationem sacramentorum, pro rerum, temporum, locorumque, variis circumstantiis: ergo potest Ecclesia etiam circa usum calicis multa statuere, & disponere, hoc est, eum, vel præcipere, vel prohibere. prob. min. in primis ita definit Tridentinum *loc. modò cit.* deinde colligitur hoc ex illo 1. *Cor. 4. v. 1.* *Sic nos existimet homo, ut ministros Christi, & dispensatores mysteriarum Dei:* item etiam ex ratione; hæc enim potestas est necessaria ad rectam gubernationem Ecclesie, sicut potestas ferendi leges: ergo. Quòd autem defacto Ecclesia usum calicis prohibuerit, & adhuc prohibeat, habetur ex citatis Conciliis: quòd autem justissimè eum prohibeat, inferitur, cum ex modò dictis, quòd scilicet Ecclesia habeat legitimam potestatem, tum etiam ex eo, quòd habeat justissimas rationes eum prohibendi. Hæc autem sunt sequentes.

332. Prima. Periculum est ingens indignæ tractationis SS. Evcharistie: imò quasi certitudo moralis de ea; cum sæpissimè vitari non possit effusio sacri sanguinis, in tam magna multitudinè communicantium, puerorum, senum, debiliùm, ægrotorum, rusticorum, sese comprimentium &c. qui non possent dextrè, & sine periculo effusionis bibere de manu sacerdotis. Secunda. In pluribus locis, ubi est tantum unus sacerdos, & frequentissimus populus, non possent sufficiens vinum consecrari, nec in uno, nec in pluribus calicibus, ut patet consideranti. Tertia. Aliqui abhorrent à vino, ut abstemij: adeoque non possunt communicare modo aliis usitato: imò propter hanc rationem ipsi Lutherani permittunt his abstinentiam à calice, licet id malè fieret, si esset Christi præceptum.

333. Quarta. Si fuisset consecrata magna quantitas vini pro multo populo, quid fieret residuo, quod semper aliquod remaneret? Abhorrent sane plures sacerdotes ab eo sumendo, maxime, si vetule, leprosi, gangranosi, sordidi, ex eo hausissent: imò propterea multi abstinent à bibendo illo vino, quod post communionem propinatur. Quinta. Ecclesiam decet valde uniformitas: cum ergo jam olim, pluribus in locis, non esset usus communionis sub utraque specie, rectè sublatus est etiam in aliis, accidentibus præsertim rationibus jam enumeratis.

334. Sexta, & maxima ratio hujus prohibitionis est, ut excendantur hæreses: nec suspicentur homines, quòd sub una specie non sit totus Christus, & una species non sufficiat ad salutem: sicut diximus n. 329. ob hæresin Manichæorum olim statutum fuisse contrarium. Sic etiam, quamvis olim in baptisinate usitata fuerit triplex immersio, postea

postea tamen contra Arianos, qui per triannam mersionem tres in Deo naturas significari delirabant, in Concilio Toletano IV. cap. 5. decretum fuit, unam tantum postea in Hispania adhibendam esse immersionem: cumque postea plurima incommoda, atque pericula, tum propter malitiam hominum, tum propter temporum conditiones, sequerentur ex mersione, invaluit à sæculo decimo mos baptizandi per infusionem: qui tamen mos, jam à sæculo tertio circa ægrotos, qui sine mortis periculo mergi non poterant, adhiberi solitus erat. Et hunc ritum etiam servant nobiscum Protestantes (licet vox græca βαπτισμο Lutherò latinè significet mergo) ridèntque Anabaptistas, volentes pertinaciter, homines mergi debere.

335. Dein nulla sperari potest utilitas ex concessione calicis; si enim ij, quibus ille permittitur, retinent errorem suum, de insufficientia unius speciei ad salutem, sunt indispositi ad sacramentum cum fructu recipiendum: si eum deponunt, ad quid exigunt calicem? Petiit Ferdinandus I. à Pio IV. & hic concessit an. 1564. ut Episcopi Germaniæ possent permittere calicem: & excepta est Viennæ facultas cum ingenti lætitia. At nullus fructus est secutus, ut testatur Pallavicinus *historia Concilij Tridentini l. 24. c. 12. n. 8.* quare, vix anno elapso, eam S. Pius V. revocavit. Sanè gloriarentur hæretici, quasi victoriam retulissent, & nos de errore alio convictissent, si usus calicis eis iterum concederetur.

ARTICULUS IV.

Solvuntur Objectiones.

336. **O**B. 1. Christus Joannis 6. v. 54. ait: *Nisi manducaveritis carnem filij hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis*: ergo præcepta, vel omnino necessitate mediæ necessaria, est communio sub utraque specie. Resp. In primis hunc textum non debent nobis objicere Lutherani, & Calvinistæ, qui negant Joann. 6. agi de Evcharistiæ sacramento. Dein quadruplex est solutio. Prima ait, hunc textum non extendi ad omnes homines, sed tantum significare, quod hoc debeat fieri, saltem ab aliquibus in Ecclesia: sic etiam per illud Joann. 20. v. 22. *Accipite Spiritum Sanctum*: non significatur, debere omnes esse sacerdotes, sed tantum aliquos: & per illud Gen. 9. v. 1. *Crescite, & multiplicamini*: tantum significatur, aliquos debere esse conjugatos: item illud ad synagogam Exodi 12. v. 13. *Tollat unusquisque agnum*: non significat, debere unumquemque hominem separatim agnum occidere.

Altera, & melior solutio est, quod quidem omnes debeant sumere sanguinem:

sed quod hoc quoque fiat, sumendo tantum unam speciem panis, sub qua etiam adest sanguis, & sub ea, si non formaliter, saltem (ut ita dicam) materialiter bibitur. Unde præcepta est quidem sumptio sacri sanguinis, sed non est præceptus modus sumendi: & in hoc sensu dixit S. Cyprianus, (vel quisquis est author) *Serm. de cena Domini sub medium: Potus, & esus, ad eandem pertinent rationem.*

337. Tertia solutio est, particulam & sumi disjunctivè, ut sensus sit: *Nisi manducaveritis carnem filij hominis, vel biberitis ejus sanguinem &c.* Et hæc acceptio hujus particulæ in Scripturis est frequens: sic Lev. 20. v. 9. dicitur: *Qui maledixerit patri suo, aut matri, morte moriatur: patri, matrique maledixit, sanguis ejus sit super eum*: ubi clarè patet, in posteriore parte textus particulam &, seu que significare, quod in præcedente significat particula aut. item Act. 3. v. 6. dicit S. Petrus: *Argentum, & aurum, non est mihi*: quod significat *argentum, vel aurum*; aliàs, si S. Petrus habuisset, quamvis non utrumque simul, tamen unum ex duobus, potuisset dare elemosynam. Rursus 1. Cor. 11. v. 29. *Qui enim manducat, & bibit indignè, judicium sibi manducat & bibit*: significat: *Qui manducat, vel bibit*; nam quodlibet eorum sufficit ad judicium, & damnationem.

338. Quarta solutio est, illud nisi significare idem, ac si non; hinc sensum esse: *Si non manducaveritis, & si non biberitis*: id est, si neutrum feceritis: cum qua solutione coincidit aliorum responsio, qui dicunt, illud & etiam necesse particulam non cum sequenti constructione: adeoque idem significare, ac neque, consequenter sensum esse: *Si non manducaveritis, neque biberitis*: & sic, quamvis apud Xaintem Pagninum in psalmo 1. *Beatus vir. v. 5.* in Hebræo habeatur: *Non stabunt impij in judicio, & peccatores in catu justorum*: tamen versio Latina vulgata habet: *Non resurgent impij in judicio, neque peccatores in Concilio justorum*. ubi pro & posito in Hebræo, ponitur neque in Latino. Jam verò propositioni copulativæ: *Nisi manducaveritis, neque biberitis &c.* opposita est disjunctiva: *Si manducaveritis, vel biberitis*: adeoque tantum unum disjunctivè est necessarium. Ecce in quot sensibus explicari quàm optime possit hic textus, quin utraque species præcipiatur: & hæc explanationes roborantur vel maximè ex eo, quod hac ratione quàm optime concilietur hic textus cum aliis, in quibus Christus etiam uni tantum speciei promittit vitam, quos textus dedimus n. 323. in forma neg. conf.

339. Ex hoc inferitur cum Suárez tom. 3. in 3. p. disp. 71. sec. 2. §. *Dico secundo*. de jure Divino tantum esse præceptum, sumere unam speciem indeterminatè: neque determinatè necessariam esse speciem panis; quia mandatum illud: *Nisi manducaveritis &c.* juxta modò datam explanationem, imple-

pletur per quamlibet speciem disjunctivè sumptam: cumque totus Christus sit sub utralibet, efficit sub qualibet unionem sacramentalem, & spiritualementem.

Quod autem Luca 22. v. 19. ponatur illud: *Hoc facite in meam commemorationem*: post speciem panis, non verò repetatur post speciem calicis: & quod 1. Cor. 11. v. 25. licet eadem verba ponantur quoque post speciem vini, tamen non ponantur sine addita conditione: *Quotiescunque biberitis*: hoc, inquam, non multum refert; nam ea verba spectare ad utramque speciem, sufficienter probatur ex praxi Ecclesiæ, quæ illa verba in canone primùm ponit post consecrationem calicis. Addita verò à S. Paulo conditio non videtur aliud mysterium significare, quàm quod in posteriori explicetur, quod prius fuerat omissum. Quod autem usus panis sit communior, quàm vini, non probat dari præceptum Divinum determinatè de hac specie (licet defacto detur Ecclesiasticum) maxime cum aliquando possit applicari usus vini, & non panis, sicut etiam vicissim.

340. Dices. Licet Christus promittat vitam æternam speciei panis, non sequitur, quod eam promittat illi soli: ergo nostra argumentatio est nulla. prob. antec. Christus promittit etiam fidei salutem, vel vitam æternam: sic Matth. 10. v. 32. ait: *Qui constabitur me coram hominibus, conturbor & ego eum coram Patre meo*: sed non ideo promittit Christus vitam æternam fidei soli; nam in ea promissione subintelligitur: *Si cetera non defuerint*: ergo etiam idem potest dici de promissione facta sumptioni speciei panis. Confirm. Per panem in Sacra Scriptura sæpe intelligitur totum convivium: ergo etiam per eum potest intelligi species vini.

Resp. 1. Adversariorum est probare, quod in promissione facta sumptioni speciei panis subintelligatur hæc conditio: *Si etiam sumatur species vini*; nam illi præceptum aditruunt, nos negamus: affirmanti autem incumbit probatio. Quare, cum aliquando Christus de aliqua re loquatur exclusivè; aliàs autem de alia non loquatur exclusivè, debent adversarij probare, eum hic non loqui exclusivè. Resp. 2. Etiam nos non dicimus, soli sumptioni speciei panis promitti vitam æternam, excludendo alia opera pia, dispositiones &c. sed tantum excludendo speciem vini.

341. Hoc autem optimè colligimus cum Tridentino ex fine, & circumstantiis sermonis Christi; nam primò, Christus ibi voluit docere, necessariam esse nobis unionem spiritualementem, & sacramentalem cum ipso; hæc autem, cum possit haberi, vel per sumptionem unius, vel per sumptionem utriusque speciei, hinc Christus Dominus, modò loquitur de una, modò de utraque specie. Deinde comparat ibi Christus Evcharistiam cum manna: ut autem hæc similitudo sit integra, debet solus cibus sufficere; unde Christus concludit v. 58. *Qui man-*

ducat me, & ipse vivet propter me. in forma. dist. ant. non sequitur, quod Christus promittat vitam soli speciei panis, sumptæ sine debitis dispositionibus. om. ant. sine specie vini. neg. ant. & conseq.

Ad confir. dist. ant. per panem tropicè acceptum intelligitur totum convivium. conc. ant. per panem rigorosè acceptum. neg. ant. & conf. Christum autem Joann. 6. non accepisse panem tropicè, constat ex rationibus hucusque pro nostra conclusione allatis. Quod autem Concilium Tridentinum verba illa: *Nisi manducaveritis &c.* non expressius explicaverit, ratio erat; quia variæ erant apud SS. Patres eorum verborum explanationes, quarum nullam rejicere voluit, sed tantum definire, non contineri in iis præceptum, sumendi utramque speciem.

342. Ob. 2. Matth. 26. v. 27. ait Christus: *Bibite ex hoc omnes*; unde Calvinus, ait. l. 4. insit. c. 17. *Edictum æterni Dei est, ut omnes bibant*: ergo. Confirm. 1. S. Paulus. 1. Cor. 10. v. 17. dicit: *Unum corpus multi sumus, omnes, qui de uno pane, & uno calice participamus*: ergo. Confirm. 2. Dicitur iterum 1. Cor. 11. v. 28. *Et sic de pane illo edat, & de calice bibat*: ergo. Confirm. 3. Rursus 1. Cor. 10. v. 3. & 4. dicitur de Judæis antiquis: *Omnes eandem escam spiritualementem manducaverunt: & omnes eandem potum spiritualementem biberunt*: ergo. Resp. neg. conseq. Sermo ille directus est tantum ad Apostolos, qui soli tunc præsentés erant; licet enim Christus quandoque in Apostolis locutus sit omnibus fidelibus, non tamen semper ita locutus est, ut patet ex pluribus locis Sacræ Scripturæ.

Neque nos quidquam cogit ad dicendum, quod Christus hoc loco locutus sit omnibus fidelibus: imò, cum Marci 14. v. 23. dicatur: *Et biberunt ex eo omnes* (quod non verificatur de omnibus Christianis) & insuper Ecclesia aliter ea verba exponat: quin etiam ipsi adversarii non credant, Christum etiam locutum esse infantibus (cum his Evcharistiam non tribuant) dicendum est, Christum ibi locutum fuisse solis Apostolis, vel certè solis sacerdotibus, quales tunc Apostolos consecravit, & quibus sacrificandi potestatem dedit, (nam non tantum Episcopi, sed & sacerdotes in officio consecrandi Apostolis succedunt.) Ad id potest ex Suarez tom. 3. in 3. p. disp. 71. sec. 2. §. *Et ex his*. verba illa *Bibite &c.* non esse præcipientis, sed invitantis, seu dantis universalem licentiam bibendi: intellige, nisi rationabiles ob causas id Ecclesia prohibeat.

Neque scrupulum hæreticis moveat, quod Christus, porrigens speciem panis, non usus fuerit voce *omnes*, sed tantum, dum porrexit calicem; nam & canon Missæ addit *omnes*, & S. Ambrosius, ac Paschasius, etiam legunt *omnes*: nec Evangelistæ negant, id dictum fuisse, licet non expriment. Dein, si etiam Christus id verbum ibi omisisset, ratio fuisset; quia, cum panem fregerit in duodecim partes, non erat necessarium monere, ne

ne unus omnes buccellas comederet: at, cum unum tantum calicem consecraverit, moneri debuerunt, ut inter se dividerent: & hinc Luca 22. v. 11. habetur: *Accipite, & dividite inter vos*: quod, licet fors dictum sit de alio calice non consecrato, tamen ex eo colligitur, idem subintelligendum fuisse in datione calicis consecrati.

343. Ad 1. confir. neg. conf. Illud uno calice, non habetur in Bibliis vulgatis correctis, & in nullis Græcis: dein aliud ex illis verbis non probaretur, quam Corinthios sub duplici specie communicasse: ex quo non sequitur, quod omnes alii etiam ita communicaverint, & quidem tanquam ex præcepto Christi. Ad 2. confir. neg. conf. S. Paulus non præcipit absolute fidelibus, ut sub utraque specie communicent, sed, ut id non faciant, nisi prius se probent; præmittit enim: *Probet autem se ipsum homo, & sic de pane illo edat &c.* tunc enim permittit ipsi utramque speciem. Quod autem v. 23. Apostolus addat, se tradere Corinthiis, quod acceperit à Domino, non probat, quod id imperet: sed quod ipsos certiores reddat, quid Dominus fecerit, vel sibi revelaverit. Ad 3. confir. neg. conf. in primis enim manducatio mannae longe præcessit potum ex petra, adeoque non fuit simul: dein non fuit ibi ullum præceptum.

Dices. Christus Luc. 22. v. 19. agens de sumenda utraque specie, ait: *Hoc facite in meam commemorationem.* & S. Paulus 1. Cor. 11. v. 24. & 25. idem bis repetit: ergo datur præceptum sumendi utramque speciem. Resp. neg. conf. Non præcepit Christus facere omnia, quæ ibi fecit ipse; aliàs deberemus fumere Evcharistiam non jejuni, sed post cenam, non mane, sed vesperi: item deberemus prius lavare invicem pedes. Rursus, si illud dictum spectat ad omnes, debent omnes etiam scemina consecrare, quod, licet Lutherus admittat, tamen est tam absurdum, ut vel à suis in hoc deservatur: imò etiam adversarij non cuilibet viro concedunt potestatem consecrandi.

Acceperunt ergo per ea verba Apostoli, & in his Episcopi, ac sacerdotes, eorum quoad consecrationem successores, mandatum, quo jubentur, retinere in Ecclesia usum calicis, & calicem consecrare; non tamen jubentur, eundem semper dare laicis. Et hinc, ut diximus n. 315, acceperunt etiam laici mandatum, sumendi hoc sacramentum, suam naturam omnibus aliquo modo necessarium; quia, si illis mandatum est, ut distribuunt, inferunt, his esse præceptum, ut fumant: at non, ut fumant hoc sacramentum, sicut id sacerdotes sumunt, sed sicut distribuunt.

344. Ob. 3. SS. Patres docent, necessarium esse sumptionem utriusque speciei: ergo. prob. ant. afferendo eorum verba. Primò. Gelasius Papa. C. *Comperimus. 12. de consecr. dist. 2.* ait: *Comperimus autem, quod quidam, sumpta tantummodo corporis sacri portione, à calice sacri cruoris abstineant, qui procul dubio (quoniam nescio*

qua superstitione docentur obstringi) aut integra sacramenta percipiunt, aut ab integris arceantur; quia diviso unius, ejusdemque mysterij, sine grandi sacrilegio non potest provenire. Secundò S. Leo Jerm. 4. de quadrages. reprehendit Manichæos, quod panem tumerent, à calice autem abstinerent, dicens: *Ore indigno corpus Christi accipiunt: sanguinem autem redempti- onis nostra haurire omnino declinant: quod factum statim à S. Leone vocatur sacrilega simulatio.* Tertio. S. Justinus M. in apolo- g. 2. sub finem. postquam descripsit communione sub utraque specie, ait: *Apostoli enim in commentarijs suis, quæ Evangelia dicuntur, ita sibi Christum præcepisse tradiderunt.*

Quartò. S. Cyprianus epist. 54. seu in alia edit. l. 1. ep. 2. sic scribit: *Quomodo ad martyrij poculum idoneos facimus, si non eos prius ad bibendum in Ecclesia poculum Domini jure communicationis admittimus?* Quintò. Idem S. Cyprianus epist. 63. vel juxta aliam edit. l. 2. epist. 3. ait: *Quidam, vel ignoranter, vel simpliciter, in calice Domini sanctificando, & plebi ministrando, non hoc faciunt, quod Christus fecit, & docuit.* Sextò. Idem Jerm. de cæna Dom. ait: *Lex quippe esum sanguinis prohibet: Evangelium præcipit, ut bibatur.* & post pauca: *Bibimus autem de sanguine Christi ipso jubente.*

Septimò. S. Augustinus l. quæstion. in Heptateuchum l. 3. super Leviticum. q. 57. sub finem, ait: *Ad bibendum sanguinem Domini potius omnes exhortantur, qui volunt habere vitam.* Octavò. Idem S. Doctor sic ait: *Quia nec caro sine sanguine, utique nec sanguis sine carne jure communicatur.* Nonò. Paschasius Rathbertus Abbas Corbeienfis l. de corp. & sanguine Dom. c. 15. ait: *Bibite ex hoc omnes, tam ministri, quam & reliqui credentes.* Decimò. Concilium Braccarense III. can. 1. ait: *Illud verò, quod pro complemento communionis intinctam tradunt Evcharistiam populis, nec hoc prolatum testimonium ex Evangelio recipit, ubi Apostolis corpus solum, & sanguinem commendavit; seorsum enim panis, & seorsum calicis commenda- tio memoratur.*

345. Resp. neg. ant. & explicio Patrum textus. Ad 1. dico. Gelasius Papa, vel loquitur de solis sacerdotibus sacrificantibus, ut Gratianus (qui ea verba in Decretum retulit) explicat; nam capitulo hunc titulum præfigit: *Corpus Christi sine ejus sanguine sacerdos non debet accipere*: vel loquitur de ijs, qui ex superstitione sacrilega à calice abstinebant, ut Manichæi, Priscillianistæ: quod videntur indicare addita illa verba: *Quoniam, nescio qua, superstitione docentur obstringi.*

Hæc secunda responsio etiam datur ad 2. textum, ex S. Leone adductum: & clare est clarissimum, S. Pontificem Manichæos reprehendere; eoque ex sacrilega superstitione à calice abstinerent. Ad 3. Dicit S. Justini non sunt referenda ad communio-

nem, sed sunt referenda ad consecrationem, & veritatem præsentia realis corporis, & sanguinis Christi, per verba consecrationis cautam; nam de hac immediate antè loquitur S. Martyr, docens, quomodo per verbum prolatum fiat Evcharistia, nec jam sit amplius panis communis.

346. Ad 4. S. Cyprianus in primis ibi loquitur de lapsis, quibus ablatum erat ab Episcopis jus communicandi: ex quo potius inferunt, Prælatos Ecclesiæ habere jus tollendi laicos communionem. Deinde loquitur de illis lapsis, qui jam egerant penitentiam, seu, ut ibi habetur, de non amplius infirmis, sed fortibus: quos cenluit, & voluit, iterum esse restituendos communioni: quæ, quia tunc temporis dabatur sub utraque specie, hinc etiam S. Cyprianus loquitur de specie vini, seu poculo Domini sanguinis: hic autem, sive bibatur, sive comedatur, eandem vim tribuere potest martyribus, ad fortiter standum in tormentis.

Ad 5. S. Cyprianus ibi intendit docere, non debere in calice aquam offerri, & consequenter vult, nec solam aquam in calice, qui tunc temporis dabatur, populo præberi. Cæterum verba male citata sunt; nam textus sic habet: *Si quis de antecessoribus nostris, vel ignoranter, vel simpliciter, non hoc observavit, & tenuit, quod nos Dominus facere exemplo, & magisterio suo docuit, potest simplicitati ejus ac indulgentiæ Domini venia concedi.* Est autem manifestum, hæc verba referenda esse ad eos, qui solam aquam in calice obtulerunt.

Ad 6. Auctor sermonis de cæna, si tamen est S. Cyprianus, non dicit, Evangelium præcipere, ut ab omnibus bibatur sanguis, sed tantum, ut bibatur: quod fit, dummodo eum bibant sacerdotes. Et videtur hoc insinuare ipse auctor sermonis; nam, cum prius de mandato sacri sanguinis sumendi egisset, postea primum ait: *Nec solos sacerdotes ad panes... admittit: universa Ecclesia ad hæc epulas invitatur.* ubi videtur totam Ecclesiam, seu laicos tantum ad speciem panis sumendam obligare. Resp. 2. Hic auctor non facit vim in voce bibere; nam hoc opponit verbo edere: & potum, ac esum sumit per modum unius, ut patet ex n. 336. & quia non longe ab initio sermonis ait: *Manducaverunt, & biberant de eodem pane.*

347. Ad 7. S. Augustinus etiam non facit vim in bibendo sacro sanguine, modò sumatur; nam opponit tanquam contraria, non comedere sanguinem, & eum bibere: ait enim: *Acijus tamen sacrificij sanguine, in alimentum sumendo, non solum nemo prohibetur, sed ad bibendum potius omnes exhortantur.* Deinde, cum fuerit tunc consuetudo Ecclesiæ, sumendi utramque speciem, vel cum etiam Manichæi tunc extiterint, rectè poterant fideles stimulari adhortationibus, ad sacrum sanguinem sub specie vini bibendum, etsi hoc non fuerit jure Divino præceptum.

Ad 8. Verba illa non sunt S. Augustini, sed Paschasii Rathberti l. de corp. Christi. c. 19. qui, cum loquatur de sui temporis consuetudine, ac ordinatione Ecclesiæ, rectè dicit, jure non communicari unum sine altero; tunc enim præbere unum sine altero fuisset contra jus Ecclesiasticum. Quas autem ibi affert congruentias pro administratione utriusque speciei, non intendit, afferre tanquam probantes necessitatem (nam ad hoc essent inefficaces, ut patet confideranti) sed tanquam probantes aliquam convenientiam: e. g. quia clarius per utramque speciem exprimitur respectio animæ per modum completi convivii: vel aliquantò clarior habetur commemoratio passionis Domini &c. quæ non probant necessitatem ullam utriusque speciei, ut jam ostendimus.

Sed, etsi ea verba etiam fuissent S. Augustini in aliquo opere, quod modò non extat, potuerunt ea à S. Doctore dicta fuisse occasione Manichæorum, contra quos fortè ibi scripsit S. Augustinus, & propter quos postum est præceptum Ecclesiasticum, communicandi sub utraque specie, ut dictum n. 329. quo posito textus ille nihil probaret contra nos; quia non probaret, esse præceptum de jure Divino, & tamen verissimè diceretur, id non fieri jure, scilicet Ecclesiastico.

348. Ad 9. Verosimilius textus est corruptus (ut notavit Bellarminus tom. 3. contro. 3. de Evcharist. l. 4. c. 26. §. Decimo sexto) & loco edite positum esse bibite; ita enim habet textus: *Hic solus est, qui frangit hunc panem, & per manus ministrorum distribuit credentibus, dicens: Accipite, & bibite ex hoc omnes &c.* ubi tantum fit mentio panis, qui editur, & non bibitur; unde vox bibite non quadrat: postea autem primum fit mentio calicis. Vel debet admitti, quod sanguis Domini sub specie panis bibatur, quod est multò magis pro nobis. Suarez tom. 3. in 3. p. disp. 71. sec. 2. §. Et ex his. putat, Paschasium per hæc verba tantum velle, quod omnibus de jure Divino data sit facultas, non verò præceptum bibendi: nec Paschasium ibi exponere verba Christi: sed tantum, supponendo consuetudinem communicandi suo tempore sub utraque specie, considerare Christum, per ministros ea verba omnibus dicentem.

Ad 10. Concilium Braccarense potuit jure suo prohibere consuetudinem, dandi SS. Evcharistiam intinctam; quia ea consuetudo non poterat tunc probari, vel exemplo, vel testimonio Scripturæ. Sed quamvis hoc Concilium eam consuetudinem prohibuerit, non sequitur, quod hoc ipso præceptum, dari communionem sub utraque specie. Verum, etsi etiam hoc præceperit, benè fecit; quia tunc communio sub utraque specie fuit præcepta de jure Ecclesiastico, non autem Divino. Alii textus, ex Patribus afferri soliti, plus non probant, quam laicis aliquando concessum fuisse usum calicis, quod non negamus.

349. Ob. 4. ex Kemnitio. S. Gregorius Nazianzenus in orat. funeb. de S. Gorgonia sorore sua, longè post medium, ait, Sanctam Gorgoniam domi reservasse symbola corporis, & sanguinis Domini: ergo etiam domi servabatur sacer sanguis. Confirm. 1. S. Ambrosius in orat. funeb. de S. Satyro, meminit haustionis, & transfusionis in viscera, quod species vini competit: ergo antiquitus non tantum unam speciem portarunt domum. Confirm. 2. S. Chrysostomus epist. priore ad Innocentium Papam, sic scribit: Ipso sabbatho sancto, collecta manus militum, ad vesperam diei in Ecclesiam ingressa, clerum omnem, qui nobiscum erat, vi ejecit. quin & sanctissimus Christi sanguis, sicut in tali tumultu conringit, in prædictorum militum vestes effusus est: ergo etiam servabatur sacer sanguis.

Resp. neg. conseq. S. Gregorius narrat ibi miraculosam sanitate, à sua sorore recuperatam, per SS. Evcharistiam, postquam, ut ait, quid uspiam antityporum, pretiosi corporis, aut sanguinis, manus recondiderat, id lacrymis admisisset; unde loquitur tantum disjunctivè, & indeterminatè, de speciebus panis, & vini. Quod autem intelligendus sit potius determinatè loqui voluisse de speciebus panis, colligitur ex eo, quod species sacri sanguinis manu recondi non potuerint: multo minus recondi manu consueverint. Dein etiam species panis sunt aliquod symbolum corporis, & sanguinis Domini, & corporis quidem immediate, sanguinis verò mediate.

Ad 1. confr. Resp. 1. Si S. Ambrosius loqueretur de Evcharistia tunc in mari sua in viscera, potius alluderet ad rem signatam, quam ad signum, quatenus vellet dicere, S. Satyrus verè sumpsisse sanguinem Christi, qui sanguis, cum liquor sit, suo modo dici potest transfundi, vel hauriri, etiam quando sub specie panis sumitur. Necessariò autem sic explicandus esset S. Ambrosius; quia ibi meminit transfusionis speciei, quam S. Satyrus habebat involutam in orario, seu linteo, quæ utique non erat species vini; sic enim ait S. Ambrosius: Et enim Evcharistiam ligari fecit in orario, & orarium involvit collo, atque ita se deiecit in mare.

Resp. 2. S. Ambrosius ibi narrat, quod S. Satyrus opus SS. Evcharistia, quam secum habebat, sole evaserit ex naufragio: & addit, cum postea hoc beneficio Divino permotum suscepisset sacros ordines, quos prius refugerat: dein subjungit hæc verba: Qui tantum mysterij alestis, involuti in orario, præsidium fuisset expertus, quantum arbitratur, si ore sumeret, & toto peccatoris hauriret arcano? quam majus putabat fufum in viscera, quod tantum sibi teetum orario profuisset? ex quibus verbis tantum inferitur, quod postea S. Satyrus jam sacerdos fuerit in viscera SS. Evcharistiam; non autem, quod jam prius id fecerit: certè minimè probatur, quod ibi in

mari hauserit, vel acceperit sub speciebus vini sanguinem Domini, in forma om. ant. neg. conseq.

Ad 2. confirm. dist. conseq. Servabatur sacer sanguis universaliter in omnibus Ecclesiis, & ordinariè, ac ad longum tempus, neg. conseq. servabatur aliquando in aliqua particulari Ecclesia, & quidem ad breve tempus, conc. conseq. Dein, ut habetur ex ipsius verbis S. Chrysostomi, sacrilegum id facinus contigit sabbatho sancto, quo solebant etiam Græci consecrare: ergo non debuit esse sacer sanguis jam prius servatus, sed potuit effundi is, qui tunc recens erat consecratus.

350. Ob. 5. Olim dabatur ægrotis panis intinctus speciebus sacri sanguinis, ut intelligitur ex Concilio Carthaginensi IV. can. 76. ubi dicitur: Si continuo creditur moriturus, reconcilietur per manus impositionem, & infundatur ori ejus Evcharistia: ergo nihil probamus ex historia Ecclesiastica. Confirm. Græci adhuc hodie communionem accipiunt sub utraque specie: ergo. Resp. neg. conseq. Mos ille, intingendi species panis in species vini, non fuit universalis, & brevi duravit, abrogatusque est à Braccarensi III. ut dictum n. 344. unde sæpissimè aliàs ægroti sub una specie communicantur. Carthaginensis Concilii verba probant potius, quod diximus n. 326. scilicet solas species vini fuisse infusus: quanquam fors dici possit, etiam species panis fuisse infusus; nam hoc fit etiamnum quandoque, scilicet quando ægroti, aliter eas deglutire non valenti, porriguntur in aliquo liquore. Ad confirm. neg. conf. Id faciunt Græci licitè; quia eis id concedit Ecclesia: sed non id faciunt, tanquam præceptum iure Divino. Hoc dico de iis, qui Catholici sunt: si qui ex schismaticis aliter sentirent, tam parum essent curandi, quam alii sectarii.

351. Ob. 6. Illi, qui tulerunt species panis domum, potuerunt sumere species vini in Ecclesia: ergo adhuc nihil probamus ex usu antiquæ Ecclesiæ. Confirm. Esti permittatur, communionem privatam factam fuisse sub una specie, tamen non sequitur, etiam ita administratam fuisse communionem publicam in templo: ergo nostra probatio non subsistit. Resp. neg. conseq. Inprimis unde probant adversarii, species vini datas fuisse ante species panis? Certè Christus Dominus prius dedit species panis: nec potest exemplum ullum afferri, quod oppositum publicè in Ecclesia factum sit. Dein tamen hæc duæ sumptiones, quarum una in templo, altera domi facta esset, non constituerent unam moraliter communionem; cum una sæpe multis diebus, & quandoque etiam hebdomadis, antecessisset alteram: adeoque non in una communionem sumpta fuisset utraque species; accipere enim tantum manibus, vel orario species panis, non est communicare.

Quod autem hic mos domum ferendi Evcharistiam sit postea abrogatus, probat

quidem, id factum fuisse ideo, quod irreverentia sacramento faciliè faciendâ merito timeretur: non verò, ideo, quod illicitum conferetur, sub una tantum specie communicare. Ad confirm. om. antec. neg. conseq. Si Christus absolute præcepisset summptionem utriusque speciei, nec licuisset privationem unam sumere: nec eremita, vel alij domi sumentes unam speciem, satisfecissent præcepto Christi: vel debet ostendi aliud præceptum Divinum pro templis, aliud pro domibus privatis, quod nunquam poterit ostendi. Dein n. 328. probatum est, etiam communionem publicam factam fuisse sub una specie.

352. Ob. 7. Christus prævidit ista incommoda, quæ n. 332. allata sunt, & ta sub utraque specie instituit sacramentum: ergo ex illis non inferitur, non debere fieri communionem sub utraque specie. Confirm. Posset dici, semel saltem in vita, necessariam esse communionem sub utraque specie: sic vitarentur incommoda omnia, & clariùs explicaretur illud: Nisi manducaveritis &c. ergo.

Resp. neg. conseq. Christus instituit hoc sacramentum, ut esset simul sacrificium pro sacerdotibus, qui debent illud sumere sub utraque specie: non autem iussit, ut omnes sumerent sub utraque specie. Ecclesia autem antiquior ministravit quidem sacramentum istud omnibus sub duplici specie, quando fuere fideles pauciores, adeoque minora fuerunt incommoda, vel fuerunt speciales rationes, his incommodis pares, ut hæresis Manichæorum supprimenda &c. postea verò, cessantibus his rationibus, & crescentibus ob multitudinem Christianorum incommodis, ortis præsertim variis erroribus circa usum, ac præceptum sumendi hoc sacramentum, cessavit etiam Ecclesia administrare utramque speciem.

Ad confirm. neg. antec. Illis verbis non continetur præceptum, sumendi utramque speciem, ut docemur antiquissima traditione Ecclesiæ: & quidem, si esset necessaria, vel præcepta eommunio sub utraque specie, esset necessaria, vel præcepta in articulo mortis: at eam tunc non esse necessariam, aut præceptam, docemur exemplo SS. Serapionis, Ambrosij, Basilij, de quibus n. 326. Insuper decreta antiqua, dum loquuntur de dando agris viatico, loquuntur tantum de corpore Domini: & merito; quia sæpe essent valde magna incommoda in danda variis ægrotis communionem, sub utraque specie.

353. Ob. 8. Sicut est præcepta eommunio, sic etiam est præcepta sub utraque specie: ergo. Confirm. 1. Utraque species est de integritate sacramenti: ergo debet utraque dari. Confirm. 2. Christus testamento suo legavit omnibus suum corpus, & sanguinem: ergo non debet tantum unum dari. Confirm. 3. Præceptum non est tantum de parte sacramenti, sed de toto sacramento: atqui una species est tantum pars sacramenti: ergo. Resp. neg. ant. quod

non probatur. Præceptum Divinum de communionem in genere, sive de recipienda SS. Evcharistia, probavimus n. 315. adversarii autem nunquam possunt probare præceptum de communionem sub utraque specie.

Ad 1. confirm. dist. antec. utraque species est de integritate sacramenti quoad continens, & prout habet completam significationem refectionis integræ, per modum integri convivij, conc. antec. est de integritate sacramenti, quoad contentum, seu Christum, & prout habet significationem refectionis spiritualis simplicis, tamen etiam sufficientis, & conferentis gratiam, neg. antec. & conseq. Repete hic dicta. n. 23. Ad 2. confirm. conc. totum. datur enim juxta nos utrumque, nempe corpus, & sanguis: sed non datur sub duplici specie.

Ad 3. confirm. dist. ma. præceptum non est tantum de parte sacramenti, hoc est, non est præceptum tantum de parte corporis, aut sanguinis Christi accipiendâ, conc. ma. præceptum non est tantum de parte specierum, seu de corpore, & sanguine Christi, sub una tantum specie accipiendâ: sive præcepto, de accipiendo corpore, & sanguine Domini, non satisfit, si tantum sub una specie corpus, & sanguis accipiantur. neg. ma. & dist. min. una species est tantum pars sacramenti, hoc est, sub una specie est tantum pars corporis, & sanguinis Christi, neg. min. est tantum pars sacramenti, hoc est, non est totum complexum specierum, quod cum corpore, & sanguine Domini constituit totum sacramentum, institutum per modum pleni convivij, conc. mi. & neg. conseq. ac suppositum, quod datur pro omnibus fidelibus præceptum sumendi SS. Evcharistiam, non tantum per modum simplicis refectionis spiritualis, sed per modum pleni convivij.

354. Ob. 9. Debet per sumptionem Evcharistia annunciari mors Christi: hoc non fit per sumptionem tantum unius speciei: ergo. Confirm. 1. Si potest tolli calix laicis, poterit etiam tolli species panis: ergo poterunt privari omnino sacramento. Confirm. 2. Si potest tolli species altera Evcharistia, poterit etiam tolli pars baptismi: hoc non licet: ergo nec illud. Confirm. 3. Datur laicis remissio peccatorum: ergo etiam debet dari signum, scilicet species vini, & sub eo sanguis, qui effunditur in remissionem peccatorum. Confirm. 4. Conceditur juxta nos laicis sanguis Christi, sub specie panis: ergo non debet negari eis symbolum, seu species vini.

Resp. dist. ma. debet per sumptionem SS. Evcharistia annunciari mors Christi, tanquam per representationem perfectam, ac talem, qualis e. g. fit in comædia, exhibente aliquam historiam. neg. ma. debet annunciari per aliquam rememorationem, quæ fieri potest per quodvis signum, conc. ma. & dist. sic min. neg. conseq. Annunciatio, & memoria mortis Christi imperfectior, fit etiam sumptione unius speciei; quia

quia etiam ista fit in memoriam passionis Dominicæ, atque istam recogitando, ac gratis animis recolendo. Perfecta autem annunciatio, seu representatio passionis Dominicæ, sive sacrificii in cruce peracti, fit in sacrificio Missæ, quamvis modo incruento; est enim in hoc sacrificio incruento idem primarius sacrificans, qui fuit in monte Calvariæ, itémque eadem res oblata: id quod in Conventu Poissaco reginæ Galliæ, ac proceribus, P. N. Jacobus Laynez explicavit, apta similitudine regis victoris, qui vellet in scena representari suam victoriam, simulque vellet ipse in scena agere eandem personam, quam prius in acie egerat. vide p. 2. *histor. Societ. I. s. n. 205.*

355. Ad 1. confirm. neg. ant. debet fidelibus laicis relinqui Christus, & sacramentum causativum gratiæ: ergo non potest illi utraque species. Ad 2. confirm. neg. ma. Totus baptismus est necessarius ad sacramenti valorem, & gratiæ effectum: non ita se habet altera species vini in Eucharistia. Ad 3. confirm. neg. conseq. potest enim dari remissio sine signo: certe non debet dari omne signum possibile remissionis. Quin etiam species panis est signum re-

missionis; quia etiam corpus Christi traditum est pro remissione peccatorum. Ad 4. confirm. neg. conseq. Eoispo, quod laici habeant sanguinem sub una specie, debent esse contenti: & jure ipsis, ob justissimas, & gravissimas rationes, negatur alterum symbolum, seu altera species: qua tamen carentes non accipiunt minus gratiæ.

Quare ob negatum usum calicis immerito se ab Ecclesia Catholica separant adversarii nostri, & scindunt unitatem ejus, contra finem, & institutionem ipsius sacratissimi hujus sacramenti, quod, ut notat S. Augustinus *tr. 26. in Joan. sub finem*, ideo sub specie panis, & vini institutum est, ut, sicut ex multis granis unus panis conficitur, & ex multis acinis vinum in unum confluit, ita fideles etiam communicatione hujus sacramenti, inter se arctissima unione copulentur. Quanto melius facerent, si, missis apprehensionibus suis erroneis, redirent ad nos, ut omnes una voce dicere possemus illud S. Augustini, *ead. tr. 26. in Joan. post medium dicentis: Exponens nobis Apostolus Paulus hunc panem, unus panis, inquit, unum corpus multi sumus. O sacramentum pietatis! o signum unitatis! o vinculum charitatis!*



INDEX.

Disputationum, Quæstionum, & Articulorum.

In Tractatu de Sacramentis in Genere.

	Num.		Num.
<i>De Essentia Sacramentorum.</i>	2	QUÆSTIO I.	
QUÆSTIO I.		<i>De Auctore Sacramentorum.</i>	
<i>De Definitione Sacramenti in Genere.</i>		<i>Art. I. Quis instituerit Sacramenta nova legis, & quis eadem instituere potuisset.</i>	151
<i>Art. I. Quid censendum de voce Sacramentum.</i>	3	<i>Art. II. Solvuntur Objectiones.</i>	160
<i>Art. II. Quanam sit Definitio Sacramenti.</i>	6	<i>Art. III. Quot sint Sacramenta à Christo instituta.</i>	171
<i>Art. III. Quanam à ratione Sacramenti per hanc definitionem excludantur.</i>	16	<i>Art. IV. Solvuntur Objectiones.</i>	183
<i>Art. IV. Solvuntur Objectiones.</i>	26		
		QUÆSTIO II.	
QUÆSTIO II.		<i>De Ministris Sacramentorum.</i>	
<i>De Partibus Physicis Sacramentorum.</i>		<i>Art. I. Quis sit Minister Sacramentorum.</i>	190
<i>Art. I. An Sacramenta consent rebus, & verbis, tanquam materia, & forma.</i>	33	<i>Art. II. Solvuntur Objectiones.</i>	196
<i>Art. II. Solvuntur Objectiones.</i>	45	<i>Art. III. An in Ministris Sacramentorum requiratur Fides, & Probitas.</i>	208
<i>Art. III. An ad Sacramenta requirantur res, & verba determinata.</i>	54	<i>Art. IV. Solvuntur Objectiones.</i>	218
<i>Art. IV. Solvuntur Objectiones.</i>	66		
		DISPUTATIO III.	
QUÆSTIO III.		<i>De Effectibus Sacramentorum.</i>	224
<i>De Intentione requisita ad Sacramentum conficiendum.</i>		QUÆSTIO I.	
<i>Art. I. An Intentio Ministri sit necessaria ad conficiendum Sacramentum.</i>	77	<i>De Gratia Sacramentali.</i>	
<i>Art. II. An Intentio Ministri sit pars constitutiva Sacramenti.</i>	91	<i>Art. I. An Sacramenta nova legis causent Gratiam Sanctificantem.</i>	225
<i>Art. III. Qualis Intentio Ministri requiratur, & sufficiat ad Sacramentum.</i>	103	<i>Art. II. An Sacramenta nova legis causent physicè gratiam.</i>	234
<i>Art. IV. Solvuntur Objectiones.</i>	117	<i>Art. III. Solvuntur Objectiones.</i>	242
<i>Art. V. Solvuntur reliqua Objectiones.</i>	127	<i>Art. IV. Solvuntur reliqua Objectiones.</i>	254
<i>Art. VI. Quanam Intentio Ministri ex contrariis pravalet.</i>	134	<i>Art. V. An Sacramenta legis antiqua causaverint Gratiam.</i>	263
<i>Art. VII. Quanam Intentio requiratur in suscipiente Sacramenta.</i>	138	<i>Art. VI. An per remedium legis natura, vel circumcisionem fuerit collata Gratia.</i>	274
<i>Art. VIII. Solvuntur Objectiones.</i>	144	<i>Art. VII. Solvuntur Objectiones.</i>	281
		<i>Art. VIII. Quanam Sacramenta nova legis causent primam Gratiam.</i>	300
DISPUTATIO II.		<i>Art. IX. Solvuntur Objectiones.</i>	309
<i>De Causis Extrinsecis Sacramentorum.</i>	150	<i>Art. X. An sit diversitas inter Gratias à diversis Sacramentis collatas.</i>	317
			Art.

Art. I. An Sacramenta causent in- gratiam.	321
Art. II. Solvuntur Objectiones.	331

QUESTIO II.
De Charactere Sacramentali.

Art. I. Quid sit Character, & à qui- bus Sacramentis imprimatur.	340
Art. II. Solvuntur Objectiones.	350

QUESTIO I.
De Reviviscencia Sacramentorum.

Art. I. An detur Reviviscencia Sacra- mentorum.	358
Art. II. Solvuntur Objectiones.	376

In Tractatu de SS. Evcharistia.
DISPUTATIO I.
De Essentia, & Constitutivis SS.
Evcharistia.

QUESTIO I.
De Essentia SS. Evcharistia.

Art. I. Quid sit Sacramentum SS. Ev- charistia, qua ejus Partes, an sit u- num, an multiplex.	5
Art. II. Solvuntur Objectiones	14
Art. III. An, & quomodo Christus sit pra- sens in SS. Evcharistia.	27
Art. IV. Solvuntur Objectiones ex Scri- pturis.	44
Art. V. Solvuntur Objectiones ex SS. Patribus.	55

QUESTIO II.
De Materia Evcharistia.

Art. I. Quanam sit Materia Remota SS. Evcharistia.	71
Art. II. Quid sint notandum circa mate- riam remotam SS. Evcharistia.	87
Art. III. Qua adhuc notanda circa ean- dem.	103

Art. IV. Solvuntur Objectiones.	Num.
Art. V. An Aqua sit necessario m- da vino in sacrificio.	118
Art. VI. An, & quomodo Aqua verita- tur in Sanguinem Christi.	124
Art. VII. Solvuntur Objectiones.	138
Art. VIII. Solvuntur reliqua Obje- ctio- nes.	151

QUESTIO III.
De Forma Evcharistia.

Art. I. Qua, & qualis sit forma Confe- crationis SS. Evcharistia.	163
Art. II. Solvuntur Objectiones.	172
Art. III. Solvuntur reliqua Objectiones.	192
Art. IV. Quid ponatur vi verborum sub qualibet Specie, & quid per con- comitantiam.	204

QUESTIO IV.
De conversione Evcharistia.

Art. I. An in hoc Sacramento detur, & unde colligatur vera conversio.	218
Art. III. Quomodo Christus sit sub speci- ebus panis, & vini.	223
Art. IV. Solvuntur Objectiones.	226
Art. V. An dentur accidentia absoluta.	235
Art. VI. Solvuntur objectiones.	255

DISPUTATIO II.
De Necessitate, & Effectibus SS.
Evcharistia

QUESTIO I.
De Effectibus SS. Evcharistia.

Art. I. Quando SS. Evcharistia causet gratiam.	283
Art. II. Solvuntur objectiones.	289
Art. III. An dua Species sumpta plus cau- sent gratia, quam una.	295

QUESTIO II.
De Necessitate SS. Evcharistia.

Art. I. An Evcharistia sit necessaria.	309
Art. II. Solvuntur Objectiones.	317
Art. III. An sit necessaria communio sub utraque Specie.	321
Art. IV. Solvuntur Objectiones.	336



THEOLOGICUS TRACTATUS In Tertiam Partem DIVI THOMÆ AQUINATIS. DE POENITENTIA.



Angelicus Doctor, cum in 3. parte quæstionibus, de sacramentis in genere, inde de baptismo, confirmatione, ac SS. Evcharistia in specie, finem imposuisset, quæstione 84. cepit de poenitentia ut sacramento tractare.

Adverò quæst. 85. usque ad quæst. 89. egit de eadem ut virtute, donec quæstione 90. rursus exponere cœperit sacramentum poenitentia: sed postea, primò professione ad Concilium Lugdunense, inde morbo in monasterio Fossæ Novæ, ac tandem morte justorum occupatus, Summam suam omnino absolvere nequirit: cui propterea à posteris supplementum est additum, ex ejusdem S. Doctoris scriptis, præsertim ex scripto in 4. sententiarum concinnatum. Quamvis autem ordo quæstionum à S. Doctore electus sit omni reverentia dignus, nunc tamén, methodo usitatore, prius de poenitentia ut virtute solet tractari, & postea primùm de eadem ut sacramento; eoquod virtus latius pateat, & ab universalioribus rectè ducatur initiùm (quem etiam ordinem Catechismus Tridentini observat) hinc & nos eadem ratione de poenitentia differemus.

DISPUTATIO I. De Virtute Poenitentia.

1. Quæ de poenitentia virtute disputanda occurrunt, ad hæc quatuor potissimùm revocantur, nempe, an, & quid sit: quos actus eliciat: quos effectus producat: quanta ejus necessitas homini lapso incumbat: de quibus in sequentibus quæstionibus agendum. Hic tamen observo, terminum poenitentia multiplicem significationem admittere; primò enim poenitentia dicitur omnis retractatio cujuscunque actus præcedentis, sive boni, sive mali: quo in sensu etiam poenitere aliquem potest operis boni, adeoque poenitentia esse perversa. Secundo poenitentia dicitur quæcunque retractatio honesti actus mali, sive ex motu naturali.

valibus, sive ex supernaturalibus, sive particularibus, seu ex universalibus. Poenitentiò poenitentia definitur, vel describitur dolor retractativus præcedentium actuum malorum ex motivo supernaturali, seu ad omnia commissa peccata gravia extendente, cum proposito non peccandi de cætero. Et hæc definitio, vel descriptio, saltem quoad substantiam, admittitur ab omnibus, imò supponitur, quando agitur de vera Christiana poenitentia; unde etiam nos, juxta hanc definitionem, aut descriptionem, poenitentia nomen accipimus.

QUESTIO I. De Essentia, Existentia, Subjecto, & Objecto Materiali, Virtutis Poenitentia. ARTICULUS I.

An Poenitentia sit Virtus.

3. Hic controversia ansam dedit Cajetanus, asserens, poenitentiam non esse virtutem simpliciter dictam: seu actum poenitentia non esse actum virtutis simpliciter dictum, sed tantùm secundùm quid, quamvis laudabilis sit, & meritorius. Cateri tamen Theologi communissimè cum S. Thoma p. q. 85. a. 1. in corp. docent, actum poenitentia, prout non tantùm denotat foratùm, vel aliam similem mutationem sensibilem corporis, sed prout significat actum liberum voluntatis, scilicet dictum dolorem retractativum mali, ex motivo supernaturali, esse simpliciter virtuosum: ex quo clarè sequitur, ipsum habitum elicivum talis doloris, seu poenitentiam habitualem, esse habitum virtutis simpliciter dictæ. Itaque cum istis omnibus

4. Dico. Poenitentia habitualis est simpliciter virtus. Probatu ratione S. Thomæ p. q. 85. a. 1. in corp. Deus suadet, & præcipit actum poenitentia: ergo est virtuosus: ergo poenitentia habitualis est virtus. cons. 1. est clara; non enim Deus suadet actus malos, ut patet: nec etiam tantùm indifferentes; quia, si etiam antecederent ad præceptum indifferentes fuissent, saltem per ipsum præceptum redderentur boni, seu virtuosus; nam sicut aliqua sunt præcepta; quia bona, ita alia sunt bona; quia præcepta, consequentia a. etiam patet ex dictis.

Probatur jam ant. *Matth. 4. v. 17.* dicit Christus: *Pœnitentiam agite; appropinquabit enim regnum celorum.* Idem ait *Luc. 13. v. 3.* *Si pœnitentiam non egeritis, omnes similiter peribitis.* & S. Paulus *Actor. 20. v. 20.* & *21.* ait de seipso, quod docuerit publice, & per domos, testificans Judæis, atque Gentilibus, in Deum pœnitentiam, & fidem in Dominum nostrum Jesum Christum: sed ex his, & infinitis aliis Scripturæ textibus, passim occurrentibus, quibus homines ad conversionem, & pœnitentiam incitantur, patet, pœnitentiam suaderi, & præcipi a Deo: ergo.

5. Probatur conclusio 2. Virtus definiatur ex Philosopho *l. 2. ethicorum c. 6.* *Habitus electivus in mediocritate, quantum ad nos consistens; qua quidem mediocritas ratione præfinita sit:* seu paucioribus verbis, sed eodem sensu: *Habitus secundum rectam rationem electivus:* vel (ut eod. cap. habet Philosophus) *Habitus, ex quo bonus homo ipse efficietur, & bene opus suum reddet:* vel clarius: *Habitus, qui facit bonum habentem, & opus ejus bonum reddit.* Vel etiam virtus definitur ab *Esparza l. 10. q. 75. n. 2.* *Bona qualitas mentis, qua recte vivitur, qua nemo male utitur:* quam definitionem ait hic auctor esse S. Augustini *l. 1. retract. c. 9.* at S. Doctor sibi quidem aliqua talia verba habet, sed definitionem virtutis tradere ibi minime intendit: quidquid autem de hoc sit, omnes hæc definitiones, seu descriptiones, conveniunt pœnitentiæ habituali: ergo ipsa est virtus habitualis, seu habitus virtutis, & consequenter etiam ejus actus est actus virtutis.

Probatur mi. In primis secundum rectam rationem, seu prudentissimè, pœnitentiæ eligit retractationem actus mali. 2. Ipse actus, seu opus pœnitentiæ, aut retractatio mali, est quid bonum, & habentem, seu elicentem, in sua linea bonum reddit. 3. Recte vivit pœnitens, & nemo male utitur ista pœnitentiâ, operando per illam, seu utendo illâ, tanquam instrumento: quanquam quis, eâ possit male uti tanquam objecto, e. g. habendo vanam de illa complacentiam: quod tamen, sicut commune est omnibus aliis virtutibus, ita pœnitentiam non excludit ab earum numero.

6. Ob. 1. ex Luthero, Beza, ac aliis sectariis. Pœnitentiâ in Scripturis non significat dolorem, sed tantum respicientiam: ergo textus allati non probant, illam pœnitentiam, quam nos adstruimus, esse virtutem. prob. ant. Græcus textus habet vocem *μετάνοια*, quæ significat respicientiam: ergo. Resp. neg. ant. ad prob. neg. iterum ant. Vox Græca, & Hebræa, cui Latine præcipres substituit vocem pœnitentiâ, significat respicientiam, non quamcumque, sed dolorosam, & afflictivam. Sic Job de seipso ait *c. 42. v. 6.* *Age pœnitentiam in favilla, & cinere.* item *Matth. 11. v. 21.* dicitur de Tyriss, & Sidoniis, quod, si miracula coram ipsis facta fuissent, in cilio, & cinere pœnitentiam egissent: quæ

pœnitentiâ utique non est tantum respicientia, sed est pœnitentiâ afflictiva, & dolorosa: & tamen ibi adhibetur vox *μετάνοια*.

Videatur Bellarminus *tom. 3. contr. 4. de sacram. pœnit. l. 1. c. 7.* ubi Erasmus, & similes grammaticos, insulte etymologiam nominis hujus obtrudentes; egregiè refutat, ostenditque, non semper ex etymologia, sed ex usu, significationem nominis delumendam esse. Monstrat quoque ulterius, tum profanos, tum sacros auctores, nobiscum sentire, & loqui. Addendum hic, axioma illud: *Optima pœnitentiâ vita nova:* in hoc sensu duntaxat admittendum esse, quod ea vita sit signum, vel effectus pœnitentiæ: non tamen sit ipsa pœnitentiâ, nisi metonymicè, sumendo effectum pro causa.

7. Ob. 2. Verecundiâ ex Aristotele *4. ethic. 9.* non est virtus: ergo nec pœnitentiâ. Resp. om. ant. neg. conf. non habet Philosophus: *De verecundiâ enim quasi de virtute aliqua dicendum non est; affectus enim magis esse, quam habitus videtur;* unde verecundiâ juxta Aristotelem est tantum passio animi, necessariò, seu in deliberatè, movens sanguinem in vultum, ex timore infamiæ, ob commissum aliquod malum. Quare ipsa non est virtus, quamvis possit esse indicium bonæ, aut virtuosæ indolis, quæ necdum perfrictam frontem induerit. Quod si tamen per verecundiâ intelligeretur actus elicitus voluntatis, deliberatus, ob admissum malum (verecundiâ enim, vel erubescere ob bonum, non esset honestum) juxta Arriagam, & Valquez, esset actus virtutis magnanimitatis, cujus est honorem moderatè querere: communius tamen per verecundiâ non intelligitur actus voluntatis deliberatus, sed motus quidam passionis. videantur de discrimine inter pœnitentiam, & verecundiâ, *Esparza l. 10. q. 75. n. 1. ad 1.* & *Hauholdus l. 4. tr. 4. c. 1. n. 889.*

8. Ob. 3. Pœnitentiâ est dispositio peccatoris: hic non est perfectus: ergo non est dispositio perfecti: ergo non est virtus; quia hæc debet esse dispositio perfecti. Resp. *Hauholdus loc. cit. n. præc.* hanc definitionem, quam Philosophus *7. physic. text. 17.* ex Socrate affert, rejicit tanquam nimis rigorosam; putat enim, perfectum ex Philosopho debere esse dispositum secundum suam naturam, qua ratione non potest esse dispositus peccator, cui inest peccatum, quod est contra naturam. Alij autem communius eam definitionem admittunt, cum quibus dist. mi. peccator non est perfectus antecedenter ad pœnitentiam. conc. mi. non est formaliter perfectus per ipsum actum pœnitentiæ. subdist. non est perfectus in omni linea, conc. min. non est perfectus in linea pœnitentiæ. neg. min. & conf. Etus in linea pœnitentiæ. neg. min. & conf.

Virtus non debet antecedenter supponere, subjectum jam esse perfectum, sed debet tale reddere: sicut albedo, quæ est actus albi, non supponit, sed facit album. Sed neque virtus debet reddere perfectum in omni

omni linea; aliâs nec fides, nec castitas, essent virtutes; quia non reddunt hominem misericordem, vel justum; unde sufficit virtuti, ut perfectum reddat subjectum suum in sua linea: & sic, sicut castitas tantum reddere pœnitentem, & hac ratione disponere ad optimum, hoc est, ad finem virtutis: quod pœnitentiâ facit.

9. Ob. 4. Nullum aliud sacramentum est virtus: ergo nec pœnitentiâ. Confir. Pœnitentiâ vult aliquid impossibile, scilicet vult, peccatum non esse factum: sed hoc non est prudens: ergo pœnitentiâ non est prudens: adeoque neque virtus. Resp. retorqueo argumentum. Nullum aliud sacramentum habet pro materia christiana: ergo nec confirmatio: nullum aliud potest confici sine verbis formalibus: ergo nec matrimonium. in forma neg. conf. in iis, quæ pendent à libero instituentis arbitrio, non est sequela legitima ab uno ad alterum; cum pro libitu unum sic, aliud aliter, potuerit esse institutum. Ad confir. neg. ma. Pœnitentiâ non vult, sed vellet, malum non fuisse factum, quod quidem factum jam est, potuisset autem non fieri: quæ voluntas rationi maxime conformis est, & significat, hominem esse ita dispositum; ut, si non fecisset malum, nunc illud non faceret. Hæc etiam dispositio animi est absolutum odium peccati, & absolutum propositum non peccandi deinceps: quamvis non absolute velit, se non peccasse (quia absolute non potest fieri infectum, quod factum jam est) sed tantum vellet, se non peccasse.

10. Ob. 5. Objectum virtutis debet esse bonum: objectum pœnitentiæ est malum, scilicet peccatum: ergo non est virtus. Confir. Tenemur impedire actum pœnitentiæ: ergo hic non potest esse virtuosus. Resp. dist. ma. objectum prosecutionis virtutis debet esse bonum, conc. ma. objectum fugæ, seu aversionis. neg. ma. & dist. sic mi. neg. conf. Eoispo, quod virtus ab aliquo fugit, non debet id esse bonum: sed tantum illud debet esse bonum, quod virtus amplectitur, vel prosequitur.

Ad confir. dist. ant. tenemur impedire actum pœnitentiæ in quavis hypothese, etiam ex suppositione peccati commisi. neg. ant. in aliqua tantum hypothese, seu ante commissum peccatum. conc. ant. & neg. conf. Tenemur etiam eodem modo impedire actum justitiæ vindicativæ, quatenus tenemur impedire peccata aliorum, si possumus: & tamen justitiâ vindicativa est virtus. Adde, quod obligatio impediendi actum pœnitentiæ, non sit directè, & immediate terminata ad ipsum actum, sed sit directè, & immediate terminata ad peccatum.

Eadem responsione utendum est, si objiciatur, quod actus pœnitentiæ non sit simpliciter appetibilis; quamvis enim non sit simpliciter appetibilis in omni hypothese, est tamen simpliciter appetibilis, in hypothese commisi peccati, quod sufficit ad a-

ctum virtutis, ut patet in actibus justitiæ vindicativæ, de qua modò dictum, & in actibus misericordiæ, quæ etiam præsupponit miseriam proximi sublevandam: ipse autem habitus pœnitentiæ est simpliciter appetibilis ante peccatum. Alij respondent dist. ant. tenemur impedire omnem actum habitus pœnitentiæ realiter sumpti. neg. ant. formaliter tantum sumpti. conc. ant. & neg. conf. de qua re plura inferius.

11. Ob. 6. Nullus actus virtutis supponit in suo subjecto exitisse contrarium: sed hoc supponit actus pœnitentiæ: ergo non est actus virtutis. Confir. 1. Omnis virtus debet posse esse, in subjecto absolutæ, consummatæque perfectionis: sed talis non est pœnitentiâ; quia non potest esse in Christo: ergo. Confir. 2. Pœnitentiâ non est absolute necessaria: ergo non est virtus. Confir. 3. Pœnitentiâ operatur cum tristitia: virtus autem cum delectatione: ergo pœnitentiâ non est virtus.

Resp. neg. maj. Omnis actus, retractivus mali, ex quocunque tandem motivo eliciatur, etiam si eliciatur ex motivo charitatis, supponit suum contrarium: idem supponit etiam actus punitivus justitiæ vindicativæ. Si fors dicas, istam justitiâ non supponere contrarium in suo subjecto. Resp. saltem timor Dei sibi irati, vel timor justitiæ Divinæ vindicativæ, sibi iratæ, supponit peccatum, seu contrarium in suo subjecto. Aliud est, quod fortè habitus realiter sumpti non possint semper supponere usum contrarium, per quod expellantur, antequam agere possint, de quo paulò post.

12. Ad 1. confirm. dist. ma. omnis virtus debet posse esse in subjecto absolutæ perfectionis, hoc est, in subjecto tantæ perfectionis, ut id excludat actum peccabilitatem. neg. ma. ut hanc non excludat, om. ma. & dist. sic min. neg. conf. sed de subjecto pœnitentiæ articulo sequenti. Ad 2. confirm. retorqueo argumentum. Etiam fides, & spes, ac justitiâ vindicativa, non sunt absolute necessaria; cum sine duabus prioribus Christus fuerit perfectus, & tertia tantum sit necessaria ex suppositione peccati. in forma neg. conseq.

Ad 3. confirm. dist. 2. p. antec. virtus, quæ sit habitus acquisitus, operatur cum delectatione. om. ant. virtus, quæ sit habitus infusus. neg. ant. & conf. Imò etiam habitus acquisitus tantum debet agere cum facilitate, quod pœnitentiæ quoque convenit, saltem quando per frequentatos actus natus est habitus pœnitentiæ acquisitus: non autem semper debet habitus etiam acquisitus agere cum delectatione: & præsertim non debet agere cum delectatione circa objectum aversionis, vel fugæ; non enim misericordia delectatur miseris proximi, quas averfatur, actollere vult.

13. Ob. 7. Peccatum est medium sine quo non ad actum pœnitentiæ: ergo nemo potest illum actum velle: ergo non est virtuosus. prob. conf. qui vult finem, vult etiam media: ergo, qui vult pœnitentiam, vult

vult etiam peccatum: hoc autem nemo potest velle virtuosè: ergo. Resp. neg. ant. Non omne, sine quo aliquid non potest produci, est medium sine quo non ad illud; aliàs Deus deberet dici medium ad omnia: sed medium sine quo non etiam est aliquid, ad quod ponendum potest finis movere, & ad cuius positionem potest moveri voluntas post intentionem finis.

Jam autem actus pœnitentiæ non potest, nec debet, movere ad ponendum peccatum: non potest; quia aliàs pœnitens vellet contradictoria, vel contraria, scilicet ponere, & destruere peccatum: non debet movere; quia, quando ante volitionem finis videtur aliquid jam aliunde positum, non debet voluntas id amare, aut id ponere velle: sed potest odisse, maximè, si pro fine habeat ejus destructionem. Imò actus pœnitentiæ est suo modo ita constitutus, ut potius vellet, ut ipse non esset, quam ut simul cum ipso esset offensa Dei: & pœnitentia ita odit peccatum, ut vellet liberenter actu suo carere, modò non adesset peccatum. Unde pœnitentia non vult absolute dolere, sed tantum hoc vult in hypothesi peccati: antecederet autem ad hanc hypothesin mallet carere suo actu, quam prius dari peccatum.

14. Ob. 3. Actus pœnitentiæ, dolens de peccato, involvit peccatum: ergo non est bonus. Confir. Actus pœnitentiæ saltem connectitur cum peccato: ergo non est virtuosus. Resp. neg. art. Actus pœnitentiæ non dicit pro parte peccatum, sed tantum illud præsupponit: sicut scientia Dei de illo idem præsupponit. Verum quidem est, quòd deficiente peccato etiam deficiat actus pœnitentiæ: at non deficit formaliter, sed tantum arguitivè, sicut scilicet impedito peccato impeditur etiam scientia Dei. Imò, etiam si actus pœnitentiæ, quidditative sumptus, involveret peccatum, tamen denominativè acceptus, prout est effectus habitus, esset bonus, ut patebit ex dicendis n. 16. Ad confir. dist. ant. actus pœnitentiæ connectitur à priori cum peccato, jam præsupposito, & à pœnitentia destruendo. conc. ant. connectitur à posteriori cum peccato, tanquam ponendo per ipsum actum pœnitentiæ. neg. ant. & conf. Certe etiam connectitur scientia Dei, & justitia vindicativa Dei, cum peccato jam præsupposito, quin sint mala.

15. Ob. 9. Objectum formale prosecutionis pœnitentiæ est bonitas compensationis pro offensa Dei, vel aliquid simile, de quo infra: sed hæc bonitas involvit pro parte ipsam offensam Dei: ergo etiam objectum formale prosecutionis pœnitentiæ involvit pro parte offensam Dei: ergo pœnitentia proficitur, seu amplectitur, vel amat offensam Dei, adeoque non est virtuosus. Variant mirabiliter responsiones auctorum ad hanc objectionem. Lugo de pœnit. disp. 2. sec. 3. n. 36. & seq. contendit, peccatum esse aliquo affectu amabile, & amari à Deo, quod mihi neutiquam videtur ve-

rum. Pallavicinus l. 7. de pœnit. c. 3. n. 17. ait, in malo, adeoque etiam in peccato, dari aliquam bonitatem; aliàs enim non futurum illud à Deo permiffibile: alij alia dicunt.

16. Ego inprimis retorqueo argumentum in justitia vindicativa Dei, quæ pro objecto formali prosecutionis habet pœnam conformem delicto: nec tamen præter Lugonem facile quisquam admittet, quòd ea amet delictum. in forma autem dist. ma. objectum formale prosecutionis pœnitentiæ est bonitas illa compensationis, quidditative, vel concretivè sumpta. neg. ma. denominativè sumpta. conc. ma. & dist. proportionaliter mi. neg. conf. Torum aliquod, seu concretum, dicitur sumi quidditative, vel, ut alij loquuntur, concretivè, quando sumitur secundum omnes partes: denominativè autem dicitur sumi, quando tantum sumitur secundum id, quod suscipit denominationem, & est ordinariè subjectum, seu rectum concreti. Sic concretum Petrus visus quidditative sumptum involvit etiam visionem: at sumptum denominativè involvit tantum Petrum; hic enim solus est visus, non autem visio; neque enim omne, quod aliquam denominationem, seu concretum, quidditative sumptum, constituit, potest etiam eandem denominationem recipere, sive prædicato illo affici; nam, ut modò dictum est, visio nequit dici visa.

17. Aliquando autem alicui parti, vel formæ, quæ aliquam denominationem tribuit, vel eam quidditative sumptam constituit, competit eadem denominatio, vel prædicatum idem: & tunc dicitur denominare per convenientiam: sic e. g. anima rationalis tribuit homini denominationem viventis, & intelligens, & ipsa etiam est, & denominatur vivens, atque intelligens. Aliquando verò tali formæ, vel parti, competit denominatio, vel prædicatum prorsus oppositum: & tunc dicitur denominare per contrarietatem: sic e. g. prohibitio laboris fervilis die festo constituit laborem prohibitum, & malum, quin ipsa sit prohibita, aut mala, sed è contrario bona. Pari igitur modo offensa Dei, seu peccatum, denominat compensationem illam bonam: ipsum autem peccatum manet malum, nec debet, aut potest, ab amante compensationem amari.

Si hoc afferre velles tritum illud: Bonum ex integra causa, malum ex quovis defectu: adeoque velles inferre, quòd denominatio compensationis pro offensa sit mala; quia involvit partem malam; responderetur facile, hoc axioma tantum verum esse, de bono denominativè sumpto, non verò de bono quidditative accepto; cum sic sumptum involvere possit varia per contrarietatem denominantia, adeoque mala, ut patet consideranti.

18. Dices 1. Qui amat aliquid, debet etiam amare, quod est cum ipso necessariò connexum: ergo, qui amat illam compensationem, debet etiam amare peccatum. Resp. neg.

neg. ant. universaliter sumptum, quod est omnino falsum. Ad summum talis amator debet permittere, quod est connexum; non autem debet id amare; neque enim, qui amat peccatum, amat etiam infernum, cum eo connexum: & multò minus, qui amat aliquid ex suppositione alterius, quod est quidem connexum, seu præsuppositum ad rem amatam, sed tamen tale quid, ut hic, & nunc, intendatur ejus destructio, multò minus, inquam, talis amans debet amare etiam hoc destruendum. Certè, qui amat medicinam ex suppositione morbi, aut qui vult, per medicinam sanari, non amat etiam amari, quod est ita connexum, ut ab amante aliquam rem tanquam finem, debeat poni tanquam medium, ad eum finem assequendum: peccatum autem, ut jam dictum n. 13. non est medium ad pœnitentiam.

19. Dices 2. Compensatio illa denominativè accepta est indifferens: sed non amatur à pœnitentia aliquid indifferens: ergo non amatur compensatio denominativè accepta. Hoc argumentum iterum retorquetur in amore pœnæ conformis delicto. in forma dist. ma. compensatio est indifferens, si sit in circumstantiis peccati commissi neg. ma. si sit extra illas circumstantias. om. ma. & conc. min. dist. conf. non amatur compensatio denominativè accepta extra eas circumstantias. om. conf. in ijs circumstantiis. neg. conf. Si autem compensatio illa non ametur extra illas circumstantias peccati prius commissi, non amatur ut indifferens: sicut, quia à iudice non amatur pœna, nisi in circumstantiis commissi delicti, non amatur ut indifferens.

Dices 3. Amare compensationem in his circumstantiis, est amare ipsas circumstantias, adeoque est amare compensationem quidditative acceptam: ergo nulla solutio. Resp. neg. ant. amare enim rem, e. g. compensationem dictam, in certis circumstantiis, tantum significat, quòd illæ circumstantiæ determinant voluntatem ad amandam compensationem, & si ita vis, constituant compensationem amatam quidditative acceptam, licet ipsæ non amentur. Sic applicatio determinat ignem, ut urat, tamen ipsa non urit: sic conditiones plures determinant causam ad agendum, ipsæ non agunt.

ARTICULUS II.

In quo Subjecto detur Habitus Virtutis Pœnitentiæ.

20. Quærant Theologi, in quo subjecto habitus pœnitentiæ recipiatur: quæ quaestio duplici in sensu potest tractari, nempe de subjecto proximo, ac remoto. Per subjectum remotum hæc intelligitur suppositum: per subjectum verò proximum intelligitur potentia suppositi. Jam si quaeratur, in qua

potentia recipiatur habitus pœnitentiæ; Resp. cum, juxta communem philosophiam nostrorum, potentia animæ sint inter se, & cum anima identificata, habitus pœnitentiæ recipitur realiter in anima: formaliter tamen loquendo recipitur in voluntate, tanquam habitus moralis: in qua voluntate etiam recipitur juxta illos, qui potentias inter se, & ab anima distinguunt.

21. Si autem quaeratur, in quo supposito recipiatur habitus pœnitentiæ. Resp. inprimis eum tantum recipi in supposito creato rationali; hoc enim solum est capax habitus, vel virtutis moralis, ut patet. Utrum autem recipiatur in omni tali supposito, dependet ab eo, an habitus pœnitentiæ sit realiter distinctus ab aliis habitibus; an tantum sit distinctus formaliter, de quo infra. n. 41. Si formaliter tantum distinguitur, potest recipi, seu reperiri in omnibus rationalibus creaturis, Angelis, & hominibus, imò etiam in Christo: quamvis in hoc non possit esse secundum denominationem suam specificam, seu secundum potentiam retractandam; cum Christus, utpote impeccabilis, nullam retractationem ullius actus sui possit elicere.

Ubi tamen noto, ex hoc, quòd habitus in Christo non possint elicere actus retractativos, possint autem eos elicere in nobis, ex hoc, inquam, non sequi, quòd habitus Christi sint specie diversi à nostris; nam, licet habitus non possint in aliquo subjecto omnes suos actus elicere, tamen possunt in eo stare, modò actus primarios per se elicere possint; aliàs nec habitus charitatis in Christo esset ejusdem speciei cum nostro; quia in Christo non potest elicere contritionem: imò nec voluntas Christi esset ejusdem speciei cum nostra; cum voluntas Christi non possit influere in peccatum. Ratio ulterior esse potest; quia, cum gratia sanctificans, quæ est radix habituum, sit ejusdem speciei in Christo, ac in nobis (ut probatum est in tractatu de incarnat. n. 603.) etiam exigit habitus similes, saltem eos, in quibus non est specialis ratio in oppositum. Quod autem dictum est de Christo, idem dicendum est de creaturis aliis, siquæ aliæ non habent potestatem retractandi, ut aliqui de Angelis asserunt.

22. Si autem habitus pœnitentiæ realiter distinguatur ab aliis habitibus, non dabitur in Christo; quia, cum habitus infusi omnes se habeant per modum potentiarum, non dantur tantum ad ornatum, sed ad operationes eliciendas: atqui in Christo impeccabili habitus pœnitentiæ distinctus non posset elicere operationes sibi proprias, nec posset alium finem habere, quam, ut esset ornamentum Christi: ergo. Sic etiam quia Christus habuit lumen gloriæ, quod est impedimentum intrinsecum actus obscuri, non habuit habitum fidei.

Nec dicas 1. Verbum potuisse assumere humanitatem, quæ prius peccasset, quo casu potuisset deinde Christi. retractare peccatum prius admissum; & consequenter elicere

licere actum primum poenitentiae; nam, licet hoc potuerit fieri, tamen in hac providentia factum non est, & humanitas, defacto assumpta, ita fuit praeventa hypostatica, (quae est impedimentum intrinsecum peccati) ut propter eam nullo modo potuerit peccare, & consequenter neque aliquid retractare.

23. Nec dicas 2. cum Lugone, à lumine gloriae excludi ipsum actum obscurum, non autem ab unione hypostatica excludi retractationem, sed tantum peccatum; nam unio hypostatica, supposito saltem, quod praevenerit omnem actum, adeoque impedit omnem peccatum, mediata saltem excludit retractationem. Nec replices 3. Christum saltem potuisse elicere hunc actum conditionatum: *Si peccasset, retractarem*; nam propter tales actus conditionatos non debet dari habitus poenitentiae: sicut non datur habitus fidei, aut spei in Christo, vel Beatis, propter hos actus conditionatos: *Si carerem lumine gloriae, crederem: si non possiderem beatitudinem, eam sperarem.*

24. Pariter habitum poenitentiae, si hic realiter ab aliis habitibus distinctus sit, non habent illi Beati in caelo, qui in terris degentes nunquam peccarunt; ut enim in ijs cessat fides, ita etiam ex pari ratione cessat poenitentia. An autem ij Sancti, qui in terris peccarunt, habeant adhuc in caelo habitum poenitentiae (supposito, quod sit realiter distinctus ab alijs) ut per eum possint elicere, non quidem dolorem, cuius ille status capax non est, sed tamen aliquam retractationem, non est opus divinae. At verò Sancti, dum morabantur in terris, etsi nunquam peccaverint, tamen habuerunt habitum poenitentiae; nam per accidens fuit, quod non peccaverint, adeoque eum habitum exercere non potuerint: impedimentum autem actus tantum accidentale non excludit habitum; habent enim habitus infusus fidei, & aliarum virtutum, etiam ij infantes, qui ante usum rationis, adeoque ante elicitos actus morales, praevili sunt morituri, ut cum communi suppono ex *tract. de virt. Theol. n. 23.*

25. Equidem Arriaga *tom. 8. de poenit. disp. 12. sec. 1. n. 3.* ait, si in Beatis innocentibus non admittatur habitus poenitentiae, neque admittendum esse habitum fidei, in parvulis ante usum rationis mortuis: sed haec sequela est, nulla; cum enim haec res dependat profusè à voluntate Dei, volentis hos habitus infundere, vel conservare, non alios, planè non potest ex ratione decidi, an eos infuderit, vel conservaverit, an non: neque enim, ut *n. 9.* diximus, in similibus potest ab uno ad alterum argui: sed debet decisio, vel solutio hujus quaestionis, desumi ex revelatione, aut auctoritate, vel Conciliorum, vel Patrum, vel Theologorum.

Jam verò est communissima Theologorum assertio, quod parvulis baptizatis omnibus infundatur habitus fidei, atque

etiam aliarum virtutum: sanè Clemens V. in Concilio Viennensi in *Clementina 1. de Summa Trinitate, & fide Catholica*, ait, *se tanquam probabiliorem, & dictis Sanctorum, ac Doctorum modernorum Theologiae, magis consonam, & concordem sacro approbante Concilio eligere, vel amplecti eam sententiam, quae asserit, etiam parvulis infundi virtutes quoad habitum, licet non quoad usum.* Nec ullatenus distinguit inter eos infantes, qui ad usum rationis perventuri sunt, & inter alios, qui ad eum non perventuri sunt. Tanta autem auctoritas nequit afferri pro habitu poenitentiae, in Beatis innocentibus perseverante.

26. Sed neque opus est decidere, an Adamus in statu originalis justitiae jam habuerit habitum poenitentiae, supposita reali hujus distinctione ab alijs; cum enim, ut dictum est in *tract. de peccat. n. 342.* juxta S. Thomam, & communem aliorum, in eo statu non potuerit committi peccatum tantum veniale, non potuisset ille habitus illum actum producere, antequam destrueretur, & iterum reproduceretur, ut patet consideranti: ergo valde dubium est, an prius jam fuerit Adamo infusus. Alia est ratio de ijs, qui venialiter peccaverunt, per accidens tamen peccarunt mortaliter; in his enim saltem potuisset habitus ille, antequam destrueretur, dolorem de peccato veniali elicere, quamvis per accidens non eliceretur. An autem ob talem dolorem eliciendum debeat poni habitus realiter distinctus, an non, infra *n. 41.* decidemus.

27. De Angelis videtur dicendum, eos non habuisse habitum poenitentiae (sermo semper est de habitu realiter distincto ab alijs) nam primò, si Angeli non potuerunt retractare voluntatem semel conceptam, habitum poenitentiae utique non habuerunt, utpote in ipsis omnino intrinsecè impeditum ab omni actu. Secundo, si etiam absolute potuerunt voluntatem priorem retractare, tamen in statu innocentiae originalis non potuerunt venialiter peccare; unde quoad illum statum de ipsis eadem est ratio, quae supra allata est de Adamo: post illum statum autem, cum Deus absolute decreverit, Angelis non dare spatium, aut gratiam poenitendi, ad quid infudisset habitum poenitentiae?

Neque dici potest, Deum etiam decrevisse, quibusdam hominibus non dare spatium poenitendi; nam saltem plurimis, & naturae humanae in genere, decrevit Deus dare spatium poenitendi; unde, cum propterea pluribus decreverit, infundere habitum poenitentiae, dicendum est, quod etiam alijs, quoad alia omnia similibus, eundem habitum infundere voluerit; non enim videtur Deus voluisse, infundere habitum uni, & non alteri individuo quoad alia simili, praeter aliud propter praevium accidentale impedimentum actus. At verò totam naturam Angelicam privavit Deus spatio poenitendi, adeoque non fuit ratio, cur uni cuidam indi-

individuo praeter altero infunderet habitum poenitentiae.

28. De B. Virgine dicendum videtur, eam habitum poenitentiae fuisse instructam, dum fuit in statu viae; quia, ut habet Suarez *tom. 4. in 3. p. disp. 7. sec. 1. n. 10.* absolute potuit peccare, & maternitas ejus fuit tantum impedimentum extrinsecum, non autem intrinsecum peccati: vel, ut ait Arriaga *tom. 8. de poenit. disp. 12. sec. 1. n. 4.* B. Virgo speciali tantum favore Dei praeservata fuit ab omni, etiam veniali peccato. Et quamvis fuerit etiam macula originali immunis, adeoque in ea fuerit concupiscentia rationi plenè subjecta, insuper ipsa, naturae, & gratiae donis, ita illustrata, ut non habuerit in ea locum tantum semiplena deliberatio, sed, ut omnia ageret cum perfecta deliberatione: tamen, nisi Deus eam specialiter praeservasset, potuisset absolute venialiter delibere peccare.

Ratio est; quia B. Virgo non erat ratione status sui incapax doloris, ac tristitiae, timoris, aut poenae; quae tamen in capacitas tanquam ratio afferretur à S. Thoma, & alijs, dum probant impossibilitatem peccati venialis in statu justitiae originalis. De cetero, sicut B. Virgo in alijs fuit similis nobis, ita dicenda est etiam similis fuisse quoad habitum, atque etiam quoad habitum poenitentiae; quia ratio gravis, probans dissimilitudinem quoad habitum poenitentiae, afferri non potest. Haec de subjecto remoto habitus poenitentiae, quae alij suis tractant, dixisse sufficiat; nec videtur longiori indagine versanda quaestio, cuius suppositum, nempe realem distinctionem habitus poenitentiae ab alijs habitibus, negabimus infra *n. 45.*

29. Querunt hic ulterius aliqui, an poenitentia, essentialiter sumpta, dicat tantum dolorem, an tantum odium, seu detestationem peccatorum, vel an simul utrumque, atque etiam propositum non peccandi de cetero. Non vacat in hac minutius inquirere: dico tamen, poenitentiam Theologicè sumptam involvere omnia tria; ita enim habet Tridentinum *sess. 14. c. 4. Contritio, quae primum locum inter dictos poenitentis actus habet, animi dolor, ac detestatio est de peccato commisso, cum proposito non peccandi de cetero.* Dein, dum Sacra Scriptura, aut Patres, nos ad poenitentiam hortantur, semper nos excitant ad dolorem, simulque ad detestationem, & fugam peccatorum, seu voluntatem, aut propositum, ea deinceps vitandi: ergo ista tria requiruntur ad poenitentiam Theologicè talem.

30. Ulterius detestatio sola sine dolore non est poenitentia: nec dolor solus sine detestatione; quia detestationem etiam eliciunt Sancti in caelo, imò etiam ipse Deus peccata detestatur, quin possint agere poenitentiam Theologicam. Vicissim damnati, imò & quidam peccatores in via, dolent aliquo modo de peccatis; quia tamen ea non simpliciter detestantur, seu abomi-

nantur, non agunt poenitentiam Theologicè sumptam. Detestatio autem, si seria, & efficax, aut simpliciter dicta sit, secum fert propositum non peccandi de cetero; quia non potest quis serivo, & efficaciter detestari aliquam actionem, & eandem velle repetere; unde detestatio talis identificata est cum proposito saltem virtuali, non peccandi de cetero. Quare, dum S. Thomas *3. p. q. 85. a. 1. in corp.* dixit: *Poenitere est de aliquo prius à se facto dolere*: intelligendus est de dolore efficaciter detestante, adeoque in futurum peccata vitare proponente.

ARTICULUS III.

An Poenitentia sit Virtus Specialis.

31. **S**upponendum, dari praeter habitus Theologicos etiam alios morales infusos, ut probatum in *tract. de virt. Theol. n. 23.* & hoc supposito, ulterius notandum 1. quod qualibet virtus, sicut potest amplecti bonum sibi proprium, ita etiam possit fugere, ac detestari malum oppositum; nisi enim virtus possit fugere, atque à se amovere oppositum sibi malum, non possit consequi proprium bonum; quippe impediretur sapientimè: e. g. nisi calitas possit à suo subjecto amovere inhonestum affectum, non possit eidem ingenerare affectum decentem, cum priore impossibile: debet autem virtus posse consequi proprium bonum, ergo etiam debet posse fugere oppositum malum.

Quare etiam qualibet virtus potest ex motivo proprio, seu specifico, dolorem, ac detestationem elicere, de peccato sibi contrario, ac propositum illud vitandi, adeoque actum poenitentiae proprie dictum: & sic qualibet virtus in aliquo sensu est poenitentia specialis. Excipit tamen Maurus virtutem innocentiae, quae in suo subjecto essentialiter praesupponit, quod nullum unquam in eo peccatum extiterit: quae tamen, an sit specialis virtus, praesertim realiter distincta ab alijs, dubitari potest, at, pro hic, & nunc, omittitur.

32. Notandum 2. aliquarum virtutum motivum esse restrictum, ita, ut non, se extendat ad qualibet peccata detestanda. e. g. motivum castitatis, seu ejus objectum formale, est honestas abstinendi à voluptatibus carnis illicitis: huic autem honestati non opponitur furtum: sicut nec motivo justitiae erga homines, seu honestati servandi jus illatum, vel compensandi jus laesum alterius, opponitur fornicatio: igitur non potest quis, ex motivo castitatis dolere de furto commisso: nec ex motivo justitiae de simplici fornicatione.

Quod si quis doleret de furto, quia per illud destruitur habitus castitatis (nam per quodlibet peccatum mortale destruitur omnes habitus morales infusi, utpote radi-

radicati in gratia, qua sublata etiam ipsi auferuntur) tamen hoc non esset dolere ex motivo castitatis: sicut, si quis doleret, quod perdidisset habitum charitatis, id non esset elicere actum contritionis perfectæ ex motivo charitatis; non enim habitus habet pro objecto formali motivo seipsum, vel suam conservationem. Quare talis dolor spectaret ad alium habitum amoris concupiscentiæ, qua homo appeteret bona supernaturalia ut sibi bona.

33. Notandum 3. esse tamen aliquas virtutes, quæ habent motivum longè amplius, & extendens se ad omnia peccata detestanda: & tales sunt habitus charitatis, & spei Theologicæ, item religionis, obedientiæ, justitiæ erga Deum &c. nam quodlibet peccatum est contra Deum summè dilectum, est impedimentum beatitudinis cælestis, est oppositum honori Divino, est violatio Divini præcepti, & læsio aliqua juris Divini; hinc possum de omni peccato, distributivè, vel collectivè sumptum, dolere ex quovis motivo istarum virtutum.

Et certè, si hoc fieri non posset, vix possemus dolorem elicere, qui sufficeret ad validam confessionem; ad hanc enim requiritur dolor de omnibus peccatis gravibus: igitur si nullum motivum particularis virtutis se ad omnia peccata extenderet, deberemus fermè de quovis peccato, ex particularis, eique oppositæ virtutis motivo, dolere: hoc autem fieri non posset, si quis plurimum, specie distinctorum criminum, ut facile fieri potest, esset oblitus; cum tamen dolor etiam ad peccata oblivioni tradita se extendere debeat; alias enim nec indirectè remitterentur.

34. Notandum 4. quod penitentia specialis possit multipliciter intelligi; nam 1. potest intelligi qualibet virtus specialis, quæ ex motivo suo speciali elicit dolorem: & sic qualibet virtus est penitentia specialis: sicut quodlibet animal ratione suæ differentiæ specificæ est speciale animal. 2. Potest intelligi virtus, quæ specialiter præ aliis, sive magis, quam alia virtutes, potest dolere: & sic virtutes, quæ possunt universalem dolorem de omni peccato elicere, sunt specialis penitentia præ aliis, quæ tantum possunt particularem de certo peccato dolorem elicere. 3. Potest intelligi penitentia specialis, antonomastice sumpta, seu quæ præcipue, & præ omnibus aliis, penitentia dicenda sit: sicut e. g. Aristoteles antonomastice præ aliis sapientibus vocatur philosophus. Et de hac virtute, quænam, aut qualis sit, hic propriè agitur: atque de ista inter auctores sat magna lis est.

35. Quidam, & inter hos Gormaz de penit. disp. 2. maxime n. 92. contendunt, terminum penitentia specialis debere intelligi, non pro libitu, sed in ea significatione, quam accepimus à S. Thoma, aliisque antiquioribus, qui eam virtutem vocant specialem penitentiam, quæ dolet de peccato commisso, in quantum est offensæ Dei, cum emendationis proposito; ita enim habet

Angelicus 3. p. q. 85. a. 3. in corp. Penitentiam non habet, quod sit virtus specialis ex hoc solo, quod dolet de malo perpetrato; ad hoc enim sufficeret charitas: sed ex eo, quod penitens dolet de peccato commisso, in quantum est offensæ Dei, cum emendationis proposito. Et hoc declarans ibidem addit: Emendatio autem offensæ, contra aliquem commissæ, non fit per solam cessationem offensæ: sed exigitur ulterius quadam re compensatio.

Ex quibus infert Gormaz cit. disp. n. 76. illam virtutem debere dici penitentiam specialem, quæ ita dolet de peccato, ut non intendat solam cessationem ab offensæ, sed etiam aliquam compensationem pro ista. Cum autem compensatio juris Divini, per offensam læsi, spectet ad justitiam commutativam, cujus est jus læsum reparare; hinc autem hic auctor, penitentiam esse speciem justitiæ commutativæ, qualis dari potest, inter Deum, & hominem. Et sanè etiam S. Thomas penitentiam reducit ad justitiam hoc modo cit. in corp. dicens: Unde manifestum est, quod penitentia, secundum quod est virtus, est pars justitiæ.

36. Alij cum Haunoldo l. 4. tr. 4. n. 895. & seq. volunt, specialem penitentiam esse eam virtutem, quæ imperat dolorem, aliasque penalitates, ad compensandam offensam Dei; potest enim penitentia imperare actus aliarum virtutum, e. g. mortificationis, sive internæ, sive externæ: & potest eos imperare ex suo motivo; omnis enim virtus, quæ tendit ad aliquem finem, potest etiam exigere, vel imperare media, qualia sunt vel maxime actus aliarum virtutum: sic castitas potest imperare actus abstinentiæ, & eleemosinæ, utpote conducentes ad conservandam puritatem, quæ est finis castitatis.

Unde etiam virtus, tendens ad compensationem offensæ, tanquam ad finem, potest imperare media, qualia sunt actus mortificationis, vel aliarum virtutum, quibus satisfieri solet pro offensæ Dei, sive hæc spectetur quoad reatum culpæ, sive quoad reatum poenæ. Nec refert, quod virtus imperans sit inferior alterâ, cui imperat; nam e. g. timor gehennæ, qui est virtus tantum moralis, potest imperare actum contritionis, seu charitatis, quæ est virtus Theologica; quia talis actus utilis est ad gehennam fugiendam.

37. Sed huic sententiæ merito opponitur, quod, cum primus actus penitentia sit dolor, illa virtus potiori jure dicenda sit specialis penitentia, quæ elicit dolorem ex motivo compensandi offensam, quam alia virtus, quæ tantum imperat dolorem. Deinde licet actus imperati suo modo etiam tribuantur virtuti imperanti, sicut e. g. 1. Cor. 13. v. 7. dicitur de charitate: Omnia credit, omnia sperat, & tamèn propter hos actus imperatos non tribuitur virtuti imperanti, simpliciter, & rigorosè, minùs antonomastice (in quo sensu hic loquimur) nomen virtutis elicien-

entis; non enim charitas vocatur fides, aut spes: consequenter nec virtus imperans dolorem, seu actum retractantem, vel satisfaciendum, dicitur specialiter penitentia. Accedit, quod Angelicus citatus n. 35. penitentiam non vocet eam virtutem, quæ imperat, sed quæ elicit dolorem; dicit enim penitentiam specialem vocari ex eo, quod dolet de peccato commisso.

38. Alij itaque recentiores volunt, illam virtutem esse penitentiam specialem, quæ dolet de peccato commisso; quia honestum est, dolere de peccato læsivo juris Divini, & per dolorem compensare, quantum fieri potest, jus Dei læsum. Unde objectum formale motivum hujus virtutis est ipsa honestas doloris, compensantis offensam, læsivam juris Divini: adeoque hæc virtus penitentia est reflexiva, non tantum ideo; quia supponit peccatum, & in hoc se reflectit: sed etiam, quia se reflectit super ipsum suum actum, ejusque honestatem. Hanc virtutem, dicunt, esse specialissimè penitentiam; quia habet motivum, non tantum universale, sive se extendens ad omnia peccata, sed etiam unice pertinens ad lineam penitentia, scilicet honestatem dolendi, per quod distinguitur ab omnibus aliis virtutibus potentibus dolere: adeoque specialissimè potest dici penitentia. His præmissis

39. Dico 1. Penitentia est virtus specialis: & hæc ipsa specialis virtus est habitus numero præcedenti descriptus, seu est virtus, dolens de peccato ex motivo honestatis, reluctantis in dolore compensativo pro offensæ. Duas partes habet conclusio. Prima, quod penitentia sit virtus specialis, docetur expresse ab Angelico 3. p. q. 85. a. 2. & communiter à Theologis: atque probatur à S. Doctore ibidem in corp. hac ratione. Tunc datur specialis virtus, quando datur specialis actus laudabilis: atqui dolor, modo descriptus, est specialis actus laudabilis: ergo debet dari specialis virtus, eum eliciens, quæ est penitentia aliqua, ut patet expèdienti.

Rursus actus specificantur ab objectis formalibus, in quæ tendunt, & habitus specificantur ab actibus: ergo etiam habitus, saltem mediatè, specificantur ab objectis formalibus: ergo, ubi datur objectum formale diversum, datur etiam habitus diversus: illud autem datur in nostro casu: ergo. Confir. Nisi objectum formale diversum inferat etiam habitum diversum, non est ratio, cur differat justitia à religione, castitas à misericordia &c. atqui omnes dicunt, habitus istos esse inter se diversos: ergo hæc ratio debet esse sufficiens. An autem ista distinctio, vel diversitas, realis sit, an formalis, dicemus paulò post.

40. Probatur jam altera pars conclusionis. Penitentia Theologica in genere est illa virtus, quæ dolet de peccato commisso, illudque detestatur, & odit ex motivo aliquo supernaturali, cum proposito non peccandi de cætero: ergo illa est penitentia

specialis, quæ dolet ex motivo, specialiter spectante ad lineam penitentia: atqui ex tali motivo dolet habitus n. 38. descriptus, ut ibidem explicavimus: ergo. Confir. 2. Hæc quæstio, quænam scilicet virtus debeat dici specialis penitentia, multum habet de nomine: ergo in ejus decisione rectè sequimur auctoritatem S. Thomæ, qui penitentia speciali actum à nobis supra designatum attribuit: cui dein accessit auctoritas plurium, præsertim recentiorum.

41. Jam verò, quamvis diversitas objectorum formalium inferat diversitatem aliquam habituum, in sensu formali: non tamen necessariò inferat distinctionem realem habituum, nec exinde probatur, habitum penitentia specialis realiter distingui ab aliis habitibus infusis. Quare, ut etiam hoc rite decidatur, an scilicet hæc penitentia specialis realiter distincta sit ab aliis habitibus, an non, præmitto, virtutes supernaturales Theologicas inter se distingui realiter; sic enim docetur 1. Cor. 13. v. 13. ubi dicitur: Fides, spes, charitas: tria hæc: major autem horum est charitas: patetque insuper ex eo, quod habitus isti sint inter se separabiles; nam fides sine spe, & charitate, potest manere in peccatore desperante: & spes potest manere sine charitate in alio mortaliter peccante.

42. At verò habitus morales infusi, cum radice in gratia, non sunt ab ea, nec à se invicem, saltem in hac providentia, separabiles, sed simul cum gratia infunduntur, & simul cum ea destruantur, ut est communissima Theologorum, quorum auctoritate, & consensu, potissimum hæc res probatur. Videri etiam potest Lugo de penit. disp. 6. n. 17. ubi cum communissima docet, non manere in peccatore habitum penitentia, additque aliquam rationem, cur potius destructa gratia spes maneat, quam penitentia, quæ an efficax sit, alij viderint. Hinc non videtur haberi sufficiens signum distinctionis realis habituum moralium infusorum.

Dices. Habitus acquisiti morales distinguuntur inter se realiter: ergo etiam ita distinguuntur infusi. Resp. neg. consequens. Non est par ratio de habitibus acquisitis, & infusis moralibus; illi enim generantur ab actibus: daturque sæpe unus habitus sine altero: itémque destruitur unus sine altero; & hinc utique realiter sunt distincti: at non ita se habent habitus infusi; quia isti omnes jam infunduntur ante actus elictos, & si destruat unus, etiam omnes alij destruantur.

Sed neque diversa difficultas, quæ quandoque, ut quidam volunt, causat multiplicationem realem habituum acquisitorum, etiam inferat multiplicationem realem habituum infusorum; nam habitus acquisiti dant facile posse, danturque ad difficultatem tollendam: non ita se habent (ut rectè advertit Gormaz. tr. de penit. disp. 1. n. 6.) habitus infusi; nam isti dant simpliciter posse, habentque se per modum

potentiarum, quæ ad longè plures difficultates se extendunt, quàm se extendant habitus tantum acquisiti: ferme sicut potentia intellectiva se extendit ad longè plures difficultates, quàm habitus e. g. logicæ.

43. Ulterius, quamvis omittatur, quòd diversitas objecti formalis distinctionem realem habituum acquiritorum; eoquòd inferat distinctionem realem actuum, & consequenter habituum, ex actibus generatorum: non tamen sequitur, quòd etiam inferat distinctionem realem habituum infusorum, qui non generantur ex actibus, sed que habent per modum potentiarum, quæ circa plura objecta formalia diversa possunt versari. Sic, licet habitus logicæ, & physicæ, inter se realiter distinguantur, non tamen distinguitur realiter à se, vel inter se, intellectus ut potentia intelligendi objecta logicæ, & ut potentia intelligendi objecta physicæ; nam idem realiter intellectus in actus utriusque scientiæ, imò longè plurimum aliarum scientiarum insuit.

Accedit, quòd, si pro ratione diversorum objectorum formalium, dentur habitus morales infusi realiter distincti, debeant ij esse innumeri; cum objecta formalia, & actus speciei diversi, possint excogitari innumeri. Nec dicas, ob rationem diversorum objectorum formalium, multiplicari habitus acquisitos; nam isti primum successivè debent acquiri, adeoque in nemine debent dari simul innumeri, seu quasi infiniti: imò nec successivè; cum nemo eliciat actus innumerarum, vel quasi infinitarum specierum, & quidem tot actus, ut ex ijs nascantur etiam quasi infiniti habitus. At verò habitus infusi debent simul omnes existere in quovis homine iustificato, antequam ulli eorum actus elicit sint.

Unde, quando S. Thomas 3. p. q. 85. a. 2. in corp. ait: *Species habituum distinguuntur secundum speciem actuum*: intelligendum est de distinctione tantum formalium. Nec replices S. Doctorem. 1. 2. q. 54. a. 1. & 2. (ad quos locos se 3. p. q. 85. a. 2. in corp. refert) agere de distinctione reali. Resp. enim, eum ibi agere de habitibus acquisitis; nam a. 1. in corp. ait: *Intellectus est una potentia, in qua tamen sunt diversarum scientiarum habitus*: habitus autem scientiarum sunt acquisiti. Ab his habitibus acquisitis deinde argumentatur S. Doctor a pari, in quantum convenienter potest ad habitus infusos, & inter hos 3. p. q. 85. a. 2. infert aliquam diversitatem, sed non talem, qualis datur inter habitus acquisitos; unde sufficit, si dicatur esse formalis.

44. Quare difficulter ostenditur, quando habitus morales infusi, & quinam inter se realiter distinguantur: nec a usum ego definire, an multi, an pauci sint huiusmodi habitus realiter distincti; cum apud nullum Theologorum repererim certum aliquod signum, vel regulam indubitam, & universalem, ex qua desumi possit realis distinctio istorum habituum; quod enim qui-

dam dicunt, eos esse innumeros, non sufficienter probant ex S. Hieronymo episcopo ad *Celantiam* (quam alij S. Paulino adscribunt) quamvis enim S. Pater ibi dicat: *Infinita namque sunt species, partisque iustitiæ: tamen non loquitur de habitibus, sed de actibus, vel officiis alteri præstandis, quæ omnia, ait, complecti eam Domini sententiam: Quicunque vultis, ut faciant vobis homines, & vos facite illis. Matth. 7. v. 12.* Lugo de fide disp. 1. sec. 11. n. 238. aliquod signum distinctionis realis inter hos habitus affert, quod quidem utcumque potest asseri, sed tamen multum habet divinationis: ait autem, cum aliunde sit certum, quòd virtutes Theologicæ, seu habitus Theologici, realiter inter se distinguantur, posse dici, eos etiam habitus morales infusos realiter inter se distingui, qui tantum inter se differunt, quantum dicti tres habitus Theologici &c.

45. Dico jam 2. Habitibus penitentia specialis probabilis non est realiter distinctus ab omnibus aliis habitibus infusis virtutum moralium. Probatur. Non habetur officio producentis, & producti, neque separabilitas, nec aliud signum distinctionis realis, inter habitum penitentia, & omnes alios habitus morales, ut patet ex modò dictis n. 42. Sed neque distinctionem realem inferat diversa difficultas; nam in primis difficulter ostendi potest difficultas notabilis in exercitio huius habitus, quæ non superetur in exercitio aliarum virtutum; nam difficultas retrahendi in genere est communis habitibus, potentibus elicere dolorem, vel retractionem: difficultas retrahendi ex motivo compensandi est communis iustitiæ: difficultas autem retractionis ex motivo honestatis, relictis in ipso dolore compensativo, non videtur esse difficultas alia, quam quæ datur in faciendâ nova reflexione, propter quam non debet admitti habitus infusus, realiter distinctus. Dein posito etiam, quòd datur diversa difficultas, ea non inferat distinctionem realem habituum infusorum, ut probatum est n. 42.

Tandem etiam motivum, seu objectum formale diversum, non inferat distinctionem realem istorum habituum, ut probatum n. 43. ergo nulla habetur sufficiens ratio, asserendi distinctionem realem penitentia specialis ab omnibus aliis habitibus moralibus. Confirmatur 1. Penitentia non magis differt ab omnibus aliis virtutibus, quam e. g. temperantia in cibo, & potu, differat à castitate, seu temperantia à delectationibus veteris tactus: sed ista non differt realiter ab illa; aliàs deberet admitti etiam diversa virtus infusa, moderans usum oculorum, & alia aurium &c. quod foret nimiam multiplicare virtutes infusas: ergo.

46. Confirm. 2. Habitibus infusis omnes radicantur in gratia sanctificata: ergo videntur debere posse elicere actum suum primum statim, quando datur gratia, & antequam destruantur: atqui hoc non potest penitentia specialis, realiter distincta ab aliis

ARTICULUS IV.

Solvuntur Objectiones.

48. **O**B. 1. contra 1. conclusionem. Non datur specialis habitus innocentia: ergo neque datur specialis habitus penitentia. prob. conf. ideo ille habitus non admittitur; quia, si qualibet virtus impediatur peccatum sibi oppositum, homo manebit innocens: sed etiam, si qualibet virtus doleat de peccato sibi opposito, imò si tantum e. g. charitas, quæ omnibus peccatis opponitur, doleat ex suo motivo, jam destruetur omne peccatum: ergo. Resp. dist. ant. non datur specialis habitus innocentia, realiter distinctus ab aliis habitibus. conc. ant. non datur habitus innocentia formaliter distinctus. neg. ant. & conf. Virtus, quæ agit ex motivo honestatis, servandi conscientiam, ab omni labe semper immunem, habet speciale motivum: adeoque etiam est virtus specialis, formaliter distincta ab aliis; nam realis distinctionis signum sufficiens non habetur ex dictis n. 42.

49. Ad prob. neg. suppositum ma. si loquitur de habitu formaliter tantum distincto: si autem loquitur de habitu realiter distincto. neg. ma. non enim hæc ratio sufficit ad excludendum habitum, etiam realiter distinctum (aliàs, cum charitas excludat omne peccatum, nullus alius habitus, aut alia virtus deberet admitti) sed debet addi hæc altera ratio, quòd scilicet nulla sit aliunde necessitas, admittendi habitum innocentia, realiter ab aliis distinctum: cui rationi addi possunt etiam illæ, ob quas n. 45. negavimus, habitum penitentia esse realiter distinctum ab aliis: quibus addi insuper potest hæc, peculiariter tangens innocentiam; quòd scilicet innocentia realiter habeatur per negationem omnis peccati, à quocunque tandem habitu istud impediatur.

Eodem modo discurrendum est de perseverantia in bono, quæ, etsi formaliter distinguitur ab aliis habitibus, non tamen distinguitur realiter; nam qualibet virtus est realiter perseverantia particularis in suo bono, & omnes simul sunt perseverantia generalis; qualibet enim virtus amplectitur suum bonum constanter, seu perseveranter; neque enim temperantia tantum hodie amplectitur sobrietatem, & cras crapulam.

Si velis, requiri ad perseverantiam repetitionem actuum, respondetur, eam repetitionem non esse necessariam ad perseverandum, & præsertim non esse necessariam ad perseverandum in adimpletione præceptorum negativorum; quia ista possunt perseveranter impleri sine actu positivo. Quamvis autem aliqui actus repetiti necessarii sint, ad observanda præcepta positiva, tamen ad eos repetendos sufficiunt aliæ virtutes, e. g. chari-

lis omnibus habitibus: ergo. prob. min. subsumpta. Actus primarius penitentia specialis, realiter ab omnibus aliis distinctus, esset dolor retractivus de peccato mortali: atqui hunc actum non posset elicere statim, quando datur gratia, aut antequam destrueretur: ergo. prob. min. non posset hunc dolorem elicere in homine innocente; sed tantum in graviter peccante: cumque per peccatum grave destruetur gratia, & cum ipsa habitus morales, deberet etiam penitentia ante elicitum actum suum primum destrui, & ut hunc posset elicere, ipsa prius iterum reproduci. Aliud est, si penitentia specialis realiter identificetur alteri virtuti, e. g. religioni, vel iustitiæ; tunc enim potest prius, hoc est; quando gratia nondum est destructa, & ipse etiam habitus penitentia, realiter alteri virtuti identificatus, nondum est destructus, potest, inquam, elicere actus alios, non retractivos, e. g. cultum Divinum, seu patriæ, vel executionem rei Deo debitæ, qui sunt actus primarii religionis, vel iustitiæ.

47. Dico 3. Habitibus penitentia specialis probabilis identificatus est virtuti, seu habitui iustitiæ commutativæ illius, quæ datur inter Deum, & hominem. ita S. Thomas 3. p. q. 85. a. 3. in corp. Gormaz de penit. n. 76. & plures alii. Probatur conclusio. Ad iustitiam, quæ est inter Deum, & hominem, spectat objectum formale penitentia specialis, nempe honestas compensandi jus Dei læsum: ergo probabilis penitentia specialis est huic iustitiæ identificata. Confirm. ex S. Thoma, qui 3. p. q. 85. a. 3. in corp. sic ait: *Penitentia non habet, quod sit virtus specialis ex hoc solo, quòd dolet de malo perpetrato (ad hoc enim sufficeret charitas) sed ex eo, quòd penitens dolet de peccato commisso, in quantum est offensâ Dei, cum emendationis proposito. Emendatio autem offensæ, contra aliquem commissæ, non fit per solam cessationem offensæ, sed exigitur ulterius quadam recompensatio, quæ habet locum in offensis in alterum commissis, sicut est retributio.... utrumque autem ad materiam iustitiæ pertinet; quia utrumque est commutatio quadam; unde manifestum est, quòd penitentia, secundum quòd est virtus, sit pars iustitiæ.*

Cumque ibidem S. Doctor distinxisset inter se iustum simpliciter, & iustum secundum quid, addit: *Iustum autem secundum quid dicitur, quòd est inter illos, quorum unus est sub potestate alterius, sicut servus sub domino, filius sub patre, uxor sub viro. Et tale iustum consideratur in penitentia. Quæ verba Angelici sat expriment nostram sententiam; unde hæc nostra assertio re ipsa non differt ab ea, quam retulimus n. 35. sed ad summum aliquo modo quoad modum loquendi. An autem ipsa iustitia sit habitus, ab omnibus aliis realiter distinctus, non est necesse determinare.*

charitas, religio, pietas &c. videatur Hauldus l. 4. tr. 4. n. 893.

50. Ob. 2. Si habitus poenitentiae est specialis; quia habet speciale motivum, tunc poterunt assignari plurimae poenitentiae speciales, e. g. una dolens de peccatis mortalibus, alia de venialibus, alia de peccatis commissionis, alia de peccatis omissionis: sed hoc est nimium: ergo. Resp. In primis distinctio, vel multiplicatio formalis habituum, non affert eandem difficultatem, vel eadem inconvenientiam, quae affert distinctio realis: & sic formalis distinctio graduum metaphysicorum in eodem realiter ente, etsi ulterius, & ulterius distinguantur, non difficultus admittitur: at non ita admittitur distinctio realis. Sed neque distinctio formalis unquam infert infinitum actum; quia non augetur, nisi per conceptus novos, plures, & plures, qui nunquam erunt actu infiniti.

51. Resp. 2. neg. ma. neque enim sufficit ad ita multiplicandos habitus quilibet exigua diversitas objectorum: sed debet ea esse notabilis, in morali Theologica consideratione; nam, ut divisio provinciarum, scientiarum, atque etiam distinctio formalis praedicatorum, plurimum dependet à communi arbitrio auctorum: ita etiam distinctio formalis habituum plurimum dependet ab auctoritate Theologorum, quibus non sufficit ad adstruendum novum habitum, etiam tantum formaliter alium, quaecumque diversitas, sed requiritur moralis.

Quare motiva, vel objecta formalia, quae sub una certa ratione, non valde ampla, & secundum considerationem Theologicam ultimò specifica, conveniunt, reducuntur à Theologis ad habitum unum: ita autem ex communi se habent motiva in objecto ne adducta, quae conveniunt in ratione honestatis dolendi, de peccato. Quanta autem latitudo requiratur, ad adstruendum denuo habitum, saltem formaliter novum, iterum ex morali estimatione, & communi doctorum sensu, est desumendum.

52. Ob. 3. Nostra poenitentia specialis esset habitus purè emendativus peccati: sed talis nullus datur: ergo. Confr. 1. Haec poenitentia non potest emendare, seu destruere peccatum: ergo non potest obtinere suum finem. prob. ant. antequam committatur peccatum, non potest hic habitus illud destruere, ut patet: quando autem committitur peccatum, etiam ipse habitus destruitur ex n. 42. sed, quando est destructus, non potest operari ad destructionem peccati: ergo. Confr. 2. Ex hoc ipso etiam sequitur, quòd hic habitus non possit elicere actum suum primum, antequam destruat, quòd videtur absurdum, ut dictum n. 46. ergo.

Resp. dist. ma. poenitentia specialis esset habitus purè emendativus, si formaliter tantum sumatur. conc. ma. si sumatur realiter. neg. ma. & sub data dist. om. vel neg. mi. ac neg. conf. Videtur multis, quòd habitus purè emendativus, seu cujus reali-

ter sumpti officium solum sit delere peccatum, sit impossibilis ex eo capite, quòd talis habitus non posset actum suum elicere, nisi prius destrueretur: quin imò non posset reproduci, nisi ejus finis jam prius esset obtentus, seu peccatum deletum. Haec tamen ratio, ut efficax sit, videtur debere loqui tantum de actu primario, seu deletivo peccati mortalis; quia per peccatum veniale non destrueretur habitus; unde circa hoc posset actus emendativus elici, antequam habitus destrueretur.

53. Sed quidquid de hoc sit, haec ratio tantum impugnat habitum purè emendativum, realiter distinctum ab aliis; non enim probat, esse impossibilem habitum, cujus tantum formaliter accepti, seu considerati sub una tantum ratione retractativi, officium sit, delere peccatum; nam primò etiam charitas, considerata formaliter sub ratione potentis elicere contritionem, est talis habitus, & tamen non est impossibilis. Dein talis habitus, licet ante peccatum, vel destructionem sui, non possit elicere actus retractativos, in ordine ad quos ita formaliter consideratur, vel sumitur, potest tamen elicere actus alios: non autem debet habitus quamlibet speciem suorum actuum posse elicere ante peccatum; modò enim possit aliquos, & praesertim primarios actus elicere, non erit inutilis: neque erit tantum purè emendativus, sed etiam praeservativus à peccato.

54. Ad 1. confr. retorqueo argumentum in habitu charitatis, ac omnibus moralibus. in forma om. ant. neg. conseq. vel suppositum; habitus enim poenitentiae, realiter sumpti, finis non est destruere peccatum, sed elicere actus alios honestos justitiae: quin etiam habitus hujus, formaliter sumpti, finis non est, effectivè destruere peccatum, sed tantum de eo dolere: potest autem habitus dolere de peccato jam remisso, & quidem frequenter, nec inutiliter ad meritum, & firmandum propositum. Dein potest hic habitus saltem delere peccata venialia. Ad 2. confr. neg. ant. nam habitus poenitentiae specialis, realiter sumpti, utpote realiter identificati justitiae, sunt alii actus primarii, scilicet tribuere Deo, in quantum potest, jus suum, & sic praeservare hominem à peccato: sive hujus habitus finis est, exercere actus justitiae.

55. Ob. 4. Objectum formale nostrae poenitentiae specialis, scilicet honestas doloris compensativi, non est motivum dolorosum: ergo nostra virtus poenitentiae non est specialis, in eo sensu, in quo eam specialem esse diximus n. 38. prob. ant. hoc objectum, seu motivum formale, non representat peccatum ut detestabile, & displicens: sed representat ipsum dolorem ut honestum, & placentem: ergo non excitat voluntatem ad affectum amarum, & animum seu dolorosum. Resp. Neque honestas e. g. castitatis, imò nec bonitas Dei, est objectum dolorosum, in ordine ad se, sive in hoc detestationem,

tionem circa se ipsas: sed tantum sunt objectiones, seu motiva dolorosa eatenus, quatenus movent per contrarietatem ad dolorem, vel detestationem circa peccatum, tanquam oppositum bonitati Divinae, vel honestati castitatis. At sic etiam honestas doloris, seu motivum dolorosum, non quidem in ordine ad se, sed in ordine ad peccatum; quia etiam per contrarietatem movent ad dolorem, vel detestationem circa peccatum; quòd omnino peccatum sit contrarium huic honestati doloris, & cum ipsa impossibile: quae ipsa oppositio, seu impossibilitas peccati, est aliqua hujus turpitudine, potens movere ad detestationem peccati, & ad dolorem de ipso.

56. Unde in forma dist. ant. honestas doloris non est motivum dolorosum, movens ad dolorem de seipsa eliciendum. conc. ant. movens ad dolorem de peccato eliciendum. neg. ant. & conf. Eo ipso, quòd homini representetur honestas doloris compensativi pro offensa Dei, seu pro peccato, representatur, saltem in obliquo, etiam offensa Dei, pro qua dolor est compensativus, simulque representatur offensa Dei, ut lassiva juris Divini, & ut opposita honestati doloris compensativi, adeoque ut detestabilis propter hanc ipsam laesionem, ac oppositio: & consequenter dicta honestas excitat ad dolorem retractativum offensae, qui ipsissimus est aliquis affectus anxius, & amarus, & peccatum detestans. Similiter ratione explicandi sunt hi actus: *Detestor peccatum; quia honestum est illud detestari: fugio illud; quia honestum est ipsum fugere*: qui actus abominantur peccatum, licet detestationem, & fugam aliquo modo ament.

57. Ob. 5. Non datur poenitentia specialis naturalis: ergo neque datur supernaturalis. prob. ant. philosophi non meminerunt poenitentiae, quando agunt de virtutibus: ergo non agnoverunt aliquam virtutem naturalem poenitentiae. Resp. 1. neg. conf. cur enim ordo supernus non possit esse frequentior, quam ordo purè naturalis? Resp. 2. neg. ant. Etiam si poenitentia naturalis non sit habitus infusus, est tamen habitus acquisitus, qui, si non detur in omnibus hominibus (sicut neque dantur in omnibus habitus virtutum intellectualium, & moralium acquisiti) potest tamen dari in aliquibus, qui per frequens exercitium actuum poenitentiae habitum acquirunt.

Certè, ut Arriaga *diff. 9. de anima sec. 1. n. 11. & seq.* docet, quando eliciuntur frequentius actus supernaturales, oritur, sive per se, sive per accidens, facilitas aliqua naturalis. Coninck quoque *de actibus supernaturalibus diff. 7. dub. 3. n. 27.* citans Molinam, & Bergomensem, multis contendit, ab actibus supernaturalibus produci habitum naturalem, de quo vide *tr. de virt. Theol. n. 45. & seq.* Quòd si tamen hoc neges, ad summum sequitur, non dari habitum in operantibus, supernaturaliter: non autem, quòd non dandus esset in poenitentibus, naturaliter operantibus.

58. Si replices, neminem naturaliter operaturum per actum poenitentiae nostrae specialis. Resp. Si nemo ita operaretur, id foret prorsus per accidens; quare saltem talis habitus possibilis est: & probabilis saltem potuisset dari in statu purè naturae; cum enim etiam tunc lumen naturale dictasset, per peccatum impediri hominem ab ultimo fine (quem tamen homo etiam tunc pro suo statu desiderasset consequi) item fieri etiam offensam Deo, qui rationabiliter petere possit vindictam, tamen etiam misericors sit &c. haec potuissent hominem excitare, ad aliquem actum doloris, etiam ex motivo compensandi suo modo offensam: ex cujus actus repetitione nasci potuisset habitus acquisitus.

59. Si petas, an dolor ille etiam delivisset peccatum. Resp. Nullo modo potuisset per se, seu ex sua dignitate, aut merito delere peccatum, ut est clarum: potuisset tamen Deus gratosè etiam in eo statu peccatum remittere; cum favor ille Theologicè supernaturalis non fuisset; philosophicum autem supernaturale eo in statu non repugnasset. Imò contendit Esparza *l. 10. q. 76. de poenit. ad 5.* & videtur etiam docere Suarez *tom. 4. in 3. p. disp. 3. sec. 7. n. 7.* atque etiam tradit doctissimus quidam recentior, favorem illum futurum fuisse purè naturalem.

Ratio est; quia, licet remissio peccati non fuisset debita naturae creatae, tamen fuisset debita suo modo Deo ut auctori naturae; quia, ut ajunt, spectat ad ipsum, posse liberè reparare felicitatem, etiam purè naturalem, à creatura amissam: quod ulterius explicant hi auctores similitudine lucis; quae, quamvis non debeatur aëri, debetur tamen soli, ut aërem possit illuminare. Potuisset etiam Deus in eo statu revelare creaturae remissionem peccati; nec enim in eo statu implicasset omnis, revelatio Dei, ut defendit Lugo *de fide disp. 9. sec. 1. n. 17.* Mihi sufficit responsio prior.

Jam ad probationem ant. superius positam neg. ant. ut enim videre est apud Suarez *sec. modo. cit. n. 1.* philosophi saltem meminerunt poenitentiae generaliter acceptae: si autem specialem non considerant, inde fuit, quòd potissimum habitus, qui non supponunt peccatum, consideraverint: idque praesertim fecere Stoici, qui, cum negaverint, decere sapientem, poenitere alicujus facti, & insuper egerint tantum de habitibus, sapientes, ut putabant, decentibus, poenitentiam omiserunt.

60. Ob. 6. Poenitentia nostra specialis, nec est virtus Theologica, nec moralis: ergo est nulla. prob. ant. non est Theologica; quia tantum dantur tres, & nulli earum identificatur poenitentia nostra specialis: neque est virtus moralis; quia pro objecto formali habet aliquid Divinum: ergo. Resp. neg. ant. & dico, esse virtutem moralem, ad prob. neg. 2. p. ant. rationem autem adjectam dist. habet aliquid Divinum pro objecto formali quo. conc. ant. habet illud pro

objecto formali quod. neg. ant. & conf. Objectum virtutis dividitur multipliciter. Aliud est *objectum materiale*, quod attingitur propter aliud: aliud est *objectum formale*, propter quod attingitur alterum: & hoc est duplex, scilicet *objectum formale quod*, sive illud, quod attingitur propter se, & propter quod attingitur etiam aliud: & *objectum formale quo*, seu ratio formalis, sub qua attingitur objectum, seu qua determinatur potentia ad attingendum aliud: per *attingere* autem hic non intelligitur aliud, quam respectu habituum, & actuum intellectus *affirmare*: respectu habituum, & actuum voluntatis *amare*.

61. Jam, ut suppono *ex tr. de virt. Theol. à n. 5.* virtus Theologica debet necessarid pro objecto formali quod habere aliquod prædicatum Divinum: sic fides affirmat ipsam veracitatem, vel infallibilitatem Divinam: spes, & charitas, amat ipsam bonitatem Divinam. At verò virtus moralis, nec affirmat, nec amat immediatè aliquid Divinum, consequenter id non habet pro objecto formali quod: sed amat aliquam honestatem creatam, licet ad hanc amandam aliquando determinetur à prædicato Divino, quod tamen non amat: adeoque istud tantum habet pro objecto formali quo. Nec hoc difficile captu est; sæpe enim contingit, amari unum propter alterum, quin ametur hoc alterum, quando scilicet non movet per convenientiam, sed per contrarietatem, vel disconvenientiam, ut explicatum est *n. 17.*

Sic sæpe quis amat, seu vult efficaciter, præstare solutionem debitam propter jus creditoris, quod urget, quamvis jus hoc minimè amet: sic iudex amat, seu vult pœnam propter delictum, quamvis hoc oderit: sic multi volunt, seu amant facere actum præceptum, licet præceptum non ament, sed velint non dari. Quamvis autem hæc, vel similia possint amari, non tamen amantur per actus horum habituum: quia hic, & nunc, non proponuntur sub ratione ab ipsis amabili. Quare, cum poenitentia specialis non habeat pro objecto formali quod jus Dei offensi, quod proponitur ipsi sub ratione creditoris, exigentis compensationem (quæ ratio non apparet ipsi amabilis) sed habeat pro objecto formali quod honestatem creatam doloris compensativam, non est virtus Theologica, sed moralis.

62. Dices. Virtutes morales debent habere medium, ut docet S. Thomas *1. 2. q. 54. a. 1. in corp.* sed poenitentia non habet medium: ergo non est virtus moralis. prob. mi. nunquam possumus sufficienter dolere, neque unquam debemus in aliquo gradu doloris sistere: ergo poenitentia non habet mensuram, seu medium. Resp. retorquero argumentum in virtute religionis, & gratitudinis erga Deum &c. nunquam enim possumus Deum satis colere, aut ei sufficienter gratias agere. in forma neg. mi.

ad prob. om. ant. neg. conf.

Angelicus *1. 2. questione 64.* (in qua agit de medio virtutum) *n. 4.* querit, cur virtutes Theologicae non habeant medium, ut morales, & *in corp.* responderet distinguendo medium duplex: unum ex parte virtutis, seu objecti formalis: alterum ex parte nostræ, seu ob imbecillitatem nostrarum virium, atque, primum non dari in virtutibus Theologicis, utpote pro objecto habentibus infinitum Deum: dari tamen alterum; quia, ait, *etsi non possumus ferri in Deum, quantum debemus, debemus tamen in ipsum ferri, credendo, sperando, & amando, secundum mensuram nostræ conditionis.*

63. In virtutibus autem moralibus, etiam in poenitentia, datur utrumque medium; nam & objectum formale quod est aliquid creatum (& in poenitentia est honestas doloris compensativi) adeoque non infinitè, sed tantum secundum certam mensuram amabile: & imbecillitas nostræ, aliaque circumstantiæ faciunt, ut mensuram aliquam debeamus adhibere in exercitio talium virtutum, etiam poenitentia. Ubi insuper noto, hic per habere medium non intelligi, quod virtus debeat esse inter duo vitia; hoc enim etiam daretur in spe Theologica, quæ media est inter desperationem, & præsumptionem: non autem daretur in religione, nec in gratitudine erga Deum, quæ sunt virtutes morales; cum non videatur eis opponi aliquod vitium per excessum: sicut e. g. liberalitas habet sibi oppositam, per excessum prodigalitem, & per defectum avaritiam.

64. Ob. 8. contra 3. conclusionem. Poenitentia nostra specialis habet eundem effectum, & eandem materiam cum habitu charitatis: ergo debet ipsa potius charitati, quam alteri virtuti identificari. prob. ant. poenitentia habet pro effectu suo, seu actu dolorem, vel etiam destructionem peccatorum: pro materia autem, circa quam versatur, habet peccata: sed hæc etiam habet charitas: ergo. Hoc argumentum (ut facile patebit consideranti) probaret, quamlibet virtutem, potentem dolere de omnibus peccatis, debere identificari charitati, quod admitti non potest. in forma om. ant. neg. conseq.

Ad hoc, ut habitus sint identificati, requiritur, ut etiam saltem realiter habeant idem objectum formale: at charitas neque realiter habet objectum formale nostræ poenitentia specialis, ad prob. om. ant. neg. conf. ob rationem modò dictam. Dixi. om. ant. neg. enim poenitentia habet omnem eundem effectum cum charitate; nam actus charitatis etiam extra sacramentum delet peccatum grave: non idem facit actus specialis poenitentia. Accedit, quod charitas sit virtus Theologica, & poenitentia specialis sit tantum virtus moralis.

65. Ob. 9. Poenitentia specialis est identificata cum religione, prout docuit Cajetanus: ergo non est identificata cum

justitia, prob. ant. Scripturæ vocant actum poenitentia sacrificium: sic dicitur *psal. 50. v. 19. Sacrificium Deo spiritus contribulatus*: sed sacrificium spectat ad religionem: ergo. Confir. S. Thomas *2. 2. q. 83. a. 17. in corp.* gratiarum actionem, quæ est actus gratitudinis, revocat ad orationem, quæ est actus religionis, adeoque saltem implicite revocat gratitudinem ad religionem: ergo etiam ad istam debet revocari poenitentia. prob. conf. sicut gratitudo compensat beneficia, ita poenitentia compensat offensas: ergo.

Resp. esse valde dubium, an non habitus religionis sit identificatus cum habitu justitia: certe S. Thomas *2. 2. q. 81. a. 5. in corp.* dicit, religionem esse partem justitia: si autem religio realiter distinguitur à justitia, neg. ant. nec enim religio, supposito, quod sit realiter distincta à justitia, respicit pro objecto formali jus Dei offensi, sed ejus supremam excellentiam, omni cultu dignissimam, ad prob. dist. ma. & Scripturæ loquantur per tropum. conc. ma. loquantur in sensu proprio, neg. ma. & dist. etiam mi. sacrificium in sensu proprio dictum spectat ad religionem. conc. min. tantum dictum per tropum. neg. min. & conf. Scripturæ etiam mortificationis corporis dicunt esse sacrificia, & per eas homines sacrificare se Deo; quia scilicet ex fine extrinseco etiam ad cultum Dei ordinantur: non verò, quasi virtus mortificationis intrinsece cultum Dei respiciat. In eodem sensu Apostolus opera misericordiae erga proximum vocat hostias *ad Hebr. 13. v. 16. Beneficentia autem, & communionis nolite oblivisci; talibus enim hostias promeretur Deus.*

Ad confir. neg. ant. S. Thomas *ibi* tantum dicit, quod Deus etiam coli possit gratias agendo, sicut aliis bonis operibus & quod, si ei gratias agamus, facilius nova beneficia impetremus: ex quo non sequitur, gratiarum actionem esse etiam actum religionis, seu propriè partem orationis, sed tantum esse ejus adjumentum: sicut etiam est mortificatio carnis, quæ juncta orationi facit, peccata facilius impetrare. Et sic etiam potest Deus coli poenitentia, sive potest hæc ordinari ex fine extrinseco ad cultum Dei: & sapissimè ita ordinatur.

66. Ob. 10. Posset poenitentia reduci ad justitiam vindicativam: ergo non debet reduci ad commutativam. Confir. Posset poenitentia identificari cum virtute, quæ intendit habere pacem cum Deo, ut vult Lugo: ergo. Resp. iterum, si justitia vindicativa sit habitus realiter distinctus à commutativa, neg. ant. objectum enim formale poenitentia multo magis spectat ad justitiam commutativam, quam ad vindicativam; nam justitia vindicativa est agere judicem; cum poenitens ut talis agat reum: dein justitia vindicativa finis est resarcire damnum legis, deterrere alios à culpa: hic autem non est finis poenitentia: sed hujus finis est compensare offensam.

Ulterius poenitens liberè sibi imponit

pœnas: at justitia vindicativa non petit pœnas liberè admitti, sed eas imponit etiam invictis, eique sufficit, si pœnæ sustineantur, etiam ab invito. Sed neque ad justitiam vindicativam spectat dolere de peccato, qui tamen est præcipuus actus poenitentia: sed ad eam tantum spectat illud detestari. Ad confir. Resp. Ite habitus, realiter acceptus, probabilis est ipsa justitia; quia velle habere pacem cum Deo, vel, ut alii loquuntur, non velle Deum sibi offensum, est, non velle dari ejus offensam, sive velle servari jus ejus illatum: & consequenter, si læsum sit, id iterum reparari; unde re ipsa non videtur hæc sententia recedere à nostra: si tamen aliter explicaretur, ut non conveniret nobiscum in assignando objecto formali poenitentia, hæc ipsa esset ratio sufficiens ad negandum antecedens.

67. Ob. 11. Poenitentia specialis, nec reddit, nec intendit æquale pro offensa: atqui justitia commutativa debet reddere, vel saltem intendere æquale: ergo. Confir. 1. Justitia pro motivo suo formali non habet honestatem dolendi: ergo poenitentia specialis non est illi identificata. Confir. 2. Ad justitiam commutativam tantum spectat injuria: sed non omnis offensa est injuria: ergo saltem universaliter non potest poenitentia reduci ad justitiam commutativam. prob. mi. si e. g. Petro petenti non commodo meum librum, offendendo ipsam: atqui non facio ei injuriam: ergo Resp. dist. mi. Justitia strictè commutativa, qualis datur inter creaturas debet reddere, vel intendere æquale. conf. mi. justitia latius dicta, qualis datur inter Deum, & hominem. neg. mi. & conf. An autem hæc justitia latius dicta, & illa strictius dicta, realiter distinguantur, an non, mihi planè incertum est.

68. Ad 1. confir. neg. ant. de justitia realiter accepta; cum enim ista habeat pro objecto formali, omnem in genere honestatem compensandi jus alterius læsum, habet etiam istam in specie, scilicet honestatem id compensandi eliciendo dolorem. Ad 2. confir. neg. mi. ad prob. dist. ma. si non commodo Petro librum, in ijs circumstantiis, in quibus negatio libri significat, me vilipendere ejus amicitiam. conc. ma. in aliis circumstantiis. neg. ma. & dist. proportionaliter mi. neg. conf. vilipendere enim alicujus amici, vel hominis honorati, amicitiam, est injuria, non quidem realis, sed personalis. Sæpe tamen, sicut non est vera facta injuria, ita nec facta est vera offensa, sed tantum in apprehensione mala recipientis. Si quis replicet, jus Dei non posse lædi, utpote indefectibile, repono, non posse quidem lædi illud diminuendo: at tamen posse lædi non faciundo, quod jus illud existit fieri, seu econtra faciundo, quod jus illud existit non fieri.

ARTICULUS V.

Quodnam Objectum Materiale habeat Pœnitentia Specialis.

69. Quid sit objectum materiale, & formale virtutis, dictum est n. 60. ubi explicavimus etiam, quid sit objectum formale pœnitentia. Restat modicum quid dicendum de objecto materiali pœnitentia, sive de ijs, quæ ab ista attinguntur propter aliud. Agimus autem nunc de pœnitentia speciali, non realiter sumpta; cum enim sic accepta, sit ipse habitus iustitiæ, pro objecto materiali habet omnia, ad quæ proter jus alterius attingenda movetur *hæc habitus*, quorum tamen examen spectat *ad tract. de iustitia*: sed tantum agimus de pœnitentia formaliter accepta, sive ut elicente actus pœnitentes, sub qua ratione accepta duplex habet objectum, scilicet *objectum prosecutionis, & objectum fuga*. De his ergo duobus hæc quaritur.

70. Dico 1. Objectum fugæ respectu pœnitentiæ specialis sunt inprimis peccata mortalia actualia. Per peccata autem actualia non intelliguntur hæc peccata actualiter existentia; non enim potest quis dolere salutariter de peccato actualiter præsentem, seu existentem; quia actus detestans efficaciter peccatum, & ipsum peccatum, seu ipse actus amplectens objectum inhonestum, sunt incompossibiles: sed tantum intelliguntur peccata actualia, prout hæc opponuntur originali: sive intelliguntur peccata, facta ab ipso pœnitente, & hæc, & nunc, habitualiter perseverantia. De hac assertionem nemo dubitat; nam ista peccata pœnitentia detestatur, odit, atque retractat, & vult compensare: adeoque fugit, seu averfatur.

71. Dico 2. Objectum materiale fugæ respectu pœnitentiæ sunt etiam peccata venialia. Prob. Etiam ista sunt aliqua culpa, atque Deo præbent jus ad aliqualem contra hominem displicentiam, quamquam non gravem: sunt etiam non tantum negativè, sed etiam positivè contra fervorem charitatis: sunt materia sacramenti pœnitentiæ, non quidem necessaria, attamen sufficiens, ut docet Tridentinum *sess. 14. c. 5.* & constat ex praxi priorum ea constitutum: ergo.

Hæc nota, peccatum habituale, tam mortale, quam veniale, dicere duo, nempe peccatum actuale præteritum, & moralem ejus perseverantiam, vi cuius quis dicitur adhuc peccator, & reus: qua de re vide *tract. de peccatis n. 232.* Hujus ergo concreti pars prior, sive subjectum, seu ipsum peccatum præteritum, est utique objectum materiale fugæ pœnitentiæ ex dictis. At verò secunda pars, seu moralis perseverantia, secundum id, secundum quod est distincta à peccato præterito, non est objectum materiale pœnitentiæ; quia nihil est peccaminosum, ut suppono *ex tr. de peccat. n. 254.* Si ta-

men in aliquo casu, in quo scilicet peccator teneretur agere pœnitentiam, ipsa perseverantia in peccato esset denuo peccaminosa, tunc ista non tantum peccatum præcedens denominaret habitualiter perseverans, sed denominaret etiam hominem de novo peccantem, & daretur duplex peccatum: quo casu dein pro sequentibus instantibus, pro quibus hoc novum peccatum fieret habituale, eodem modo esset objectum materiale pœnitentiæ, sicut alia priora peccata.

72. Dico 3. Objectum materiale fugæ pœnitentiæ sunt etiam actus externi mali. Prob. Licet isti actus non habeant malitiam sibi intrinsicam, habent tamen malitiam extrinsecam, quæ in eos derivatur ab actu intrinseco malo, & à qua verè denominantur mali, & homo quoque propter eos denominatur vituperabilis: adeoque isti actus sunt mali, ac detestabiles, consequenter etiam retractabiles per dolorem: ergo sunt objectum fugæ pœnitentiæ, quæ omnia odit, ac fugit, quæ sunt mala, & reddunt hominem vituperabilem. Certè hæc est quoque aliqua ratio, cur etiam isti actus externi e. g. ipsum homicidium, vel furtum, & non tantum actus interni, seu voluntas occidendi, aut voluntas furandi, debeant in confessione exponi.

73. Dico 4. Objectum materiale fugæ pœnitentiæ sunt etiam peccata jam remissa. Prob. Quamvis ista peccata Deus jam condonaverit, semper tamen verum manet, quod per ea Deus offensus fuerit, & nunquam pro ijs condignè satisfactum sit: ergo potest pœnitentia semper de ijs elicere dolorem retractivum, & compensativum: imò, quamvis homo per impossibile condignè pro peccato satisfecisset, non video, cur tamen non posset de eo dolere: certè, quamvis in humanis aliquis pro offensa, à se alteri facta, condignè satisfecerit, potest tamen postea de ea dolere, eam detestari, retractare &c. quia scilicet factum est aliquod malum.

Licet autem hæc ratio circa peccata jam remissa non sit ratio necessaria dolendi, est tamen ratio sufficiens. Nec dicas, circa hæc peccata non posse elici dolorem ex motivo compensandi; respondeo enim, non posse quidem circa ea elici dolorem ex motivo compensandi effectivè, posse tamen elici dolorem ex motivo compensandi affectivè; sicut enim quis potest ab iisdem peccatis iterum absolvi, ut agendo de sacramento pœnitentiæ dicunt omnes: ita potest quoque de ijs dolere, etiam in ordine ad faciendam compensationem, saltem affectivam.

74. Dico 5. Objectum materiale fugæ pœnitentiæ sunt etiam aliquo modo occasiones peccandi in futurum, atque peccata futura, quæ pœnitens etiam proponit vitare. Dico *aliquo modo*; nam actus pœnitentiæ sunt plures, ut dolor, retractio, & propositum; quamvis omnes tres sæpe identificantur, & tantum sint plures ejusdem realiter actus formalitates, scilicet formalitates doloris.

is, retractationis, & propositi: ex quibus retractatio, seu formalitas retractationis, est præcipua, & maximè denominans pœnitentiam. At secundum hunc actum, vel formalitatem, peccata futura non sunt objectum pœnitentiæ; quia retractatio tendere non potest in malum necdum committum; unde peccata futura tantum sunt objectum pœnitentiæ secundum actum, seu formalitatem propositi dolorosi, vi cuius peccata in futurum excluduntur. Dixi *propositi dolorosi*, hoc est, concepti ex motivo, ex quo concipitur dolor retractivus; si enim non sit propositum dolorosum, non est actus pœnitentiæ, ut patet in innocentibus adultis, qui, etsi firmissimè sibi proponant non peccare, non tamen eliciunt actum pœnitentiæ.

75. Dico 6. Objectum materiale pœnitentiæ non sunt propriè loquendo peccata aliena. Prob. Peccata aliena, licet possint esse objectum detestationis, tamen non possunt esse objectum retractationis, neque propositi, requisiti ad pœnitentiam: sed ad objectum pœnitentiæ, propriè dictum, requiritur, ut sit objectum, vel retractationis, vel saltem propositi, requisiti ad pœnitentiam: ergo. Prob. in primis peccata aliena non potest quis retractare, ut patet: dein propositum requisitum ad pœnitentiam non est propositum vitandi peccata aliena, sed propria: ergo.

Tandem, sicut detestatio, requisita ad pœnitentiam, non est detestatio alienorum peccatorum, sed tantum propriorum: ita etiam propositum requisitum, est tantum propositum cavendi futura peccata propria, & non aliena: ergo. Si quis tamen vellet contendere, quod ex hoc, quod peccata aliena sint objectum actus pœnitentis, secundum formalitatem detestationis, non quidem requisitæ ad pœnitentiam, sed tamen bonæ, & tendentis ad destructionem peccatorum, quod, inquam, ex hoc possint, latè loquendo, dici objectum pœnitentiæ, non esset operæ pretium de hac questione, potissimum de nomine, multum litigare.

76. Dico 7. Multò minùs objectum materiale fugæ pœnitentiæ sunt peccatum originale, aut peccata tantum materialia, vel meræ imperfectiones morales, vel pœnæ. Prob. 1. pars. Peccatum originale non est propria voluntate commissum: ergo propria voluntate retractari non potest. Sed nec potest esse objectum propositi, tanquam à nobis vitandum; cum non possimus illud committere. Prob. 2. pars de peccatis purè materialibus. Ista non habent rationem ullam culpæ: atqui pœnitentia supponit culpam: ergo. Ex eodem capite prob. etiam 3. pars de meris imperfectionibus; nam & hæc non sunt culpæ; alias essent peccata venialia.

Tandem. 4. pars de pœnis ex eadem ratione probatur; nam pœnæ quoque distinguuntur à culpa, etiam supposito, quod reatus pœnæ, & culpæ, sint identificati; quia pœnæ non sunt reatus pœnæ, sed distincti. R.P. Ant. Mayr Theol. Tom. II.

guuntur à suo reatu. Unde, quamvis pœnæ, Deo infligendæ, possint esse objectum fugæ alterius virtutis, e. g. timoris gehennæ: non tamen possunt esse objectum fugæ pœnitentiæ, quæ respicit solam culpam: quin imò pœnæ, quas sibi pœnitens ipsemet infligit, non sunt objectum fugæ, sed potius aliquo modo objectum prosecutionis, saltem mediatum, de quo mox dicetur.

77. Dico 8. Objectum materiale prosecutionis pœnitentiæ sunt plura, & varia. Inprimis est ipse dolor compensativus; hunc enim ipsa pœnitentia amat, & elicit: quam fors melius diceretur, quod hic sit objectum formale quod; quia scilicet appetitur propter honestatem suam. Secundò est carentia peccati; nam & hanc pœnitentia amat: & quatenus dicit: *Vellem non peccasse*: amat, quantum potest, carentiam antecedentem: quatenus dicit: *Vellem non amplius peccare*: amat carentiam consequentem.

Cætera verò bona, quæ serviunt ad destructionem peccati, aut ad satisfactionem, vel compensationem pro ipso, an sint objecta materialia, immediata, vel mediata, multum videtur habere quæstionem de nomine. Videntur in aliquo casu posse esse objecta materialia immediata pœnitentiæ, si scilicet ea amplectatur pœnitentia, tanquam media ad habendum dolorem compensativum: quando autem ea tantum adhibentur ad destructionem peccati, videntur esse potius objecta materialia mediata; quatenus dolor compensativus determinat voluntatem, ad eliciendos, vel imperandos actus aliarum virtutum, tam externos, quam internos, servientes ad destructionem peccati.

Ratio est; quia strictè loquendo objectum materiale virtutis immediatum est illud tantum, quod immediatè attingitur propter objectum formale quod virtutis, quod in nostro casu non est destructio peccati, genericè talis, sed est honestas doloris tendentis ad destructionem peccati, ita, ut hæc destructio tantum veniat in obliquo. Quia tamen etiam id, quod est objectum materiale aliquorum actuum habitus, jam potest dici ejus objectum immediatum, licet non sit objectum actuum omnium (nam vix erit aliquod objectum materiale omnium actuum) possunt etiam ista supradicta bona vocari suo modo objectum materiale immediatum pœnitentiæ. Sed de his, & similibus, quæ multum habent litis de nomine, satis.

ARTICULUS VI.

Solvuntur Objectiones.

78. B. 1. contra 2. conclusio- nem. Pro peccato veniali potest pura creatura condignè satisfacere, seu ex stricta iustitia: ergo istud non est objectum pœnitentiæ specialis. prob. conf. pœnitentia specialis non est stricta iustitia, nec dat æquale Deo: atqui virtus ha-

habens pro objecto materiali fugæ peccata venialia, est stricta iustitia, & dat æquale Deo: ergo. Resp. aliud esse, satisfacere de condigno, aliud satisfacere ex stricta iustitia; omnes enim Theologi admittunt, Christum satisfacisse plus, quam condignè pro peccatis omnibus: at gravissimi Theologi negant, eum satisfacisse ex rigorosa iustitia, id quod & nos negavimus in *tr. de incarnat. n. 399.*

Sed, hoc interim omisso, neg. conf. ad prob. dist. 2. p. ma. pœnitentia specialis non dat æquale Deo semper, & in omni casu. conc. ma. nunquam, subdist. si non potest pro peccato veniali condignè, aut ex iustitia satisfacere. conc. ma. si potest ita satisfacere. neg. ma. & dist. proportionaliter mi. neg. conf. Supposita possibilitate æqualis satisfactionis pro peccato veniali, à creatura ponendæ, pœnitentia dat æquale in aliquo casu, non verò in omni: &, quando non potest dare æquale, contenta est solutione inæquali: qua ratione jam deficit à stricta iustitia, quæ semper intendit æqualitatem. Imò, supposita etiam possibilitate condignæ satisfactionis pro peccato veniali, tamen adhuc deficit pœnitentia specialis, à ratione iustitiæ strictè dictæ, saltem juxta sententiam eorum, qui negant creaturam posse Deo satisfacere ex iustitia strictè dicta; eoquod non possit extinguere jus Dei creditoris, de quo actum in *tract. de incarnat. à n. 366. & 381.*

79. Ob. 2. contra 4. conclusionem. Quando peccata jam sunt remissa, tunc non amplius datur jus in Deo contra pœnitentem: ergo pœnitentia non potest amplius respicere jus Dei: ergo non potest tendere ad compensationem illius juris. Confir. Debitum jam solutum non potest amplius solvi: ergo neque offensa jam remissa potest ulterius compensari. Resp. dist. ant. quando peccata sunt remissa, non datur amplius jus exigens actum pœnitentiæ. conc. ant. non datur amplius jus terminans illum actum. neg. ant. & conf. Semper datur hæc veritas: *Deus est offensus*: seu: *Datur Deus, & ejus offensa præterita*: offensa autem, quando jam remissa est, non quidem amplius exigit pro suo jure satisfactionem, sed tamen potest movere ad ponendum actum, saltem affectivè deletivum peccati, vel affectivè compensativum juris læsi, ut dictum n. 73.

Certè post offensam remissam possibilis est hic actus: *Doleo jus Dei à me fuisse læsum*: qui actus non videtur posse spectare ad ullam aliam virtutem, quam ad justitiam, inter Deum, & pœnitentem. Ad confir. dist. ant. debitum jam solutum non potest amplius solvi effectivè. conc. ant. non potest solvi affectivè. neg. ant. & conf. Certè homines pij sæpe, quando dubitant, an solutionem præsterint, denuo solvunt, dicuntque: *Si non solvi prius, modo solvo*: quod magis locum habet circa peccata remissa; quia, etsi revera remissa sint, tamen id nobis ordinariè non infallibiliter constat.

80. Ob. 3. eo ntra 5. conclus. Non requiritur ad pœnitentiam iam propositam vitandi omnia peccata, sed tantum propositum vitandi peccata, quæ pœnitens commisit: ergo peccata futura non sunt objectum materiale pœnitentiæ ratione propositi. Confir. Potest elici dolor de uno peccato, & non de altero: ergo neque ratione doloris omnia peccata sunt objectum pœnitentiæ. Resp. ant. non esse verum: sed eo omisso. neg. conf. licet enim tale propositum non foret necessarium, est tamen utile, & quàm optimè à pœnitente elici potest: atque istud saltem habebit pro objecto omnia peccata: ad hoc autem, ut aliquid sit objectum materiale habitus, sufficit *ex n. 73.* si sit objectum aliquorum actuum.

Ad confir. sufficit prior responsio; quia, licet hic dolor non attingat omnia peccata, attingit tamen ea alius dolor, adeoque reliqua peccata sunt objectum materiale pœnitentiæ, ratione alterius actus ejusdem virtutis: quanquam dolor ex motivo pœnitentiæ specialis elicitur, cum sit universalis *ex n. 38.* non possit esse de uno, quin simul implicite sit etiam de alio peccato: si tamen etiam omittatur, quod possit à speciali pœnitentia elici dolor tantum particularis, non obest id conclusioni, ut jam ostensum. Cæterum talis dolor particularis etiam cum sacramento non sufficeret ad justificationem, casu quo quis alterius peccati gravis diversæ speciei esset etiam invincibiliter oblitus, de quo infra à n. 469.

81. Ob. 4. contra 6. conclusionem. Aliæ virtutes amant suam honestatem, non tantum in suo subjecto, sed etiam in alieno: ergo etiam pœnitentia amat suam honestatem in alieno subjecto: ergo etiam potest dolere de peccatis alienis. Resp. pœnitentiam nostram realiter acceptam, seu justitiam, posse etiam detestari peccata aliena; nam absque dubio potest aliquis ex motivo justitiæ detestari alterius injustitiam: at non potest pœnitentia, detestari peccata aliena per dolorem retractativum vel propter hujus honestatem: consequenter pœnitentia nostra, ut pœnitentia reduplicativè accepta, non potest detestari peccata aliena, vel de istis dolere, dolore pœnitentium proprio: at hoc neque possunt aliæ virtutes; nam e. g. caritas potest quidem detestari omnia peccata, utpote opposita bonitati Divinæ: non tamen potest de istis actum contritionis elicere: & sic de aliis virtutibus. in forma om. ant. neg. conf. si sermo sit de pœnitentia formaliter accepta, seu ut respiciente honestatem doloris retractativi; hoc enim motivum non se extendit ad peccata aliena.

82. Ob. 5. contra 7. conclusionem. Peccatum originale patrum est ab Adamo, tanquam constituto nostro procuratore: sed quod sic per procuratorem, potest à mandante revocari, seu retractari: ergo peccatum originale potest à nobis retractari: adeoque etiam potest de eo elici dolor retractivus. Confir. Peccatum originale potest remitti per pœnitentiam: ergo etiam

potest de eo elici dolor. ant. prob. casu quo quis ante baptismum eliciat actum contritionis, remittitur per illum etiam originale peccatum: ergo. Resp. dist. ma. peccatum originale factum est ab Adamo, tanquam constituto procuratore à nobis, seu dependenter ab actu nostræ voluntatis. neg. ma. constituto à Deo. conc. ma. & dist. sic min. neg. conf. ubi enim nulla intervenit voluntas propria, nulla est possibilis retractatio ejusdem.

Ad confir. conc. ant. neg. conf. ad prob. potest transmitti totum: attamen ad melius esse, dist. ant. remittitur tunc peccatum originale per eum actum contritionis, quatenus hic actus est actus pœnitentiæ. neg. ant. quatenus est amor Dei perfectus, & causativus gratiæ. conc. ant. & dist. conf. ergo peccatum originale potest remitti per actum pœnitentiæ, quatenus hic est actus pœnitentiæ, & retractivus. neg. conf. quatenus est amor Dei perfectus. conc. conf. Certè, si non eliceretur actus contritionis, sed actus charitatis non dolorosus, tamen remitteretur illud peccatum. Obiter hic addo pro eruditione, ab Alexandro VIII. damnatam esse hanc propositionem 19. *Homo debet agere totâ vitâ pœnitentiam pro peccato originali.*

83. Ob. 6. Aliæ virtutes habent pro objecto fugæ actus etiam tantum materialiter sibi oppositos, e. g. temperantia ebrietatem, etiam inadvertenter admittam: justitia acceptionem rei alienæ, etiam bona fide factam: ergo etiam actus materialiter mali sunt objectum materiale fugæ respectu pœnitentiæ. Confir. Peccatum etiam tantum materiale est offensa Dei: ergo. Resp. om. ant. de quo fors possit esse questio. neg. conf. nam quidquid sit de aliis virtutibus, pœnitentia tantum veritatur circa culpas, tanquam objectum fugæ: actus autem tantum materialiter mali non sunt culpe. Ad confir. neg. ant. sicut enim per peccatum, tantum materialiter tale, propriè non peccatur, ita neque Deus offenditur. Neque hic afferas peccatum purè philosophicum; quia, ut merito suppono *ex. tr. de peccat. à n. 15.* istud implicat: si etiam ponas, illud per impossibile dari, tunc, ut communiter dicitur, non erit offensa Dei, adeoque neque erit objectum specialis pœnitentiæ, quæ vult dolorem compensativum offensæ Dei.

84. Ob. 7. contra 8. conclusionem. Objectum materiale prosecutionis virtutis est, quod appetitur propter objectum formale: sed carentia peccati non appetitur propter honestatem doloris: ergo non est objectum materiale prosecutionis pœnitentiæ. prob. mi. esset lepidum dicere: *Volo carere peccato; quia volo dolere*: sed sic deberet dicere pœnitens, si carentia peccati esset objectum materiale pœnitentiæ: ergo. Confir. Potius dolor appetitur propter carentiam peccati: ergo carentia ista potius est objectum formale pœnitentiæ.

Resp. conc. ma. neg. mi. ad prob.

om. ma. neg. mi. non enim dicit actus pœnitentiæ: *quia volo dolere*: sed: *quia doleo*: nihil autem est lepidi, dicere: *Volo deinceps carere peccato; quia doleo de peccatis præteritis ideo; quia honestum est de ijs dolere*. Ubi tamen etiam nota, quando dicitur: *volo carere*: non intelligi carentiam antecedentem; de hac enim pœnitens dicit: *vellem*. Quare, si hic actus rectè explicatur, facit hunc sensum: *Vellem carentiam peccati antecedentis*: seu: *vellem, me non peccasse*: sive, quod idem est: *Deleo me peccasse; quia honestum est dolere, & dolendo tendere ad compensationem offensa Divina*: & *volo carentiam peccati futuri, seu volo, aut propono, deinceps non amplius peccare*: in quo actu nihil est absolum.

85. Ad confir. dist. ant. dolor aliquando appetitur propter carentiam peccati. conc. ant. semper, & necessariò. neg. ant. & conseq. Sicut possum velle ambulare, ut recuperem sanitatem, & econtra etiam velle sanitatem, ut possum ambulare: ita possum velle dolere, ut acquiram carentiam peccati, & econtra possum velle carentiam peccati, ut habeam dolorem requisitum; nam, si non vellem, me non peccasse, non verè dolerem. Hanc tamen carentiam non debet velle pœnitentia, vel pœnitens, per actum antecedentem, qui sit quasi dispositio ad dolorem: sed tantum debet eam velle per ipsum dolorem. verbo: debet vel formaliter, vel æquivalenter dicere: *Vellem, me non peccasse*: in quo nihil est paradoxum. Noto tantum, hunc actum quod dico: *Doleo, ut habeam carentiam peccati*: respicere utramque carentiam; nam quatenus dicit: *Doleo*: quod idem significat, ac: *Vellem, me non peccasse*: respicit carentiam antecedentem: quatenus autem dicit: *Ut habeam carentiam peccati*: respicit carentiam subsequentem, seu remissionem, & destructionem peccati, ac abstinenciam ab eodem in futurum, ut consideranti facile patebit.

86. Ob. 8. Si objectum materiale prosecutionis pœnitentiæ sunt etiam alia bona, potest objectum materiale ejusdem esse sumptio SS. Eucharistiæ: sed sic pœnitentia esset virtus Theologica; quia haberet pro objecto aliquid Divinum: ergo. Resp. In primis, licet SS. Eucharistia sit aliquid Divinum, tamen ejus sumptio non est aliquid Divinum, sed est actio creata, ejus honestatem tantum videtur intendere etiam religio, quando Deum colit sumptione SS. Eucharistiæ. Certè cultus Dei stat potius in oblatione, quam in re oblata; alias enim etiam sacrilega communio esset cultus Dei: & duo minuta viduæ non plus valissent apud Deum, quam unum nummi sonantes Phariseorum: quanquam utique res oblata possit in certis circumstantiis refundere majorem honestatem in ipsam oblationem.

Deinde, his omisissis, quæ magis spectant ad virtutem religionis, in ordinè ad pœnitentiam sufficit dicere, quod virtus

moris; eoquod impediatur, ne applicetur homini motivum timoris: non tamen vicissim timor potest impedire exercitium charitatis; alias non posset peccator in articulo mortis, carens copia confessarii, & timens gehennam, salvari per contritionem perfectam, quod est falsum.

96. Expositio textus objecti ex S. Joanne est multiplex apud Cornelium in hunc locum. 1. Charitas perfecta, id est, charitas patriæ, expellit timorem. 2. Si intelligatur etiam charitas viæ, hæc expellit timorem mundanum, qui sæpe inducit ad peccatum. 3. Charitas expellit timorem non totum, sed magnam ejus partem, seu minuit ipsum. 4. Charitas pellit timorem, diffidentiam, & semidesperationem plenum, qui non est virtus, nec est ille timor, de quo loquimur. Et hic ultimus videtur literalis sensus textus adducti; quippe *versu antecedente* præmittit S. Joannes: *Ut fiduciam habeamus in die judicii*: objectis autem verbis immediate subjungit: *quoniam timor pœnam habet*. Potest 5. etiam dici, quod charitas, utpote aliquid perfectius, pellat timorem, seu imperfectum: sicut servus debet cedere dominæ suæ: sic S. Augustinus ait *sermone 13. de verbis Apostoli c. 13. Timor servus est charitatis*. Ne possideat diabolus cor tuum, precedat servus in corde tuo, & servet domina ventura locum: fac, fac, vel timore pœna, si nondum potes amore justitia.

97. Ob. 2. Tridentinum, citatum n. 88. non dicit, bonum esse dolorem, qui concipitur ex solo metu: ergo potest dici, eum tantum timorem esse bonum, qui concipitur ex hoc metu, & simul ex alio perfectiori motivo. Confir. Idem Concilium *ibidem* citatum *sess. 6. can. 8.* non ait, bonum esse metum, *propter quem ad Dei misericordiam confugimus, sed per quem*: ergo non est bonus dolor, cujus motivum est metus, sed cujus est tantum occasio. Resp. neg. conf. Licet Concilium non addat particulam *solo*, eam subintelligit; damnat enim Concilium Lutherum, qui locutus est de dolore ex solo metu gehennæ: rursus clarè distinguit dolorem ex metu, ab alio dolore, qui est ex charitate.

Ad confir. neg. conf. nam Concilium *sess. 14. c. 4.* dicit, dolorem ex metu conceptum esse donum Spiritus S. ejusque impulsio, verba Concilii vide n. 88. Sed & Alexander VIII. & Clemens XI. damnant eos, qui solum metum, & timorem supplicii, bonum esse negant; ergo ipse actualis metus, seu actus timoris, est bonus; consequenter etiam actus doloris, cujus motivum est, & non tantum occasio, est ille metus. Adde, quod, si hic metus sit honestus tanquam occasio, ratio planè nulla sit, cur non etiam sit honestus, tanquam motivum.

98. Ob. 3. S. Augustinus variis locis nostræ conclusioni est contrarius: ergo prob. ant. afferendo ejus textus: sic *concion. 17. in psal. 118. sub initium* dicit: *Quando autem bonum opus, quod lex imperat,*

fit timore pœna, non delectatione justitiæ, cum Deus metuitur, non amatur, serviliter fit, non liberaliter: servus autem non manet in domo in æternum. & concion. 25. in eundem psal. sub finem ait: *Timor namque iste, quo non amatur justitia, sed timetur pœna, servilis est; quia carnalis est: & ideo non crucifigit carnem; vivit enim peccandi voluntas, qua tunc apparet in opere, quando speratur impunitas: cum verò pœna creditur secutura, latenter vivit, vivit tamen; mallet enim licere, & dolet non licere, quod lex vetat. & l. de natur. & grat. c. 57. scribit: Sub lege est enim, qui timore supplicij, quod lex minatur, non amore justitiæ, se sentit abstinere ab opere peccati, nondum liber, nec alienus à voluntate peccandi; in ipsa enim voluntate reus est, qua mallet, si fieri posset, non esse, quod timeat, ut liberè faciat, quod occultè desiderat.*

Item l. 1. contra duas epist. Pelagian. c. 9. ait: *In ipsa intus voluntate peccat, qui non voluntate, sed timore non peccat. & epist. 144. In ipsa voluntate reus est, qui vult facere, quod non licet fieri, sed ideo non facit; quia impune non potest fieri; nam quantum in ipso est, mallet non esse justitiam peccata prohibentem, atque punientem. Et utique, si mallet, non esse justitiam, quis dubitaverit, quod eam, si posset, auferret? Ac per hoc, quomodo justus est justitiæ talis inimicus, ut eam, si potestas datur, precipientem auferat, ne comminationem, vel judicantem seret. Inimicus ergo justitiæ est, qui pœna timore non peccat: inimicus autem erit, si ejus amore non peccet; tunc enim vere timebit peccare; nam, qui gehennæ metuit, non peccare metuit, sed ardere.*

Idem S. Pater tract. 9. in 1. epist. Joann. post medium sic habet: *Non potest melius explanari, quid intersit inter duos istos timores, unum, quem foras mittit charitas: alterum castum, qui permanet in sæculum sæculi, nisi ponas duas mulieres maritatas, quarum unam ita constituas, volentem facere adulterium, delectari nequitia, sed timere, ne damnetur à marito. & post aliqua interjecta pergit: O anima, qua sic times Deum, ne damnet te Deus, quomodo timet mulier, quam delectat nequitia &c. & sermon. 19. de verbis Apost. c. 9. comparat timentem pœnas à Deo inferendas lupi, à rapina ovium, latratibus canum abterriti, & ait: *Lupus venit fremens, lupus redit tremens: lupus est tamen, & fremens, & tremens. & post pauca addit: Si timore gehennæ non facis malum, est quidem in te fides; quia credis, futurum Dei esse judicium: gaudeo fidei tua: sed adhuc timeo malitia tua: ergo.**

99. Resp. 1. Si S. Augustinus nostræ conclusioni foret oppositus, non ipsa, sed S. Augustinus esset deserendus: cerè S. Thomas, indivisibilis fermè S. Augustini sectator 2. 2. q. 10. a. 12. in corp. ait: *Magnis*

standum est auctoritati Ecclesie, quam auctoritati, vel Augustini, vel Hieronymi, vel cujuscunque Doctoris: quod insuper claret ex propositione 30. ab Alexandro VIII. damnata. Ubi quis invenerit doctrinam, in Augustino clarè fundatam, illam absolute potest tenere, non respiciendo ad ullam Pontificis Bullam. Sed non est oppositus nostræ, & Catholicæ doctrinæ, hic S. Antistes; nam ex his omnibus textibus aliud non infertur, nisi dari aliquem timorem gehennæ, inefficacem, sive non efficaciter exclusivum omnium voluntatis peccandi, quod licet homines contineantur à quibusdam peccatis externis, non tamen contineantur ab omnibus, præsertim internis: hoc autem facile concedimus; quippe experientiâ patet, quosdam timere infernum diminutè, dum simul retinent voluntatem peccandi, quique etiam vellent, ut non esset infernus, quo liberius possent peccare. Nos autem loquimur de metu gehennæ efficaci, qui excludat omnem voluntatem peccandi, qualem dari posse infra monstrabimus: & qualem etiam admittit S. Augustinus, ut patet ex n. 91. & 92. in forma. neg. ant. ad prob. neg. conseq.

100. Ob. 4. S. Chrysostomus *homil. 4. in 2. ad Corinth. in morali sub finem* ait: *Cum peccaveris, ingemisce: non quod pœnas daturus sis (nihil enim hoc est) sed quod Dominum tuum offenderis: ergo attritio ex metu gehennæ nihil est, seu inutilis est.* Confir. 1. S. Thomas 1. 2. q. 107. a. 1. ad 2. dicit: *Qui timore pœna ab aliquo peccato abstinere, non simpliciter ejus voluntas à peccato recedit: ergo ex mente S. Doctoris actus talis non est bonus.* Confir. 2. S. Gregorius l. 1. moral. c. 11. ait, non recedere à malo eum, qui ex timore non peccat: ergo. Resp. neg. conf. S. Chrysostomus tantum præfert contritioni imperfectæ perfectam, in cujus comparatione alteram quasi nihil esse dicit: estque hic modus frequens loquendi, ut unum, comparando cum altero meliori, dicamus: *Hoc nihil est.* Potest etiam S. Pater explicari de timore, non excludente efficaciter omnem voluntatem peccandi.

Ad 1. confir. Angelicus ibi loquitur de timore tantum pœnarum temporalium, sicut loquitur de promissione bonorum temporalium honoris, vel divitiarum: at nos hic non loquimur de isto timore: vel potius loquitur S. Doctor de timore hominum imperfectorum antiqui testamenti, & per verba non simpliciter intelligit non adeo perfectè. vide dicta inferius n. 104. Cæterum 2. 2. q. 19. a. 4. in corp. clarè docet, timorem servilem esse bonum, idque sic probat: *Nullum malum est à Spiritu sancto: sed timor servilis est à Spiritu S. ergo timor servilis non est malus.* Addit quidem ibi ad 1. malum esse timorem purè servilem, illum, qui tantum horret pœnam, & non amat justitiam, hoc est, adheret adhuc peccato, & non se convertit ad bonum, seu non movet efficaciter

ad fugiendum peccatum: sed hoc non est contra nos. videatur ipse S. Doctor tota illa quæstione.

Ad 2. confir. dist. ant. S. Gregorius ait, non recedere à malo eum, qui ex timore purè servili non peccat. conc. ant. ex timore non purè, seu non serviliter servili neg. ant. & conf. vide plura infra n. 108. Cæterum, quicumque obijciuntur, sive S. Augustini, sive aliorum SS. Patrum textus, plus non probant, quam timorem purè servilem, sive conjunctum cum interno affectu peccandi, non carere peccato: vel etiam salutarem metum non semper excludere quosdam affectus indeliberatos ad malum: vel timori servili pœnarum, tanquam imperfectiori, præferendum esse timorem filialem, ortum ex charitate, quo non supplicia, sed offensam optimi Patris timeamus: quæ omnia facillimè concedimus.

101. Ob. 5. Dolor ex timore mundano non est honestus: ergo neque servilis metus gehennæ. prob. conf. non minus fundatur metus gehennæ in amore vitioso sui ipsius, quam timor mundanus: ergo. Resp. neg. conf. Timor mundanus dicitur ille, quo magis timeamus offendere creaturam, quam Deum, qui timor malus est, & plurimum peccatorum origo. At timor servilis, de quo loquimur, est timor Dei potentis punire, adeoque retrahit à peccatis. ad prob. neg. ant. amor, in quo fundatur metus gehennæ, non est vitiosus, sed regulis rectæ rationis prorsus conformis, juxta quas debet utique quisvis timere maximum suum, ac æternum malum, quale est infernus: & consequenter amare ejus fugam.

102. Ob. 6. Non est honestum operari propter mercedem æternam: ergo neque operari ex metu pœnæ æternæ. ant. prob. qui operatur propter mercedem æternam, seu propter cælum acquirendum, habet seipsum pro fine cui, Deum autem pro fine qui: sed hoc non est honestum: ergo. prob. mi. sic ordinatur bonum majus ad bonum minus: hoc autem est inhonestum: ergo. Resp. neg. ant. quod defendi non potest post damnatam ab Alexandro VIII. hanc propositionem 10. *Intentio, qua quis detestatur malum, & prosequitur bonum, mere, ut cælum obtineat gloriam, non est recta, nec Deo placens. & 13. Quisquis etiam æternæ mercedis intuitu Deo famulatur, charitate si caruerit, vitio non caret, quoties intuitu licet beatitudinis operatur.* Sed & S. Augustinus *serm. 19. de verbis Apost. c. 10.* aperte dicit, quod, si quis timeat peccando perdere faciem Dei, & ideo peccata omittat, amore casto amet Deum, & addit: *Si expavisti, amasti: si hoc, quod dictum est: Faciem suam tibi negabit Deus tuus: contremuit cor tuum, in non videndo Deum tuum, magnam pœnam putasti, gratis amasti.*

103. Ad prob. dist. ma. qui operatur propter cælum, habet se pro fine cui proximo, utilitatis, & indigentia. conc. ma. habet se pro fine cui positivè ultimo, & excellen-

lentia. neg. ma. & dist. sic min. neg. conf. ad prob. min. dist. ma. sic ordinatur bonum majus ad minus, ita, ut destruat bonum majus propter minus, vel illud huic postponatur. neg. ma. ita, ut non destruat, nec postponatur, sed tantum, hic & nunc, adhibeatur, tanquam utile, ad consequendum bonum minus. conc. ma. & dist. iterum proportionaliter mi. neg. conf. *Finis cui proximus, & indigentia*, est ille, cui tanquam imperfecto, & indigenti, intenditur aliquod bonum, quo perficiatur: atque sic intendit homo sibi Deum, aut beatitudinem. *Finis cui positivè ultimus, & excellentia*, est, qui ultimato intenditur, nec potest ulterius prudenter ordinari, sed est bonum excellentissimum, & omnibus præferendum, atque propterea vocatur finis excellentiæ, estque solus Deus.

Non est autem absurdum, adhibere aliquid majus, ut obtineatur minus, si minus non debeat propterea perdi, vel destrui: sic adhibentur instrumenta, etiam argentea, vel saltem ferrea, ad aliqua opera longè minus æstimabilia. Sic juxta totius Ecclesiæ praxin, sunt orationes, & sacrificia, ad impetranda bona temporalia. Imò Deus ad bonum generis humani lapsi, si non tanquam ad finem adæquatam, saltem tanquam ad aliquem finem proximum indigentia, ordinavit ipsam incarnationem Verbi. Quare neque absurdum est, hominem esse finem, cui appetitur ipse Deus, ut scilicet hic illum perficiat: qua ratione homo quidem est finis indigentia, Deus verò manet finis excellentiæ.

104. Dices. S. Thomas 1. 2. q. 26. a. 4. in corp. docet, id, quod amatur alteri, a mari amore tantum concupiscentia: illum verò, cui aliquid amatur, a mari amore amicitia: & addit: *Id, quod amatur amore amicitia, simpliciter, & per se amatur: quod autem amatur amore concupiscentia, non simpliciter, & secundum se, amatur, sed amatur alteri*: ergo, qui amat Deum sibi, eum amat tantum secundum quid: hoc autem est absurdum: ergo. Resp. om. conf. in sensu S. Thomæ, & neg. subsumptum. Ex ipsis verbis objectis manifestum est, S. Doctorem eo loco per amorem non simpliciter talem, seu per amorem secundum quid, aliud non intelligere, quam amorem concupiscentia, quem ait esse secundum quid, hoc est, minus perfecte amantem, utpote non contentem in eo bono, sed id ulterius referentem ad objectum, amatum amore benevolentia.

In hoc autem nihil est absurdi; non enim debemus Deum semper amare tantum amore amicitia, seu charitatis: sed licitum est, imò aliquando etiam tenemur, eum amare amore concupiscentia, seu spei: per quem amorem tamen nunquam nos positivè præferimus Deo; quia nos semper tantum respiciamus ut finem cui indigentia. Si dicas, nos saltem eo amore concupiscentia non positivè Deum nobis præferre. Resp. In primis hoc non tenemur facere in omni actu (alias juxta adversarios non daretur ullus actus virtutis, nisi solius charitatis) sed sufficit, si Deum semper præferamus

negativè, hoc est, nunquam nos ei præferamus. Deinde præferimus etiam Deum nobis sufficienter per actum spei, aut præviam cognitionem ad istum actum, agnoscendo, ipsum esse finem excellentia, & positivè ultimum. Accedit, quod actus spei, & actus charitatis, compossibiles sint, adeoque ille istum, seu positivè prælationem Dei, non excludat.

105. Ob. 7. Qui detestatur peccatum propter gehennam, non odit peccatum, sed tantum gehennam: hic actus non est honestus: ergo. prob. ma. qui fugit viam propter lupos, non odit viam, sed tantum lupos: ergo à pari, qui fugit peccatum propter gehennam, non fugit peccatum, sed tantum gehennam. Confir. Talis non odit peccatum secundum se, sed tantum ut inductivum gehennæ: hoc non est satis ad penitentiam: ergo. Resp. neg. ma. Certum est in omni Philosophia, & Theologia, amari, & odio haberi, etiam objectum materiale, & non tantum objectum formale; verè enim amat proximum, qui eum amat propter Deum: verè etiam odisset Deum, qui odisset eum propter creatum infernum.

Ad prob. neg. ma. Hic, & nunc talis, tam lupos, quam viam fugit, quanquam in aliis circumstantiis, in quibus via non esset conjuncta cum lupo, eam non horreret. Ad confir. dist. ma. talis non odit ipsum etiam in se peccatum. neg. ma. non odit istud secundum omnia ejus prædicata, sed à quibusdam abstrahit. conc. ma. & dist. sic mi. neg. conf. Quamvis talis hic, & nunc, non odio habeat formaliter oppositionem peccati cum bonitate Divina, sed potius inductionem poenarum, jam sufficienter odit peccatum: & adversarij nunquam probabunt plus requiri.

106. Dices 1. Saltem taliter attritus magis odit gehennam, quam peccatum: sed hoc ipsum est inordinatum: ergo. prob. mi. est inordinatum detestari magis minus malum, quam majus malum: hoc fit in hoc casu: ergo. Confir. Taliter attritus non detestatur peccatum super omnia: ergo non agit honestè. Resp. dist. ma. taliter attritus odit magis gehennam positivè, neg. ma. aliquo modo præcisivè. conc. ma. & dist. sic mi. neg. conf. ad prob. eodem modo dist. ma. & proportionaliter mi. ac neg. conseq.

Explico distinctionem. Positivè magis odisset attritus gehennam, si positivè paratus esset, potius eligere peccatum, quam gehennam: & hoc utique esset inordinatum; cum malum culpæ majus sit malo poenæ, & in nullo casu sit eligibile. At verò attritus non est ita dispositus, sed tantum aliquo modo præcisivè magis odit gehennam; quia prius odio habet gehennam, & ab hoc odio determinatur ad odio habendum peccatum: seu, fugam culpæ hic, & nunc peccatum: ordinat ad fugam poenæ: ab eo autem, quid faceret, si unum præ altero deberet eligere, omnino præcendit: hoc autem inordinatum non est.

Sicut

Sicut enim, ut n. 103. diximus, potest suo modo ordinari bonum majus ad bonum minus, ita e contra potest etiam fuga mali minoris ordinari ad fugam mali majoris. Sane nec ii, qui perfectam contritionem eliciunt, semper positivè parati sunt, potius intrare rogos æternos, quam peccare: sed ab hoc præcindunt. Ad confirm. neg. conf. Talis quidem non elicit actum honestissimum, seu perfectissimum charitatis; elicit tamen adhuc honestum: sicut, qui eligit matrimonium, & non virginitatem, is minus quidem benè, tamen adhuc bene facit, ut docet S. Paulus 1. Corinth. 7. v. 38.

107. Dices 2. Est axioma communiter receptum: *Propter quod unumquodque tale, & illud magis*: ergo attritus, si unum, e. g. peccatum, odit propter alterum, scilicet propter gehennam, majori odio habet illud alterum, nempe gehennam. Resp. Hoc axioma sæpè fallit: sic e. g. potest quis sibi cavere à morbo propter amaritum pharmaci, quod debet sumere, quin tamen magis oderit medicinam amaram, quam morbum, sed potius paratus sit, statim iterum pharmacum, quamvis molestum, sumere, si in morbum reincidat. Quare aliud est, extracatum necessaria electionis unius præ alio, malum majus propter minus vitare: aliud eo in casu, in quo foret necesse, unum ex duobus subire, majus præ minori eligere. Illud tantum indicat, rem, pluribus de causis abominabilem, hic & nunc, potius obminorem, quam majorem causam, abhorteri, & ad alia majora consideranda mentem non applicari, quod absolutè indecens non est: alterum autem foret, minus æstimare magnum malum, quam parvum, quod esset perversum.

ARTICULUS III.

Solvuntur reliquæ objectiones.

108. Ob. 8. Malus est hic actus: *Nolo detestari peccatum, nisi ex metu gehennæ*: talis autem actus est attritio: ergo est actus malus. Confir. Qui non peccat ex metu gehennæ, vellet non esse gehennam (sicut, qui non vult bibere vinum ex metu febris, vellet, non esse febrim sibi timendam) hoc est perversum: ergo. Resp. dist. mi. talis actus est attritio, quam nos bonam esse defendimus. neg. mi. talis actus est alia, de qua non loquimur. om. mi. & neg. conf. Potest quidem aliquis positivè contemere, & excludere altiora motiva, & habere affectum aliquem adhuc ad peccatum: sed hoc necesse non est; quia potest quis ab hoc omnino præcindere.

Potest enim aliquis omnino præcindere ab eo, quid in aliis circumstantiis esset facturus: itemque præcindere ab altioribus movitis; quia non est hic, & nunc obligatio illa amplectendi. Hæc magis patebunt ex dicendis n. 110. quando ostendemus, at-
R. P. Ant. Mayr Theol. Tom. II.

tritum non necessariò habere affectum conditionalem ad peccatum. Ad confirm. neg. ma. Honesti homines etiam absterrentur à furtis per infamiam patibuli, quin velint poenam hanc è republica tolli: imò, cum verè attritus fugere velit omne peccatum, fugit etiam hanc volitionem inordinatam, & omnino peccaminosam.

109. Ob. 9. Poena gehennæ est motivum ultimum attritionis: ergo ista non est bona. Confir. Attritus constituit se ipsum finem ultimum cui: hoc est illicitum: ergo. Resp. dist. ant. hoc est, attritio ipsa non potest concipi ex altiori motivo. conc. ant. non est compossibilis cum alio actu, amplectente altiora motiva. neg. ant. & conf. Non tenemur semper operari perfectissimè, quamvis teneamur, non positivè excludere motiva perfectiora, vel teneamur, non elicere actus impossibiles cum aliis actibus perfectioribus.

Ad confir. dist. attritus constituit se ipsum finem cui positivè ultimum, & excellentia. neg. ma. constituit se ipsum finem cui negativè ultimum, & indigentia. conc. ma. & dist. sic min. neg. conf. Sensus distinctionis patet ex n. 103. Non tenemur, actiones nostras semper positivè referre ad Deum per actum charitatis: satis est, si referantur ad eum per actus subordinatarum virtutum; damnavit enim Alexander VIII. hanc propositionem 7. *Omnis humana actio deliberata est Dei dilectio, vel mundi: si Dei, charitas Patris est: si mundi, concupiscentia carnis, hoc est, mala est.* & hanc 9. *Revera peccat, qui odio habet peccatum, merè ob ejus turpitudinem, & disconvenientiam cum natura, sine ullo ad Deum offensum respectu.* Si autem iste non peccat, qui nullum in suo odio habet respectum ad Deum, quanto minus peccat ille, qui habet respectum ad Deum, qualem habet verè attritus, scilicet ad Deum punientem?

110. Ob. 10. Dolens de peccato ex metu gehennæ habet adhuc hunc affectum: *Vellem peccare, si non timerem infernum*: sed hic ipse affectus, conditionalis ad malum, non est bonus: ergo. Confir. Taliter attritus, est paratus prius peccare, quam subire infernum: sed hæc ipsa dispositio animi est mala: ergo. Resp. neg. ma. nam eum vera attritione salutari non est compossibilis talis affectus; per hunc enim affectum homo iterum incurreret gehennam, quam tamen supponitur, velle efficaciter fugere.

Ad confir. neg. ma. Aliud est, quod attritio pro illo casu peccatum non excludat: aliud est, quod attritus sit positivè paratus ad peccandum, casu, quo infernum timere non deberet: aut quod positivè dicat: *Mallè potius peccare, quam infernum subire*; ab hoc secundo enim præcendit prorsus attritio: neque cogitat de illo casu, qui saltem in hac providentia impossibilis est. Hoc tamen concedo, attritum neque positivè elicere hunc actum: *Mallè subire infernum, quam peccare*: sed hic actus

D

ctus non est necessarius ad perfectam contritionem: quanto minus ad attritionem?

111. Dices. 1. Si non esset infernus, attritus non doleret: ergo habet illum affectum conditionalem. Resp. Unde hoc scis? posset enim tunc dolere ex alio motivo; neque enim actus attritionis reddidit voluntatem ita constitutam, ut, si hoc motivum non esset, alia omnia rejiceret: imò attritio compassibilis est etiam cum actu charitatis, elicit ex motivo puri amoris Dei. in forma dist. ant. si non esset infernus, attritus non doleret, hoc est, positivè ita comparatus est, ut aliter nolit dolere, & alia motiva actu positivè rejiciat, neg. ant. positivè se habet in ordine ad illam hypothèsin, & fortè tunc non doleret, conc. ant. & neg. conf. Quòd autem fortè in illa hypothèsi non doleret, non obest; quia, quod positivè conditionatè fieret, & non fit absolutè, non facit ad meritum, vel demeritum. Sic etiam, qui operatur bene ob mercedem æternam, præscindit ab eo, quid faseret, si calum non esset, & tamen propterea non malè agit: ageret tamen malè, si positivè diceret: *Nollem implere præcepta Dei, si calum non esset.*

112. Dices 2. Quod agitur ex metu, fit ab invito, & cum affectu ad oppositum: ergo in attrito, agente ex metu, datur positivus affectus ad peccatum. prob. ant. omnis metus causat involuntarium, saltem secundum quid: ergo etiam id causat metus gehennæ. Resp. neg. ant. universaliter acceptum. ad prob. iterum neg. ant. quamvis enim hoc sæpe fiat, tamen non est necesse, id universaliter, & semper fieri. Hic autem est bene notandum, quòd ipse metus, ad aliquam actionem impellens, nunquam eam faciat involuntariam: sed eam actionem faciat involuntariam aliqua alia ratio, vel motivum, quod scilicet ab eadem actione retrahit. Exemplum est in mercatore, qui in periculo naufragij projicit merces, ad conservandam vitam: huic projectio non displicet, nec est ingrata, aut secundum quid involuntaria, ob metum amittendæ vitæ, sed ob hunc ei est voluntaria, tanquam medium evadendi mortem. Est autem illa projectio mercium mercatori ingrata, & secundum quid involuntaria, ob imminentem propterea paupertatem.

113. Unde, ut metus causet involuntarium, debet semper esse conflictus motivorum absterrentium, & attrahentium, & talis, in quo motiva attrahentia quidem vincant (aliàs actio non fieret) sed tamen absterrentia non omnino negligantur; si enim nulla adsint motiva absterrentia, vel ea omnino negligantur, nihil prorsus involuntarij est in actione. Sic, licet filius, bene moratus, timeat patrem, & hoc metu etiam retineatur à grassationibus nocturnis: non tamen involuntariè, etiam tantum secundum quid, ab ijs abstinet, qui non habent motiva ad illas allicientia, vel ea prorsus negligit. Par ratio est de illo, qui, dum parricidam e. g. videt carnificis rotâ

trucidari: horret propterea hoc scelus, & metuit: non tamen involuntariè abstinet. Et in nostro casu etiam sanctissimi homines possunt meritò moveri metu gehennæ, ad non peccandum, quin propterea secum stantur, ruere in omne nefas, si infernus non esset.

114. Eodem modo res se habet in peccatore verè attrito, qui motiva ad peccatum allicientia, vel hic, & nunc, nulla in se sentit, vel ea omnino negligit. Et sanè potest timor mentem humanam ita concutere, ut de motivis oppositis, vel omnino non cogitet, vel ista ita exuperentur, ut tota ab ijs abstrahatur voluntas: Idque lolet, ac debet contingere in eo, qui propter talem actum internum conditionatum in idem malum incidere, quod, hic, & nunc, sua detestatione efficaciter intendit effugere; aliter enim non efficaciter id effugere vellet: atqui peccator ob affectum illum conditionatum recideret in gehennam: ergo. Quare exemplum mercatoris, animo invito merces projicientis, non est ad rem; nam huic interna voluntas non officit, quo minus media externa finem optatum consequantur, hoc est, vitam conservent: quare ei necesse non est, affectum internum excludere: at aliter, ut modò est dictum, se res habet in peccatore.

115. Ob. 11. Metus gehennæ non excludit efficaciter omne peccatum: ergo non est honestus. prob. ant. peccatum non statim, aut certò causat infernum, sed tantum tunc causat infernum, quando quis in eo moritur: ergo potest aliquis timere infernum, & tamen peccare; modò proponat, adhuc ante mortem poenitentiam agere. Resp. neg. ant. ad prob. neg. conf. & retorqueo argumentum. Etiam furtum non statim, aut certò, causat patibulum, sed tantum, casu quo quis in eo deprehendatur: & tamen patibulum absterret à furto; unde potest quidem aliquis ita timere infernum, ut propter spem incertam eum evadendi non desistat à peccato; sed non potest eum ita timere per attritionem veram: nec Christiani communiter ita se habent; cum enim sciant, peccatum grave tribuere statim Deo jus ad punitionem æternam: cum insuper sciant, se quovis momento esse in periculo vitæ, volunt se constituere in statu securo: ad quem opus est attritione excludente omnia peccata.

116. Quòd autem attritio vera possit peccata omnia excludere, Tridentinum supponit *sess. 14. c. 4.* ubi ait, eam esse donum Dei, *si voluntatem peccandi excludat*; nam utique non voluit ridiculè definire, bonam esse Chimæram. Dicit insuper Concilium, quòd contritio in genere possit esse cum proposito non peccandi de cætero: ac dein eam dividit in duas: ergo utraque potest esse cum hoc proposito: certè, cum Conesse cum hoc proposito: certè, cum Concilium loquatur, non de quacunque re speculativa, sed de re maxime practica, supponit, quòd attritio possit esse exclusiva omnium peccati, præsertim, cum omnes do-

ctores Tridentinum ita exponant. Insuper Concilium *ibidem* supponit, quòd Niniivitarum excluderint omne peccatum: ergo etiam alij, similiter attriti ex metu gehennæ. Accedit illud *Ecclesiastici 7. v. 40. Memorare novissima tua, & in æternum non peccabis.* Insuper S. Gregorius in 1. Reg. l. 2. c. 1. in ea verba. c. 2. v. 6. *Ducit ad inferos, & reducit*: ait: *Tunc quippe peccare desinimus, cum supernâ gratiâ mollitis cordibus futura tormenta formidamus.* Interim non negatur, quòd etiam aliqua attritio esse possit, quæ non excludat omne peccatum: sed ea non est illa verè Christiana, de qua loquimur, & de qua etiam loquitur Tridentinum.

117. Dices. 1. Si alicui Deus revelasset, eum, non esse damnandum, non posset talis ex metu inferni vitare peccata: ergo attritio non excludit universaliter peccata omnia. Resp. Si nullus esset infernus, utique non daretur attritio ex illo metu: respectu autem talis hominis, cui revelatum esset, ipsum non esse damnandum, infernus se haberet, ac si non esset: quid igitur mirum, si talis homo ex metu inferni dolere non posset? Sic etiam nemo dolere posset ex motivo gratitudinis, vel amoris erga Deum ut redemptorem, si Christus non fuisset homo factus.

Quare, ut rectè Lugo. *de poenitent. disp. 14. sec. 5. n. 60.* Arriaga *tom. 8. de poenit. disp. 38. sec. 1. n. 7.* Mastrius *lib. 4. disp. 5. n. 140.* Martinus Perez *de poenit. disp. 14. sec. 4. n. 6.* dicunt, ad hoc, ut attritio sit efficax, non requiritur, ut se extendat ad omnes casus fictos, & omnes circumstantias excogitabiles, in quacunque alia providentia: sed sufficit, ut se extendat ad circumstantias hujus providentiæ, in quibus hoc motivum potest aliquem impellere ad fugiendum infernum: vel, ut se extendat ad circumstantias per se, non verò per accidens, ratione ignorantia, vel obliuionis, vel erroris, occurrentes; aliàs nec charitas posset sufficere; quia neque ex motivo charitatis potest quis elicere dolorem in omnibus excogitabilibus circumstantiis; nam etiam errare quis posset, & putare, quòd Deo non placeat, ut doleat de suis peccatis, vel poenitentiam agat, sed quòd velit, ut ipse damnetur, & sic ostendatur justitia Dei vindicativa, quo casu non posset quis, stante eo errore, dolere de suis peccatis ex motivo charitatis; aliàs vellet Deo placere, & simul nollet, seu vellet displicere. Unde debet, à verè attrito tantum abesse positiva voluntas peccandi in ullis circumstantiis excogitabilibus.

118. Adde, quòd tali homini non posset istud motivum applicari; quia is non posset timere gehennam. Hinc tantum sequitur, quòd quidem in eo, qui metus illius prorsus incapax est, adeoque neque attritionem ex eo concipere/potest, non possit attritio peccata excludere: at tamen non sequitur, quòd id non possit in aliis. in forma, dist. conf. attritio non excludit pecca-

ta in eo, qui non potest eam concipere. conc. conf. non excludit in alio, qui eam potest concipere. neg. conf. Addit Gormaz *de poenit. n. 236. & 243.* talem hominem posse dolere, quòd incurrerit reatum gehennæ; nam per gehennam potest intelligi omne inductivum, vel per se causativum gehennæ: & hac ratione potest etiam per attritionem, ex metu gehennæ conceptam, dolere de peccatis ille, cui esset revelatum, quòd ei peccata essent remissa: fortè tamen alij hoc motivum reducent ad turpitudinem peccati.

119. Dices 2. Saltem possibilis est hic casus in hac providentia, quòd aliquis peccator nesciat, per actum contritionis extra sacramentum deleri peccatum, & in eo statu, metu mortis adigatur ad novum peccatum, e. g. ad negandam fidem, quo in casu, ut fugiat infernum, de novo peccet: sed de hoc peccato non posset quis dolere ex metu inferni: ergo hic metus, etiam in hac providentia, non excludit universaliter omnia peccata. prob. mi. subsumpta. poenitens de hoc peccato deberet potius velle intrare gehennam, quam peccare: atqui hoc attritus non potest velle; cum aliàs vellet contradictoria: ergo. Resp. neg. mi. ad prob. neg. ma. talis enim, ut rectè ait Lugo *de poenit. disp. 14. n. 59.* non debet eligere infernum, sed tantum debet (cum melius instructus fuerit) detestari illum actum peccaminosum, & merentem poenas inferni, ac proponere, quòd deinceps nullum talem actum velit elicere: quod utrumque potest facere ex metu gehennæ. Sed petes, an stante ea ignorantia, vel perplexitate, & circumstantiis illis, talis homo ex metu gehennæ possit fugere peccatum. Resp. Arriaga *tom. 8. de poenit. disp. 38. n. 7.* & Lugo *de poenit. disp. 14. n. 60.* dicunt, quòd non. Gormaz *de poenit. n. 238.* dicit, quòd id non possit ex puro metu gehennæ, sed quòd tamen id possit ex metu incurrendi infernum cum novo reatu. Si autem transierit illud periculum mortis statim incurrendæ, poterit talis dolere de suo peccato ex metu gehennæ, cujus reatum iterum ob hanc novam culpam incurrit.

120. Dices 3. In hoc casu metus inferni potius adigit ad peccatum, quam absterreat ab eo. Resp. dist. illatum. & est metus honestus inferni. neg. est metus inhonestus. conc. nam ita timere infernum, ut propter illum offensas Deum, est actus inhonestus: sicut dare eleemosynam (quod aliàs in se bonum est) fit inhonestum, si fiat ob finem inducendi pauperem ad peccatum.

Dices 4. Maltitia peccati gravis excedit poenas gehennæ: ergo saltem ille excessus non est detestabilis ex eo metu. Resp. neg. conf. nam, cum etiam ille excessus sit punibilis poenâ gehennæ, etiam est detestabilis ex istius metu.

121. Ob. 12. contra 2. conclusionem. Attritio ista non habet motivum supernaturale: ergo non est actus supernaturalis. ant. prob. metus inferni potest esse purè natura-

turalis, licet præsupponatur supernaturalis fides de illo; nam supposita fide de inferno, naturaliter sequitur ejus metus: sicut comestio Lazari, post ejus resurrectionem, omnino naturalis fuit, licet præsupponeret aliquid supernaturale: ergo. Contr. Non potest ostendi, à quo habitu supernaturali producatur hic actus: ergo non est supernaturalis. Resp. 1. neg. conf. Non est necesse, ut actus naturalis à supernaturali differat, ratione objecti formalis quod; idem enim objectum formale quod potest terminare actum naturalem, & supernaturalem: certè est sententia nostrorum valde communis, posse amari Divinam bonitatem propter se, & super omnia, actu purè naturali.

122. Unde actus Theologicè supernaturalis intrinsecè per hoc differt, quòd necessariò dicat aliquam ordinationem ad beatitudinem supernam: item quòd necessariò præsupponat auxilium gratiæ, sive aliquam illustrationem, & inspirationem supernam: itemque tanquam principium effectivum præsupponat habitum infusum, vel omnipotentiam Dei specialiter, seu supernaturaliter concurrere paratam; hac enim ratione jam habetur, quòd talis actus superet vires, & exigentiam, totius naturæ creatæ. ita quoad substantiam doctrinæ sentiunt Ripalda tom. 3. l. 2. disp. 19. sec. 9. item Scotus, Molina, Arriaga, & alii apud Gormaz de penit. n. 4. 0. qui etiam rectè observat, non debere omnia esse supernaturalia, quæ ab ente supernaturali respiciuntur: certè ipsa unio hypostatica respicit humanitatem Christi naturalem, & omnes actus nostri meritorii respiciunt nostram animam rationalem, utique naturalem.

Responderi etiam potest 2. neg. ant. ad prob. neg. ant. nam metus inferni, ut propositus per cognitionem supernaturalem, seu actum fidei, & quidem propositus, ut concludens ad finem aliquem supernaturalem, seu ad gratiam, aut beatitudinem, est objectum supernaturale, saltem quoad obliquum; cum objectum voluntatis non tantum sit res, prout est in se, sed prout est in cognitione, adeoque ex parte objecti voluntatis se teneat, vel cognitio supernaturalis, vel saltem finis supernaturalis, ad quem cognitio refert objectum. vide dicta in tract. de virt. Theol. n. 31.

Ad confirm. Cum nesciamus, quinam habitus sint inter se distincti, vel identificati, non potest certò dici, à quo realiter habitu actus hic producatur. Ne tamen nihil dicam, videtur mihi timor gehennæ, quatenus est timor pœnæ damni, posse elici ab habitu spei, quæ, sicut desiderat Deum videre, ita metuit visionem ejus perdere: quatenus autem est timor pœnæ sensus, potest elici ab habitu amoris sui ordinato, quo, sicut quis petit sibi bona, etiam creata, ordinatè, & honestè, in quantum sibi congruunt, ita fugit mala præfercim æterna gravissima, in quantum sibi maximè noxia sunt: cui autem realiter habitui a-

mor iste identificetur, non est opus dividere.

ARTICULUS IV.

An Attritio sufficiat ad Valorem & Fructum Sacramenti Pœnitentiæ.

123. **D**ecisio quæstionis, in articulo isto propositæ, videri potest magis propria alteri parti, seu disputationi hujus tractatus, ubi de pœnitentia ut sacramento tractatur, cujus pars est contritio, eaque, vel perfecta, seu ex amore amicitiae erga Deum orta, vel imperfecta, seu ex metu gehennæ, vel turpitudinis peccati consideratione, elicita. At quia utraque contritio ista est actus virtutis pœnitentiæ, de qua modò agimus, & insuper de attritione sat multa jam diximus, vilium est non importunum, etiam alteram statim controversiam, de ejusdem attritionis valore, & efficacia, addere, adeoque totam materiam istam absolvere.

Equidem attritionem extra sacramentum non justificare, definitum est à Tridentino sess. 14. c. 4. ubi de illa sic ait: *Quantum sine sacramento pœnitentiæ per se ad justificationem perducere peccatorem nequeat, tamen cum ad Dei gratiam in sacramento pœnitentiæ impetrandam disponit.* Restat ergo discutendum, an saltem attritio, una cum sacramento pœnitentiæ, justificet, seu gratiam & remissionem peccatorum causet.

124. Dico. 1. Ad valorem, & fructum sacramenti pœnitentiæ, sufficit attritio generalis, supernaturalis, ex metu gehennæ concepta, sine actu charitatis. Dico *supernaturalis*; nam attritionem naturalem non sufficere definit Innocentius XI. dum damnavit hanc propositionem 57. *Probabile est, sufficere attritionem naturalem, modo honestam.* Insuper Tridentinum sess. 6. c. 20. 3. definit, quòd ad actum pœnitentiæ salutariæ necessarium sit adjutorium Spiritus Sancti: adeoque debet hic actus esse supernaturalis. Conclusionem hanc de sufficientia talis attritionis nobiscum statuunt auctores antiqui, & recentiores communissimè, quorum aliqui in oppositam sententiam acriter invehuntur: sed nos post decreta Alexandri VII. & Innocentij XI. centuris omnibus abstinemus. Catalogum præloquum auctorum, nobiscum sententium, videre est apud Gormaz de penit. n. 440. ubi ut plurimum affert formalia eorundem verba: nec doctorum duntaxat singularium, sed Conciliorum, saltem particularium, Carthiliorum &c.

125. Huic catalogo opponere conatur alium Illustrissimus Porphyriensis Episcopus Lambertus le Drou in suo opere de *Contritione & Attritione differt.* 4. c. 4. sed præter aliquot Gallos, aut Belgas, paucissimos adducit ex antiquioribus, saltem, qui ejus sententiam clarè defendant. Et imprimis S. Ca-

Carolus Borromeus, quo quasi triumphat, stat pro nobis; nam actorum parte 2. in *instruptione confessorum. titulo. Defectus preparationis interioris.* ait, debere confessorium supplere defectum dispositionis pœnitentiæ, inducendo ipsum ad contritionem de peccatis, ostendendo turpitudinem culpæ, & gravitatem ejusdem, (cum sit contra Deum) infinitum damnum, seu pœnam æternæ damnationis &c. ut sic saltem de omnibus peccatis mortalibus sit attritus, & ipsam tutam conscientiam possit absolvere. Suarezii verba tom. 4. in 3. p. disp. 15. sec. 4. n. 17. ab eodem Illustrissimo citata, ibi ab Eximio respondet n. 19. ubi ait, sententiam nostram esse practicè certam: & n. 18. asserit, multos viros doctos censere, nostram sententiam esse adè receptam, & auctoritate Tridentini munitam, ut videatur sufficiens ad tollendum morale periculum. Unde cit. n. 19. agens de moribundo, ait, eum teneri ad eliciendam contritionem, non ex præcepto pœnitentiæ, sed ex præcepto dilectionis Dei, quod tunc obligat. De cætero Suarez tom. 4. in 3. p. disp. 20. sec. 1. n. 10. sic habet: *Sacramentum hoc habet virtutem, ad justificandum peccatorem, per solam veram, supernaturalem, & integram attritionem dispositum: & in hoc sensu efficaciam habet, ad efficiendum hominem ex merito contritum. Hanc conclusionem eximio hoc tempore adè certam, ut non possit absque errore negari.*

Ex reliquis auctoribus, ab eodem Illustrissimo adductis, aliqui loquuntur de pœnitentiæ, delente peccata extra sacramentum alii loquuntur de contritione genericè sumpta: aliis non est sermo de suscipiendo sacramento pœnitentiæ, sed de suscipiendis aliis sacramentis: alii loquuntur concionatoriè; quia textus eorum ex concionibus adducuntur, quamvis etiam hie expositionem mitiorem pati possint: alii requirunt tantum aliquam dilectionem Dei, qualem Pallavicinus conatur adstruere, de qua infra: alii non sine vi trahi debent in oppositam sententiam, qui longè magis favent nostræ, ut Salmeron: alii nimis excedunt; cum negent, attritionem excludere voluntatem peccandi (id quod etiam multæ rationes ipsius Illustrissimi Auctoris probarent, si efficaces forent) quod non potest dici, ex dictis n. 115.

126. Alii tantum dicunt, probabile esse, quòd attritio non sufficiat, vel non omnino esse certum, quòd sufficiat: qui propterea statim ab auctore isto habentur amici; eoquòd nostram sententiam saltem in praxi adhiberi posse negare debeant, ob propositionem primam ab Innocentio XI. damnatam. At notandum est, quòd auctores, qui ante Innocentium XI. scripserunt, quamvis cæci non fuerint, non tamen omnes viderint, quòd in nullo sacramento liceat sequi sententiam probabilem, etiam quando agitur de ejus valore; unde solliciti non fuerunt de adstruenda certitudine.

Voluit Illustrissimus le Drou etiam sibi adjungere Scotistas, sed eum refellit P. Epiphanius Krump ex Ordine Seraphico Reformatorum in *questionibus quodlibetalibus in 4. q. 2. famosissima à n. 22.* Illustrissimus etiam Herinx ex eodem Ordine, & quidem Belga, atque Episcopus Iprensis, *part. 4. tr. 4. disp. 2. n. 38.* & fufius parte 2. *tr. 4. de gratia disp. 5. q. 4.* impugnat quosdam Lovanienfes cum Illustrissimo le Drou sentientes. Comparet eruditus lector unum catalogum cum altero, & videbit ingens discrimen.

127. Probatum jam conclusio 1. Tridentinum sess. 14. c. 4. de hac attritione sic habet: *Et quantum sine sacramento pœnitentiæ per se ad justificationem perducere peccatorem nequeat, tamen cum ad Dei gratiam in sacramento pœnitentiæ impetrandam disponit*: ergo sufficit attritio ad gratiam, seu fructum sacramenti recipiendum. Confirmatur, & simul explicatur probatio ista. Concilium in *prooimio citata sessionis* ait de sacramento pœnitentiæ, quòd non parum publica utilitatis retulerit, de eo exactiorem, & pleniorè definitionem tradidisse, in qua demonstratis, & convulsis, Spiritus Sancti præsidio, universis erroribus, Catholica veritas perspicua, & illustris fiet: atqui, si per verba supra citata Concilium non intendisset, docere sufficientiam attritionis ad sacramentum, non fuisset perspicua reddita Catholica veritas, aut convulsi errores: sed econtra in errorem induciti fuissent Theologi incomparabiliter plures, qui post Tridentinum communissimè docent, & ex citato textu se rite inferre existimant, sufficere attritionem dictam ad sacramentum pœnitentiæ: ergo.

128. Respondent adversarij 1. Concilium Tridentinum tantum dicere, attritionem esse dispositionem, non verò esse dispositionem proximam, aut sufficientem ad gratiam, eo ferè modo, quo fides, & spes, disponunt, sed non proximè ad justificationem. Addunt iidem, attritionem saltem non disponere ad gratiam se sola; quia debet accedere etiam juxta nos confessio; hinc posse dici, debere ulterius accedere aliquem alium dolorem perfectiorem.

Sed contra est 1. Concilium docet, aliter disponere attritionem intra sacramentum, quam extra istud; hoc enim clarè colligitur ex illis particulis *quamvis, tamen*: sed attritio jam extra sacramentum disponit remotè ad gratiam, sicut omnis actus supernaturalis: ergo intra sacramentum disponit proximè. Certè juxta adversarios attritio tantum disponeret ad gratiam, si contritio charitate formata accederet: sed, si hæc accedit ad attritionem, etiam extra sacramentum, tunc attritio jam disponit ad gratiam extra sacramentum: ergo non magis disponeret intra, quam extra sacramentum.

Deinde, cum attritio ordinariè homines non disponat ad contritionem; eoquòd

ordinariè sistant in attritione, non video, quomodo Tridentinum universaliter dicere possit, quòd attritio intra sacramentum ad gratiam disponat. Accedit, quòd Concilium vocem *disponere* opponat verbis *perducere ad gratiam*: ergo, cum Tridentinum neget, quòd attritio extra sacramentum hominem perducatur ad justificationem, seu gratiam, concedat autem, quòd intra sacramentum ad gratiam disponat, clarè datur intelligi, quòd velit, attritionem intra sacramentum perducere ad gratiam, seu ad hanc proximè disponere.

129. Contra est 2. Concilium loquitur de attritione, ut de parte sacramenti, ut patet *ex c. 3. ejusdem sess. 14.* ubi contritionem (quam dein primùm *c. 4.* distinguit in perfectam, & imperfectam) ait esse partem sacramenti: adeoque intelligit utramque esse partem sacramenti, ut est clarum: non autem loquitur de fide, tanquam de parte, imò expressè negat, hanc esse partem sacramenti: ergo inprimis habetur, quòd non sit paritas cum fide: deinde habetur, quòd Concilium, loquens de attritione, loquatur de dispositione proxima; quia partes sacramenti utique causant proximè gratiam: adeoque attritio est dispositio, simulque causa: sicut in aliquorum sententia accidentia disponunt ad substantiam, eamque etiam producant.

Scilicet attritio est dispositio, quæ simul est pars complexi, requisiti ad gratiam causandam: fermè sicut primus gradus homogeneus est dispositio ad gradum septimum, vel ad complexum septem graduum, quod complexum est requisitum ad productionem ignis, & cujus complexi etiam primus gradus est pars: vel sicut una pars itineris est aliquando dispositio ad alteram partem, vel totum iter, ut, si quis eat hinc Neoburgum, ut ibi focium itineris accipiat, cum quo dein totam reliquam viam conficiat; sic enim suo modo attritio est dispositio ad confessionem, & absolutionem, in forma dist. responsum. attritio est dispositio, & simul pars complexi requisiti ad gratiam causandam. omitto. non est simul pars. nego. Quòd autem Concilium dicat potius *disponere*, quam *causare*, fors ratio est; quòd attritio possit esse sine reliquis concausis, & tunc non causare: vel quia hominem rite disponit ad absolutionem, quæ est ultima pars totius causæ, qua posita statim causatur gratia.

Contra est 3. Tridentinum ait, attritionem disponere ad gratiam intra sacramentum, sicut ait, contritionem perfectam justificare extra sacramentum: sed hæc justificatio proximè: ergo illa proximè disponit: & certè auctores nostri omnes intelligunt textum Tridentini de proxima dispositione. Quòd additur de confessione, plus non probat, quam attritionem non disponere ad gratiam extra sacramentum: non autem probat, debere intra sacramentum accedere alium perfectiorem dolorem. Neque dicant adversarij, etiam Concilium docere,

quòd confessio disponat ad gratiam, quæ tamen sola ad gratiam non disponit. Resp. enim, confessionem disponere ad gratiam se sola in sua linea, sive in linea confessionis (non enim requiritur adhuc alia confessio) adeoque etiam attritio dicenda est disponere ad gratiam se sola in genere doloris, ita ut non requiratur alius dolor.

Respondent 2. Tridentinum *cit. sess. 14. c. 4.* de attritione tantum dicere: *Ad Dei gratiam in sacramento penitentia impetranda disponit*: adeoque non disponere immediatè ad gratiam, sed tantum ad ejus impetrationem. Sed contra est. *Impetrare* juxta Calepinum significat idem, ac *obtinere*: & sic etiam vulgò dicimus: *Hic simplex meretur impetrare gratiam*: ergo dispositio, ad impetrandam gratiam, est etiam dispositio ad gratiam, seu ejus obtentionem, & hæc ipsa dispositio est impetratio: adeoque attritio intra sacramentum non est tantum dispositio ad impetrationem, in sensu adversariorum qui per impetrationem videntur velle intelligere tantum petitionem gratiæ: sed est dispositio immediata ad ipsam gratiam.

130. Respondent 3. Concilium loqui, non de attritione ex metu gehennæ, sed de attritione ex amore Dei, non valde intenso, quæ ideo dicitur contritio imperfecta. Contra est 1. Patet cuique legenti contextum Concilij, istud expressè loqui de dolore ex metu gehennæ. Contra est 2. Concilium loquitur de ea attritione, quam Lutherus dicebat facere hominem hypocritam: at hoc ille non dicebat de amore Dei imperfecto, seu non intenso, sed de attritione ex metu gehennæ, turpitudine, & damnis peccati, concepta, ut patet ex verbis Lutheri, eitis à Bellarmino *tom. 3. controu. 4. de sacram. penit. l. 1. c. 6.* sic enim habet Lutherus *serm. de penitentia. habito anno 1517. Contritio duplici via paritur. Primò per discussionem, collectionem, detestationem peccatorum, qua quis (ut dicunt) recogitat annos suos in amaritudine animæ suæ, ponderando peccatorum suorum gravitatem, damnum, fedicitatem, multitudinem, deinde amissionem æternæ beatitudinis, ac æternæ damnationis acquisitionem, & alia, qua possunt tristitiam, ac dolorem excitare. Hæc autem tristitia facit hypocritam, imò magis peccatorem; quia solum timore præcepti, & dolore id facit: & tales omnes indignè absolvuntur: quæ sunt ipsissima ferè verba, quæ à Concilio damnantur. Contra est 3. Concilium loquitur de illa attritione, quam nominavit donum, & impulsivum Spiritus S. atqui ita nominavit attritionem nostram: ergo.*

131. Respondent 4. Tridentinum non loqui de attritione procedente ex eo metu, tanquam motivo, sed procedente ex eo quomodocunque, e. g. tanquam ex actu imperante, vel tanquam ex occasione &c. cumque ex eo metu procedat tali aliquo modo etiam contritio elicitæ ex amore Dei; hinc (ajunt) metus ille potest dici conciens,

piens, & contritio elicitæ ex amore Dei potest dici concepta. Habet se scilicet timor, sicut seta, vel acus, qua introducitur filum, vel linum in pannum, vel corium, quæ est similitudo S. Augustini *11. 9. in epist. 1. S. Joann. ante medium.* ubi sic scribit: *Sicut videmus per setam introduci linum: quando aliquid fuitur, seta prius intrat: sed, nisi exeat, non succedit linum: sic timor primò occupat mentem, non autem ibi remanet.* Quare verba Concilij possunt exponi de contritione ex amore Dei, quæ tantum orta sit ex metu pœnæ, tanquam ex occasione, vel actu imperante.

Sed contra est, 1. Concilium, ut jam dictum, locutum est de ea attritione, de qua loquebatur Lutherus, saltem quoad substantiam, seu objectum formale motivum; alias eum non damnasset: atqui Lutherus locutus est, non de attritione inducente charitatem, sed de attritione tantum concepta ex motivo gehennæ; nam hæresiarcha hic ait, quòd illa attritio faciat hominem hypocritam, quæ paratur recogitando annos suos in amaritudine animæ suæ, ponderando peccatorum gravitatem, damnum, fedicitatem, multitudinem, amissionem æternæ beatitudinis, & incursum reatum æternæ damnationis, quibus in verbis nulla sit mentio amoris sequentis: ergo nec Concilium loquitur de contritione metum sequente, & ex amore elicitæ. Contra est 2. Hac ratione timor non haberet majorem vim intra, quam extra sacramentum; quia, si timor extra sacramentum inducit charitatem in animam, jam eam justificat: potest autem etiam extra sacramentum inducere charitatem, quatenus potest imperare actum contritionis, e. g. quando quis in periculo mortis non habet copiam confessarij: atqui Tridentinum majorem vim tribuit timori intra, quam extra sacramentum: ergo.

132. Respondent 5. esse per se clarum, quòd charitas necessaria sit ad omnem pœnitentiam; hinc necesse non fuisse, ut ejus mentio à Concilio fieret. Sed hoc est audacius dictum; si enim hoc est ita clarum, cur auctores communissimè docent contrarium: & quidam etiam sacriter in oppositam sententiam invehuntur? Imò Inquisitio Hispana (ut habet Gormaz de *penit. n. 440. in suo catalago ad litteram l.*) damnavit asserentes, quòd confessio, ex solo pœnatum metu facta, sit invalida, & prohibuit asseri, quòd attritio sufficiens ad confessionem tantum sit illa, quæ propter Deum summè dilectum est elicitæ, sed tamen cum debili voluntatis conatu, sive, quæ non est intensa: item prohibuit asserere, quòd attritio propter pœnas gehennæ tantum, & non propter Deum summè dilectum elicitæ, sit insufficiens ad sacramentum.

133. Prob. concl. 2. Si non sufficeret hæc attritio, tunc error iste esset summè perniciosus, utpote ex quo sequeretur, quòd essent invalidæ innumeræ confessiones, & perirent innumeræ animæ, quæ alium do-

lorem non afferunt, nec afferre docentur: ergo debuisset Tridentinum Concilium, vel Summus Pontifex, eum convellere, atque rejicere: atqui nihil minus est factum: ergo. Confirm. Ut refert Platellius *part. 5. seu ultima posthum. c. 6. n. 719.* nostra sententia fuit accusata apud Innocentium XI. at Pontifex, quamvis damnaverit propositionem asserentem, sufficere attritionem naturalem, tamen istam non damnavit; licet sciret, eam in praxin reduci: nec minùs hucusque alii consecuti Summi Pontifices sciverunt, nostram sententiam in praxi adhiberi, quin unquam contradixerint. Quis autem credat, errorem summè noxium, tamdiu, id est, per plures centenos annos à Vicariis Christi permissi? imò quis credat, Deum benignissimum permittere, ut grassetur in Ecclesia sua pestilens falsitas cum pernicie innumerabilium Christianorum?

134. Probatur conclusio 3. Sacramentum pœnitentiæ est sacramentum mortuorum, & sacerdotes absolutione sua, non tantum declarant, peccatores esse absolutos à Deo, sed ipsi verè absolunt: ergo non requiritur ad illud dolor ex amore Dei super omnia. ant. est certum ex Tridentino *sess. 14. c. 6.* ubi sic definit: *Quamvis autem absolutio sacerdotis alieni beneficii sit dispensatio, tamen non est solum nudum ministerium, vel annunciandi Evangelium, vel declarandi, remissa esse peccata: sed ad instar actus judicialis, quo ab ipso, velut à iudice, sententia pronuntiatur: quæ iterum definit eadem sess. can. 9. de penit.* ergo non supponuntur ante absolutionem peccata jam remissa.

Idem docent Summi Pontifices, & SS. Patres, dum dicunt, sententiam Petri, vel sacerdotis, præcedere sententiam cæli: item à sacerdotis absolutione pendere sæpè salutem peccatoris, ut tradit Julius Papa C. *Si presbyter. 26. q. 6.* & Cælestinus C. *Agnovimus. 26. q. 6.* ubi hi Pontifices sacerdotem, qui non absolvit pœnitentes in articulo mortis, vocant crudelem, & reum animarum perentium.

135. Tandem ipsa Christi Domini verba Joann. 20. v. 23. hoc inferunt; sic enim ait: *Quorum remisistis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt.* Hinc etiam Clerus Gallicanus *an. 1700. in sua declaratione de dilectione Dei, in penitentia sacramento requisita* ait: *Ne quis putet, in utroque sacramento (loquitur etiam de baptismo) requiri ut præviam contritionem eam, quæ sit charitate perfecta, & quæ cum voto sacramenti, antequam actu suscipiatur, hominem Deo reconciliet: quibus in verbis apertè supponitur, ad sacramentum pœnitentiæ nihil prævium esse debere, quod hominem jam justificet. Consequencia, seu quòd non requiratur dolor ex amore Dei super omnia, patebit ex infra dicendis à n. 205. ubi probabimus, contritionem, ex amore Dei super omnia elicitam, jam ante receptionem sacramenti justificare, seu vivificare, & hinc non*

non esse necessariam ad sacramentum mortuorum, quod confert vitam animæ, adeoque non necessariò supponit, eam priùs jam collatam.

Confir. In lege gratiæ facilius est remedium peccati, quam fuerit in lege naturæ, vel scripta: atqui juxta adversarios, non esset remedium facilius; quia necessitati contritionis accederet onus grave confessionis: ergo. Addo sub finem verba Arriagæ tom. 8. de penit. disp. 36. n. 34. ubi sic habet: *Non desunt, qui dicant, probabile esse, attritionem non sufficere in sacramento ad ejus effectum: hoc tamen mihi adeò evidenter falsum videtur; cum intelligenti latine contrarium clarissimè constet ex definitione ejusdem Tridentini sess. 14. c. 4. ut illis verbis salvo audeam dicere: Totus mundus non faciet mihi contrarium probabile:* quibus hic auctor mentem suam satis efficaciter exprimit.

136. Dico 2. Practicè licitum est, accedere ad sacramentum penitentiae cum attritione. ita auctores plurimi communissimè, exceptis quibusdam Belgis, & Gallis. Notò autem, ab Innocentio XI. inter 65. propositiones primo loco damnatam fuisse hanc: *Non est illicitum, in sacramentis confiteri, sequi opinionem probabilem de valore sacramenti, relicta tutiore, nisi id veteri lex, conventio, aut periculum gravi damni incurrendi.* Hinc sententia probabili tantum utendum non est in collatione baptismi, ordinis sacerdotalis, aut Episcopalis. Igitur, ut nostra sententia, quæ versatur circa dolorem requisitum ad valorem sacramenti penitentiae, possit licitè adhiberi in praxi, debet, vel alius perfectior, & tutior dolor, non posse haberi, vel certè sententia ipsa plusquam probabilis esse.

Equidem fors dici posset, non posse universaliter haberi dolorem illum perfectum, ex puro Dei amore, saltem eum moraliter sperari non posse ab omnibus, rusticis, militibus, gravibus peccatoribus, adeoque debere sufficere dolorem inferiorem: nec relinqui in hoc casu tutiorem; cum id non relinquatur, quod ob moralem impossibilitatem haberi, vel eligi non potest. Sed replicari fors posset, saltem eos non posse adhibere dolorem hunc imperfectum, quibus non ita difficile esset elicere alterum perfectiorem: alios autem saltem conari debere, ut dolorem perfectiorem eliciant: quamvis iterum reponi posset, verosimilius Christum, omnia ad sacramentorum valorem necessaria, æqualiter instituisse pro omnibus: adeoque, si contritio perfecta non sit necessaria omnibus, eandem neque fore necessariam aliquibus. Sed, quidquid de hoc sit, omiſsa hac responsione, dico, nostram sententiam esse moraliter certam, & non tantum probabilem.

137. Probat. Illa sententia debet censi moraliter certa, quæ ex Ecclesiæ doctrina, ac praxi, aliisque principiis certis, ita deducitur per discursum Theologicum, ut ostendatur, principia illa stare non posse,

quin sententia illa subsistat: & maxime si ipsa simul rite solvat, quæ in oppositum objiciuntur: atqui ita se habet sententia nostra: ergo. ma. videtur innegabilis; si enim talis sententia non excludit prudens dubium, nulla excludit. Certè nulla est sententia, exceptis fidei dogmatibus, cui non se opponat unus, aut alter auctor: adeoque, si dicta non sufficiunt ad moralem certitudinem, nulla sententia Theologica, exceptis articulis fidei, erit moraliter certa. Sanè teste Viva trutin. Theol. p. 2. proposit. 1. n. 26. à Sacra Congregatione responsum est an. 1682. 23. Sept. (adeoque post decretum ab Innocentio XI. editum an. 1679.) Diæcesi Hispanensi, interroganti, an liceret illo oleo benedicto infirmos ungere, cui sapius esset oleum non benedictum affusum, singulis quidem vicibus minus, sed simul sumptum copiosius, responsum est, inquam, id licere; quamvis enim multi negarent, tale oleum esse materiam securam, tamen sententia asserens erat moraliter certa, ex praxi scilicet Ecclesiæ: ergo.

138. Probat. Jam etiam minor. In primis praxis communissima Ecclesiæ in Germania, Hispania, Italia, aliisque regionibus nostræ sententiæ esse conformis: imò Alexander VII. in suo decreto edito, Maj. A. 1667. quod exhibet la Croix l. 6. p. 2. n. 875. de nostra sententia sic ait: *Qua hodie inter scholasticos communior videtur, item eadem sententia per plura jam sæcula toleratur à Pontificibus, qui tamen, ut supra n. 133. jam dictum, deberent se ei opponere, si esset morale periculum tot sacrilegarum confessionum, & perendarum animarum.* Et quamvis Galli, aut Belgæ aliqui velint, requiri aliquem amorem Dei super omnia, tamen minime universaliter eum perunt; nam in primis Conventus Cleri Gallicani loco n. 135. citato tantum petit, ut penitens incipiat diligere Deum, tanquam omnis justitiae fontem: & plures non perunt aliquam dilectionem Dei, super omnia, sed tantum aliquam inchoatam, de qua re infra.

Dein ex Tridentino, & aliis rationibus, ita stabilivimus nostram sententiam, ut probaverimus, doctrinam illius Concilii absque nostra conclusione stare non posse. Quod insuper roboratur ex eo, quòd communissimè auctores doctrinam Tridentini, ad nostrum modum exponendam judicent: nec auctores tantum privati, sed Concilia provincialia, Catechismi editi jussu Episcoporum, & Cardinalium, ipsius Gregorii XV. ante Pontificatum, item Inquisitio Hispana, &c. ut videre est in catalogo Patris Gormaz de penit. n. 446.

139. Adversariorum etiam responsiones sufficientissimè refutavimus: imò quorundam antiquorum, e. g. Magistri, Sententiarum, fundamentum omnino jam subsistere nequit; cum ideo amorem Dei requisiverint, quòd putaverint, absolutionem esse tantum declarationem remissam per contritionem culpæ. Sed hoc adhuc magis

magis patebit, quando infra à n. 206. ostenderimus copiosè ex Tridentino, & Pontificum definitionibus, quemlibet actum amoris Dei, etiam non intentum, jam extra sacramentum justificare.

Argumenta autem adversariorum quod attinet, quàm bene (& an non clarè) simus ea soluturi, judicium esto cujusque non præoccupati opposita opinione. Hinc istam assertionem de sufficientia attritionis in sacramento Gormaz de penit. n. 472. dicit esse certam. Cardenas in crisi Theol. ad 1. prop. ab Innoc. XI. prohib. dissert. 2. c. 6. n. 29. 1. n. 61. ait, esse omnino certam, & indubitabilem. Suarez tom. 4. in 3. p. disp. 20. sec. 1. n. 10. ait, esse adeò certam, ut non possit absque errore negari. Viva p. 2. trutin. Theol. in proposit. 1. n. 22. ait, esse moraliter, ac practicè certam. His accedunt plurimi alii, quibuscum etiam nos hanc sententiam moraliter certam esse asserimus.

140. Dico 3. Sufficit etiam ad valorem, & fructum sacramenti penitentiae, attritio cognita ut talis: nec requiritur contritio existimata. ita communiter auctores, qui nobiscum priorem conclusionem defendunt. Prob. Sufficit actus penitentiae, à Christo institutus: sed talis etiam est attritio cognita ut talis: ergo. Confirmatur. Existimatio illa falsa non daret majorem efficaciam attritioni, sed ad summum excusaret à transgressione præcepti, si esset aliquod præceptum eliciendi contritionem: adeoque, si contritio verè talis esset necessaria necessitate sacramenti, tunc, qui eliceret attritionem, existimans tamen, se elicere contritionem, non quidem peccaret in ea hypothesi: at sacramentum validum non reciperet; quæ enim de necessitate sacramenti sunt, reipà adesse debent; aliàs etiam, si quis bona fide putaret, aliquem liquorem esse vinum, qui non est vinum, validè in eo consecraret: & similiter in aqua tantum existimata validè baptizaret: quod nemo docet.

Unde existimatio illa in casu nostro non prodest, sicut non prodesset, si quis putaret se habere attritionem supernaturalem, haberet autem tantum naturalem: vel sicut non prodesset extra sacramentum, si quis putaret, se habere perfectam contritionem, revera autem eam non haberet; nec enim talis homo per suam existimationem justificaretur: ergo non videtur, ad quid necessaria sit ea existimatio; cum enim, ut probatum est, non requiratur necessitate sacramenti vera contritio, neque requiretur ea existimatio. Sed neque requiritur talis existimatio necessitate præcepti; quia tale præceptum dari, nulla ratione potest probari: ergo nullo modo requiritur.

141. Collige 1. etiam ad confessionem moribundi validam, sufficere per se attritionem. ita Suarez citatus supra n. 125. Illung tr. 6. disp. 6. n. 32. & apud eum Beccanus, Comanck, Layman, Fagundes, Salas, Turrianus, Lugo, Dicastillo, & alii. Ubi tamen nota. Aliqua sunt necessaria ne-

cessitate præcepti: alia verò necessitate sacramenti: & si hæc posteriora, sive scienter, sive ignoranter, omittantur, sacramentum est invalidum, ut dictum n. præcedente: priora verò, si scienter omittantur, causant novum peccatum, & si hoc sic grave, tunc consequenter, seu arguitivè, sacramentum penitentiae est invalidum: at, si ex invincibili ignorantia tantum omittantur, seu ex impotentia, sacramentum est tamen validum: e. g. necessaria confessio præcepti est expositio omnium gravium peccatorum: at, quando moribundus jam loqui non potest, modò signis utcumque confiteatur, validè absolvitur, si dolor internus, & cetera adiint.

142. Jam contritio perfecta à quibusdam antiquis dicebatur moribundo necessaria necessitate præcepti, scilicet charitatis erga seipsum; eoquòd homo obligetur, in eo articulo consulere suæ salutis modo securissimo. Et quidem etiam Suarez tom. 4. in 3. p. disp. 15. sec. 4. n. 19. docet, teneri aliquem in articulo mortis, ad contritionem eliciendam: at non docet, teneri vi præcepti penitentiae, sed vi præcepti charitatis; unde addit, quodli quis elicerit tunc actum charitatis, seu amoris Dei super omnia sine dolore, is non amplius teneatur ad actum contritionis. Hinc non sat bene citatur à quibusdam, quasi diceret, ad confessionem in articulo mortis necessariam esse contritionem perfectam. Imò ibidem docet, quòd, si quis bona fide cum attritione confessus fuerit, talis validè sit absolutus: quod si quis autem scienter non elicerit contritionem, eo ipso peccaverit, consequenter nec attritionem requisitam, scilicet excludentem omne peccatum, tunc habuerit.

Ex quibus omnibus conficitur, etiam juxta memoratos quosdam auctores antiquos, ad confessionem moribundi, non esse necessitate sacramenti penitentiae, imò neque ex necessitate præcepti, spectantis ad penitentiam, sed ad summum ex necessitate præcepti, spectantis ad charitatem, seu amorem sui ordinatum, teneri moribundum ad contritionem eliciendam, quatenus tunc tenetur, majori cura suam salutem procurare. Ubi tamen addendum, non præcipi etiam pro tunc curam omnino summam suæ salutis, sed moralem; aliàs teneretur homo ad repetendam tunc sæpius contritionem, ne scilicet falsus sit sua existimatio: item teneretur ad repetendam confessionem; cum fortè prior non valida fuerit ex variis causis &c. hæc autem essent onera nimis gravia, quæ non probantur.

143. Quamvis autem dicta obligatio, procurandi suam salutem modo securiori, in articulo mortis non obligaret, daretur tamen in eo casu, saltem sæpius ex alio capite, obligatio eliciendi contritionem; nam ex propositionibus, ab Innocentio XI. damnatis, maxime quinta, sexta, & septima, certum est, nos sæpius teneri, elicere actum charitatis erga Deum: & auctores com-

communiffimè tradunt, teneri hominem ad eliciendum in articulo mortis actum amoris, feu charitatis: cum autem à peccatore, fuorum peccatorum, præfertim nondum delictorum, memore, elici nequeat actus amoris Dei super omnia, quin simul de ijs eliciatur dolor, feu contritio, ut expediti patet, debet tunc elici actus contritionis: cum infuper sæpius accidat, ut moribundus non eliciat actum amoris Dei super omnia, antequam confiteatur, vel saltem, antequam se, fuæque difponat, & ordinat ad confessionem, necesse erit, ut tunc contritionem perfectam eliciat: præfertim, si prudenter timeat, quod vel ob periculum amentis, vel defectum virium, ob vicinam mortem, aut similem rationem, postea non fit eliciturus actum amoris Dei, feu charitatis: verum hæc, ut patet, non per se, sed per accidens se habent ad confessionem.

144. Collige 2. nullam necessariam esse intensiorem, aut durationem attritionis; quia qualibet, etiam remissa, jam est verè dolor retractatus, habetque ea, quæ à Tridentino requiruntur: estque eadem ratio de attritione, quæ de contritione, de qua infra probabimus, eam non debere esse intensam, aut diutius durantem. Sed neque ad attritionem per se requiritur distincta recogitatio peccatorum; nec enim, ut habeatur vera attritio, debet ea cadere singillatim super quodlibet peccatum, sed sufficit consula memoria peccatorum. Quia tamen attritio extra sacramentum non iustificat, & ad hoc sacramentum opus est diligenti examine conscientie, saltem, quando id fieri potest, regulariter ad attritionem, ut iustificet, requiritur recogitatio peccatorum, ratione confessionis peragenda. Quæ autem hucusque dicta sunt, de attritione ex metu gehennæ, eadem extendenda sunt ad attritiones alias, ex turpitudine peccati, & similibus motivis elicitas.

Collige 3. attritionem ex metu poenarum temporalium, ab homine infligendarum, non esse sufficientem ad sacramentum; quia, saltem regulariter, talis attritio est tantum naturalis. Dein non excludit voluntatem peccandi, saltem peccatis internis; cum peccata interna humanis iudicibus sint prorsus incognita: eam tamen exclusionem Tridentinum definit esse necessariam ad sacramentum. At verò attritio ex metu poenarum temporalium, ut à Deo infligendarum, probabiliter sufficit, ut defendunt Suarez, Lessius, Granada, Reginaldus, Lugo, Leander, & alij plures, quos citat, & sequitur Gormaz *disp. 6. de poenit. n. 454.* hic enim metus potest, excludere omnem voluntatem peccandi; cum Deus inspector cordium sit. Dein Tridentinum *sess. 14. c. 4.* ait de attritione: *Quæ... vel ex gehenna, & poenarum metu concipitur:* ergo per poenas probabiliter intelligit poenas distinctas à gehenna, sed à Deo infligendas. Ulterius *ibidem* Concilium adducit exemplum Ninivitarum, qui metu suppliciorum

temporalium, eversionis urbis &c. fuerunt compuncti. Quia tamen hæc opinio non videtur habere principia omnino certa; elique plures contradicunt, patrōni autem ejus eam tantum ut probabilem defendunt, licet in praxin deduci non potest; cum attritio ad sacramenti valorem pertineat. ita Gormaz *loc. cit.* & Cardenas in *propositionibus ab Innocentio XI. damnatas dissert. 2. c. 6. n. 70. 71. & 72.*

ARTICULUS V.

Solvuntur Objectiones ex Concilio Tridentino.

145. **O**B. 1. Concilium Tridentinum *sess. 6. c. 7.* ait: *Fides, nisi ad eam spes accedat, & charitas, neque unit perfecte cum Christo, neque corporis ejus vivum membrum efficit:* ergo non datur iustificatio sine charitate. Confirm. Idem Concilium *ibidem* docet, quod iustificatio sit *renovatio interioris hominis, per voluntariam susceptionem gratia, & donorum:* sed, qui non amat Deum, non suscipit voluntarie gratiam, & dona Dei: ergo. Resp. dist. conf. non datur iustificatio sine charitate habituali. conc. conf. non datur sine charitate actuali. neg. conf.

Eo loco immediate præmittuntur hæc verba: *Hæc omnia simul infusa accipit homo, per Jesum Christum &c.* ergo sermo est de charitate infusa, seu habitu ejus infuso; nam notanda est particula *simul*; actus enim isti non necessariò dantur simul, sed tantum habitus. Jam, quando quis attritus confitetur, eo ipso acquirit habitum charitatis, & iustificatur: & in hoc sensu, ex attrito fit contritus, ut habet commune proloquium: quod ipsum utique aliter intelligi nequit; non enim attritio, quæ ex intrinseca tendentia differt à contritione, unquam fiet contritio: neque etiam, qui prius elicit attritionem, postea in sacramento semper eliciet contritionem; nam hoc minimè fieri experientia probat. videatur Gormaz *de poenit. n. 256.* Ad confirm. neg. mi. qui enim liberè attritur eam intentione, ut accedente confessione recuperet gratiam, & amicitiam Dei, utique liberè eas recipit.

146. Ob. 2. Concilium Tridentinum sæpe docet, nec intra sacramentum iustificari hominem sine contritione: ergo. Confirm. Tridentinum *sess. 14. c. 4.* adducit exemplum Ninivitarum: sed isti elicerunt contritionem: ergo. prob. mi. isti iustificationem consecuti sunt extra sacramentum: ergo debuerunt eliciisse contritionem. Resp. dist. ant. Tridentinum docet, non iustificari hominem sine contritione perfecta. neg. ant. sine omni contritione, tam perfecta, quam imperfecta, quam etiam vocat attritionem. conc. ant. & neg. conf. quin imò *sess. 14. c. 1.* tantum dicit, poenitentiam

lapis semper fuisse necessariam: quando autem *ead. sess. c. 4.* dicit, motum contritionis semper fuisse necessarium, loquitur tantum de contritione in genere, ut est manifestum; nam postea primùm distinguit contritionem in perfectam, & imperfectam.

147. Ad confirm. Resp. neg. min. ad prob. neg. ant. Non dicit Concilium, Ninivitas fuisse iustificatos, sed tantum fuisse misericordiam consecutos, quatenus Deus non intulit supplicia temporalia, quæ fuerat minatus: possunt autem etiam peccatores, juniis, & precibus, impetrare hanc à Deo misericordiam: cumque dicat Concilium universaliter de Ninivitis, eos misericordiam impetrasse, vel consecutos fuisse, vixque credibile sit, omnes iustificatos fuisse, videtur ea misericordia tantum fuisse averfio poenarum temporalium. vide etiam *Forma 3. v. 10* Catechismus quidem Tridentini *de sacramento poenitentiae. titulo. Contritionis propria vis, & efficacia,* ait de Ninivitis, Davide, muliere peccatrice, & S. Petro simul: *Qui omnes plurimis lacrymis, Dei misericordiam implorantes, peccatorum veniam impetrarunt:* verum istud omnes non videtur sumendum strictè distributivè, sed accommodè, non de omnibus, sed pluribus: vel per veniam non videtur intelligenda iustificatio, sed tantum remissio aliqua poenarum.

Quodsi tamen quis contendat, Ninivitas strictè iustificatos fuisse, dicere debet, eos postea progressos fuisse ad actum perfectæ contritionis, quem sibi ipsis ex eodem metu poenarum imperare potuerunt, ut dicitur *n. 36.* Non tamen idè Concilium ad sacramentum confessionis petiit hunc dolorem perfectum, sed tantum priorem; aliis esset necessarius ad sacramentum poenitentiae talis dolor, qui jam extra sacramentum iustificaret (nam extra sacramentum Ninivites iustificati fuissent) quod omnino est falsum.

148. Ob. 3. Ad sacramentum poenitentiae requiritur idem dolor, qui necessarius est ad susceptionem sacramenti baptismi: atqui ad susceptionem sacramenti baptismi non sufficit dolor ex metu gehennæ: sed vi Tridentini Concilii requiritur dolor ex dilectione Dei: ergo. prob. ma. ex eo, quod peccata post baptismum admissa requirant difficultiorem curationem, quam peccata ante illum patrata; unde etiam Tridentinum *sess. 14. c. 2.* ait, quod poenitentia à SS. Patribus vocetur *laboriosus quidam baptismus.* prob. etiam mi. ex Tridentino *sess. 6. c. 6.* ubi dicitur de præparantibus se ad baptismum: *Illumque Deum tanquam omnis iustitia fontem diligere incipiant:* ergo requiritur dilectio Dei.

Responderi potest 1. cum Platelio *p. 5. seu posthumæ. c. 6. n. 673.* ac aliis. Concilium tantum dicit, dilectionem illam elici: an autem necessariò eliciatur, vel an id tantum ordinariè contingat, non definit. Quamquam autem Concilium etiam dicat, peccatorem moveri *adversus peccata* . . .

per eam poenitentiam, quam ante baptismum agi oportet: non tamen dicit, poenitentiam agi oportere ex omnibus motivis ibi assignatis; nam, si omnia ibi enumerata essent necessaria, necessitate sacramenti poenitentiae, vel ad fructum baptismi, etiam foret necessarius timor servilis; cum Concilium ibi etiam dicat, peccatores concuti timore Divinæ justitiæ: quod Platelius *cit. n. 673.* ait, esse, certò falsum: Haunoldus autem *l. 4. tr. 4. n. 991.* ait, non posse congruè dici; aliàs siquis immemor poenarum, ex solius beatitudinis desiderio, imò ex amore charitatis, vellet Deo reconciliari, iustificationem non obtineret. Juxta hanc responsonem neg. min. ad prob. neg. conseq.

149. Responderi potest 2. cum pluribus recentioribus, Concilium ibi assignare plura motiva, ex quibus disjunctivè acceptis possit elici dolor sufficiens, hoc est, ex quolibet eorum, quin necesse sit, dolorem elicere ex omnibus; aliàs, ut jam dictum, necessitate sacramenti poenitentiae, vel ad fructum baptismi, esset necessarius timor inferni: quod non est admittendum. Et hæc responso habet fundamentum in eo, quod Concilium ibi addat: *Ac propterea movetur adversus peccata per odium aliquod, ac detestationem;* dicendo enim *aliquod,* videtur tantum indeterminatè requirere aliquem dolorem ex aliquo illorum motivorum. Unde neganda est mi. & ad hujus prob. neg. conseq. vel ea dist. requiritur determinatè, & necessariò dilectio Dei. neg. conf. requiritur tantum indeterminatè. conc. conseq.

150. Responderi potest 3. cum Esparza *l. 10. q. 89. a. 4.* Haunoldo *l. 4. tr. 4. n. 991.* & Illung *tr. 6. disp. 6. n. 33.* ac aliis. Permissio etiam, quod Concilium ibi loquatur de necessariis ad sacramentum, non tamen sequitur, quod exigit actum charitatis Dei super omnia; quia tantum exigit dilectionem Dei initialem, & quasi participativam, qualis est quilibet actus virtutis, ut ait Esparza *loc. cit.* citans Angelicum, qui *in 3. dist. 26. q. 2. a. 2. ad 3.* ait: *Omnes alia virtutes participant aliquid à charitate, scilicet desiderium summi boni, propter quod operantur.*

Quod confirmat Haunoldus *loc. citat.* ubi citat illud *Ecclesiastici 1. v. 16. Initium sapientia timor Domini.* & Illung *loc. cit.* citans illud *Ecclesiastici 25. v. 16.* (quod magis ad rem esse videtur) *Timor Dei initium dilectionis ejus.* Ubi timorem servilem, seu timorem poenarum intelligi docet S. Thomas *2. 2. q. 19. a. 8. ad 1.* dicens: *Timor, qui est initium dilectionis, est timor servilis;* & tamen timor strictè loquendo, nec sapientia, nec dilectio est, nisi per aliqualem participationem, seu non est, nisi via, & medium ad illam, sive inchoatio aliqua extrinseca non verò intrinseca, sicut fundamentum est pars intrinseca, & initium domus: sed timor potius se habet, sicut convectio nec-

cessariorum, appositio fulcrorum &c. ad fabricandam domum.

151. Dies. Ergo etiam fides in eo, qui Deum odio habet, erit initium dilectionis. Resp. om. illatum in dicto sensu. Ubi tamen nota, quod talis, habens fidem cum odio Dei, non possit dici diligere Deum; quia actus fidei, in iis circumstantiis odii Dei, non potest tribuere denominationem diligentis; in multis enim contingit, quod forma, ex defectu alterius cujusdam requisiti, subiecto non possit tribuere denominationem. At verò, si fides sit in aliis circumstantiis, e.g. disponat remotè ad dilectionem Dei, potest dici initialis dilectio Dei: & pariter potest attritio dici initialis dilectio; quia & ipsa disponit ad dilectionem; dum disponit ad implendum, saltem suo tempore, præceptum charitatis &c.

Et in hoc sensu non semel S. Augustinus omnes actus honestos attribuit charitati: qui certè non in alio sensu ei tribui possunt, quàm in hoc, quod omnes tales actus sint aliqua via, & initium ad charitatem; aliàs, si S. Augustinus veller dicere, nullum actum esse honestum, quàm qui elicitur à charitate, certè talis assertio iustineri non posset; cum hoc ab Alexandro VIII. & Clemente XI. damnatum sit. Juxta hanc responsum neg. 1. partem mi. cum etiam timor gehennæ sit aliquis amor, seu dilectio Dei initialis: at 2. p. mi. dist. requiritur dolor ex dilectione Dei, quæ sit strictè actus charitatis. neg. min. quæ tantum sit initialis, & aliquo modo participativa charitatis. conc. mi. & neg. conf.

152. Responderi potest 4. cum Haulnoldo l. 4. n. 990. & 991. Gormaz de penit. n. 330. & pluribus aliis, ad justificationem cum attritione intra sacramentum, requiri tantum aliquam dilectionem Dei, sive deus sit charitatis, & benevolentiam, sive saltem spei, & concupiscentiam; ut enim hic suppono ex tr. de spe. actus spei Theologicæ in se continet duas formalitates, nimirum fiduciam, & desiderij; desiderium autem non est aliud, quàm amor objecti; quod enim non amamus, non desideramus. Potest autem amor spei, qui est amor concupiscentiæ, seu tendens in rem ut nobis bonam, ferri tam in bona creata, quàm in ipsum Deum, tanquam beatitudinem nostram objectivam. Et sic possumus, diligere Deum ut fontem omnis justitiæ, seu largitorem gratiæ, condonatore peccati, fontem gratiæ sanctificantis, & reddentem nos capaces beatitudinis; qua ratione diligimus Deum, ut nobis bonum.

Nec dicas cum Illustrissimo le Drou, & aliis, Concilium cit. sess. 6. c. 6. distinguere dilectionem à spe; cum prius dicat: *In spem eriguntur*: & postea: *Diligere incipiunt*; nam, cum spes duplicem habeat formalitatem, scilicet fiduciam, & amoris, Concilium eo modo loquendi indicat, requiri formalitatem utramque; nam per illud: *In spem eriguntur*: significatur fiducia: per illud: *Diligere incipiunt*: intelli-

gitur amor, seu desiderium. verbo. Concilium indicat, non requiri tantum qualemcumque spem, sed eam, quæ & in misericordia Dei fiduciam habeat, & simul sit desiderium Dei ut nobis boni.

153. Dicit quidem idem Illustrissimus, non intelligi fontem justitiæ nostræ, sed justitiæ suæ, adeoque debere amari justitiam, seu perfectionem Dei propter se actu charitatis: at quomodo hoc probat; cum torrens auctorum contrarium dicat: imò etiam Concilium cit. sess. 6. c. 2. 3. 4. 5. & 7. ante, & post caput sextum, quod obicitur, semper loquatur de justitia nostra? Affert etiam idem Illustrissimus textum S. Thomæ 2. 2. q. 19. n. 8. ad 2. ubi ait: *Actus ejus timoris servilis movet quidem cum charitate imperfecta in eo, qui non solum movetur ad bene agendum ex amore justitiæ, sed etiam ex timore pænæ*: ex quo vult inferre, amorem justitiæ, vel esse amorem ex charitate elicitedum, vel certè ei semper esse connexum. Sed respondetur. Amor justitiæ est duplex, unus ex charitate, alter ex spe: & S. Thomas quidem loc. cit. videtur agere de amore justitiæ ex charitate, sed non propterea negat, dari alium amorem justitiæ ex spe, de quo loquitur Tridentinum.

154. Dices cum eodem auctore. Vox, *diligere* significat diligere super omnia, si simpliciter ponatur: ergo Concilium loquitur de amore justitiæ super omnia, seu de amore charitatis. Resp. 1. om. ant. (quod verum non esse patebit paulò post) neg. conf. nam vox *diligere* eo loco à Concilio non ponitur simpliciter, sed cum addito: *Incipiunt*: quod significat tantum initialem amorem. Resp. 2. dist. ant. nisi sit efficax ratio, eam vocem refringendi. om. ant. si sit talis ratio, uti est in casu nostro. neg. ant. & conf.

Urgebis ex eodem. S. Augustinus semper per dilectionem justitiæ intelligit actum charitatis amantem Deum. Resp. Adducantur textus, & quidem tales, ex quibus non tantum probetur, S. Augustinum dicere, justitiam amari amore charitatis: sed ex quibus colligatur, justitiam nunquam amari, nisi amore charitatis; aliàs, ut patebit consideranti, nil probatur contra nos, qui dicimus, Deum ut justitiæ fontem posse dupliciter amari, nempe amore benevolentiam, & amore concupiscentiam. Adducitur quidem textus ex epistola S. Augustini 144. sed non probat adversarij intentum; quia ibi S. Doctor tantum dicit, justitiam ita esse amandam, ut nos nihil separet à charitate Christi: hoc autem plus non significat, quàm virtutem, & adimpletionem legis, ita esse amandam, ut nihil charitati Christi positivè contrarium faciamus, quod per se non infert actum amoris Dei super omnia, quamvis fortè ibi S. Augustinus agat de actu charitatis. Sed est S. Doctor ibi dicat, justitiam esse amandam actu charitatis, non docet, eam necessariò semper esse ita amandam

quam, aut eam diligere non posse amore concupiscentiæ.

Dixi supra. om. ant. non enim est verum; quod vox *diligere* semper significet *diligere super omnia*; nam dicimur simpliciter, & absolute diligere pecunias, voluptates, mundum, etiam juxta S. Augustinum tr. 5. in epist. 1. Joann. ubi ait: *Quid est mundus? ... dilectores mundi. & iterum: Mundus est, quando in malo ponitur, dilectores mundi*: similiter 1. Joann. 2. v. 15. dicitur: *Nolite diligere mundum, neque ea, quæ in mundo sunt*: quæ tamen omnia tantum amore concupiscentiæ, seu ut nobis bona, amamus. Quin imò S. Augustinus, citatus n. 102. amorem concupiscentiæ, quousque cupit videre Deum, vocat amorem caltum Dei.

155. Ob. 4. ex Pallavicino. Concilium Tridentinum ad attritionem, cum sacramento sufficientem, requirit etiam aliquam dilectionem Dei ex charitate, seu saltem benevolentiam erga Deum: ergo nostra conclusio non subsistit. Resp. neg. ant. Ad hanc objectionem meliùs intelligendam noto, Pallavicinum non exigere dilectionem Dei super omnia (non enim negat, istam justificationem extra sacramentum) sed tantum aliquam dilectionem Dei non super omnia; possum enim amare Deum etiam amore benevolentiam, quin amem eum super omnia; nam docet Suarez l. 1. de gratia. c. 34. n. 19. Arriaga tom. 8. de penit. disp. 8. sec. 1. n. 5. & Gormaz de penit. n. 279. non omnem amorem Dei, etiam benevolentiam, esse actum charitatis Theologicæ: e.g. si amore Dei abstineam à furto, non tamen à fornicatione (quod utique potest contingere) talis actus non est actus charitatis simpliciter dictus.

A quo autem habitu producat hic actus, est facti dubium: fortasse tamen potest dici, eum produci ab habitu charitatis, non Theologicè operante, sicut producat actus fidei virtualis, seu objectivæ, ab habitu fidei non Theologicè operante (quod de re vide tract. de virt. Theolog. n. 44.) quamvis enim hic actus amoris attingat motivum, seu objectum Divinum, tamen id non attingit cum debita universalitate, seu latitudine, prout ad actum Theologicum requiritur; ad hunc enim requiritur semper prælatio, seu æstimatio objecti formalis Divini super omnia; sicut etiam fides, & spes, quando Theologicè operantur, auctoritatem Dei, vel bonitatem ejus ut nobis bonam, omnibus aliis præferunt: adeoque eharitas, eliciens actum Theologicum, seu agens Theologicè, debet etiam Deum super omnia amare; & si hoc non facit, non Theologicè operatur: id quod etiam supponit Angelicus 2. 2. q. 84. a. 3. ad 2. dicens: *Est autem infimus Divina dilectionis gradus, ut nihil supra eum, aut contra eum, aut aqualiter ei diligitur*.

Si autem negare velis, hunc actum à charitate Theologica produci, debetis admittere alium quendam habitum, qui eum

producat: vel, eum hic actus fermè tantum detur in peccatoribus, in quibus non dantur supernaturales habitus infusi, præter fidem, & spem, debetis dicere, eum produci ab omnipotentia, specialiter, & supernaturaliter applicata; non enim dici potest quod hic actus sit tantum naturalis; nam, ut rectè Suarez loc. modo cit. hic actus in peccatore fideli sapius, est ex gratia. Equidem, si involveret positivum affectum ad fornicationem, esset peccaminosus, adeoque tantum naturalis: sed si ab ea præscindat, & tantum non sit tam efficax, ut hominem à fornicatione removeat, non est necessariò naturalis; quia peccaminosus non est: sicut non sunt peccaminosi multi alii actus supernaturales aliarum virtutum, à peccatore nondum poenitente elicit.

Quidquid autem de hoc sit, actus charitatis Theologicæ, simpliciter dictus, tantum est ille, qui est amor Dei super omnia, ut docet Angelicus loco modo citato. Intellego autem, quod sit amor Dei super omnia, saltem juxta leges amicitiam, ita, ut quis omnia potius deferat, quàm amicitiam Dei: quamvis non debeat necessariò esse supra leges amicitiam, ita, ut quis amore Dei etiam faciat, quæ non requiruntur ad amicitiam conservandam, qualia e.g. sunt consilia Evangelica &c. Hic ex occasione etiam obiter noto, sufficere ad actum charitatis, si ametur aliqua, quæcunque illa sit, perfectio Divina, ab aliis formaliter distincta ut Deo bona; quia quælibet est aliquid Divinum, est digna amari super omnia, adeoque est motivum, Deum ita amandi: consequenter talis actus erit Theologicus, & quidem charitatis; quia ad aliam virtutem non potest reduci.

156. Dices 1. Pallavicinus in historia Concilii Tridentini l. 12. c. 10. agens de sess. 14. refert n. 26. decretum circa attritionem prius ita fuisse formatum: *Illam contritionem, quam Theologi attritionem vocant, quod imperfecta sit, & solum, vel ex turpitudinis peccati consideratione, vel ex gehennæ, & pœnarum metu, qui servilis timor dicitur, concipiatur, si voluntatem peccandi excludat, & dolorem qualemcumque de commissis delictis exprimat, statuit hæc Sancta Synodus, & declarat, non solum non facere hominem hypocritam, & magis peccatorem (ut quidam blasphemare non verentur) verum etiam sufficere ad sacramenti hujus constitutionem, ac donum Dei esse, & Spiritus S. impulsu verificatum, non adhuc quidem inhabitantis, sed tantum moventis, quo poenitens adjutus, cum sine aliquo dilectionis in Deum motu esse vix queat, viam sibi ad justitiam munuit, & per eum ad Dei gratiam facilius impetrandam disponitur*. Verum, ut tradit ibidem Pallavicinus, Joannes Emilianus Episcopus Tudetanus monuit, variare circa vim attritionis cum sacramento doctorum sententias, & hinc decretum mutatum est, inque eam formam redactum, quam attulimus n. 88. Itaque deleta sunt in primis ea

verba: & solum. 2. ista: qui servilis timor dicitur. 3. illa: verum etiam sufficere ad sacramenti constitutionem: ergo attritio ex metu gehennæ non sufficit sine aliqua dilectione Dei.

157. Resp. 1. Etiam alia omissa sunt, vel addita, quæ nostræ sententiæ favent. 1. omissum est: Cum sine aliquo dilectionis in Deum motu esse vix queat: ne quis scilicet ansam arriperet dicendi, non posse sine actu charitatis elici illum timorem, nec hunc sine illo ad gratiam intra sacramentum disponere. 2. omissum facilius: ergo simpliciter, & absolute attritio disponit ad gratiam. 3. addita est antithesis illa particularum: quamvis, tamen: de quibus diximus n. 128. ergo mutatio magis nobis favet, quam obest.

Resp. 2. neg. conf. Verba & solum deleta sunt; quia ex aliis etiam motivis, motivo charitatis inferioribus, e. g. ex motivo gratitudinis, religionis &c. potest elici attritio: quæ motiva, licet forte reduci possint suo modo ad turpitudinem peccati (nam oppositio ad illas virtutes est aliqua turpitudinis) quia tamen hoc non immediate patet, & multi intelligunt tantum aliquam turpitudinem genericam, seu difformitatem cum natura rationali, hinc Concilium rectè voluit verba & solum omittere.

158. Verba: qui servilis timor dicitur: rejecta sunt; quia sæpe per timorem servilem intelligitur ille, qui non excludit affectum peccandi: & hinc ista verba: servilis timor: & si voluntatem peccandi excludat: poterant videri opposita. Et hoc in sensu intelligit S. Thomas 2. 2. q. 19. n. 9. in corp. timorem servilem, quem tamen ait, posse etiam esse à Spiritu S. quatenus scilicet motus bonus est, sed non tam efficax, ut voluntatem ob omni peccato abstrahat: quamvis timor, qui est à Spiritu S. non possit simul esse aliquis affectus ad peccatum; aliàs enim esset malus: sed tantum debet esse conjungibilis, vel conjunctus cum affectu malo. Ut ergo constaret, de quo timore Concilium vellet intelligi, omissis verbis: servilis timor: retinuit illa: si voluntatem peccandi excludat: nec opus erat ulteriori mentione timoris servilis; cum hic ex motivo facilè intelligeretur.

Tandem verba illa: sufficere ad sacramenti hujus constitutionem: omissa sunt; vel quia improprie dicitur, partem sufficere ad constitutionem totius: vel quia noluit Concilium, damnare sententiam Scoti, asserentis essentiali sacramenti poenitentiae stare in sola absolutione, & reliqua tantum esse partes integrales. Obiter hic tantum noto, ex priori dispositione decreti, quin & ex decreto, quod modò habemus, hoc saltem inferri, quòd etiam ante Tridentinum jam communis fuerit nostra sententia; nec enim dicebatur est, statim per miraculum Spiritus Sancti Theologos illos affirmasse oppositum priori suæ sententiæ. Accedit, quòd, si ista sententia paucorum fuisset, Lu-

therus propter eam Catholicos non impugnasset.

159. Dices 2. cum eodem Pallavicino. Decretum reformatum est; eoquòd variarent sententiæ doctorum Catholicorum circa sufficientiam attritionis: neque etiam credibile est, Concilium voluisse definire aliquid, contrarium sententiæ Theologorum Catholicorum; cum tantum voluerit damnare hæreticos: ergo ex Concilio non potest sumi argumentum pro attritione. Resp. in primis ab auctoribus non laudari Pallavicinum in hoc, quòd in sua historia hoc loco tantum referat ea, quæ favent ipsius sententiæ, quam defendit l. 7. assert. Theol. de poenit. c. 12. n. 140. taceat autem ea, quæ ex ipsdem actis Concilij favent sententiæ nostræ; cum tamen plurima afferri potuissent non sit dubium.

Certè pro sua sententiâ, requirente aliquam dilectionem Dei, ex Theologis, vix unum, aut alterum assertit, allaturus utique plures, si potuisset; cum econtra pro nobis stent plurimi, & absque dubio etiam ex Patribus, & Theologis Concilij Tridentini, plures pro nobis iterent. Resp. 2. Licet Concilium aliquid concesserit intercessioni Tuderani, tamen ei non consentit; nam Antistes ille perfectam contritionem, teste ipso Pallavicino loc. cit. ad sacramentum requisivit, quòd Pallavicinus longissime rejicit. in forma dist. 2. p. ant. non est credibile Concilium definivisse aliquid contrarium sententijs aliquorum Theologorum Catholicorum directè, & immediate. om. ant. indirectè. neg. ant. & conf.

160. Credibile enim hoc est, & quidem probabilius credibile, quamvis evidens non sit; nam Concilium volens, convellere errores hæreticorum, debuit etiam diruere aliquas sententiâs Catholicorum, quæ habebant connexionem cum illis. Sic docebant aliqui Catholici cum Magistro, absolutionem sacramentalem esse tantum declarationem remissionis peccatorum, prius jam ob contritionem à Deo collatæ: quòd damnatum est à Tridentino, citato n. 134. & jam prius à Florentino in decreto Eugenij ad Armenos, ubi dicitur de poenitentia: Effectus hujus sacramenti est absolutio à peccatis. Certè, si effugium istud valeret, nunquam ex Tridentino posset ulla sententiâ doctoris Catholici impugnari; cum semper parata esset responsio, Concilij intentionem non fuisse, sententijs Catholicorum quidquam contrarium definire.

Scilicet, quando damnantur errores hæreticorum, ex ea damnatione licet arguere contra sententiâs etiam orthodoxorum, qui videntur nimiam cum illis habere connexionem. Accedit, quòd, licet Concilia non soleant attingere quæstiones scholasticas, quæ parum faciunt ad substantiam fidei, vel regulam morum, tamen controversias majoris momenti sæpe attingunt, ut patet ex Viennensi, & alijs plurimis, in quibus graviora religionis dubia inter Catholicos definita fuere: imò, si nihil at-

tingere voluisset Tridentinum, ex ijs, quæ docuerunt aliqui Catholici, quid opus fuisset tam longis, & tot repetitis examinibus materiarum, antequam definitur? vide etiam ratione hujus sententiæ Pallavicini dicta inferius n. 176. & seq.

ARTICULUS VI.

Solvuntur reliquæ Objectiones.

161. **O**B. ulterius 5. Sacra Scriptura pluribus locis docet, in omni casu ad justificationem requiri dilectionem Dei: ergo. prob. ant. variis textibus. Sic primò dicitur 1. Joann. 3. v. 14. Qui non diligit, manet in morte. Secundò 1. Corinth. 13. v. 3. loquens de se Apostolus ait: Si tradidero corpus meum, ita, ut ardeam, charitatem autem non habuerò, nihil mihi prodest. Tertio ead. epist. c. 16. v. 22. ait idem S. Paulus: Siquis non amat Dominum nostrum Jesum Christum, sit anathema. Quarto 2. Cor. 7. v. 10. iterum ait: Quæ enim secundum Deum tristitia est, poenitentiam in salutem stabilem operatur: hæc autem est poenitentia ex dilectione Dei. Quintò Deuter. 4. v. 29. dicitur: Cumque quaesieris ibi Dominum Deum tuum, invenies eum; si tamen toto corde quaesieris, & tota tribulatione anima tue: ergo in omni casu requiritur ad justificationem dilectio Dei.

Resp. neg. ant. ad prob. neg. conseq. & explico textus. Primus literaliter loquitur de amore proximi, ut manifestum est legenti contextum: & non accipitur illud non tantum contradictoriè, sed contrariè, hoc est, ut significet: qui odit; nam statim subjungitur: Omnis, qui odit fratrem suum, homicida est. Quia tamen hic textus, à Patribus, & doctoribus, etiam explicatur de dilectione Dei. Resp. intelligi, manere in morte eum, qui Deum non diligit habitualiter, sive qui non habet habitum charitatis, vel qui non est habitualiter paratus ad diligendum Deum, eumque, si opus sit, omnibus præferendum; si enim textus hic accipi deberet de actuali dilectione, inferretur, quòd, qui Deum non semper actu diligit, perseveranter peccet, quòd est manifestè nimium. Quidam tamen auctores textum hunc explicant de necessitate dilectionis ad destruenda peccata extra sacramentum.

162. Secundus textus intelligendus est de charitate habituali, sine qua alia omnia non profunt; nam loquitur S. Paulus de illa charitate, de qua postea eod. cap. v. 13. dicit: Nunc autem manent fides, spes, charitas, tria hæc: major autem horum est charitas: hæc autem charitas communisimè intelligitur habitualis; quia dicitur manens. Neque dicas, S. Augustinum tr. 6. in Joannem, hunc textum explicare de charitate necessaria ad recipiendum baptismum, & consequenter à pari ad recipien-

dum poenitentiae sacramentum; nam hoc non ita se habet. Agit ibi S. Doctor contra Donatistas, qui, baptismo jam recepto, gloriabantur de factis à se elemosynis: & ex hoc textu probat, eas nihil valere sine charitate: quòd non venit ad rem. Si etiam omitteremus, S. Doctorem velle, baptismum non prodesse, sine charitate habituali, id non esset nobis contrarium. Quòd autem ad baptismum fructuose recipiendum necessaria dispositio sit actus charitatis, ibi prorsus non docet S. Augustinus.

Tertius textus S. Pauli explicandus est sumendo particulam non contrariè, quasi diceret: Si quis odit Christum: seu: Si quis non est Christianus; nam Apostolus non amantem contraponit fidelibus; postquam enim Corinthios fideles salutasset, nomine aliorum Christianorum, subjungit: Si quis non amat Dominum nostrum Jesum Christum, sit anathema: id est: Non sit salutatus, sed exclusus à communione nostra: quòd de infidelibus est intelligendum; neque enim peccatores omnes sunt anathematizati.

163. In quarto textu, & illis verbis, secundum Deum tristitia, non significatur tristitia elicitæ ex amore Dei super omnia, ut vult Illustrissimus le Drou: sed tantum significatur tristitia supernaturalis aliqua, & ad conversionem sui ad Deum directa poenitentia. Certè, dum Concilium Tridentinum sess. 6. c. 14. exponit poenitentiam, de qua ait, esse sermonem eo textu S. Pauli, nihil de charitate dicit. Sed etiam Apostolus ibi sermonem habet de poenitentia ex amore Dei, non sequeretur, quòd nulla alia poenitentia sufficeret; quia de nulla id negat, & malum est argumentum: Sol calfacit, & existat: ergo nullus habet ignis. Et quamvis etiam diceretur, Tridentinum intelligere per citationem hujus textus Apostoli, poenitentiam ex amore Dei, tamen manifestum esset, quòd ibi loquitur Concilium de poenitentia, tam extra, quam intra sacramentum justificativa: adeoque nihil probaret contra sufficientiam attritionis intra sacramentum. Ultimus textus ex Deuteronomio loquitur de dolore extra sacramentum justificante; nam alloquitur Judæos, qui non habebant sacramentum poenitentiae.

164. Ob. 6. SS. Patres requirunt ad poenitentiam amorem Dei: ergo hic est necessarius. ant. prob. adductis textibus SS. Patrum, ex omnibus primis sæculis, quos, ut videre est apud Gormaz de poenit. n. 471. citat Launojus: ergo. Resp. dist. ant. SS. Patres requirunt amorem Dei ad poenitentiam extra sacramentum. conc. ant. intra illud. neg. ant. & conf. ad prob. textus illi apud Gormaz allati, nec ad speciem aliquid probant, nisi fortè speciem aliquam faciat textus S. Hilarij canon. 4. in Matth. in verba. Qui autem satium &c. ubi ait: Quia charitas plurimum peccatorum tegit, & errorum nostrorum ambitiosa ad Deum patrum est, novissimum poenitentiam quadrantes sol-

venimus, nisi pretio ipsius aliquantorum criminum culpa redimatur: hic tamen textus manifeste agit de charitate fraterna, per quam, ut ait S. Pater, nisi redimamus peccata, scilicet quoad reatum poenae, novissimum quadrante solvere debemus: intellige, si aliter non satisfiat. Quare similibus Theologis, qui coacervandis Sacrae Scripturae, & SS. Patrum textibus ambiguis, se totos dedunt, relicta severiore scholastica ratiocinandi methodo, his, inquam, responderi potest illud S. Augustini contra Julianum l. 3. c. 10. Per Scripturarum testimonium conaris ostendere: & laboras inaniter: non, ut respondere nobis, sed, ut libros possis implere.

165. Dices. Tamen textus S. Augustini sunt satis clare oppositi nostrae sententiae: ergo. ant. prob. eos adducendo. 1mo. de catechizandis rudibus c. 20. ait S. Doctor: Legem autem non implet, nisi charitas. 2do. de vera, & falsa poenitentia c. 9. Si sine amore Dei consequeretur indulgentiam, sine quo nemo unquam invenit gratiam. 3tio. l. 2. contra Cresconium c. 12. ait de charitate: Quae una si adsit, omnia illa recte sunt: si autem desit illa, omnia frustra sunt. 4to. serm. 7. de tempore. Poenitentiam certam non facit, nisi odium peccati, & amor Dei.

Resp. etiam his textibus nihil probari. Ad 1. Non agitur ibi de confessione, sed de praecipis, ad quae omnia singillatim implenda utique non requiritur actus charitatis, sed ad summum habitus: quamvis requiratur actus charitatis ad implenda ea omnia, seu totam legem collectivè. Si etiam conendas, agi ibi de primo mandato diligendi Deum, concedo facile, id non impleri sine actu charitatis: sed quid hoc ad confessionem? Ad 2. textum. In primis liber ille non est S. Augustini, ut probat Bellarminus de script. Eccles. sed, quisquis sit alius auctor gravis, non est nobis oppositus; non enim loquitur de amore Dei, qui nos Deum amamus, sed quo nos ipse amat: quod colligitur facile ex contextu; intentio enim ejus ibi est, probare, quod unum peccatum sine altero non dimittitur; eoque Deus adhuc ratione unius peccati homini criminoso sit inimicus: & dein subjungit: Quomodo ergo, qui unum crimen reservat, recipiet veniam? sine amore Dei consequeretur indulgentiam, sine quo nemo unquam invenit gratiam.

Ad 3. S. Doctor loquitur ibi de charitate habituali, ut patet legenti; nam loquitur de illa, quae diffusa est in cordibus nostris, quaeque excludit schismata ab Ecclesia, à qua tamen per schisma suum Donatistae (de quibus ibi agit) se separaverant. Et sane, absente charitate habituali, frustra sunt reliqua, hoc est, fiunt sine merito condigno: at absente tantum charitate actuali, non frustra fiunt eleemosynae, actus poenitentiae, & alia opera pia.

166. Ad 4. textum. Probari nullatenus potest, ibi S. Doctori esse sermonem de amore Dei super omnia, sive charitatis;

quia tantum requirit odium peccati, & amorem Dei, qui excludat affectum peccandi, qui potest esse amor spei: vel amor quietis ad Deum, excludens omnem conversionem ad ea, quae à Deo separant. Sane ex toto illo sermone, ex antecedentibus, & consequentibus, videtur posse probari, quod tantum de simili aliquo amore S. Doctor loquitur; nam antecedenter ibi probat, frustra dolere eos, qui adhuc affectu adherent peccato, dicens: Multi assidue se dicunt esse peccatores, & tamen adhuc illos delectat peccare: confessio est, non emendatio. Accusatur anima, non sanatur. Postea autem exponens veram poenitentiam, ait, eam invocare misericordiam, & pietatem Divinam, atque ad Deum, tanquam omnipotentem medicum, confugere, ubi etiam ponit exemplum humilis orationis, in qua tamen actus charitatis nullus involvitur, & subjungit: Ista est, filioli, vera poenitentia, quando sic convertitur quis, ut non reveratur: quando sic poenitet, ut non repetat: hoc est, si excludat voluntatem peccandi, quod ex Tridentino etiam facere potest attritio.

Insuper S. Doctor hic praesertim exponi potest de amore Dei initiali, de quo n. 150. Potest etiam dici, S. Doctorem non dicere, quod non nisi amor Dei faciat poenitentiam validam, aut fructuosam, sed certam; quasi diceret: Poenitentia ex amore Dei, & odio peccati concepta, affert majorem certitudinem, & majus etiam consequenter solatium: cum e contra poenitentia ex metu poenarum, eo quod non adeo certos reddat, de exclusione omnis etiam conditionati affectus ad peccatum, non affert tantam certitudinem: quamvis ipsa, si voluntatem peccandi verè excludat, sit valida, & fructuosa.

167. Caeterum, quod S. Augustinus agnoscat fructuosam poenitentiam, quae ex metu poenarum, seu Divini judicii, sine dilectione charitatis, concipitur, habetur ex epistola 254. ad Nectarium circa medium. ubi sic ait: Nam & poenitentia, sicut scribis, impetrat veniam, & purgat admissum: sed illa qua in vera religione agitur, quae futurum judicium Dei cogitat: non illa, qua ad horam hominibus, aut exhibetur, aut fingitur, non ut à delicto anima purgetur in aeternum, sed ut interim à praesenti metu molestiae vita cito peritura liberetur. Hinc est, quod Christianis confitentibus, atque deprecantibus, qui delicto illo fuerant implicati, vel non succurrendo arsura Ecclesiae, vel de sceleratissimis rapinis aliquid auferendo, poenitentiam dolorem fructuosam esse credidimus, eisque ad correctionem sufficere existimavimus, quod inest cordibus eorum fides, qua considerare possent, quid de Divino judicio formidare deberent.

168. Ob. 7. S. Gregorius l. 1. moral. c. 11. ait: Tunc est funditus à malo recedere, cum ex amore Dei ceperit jam nolle peccare: cum verò adhuc timore boni agit, à ma-

à malo penitus non recessit; quin eo ipso peccat, quo peccare vellet, si inulte potuisset: ergo juxta S. Gregorium attritio ex timore gehennae non excludit voluntatem peccandi, consequenter nec sufficit ad sacramentum. ita Illustrissimus le Drou differt. 2. r. 3. Resp. dist. conf. ergo attritio purè servilis, & inefficax, non excludit voluntatem peccandi. conc. conf. attritio efficac. neg. conf. Si S. Gregorius deberet intelligi de omni attritione, doceret, quod attritus semper peccaret (quae est propositio 62. damnata Quaesnelli) dicit enim S. Pontifex, tale eo ipso peccare: ergo utique limitandum est hoc ejus dictum ad timorem tantum inefficacem.

Dices. Idem S. Gregorius in 1. Reg. 1. c. 2. in ea verba c. 15. v. 30. Sed nunc honora me: ait, salubriter confiteri volentes debere corde credere ad justitiam: & addit: Quid est corde credere ad justitiam, nisi voluntatem dirigere ad fidem, per dilectionem operantem? cum ergo quis cordis intentionem ad justitiam per amorem dirigat, per initium bonae voluntatis fructum habet bonae conversionis: ergo sine dilectione, & amore, confessio non valet. Resp. S. Doctor agit ibi contra eos, qui ad exemplum Saulis, de quo ei sermo est, exterius peccata confitendo aperiunt, sed non se convertendo ea etiam detestantur, & de his addit: Hi profecto confitendo nil agunt; quia, quod loquendo eijciant, amando introducunt: ergo tantum requirit dolorem efficacem, quo quis voluntatem dirigat ad fidem, per dilectionem operantem: non autem requirit, ut jam amet ex amore charitatis: per sequentia autem verba intelligit amorem justitiae, non verò amorem Dei, certè non amorem Dei super omnia, de quo nec verbum ibi habet; nec enim per amorem semper intelligi debet amor summus charitatis. in forma. dist. conf. non valet confessio sine aliqua dilectione, seu desiderio efficaci justitiae. om. conf. sine dilectione, seu amore charitatis erga Deum. neg. conf.

169. Ob. 8. S. Antoninus p. 4. tit. 14. c. 5. sub initium ante §. 1. refert, scholasticum Parisiensem, post confessionem, cum lachrymis factam, mortuum, postea magistro suo apparuisse, in chlamyde ex charta pergameni, plena sophilismatis, & intus penitus ignea, ac dixisse, causam suae damnationis fuisse, quod poenitentia, & lachrymae ipsius, non fuerint ex amore Dei, sed propter timorem inferni, adeoque nihil valerint: ergo. Resp. In primis S. Antoninus refert eam historiam ex alio libro de septem donis, qui non est irrefragabilis auctoritatis: nec prevalere debet auctoribus nostris innumeris. Si etiam tranfinitur tanquam vera illa historia, tamen responderi quam optime potest, quod attritio illa fuerit purè servilis, inefficax, & non exclusit omnem voluntatem peccandi, etiam conditionatam. Et certè de tali attritione est ibi S. Antonino sermo; nam eo loco sub initium de taliter R.P. Ant. Mayr. Theol. Tom. II.

attritio dicit: Fellet enim sibi licere illud facere: quod & faceret, nisi poenam timeret sustinere: & ideo non est verè bonus: ibidem etiam affert aliquos S. Augustini textus, quales attulimus n. 98.

170. Ob. 9. S. Thomas videtur nobis oppositus: ergo. prob. ant. nam 1. scribit 3. p. q. 85. n. 2. ad 1. tritari de malo, seu peccato, pertinere ad charitatem. 2. ead. quest. n. 5. in corp. inter actus poenitentiae recenset motum charitatis, quo alicui peccatum displicet secundum seipsum, & iam non propter supplicia. 3. iterum 3. p. q. 86. n. 3. in corp. ait, ad rationem verè poenitentiae requiri, ut displiceat poenitenti peccatum; quia est contra Deum super omnia dilectum. 4. rursum in 4. dist. 17. q. 3. n. 4. quaestione. 1. in corp. ait, confessionem non valere sine charitate.

Resp. S. Doctor saepius favet nobis. Sic in 4. dist. 6. q. 1. n. 3. quaestione. 1. ad 5. ita scribit: Ad hoc, quod homo prepararet se ad gratiam in baptismo (eadem est ratio de sacramento poenitentiae ex n. 148.) percipiendam, praerigitur fides, sed non charitas; quia sufficit attritio praecedens, etsi non sit contritio. item in 4. dist. 17. q. 3. n. 5. quaestione. 1. in corp. ait, quod in hoc sacramento etiam remissio peccatorum daretur, si praecedens dolor de peccatis non sufficiens ad contritionem fuisset. iterum in 4. dist. 22. q. 2. n. 1. quaestione. 3. in corp. ait de remissione peccatorum: Aliquando autem in ipso sacramento efficitur; quia, quando aliquis accedit ad confessionem attritus, non plene contritus, si obicem non ponat in ipsa confessione, & absolutione, sibi gratia, & remissio peccatorum datur. Quod autem juxta S. Doctorem attritio non involvat charitatem, patet ex primo textu pro nobis allato, hoc ipso numero. in forma. neg. ant. nec enim credendus est Angelicus sibi ipsi contradicere. ad prob. ne S. Doctor sibi contradicat, exponendus est.

171. Resp. itaque explicando textus objectos. Ad 1. textum. S. Doctor eo loco quaerit, an poenitentia sit virtus specialis, & affirmat: objicit autem sibi, displicentiam peccati pertinere ad charitatem, adeoque poenitentiam non distingui à charitate: & responderet, admitto aliquam displicentiam, vel aliquem dolorem de peccato, convenire charitati: ex quo tamen minime sequitur, quod nulla possit dari displicentia, vel nullus dolor de peccato, qui non sit actus charitatis: nec hoc S. Doctor ullo modo asserere vult; cum eo loco adstruat specialem, & à charitate distinctam poenitentiam, quae utique elicere debet displicentiam, vel dolorem de peccato.

Ad 2. Loquitur ibi S. Doctor de poenitentia ut virtute in genere, & assignat varios ejus actus, & inter alios etiam actum charitatis: nullo verbo autem dicit, eum actum esse necessarium ad sacramentum: & sanè alii actus necessarii sunt extra, alii intra sacramentum. Ad 3. S. Doctor ibi iterum agit de poenitentia virtute, & tradit, unum peccatum

catum non posse remitti sine alio; quia poenitentia vera charitatis, extrasacramentaliter justificans se extendit ratione motivi sui ad omnia peccata. Nec dicas, cum poenitentiam charitatis dicat veram, eo ipso alias judicare falsas; nam hoc contrarium esset ejus dictis n. 170. citatis, in quibus admittit veram poenitentiam in attrito sine charitate: & hinc loco objecto tantum intelligit veram poenitentiam hujus generis, seu extrasacramentaliter justificantem. Ad 4. S. Doctor tantum dicit, quod confessio sine charitate non valeat in ordine ad meritum, cujus principium est charitas, quod nec nos negamus; non enim dicimus, remitti attrito peccatum ex opere operantis, sed ex opere operato: de reliquo videtur eo loco magis favore nobis, & fortè plus dicere, quam nos petamus.

172. Ob. 10. Peccati malitia stat in hoc, quod peccans magis amaverit creaturas, quam Deum: ergo debet tolli per actum, quo quis magis amat Deum, quam creaturas, seu super omnia. Confir. Rebellis non esset bene dispositus ad veniam recipendam, si tantum reverteretur ex metu poenarum, & ex spe posita in bonitate regis, nisi etiam amaret principem propter se: ergo neque peccator, qui est rebellis Deo, est dignus venia, nisi etiam amet Deum. Resp. neg. conf. Necessarius est ille actus, vel illa conversio, quam Deus exigit, & cui promissit justificationem: talis autem etiam est attritio cum sacramento.

Et cur non etiam dicunt adversarii, quemlibet, alicujus virtutis, seu legis, ex illius virtutis honestate laetè, transgressorem, non esse bene dispositum ad veniam, nisi eliciat actum formalem illius virtutis, contra quam peccavit? At hac ratione sapientissime, præsertim magnis peccatoribus esset, aut omnino, aut fermè impossibilis poenitentia. Ad confir. neg. ant. Certè hoc frequenter contingit, ut metu armorum territis, & ideo se submittentibus, detur venia. Exemplum non unum præbent nationes variae. Potest etiam dist. ant. si princeps non promiserit veniam taliter disposito. om. ant. si eam promiserit. neg. ant. & conf. Deus autem attritis ex metu gehennæ in sacramento veniam promissit.

173. Ob. 11. In lege antiqua, ad delenda peccata, necessaria fuit contritio: ergo multò magis est necessaria in lege nova. prob. conf. est absurdum, in lege timoris ad aliquid requiri amorem, non autem eundem requiri in lege amoris: ergo. Confir. 1. Juxta S. Augustinum contra Donatum differentia legis, & Evangelii, est timor, & amor: ergo. Confir. 2. Legis Evangelicæ suavitas non stat in imminutione præceptorum, sed in abundantia gratiæ, reddentis præcepta suavia: ergo eadem præcepta dantur in lege nova, quæ in veteri, adeoque etiam præceptum eliciendæ contritionis, ad delenda peccata. Confir. 3. Amor Dei faciliat impletionem præceptorum: ergo etiam faciliat præceptum confessionis: ergo non

est, ut nos diximus, onus. Resp. neg. conf. aliàs nunquam absolutio delere posset peccata contra Tridentinum, citatum n. 174. ad prob. neg. conf. Lex nova dicitur lex amoris ex eo, quod Deus se magis amabilem, liberalem, facilemque præbeat, adeoque via salutis facilior sit: non autem oneri contritionis addatur onus confessionis.

174. Ad 1. confirm. S. Doctor potest intelligi, quod Deus nunc se magis ostendat amabilem, quam timendum, & quod quidem deceat homines, magis amare Deum: non autem, quod semper debeamus amare Deum, etiam in confessione; aliàs in lege nova deberet timor universaliter excludi, adeoque non foret amplius honestus, quod defendi non potest. in forma neg. conf. Ad 2. confirm. neg. ant. Est clarum, dari modò pauciora præcepta; nam ex Cornelio à Lapide in acta Apostol. c. 15. v. 10. erant in lege veteri positiva præcepta Divina ducenta octo. decim, quot dicebantur esse membra hominis: præcepta autem negativa erant trecenta, & sexaginta quinque, quot sunt dies per annum; hinc S. Augustinus serm. 9. de verbis Domini ait, quod homo non amplius sub lege positus, sit exoneratus sarcinis innumerabilium observationum. Ad 3. confir. dist. ant. amor Dei, jam pro priori elicitus, faciliat impletionem præceptorum, conc. ant. amor Dei præceptus, & primum vi præcepti eliciendus. neg. ant. & conf. Homini bus, præsertim magnis peccatoribus, & solitis, se, non autem Deum amare, tam facilis non est amor Dei purus, & quidem super omnia. Aliud est, quod supposito jam amore per hunc confessio faciliat fiat.

175. Ob. 12. Habitus fidei, & spei, non infunduntur, si non præcesserint eorum actus: ergo nec habitus charitatis infunditur, si non præcesserit actus charitatis: adeoque neque infunditur gratia, quæ sine habitu charitatis non datur. Confir. Non est rite dispositus ad magisterium Divinum, & effectum Divinarum promissionum, qui non credit Deo, nec ab eo quidquam sperat: ergo neque est dispositus ad amicitiam Dei, qui non amat Deum amore amicitiae; sic, sicut non datur habitus fidei, aut spei, sine præviis illorum actibus, ita nec datur habitus charitatis sine præcedente actu charitatis.

Resp. ant. est falsum in parvulis: si autem sermo sit de adultis, om. ant. nam videtur aliquando posse infundi habitus spei adulto, non quidem primò, sed tamen postea, sine actu spei præcedente: e. g. si quis priùs desperans, antequam eliceret actum spei, amaret Deum amore charitatis, reciperet gratiam, & omnes habitus infusus, adeoque etiam spem: sed om. ant. neg. conf. non enim licet argumentari à pari in ijs, quæ dependent à libera voluntate Dei, & debent colligi ex revelatione, ut diximus jam n. 9. Ad confir. om. ant. neg. conf. utramque conf. ille enim est bene dispositus ad amicitiam Dei, qui ponit dispositionem, quam Deus requirit: non autem requirit Deus actum chari-

tatis, licet requirat actum fidei, aut spei: ergo.

176. Ob. 13. Requiritur saltem amor aliquis benevolentiae erga Deum, quamvis non super omnia: ergo non sufficit attritio ex metu gehennæ. ant. est sententia Pallavicini assertio Theologicarum l. 7. c. 12. cujus tamen auctorem alium citare vix potest: & ex duobus, quos solos citat, Valentia tom. 4. disp. 7. q. 8. punct. 1. dicit quidem, eum actum, quo diligitur Deus, sed non super omnia, non esse contritionem perfectam: at non dicit, actum aliquem amoris Dei non super omnia esse necessarium ad sacramentum poenitentiae: sed docet sufficere, modò actus attritionis aliquo modo virtualiter ex aliqui dilectione Dei oriatur: sive, modò sit dolor aliquo modo etiam virtualiter elicitus de peccato, ut est offensà Dei: non autem Valentia requirit, ut attritio sit aliquis formalis amor benevolentiae erga Deum.

Resp. neg. ant. si sermo sit de amore benevolentiae formaliter tali: & quia Pallavicinus pro se non offert rationes alias, quam illas, quas alii adversarii afferunt pro necessitate amoris Dei super omnia, quasque jam confutavimus, non est opus nova eorum refutatione. Solùm addo, Pallavicinum explicare amorem suum, exemplo amantis gemmam, qui, si efficaciter eam amat, ac vult habere, pro ea omnia dat, quæ, hic, & nunc, videt necessaria esse, ad eam acquirendam: non tamen paratus est, pro ea dare profus omnia: sic, ait, te habet is, qui ita imperfectè amat Deum; nam defacto dat omnia pro recuperanda amicitia Dei, quæ videt, hic & nunc, necessaria ad ejus acquisitionem, licet nec Deum, nec ejus amicitiam amet super omnia. vide etiam dicta à n. 155.

177. Verum hæc tantum attuli, ut hæc sententia intelligatur, de qua etiam potest exponi Alexander VII. in suo decreto, edito 5. Maij an. 1667. (quod exhibet La Croix l. 6. p. 2. n. 875.) in quo sub poena excommunicationis prohibet, ullà Theologica censurà, aut contumelià, notari alteram sententiam, sive negantem necessitatem aliquam dilectionis Dei in præfata attritione, ex metu gehennæ concepta, qua hodie inter scholasticos communior videtur, sive assertentem dicta dilectionis necessitatem: in quo tamen ipso decreto, ut patet ex verbis modò allatis, Pontifex ait, nostram sententiam esse communiorem. Sed, quamvis hoc decretum fortè non prosit ijs, qui amorem Dei super omnia requirunt, ad sacramentum confessionis, tamen propter decretum Innocentij XI. anno 1679. 3. Martij. abstinendum etiam est omni censurà, atque convicio contra istos; nam hic Pontifex post damnatas 67. propositiones, in decreto sine, in virtute sanctæ obedientiæ præcipit, ne sententis, quæ adhuc inter Catholicos controvertuntur, censura, nota, vel convicio inferatur. Decretum hoc Innocentij varii Theologi referunt, & inter hos etiam La Croix tom. 1. initio, ubi varia talia decreta adducit.

178. Dices. Saltem non sufficit dolor ob solam poenam sensus, sed debet esse dolor etiam ob poenam damni: sed metus poenæ damni jam includit aliquem amorem Dei: ergo. Resp. om. ma. dist. mi. metus poenæ damni includit aliquem amorem spei, vel concupiscentiæ, conc. mi. amorem charitatis, aut benevolentiae. neg. mi. & conf. Quod autem attinet ad majorem, hæc non est indubitata; nam Concilium indefinite loquitur de dolore ex metu gehennæ: & voluit deleri illas particulas: Cum sine aliquo dilectionis in Deum motu esse vix queat: ut dictum n. 156. Multi etiam non ita apprehendunt poenam damni, sicut poenam sensus.

Interim tamen attritio non debet tantum esse timor gehennæ naturalis: neque etiam tantum timor hujus poenæ quomodocunque, sed cum aliqua relatione ad Deum: scilicet debet esse dolor de peccato, quatenus est offensà Dei, potentis punire poenis inferni, quas peccator meruit, & metuit. Debet insuper attritio esse, ut ait Tridentinum sess. 14. c. 4. cum spe venia, à misericordissimo Deo acquirendæ: quæ ipsa misericordia, dum proponitur, apparet valde amabilis, & facile amore aliquo amatur. Sed & illustratio superna ordinariè simul proponit etiam poenam damni: atque etiam catechista docent, dolorem imperfectum esse; quia calum perdidimus, & infernum incurrimus.

Quare, quamvis speculative judicem, sufficere attritionem de offensà Dei, ex puro metu poenæ sensus, in praxi tamen putarem, certè suaderem, adhibendum etiam dolorem ex poena damni, qua ratione accedet amor aliquis concupiscentiæ Dei ut possidendi. Quin imò excitandi sunt poenitentes ad actum contritionis, ut ei assueant, pro omni casu fortuitæ necessitatis. Quamvis autem sæpè ad eum non pertingant, saltem dein certius attritionem sufficientem eliciunt.

179. Ob. 14. pro sufficientia attritionis naturalis. Sacramentum poenitentiae confert gratiam non ponentibus obicem, seu ablato obice: sed per attritionem, etiam naturalem, tollitur obex: ergo. prob. mi. per attritionem naturalem tollitur aversio à Deo, & conversio ad creaturam: ergo. Confir. 1. Ad valorem baptismi non requiritur tanquam dispositio actus supernaturalis: ergo neque ad poenitentiam. Confir. 2. Ad validum sacramentum poenitentiae tantum requiritur voluntas suscipiendi sacramentum destructivum peccati: sed hæc potest esse naturalis. ergo. Resp. neg. mi. ad prob. dist. ant. per attritionem naturalem tollitur aversio à Deo actualis, con. ant. habitualis neg. ant. & conf. seq.

Dices. Aversio habitualis est peccatum præteritum, moraliter perseverans, seu est peccatum habituale: hoc non debet tolli ante sacramentum: ergo. Resp. conc. totum. sed neque etiam debet tolli tantum aver-

aversio actualis; nam hæc tollitur per puram cessationem à peccato. Debet ergo tolli negatio dispositionis requisitæ, sive debet poni dispositio requisita, quæ, ut probavimus, est contritio, vel attritio supernaturalis: quare etiam potest dist. ant. tollitur aversio à Deo quomodocunque. conc. ant. tollitur modo requisito, sive per dolorem supernaturalem. neg. ant. & conf.

180. Ad 1. confir. neg. conf. Ut jam aliàs diximus, non est paritas ab uno sacramento ad aliud. Baptismi valor non constituitur ex dolore, imò neque baptismus: at verò sacramentum poenitentiae constituitur ex dolore, à Christo requisito, qui debet esse supernaturalis. Si tamen loquamur de fructu baptismi, hic non conferrur adulto habenti peccatum actuale, sine dolore supernaturali, nisi fortè per accidens, quando fortè eliceret supernaturalem actum amoris Dei super omnia. Ad 2. confir. neg. ma. nam voluntas suscipiendi sacramentum, destructivum peccati, potest stare cum actuali peccato; potest enim quis dicere: *Nunc volo peccare, cras autem volo confiteri*: non autem instituit Christus pro materia sacramenti poenitentiae actum voluntatis conjungibilem cum actuali peccato.

Si dicas, debere esse voluntatem, nunc destruendi peccatum, vel nunc confitendi. Resp. In primis non debet esse tanta conjunctio voluntatis cum confessione, ut non possint interea plura peccata interna committi: quare neque voluntas præcisè nunc confitendi sufficienter excludit voluntatem peccandi. Sed, etsi istam excluderet, non sufficeret; non enim Christus instituit tantum voluntatem confitendi, sed dolorem verbo: voluit voluntatem destruendi peccata, quæ simul sit dolor de peccatis, & quidem supernaturalis, ut definit Tridentinum, & Innocentius XI. de quibus n. 124.

181. Ob. 15. contra 2. conclusionem. Sententia opposita est tutior, & nondum est rejecta ab Ecclesia: ergo nostra non est certa, consequenter neque licita in praxi, cum agatur hic de valore sacramenti. Resp. cum plurimis auctoribus nostris, de quibus vide n. 125. neg. conf. vel cum Gormaz de poenit. n. 447. & 472. om. ult. parte ant. dist. conf. nostra sententia non est certa certitudine authentica. conc. conf. certitudine privata. neg. conf. Certitudine authentica est certa illa sententia, cujus opposita non potest absque censura defendi: at hoc non requiritur ad sententiam privatam certam: sed ad hanc tantum requiritur id, quod indicavimus n. 137. & talis certitudo privata sufficit ad praxin licitam; nam Innocentius XI. tantum damnat usum sententiarum probabiliū, non verò certarum, ut advertit Cardenas in crisi in prop. ab Innoc. XI. damnat. dissert. 2. n. 61. ubi etiam de nostra sententia ait, quod sit omnino certa, & indubitabilis.

Imò talis certitudo debet sufficere; aliàs enim vix ulla sententia, nisi ab Ecclesia ef-

set definita, posset in praxi adhiberi, si ageretur de valore cujusdam sacramenti; nam vix est sententia, cui non sit opposita aliqua opinio, necdum damnata, adeoque vi decreti Innocentii XI. non censurabilis: quin neque esset practice licita sententia adversariorum; cum dentur auctores, qui alium dolorem necessarium esse adstruunt.

182. Sic teste Gormaz de poenit. n. 447. Ludolphus, & Raymondus, petunt dolorem, procedentem ex motivo omnium virtutum, quibus opponuntur peccata commissa. Canus, & Richardus, exigunt tot detestatio. nes, quot sunt peccata patrata. Cajetanus, & alii dicunt, hoc saltem necessitate præcepti ad confessionem requiri: quod videtur etiam sentire Sylvester verbo contritio n. 5. Henriquez, & Ruardus, apud Tannerum tom. 4. disp. 6. de poenit. q. 3. n. 27. requirunt necessitate mediæ, vel præcepti, dolorem sub ratione formali virtutis poenitentiae, & cujusdam justitiæ, adjunctæ, non sufficere dolorem ex universali motivo charitatis, citantque pro se alios. Ipse Tannerus loc. modo citat. requirit necessitate mediæ, & præcepti, ut dolor saltem imperativè procedat à speciali virtute poenitentiae: quam quidem sententiam bene refellit Arriaga tom. 3. de poenit. disp. 10. sec. 3. §. 6. sec. 3. n. 14. attamen hæc, & priores sententiæ, nondum sunt authentice proscriptæ, estentque tutiores, & agunt ut plurimum de valore sacramenti: ergo, nisi ad nostram solutionem recurratur, neque adversariorum contritio sufficit, nec licitè in praxi adhibetur.

Sed neque certitudinem privatam impediunt Pontificum supradictorum decreta; ista enim non addunt ullum robur sententiæ, sed, iis in suo statu relictis, tantum intendunt compescere litigia. Certè in decreto Alexandri VIII. post damnationem 31. propositionum, subiungitur: *Non intendit tamen Sanctitas Sua per hoc decretum alias propositiones, in majori numero ultra prædictas 31. jam exhibitas, & in hoc decreto non expressas, approbare*: & in Constitutione Clementis XI. Unigenitus. additur: *Ceterum per expressam præfatam propositionum prohibitionem, alia in eodem libro contenta, nullatenus approbare intendimus*. Simile quiddam subintelligitur in decretis Alexandri VII. & Innocentii XI.

183. Dices cum Illustrissimo le Drou. Opposita sententia non est improbabilis: ergo nostra non est certa. conf. est clara; quia sententia probabilis potest adhuc prudens dubium movere. ant. prob. dicere sententia dubium movere esse idem, ac eam improbabilem videri esse idem, ac eam inferre censuram, quam non licet inferre sententiæ oppositæ: ergo. Resp. Dominicus Viva trutin. Theol. p. 3. propof. 15. n. 33. neva trutin. Theol. p. 3. propof. 15. n. 33. neva trutin. Theol. p. 3. propof. 15. n. 33. neva trutin. Theol. p. 3. propof. 15. n. 33. Cardenas in crisi in prop. ab Innoc. XI. damnat. dissert. 2. n. 61. ubi etiam de nostra sententia ait, quod sit omnino certa, & indubitabilis.

Et sanè, ut rectè Viva loc. cit. ait, falsitas, & improbabilitas, non referuntur inter censuras Theologicas.

Quidquid tamen de hoc sit, si sententia opposita non est omnino improbabilis, sit tenuiter probabilis: & sic tamen non movebitur prudens dubium, nec excludet certitudinem sufficientem oppositæ sententiæ. Dicere autem, sententiam esse tenuiter tantum probabilem, non est ei inferre censuram, ut patet vel ex eo, quod aliàs omnis sententia, quæ nondum est proscripta ab Ecclesia, esset verè Theologicè probabilis: adeoque juxta eos, qui defendunt, posse aliquem licitè sequi sententiam minus tutam, & minus probabilem, esset quævis talis sententia licita in praxi; quia nulla posset dici tantum tenuiter probabilis: hoc autem nemo dicit. Sed neque hoc est inferre convictum, aut notam injuriosam sententiæ, si post allatas contra ipsam gravissimas rationes, & probationes, (quales sanè adduxisse videbimur cuilibet eas rite expendenti) dicamus, ipsam esse tantum tenuiter probabilem.

184. Dices fortè. Etiam non licet practice adhibere sententiam, versantem circa valorem sacramenti, quando opposita tutior adhuc est saltem tenuiter probabilis. Resp. dist. illat. si est tam tenuiter probabilis, ac ista adversariorum, cum quibus hic agimus. neg. secus. om. illat. quia non est opus, in plures novas quaestiones se intromittere. Addendum hic ex doctissimis theologis P. Josephi Mayr de contritione. q. 9. n. 56. & 58. quod P. Martinus Esparza, unus ex nostris Theologis Romanis, qui iussu Innocentii XI. unà cum aliis consultoribus, examini 65. propositionum interfuit, in epistola quadam, Româ in Belgium 6. Aprilis an. 1680. data, testetur, primam propositionem de licito usu opinionis probabilis, quando agitur de valore sacramenti, tantum fuisse reprobata, propter suam illimitatam amplitudinem, & universalitatem, cum indistinctione speculativè tantum probabilis, à probabili etiam practice, & rursus à probabili utrunque, à moraliter certa, aut etiam plusquam moraliter certa. In eadem epistola testatur idem, quod apud censores prædictarum propositionum actum fuerit in terminis propriis de sufficientia attritionis, atque ex consensu omnium, qui aderant, sententia communis manserit incolumis.

185. Ob. 16. contra 3. conclusionem. Non est sufficienter certum, quod sufficiat attritio cognita quâ talis: ergo saltem cum hac non licet accedere ad confessionem. Confir. Juxta nos adultus posset venire in cælum, quin eliciisset unquam actum amoris Dei, imò, etiam si scierit eum omisisset: hoc est falsum: ergo. Resp. Rectè observat Cardenas in crisi in propof. damnat. dissert. 2. c. 6. a. 2. q. 1. n. 68. hanc quaestionem non versari circa valorem sacramenti; nam juxta istos adversarios contritio non requiritur necessitate sacramenti, sed tantum necessitate præcepti; si enim requirere-

tur necessitate sacramenti contritio, existimatio illa non redderet validum sacramentum, ut probatum est n. 140. ergo non potest amplius argui contra nos ex propositione 1. damnata ab Innocentio XI. in forma dist. ant. non est sufficienter certum, quod sufficiat attritio cognita quâ talis ad præstandum, quod est necessarium necessitate sacramenti. neg. ant. ad præstandum, quod est necessarium necessitate præcepti. om. ant. & neg. conf. modò enim hoc sit probabilis, licitè ea adhibetur.

Dixi, om. ant. nam neutiquam concedo, quod non sit sufficienter certum, non requiri necessitate præcepti illam existimationem, vel illum conatum eliciendi contritionem. Ad confir. Resp. dist. ma. posset adultus venire in cælum, quin eliciisset unquam actum amoris Dei, si præceptum eliciendi talem amorem invincibiliter ignorasset. conc. ma. secus. neg. ma. & sic dist. mi. neg. conf. Si quis sciat illud præceptum urgere (uti urget in articulo mortis) non potest elicere efficacem attritionem, quin simul eliciat contritionem, seu actum amoris Dei. Cum autem, saltem in hac providentia, id præceptum ab adulto per omnem vitam, aut diu, ignorari invincibiliter nequeat, etiam non potest ab adulto actus amoris Dei inculpabiliter semper omitteri, adeoque neque ipse sine isto in cælum venire.

QUÆSTIO III.

De Altero Actu Poenitentiae, seu Contritione Perfecta.

ARTICULUS I.

An Contritio Perfecta debeat esse Actus Amoris Dei super omnia.

186. Dico. Actus contritionis perfectæ debet esse actus charitatis, seu includere formalem amorem Dei super omnia. ita S. Thomas, quem variis locis citat Dicastillo: sed fors non adeò efficaciter. Præplacent mihi isti textus. Primò 3. p. q. 86. a. 3. in corp. S. Doctor ait: *Si enim displiceret ei illud peccatum; quia est contra Deum super omnia dilectum, quod requiritur ad rationem veræ poenitentiae, sequeretur &c.* cum enim hoc non requiratur ad rationem veræ poenitentiae sacramentalis, ut probatum est, debet requiri saltem ad rationem veræ poenitentiae extrasacramentaliter justificantis. Secundò in supplemento q. 3. a. 1. in corp. ait: *Amor charitatis, in quo fundatur dolor contritionis, est maximus.* Tertio in 4. dist. 6. q. 1. a. 3. quaestione. 1. ad 5. ait: *Ad hoc, quod homo præparet se ad gratiam, in baptismo percipiendam, præexigitur fides, sed non charitas; quin sufficit.*

facit attritio procedens, etsi non sit contritio: ubi clarè supponit, ad contritionem requiri charitatem.

187. Loquitur autem ibi S. Doctor de charitate actuali; nam facit comparationem inter fidem actualem, & charitatem, an sint, vel non sint requisitæ ad baptismum; quod enim per fidem eâ *questiunculâ* semper S. Doctor intelligat fidem actualem, patet legenti contextum; nam ait, fidem debere dirigere intentionem recipientis baptismum: eam requiri ante baptismum: debere per eam credere baptizandum, ne reputetur fictus: quæ non conveniunt habitui: adeoque S. Thomas loquitur etiam de charitate actuali; malè enim opponeretur habitus charitatis actu fidei, neque esset, etiam tantum apparenter, bona objectio: *Ante baptismum non requiritur habitus charitatis, ergo neque actus fidei.*

Sanè hæc objectio potuisset statim rejici, dicendo, etsi ante baptismum non requirantur habitus; quia primum in baptismo infunduntur, requiri tamen actus. At Angelicus non ita respondet, sed ait, non requiri ante baptismum charitatem propterea, quod ista faciat intentionem recipienti baptismum meritoriam, qualis intentio tamen non requiritur ante baptismum: vis autem meritoria tribuitur intentioni, non tantum ab habitu, sed etiam ab actu charitatis; quia non tantum habitu charitatis est conjuncta gratia, sed etiam polito actu charitatis statim infunditur eadem gratia, à qua vis meritoria derivatur. S. Doctorem sequuntur Theologi communiter, quos vide citatis ab Arriaga tom. 8. disp. 6. sec. 3. n. 18. ubi hanc sententiam ait esse communem: quod etiam asserit Gormaz de pœnit. n. 247.

188. Probatur autem conclusio 1. auctoritate Tridentini *sess. 14. c. 4.* ubi ait *Docet præterea, etsi contritionem hanc aliquando charitate perfectam esse contingat, hominèque Deo reconciliare, priusquam hoc sacramentum actu suscipiatur &c.* ergo contritio perfecta (cui scilicet Tridentinum attribuit vim justificandi extra sacramentum) debet esse perfecta charitate: sed hoc aliud non est, quam eam esse elicitam ex motivo charitatis: ergo. prob. subsumptum. si contritio posset esse perfecta charitate, quin esset elicitæ ex motivo charitatis, deberet ea dici charitate perfecta eatenus, quatenus perficeretur, vel quasi informaretur charitate habituali: hoc dici non potest: ergo.

Prob. mi. Primbò contritio ut perfecta est dispositio ad justificationem, adeoque etiam ad infusionem charitatis habitualis, quæ ex Tridentino *sess. 6. c. 7.* in ipsa justificatione, cum fide, & spe, infunditur: ergo habitus charitatis deberet esse prior ad infusionem sui ipsius; quia omnis dispositio est prior ad suum effectum: hoc autem implicat: ergo. Secundò etiam attritio ex metu gehennæ, vel ex quocunque motivo, si eliciatur à julto, eodem modo informatur

ab habituali charitate: ergo in eo casu attritio esset contritio, quod nemo asserit.

189. Tertibò juxta adversarios Concilium tantum definivisset, tunc contritionem justificare, si sit conjuncta cum habitu charitatis: non autem explicasset, quando id contingeret, vel qualis contritio esse deberet, ut post se traheret habitum charitatis: atqui hoc est contra intentionem Concilij, quod voluit docere, quisnam actus, tam intra, quam extra sacramentum, justificet: & qua ratione sit elicendum: ergo. Quartò, cum Concilium explicaverit motivum attritionis, scilicet metum gehennæ, & pœnarum, utique etiam voluerit explicare motivum contritionis, scilicet amorem Dei, sive motivum charitatis: ergo. Certè sic Concilium communissimè doctores intellegunt.

Neque contrarius est Suarez tom. 4. in 3. p. disp. 4. sec. 2. à. n. 6. ibi enim tantum quaestionem instruit, & asserit, quid dici possit: nihil autem ex sua mente decidit: inferius autem n. 14. requirit actum à charitate elicatum, qui, quamvis juxta ipsum non sit formalis, tamen est virtualis amor Dei, & non qualiscunque, sed talis, qui, ut ait, est *desectatio peccati, quatenus est contra bonum Dei, ejusque dissolvit amicitiam*: quin paulò post de hoc actu ait: *illa dissipientia verè dici potest esse propter Deum summè dilectum; quia est elicitæ ex charitate ejus*: & inferius addit, eam detestationem differre ab alia, quæ non est simpliciter super omnia; quia non est ex supremo motivo, sicut hæc detestatio. Docet quidem ibidem, quod contineat virtutalem amorem: sed alij dicunt, talem actum esse actum formalem amoris Dei, de quo plura à n. 197.

190. Probatur conclusio 2. Dolor ex motivo spei Theologicæ non sufficit extra sacramentum, vel, quod idem esse censetur, extra martyrium: ergo neque sufficit dolor ex motivo aliarum virtutum infra charitatem. ant. communissimè admittitur, & si negetur, difficulter dabitur ratio, præciendò ad auctoritatem, quare dolor ex metu gehennæ non justificet: quod tamen Tridentinum *sess. 14. c. 4.* aperte negat. prob. conf. actus spei Theologicæ est perfectior omni alio actu virtutum moralium, ex quarum motivis contritionem adversarii elici posse volunt: imò actus spei est perfectior, quam omnis actus voluntatis, qui non sit actus charitatis: ergo, si iste non est sufficiens ad contritionem perfectam, neque erit sufficiens ullus alius actus, qui non sit actus charitatis. Confir. 1. Congruum fuit, ut, cum peccatum sit maximum malum, ad id extra sacramentum destruendum Deus petierit actum in specie præstantissimum: sed hic est actus charitatis: ergo.

191. Confir. 2. S. Scripturæ (ad data præsertim SS. Patrum, aut doctorum expositione) variis locis indicant, amorem Dei necessarium esse ad justificationem extra sacramentum. Sic *Deuteron. 4. v. 29.* dicitur:

tor: Cùmque quaeseris ibi Dominum Deum tuum, invenies eum, si tamen toto corde quaeseris, & tota tribulatione anime tuæ. & Jerem. 29. v. 13. Quæretis me, & invenietis, cùm quaeseritis me in toto corde vestro (ubi propheta loquitur de Judæis, à Deo ob peccata factis extorribus, & recludendis) atqui is non quaerit toto corde, qui non quaerit eo affectu, vi cujus dicitur, cor totum impendi, qui est amor: ergo.

Rursus Christus *Luc. 7. v. 47.* ait de S. Magdalena: *Remittuntur ei peccata multa; quoniam dilexit multum: cui autem minus dimittitur, minus diligit*: ergo, qui omnino non diligit, ei extra sacramentum nihil dimittitur. Dico extra sacramentum; nam hic textus intelligendus est de pœnitentia extra sacramentum; quia sacramentum pœnitentiæ Christus Dominus tunc necdum instituerat. Huc etiam communiter affertur illud 1. *Joan. 3. v. 14. Qui non diligit, manet in morte*: de quo textu tamen vide dicta n. 161. Dicta SS. Patrum vide apud Eximium tom. 4. in 3. p. disp. 4. sec. 2. n. 2.

ARTICULUS II.

Solvuntur Objectiones.

192. **O**B. 1. Scripturæ sæpè promittunt justificationem pœnitentibus, nec faciunt mentionem charitatis: ergo non est necessarius actus charitatis. ant. prob. *Ezechielis 33. v. 12.* dicitur: *Impietas impij non nocet ei, in quacunque die conversus fuerit ab impietate sua.* & *psal. 31. v. 5.* *Dixi: Confitebor adversum me injustitiam meam Domino: & tu remisisti impietatem peccati mei.* item 2. *Regum 12. v. 13.* *Dixit David ad Nathan: Peccavi Domino. Dixitque Nathan ad David: Dominus quoque transulit peccatum tuum*: ergo. Resp. neg. Confir. Istit textibus tantum explicatur efficacia actuum perfectæ pœnitentiæ, non autem explicatur natura; alias quivis actus attritionis, etiam ex metu gehennæ, statim justificaret extra sacramentum, quod repugnat Tridentino, citato n. 88. quare in his textibus supponitur, agi pœnitentiam ex motivo debito, scilicet ex motivo charitatis.

193. Ob. 2. Tridentinum *sess. 14. c. 4.* definit contritionem sine mentione amoris: ergo non debet istum involvere. Confir. Concilium ait: *Etsi contritionem hanc aliquando charitate perfectam esse contingat*: ergo voluit, id contritioni esse per accidens: ergo loquitur de charitate habituali. prob. ult. conf. contritioni elicitæ ex motivo charitatis non potest esse per accidens, ut sit charitate perfecta, seu, ut sit actus charitatis: at verò per accidens esse contritionis, non elicitæ ex amore Dei, ut jungatur, seu suo modo informetur, aut perficiatur habitu charitatis: ergo.

Resp. dist. ant. Tridentinum definit

contritionem, genericè acceptam, sine mentione amoris. conc. ant. definit contritionem specificè acceptam, seu perfectam. neg. ant. & conf. Ad confirm. dist. 1. conf. Concilium vult, id esse contritionis per accidens metaphysicè conc. conf. per accidens physicè. neg. 1. & 2. etiam conf. ad prob. neg. conf. Nempe contingit contritioni esse charitate perfectam, sicut animali contingit esse rationale: quod fufius solent explicare logici. Scilicet, ut rationale est accidens metaphysicum respectu animalis, ita charitas est accidens metaphysicum respectu contritionis.

194. Ob. 3. Concilium ait, attritionem concipi ex metu gehennæ, vel ex turpitudine peccati: ergo alij actus, qui concipiuntur ex motivo, e.g. gratitudinis, vel justitiæ, non sunt attritio: ergo sunt contritio perfecta. Confir. 1. Potest dari attritio, non concepta ex metu gehennæ: ergo etiam potest dari contritio, non concepta ex amore Dei super omnia. Confir. 2. Tridentinum requirit etiam ad pœnitentiam perfectam alios actus, qui tamen, saltem non omnes, debent esse formaliter; sed tantum virtualiter tales, e.g. non debet actus spei esse formaliter talis: ergo etiam actus charitatis non debet esse formaliter, sed tantum virtualiter talis.

Resp. dist. ant. Concilium ait, attritionem tantum concipi ex iis motivis. neg. ant. ait, communiter concipi. conc. ant. & neg. conf. Concilium signatè dicit, attritionem communiter ex iis motivis concipi: ex quo inferitur, eandem posse concipi etiam ex aliis motivis. Alii respondent, omnia alia motiva, extra metum gehennæ, posse reduci ad turpitudinem peccati; eoque omnis oppositio cujuscunque peccati cum quacunque virtute, sit aliqua turpitudine: sed verosimiliter Tridentinum hanc subtilitatem non intendit, & hac ratione etiam oppositio peccati cum charitate posset reduci ad turpitudinem peccati: quod non esset ex mente Tridentini.

195. Ad 1. confirm. neg. conf. non enim Concilium etiam dicit, contritionem communiter esse charitate perfectam, sed indefinitè ait, eam, quæ charitate perfecta est, justificare extra sacramentum. Et, quamvis non expresse dicat, nullum alium dolorem justificare absque sacramento, tamen sufficienter hoc dicit eo ipso, quod nulli alteri hanc vim tribuat. Sed nec ulla alia ratio probat, eam vim alteri actui esse attributam à Deo, à cujus voluntate profus pendet justificatio, vel remissio peccati.

Ad 2. confirm. om. ant. neg. conf. nam, si antecedens est verum, sunt speciales rationes, ita exponendi doctrinam Tridentini, circa illos actus, quæ non probant, idem faciendum esse circa actum charitatis. Dein, si contritio deberet esse saltem virtualiter actus charitatis, deberet esse actus aliquis, qui non tantum quomodocunque æquivaleret actui formali charitatis (nam etiam actus elicitus ex metu gehennæ quo-

ad aliqua ei æquivaler; quia etiam detestatur peccatum, illudque efficaciter excludit: sed deberet esse actus, qui æquivaleret actui charitatis quoad modum, seu motivum detestandi peccatum, & se convertendi ad Deum: quoad hoc autem nullus alius actus potest æquivalere actui charitatis; cum hic sit in specie perfectissimus. Aliud est de aliis actibus, qui tantum requiruntur ut aliquæ dispositiones remotæ; nam possunt iis, quoad disponendum, & excitandum animum, item ad utendum sacramento, & imperandum dolorem, æquivalere alii actus.

196. Ob. 4. Aliqui Patres, & quidam etiam Theologi antiquiores, dicunt, contritionem esse dolorem de offensa Dei: sed hic dolor potest elici etiam ab aliis virtutibus, e. g. gratitudine, justitia, religione &c. ergo. Confir. 1. Est valde arduum, elicere actum puri amoris Dei: ergo videtur Deus esse contentus dolore facilius eliciendo, qualis est e. g. ex motivo gratitudinis. Confirm. 2. juxta nos multæ formulæ contritionis, quæ hinc inde videntur impressæ, non essent legitimæ: hoc est durum: ergo. ma. prob. tales formulæ plures tantum continent motiva gratitudinis, & similia: ergo. Resp. dist. ma. alii Patres dicunt, contritionem esse dolorem de offensa Dei, ut mala est Deo, super omnia amato. conc. ma. de offensa Dei quomodocunque. neg. ma. & dist. sic min. neg. conf. sensum distinctionis *num. seq.* explicabo.

Ad 1. confirm. neg. ant. Licet sit magis difficilis hic actus, quam actus attritionis, tamen non est nimis difficilis; aliàs etiam esset nimis difficile præceptum charitatis: quod autem Deus non velit esse contentus actu facilissimo, patet ex eo, quod non sit contentus attritione ex metu gehennæ. Neque hoc probat aliquam in Deo duritiam: imò est ingens ejus benignitas, quod post tam graves offensas plus non exigit. In eo tamen adhuc apparet major benignitas in lege gratiæ, quam in lege scripta, quod nunc Deus contentus sit attritione, intra sacramentum poenitentiae, quod sacramentum in lege scripta non dabatur. Ad 2. confirm. neg. min. Nonnulli etiam imprimunt, & docent, baptismum flammis stare, in quocunque desiderio, quo quis cuperet baptizari, si nondum esset baptizatus, quod est omnino falsum; unde rectè dixit quidam, multos esse bonos viros, sed non semper esse bonos Theologos. Sanè sæpius eduntur tales orationes, quas titulus affirmat, esse actus contritionis perfectæ, cum revera non sint: & utique non bene proponuntur formulæ dubiæ in retam gravi.

197. Ob. 5. Dolor de peccato; eoquod Deum infinite bonum offenderim, est perfecta contritio: sed hic non involvit formalem amorem Dei: ergo. Confir. Possum elicere ex motivo bonitatis Divinæ actum, qui tantum sit odium, & non sit amor: sed hic erit perfecta contritio sine formali amore Dei: ergo. prob. ma. possum per aliquem actum amare medicinam propter sa-

nitatem, quin formaliter amem sanitatem: ergo etiam possum odio habere peccatum propter Deum, quin amem Deum. Resp. 1. dist. ma. dolor ille est perfecta contritio, si moveat à bonitate Dei amata, ad detestandum peccatum. conc. ma. secus. neg. ma. & sic dist. min. neg. conf.

Quando me movet infinita bonitas Dei, ad aliquid amandum, ordinariè saltem movet per convenientiam, adeoque etiam ipsa amatur. Quando autem movet ad aliquid detestandum, movet per contrarietatem, & movet ipsa ut amabilis, adeoque movet communiter etiam ad sui amorem; quia movet ad detestandum illud malum ut malum Deo. (vide de istis modis movendi tractatum de virt. Theol. n. 14.) Si autem bonitas Dei non ita moveret, sed tantum præcisivè se haberet, ita, ut ipsa non respiceretur formaliter ut amabilis, & amata, sed tantum ut digna, e. g. cultu, vel sub quacunque alia ratione (de qua re hic non disputo) non foret contritio perfecta; ut enim talis sit, debet offensa Dei apprehendi ut mala Deo, seu quandam ei quasi amaritudinem afferens, quæ amaritudo nobis displiceat ut mala Deo. Hæc ex responsione secunda, *num. seq.* danda, magis declarabuntur. itaque

198. Ad confirm. Resp. 1. om. ma. neg. min. nam sufficienter probavimus, ad perfectam contritionem non sufficere actum illum, qui non sit formaliter amor Dei; cum Tridentinum tantum de actu, qui sit amor Dei, & de nullo alio dicat, eum sufficere ad justificationem. Quando enim Concilia, Scripturæ, aut Patres, requirunt aliquem certum actum, vel ei soli aliquam vim tribuunt, non debet dici, sufficere alium actum, nisi id efficaciter probetur; aliàs posset etiam dici, ad sacramentum non requiri formalem dolorem, sed tantum virtuale; cum tamen nullus sit auctor, qui dicat, etiam actum puri amoris Dei, qui vel maxime est virtualis dolor, sufficere ad sacramentum.

Respondent 2. Gormaz de poenitent. n. 263. Gobat Theol. experiment. tract. 6. seu alphabet. confitent. casu 4. n. 105. & alii. neg. ma. quia eo ipso, quod aliquis moveatur ex motivo bonitatis Divinæ, ad detestandum peccatum, movetur ad detestandum offensam ut malam Deo: hoc autem est formaliter amare Deum; sicut enim velle alteri malum; quia ipsi malum, est formaliter illum odisse, ita velle alicui bonum; quia ipsi bonum, est formaliter eum amare. ad prob. neg. conf. sanitas enim non est obiectum, cui ametur medicina; quia ipsi bona: sicut tamen Deus est obiectum cui, seu in cuius gratiam, odio habetur peccatum; quia ipsi malum: & cui amatur infinita ejus bonitas; quia ipsi bona: & cui amatur etiam dolor; quia ipsi suo modo bonus.

Et sanè hoc censendum est contingere, saltem tunc, quando bonitas Dei proponitur ut amabilis, sive movens ad detestandum peccatum idè; quia est malum Deo: quod, ut rectè dictum, formaliter est Deum

amare. Quod autem id contingere debeat in omni prorsus actu, elicito ex motivo bonitatis Divinæ, non dixerò; nam non videtur negandum, quod Deus, ut eas optimum, possit voluntati proponi, ita tamen, ut illum raptum respiciat ut dignum cultu, vel estimatione maxima. In praxi semper mihi videtur esse docendum, dolorem contritionis esse, quando doleo de peccato; quia est contra Deum tanquam summum bonum, quem super omnia amo.

199. Ob. 6. Quamvis Tridentinum requirat contritionem perfectam ad justificationem, tamen sufficit etiam purus amor Dei absque dolore: ergo possunt etiam sufficere alij actus aliarum virtutum. Resp. neg. conf. Inprimis Tridentinum agit de actibus, potentibus constituere sacramentum poenitentiae, quod non potest constituere purus amor Dei: ergo non debuit de isto loqui. Dein vis delendi peccatum in actu puri amoris, ex multis rationibus habetur, ut ostendatur à nobis infra: non ita ostendi potest sufficientia aliorum actuum.

Quæri tamen solet, an peccator possit, elicere actum puri amoris Dei sine ullo dolore: & responderetur communius, eum id posse, si invincibiliter putet, sua peccata jam esse deleta: vel horum invincibiliter immemor sit: at, si recordetur, se adhuc esse peccatorem habitualement, id non posse: quod videtur probari experientia, quam habemus de eo, quod semper doleamus de malo amici intimi, si illud adhuc existat, & nos illius recordemur. vide Gormaz de poenit. n. 269.

200. Ob. 7. Ut quis redeat in amicitiam cum Deo, non est opus charitate: ergo contritio perfecta non debet esse actus charitatis. prob. ant. potest in humanis Petrus esse amicissimus Paulo, quamvis Paulum non omnibus præferat, nec paratus sit alia omnia prius perdere, quam Paulum, vel ejus amicitiam: ergo etiam potest quis esse amicus Dei, quin Deum per actum charitatis omnibus aliis præferat. Resp. neg. ant. ad prob. neg. conf. Alia est amicitia eum hominibus, alia cum Deo: illa non est digna tanta prælatione: est autem dignissima amicitia Divina: imò, cum amicus inter homines possit iniqua petere, vel iniquè alios offendere, non debemus ei in omnibus consentire; hinc illud proverbium: *Amicus usque ad aras*: aliter longè se habet Deus amicus.

201. Ob. 8. Dolor ex religione, justitia, gratitudine &c. involvit etiam amorem Dei: ergo frustra litigamus. prob. ant. qui vult, e. g. colere Deum, ex motivo religionis, vult cultum Dei: ergo amat Deum: & par est ratio de aliis. Resp. neg. ant. ad prob. dist. ant. vult cultum Dei, ut bonum Deo. neg. ant. vult eum ut bonum sibi operanti. conc. ant. & neg. conf. Religio, gratitudo, & omnes virtutes morales, pro obiecto formali quod tantum respiciunt honestatem creatam: prædicata autem Divina, quamvis sint respectu aliquarum virtutum mora-

lium obiecta formalia quo, non tamen ideo amantur (ut dictum n. 61.) sed ab eorum amore prædicantur, & respiciuntur ut creditor, sicut dictum *ibidem*. Siquis autem vellet cultum Dei ut bonum Deo, adeoque ex amore ejusdem Dei, talis non eliceret actum tantum religionis, sed charitatis: nec dubium est, posse me Deum colere ex motivo charitatis.

202. Ob. 9. Per religionem ita amamus cultum Dei, ut, si ad ejus cultum esset necessaria nostra annihilatio, eam vellemus: sed hoc est utique amare Deum super nos, & super omnia: ergo. Resp. dist. ma. per religionem ita amamus cultum Dei ut bonum nobis. om. ma. ut bonum Deo. neg. ma. & dist. sic min. neg. conf. Dixi om. ma. quia, cum religio amet cultum Dei, non ut bonum Deo, sed ut bonum operanti, adeoque per modum accidentis, se, id est, operantem perficientis, non videtur, quomodo operans possit eligere annihilationem sui, ut deur cultus Dei; esset enim dicere: *Volo esse annihilatus, ut habeam actum religionis mihi bonum*: nisi fors dicatur, quod quis per religionem tantum velit suam annihilationem, tanquam aliquid conducens ad cultum Dei externum, sibi autem tanquam bonum negativè, ut scilicet hac ratione evitaret culpam, & consequenter gehennam, vel potius turpissimam maculam irreverentiae erga Deum.

Hic tamen actus religionis, saltem absolutus, in hac providentia per se non est possibilis; quia Deus eam annihilationem, nec exigit, nec vult: & si quis absolute eam vellet, imprudenter vellet, consequenter non eliceret actum virtutis. Dixi *actus absolutus*; nam actus hic conditionatus: *Vellem potius esse annihilatus, quam Deum offendere*: non est impossibilis. Ut autem sit actus religionis, debet velle annihilationem, ut bonam sibi, saltem negativè, quatenus conducit, ad evitandum majus malum. Ne autem sit actus iste potius ex timore gehennæ, quam ex virtute religionis elicitus, debet elicenti illam velle ut bonam sibi negativè, idè, ut non sit affectus illa turpissima macula, quæ stat in irreverentia erga Deum.

Quod si quis autem vellet annihilationem, non ut bonam sibi, sed ut bonam Deo, eliceret actum charitatis, de quo, an in hac providentia sit possibilis, disputant auctores. Et quidam negant ex eo, quod, cum actus amoris sit actus amicitiae, non possit exigere separationem ab amico, quæ fieret per annihilationem: sed potius debeat exigere unionem. At, qui oppositum sentiunt, respondent, quod actus amoris sit actus amicitiae exercitæ talis, qui exercitæ fungat a mantem amico: non tamen habeat pro obiecto formali prosecutionis ipsam unionem cum amico, ut sibi bonam; aliàs esset amor concupiscentiæ: neque necessariò ut bonam amico; cum, si amicus oppositum vellet, vel ei malum ex unionem ea nasceretur, non appareret ut bona amico: adeoque ajunt, quod

quòd amor saltem possit ab ea unione abstrahere, ac præcisè quærendo bonum amici paratus esse, ad carendum unione cum amico, si hoc illi bonum sit, adeoque sub hac conditione velle annihilari: quamvis hæc annihilatio utique futura non sit, imò in hac providentia esse non possit, consequenter neque hoc desiderium in hac providentia, per se, & secluso errore, absolutum esse possit. Et hæc sententia videtur aliquorum Sanctorum ferventissimos amoris affectus magis propriè explicare; quamvis etiam opposita utique probabilis sit.

ARTICULUS III.

An Contritio Perfecta habeat semper annexam Justificationem.

203. Diximus art. preced. nullum alium dolorem, quam eum, qui est elicitus ex amore Dei super omnia, justificare extra sacramentum: inquirendum modò est, an saltem hic dolor, seu contritio perfecta, vim hanc, & efficaciam extra sacramentum justificandi habeat. Controversiæ hujus, si non præcipuus, saltem inter præcipuos, auctor est Franciscus Sylvius Duacensis, quem Arriaga tom. 8. de penit. disp. 12. sec. 2. n. 13. dicit fuisse Bajj discipulum.

Hic Sylvius teste eodem Arriaga cit. sec. n. 10. docuit in comment. in questionem 5. supplem. S. Thomæ hæc quatuor. 1. contritionem ex amore Dei super omnia non semper, aut ordinariè, sed rarò, ante susceptionem sacramenti, habere annexam remissionem peccatorum. 2. contritionem tamen disponere certò ad justificationem futuram; quia, licet contritus non statim justificetur, justificabitur tamen ante mortem, intuitu illius contritionis præcedentis; si tamen de novo non peccet, adeoque obicem non ponat. 3. contritionem aliquando etiam articulum mortis justificare ante sacramentum, si quis non possit, nisi difficillimè, adire confessarium, e. g. si habitat inter infideles, vel carcere clausus sit. 4. extra hos casus necessitatis mortis, & recepti sacramenti, justificare contritionem, si sit vehemens, & conjuncta intensissimæ dilectioni Dei: hoc tamen non fieri ex infallibili lege Dei, nec in omnibus, sed in quibusdam tantum, juxta beneplacitum Dei. Testatur tamen Gonetius tom. 5. tract. 5. de penit. disp. 3. a. 3. n. 27. Sylvium, etsi in Duacensi impressione anno 1618. hanc sententiam tradiderit, eam tamen correxisse in editione tertia, ac professum esse, se dicta sua, non de contritione perfecta, sed de imperfecta, seu attritione intellexisse.

204. Citantur pro hac sententia à Gormaz de penit. n. 315. plures Lovanienses, & etiam Joannes Neercassel Episcopus Castoriensis, cujus liber *Amor penitens* ab Alexandro VIII. prohibitus est, ut testatur i-

dem Gormaz de penit. n. 345. Receptis autem Illustrissimus Lambertus Le Drou in suo opere, de contritione, præsertim dissert. 4. per totam, admittit quidem, contritionem perfectam justificare, & attritionem etiam sufficientem esse ad sacramentum: sed asserit, non omnem dolorem, ex amore Dei super omnia elicitum, esse contritionem perfectam; sed tantum eum, qui est valde intensus: item docet, dolorem ex amore Dei, etiam super omnia, sed non valde intensum, esse tantum attritionem: & hos duos actus, scilicet attritionem, & contritionem, tantum differre ratione intensio- nis, quòd præsertim docet citata dissert. 4.

205. Dico. Contritio charitate perfecta habet infallibiliter annexam justificationem peccatoris extra sacramentum. ita auctores communissimè, usque ferme ad paucos Gallos, aut Belgas. Conclusio, quæ tota dependet à voluntate Dei, volentis, vel non volentis, alicui certo actui attribere vim delendi peccata, probari non potest, nisi, vel revelatione, vel auctoritate; hinc probari solet pluribus S. Scripturæ effatis, in quibus videtur attribui actui charitatis vis justificativa: e. g. 1. Joan. 4. v. 7. Omnis, qui diligit, ex Deo natus est. 1. Petri. 4. v. 8. Charitas operit multitudinem peccatorum: plures adducit Bellarminus tom. 3. controver. 4. de penit. l. 2. c. 13.

Citantur etiam textus SS. Patrum, quos plures fusè refert Lugo de penit. disp. 5. sec. 8. n. 109. & Bellarminus loco modò cit. & in his S. Augustinum, qui tract. 5. in epist. 1. Joannis post medium ait: Dilectio ergo sola discernit inter filios Dei, & filios diaboli. & infra eod. tract. Redeat unusquisque ad cor suum: si ibi invenerit charitatem... securus sit; quia transit à morte ad vitam: jam in dextera est. Citatur etiam S. Ambrosius in apologia prima Davidis c. 7. ita scribens: Ergo remissionem meruit iniquitatis, & textit charitate. Sed hi textus omnes, ut manifestum est legendi contextum, agunt de charitate proximi: imò S. Augustinus expressè ait: Si ibi invenerit charitatem fraternam.

Replicari quidem iterum potest à nostris auctoribus, non agi ibi de quacunque charitate proximi, sed de amore proximi propter Deum. Sed si etiam hoc detur, videretur tamen his textibus probari potius aliquid pro amore proximi, quam pro amore tantum Dei, & illud delere peccata, vel tegere. Imò S. Ambrosius loc. cit. statim addit: Operuit peccata sua, & textit operibus bonis. Quia tamen gravissimi auctores, allatis istis textibus, nostram sententiam probant, non eos impugno. Ex textibus tamen Scripturæ præ aliis videtur aliquid probare ille Proverb. 8. v. 17. Ego diligentes me diligo.

206. Probatum conclusio efficacius ex Tridentino sess. 14. c. 4. ubi docet, quòd contritionem hanc aliquando charitate perfectam esse contingat, hominèque Deo con-

vincillare, priusquam hoc sacramentum actu suscipiatur: sed contritio, charitate perfecta, est contritio elicitæ ex motivo charitatis, ut probatum est n. 188. ergo hæc hominè Deo reconciliat, seu justificat. Neminem Deo reconciliat, quòd contingat, contritionem hominem justificare, adeoque hoc non semper fieri; nam Concilium illud contingat tantum dicit de contritione genericè tali: cui, sicut contingens est, quòd sit charitate perfecta, ita etiam, quòd justificet: non autem hoc est contingens contritioni perfectæ in specie; neque enim dicit Concilium, esse contingentem justificationem, supposito, quòd detur contritio charitate perfecta. Sic rectè dicitur: Contingens est animalis esse rationale: quin hoc sit contingens homini.

207. Confirm. Idem Tridentinum sess. 13. c. 7. docet, permissum esse sacerdoti, conficere peccati mortalis, nondum in confessione expositi, urgente necessitate, consecrare Eucharistiam, modò prius eliciat contritionem: item Ecclesia etiam permittit, administrare, ac recipere alia sacramenta vivorum, post elicitam solum contritionem: ergo, per istam peccata gravia remittuntur; neque enim, stante reatu culpæ gravis, permitteretur, consecratio SS. Eucharistia, vel administratio, aut receptio sacramentorum illorum. Confirm. 2. Pontifices sæpè concedunt indulgentias tantum contritis: atqui homines non essent capaces indulgentiarum, si cum contritione staret adhuc culpa gravis: ergo. Neque dici potest, justis duntaxat indulgentias concedi, si contritionem eliciant; non enim ullum est signum, quòd Pontifices voluerint excludere peccatores: & contritio tantum ideo requiritur, ut habeatur status gratiæ.

Confirm. 3. Catechismus Tridentini de sacram. penit. titulo. Fructus, & utilitates contritionis. sic habet: Ex quo licet cognoscere, vera contritionis, de qua supra dictum est, eam vim esse, ut illius beneficio omnium delictorum veniam statim à Domino impetremus: ergo. Confirm. 4. In antiquo testamento contritio statim justificavit, quando nondum extitit sacramentum penitentia: ergo idem etiam facit in legem nova: vel ostendant adversarii, Christum in lege Evangelica vim contritionis limitasse.

208. Probatum conclusio 2. ex definitionibus Summorum Pontificum. S. Pius V. & Gregorius XIII. inter 79. propositiones Bajanæ damnarunt sequentes, scilicet 31. Charitas perfecta, & sincera, quæ est ex corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta, tam in catechumenis, quam in penitentibus, potest esse sine remissione peccatorum. & 32. Charitas illa, quæ est plenitudo legis, non est semper conjuncta cum remissione peccatorum. & 70. Homo existens in peccato mortali, sive in reatu aeternæ damnationis, potest habere veram charitatem, & charitas, etiam perfecta, potest consistere cum reatu aeternæ damnationis. & 71. Per

contritionem, etiam cum charitate perfecta, & cum voto suscipiendi sacramentum conjunctam, non remittitur crimen extra casum necessitatis, aut martyrii, sine actuali susceptione sacramenti: ergo charitas, seu actus charitatis, in contritione inclusus, semper est conjunctus cum remissione peccatorum, ut facile patet consideranti.

209. Respondet Le Drou de contrit. dissert. 4. c. 1. §. Obijciunt primo. & alij, Concilium Tridentinum, atque Pontifices contra Bajum loqui, non de charitate actuali, sed de habituali, adeoque ex ijs nihil probari: sed, quòd attinet ad Concilium, id loqui de charitate actuali, sufficienter jam probatum est n. 188. Quòd autem attinet ad Pontifices, isti inprimis loquuntur de illa charitate, de qua Bajus: atqui hic loquebatur de charitate actuali: ergo. prob. mi. primò. Bajus in sua explicatione an. 1570. 17. Aprilis, quam citat Le Drou dissert. 4. c. 1. de charitate perfecta ait: Quæ est actus, vel habitus, quem operatur Spiritus inhabitans, & propitius. Habent quidem Catechumeni dilectionem, qua incipiunt, Deum amare, ut loquitur Concilium Tridentinum: habent bonam voluntatem, amorem, & inchoatam charitatem, licet non perfectam: ergo loquitur saltem etiam de charitate actuali, quæ præsertim dicitur amor, & dilectio: adeoque damnatio cadit etiam in eos, qui docent, charitatem actualem stare cum peccato.

Secundò. Propositiones istæ damnatæ sunt in rigore, & proprio verborum sensu, ab assertoribus intento, ut habetur expressè in Bulla S. Pij V. sed ista propositiones in rigore, & proprio sensu, loquuntur de charitate actuali: nam charitas, quæ est ex corde puro, & fide non ficta, est illa, quæ est procedens ex cognitione fidei; ex qua procedit actus, & non habitus. Tertio. Bajus loquebatur de charitate, in qua involvebatur votum sacramenti, hoc est, preparatio animi ad sacramentum suscipiendum, quæ utique est actus, quo quis ita Deum amat, ut paratus sit, omnem ejus voluntatem implere, atque adeò etiam confessionem peragere. Quarto. Charitas illa, quæ est plenitudo legis, seu per quam impleretur lex, non est habitus, sed actus; non enim habitus, sed actus præcipitur. Quintò. Bajus ibi alludit ad verba Apostoli ad Rom. 13. v. 10. Plenitudo ergo legis est dilectio: adeoque per charitatem intelligit dilectionem: atqui per dilectionem non intelligitur habitus.

Ait quidem Illustrissimus Le Drou, per plenitudinem legis intelligi finem legis, qui sit charitas habitualis: sed planè Apostolus ibi non intelligit finem tantum extrinsecum legis, qualis est habitus, sed intrinsecum, qualis est actus: & quidem intelligit actum dilectionis proximi propter Deum, ut patet inspicienti eam epistolam loc. cit. sicut etiam 1. ad Timoth. 1. v. 5. intelligitur finis intrinsecus, dum dicitur ab Apostolo Finis autem præcepti est charitas de corde puro,

puro, & conscientia bona, & fide non ficta: & certè de actu charitatis intelligit S. Paulum Angelicus 2. 2. q. 184. a. 3. in corp.

210. Respondent 2. Bajus locutum esse de charitate perfecta, hoc est, de valde intensa: sed hoc non est verum, ut patet ex ejus explicatione, citata n. 209. ubi in catechumenis admittit charitatem tantum inchoatam, quam in propositione 31. jam dixerat esse perfectam, licet dein in sua explicatione videatur, errorem illum correxisse. Dein, ut habet Francolinus de dolore ad sacram. necess. l. 2. c. 1. n. 7. Bajus testatus est, se nomine perfectæ charitatis tantum intellexisse extensivè perfectam, hoc est, amorem super omnia, non autem intensivè perfectam, seu amorem valde intensum.

Sed replicant. Saltem ideo Bajus damnatus fuit; quia ejus propositiones poterant etiam accipi de charitate intensa. At contra est. Propositiones ejus fuere damnatae; quia charitas perfecta simpliciter talis, seu quæ lex impletur, non potest stare cum peccato; neque enim, quando Pontifex damnat propositionem dicentem: *Charitas perfecta potest stare cum peccato*: tantum vult docere, quod charitas valde intensa non possit stare cum peccato; aliàs possent damnationes similes semper eludi, dicendo, Pontificem tantum damnare hanc, vel illam propositionem, si hæc, vel alia prædicata restringentia, subintelligantur, e. g. gaudium filij de morte parentis, ob pinguem hæreditatem esse tunc tantum illicitum, si sit valde intensum: quod nemo audebit dicere.

211. Dicunt, charitatem non esse perfectam, si non sit intensa: Idque probat Le Drou ex S. Thoma 2. 2. q. 184. a. 3. ad 2. ubi ait: *Est autem infimus Divina dilectionis gradus, ut nihil supra eum, aut contra eum, aut æqualiter ei diligatur*: atqui charitas in infimo gradu non est perfecta: ergo. Sed contra. Alia est perfecta charitatis accidentalis, alia essentialis. Infimus gradus charitatis jam est perfectus perfectione essentiali, de qua loquuntur Pontifices, quamvis non sit perfectus accidentali intentione: sic infimus homo est in essentiali ratione animalitatis, & rationalitatis perfectus, quamvis accidentales perfectiones innumeræ ei desint.

Hanc ipsam distinctionem innuit S. Doctor a. cit. in corp. ubi dicit: *Perfectio dicitur in aliquo consistere dupliciter: uno modo per se, & essentialiter: alio modo secundario, & accidentaliter*. Similiter, quando S. Augustinus de natur. & grat. c. 70. vel etiam alii, videntur dicere, quod charitas inchoata non sit perfecta, etiam intelligendi sunt de perfectione accidentali; nam charitatem inchoatam vocat S. Augustinus inchoatam etiam justitiam, hoc est, justificationem, quæ dein scilicet magis perficitur, seu augetur: vel aliquando fortè intelligendi sunt de charitate, non

formaliter tali, sed tantum participativè juxta dicta n. 150.

212. Respondent 3. Bajus nunquam admisit, charitatem justificare, saltem nunquam extra casum necessitatis: se autem id aliquando admittit, ut patet ex n. 203. Contra est. Bajus damnatus fuit, non ideo, quod afferuerit, charitatem nunquam justificare: sed idè; quia docuit, eam aliquando non justificare, seu, quia negavit, eam semper justificare, ut patet ex damnatione propositionis 31. citata n. 208. nam si vel semel aliquis per contritionem perfectam non justificaretur, iam staret charitas sine remissione peccati. Dein Bajus in propositione 32. iterum citata n. 208. tantum dicit, charitatem perfectam non semper esse conjunctam cum remissione peccatorum: ergo nequit probari, quod nunquam admisit charitatem justificare. Ulterius rationes, & auctoritates, à nobis adductæ, & quibus etiam fuere moti Pontifices, ad eas propositiones damnandas, probant, non tantum in aliquo particulari casu, sed universaliter, & semper, remitti peccata gravia per contritionem perfectam.

213. Respondent 4. cum Illustrissimo Le Drou dissert. 4. c. 1. sub finem, quod Bajus erraverit in hoc, quod dixerit, charitatem ex corde puro posse stare cum peccato; cum tamen cor purum sit idem, ac cor, in quo habitat Spiritus S. adeoque charitas ex corde puro præsupponat jam cor purum, seu Spiritum S. inhabitantem. Contra est 1. Si hoc intellexisset Bajus, manifestè sibi ipsi contradixisset, dicendo charitatem ex corde puro, hoc est, per Spiritum S. justificato procedentem, posse stare cum peccato, quod utique esse deberet in eodem corde, seu voluntate. 2. Hac ratione neque intensissima charitas, à peccatore elicita, esset de corde puro, seu justificativa, quod plures saltem adversarii non volunt, Bajus tenuisse. 3. Sic charitas justificativa, semper præsupponeret jam justificationem, & nunquam primò emergeret, quod utique isauctor non nunquam cogitavit. Quare ex corde puro tantum significat, ex corde sincero, & omnem affectum malum, hic & nunc, excludente, atque per ipsum actum charitatis à peccatis purificato: quod ultimum, seu quod per actum charitatis cor à peccatis purificetur, cum Bajus negaverit, ideo damnatus est.

214. Respondent 5. in peccato dari duo, scilicet aversionem à Deo, & reatum poenæ æternæ: illam tolli per contritionem, non verò istum; hinc contritionem afferre quandam vitam imperfectam: plenam autem vivificationem haberi per absolutionem. Sed contra est. Culpa gravis, seu macula habitualis, & poena æterna, simul tolluntur, ut docet Tridentinum sess. 6. c. 14. dicens de poena æterna: *Qua, vel sacramento, vel sacramenti voto, una cum culpa remittitur*. Si autem venient adversarii, tantum tolli aversionem alicuius, non verò maculam habitualement, aut culpam, non plus

tribuerent hac in re contritioni, quam cuiuslibet alicui infimæ attritionis, etiam naturalis, imò somno, quo actualis averfio abrumptur: insuper rationes nostræ evincunt, utriusque etiam culpam. Neque dicant, per sola sacramenta applicari nobis merita Christi, quæ sola sufficiunt ad delenda peccata; nam applicantur eadem merita nobis etiam per actus virtutum, sed aliter, ac aliter; quia tandem omnis justificatio nostra per Christum est.

215. Respondent 6. SS. Patres dicere, contritionem delere peccata; quia in futuro delebit, scilicet in articulo mortis: nunc autem disponit ad remissionem, eo articulo recipiendam. Contra est. Verba de præfenti non debent absque ulla necessitate torqueri ad sensum de futuro: certè, quia *Ezech. 33. v. 12.* dicitur: *Et justus non poterit vivere in justitia sua, in quacunque die peccaverit*: omnes inferunt, statim per peccatum tolli gratiam: ergo etiam, quia *ibidem* dicitur: *Impietas impii non nocebit ei, in quacunque die conversus fuerit ab impietate sua* (intellige per contritionem perfectam) inferendum est, statim etiam culpam remitti.

Accedit, quod aliter non possent à contrito recipi sacramenta vivorum, nec indulgentiæ acquiri; nec enim dici potest, ut fors adversarii vellet, vim precum, pro indulgentiis in statu peccati fulsum, suscipi, & dein in articulo mortis reviviscere, ac fructum afferre; hoc enim in primis est contra communissimam persuasivam omnium: dein sic etiam, qui non contritus eas preces funderet, si in articulo mortis contereretur, indulgentias omnes reciperet: quod est profus incredibile.

216. Respondet 7. Castoriensis, contritioni à Concilio tantum attribui remissionem peccatorum, ut includenti votum sacramenti, adeoque exclusionem peccati tribuendam simul contritioni, & sacramento: & licet gratia remissiva peccati detur ante actualem susceptionem sacramenti, tamen conferri vi sacramenti: sicut scilicet gratia antiquis Patribus data est, ante meritum Christi actu existentia, at tamen vi illorum meritorum. Sed contra. Lata est disparitas inter merita Christi, & sacramentum poenitentiae, in ordine ad gratiæ colationem. Merita Christi, ut prævisa absolute futura, causabant illam gratiam: non ita sacramentum in voto; quia gratia causatur à contritione, tanquam voto sacramenti, est istud non prævideatur realiter aliquando extitutum; aliàs, qui non posset amplius confiteri, non posset per contritionem, nec in articulo mortis justificari, quod nec adversarii videntur admittere.

217. Unde conferri gratiam ob sacramenti votum, in contritione inclusum, tantum significat, quod, quamvis elicita contritione mox remittantur peccata, tamen ad ipsam contritionem requiratur, ut quis ex amore Dei habeat votum, seu volunta-

tem, omnia, quæ Deus ab ipso exigit, præstandi, atque adeo etiam confessionem peragendi: & hinc potest acceptam gratiam, & remissionem peccatorum, maneat adhuc obligatio, ea confitendi, cui obligationi satisfaciendi votum, seu positum, est ipsa contritio: quodsi quis tamen id votum exequi nequeat, non imputatur ei ommissio necessaria. Quare ea justificatio, non tam sacramento, quam voto sacramenti, seu ipsi contritioni, est tribuenda, quæ non sacramentum, sed votum sacramenti includit: & hinc vi contritionis confertur gratia, ex opere operantis, seu ex vi dispositionis congruæ, cui annexa est promissio Divina de gratia conferenda: non verò confertur ex opere operato.

ARTICULUS IV.

Solvuntur Objectiones.

218. **O**B. 1. Christus *Joan. 14. v. 23.* ait: *Si quis diligit me, sermonem meum servabit, & Pater meus diligit eum, & ad eum veniemus*: ergo diligentibus Deum tantum in futurum promittitur dilectio Dei: ergo non statim remittitur eis peccatum. Resp. quomodo ergo illud *Proverb. 8. v. 17.* de præfenti dictum: *Ego diligentes me diligo*: verum erit? Dein *Joan. 14.* non tantum sermo est de peccatoribus, sed saltem etiam de aliis, ante peccatum commissum Deum diligentibus: num etiam isti non statim diliguntur à Deo?

In forma, dist. 1. conf. promittitur in futurum dilectio Dei, vi cujus diligentes tantum ponantur in statu gratiæ, & amicitia. neg. conf. vi cujus ponantur in statu gloriæ. conc. 1. & neg. 2. conf. Ut observat Bellarminus tom. 3. controuv. 4. de poenit. l. 2. c. 14. non explicatur ibi ordo justificationis, sed glorificationis: quod colligitur apertius ex verbis Christi Domini præcedentibus eod. cap. 14. *Joan. v. 21.* *Qui autem diligit me, diligit me à Patre meo: & ego diligam eum, & manifestabo ei misericordiam*: quod scilicet fiet in gloria, quando *videbimus eum, sicuti est 1. Joan. 3. v. 2.* Et ita quoque hunc textum explicat S. Augustinus tract. 75. in *Joan. in fine* dicens: *Ad hoc dixit: Diligam eum, ad quod sequitur: Et manifestabo ei me ipsum.... ad hoc diligam, ut manifestem.... tunc ad hoc diliget, ut videamus, & ipsa visione mercedem fidei capiamus.*

219. Ob. 2. S. Magdalena, egi perfecte contrita, non fuit tamen à peccatis statim liberata: ergo. prob. ant. *Luc. 7.* postquam jam aliquo tempore contritio præcessit, primùm ei Christus dicit *v. 48.* *Remittuntur tibi peccata*: ergo. Confir. S. Augustinus homil. 23. inter 50. c. 2. de S. Magdalena, seu peccatrice Evangelica, ait: *Accessit autem ad Dominum immunda, ut rediret munda: accessit agra, ut rediret sana*

na: sed, dum accessit ad Dominum, jam fuit contrita: ergo ut contrita adhuc fuit immunda. Resp. 1. Si contritio S. Magdalene (de qua ipse Christus Dominus dixit: *Luce. 7. v. 37. Dilexit multum*) non fuit sufficienter intentio, qualem tandem aduersarii requirent?

Resp. 2. neg. ant. ad prob. neg. conf. Christus eod. cap. bis eadem verba protulit: *v. 47. Simonem alloquens dixit: Remittuntur ei peccata multa.* & *v. 48. alloquens S. Magdalenam dixit: Remittuntur tibi peccata:* ergo ex eo, quod verba illa sint dicta in tempore presentis, non inferitur, tunc prima remissa fuisse peccata; alias, vel priora, vel posteriora essent falsa. Quare, vel ea verba significat totum tempus, moraliter tunc presentis, quo S. Magdalena dolere, flere, & amare cepit: vel significant tantum declarationem remissionis prius jam facta: sicut etiam quando Christus Marci *5. v. 34.* dixit mulieri, jam sanata a fluxu sanguinis: *Esse sana a plaga tua:* declaravit, vel confirmavit beneficium, jam prius factum: vide Bellarminum *tom. 3. controu. 4. de penit. l. 2. c. 14.* Potest etiam dici, ea peccata S. Magdalene bis esse remissa: sicut scilicet aliquis potest bis a sacerdote absolvi ab eisdem peccatis.

220. Ad confirm. dist. min. S. Magdalena jam fuit contrita, dum accessit ad Dominum corpore: om. mi. dum accessit mente, seu prima dispositione ad poenitentiam, neg. min. & conf. Omitto, quod S. Magdalena jam fuerit perfecte contrita, dum cepit accedere corporaliter ad Christum; si enim quis diceret, eam tunc ab initio adhuc fuisse tantum attritam, ac sensim pervenisse ad contritionem, atque amorem charitatis perfectum, non video, quomodo posset impugnari: & de initio illo accessus ad Christum potest S. Augustinus explicari.

Probabilius tamen S. Augustinus intelligendus est, non de accessu corporali, sed de accessu S. Magdalene spirituali per fidem. Scilicet, antequam haberet perfectam charitatem, erat immunda, & ægra: postquam autem ad Christum per motum charitatis pervenit, rediit sana. Et in hoc sensu idem S. Doctor *tr. 48. in Joan. loquitur de Judæis, nolentibus accedere ad Christum: Hyems erat, & frigidis erant; ad illum enim Divinum ignem accedere pigri erant: si accedere esse credere: qui credit, accedit: qui negat, recedit: non movetur anima peccatorum, sed affectibus.*

Dices 1. S. Augustinus dicit *cit. homil. 23. S. Magdalenam adhuc immundam fuisse, cum jam physice esset apud Christum, imò cum jam lavasset pedes; nam ait: Hac enim non debuit permitti facere in pedibus ministris mulier immunda:* ergo. Resp. S. Augustinum per hæc verba tantum explicare, quid cogitaverit phariseus, non quid revera fuerit: vel tantum exponere, qualis S. Magdalena fuerit in oculis, & estimatione hominum, non qualis in oculis Dei: Et sanè, ut jam dictum, si contritio intentis-

sima S. Magdalene non delevit peccata, nulla amplius erit assignabilis, quæ delear illa extra sacramentum. in forma neg. consequ.

Dices 2. S. Augustinus postea primum, seu post verba modo adducta, dicit, S. Magdalenam accessisse immundam: ergo loquitur de accessu corporali. Resp. neg. conf. quam non video, quomodo rite inferant aduersarii; potuit enim S. Augustinus in concione utique uti sensu verborum, vel morali, vel literali pro libitu. Dices 3. S. Augustinus loquitur in sensu literali de reditu S. Magdalene: ergo etiam de accessu, ant. videtur clarum; alias reditus à Christo significaret desertionem fidei in Christum, vel averfionem ab eo; qua ratione utique non rediisset munda. prob. conf. in eodem contextu servari debet idem sensus: ergo. Resp. neg. consequ. nam S. Augustinus est valde familiaris, transire à sensu literali ad mysticum, seu morale, præsertim si hic ad ejus finem æquè servit, ut fit in hoc casu: quin id in hac ipsa homilia *23. ex 50. c. 3.* aperte facit, ubi cum literaliter in sensu dixisset: *Ne gratis apud eum pharisæum panem comederet:* in sensu mystico subjungit: *Ipsam pascentem esuriebat:* addit iterum literaliter: *Ipsam emendare:* & mox iterum mysticè: *Ipsam mactare, ipsam mactare, ipsum in suum corpus trahere volebat:* unde ad prob. neg. ant. universaliter sumptum.

221. Ob. 3. Filius prodigus jam prius elicit contritionem, quando in se reversus dixit *Luce. 15. v. 18. Pater peccavi:* & tamen primum postea affertur stola nova, seu vestis gratiæ: ergo contritio eam non affert. Resp. Sicut Christus Dominus (ut observat Maldonatus in *Luce. 15. v. 25.*) in parabolis sæpius non tantum ponit sola prorsus necessaria, sed alia etiam complementa, ad ornatum parabolæ: ita etiam videtur sæpe voluisse, non omnia dicere in rigore Theologico, secundum ordinem prioritatis, & posterioritatis: seu in sua narratione rigidum ordinem non attendere. Dein potius parabola est pro nobis; initio enim filius prodigus nondum dixerat, sed tantum statuerat dicere: *Pater peccavi:* sive statuerat, elicere contritionem, quæ est doctrina S. Augustini *l. 2. quest. Evangel. c. 33.* sic scribens: *Cetera verba sunt poenitentiam meditantis in confessione peccati, nondum tamen agentis; non enim jam dicit patri, sed dicturum se esse promittit, cum venerit.* Quia autem in via id dixit, & contritionem elicit, hinc pater mox osculatus est eum. *v. 20.* an non enim osculum est lingue amoris, & receptionis in gratiam?

Itaque stola prima significat quidem aliquam gratiam, juxta interpretationem communem: non tamen necessariò, præsertim hoc loco, significat primam gratiam, ita ut nulla gratia prius fuerit prodigo collata: sed potest significare augmentum gratiæ; quia certè osculum jam prius datum significat, juxta communem interpretum, non minus aliquam gratiam, quam stola prima: vel potest etiam dici, per hanc stolam, tanquam per

per secundum symbolum, significatam iterum fuisse gratiam prius collatam: Christum autem non omnia symbola eo ordine, quo gratia fuit collata, explicasse: sic etiam annulus significat collatum Spiritum S. seu gratiam ejus, qui tamen post stolam primam datum dicitur. in forma, neg. ant. nam, vel filius prodigus non elicit prius contritionem, vel jam prius fuit collata gratia, & stola prima significavit gratiæ augmentum: aut à Christo tantum adducta fuit, ut signum quidem gratiæ, sed jam prius collatæ, sicut ab eodem adductus est annulus.

Equidem S. Augustinus *cit. l. 2. questionum Evangelicarum q. 33.* hanc parabolam paulò aliter explicat; non enim eam exponit de justificatione particularis ejusdem impij, sed de justificatione gentilium, quos per prodigum, seu juniorem filium, ait, intelligi, respectu Judæorum, quos intelligit per filium natum majorem murmurantem: sed nil ibi ponit contrarium nostræ doctrinæ; quamvis enim per osculum non intelligat gratiam, sed aliquam consolationem, & animationem internam, (sicut per amplexum, quo pater cecidit super collum, mysticè intelligit incarnationem filii Dei) tamen eo ipso, quod neget, filium illum jam prius elicitisse contritionem, nobis minime opponitur.

222. Ob. 4. S. Paulus in sua conversione fuit perfecte contritus: & tamen *Act. 22. v. 16.* ei dicit Ananias: *Exurge, & baptizare, & ablue peccata tua:* ergo ista nondum erant remissa per contritionem. Resp. neg. consequ. Ut Bellarminus *tom. 3. controu. 4. de penit. l. 2. c. 14.* observat, potuit Ananias ignorare Pauli contritionem: potuit quoque hortari Paulum, etiam perfectissimè contritum, ad ablucendam ulterius peccata, juxta *psal. 50. v. 4.* *Amplius lava me iniquitate mea:* scilicet à reatu poenæ, vel à propensionibus malis, quæ etiam magis lavari, vel sanari poterant per gratiam: potuit insuper lotioni invisibili velle addere visibilem: quæ præsertim necessaria erat ex præcepto: potuit tandem etiam altera vice velle lavare, ut superius *v. 219.* diximus, posse aliquem ab iisdem peccatis bis absolvi.

223. Ob. 5. S. Augustinus *tr. 13. in Joan. ante medium.* ait: *Quantumcumque enim catechumenus proficiat, adhuc sarcinam iniquitatis suæ portat: non illi dimittitur, nisi cum venerit ad baptismum:* ergo contritio non justificat ante baptismum: ergo neque ante poenitentiam; quia est par ratio. Resp. neg. conf. S. Augustinus non loquitur de catechumeno, proficiente in amore Dei, seu charitate, ita, ut habeat perfectam contritionem: sed de proficiente tantum in aliis virtutibus acquiritis, quæ possunt stare cum peccato (e. g. continentia, patientia &c. quæ ibi enumerantur) dum interim culpabiliter negligit, imò contemnit baptismum, atque per hoc peccat: & tali utique non dimittitur peccatum ante baptismum; quia non habet contritionem.

Quòd autem de tali loquatur S. Doctor, facile probatur; quia ante verba objecta immediate sic habet: *Nequis arrogans; eoque debet abundantiam aliquid gratiæ, dedignetur baptizari baptismo Domini.* & paulò antè: *Quia multi contempturi erant baptismum; eoque jam majore gratia præditi viderentur, quam viderent alios fideles.... ille catechumenus posset dicere in corde suo: quid mihi opus est, baptismum accipere, ut hoc habeam, quod & iste, quo jam melior sum?* Addit ibi S. Augustinus, non carere talem catechumenum pressuris peccatorum: quòd rectè exponitur, diceado, eum non carere miseris peccatorum; quia, ut jam dictum, non loquitur S. Doctor de catechumeno perfecte contrito: vel potest exponi, dicendo, catechumenum non carere obligationibus, ex peccato residuis, inter quas etiam est obligatio recipiendi baptismum.

224. Ob. 6. S. Ambrosius *de initiandis c. 4.* dicit de catechumeno: *Nisi baptizatus fuerit in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, remissionem non potest accipere peccatorum.* item S. Cyrillus Hierosolymitanus *catechesi mystagogicæ 1.* ait: *Iste vero impudens improbitatis princeps demon ad ipsas usque salutare undas te sequebatur: ille Pharaon in mari submersus est: iste in aqua salutis suffocatur.* & S. Bernardus *epistol. 77. seu potius tractatu ad Hugonem de S. Victore, de questionibus, ab ipso propositis c. 2.* ait: *Si ante exitum resipuerit, & voluerit, & petierit baptizari, sed mortis preoccupatus articulo forte obtinere nequiverit, dum non desit fides restans, spes pia, charitas sincera, propitius mihi sit Deus; quia huic ego ob solam aquam, si defuerit, nequaquam omnino possum desperare salutem.... si aquam non contempserit, sed sola (ut dixi) prohibeatis impossibilitas:* ergo contritio non justificat, saltem, nisi mors, vel alia vis invincibilis, seu impossibilitas, ipsum sacramentum impediat.

Resp. neg. conf. S. Ambrosius tantum dicit, quòd non sufficit fides catechumeno, sed quòd etiam ei sit necessarius baptismus, & hoc per se est verum: nihil autem ibi habet de catechumeno contrito, vel baptismum flaminis mandato: imò, eum S. Ambrosius *in concione de obitu Valentianiani* dicat, eum imperatorem, ante baptismum mortuum, tamen salvatum, & cælo cum fratre Gratiano receptum esse, utique admittit, aliquando remissionem recipi ante actuale baptismum. S. Cyrillus etiam loquitur de eo, quòd ordinariè fit, seu quòd per se, & frequenter fit, quòd scilicet fluminis baptismus sit necessarius; cum non semper habeant catechumeni baptismum fluminis. Potest etiam dici, demonem sequi adhuc catechumenum tentando, infestando &c. quia habet adhuc majorem potestatem in hominem necdum realiter aqua baptismi ablucum. S. Bernardus *eo loco* refutat eos, qui dicebant, nec in mor-

morte sufficere baptismum flaminis : docet tamen insuper , quod baptismus actu debeat recipi , si non mors , aut alia vis invincibilis , seu impossibilitas obstat : quod autem contritio non justificet ante baptismum , nullatenus dicit : imò longè clarius ex illa epistola , seu tractatu , elucet oppositum .

225. Ob. 7. S. Thomas 3. p. q. 72. a. 7. ad 2. de sacramento confirmationis ait : *Si etiam non perfecte contritus accedat , dummodo non fictus accedat , per gratiam solutam in hoc sacramento consequetur remissionem peccatorum* : ergo contritio sola non justificat. Confir. 1. Idem S. Thomas vult , quod contritio præcedat tempore justificationem : ergo non conjungitur cum illa. Confir. 2. Rursus Angelicus 3. p. q. 84. a. 5. ad 2. ait : *Charitas , fides , & misericordia , non liberant hominem à peccato sine penitentia* : ergo sola contritio non justificat. Resp. dist. conf. contritio imperfecta , seu attritio sola , non justificat. conc. conf. contritio perfecta non justificat. neg. conf. Agit ibi S. Doctor de sacramentis vivorum , docetque , confirmationem posse per accidens primam gratiam conferre , scilicet homini non perfecte contrito , sed tantum attrito : patet hoc ex ipsis verbis non perfecte contritus .

Ad 1. confir. servit eadem distinctio. De contritione autem perfecta in supplemento S. Doctoris q. 5. a. 3. in corp. sic habetur : *Quantumcumque parvus sit dolor , dummodo ad contritionis rationem sufficiat , omnem culpam delet*. Equidem scio , ibi S. Doctorem dicere , dolorem contritionis non debere esse magnum in sensu : sed ex hoc ipso colligitur , non debere esse intentum ; quia intentio , ordinariè saltem , in homine redundat in sensum. Dein S. Doctor dolorem tam parvum , ut non sufficiat ad contritionem , *ibidem* ait esse , non illum , qui non est intensus , sed illum , qui non est appreciatiè magnus , seu maximus , sive qui non est ex charitate , Deum super omnia amante , & peccatum super omnia detestante , prout nempe charitas debet Deum amare , & peccatum detestari ; sic enim ait de dolore *cit. a. 3. in corp.* *Hic potest esse adeo parvus , quod non sufficiat ad rationem contritionis , ut , si minus displiceret ei peccatum , quam debeat displicere separatio à fine* ; scilicet ultimo .

226. Sic etiam , quando in eod. supplemento q. 3. a. 1. in corp. ait : *Dolor in contritione excedit omnes alios dolores* : per hæc verba aliud non intelligit , quam dolorem illum debere omnes alios excedere in appreciatiè , seu debere esse maximum appreciatiè , quem terminum explicabitur inferius n. 261. nam S. Doctor ait , debere contrito tantum displicere peccatum , quantum ei placet ultimo finis , & addit : *Finis autem ultimus super omnia placet ; cum omnia propter ipsum desiderantur : & ideo peccatum , quod à fine ultimo avertit , super omnia displicere debet* : quæ clarè significant appreciatiè , seu æstimationem

super omnia , minimè autem intensiōnem .

Similiter de appreciatiè intelligendus est S. Doctor , quando in eod. supplemento q. 5. a. 3. in corp. ait : *Amor potest esse ita remissus , quod non sufficiat ad rationem charitatis* ; hoc enim non potest accipi de remissione opposita intensiōni (nam quilibet amor Dei super omnia , quantumvis remissus , est actus charitatis , adeoque sufficit ad rationem charitatis) sed de remissione opposita appreciatiōni , quando scilicet non est amor super omnia , qualem adstruit Pallavicinus , citatus n. 176. Ex hucusque dictis solvuntur etiam ea , quæ obiiciuntur ex Angelico in 4. dist. 17. q. 2. a. 5. *quæstionc. 3.* ubi ferè eadem verba habentur , quæ habentur in supplemento q. 5. a. 3. in corp. .

227. Ad 2. confir. neg. conf. nam ipsa contritio est poenitentia , & non tantum est actus charitatis qualiscunque ; unde , si etiam actus purus charitatis non justificaret , (quod tamen S. Doctor non vult) tamen justificaret contritio . Rursus S. Doctor ibi agit de sacramento poenitentiae , adeoque potest dici , cum velle , quod actus purus charitatis non justificet vi sacramenti ; quia , si non simul detur dolor , sacramentum est invalidum .

Tandem S. Doctor ibi docet , sacramentum esse necessarium omnibus post lapsum : & intelligit sacramentum in voto ; quia comparat illud baptismi , qui in voto sufficit ; quare tantum vult dicere , charitatem non ita liberare hominem à peccato , ut non remaneat obligatio istud confitendi , vel etiam aliæ obligationes implendæ per se , si quis non per accidens excusetur . Non autem vult S. Doctor dicere , quod nullus actus charitatis sine sacramento justificet ; alias nec contritio intensissima justificaret , quod esset plus dicere , quam dicat propositio 71. Baij damnata , quam vide n. 208. effertque etiam contra sententiam adversariorum , & claram mentem S. Doctoris , citati n. 225. .

228. Ob. 8. ex Sylvio. Scotus in 4. dist. 19. q. 1. §. Ad questionem . docet , sacramentum poenitentiae significare , non tantum remissionem præteritam , sed etiam præsentem : ergo contritio non justificat . Confir. Cajetanus in summa verbo contritio . docet , contritionem non semper conjungi cum remissione peccatorum : ergo. Resp. neg. conf. Scotus in 4. dist. 18. sic ait : *Ante usum clavium per solam contritionem , & propositum confitendi , remittitur peccatum secundum Augustinum . & cit. dist. 19. q. 1. §. Ad questionem .* tantum docet , quod sacramentum possit recipi cum attritione , non sufficiente ad justificationem sine sacramento : quam sententiam superius fuisse defendimus : & cujus ratio etiam est , quod sacramentum poenitentiae significet etiam præsentem remissionem peccatorum . Ad confirm. dist. ant. Cajetanus docet , contritionem tantum naturalem , non semper conjun-

gi cum remissione peccatorum . conc. ant. supernaturalem . neg. ant. & conf. Verba Cajetani sunt : *Vera contritio dupliciter inveniri potest , scilicet formata , vel informis , hoc est , cum gratia , & charitate Jesu Christi , & sine illa* : sensus autem horum verborum , & intentio Cajetani , desumenda est ex tom. 1. opuscul. tr. 4. q. 1. ubi ex professo hanc questionem tractat , docetque , posse dolorem ex amore Dei super omnia esse naturalem , vel supernaturalem : illum esse informem , consequenter inefficacem , qui etiam possit vocari aliquo modo attritio : hunc verò , id est , supernaturalem , esse formatum charitate , ideoque esse contritionem , & justificare .

229. Quod autem loquatur de contritione naturali , eamque vocet informem , & econtra contritionem supernaturalem vocet formatam , inferitur ex eo , quod præcisè ideo neget , omnem contritionem esse formatam , & conjunctam cum gratia ; quia alias sciremus , nos esse in gratia ; cum experimentaliter sciamus , nos elicere amorem Dei super omnia , & detestationem peccati super omnia : adeoque , ne sciamus , nos esse in gratia , debeamus nescire , quod contritio nostra sit formata , seu elicitæ ex gratia , sive , quod sit supernaturalis . Addit Cajetanus , eum dolorem , qui prius erat naturalis , & informis , seu elicitus ex viribus naturæ , posse postea oriri , vel elici , ex viribus gratiæ , ac fieri formatum : & in hoc sensu attritionem posse fieri contritionem : quæ , quamvis admittenda non sint , tamen adversariis non patrocinantur , videatur Lugo de poenit. disp. 5. sec. 8. n. 117. .

Noto tandem , Illustrissimum Le Drou de contritione dissert. 4. c. 1. citare Cajetanum tom. 1. opusc. tr. 4. q. 1. dicentem , quasi commune dictum , seu proloquium esse , quod *contritio , & attritio differunt secundum magis , & minus* . At Cajetanus loco citato ea verba non dicit ex mente sua : sed tantum ea sibi objicit , & infra respondet explicando , in quo sensu illud dictum verum , & accipiendum sit , atque sic ait : *Unde nec est verum contritionem , & attritionem differre secundum magis , & minus in eadem specie , licet sit verum secundum magis , & minus , in diversis speciebus : sicut album habet magis de luce , quam viride* .

230. Ob. 9. Si contritio justificat ante sacramentum , non est , cur postea debeamus peccata , per contritionem jam remissa , confiteri : hoc dici non potest : ergo. Confir. 1. Ante assumptionem SS. Eucharistiæ non sufficit contritio , sed requiritur confessio : ergo signum est , quod contritio non afferat statum gratiæ . Confir. 2. Non posset amplius à sacro iudice solvi , vel ligari is , qui , dum confiteretur peccatum , haberet contritionem perfectam : hoc dici non potest : ergo. Resp. retorqueo argumentum . Si quis ex invincibili oblivione omisit in confessione peccatum , ab eo absolvitur : & tamen , si postea ejus recor-

detur , debet illud confiteri , & quidem ante communionem adhuc , si id ante istam ipsi incidat .

Resp. 2. neg. ma. Ex Tridentino sess. 14. c. 5. habemus , *institutam etiam esse à Domino integram peccatorum confessionem , & omnibus post baptismum lapsis Divino necessariam existere* . Hinc ex eadem Synodo sess. 14. c. 4. contritio includit votum sacramenti , seu confessionis postea faciendæ , si fieri possit . Dein S. Thomas in supplemento q. 1. a. 1. ad 3. rectè ait : *Quamvis possit tota poena per contritionem dimitti , tamen adhuc necessaria est confessio , & satisfactio ; tum quia homo non potest esse certus de sua contritione , quod fuerit ad totum tollendum sufficiens ; tum , quia confessio , & satisfactio , sunt in precepto* . Accedit , quod in sacramentis recipiatur nova gratia ex opere operato : simul etiam , si non tota poena , saltem pars poenæ temporalis residuæ , remittatur .

231. Ubi etiam incidenter noto , quod , si quis per purum amorem Dei fuisset justificatus ; eoquod per accidens , immemor peccatorum suorum , talem eliciisset , postea tamen teneretur confiteri , & , si non posset confiteri , teneretur formalem aliquem dolorem elicere ; quia in hac providentia per se non remittitur peccatum sine formali dolore , ut docet Tridentinum sess. 14. c. 4. dicens : *Fuit autem quovis tempore , ad impetrandam veniam peccatorum , hic contritionis motus necessarius* : quæ verba saltem intelligi debent de eo , quod per se requiritur : quamvis , invincibiliter immemor peccatorum , per accidens per solum amorem salvaretur . Putat tamen Gotmaz de poenitentia n. 261. Deum semper excitaturum in tali homine memoriam peccati , ut formaliter doleat . videatur hic auctor de poenit. n. 261. & n. 273. & 274. item Layman l. 5. tr. 6. c. 3. n. 4. Scilicet purus amor Dei in tali homine est votum , vel confessionis , vel casu , quo impossibilis sit confessio , est votum contritionis , sicut ipsa contritio est votum sacramenti .

232. Ad 1. confir. neg. conf. Dignitas mysterij Eucharistici exigit , ut modo securiori procuremus statum gratiæ , adeoque obeundo ipsam confessionem . Quod autem is , qui jam confessus est , sed alicujus gravis peccati fuit oblitus , debeat iterum , si potest , ante communionem confiteri , desumitur ex praxi universali Ecclesiæ , quæ est indicium , ita velle Christum Dominum : & hujus voluntas debet esse pro omni ratione . Ad 2. confir. Resp. 1. Etiam perfecte contritus non posset ligari , potest tamen ligari alius , confitens tantum attritus . Resp. 2. Etiam perfecte contritus potest ligari ; inprimis enim potest non absolvi : & quamvis hoc etiam injustè fieret , tamen valide fieret , & teneretur talis iterum confiteri . Rursus potest talis ligari , hoc est adstringi , ad subeundam poenitentiam , etiam gravem , si delictum fuerit grave . Potest etiam ligari , quatenus

non solvantur ei vota, aut juramenta, si quæ habet, vel etiam aliquæ censuræ, quas confessorius solvere possit. vide plura apud Cornelium à Lapide in c. 16. Matth. v. 19. ubi plures adhuc modos adducit ligandi, quamvis non omnes convenientur cuius sacerdoti. in forma neg. ma.

233. Ob. 10. Contritio perfecta non elicitur ex motivo compensationis: ergo non tollit peccatum. prob. conseq. in humanis, qui debet alteri quatuor florenos, non tollit hoc debitum, si det illi quatuor florenos ex alio titulo, quam ex titulo iustitiæ, seu ex voluntate, aut motivo compensandi debitum, e.g. non tollit debitum, si quatuor florenos donet: ergo etiam peccator non tollit debitum compensationis pro peccato, quam debet Deo, si huic det dolorem, non ex motivo compensandi debitum peccato contractum, sed ex motivo charitatis; & quasi donando. Resp. neg. conf. ad prob. iterum neg. conseq. Homines non possunt compensare Deo injurias graves ei illatas; quare ipsi misericorditer promittit, se cessurum iis debitis; modo homines ex titulo amoris ei offerant aliquem dolorem extra sacramentum: cum autem Deus sit fidelissimus, posito eo dolore peccatum mox remittit: non autem datur in humanis talis promissio: si autem daretur, etiam debitum, tolleretur.

ARTICULUS V.

Qualis debeat esse Contritio Justificativa.

234. Dico 1. Contritio, extra sacramentum justificativa, debet esse dolor, & detestatio peccatorum, ex amore Dei super omnia, cum proposito non peccandi de exteriori. ita auctores communiter. Quod attrahit ad rationem propositi, deo dicemus inferius: quod autem contritio debeat esse dolor, ac detestatio, & quidem formalis, est communissima omnium, & sumitur ex Tridentino sess. 14. c. 4. ubi contritio in genere ita definitur: *Animi dolor, ac detestatio est, cum proposito non peccandi de exteriori: ergo contritio vi definitionis, adeoque vi essentiae suæ, seu formaliter, habet, quod sit dolor, ac detestatio.*

Accedit, quod, quando Concilia aliquem certum actum expressè ad aliquid requirunt, non debeamus dicere, quod sufficiat actus virtualiter talis, nisi habeamus gravem rationem, & auctoritatem, quæ cogat ad talem expositionem; aliàs nunquam posset aliquid certi de requisito actu certæ speciei ex Conciliis inferri; cum semper posset alius actus, utcumque virtualiter æquivalens; obtrudi: atqui talis ratio, vel auctoritas nulla profus afferri potest in oppositum nostræ sententiæ: imò ratio stat pro dolore, ac detestatione formali; quia pos-

nitentia in suo conceptu involvit dolorem, ac detestationem præteritorum malefactorum: ergo.

235. Dolor autem est affectus anxius, tristis, ac inquietus, quo animus cruciatur ob aliquod malum: & in nostro casu ob peccatum commissum: nec est tantum in parte inferiori, seu sensibili, sed in ipsa anima rationali; nam & dæmones, & animæ separatae, verè dolent, etsi corporibus careant: quamvis in hominibus, corpore, atque animâ, constantibus, faciliè dolor animi redundet in corpus. Detestatio verò est *actus fuga, vel odii, quo animus efficaciter averfatur aliquod malum*, & in nostro casu peccatum: diciturque *odium abominatio*: & siquidem versetur circa peccatum à nobis commissum, ut in contritione, dicitur *retractatio*, & explicatur per hæc verba: *Vellem, me non peccasse.*

Quod autem contritio debeat elici ex amore Dei, probatum est à n. 186. Quod insuper amor contritionis debeat, esse amor Dei super omnia, sive appreciatio, & affirmatio Dei super omnia, docetur expressè à S. Thoma, citato eod. n. 186. atque ab aliis auctoribus supponitur potius, quam probetur: quæ ipsa auctoritas adeò communis est magnum pro hac sententia argumentum: Prebari autem potest ulterius sic. Contritio debet esse charitate perfecta: ergo debet involvere actum charitatis Theologicæ: sed hic est amor Dei super omnia: ergo. prob. min. actus charitatis Theologicæ est ille quo impletur præceptum charitatis: sed hic est amor Dei super omnia: ergo. min. est communis omnium; omnes enim de hoc actu explicant illud *Matth. 22. v. 37. Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo &c.* Sicut autem hic dicitur, quod debeamus Deum toto corde diligere, ita etiam *Deutr. 4. v. 29.* dicitur, quod debeamus Deum toto corde per penitentiam querere: *Invenies eum, si tamen toto corde quaesieris, & tota tribulatione anima tua.*

236. Confirm. 1. Actus charitatis Theologicæ est actus amicitiae, volens adimplere leges amicitiae, quæ est inter Deum, & hominem: atqui leges hujus amicitiae exigunt, ut Deus omnibus præferatur: & si aliquid ei præferretur per grave peccatum, tolleretur ea amicitia: ergo. Nec dicas, ad amicitiam cum Deo tantum requiri, ut Deus non positivè alicui rei postponatur: non autem requiri, ut positivè omnibus præferatur; licet enim hoc non requiratur in iusto ad perseverandum in amicitia (quia hic non semper debet Deum amare) tamen requiritur in peccatore ad renovandam amicitiam, ut omnes faterentur: ergo. Confirm. 2. Actus contritionis ex S. Thoma in *supplemento q. 3. a. 1. in corp.* est dolor excedens omnes alios dolores: sed hos non excedit in intensione, ut infra probabimus: ergo debet eos excedere in appreciatio, seu debet esse dolor appreciativè summus, sive debet esse amor Dei super omnia: ergo. Unde, si es-

set tantum talis amor, qualem descripsimus n. 155. non esset sufficiens ad perfectam contritionem.

237. Dico 2. Actus contritionis justificativus debet esse intrinsicè supernaturalis. ita communis Theologorum cum Suarez tom. 4. in 3. p. disp. 3. sec. 6. n. 1. Actus penitentiae, conducentis ad justificationem, in genere sumptus, adeoque etiam contritio, non potest elici sine gratia, & inspiratione Spiritus S. ergo non potest elici viribus solius naturæ, adeoque est supernaturalis. ant. habetur ex Tridentino, quod *sess. 6. can. 3.* ita definit: *Si quis dixerit, se non preveniente Spiritu S. inspiratione, atque ejus adiutorio, hominem credere, sperare, diligere, aut penitere posse, sicut oportet, ut ei justificationis gratia conferatur, anathema sit.*

Confirm. 1. Dispositio ad justificationem hominis non potest esse actus tantum naturalis; hoc enim negant omnes Theologi, disputantes contra Pelagianos: atqui contritio est dispositio ad justificationem: ergo. Confirm. 2. Innocentius XI. damnavit hanc propositionem 57. *Probabile est, sufficere attritionem naturalem modo honestam: loquitur autem de attritione intra sacramentum, ut colligitur ex propositionibus adjunctis: atqui, si attritio naturalis non sufficit intra sacramentum, contritio naturalis non sufficit extra sacramentum: ergo.*

238. Dico 3. Contritio debet esse odium ethicæ, & detestatio, saltem virtualis, aut implicita, cujuslibet peccati gravis. ita Theologi communissimè: & prob. 1. auctoritate Angelici, qui 3. p. q. 86. a. 3. in corp. dicit: *Non potest esse verè penitens, qui de uno peccato penitet, & non de alio; si enim displiceret ei illud peccatum; quia est contra Deum, super omnia dilectum (quod requiritur ad rationem vera penitentiae) sequeretur, quod de omnibus peccatis peniteret: qui textus debet accipi de aliquo actu penitentiae, ut est clarum: sed non de actu attritionis, ut probatum n. 171. ergo debet accipi de actu contritionis perfectæ.*

Prob. 2. ratione. Qui Deum amat super omnia, vult efficaciter, potius omnia bona perdere, & omnia mala pati, quam Deum graviter offendere, & implicitè dicit: *Malo omnibus bonis creatis spolari, & omnibus malis subjici, quam Deum offendere; aliàs enim non amaret Deum super omnia: atqui hæc volitio est saltem virtualis nolitio, vel detestatio cujuslibet peccati mortalis: ergo. Confir. Qui contritè de peccatis, quando ea non singillatim recogitat, utique detestatur omnia; non enim est ratio, surpotius unum detestetur, quam aliud: ergo etiam detestatur omnia, quando ea singillatim recogitat; quia dilectio Dei non est minor in uno casu, quam in alio. Prob. 3. Ex Tridentino *sess. 14. c. 5.* non remittitur unum peccatum grave sine alio, & ex eodem eadem *sess. 6. 4.* nullum remittitur sine do-*

lore: ergo contritio justificativa, seu, quæ omnia peccata gravia delet, debet se ad omnia extendere.

239. Dico 4. Contritio perfecta debet saltem virtualiter, & implicitè magis detestari peccata graviora, quam minus gravia. ita S. Thomas in 4. dist. 17. q. 2. a. 3. *quæstionc. 3. in corp.* & alii communiter. Prob. Ratio dolendi, scilicet ratio offensæ Dei, in peccato graviore est major, quam in minus gravi: item displicentia Dei de peccato majori etiam est major: sed, qui detestatur peccata ex amore Dei super omnia, detestatur ea, ut sunt offensæ Dei, & proportionaliter ad displicentiam Dei: ergo saltem implicitè magis detestatur ea, quæ magis sunt offensæ Dei, & magis displicent Deo, seu graviora sunt; sicut enim se habet simpliciter ad simpliciter, ita etiam in hoc casu se habet magis ad magis. Confir. 1. Peccata graviora sunt magis opposita fini hominis Deum amantis; hic enim est, ut Deus careat omni malo extrinseco: ergo homo magis ista detestatur, quam alia minus opposita, id est minoria. Confir. 2. Homines contritè deinceps solent, magis cavere graviora peccata, quam leviora: ergo signum est, quod ea magis detestentur, & fugiant.

240. Dixi, contritionem detestari magis peccata graviora virtualiter, & implicitè; quia, ut id explicitè fieret, deberet unum peccatum cum altero comparari, quod in primis necesse non est ad contritionem habendam: dein etiam non potest semper fieri; tum quia sæpè nescitur, quodnam peccatum sit gravius altero; cum de multis adhuc Theologi disputent; tum etiam, quia sæpè propter oblivionem nequit penitens, omnia à se commissa inter se comparare. Si etiam aliquis in genere diceret: *Detestor amore Dei peccata omnia, sed magis graviora, quam minus gravia*: talis faceret comparisonem tantum genericam, vel valde confusam, ejusque detestatio adhuc valde confusè, & satis implicitè tenderet: quamvis neque hic actus necessarius sit ad contritionem habendam. Virtualis autem, & implicita detestatio requisita, stat in hoc, quod homo contritus sit ita dispositus, ut, si peccata inter se compararet, & sciret, quænam forent majora, ea magis detestaretur; cum ea detestetur proportionaliter ad rationem offensæ, & displicentiæ Divinæ.

241. Dico 5. Contritio debet detestari magis peccata propria, quam aliena: sive contritus debet potius velle, ut ipse non peccet, etiam peccato minori, quam alius majori: quamvis suo minore posset impedire alienum longè majus, ita communissima, adeò, ut axioma Theologicum sit ex S. Paulo ad Rom. 3. v. 8. *desumptum; quod non sint facienda mala, ut eveniant bona.* Prob. ratione Eximij tom. 4. in 3. p. disp. 3. sec. 10. n. 10. Peccatum alienum, vel consideratur ut à me permittendum, vel

ut faciendum, vel ut res disparata: quomodocunque consideretur, semper debeo magis vitare meum peccatum, quam alienum: ergo.

Prob. mi. Si consideratur peccatum alienum primo modo, non debeo peccatum majus impedire faciendum minus; repugnat enim, me teneri ad faciendum aliquid peccaminosum; alias enim idem esset simul præceptum, ac prohibitum; quare, si tunc teneor, peccatum impedire per aliquam actionem, illa non potest esse prohibita, consequenter nec peccaminosa: & utique sæpe contingere potest, ut actio, quæ alias fuisset prohibita, fiat permissa in circumstantiis, in quibus potest impediri aliud peccatum, e. g. prohibitus est ludus eo tempore, quo deberem audire sacrum die festo: si tamen per ludum, & non aliter, possum impedire homicidium, certe ludus tunc est licitus: si autem peccatum impedire, vel non teneor, vel non possum, nisi ipse peccem, e. g. blasphemando, vel mentiendo, tunc utique non debeo peccare, sed debeo potius alienum peccatum permittere.

242. Si autem peccatum alienum consideratur secundo modo, sive ut simul committendum, tunc non est tantum peccatum alienum, sed etiam proprium, quod utique debeo detestari. Si vero consideretur tertio modo, seu ut res disparata, tunc charitas, seu amor sui ordinatus, magis excludit peccatum à subjecto proprio, quam ab alieno: & plus laborare debeo, ne peccatum meum existat in rerum natura, quam ne existat peccatum alterius; sicut enim ordo charitatis exigit, ut in spiritualibus quisque magis diligit seipsum, quam alium, ita etiam exigit, ut potius à se ipso, quam ab alio, excludat peccatum; nam charitas, licet respiciat Deum ut objectum, tamen respicit etiam subjectum proprium ut principium placendi Deo, vel offendendi Deum.

Addo ex Arriaga tom. 8. de penit. disp. 9. sec. 5. n. 45. Charitas erga Deum exigit, ut faciamus, quod Deo placet: placet autem ipsi, imò præcipit ipse, ut potius permittamus gravissima peccata aliorum, quam, ut tantum leve peccatum, e. g. leve mendacium, committamus, ut est doctrina SS. Patrum, & doctorum: ergo debemus citius permittere peccata aliena, quam facere propria: adeoque debemus ista magis detestari. Ex quo etiam responderi debet, ac potest ijs, qui volunt, quæstionem hanc aliter esse proponendam; nempe ajunt, non esse querendum, an ad evitandum peccatum proximi possit, vel teneatur quis, ipsemet peccare; nam hoc ajunt, esse implicitorium in terminis: sed ajunt; querendum esse, an in tali casu e. g. mendacium adhuc sit peccatum; nam quomodocunque instituat quæstio, semper respondetur, posse quidem aliquando aliquam actionem alias prohibitam fieri ratione circumstantiarum licitam: at, si ma-

neat adhuc peccaminosa, quamvis minuat in ea ratio peccati, nunquam esse faciendam: & tales vel maxime esse actiones, quæ sunt intrinsecè malæ, e. g. mendacium, quod semper manet à Deo prohibitum, ac peccaminosum, & Deus mavult, graviores suas injurias permitti, quam eas per mendacium impediri.

243. Querunt hic aliqui, an potius peccandum sit, quam permittendum, ut Deus spoliatur bono intrinsecò, e. g. suâ omniscientiâ. Suarez tom. 4. in 3. p. disp. 3. sec. 10. n. 11. & Arriaga tom. 8. de penit. sec. 5. n. 47. putant, in eo casu impossibili debere potius peccari; quamvis enim peccatum sit malum naturæ rationalis, & malum Dei extrinsecum, tamen putant, id minus esse curandum, quam malum intrinsecum Dei. Gormaz de penitent. n. 294. ait, in omni etiam impossibili hypothese attendendum, an circumstantiæ tollant rationem peccati: & si quidem eam tollant, posse actum fieri, secus eum non posse fieri: & si non tollant rationem peccati, saltem gravis, talem actum neque posse componi eum actu contritionis. Fortè autem dicent Suarez, & Arriaga, in tali casu, nec Deum, nec naturam rationalem, prohibere, e. g. mendacium, adeoque tunc non fore malum in illo casu impossibili. Sed potest iterum repone Gormaz, hoc supposito mendacium neque habiturum rationem peccati. Quidquid autem de hoc sit, istæ hypotheses impossibiles ad praxin parum faciunt: & monet rectè Suarez, abstinendum esse à voluntibus similibus, etiam conditionalibus, sub talibus conditionibus impossibilibus; cum possint involvere affectum ad peccatum, & facile imprudenter concipi.

244. Dico 6. Contritio perfecta debet plus detestari peccatum mortale, quam poenas æternas inferni. ita S. Thomas in supplement. 9. 3. a. 1. ad 4. & Theologi omnes. Debet autem infernus (ut rectè monet Angelicus loc. modò cit.) hic considerari, ut præcisè inferat dolorem, non, ut conjunctus est cum blasphemias, & aliis peccatis; quæ damnati committunt. Prob. conclusio. Poena inferni, sic considerata, est minus malum, quam peccatum: ergo contritio odit magis istud, quam illam. ant. in primis clarè tenet Angelicus loc. modò cit. & 1. p. 9. 48. a. 6. per totum. dein prob. Deus potest poenas illas intendere, ut peccatum mortale corrigat, atque reordinet, ac reparat, quod culpa turbavit, & destruxit: atqui non posset prudenter per majus malum reparare, corrigere, vel reordinare minus malum: ergo peccatum est majus malum, quam illæ poenæ. min. prob. medicus, ut sit prudens, præcidit quidem membrum, ut servetur corpus: non autem vicissim destruit corpus, ut servet membrum; esset enim ridiculus, qui ad dolorem dentium curandum vellet alicui amputare caput: ergo.

Confirm. 1. Perfectè contritus amat Deum super omnia, etiam supra seipsum: ergo plus odit malum Dei extrinsecum, seu

offensam Dei gravem, quam poenam illam, seu malum proprium. Confirm. 2. Per hoc differt contritio perfecta ab attritione, ex metu gehennæ concepta, quòd hæc non detestetur peccatum supra poenas inferni; quia actus non magis odit objectum materiale, quam formale (licet attritio etiam non le, quàm formale actum, qui peccatum magis odit alium actum, qui peccatum magis odit habeat) ergo contritio debet peccatum detestari etiam supra illas poenas.

245. Non tamen ideo facienda est comparatio explicita cum peccato, ac poenis inferni, quando quis vult elicere contritionem: imò ne utique est suadendum, ut quis conetur elicere actum, quo diceret: *Mallem absolute ingredi infernum, quam peccare*; quia etiam homines; perfectionis studiosi; possent horrore tantarum poenarum absterri, & dum volent peccatum vitare, in peccatum labi; quare merito S. Bonaventura in 4. dist. 16. p. 1. a. 2. q. 1. in corp. ait, esse stultitiam, hæc, vel similia in confessione aliquo querere; quia, ut ait, hoc est, hominem ponere in tentatione. Angelicus autem in supplement. 9. 3. a. 1. ad 4. ait: *Sciendum est etiam, quod, quamvis talis debeat esse contritio dispositio, non tamen de eis tentandus est; quia affectus suos homo non de facili mensurare potest: & quandoque illud, quod minus displicet, videtur magis displicere; quia est propinquius nocimento sensibili, quod magis est nobis notum.*

Quin imò, neque comparatio facienda est cum peccato, & miseris, vel poenis temporalibus: e. g. an quis potius vellet, pati extremam inopiam, & liberorum cædem, vel carnificis manu occidi, aut infami stigmatè iuri, aut enormibus contumeliis opprimi, quam peccare; namque tales explicitæ, & particulares comparationes, longè vehementius terrent, quam confusa tantum, & in genere facta, propositio malorum; unde ijs abstinendum est, præsertim, si infirmi sint poenitentes; nam multi verè contriti; ingruentibus novis occasionibus, mutant propositum, & labuntur. Sic etiam valde imprudenter, ad explorandum hominis lubrici propositum, ejusque firmitatem, in servanda deinceps castitate, mitteretur is ad lupanar: sicut autem lupanar tali homini esset occasio proxima peccandi, ita infirmo posset esse ille terror.

ARTICULUS VI.

Solvuntur Objectiones.

246. **O**B. I. contra 1. conclusio- nem. Aliquando peccator, necdum poenitens, magis amat Deum, quam poenitens, & actu contritus: sed ille non amat Deum super omnia: ergo necesse, prob. ma. peccator sæpe simul vult Deo bonum aliquod intrinsecum, e. g. vult ejus existentiam, misericordiam &c. contritus tantum vult Deo honorem extrinsecum: atqui magis amat aliquem, qui vult

ei bonum intrinsecum: ergo. Confirm. Si contritio detestatur peccata super omnia, tunc est actus ex natura sua destructivus peccati: sed hoc communius negatur: ergo.

Resp. neg. ma. ad prob. neg. ma. Contritus utique amat ipsam bonitatem Divinam ut bonam Deo: & vult utique eam etiam existere, quæ est bonum intrinsecum Dei: estque amor iste longè melior, quam ille peccatoris, otiosus, & sterilis, qui non movet ad facienda omnia, quæ Deus præcipit sub comminatione abrumpendæ amicitiae. Ad confirm. dist. ma. contritio est actus ex natura sua affectivè destructivus peccati: conc. ma. est actus ex natura sua effective destructivus peccati. neg. ma. & sic dist. min. neg. conf. Contritio quidem est affectus, seu volitio, tendens ad destructionem peccati: sed non potest hunc effectum ex sua natura, seu intrinseca efficacia, independenter à misericordie promissione, & acceptatione Dei, obtinere; unde hunc effectum non habet ex natura sua sola, sed ex promissione Divina.

247. Ob. 2. contra 2. conclusionem. Actus intrinsecè naturalis, sed acceptatus à Deo, in ordine ad remittendum peccatum, habet supernaturalitatem, requisitam à Concilio ad actum salutarem: ergo contritio non debet esse intrinsecè supernaturalis. Resp. neg. ant. nam supernaturalitas actus salutaris, requisita à Concilio, debet esse talis, ut ratione ipsius requiratur auxilium supernaturale, seu inspiratio Spiritus S. quæ non requiritur ad acceptationem Dei. Dein, ut rectè arguit Suarez tom. 4. in 3. p. disp. 3. sec. 6. n. 6. vel actus ideo acceptatur à Deo; quia est supernaturalis: & debet præsupponi supernaturalitas, adeoque ista aliunde orta esse: vel dicitur actus supernaturalis, ideo; quia acceptatur: & hoc repugnat Concilio.

Concilia enim volunt, auxilium gratiæ requiri, ad efficiendum, & operandum, in ordine ad salutem: certè docent, opus esse gratiæ, ob imbecillitatem, infirmitatem, impotentiam &c. voluntatis ad actus salutare efficiendos: atqui acceptatio Dei non debet à nobis fieri, seu effici: ergo non esset opus gratiæ ad efficiendos actus salutare. Sed neque potest dici, actum esse supernaturalem, & acceptari à Deo; quia conjungitur cum gratia habituali; nam 1. cum gratia illa conjungi possunt actus tantum naturales, nec propterea fiunt supernaturales, nec acceptantur à Deo tanquam dispositio ad salutem. 2. Actus ut supernaturalis præsupponitur ad justificationem, seu gratiam habitualem: ergo per ipsam non redditur supernaturalis.

248. Ob. 3. Actus etiam intrinsecè naturalis potest fieri per auxilium gratiæ: sed talis actus habet totum id, quod Concilia requirunt: ergo non debet esse intrinsecè supernaturalis. Resp. 1. om. ma. si actus sit distinctus ab actione productiva sui; tunc enim potest esse indifferens, ad hanc, vel illam cau-

causam: & eo in casu actio quidem erit supernaturalis, non autem effectus, seu actus per eam productus. Actus autem contritionis probabilis non est distinctus ab actione productiva sui; cum sit actus vitalis, & actus vitales essentialiter respiciant suam causam, nec ad eam sint indifferentes, adeoque non per actionem modalem distinctam, sed per se ipsos ad suam causam determinentur, ut ex philosophia suppono.

Resp. 2. om. ma. neg. mi. Certè Concilia, & Patres, exigunt gratiam ad ipsum actum; quia ipse est supernaturalis, seu supra vires naturæ, & quia natura est ex se impotens ad illum elicendum: non autem e converso dicunt, idem actum esse supernaturalem; quia hic, & nunc, per accidens producitur ab auxilio gratiæ; aliis enim gratia non requireretur per se ad actum ipsum, sed tantum ad modum producendi illum: quod planè non est conforme menti Conciliorum; cur enim hic modus exigeretur, si sine illo possemus producere actum æquè bonum? & cur Concilia dicerent, absolute necessariam esse gratiam; cum tamen non esset absolute necessaria ad eum actum?

Sanè Concilium Tridentinum, citatum n. 237. eodem modo dicit, non posse nos poenitere, sicut oportet, sine inspiratione Spiritus S. sicut dicit non posse nos credere, aut sperare, vel diligere Deum, sicut oportet: atqui actus fidei, spei, & charitatis salutares, sunt intrinsicè supernaturales, (certè, etiam initium fidei salutaris, debet esse intrinsicè supernaturale, ut docent S. Augustinus, & alii Patres, contra Pelagianos) ergo etiam actus poenitentiae, etiam attritionis, & multò magis contritionis, debet esse intrinsicè supernaturale; adeoque contritio quoque elici debet ex charitate supernaturali. vide Suarez loc. cit. n. 247.

249. Ob. 4. contra 3. conclusionem. Ratio detestandi peccata est generica, conveniens univoce utrique contritioni, perfectæ, & imperfectæ: ergo, si attritio non detestatur omnia peccata, nec super omnia, tunc neque contritio detestatur omnia, aut super omnia: sed attritio non detestatur peccata omnia, nec super omnia: ergo. Resp. dist. ant. ratio detestandi ut sic est generica. conc. ant. ratio detestandi taliter, vel aliter. neg. ant. & conc. dein om. subsumptum. & neg. iterum consequens. Etiam ratio sentiendi est generica animalis, & tamen unum præ alio perfectius sentit: & quædam animalia non omnes quinque sensus habent. Quare, licet attritio imperfectius detestetur peccata, hoc est, ea detestetur non super omnia, potest tamen eadem super omnia detestari contritio: item, et attritio non detestaretur omnia peccata, tamen posset id facere contritio. Interim tamen falsum est, quòd attritio, saltem in casibus in hac providentia per se possibilibus, & quando ipsa ad sacramentum est sufficiens, non detestetur omnia peccata, de quo vide supra n. 116.

250. Ob. 5. Potest quis ex motivo charitatis, seu ex amore Dei, dare eleemosynam duorum obulorum, quin velit dare eleemosynam duorum florenorum: potest jejunare uno die, quin velit jejunare duobus: & sic de aliis: ergo potest quis etiam ex amore Dei detestari unum peccatum, quin detestetur alia. Resp. neg. conf. Actus charitatis Theologicæ, qualis requiritur ad contritionem, debet esse amor Dei super omnia, & juxta leges amicitiae Divinæ ex n. 235. Et 236. at hic ex n. 238. exigit detestationem cujuslibet peccati gravis: non verò exigit positionem omnium bonorum operum. Ubi ulterius notandum, quòd motivum, aliis universale, possit, ratione alicujus circumstantiæ supervenientis, movere non universaliter, sive illimitate, seu ad omnia objecta materialia, ad quæ se extendere posset: sed restrictè ad certa tantum objecta materialia.

251. Sic bonitas Dei, quæ posset movere illimitate ad omnia, quæ Deo placent, consequenter ad omnem etiam maximam eleemosynam, vel diuturnum jejunium, movet inposito casu restrictè, ad tantam duntaxat eleemosynam, vel jejunium; movet enim cum aliqua restrictione, sive ut amanda hoc peculiari exercitio virtutis, & non majori: seu movet complacentia Dei, non universaliter accepta, sed restricta, quam scilicet habet Deus etiam de hac, duntaxat tanta, & non majori eleemosyna. Qui modus agendi, licet sit minus perfectus, quam alter amplior, & universalior (qui ferme tantum Sanctis, aut hominibus valde perfectis, est ordinarius) tamen est honestus, & meritorius; quia non præcipitur nobis, ut omnia prorsus bona faciamus: sed contentus est Deus; modò operemur juxta leges amicitiae, faciendo graviter præcepta, & vitando peccata.

252. Ob. 6. contra 4. conclusionem. Contritio detestatur quodlibet peccatum mortale super omnia: ergo non detestatur unum magis, quam alterum. Confir. 1. Si contritio magis detestaretur peccata magis gravia, etiam magis detestaretur peccatum originale, quam actuale: hoc non facit: ergo. Confir. 2. Non est ratio, cur non sit satis ad contritionem, si quis diceret: *Detestor omnia peccata eodem modo*: ergo sufficit. Resp. dist. ant. contritio detestatur quodlibet mortale super omnia alia mala, à peccatis distincta. conc. ant. super omnia alia peccata. neg. ant. & conf. imò, cum peccatum, absolute excedens omnia possibilia, probabilis non sit possibile, contritio non potest ullum defacto existens ita detestari.

Ad 1. confir. neg. ma. Peccatum originale non est objectum poenitentiae, ut dictum n. 76, ergo non venit ad rem. Si tantum petas, quodnam ex his magis dignum sit detestatione, præscindendo à retractione, Resp. cum Lugone de poenit. disp. 5. sec. 5. n. 58. & Arriaga tom. 8. de poenit. disp. 9. sec. 4. n. 33. mortale proprium actuale quodlibet esse gra-

gravius originali proprio; quia hoc est tantum admittit voluntate aliena, adeoque non est adeò imputabile, nec etiam imputatur ad poenam ignis: ex quo sequitur, peccatum actuale mortale esse magis detestabile. Si autem comparatio fiat cum peccato veniali, tunc originale, quatenus dicitur actum Adami, mortaliter gravem nobis imputabilem, est magis detestabile: quatenus autem dicitur morale perseverantiam, cum hæc præcisivè sumpta non sit mala, erit minus detestabile. Sed, cum peccatum originale sumi soleat in concreto, simpliciter dicendum est, istud esse magis detestabile, quam peccatum veniale. ita Lugo sec. cit. n. 59.

Ad 2. confir. neg. ant. Ideo non est satis, tantum dicere: *Detestor omnia peccata eodem modo*; quia hic actus non videtur esse conveniens amicitiae legibus; hæc enim requirunt, ut gravius malum amici magis detestetur: & alius in casu perplexitatis posset quis æquè eligere, quod putat esse majus, quam quod putat esse minus peccatum; cum tamen juxta omnes, si talis eligeret majus peccatum præ minori, certò peccaret: ergo debet contritus virtualiter ita esse paratus, ut majus peccatum magis detestetur, quam minus.

253. Ob. 7. Aliquando viri docti, & pii, dicunt: *Malle omnino non esse Christianus, quam Lutheranus*: sed levius est, esse Lutheranus, quam omnino non esse Christianus: ergo non detestantur magis graviora peccata. Resp. cum Lugone de poenit. disp. 5. sec. 4. n. 47. dist. ma. & illi viri loquuntur cum aliqua præcisione, vel subintellecta tacita conditione. conc. ma. loquuntur absolute. neg. ma. & conc. mi. neg. conf. Sensus talium locutionum tantum est conditionatus, quasi dicerent tales viri, quòd, si vellent tantum attendere ad consequentiam doctrinæ, vel ad propriam commoditatem, tunc mallet esse omnino non Christianus, quam Lutheranus, qui laborant maximè doctrinæ inconsequentia; si enim viri tales prorsus absolute ita loquerentur, graviter peccarent; cum ex duobus malis eligerent gravius, quod est peccaminolus, & longè ab ipsis remotum.

254. Ob. 8. contra 5. conclusionem. Si licet, se exponere periculo peccati venialis, ad impediendum peccatum grave proximi, tunc licet etiam committere peccatum veniale, ad impedienda aliena mortalia: sed prius est verum: ergo & posterius. Jam sic, si licet committere peccatum veniale proprium, ad impedienda aliena mortalia, licet etiam, ad impedienda mortalia aliena gravissima, committere aliquod mortale proprium, sed longè minus: ergo. Confir. Si rex inflicto colapho posset liberari à morte per famulum: e. g. si propterea judicaretur homo vilis, & absconderetur ab hostibus, tunc ei absque irreverentia infligetur alapa: ergo etiam, si Deus per peccatum minus posset liberari quasi à morte, quam ei suo modo inferunt peccata morta-

lia, etiam non ægrè ferret, si quis peccatum minus committeret.

Resp. neg. ma. Si Deus prohiberet universaliter, se exponere periculo venialis peccati, etiam ad impedienda graviora peccata proximorum, quis animarum curam susciperet? quis officia sacra, & profana republicæ, administrare vellet? cum ista soleant esse occasio plurium venialium peccatorum, saltem in hominibus non valde perfectis. Accedit, quòd evitare occasiones etiam proximis peccatorum venialium sapissimè sit moraliter impossibile; unde Deus, saltem universaliter, non prohibet, se exponere tali periculo (de qua re vide n. 315.) prohibet autem semper, & absolute, ne committamus peccata, etiam tantum venialia. Ad confir. neg. conf. Rex in eo casu non prohiberet id factum: Deus autem prohibet, & potius vult permitti, graviores sibi ab aliis injurias inferri, quam à nobis ipsis aliquas minores fieri, ut probatum est n. 242.

255. Ob. 9. contra 6. conclusionem. Poena inferni privat nos irreparabiliter omni bono: non ita nos privat culpa gravis: ergo poena inferni est malum magis detestabile. Confir. Poena inferni tollit omnes virtutes, omnia media, ipsamque spem salutis, ac potentiam omnem ad bene operandum: peccatum grave non tollit ista; relinquit enim fidem, & spem, ac potentiam se convertendi ad Deum: ergo. Resp. neg. conf. Ex hoc tantum sequitur, quòd poena illa sit magis nociva nobis, non autem, quòd sit magis injuriola Deo: in quo tamen stat ratio simpliciter mali, in genere supremo mali; cum in altero tantum stet ratio mali secundum quid, prout malum secundum quid significat, non esse malum in supremo genere, seu in ratione culpæ.

Idem respondetur ad confirmationem: cum autem contritio non detestetur culpam ut malam nobis, sed ut malam Deo; hinc eam detestatur supra poenam. Adde, quòd etiam poena non reddat nos, in dicto sensu simpliciter malos, sed tantum secundum quid: culpa autem nos reddat simpliciter malos, ex S. Dionysio de Divinis nominibus c. 4. post medium dicente: *Non est malum puniri, sed fieri parvè dignum: vel, ut habet versio, qua ego usus sum: Non puniri est malum, sed dignum esse supplicio*. Accedit, quòd, licet culpa nos non privet formaliter bonis, quibus nos privat poena, privet nos tamen iis radicaliter, seu demeritorie. Quòd autem possimus adhuc converti, non habetur à culpa, quæ debet statim tribuit jus puniendi: sed à misericordia Dei, benignè expectantis poenitentiam. Neque se habet culpa (ut quidam dicunt) sicut tenebræ, & poena sicut cæcitas, quæ est pejor; nam tenebræ non sunt radix cæcitatis.

256. Ob. 10. Culpa sæpe est occasio boni etiam peccanti: quin imò Deus sæpe permittit culpam, ut majora bona inde eliciat: non ita se habet poena, saltem respectu puniti: ergo. Resp. iterum neg. conf. quia

ex hoc tantum inferatur, culpam esse minus malum secundum quid. Dein culpa non est occasio data boni, seu, quæ per se eonducatur ad effectum bonum: sed tantum est occasio accepta, quam scilicet benignitas infinita Dei sponte, & gratuito, acceptat, ad faciendum bonum. Quare, sicut Deus tamen est summum bonum, licet sit occasio per accidens, seu accepta, gravium scelerum, e. g. blasphemiarum: ita peccatum non cessat esse summum malum, licet sit occasio per accidens boni, quod infinita bonitas Dei, ejus occasione facit: vel etiam aliquando homo, qui considerando malitiam peccati movetur ad ejus odium bonum, & consequenter ad amorem bonum oppositæ virtutis. Econtra poena est saltem aliis occasio data boni, seu per se intentæ, ad absterrendos alios à malo, & permovendos ad bonum.

257. Ob. 11. Gloria Sanctorum est major, quam sint eorum merita: ergo etiam poena damnatorum est major, quam sint eorum demerita, seu peccata: ergo peccata non sunt supra poenas detestabilia. Confir. Poena intentatur à Deo, ad absterrendum à peccato: sed non debet adhiberi minus malum ad absterrendum à majori: ergo poena est majus malum, quam peccatum. Resp. neg. conf. Dære majorem mercedem, quam sint merita, sapit magnificentiam, & liberalitatem Dei: at infligere majorem poenam, quam merita fuerit culpa, saperet, ut patet, crudelitatem, vel etiam imprudentiam, ut dictum n. 244.

Ad conf. neg. min. Imò facere oppositum esset insipiens ex n. 244. hoc tamen verum est, quod illa poena sit major, quam sit voluptas peccati: cumque homines in peccatis non desiderent malitiam, sed quærant voluptatem, prudenter eæ poenæ intentantur, utpote maxime idoneæ ad absterrendum. An autem peccatum veniale etiam sit majus malum gehennæ, vel non, parum refert; nam non utor argumento, desumpto ex minore eligibilitate: respondent tamen quidam, etiam veniale peccatum esse majus malum, ex hoc ipso, quod displicet voluntati Divinæ.

258. Ob. 12. Si contritio detestatur peccatum supra poenas inferni, debet contritus desiderare, ut detur occasio patiendi infernum, ad destruendum peccatum: atqui non debet hoc desiderare: ergo, prob. ma. pater dolens de morte filii plus, quam de jactura pecuniarum, habet desiderium, ut detur occasio, recuperandi vitam filii per expensas pecunias: ergo à pari debet simile desiderium habere contritus. Resp. neg. ma. nam potest quis paratus esse, mori pro fide, si detur necessitas pro fide moriendi, adeoque magis detestari apostasiam à fide, quam mortem, quin eam necessitatem appetat: adeoque etiam potest contritus magis detestari peccatum, quam poenas inferni, quin appetat necessitatem subeundi infernum.

Ad prob. dist. ant. talis pater habet desiderium recuperandi filium per expensas pecunias, præcisè ratione doloris, & amari-

ris majoris erga filium, quam erga pecuniam. neg. ant. ratione hujus, & alicujus alterius, per quod differt nosse casus ab illo, conc. ant. & neg. conf. Contritus per suum dolorem jam sufficienter destruit peccatum, adeoque necesse non est, ut optet dari occasionem adhibendi medium, præsertim prorsus difficillimum; nam medium sufficiens est sola perfecta contritio: & si hæc non esset satis facilis, aut medium fatceret à se procurandum, superesset aliud ad huc medium, sat facile, scilicet sacramentum poenitentiae. At verò parenti dolor non reddit filium; quare mirum non est, si paratus sit, expendere pecunias pro ejus vita: si autem tali patri aliud medium recuperandi filium esset, etiam id desiderium habere non deberet.

259. Quæri hic posset, an saltem quis per actum charitatis, seu contritionis, possit absolute velle, potius sustinere poenas inferni, quam peccare. Resp. cum Suárez tom. 4. in 3. p. disp. 3. sec. 9. n. 5. Josepho Mayr de contritione. q. 4. n. 30. & aliis, id saltem per se, & extra casum erroneæ conscientiae, vel extra casum perplexitatis (de quo n. 119.) non posse fieri. Ratio est 1. quia per se loquendo illa permissio non potest apparere medium utile, ad averteendum peccatum; nec enim Deus poenas illas proposuit, ut eas eligendo, sed ut eas metuendo, peccatum vitemus. 2. Recta ratio dicat, fugiendam esse hominibus miseriam maximam, eamque æternam, ad privationem ultimi finis: videturque talis electio vel (si non vis electionem dicere) quam Dicastillo de poenit. disp. 2. dub. 10. n. 235. cum Durando putat omnino impossibilem) deliberata permissio, vel acceptatio absoluta tanti mali, esse intrinsecè mala, ferè sicut mendacium, quod extra casum erroris, aut perplexitatis eligi nequit.

Equidem celebre est illud dictum S. Anselmi c. 190. de similitudinibus: *Si his peccati pudorem, & illinc cernebam inferni horrorem, & necessariò uni illorum haberem immergi, prius me in infernum mergerem, quam peccatum in me immitterem; mallet enim purus à peccato, & innocens gehennam intrare, quam peccati sordè pollutus calorum regna tenere.* At S. Anselmus non absolute in hoc suo dicta elegit infernum, sed tantum conditionatè, & quidem sub conditione impossibili, quod aliis necessariò deberet peccare: nos autem loquimur de absoluta volitione. Dein Dicastillo dubio modo cit. n. 239. putat, hunc S. Doctorem non intellexisse poenas æternas, sed tantum locum inferni, sicut & locum cæli; eoquod statim subjungat: *Cum constet, solos malos in inferno torqueri, & solos bonos in caelesti beatitudine severi.*

260. Nec dicas, Deum posse, hominem extra casus illos constituere in ijs circumstantiis, in quibus deberet eligere infernum; eoquod possit, omnino innocentem æternis illis poenis addicere; cum sit dominus

minus supremus, & de omnibus dicatur *Jer. 18. v. 6. Sicut lutum in manu figuli, sic vos in manu mea*; negatur enim, Deum hoc posse; quamvis enim Deus, addicendo innocentem infernalis flammis, non ageret contra justitiam, ageret tamen contra misericordiam, imò contra suam sanctitatem; cum ex propria determinatione constitueret talem hominem in morali necessitate desperandi, ac blasphemandi.

Quòd autem simus, quasi lutum in manu figuli, etiam in hac providentia verum est, in qua tamen Deus vi suæ promissionis non potest, innocentem ita torquere; quare ex eo textu Jeremias non probatur, Deum posse innocentem æternis tormentis afficere: & verba illa prophetæ communiter exponuntur tantum in hoc sensu, quòd in libero arbitrio Dei sit, dare hominibus gratias efficaces, vel inefficaces. Nec est paritas inter poenas æternas, & miseria temporales hujus vitæ, quas etiam innocentibus Deus immittit; cum istæ infinites sint minores, & tamen homines per eas infinitam gloriam mereri possint; non autem per poenas æternas.

Dixi, saltem extra eos casus poenas illas acceptari absolute non posse; nam etiam in his casibus id fieri posse, per actum charitatis, seu contritionis, negant Maurus, Palavicinus, Thyrsus, & alii, quibus accessit P. Josephus Mayr de contritione q. 4. §. 5. n. 31, quem ibi vide. Simul tamen etiam vide, quæ diximus supra n. 202. Quando autem viri sancti quandoque dixerunt, paratos esse, ad potius subeundas poenas inferni, quam admittendum peccatum, in primis eorum voluntas tantum fuit conditionata, sub conditione impossibili: nos autem loquimur de voluntate absoluta: dein tantum voluerunt, si modis loquendi exprimeret magnitudinem sui amoris erga Deum, quòdque hunc incomparabiliter magis amarent, quam seipos; & in ejus honorem mallet, omnia possibilia tormenta pati, quam ipsum offendere.

ARTICULUS VII.

Qualis non debeat esse Contritio Justificativa.

261. Dico 1. Contritio justificativa extra sacramentum, non debet esse summè intensa, seu ex summo conatu elicitæ. ita Theologi communissimè contra Adrianum, de quo tamen, an revera oppositum teneat, dubitatur à doctissimo quodam recentiore. Notandum autem hic, quòd in amore aliud sit intensio, aliud appetitio. Ista, seu appetitio, est æstimatio objecti, quæ procedit ex judicio rationis, sinè tenebitudine, vel affectu animi, de objecto judicantis, & vi cuius objectum tanti, vel taliter æstimatur, aut aliis præfertur. Intensio autem est quædam tenebitudo affectus circa rem amatam; quæ oritur ex majori conatu, vel applicatio-

R.P. Ant. Mayr Theol. Tom. II.

ne potentiae, ad actum eliciendum, vel objectum amplectendum: non tamen fundatur in majori, vel minori æstimatione objecti: sed oritur ex aliis circumstantiis, quæ animus, hic & nunc, tenerius afficiunt: quales circumstantiæ e. g. sunt aliqua novitas; suavitas &c. quanquam hanc suavitatem non tanti faciamus, quanti meritum objecti alterius, quod appreciativè magis amamus.

Hinc, manente eadem æstimatione objecti, potest ejus amor intendi, vel remitti: & si per amorem remissum non fuit objectum aliquod pluris æstimatum, quam aliud, neque per amorem intensum pluris æstimabitur; unde optimè simul stat, unum objectum amari magis appreciativè, & minus intensivè: alterum verò magis intensivè, & minus appreciativè. In exemplum communissimè solet afferri mater, quæ longè suavius, ac tenerius, diligit filium parvulum, quam natum majorem, quamvis hunc longè magis appetit, & si unum ex duobus deberet perdere, longè facilius perderet minorem, quam majorem, quæ e. g. œconomiam jam sedulo administrare juvat: imò contingit quandoque, ut pater equum, vel canem, tenerius, seu intensius, amet, quam filium, non autem utique magis appreciativè.

262. Probatur jam conclusio 1. auctoritate S. Thomæ, qui in supplement. q. 5. n. 3. in corp. sic ait: *Qualibet gratia gratum faciens delet omnem culpam mortalem; quia simul cum ea stare non potest: sed qualibet contritio est gratia gratum faciente informata: ergo, quantumcumque sit parva, delet omnem culpam: & ibidem ait: Sic ergo dicendum, quòd, quantumcumque parvus sit dolor, dummodo ad contritionis rationem sufficiat, omnem culpam delet.* Accedit communissima aliorum Theologorum, doctentium, contritionem debere quidem esse dolorem appreciativè, non verò intensivè summum.

Probatur conclusio 2. ratione. Inprimis intentio doloris, vel amoris, absolute maxima, probabilius non est possibilis; quia semper possibilis est perfectior: ergo juxta adversarios tantum requireretur intentio summa, seu maxima, juxta vires præsentis auxilij: sed hanc intentionem inprimis nec Scripturæ, nec Concilia, nec Pontifices, nec Patres (prout communissimè ab auctoribus intelliguntur) requirunt, sed cuilibet actui charitatis justificationem tribuunt: in super necessitas, eliciendi tam intensam contritionem, esset onus gravissimum, quod non probatur: ergo

Minor subsumpta quoad 1. partem, partim supra à n. 205. probata est, partim probabitur infra solutione objectionum: quoad 2. partem verò, partim etiam probabitur solutione objectionum, partim videtur per se patere; cum negari non possit, eam necessitatem esse onus gravissimum, & vel ex eo durissimum; quòd sic homo nunquam posset, moralem aliquam certitudinem, etiam

am notæ inferioris, habere de eo, quòd gradum intensiōnis requiritur attigerit, adeòque deberet semper, si vellet esse moraliter securus; summo conatu, novos, & novos, ac magis semper intensos, actus contritionis elicere, præsertim in periculo mortis, & deficiente copia confessarij: quod utique durissimum, & anxietatibus plenissimum esset: ergo.

263. Confirm. 1. Juxta sententiam adversam peccator, qui haberet mille peccata gravia, sed minus auxilium gratiæ, justificaretur per contritionem minus intensam, quam alius, qui tantum haberet unum peccatum, & majus auxilium gratiæ: sed hoc non videtur satis credibile: ergo. Confirm. 2. Ad contritionem sufficit ille actus charitatis, quo adimpletur primum mandatum: sed ad hoc non requiritur actus intensus: ergo. si ma. vel mi. negetur, probari debet, plus requiri: insuper mi. prob. positivè. Præcepta non præcipiunt actus, de quibus non possumus, habere moralem aliquam certitudinem, quòd eos elicerimus; alias semper deberemus esse anxii de impletione præceptorum: atqui de tanta intensiōne non possumus habere, neque magnam aliquam probabilitatem, multò minus moralem aliquam certitudinem: ergo.

264. Dico 2. Contritio perfecta non debet esse summè intensiva comparativè, sive intensior quovis alio amore, vel dolore, aliàs elicitò à penitente. ita communissimè Theologi contra Petrum Soto, & per paucos alios. Prob. conclusio. 1. Etiam ista intensiō esset onus gravissimum, & anxietatibus plenum, nec ex Patribus, aut aliunde probatur. 2. Ex sententia adversa sequeretur, quòd peccator, qui hucusque vixit dies lætos, non sine plurimis tamen peccatis, adeòque nunquam intensè doluit, facilius justificaretur, quam alius, qui ob frequentes casus acerbos sæpè valde acerbè doluisset, minus tamen peccasset. 3. Multi vix possent tam acerbè quoad intensiōnem dolere, quam doluerint in casibus acerbissimis mortuorum parentum, liberorum, vel vastatorum bonorum &c. 4. Dolor præteritus, vel futurus, de objecto disparato, impertinenter se habet, nec debet ad eum in contritione attendi: certè, si attendi deberet ad dolorem futurum, vis contritionis esset respectu hominis suspensa, aut saltem incertissima, deberetque is semper timere, ne non postea actus aliquis naturalis doloris intensior eliceretur: quod est prorsus nimium dicere. 5. Non posset quis unquam, post elicitam tantum contritionem, ullum sacramentum vivorum recipere; quia nunquam posset moraliter certò judicare, se fuisse statui gratiæ restitutum: ergo.

Si autem velint adversarii, quòd dolor contritionis debeat in sua linea esse tam intensus, vel intensior, quam fuerit voluptas peccati, iterum impugnantur omnibus rationibus hucusque allatis; nam neque Scripturæ, nec Patres, hanc obligationem impo-

nunt. Dein quidam peccatores in peccatis minoribus habent intensiorem voluptatem, quam alii in peccatis longè majoribus: multis etiam, præsertim voluptatum illicitarum, vel vindictæ cupidis, vix esset possibile, tam intensum dolorem elicere: nec possent habere ullam etiam notæ inferioris certitudinem moralem, de elicita à se contritione: nec possent ad sacramenta vivorum accedere &c. ergo.

265. Dico 3. Contritio non debet habere valde magnum, ac Deo soli cognitum gradum intensiōnis, sed sufficit, modò sit verus actus amoris Dei super omnia. ita S. Thomas, citatus n. 262. & communissima aliorum, contra paucos Lovanienfes. Conclusio probatur 1. negativè. Opposita sententia non habet ullum firmum fundamentum, & imponit onus gravissimum, ac mille anxietatibus obnoxium: ergo non est admitenda. Probatur insuper etiam positivè omnibus fermè rationibus, quas articulo hoc præcedentibus conclusiōibus attulimus; nam Scripturæ, Pontifices, Patres, & Concilia, adducta à n. 205. cuilibet contritioni perfectæ, sive intensiva sit, sive non, justificatiōnem attribuunt: & aliàs conscientiæ peccatorum redderentur valde perplexæ: nec illi cessare audent ab actibus contritionis elicendis, nec audent, cum contritione sola accedere ad sacramenta vivorum &c. ergo.

266. Dico 4. Contritio non debet notabiliter durare, sed statim eo instanti, quo primò exiit, justificari. ita S. Thomas 3. p. q. 89. a. 2. in corp. his verbis: *Mors liberi arbitrii, qui est in justificatione impii, est ultima dispositio ad gratiam; unde in eodem instanti est gratia infusio cum prædicto motu liberi arbitrii.* Prob. conclusio omnibus rationibus, quas pro superioribus conclusiōibus adduximus; nam illæ etiam pro hac conclusiōe militant (ut patet consideranti) præsertim argumentum negativum, atque auctoritas; nam nec Scripturæ, nec Concilia, nec Patres, nec Pontifices, ullam durationem requirunt, ut videre est in textibus allatis n. 205. & seq. quibus addi possunt sententia S. Scripturæ, & SS. Patrum effata. *Isaia 30 v. 15.* ubi vulgata legit: *Si revertimini, & quiescatis, salvus eritis:* septuaginta interpretes, quorum lectionem sequuntur SS. Patres, legunt: *Cum conversus ingemueris, tunc salvaberis.* & *Ezechielis 33. v. 12.* *Impietas impii non nocebit ei, in quacunque die conversus fuerit ab impietate sua.*

267. Similiter omnino loquuntur SS. Patres, ex quibus S. Leo ep. 91. ait: *Miseri cordia Dei, nec mensuras passimus ponere, nec tempora definire, apud quem nullas patitur venia moras vera conversio, dicente Spiritu Dei per prophetam: Cum conversus ingemueris, tunc salvus eris.* Cælestinus I. C. *Agnovimus. 26. q. 6.* *Vera ergo ad Deum conversio, in ultimis posteriorum, mente potius est estimanda, quam tempore, propheta hoc taliter asserente: Cum conversus ingemue-*

gemueris, tunc salvus eris. Julius I. C. *Si presbyter. 26. q. 6.* *Vera enim confessio (consequenter & contritio) in ultimo tempore esse potest; quia Dominus, non solum tempore, sed etiam cordis, inspector est: sicut latro unius momenti penitentiam meruit esse in paradiso, in hora ultima confessionis.* Ubi adverte, vel per confessionem esse intelligendam etiam penitentiam extra sacramentalem, seu contritionem: vel certè huic eandem vim esse attribuendam; neque enim latro in cruce peregit confessionem peccatorum strictè dictam. vide etiam n. seq.

S. Augustinus in *enchirid. c. 65.* ait: *In actione autem penitentiae, ubi tale crimen commissum est, ut is, qui commisit, à Christi etiam corpore separaretur, non tam consideranda est mensura temporis, quam doloris; ut enim contritum, & humiliatum Deus non spernit.* Plura qui cupit, adeat Bellarminum tom. 3. *controv. 4. de penit. l. 2. c. 11. propof. 4.* Confirm. Contritio charitate perfecta potest elici in instanti: sed hæc sufficit ad obtinendam gratiam, & remissionem peccati: ergo. prob. min. nulla ratio suadet, plus à Deo requiri: imò, cum ex eo, quòd requiretur certa contritionis duratio (quæ certè, quanta esse deberet, nos late) oriretur innumeræ anxietates, & onera adducta à n. 262. ratio potius suadet, eam non requiri: ergo.

268. Nec dicant adversarii, SS. Patres loqui de penitentia in articulo mortis, nam contritio in articulo mortis non habet majorem vim, quam extra illum: sed ille articulus tantum excusat à præcepto confessionis, si quis non potest jam eam obire: ergo contritio etiam extra illum articulum statim justificat: neque hoc discrimen, inter contritionem in eo articulo, & extra illum, videtur ante Bajum ab ullo esse factum. Nec dicant iterum, Patres loqui de penitentia intra sacramentum; contra enim est, SS. Patres loquuntur de penitentia, prædicando à confessione; adducunt enim exemplum latronis in cruce: imò, ut Julius Papa, ita & alii, videntur à penitentia extra sacramentali, e.g. latronis in cruce, argumentari ad sacramentalem. Adde, quòd textus Scripturæ, quos SS. Patres adducunt, cum jam Judæis sint dicti, utique non tantum de penitentia intra sacramentum loquuntur.

269. Dico 5. Contritio non præsupponit necessariò distinctam recogitationem peccatorum: neque debet in quodlibet peccatum cadere distincta contritio. ita cum S. Thoma q. 28. de veritate. n. 5. ad 3. & ad 4. auctores hodierni quoad utramque partem conclusiōnis: & quoad secundam partem nec antiqui reclamant: quoad primam autem partem aliqui antiqui apud Suarez tom. 4. in 3. p. disp. 4. sec. 6. repugnant: quorum tamen plures explicari possunt, ita, ut dicantur loqui, non de eo, quòd contritio per se requirit, sed quòd requirit per accidens: e.g. quando in lege nova elicitor contritio, in ordine ad faciendam confessionem: vel in lege antiqua, quando pro cer-

tis peccatis offerenda erant certa sacrificia.

270. Prob. autem hæc prima pars. Extra casum faciendæ confessionis necessaria quidem est aliqua in genere cogitatio de suis peccatis; alias non foret dolor retractativus: ac non est necessaria distincta recogitatio peccatorum in particulari; nam vel ea recogitatio, deberet præcedere contritionem, vel cum ea simul esse, vel eam subsequi: nihil horum requiritur: ergo. prob. min. non requiritur primum; quia Scripturæ, Concilia, & Patres, tantum requirunt penitentiam formalem, quæ etiam dari potest, post confusam peccatorum suorum memoriam: nec est ullum fundamentum plus exigendi: & aliàs certè à magnis peccatoribus non posset elici contritio, nisi post multum tempus, etiam plurium dierum, quibus opus esset, ad revocanda in memoriam peccata; unde, moribundis præsertim, contritio, esset impossibilis.

Nec requiritur secundum, ex iisdem rationibus: quibus adde, non esse credibile, penitentem latronem, vel S. Magdalenam (quorum tamen contritio in exemplum à SS. Patribus proponitur) habuisse distinctam peccatorum suorum memoriam simul cum suo dolore. Nec requiritur tertium; nam eatenus esset necessaria recogitatio illa subsequens, quatenus contritio includit votum confitendi, adeòque etiam votum examinandi conscientiam, sive recogitandi suo tempore distinctè peccata: sed propterea non est magis necessaria ista recogitatio, quam ipsa confessio: adeòque tantum necessarium erit votum distinctæ recogitationis peccatorum: ergo, sicut nemo dicit, confessionem esse necessariam ad contritionem, sed tantum votum ipsius, ita etiam non est simpliciter dicendum, eam recogitationem esse necessariam ad contritionem, sed tantum contritionem esse votum ipsius, suo tempore faciendæ; quare, sicut ob varias causas potest quis excusari, à confessione realiter faciendâ, ita ob easdem excusari poterit ab instituendâ ista recogitatione.

Prob. conclusio etiam quoad 2. partem. Si in quodlibet peccatum grave deberet cadere distincta contritio, ista esset magnis peccatoribus onus gravissimum, & præsertim, si subitaneo mortis periculo occuparentur, impossibilis, ut facile patet expendenti: sed nullum est fundamentum in Scripturis, aut Patribus, nec ulla ratio, adstruendi tale onus gravissimum: ergo. Quin etiam, quando quis vult confiteri, sufficit prius peccata omnia, & singula, in memoriam revocare, per diligens examen conscientiæ, ac tum de omnibus una contritione, ratione motivi ad omnia se extendente, dolere, ut est communissima opinio, & in praxi universaliter recepta.

271. Dico 6. Contritio justificativa non debet necessariò excludere peccata venialia. Hoc auctores communiter potius supponunt, quam probent, ut Dominicus Sotus in 4. disp. 15. q. 2. a. 1. Suarez tom. 4. in 2. p. disp. 4. sec. 6. & in praxi

ARTICULUS VIII.

Solvuntur Objectiones.

4. in 3. p. disp. 11. sec. 2. n. 22. Bellarminus tom. 2. controu. 2. de membris Ecclesie l. 2. de Monachis c. 13. §. Primum est. Vasquez tom. 4. in 3. p. q. 87. a. 1. dub. 1. n. 22. Tannerus tom. 4. disp. 6. q. 4. dub. 1. n. 10. Coninck tom. 2. de sacram. disp. 2. n. 123. Martinus Perez de penit. disp. 10. sec. 5. n. 8. Layman l. 5. tr. 6. c. 4. n. 13. Filiucius tr. 6. c. 5. n. 114. & 115. Amicus tom. 8. de penit. disp. 6. n. 40. Lugo de penit. disp. 9. n. 15. Dicastillo tr. 8. de penit. disp. 2. n. 368. Pallavicinus l. 7. de penit. c. 8. n. 95. Rhodes tr. 9. de penit. disp. 1. q. 3. sec. 3. §. 1. Gormaz de penit. n. 278. & 280. & plures alii, ut a deo immerito videatur hoc in dubium vocare Gervasius Brisacensis tom. 6. tr. 5. de penit. disp. 1. n. 46. ubi se refert ad tom. 4. tr. 4. de virtut. Theol. disp. 3. n. 45. & ait, Arriagam petere, ut contritio excludat peccata venialia; cum tamen iste tom. 8. de penit. disp. 8. sec. 2. n. 12. expresse doceat, id non requiri. Quamvis autem unus, aut alter auctor, nobis contrarius sit, id non obest communi opinioni.

272. Prob. autem conclusio 1. hac ipsa communissima autoritate, quæ maximi ponderis est, in materia hac dogmatica, quæ tota pendet à voluntate Dei, quamque debemus per revelationem, vel auctoritatem cognoscere. Probat 2. ratione Ad contritionem non requiritur amor intensissimus, vel perfectissimus (qui utique non est composibilis cum peccatis venialibus) sed tantum requiritur amor, quo impletur quoad substantiam primum mandatum, diligendi Deum super omnia, seu ex toto corde, ut magis patebit ex infra dicendis: talis autem amor est actus, qui quidem non ipse adhareat objecto venialiter malo (aliis ipse esset intrinsicè malus, & non esset actus Theologicus) sed tamen stare possit cum alio actu, tale objectum amplectente, adeoque venialiter peccaminoso: ergo.

Confirm. 1. Peccata venialia non sunt opposita legibus amicitiae inter Deum, & hominem, nec excludunt amicitiam Dei: ergo non debent etiam ipsa necessariò excludi ab amore amicitiae, seu contritione justificativa. Confirm. 2. Juxta adversam sententiam communis hominum sens non facile eliceret contritionem justificativam; quia homines, e communi virtute contenti, non ita facile efficaciter excludunt omnes affectus venialiter malos: & quamvis parati sint, ad observanda mandata gravia, non semper ita parati sunt ad levia quæque implenda, seu ad res quasvis sub levi præceptas, ac tamen hominibus imperfectis satis difficiles, adimplendas; hinc utique est discrimen inter actum contritionis, requisitum præcisè ad justificationem, & alium requisitum ad indulgentias plenarias lucrandas.



273. **O**B. 1. contra 1. conclus. Scriptura exigit summam intentionem doloris ad contritionem: ergo necessaria est ista intentio. ant. prob. Michæa 4. v. 10. dicitur: *Dole, & satage, filia Sion, quasi parturiens.* & psalm. 37. v. 9. *Rugiebam à gemitu cordis mei.* ergo. Contrit. 1. Scriptura reprehendit actus remissos; nam dicitur, Apocal. 3. v. 16. *Quia tepidus es, & nec frigidus, nec calidus, incipiam te vomere ex ore meo:* ergo contritio non potest stare in actu remisso. Contrit. 2. Pœnitentiæ debet esse *ex toto corde, tota fortitudine, & totis viribus*: ergo debet esse summa intensivè. Resp. neg. ant. ad prob. neg. conf. Scriptura plus non exigit, quam appretiationem summam, & actum charitatis, qui impleat leges amicitiae: ceterum aliquando suadet, & consulit intentionem doloris, ut utilem ad tollendam etiam pœnam temporalem, vel in totum, vel in partem, sed non ut necessarium: aliquando autem tantum refert, quid sancti viri fecerint, non quid absolute necesse sit facere. Ad 1. confir. dist. ant. Scriptura reprehendit actus remissos, hoc est, negligentes. conc. ant. tantum carentes intentione. neg. ant. & conf.

274. Ad 2. confirm. neg. conseq. Verba illa *ex toto corde &c.* ponuntur in Scripturis, quando explicatur primum mandatum, seu præceptum charitatis: & quamvis non sint verba prorsus eadem apud omnes Evangelistas, ut observat Bellarminus tom. 2. controu. 2. de membris Ecclesie l. 2. de Monachis c. 13. §. Deinde Matthæus, tamen, ut habet idem Cardinalis ibidem §. anteced. & Cornelius in Deutron. c. 6. v. 5. §. Tertio, unum, idemque significant, & tantum adhibentur ad indicandam majorem energiam: cente 3. Regum 14. v. 8. dicit Deus de Davide: *Secutus est me in toto corde suo*: & 4. Regum 23. v. 25. dicitur de Josia: *Similis illi non fuit ante eum rex, qui reverteretur ad Dominum in omni corde suo, & in tota anima sua, & in universa virtute sua*: nec tamen, ut ait Bellarminus cap. modo cit. §. Præterea, quisquam aunderet, Josiam anteponeere Davidi. Quare, ut auctores gravissimi magna cum ratione tradunt, istud *toto corde*, vel *totis viribus*, tantum significat maximam appretiationem, seu primam curam, ac studium, quo homo in aliquid fertur: & sic dicitur 2. Regum 15. v. 13. *Toto corde universus Israel sequitur Absalom.* & Gen. 31. v. 6. dixit Jacob uxoris suis: *Ipse vobis quoddam totis viribus meis servierim patri vestro*: quin his locis significetur summa intensio.

275. Ob. 2. ex SS. Patribus. S. Cyprianus, *serm. de lapsis sub finem* ait: *Quam*

Quam magna deliquimus, tam granditer desleamus: alto vulnere diligens, & longa medicina non desit: pœnitentia crimine minor non sit: & S. Augustinus, *citatus n. 267.* ait, considerandam esse mensuram doloris, scilicet intentionem: ergo. Resp. neg. conf. S. Cyprianus sermone illo elegantissimo loquitur de iis, qui metu tyrannorum idola coluere: quos ait, ante pœnitentiam non debere accedere ad sacram communionem. Addit, non satis est, si à martyribus, vel confessoribus, recipiantur in communionem; cum martyres non semper habeant potestatem ita recipiendi, neque possint contra Evangelium mandare, ut sine pœnitentia recipiantur lapsi: innuit insuper, satisfaciendum etiam esse Ecclesie, & pœnitentiam propterea agendam.

Tandem fermè sub finem subjungit textum objectum, qui tamen tantum est adhortativus, nec ullatenus probat, dolorem intentum esse necessariò requisitum, ad justificationem tantum internam; quamvis enim ad absolutionem ab excommunicatione impetrandam, vel etiam ad satisfaciendum Ecclesie, per scandalum læsæ, vel etiam ad satisfaciendum sacramentalem, non statim sufficiat quavis contritio perfecta, non sequitur, cam non sufficere præcisè ad justificationem interiorem. Eodem modo explicandus est S. Augustinus; quia etiam ibi scilicet *enchirid. c. 65.* subjungit, quod reudè ab Ecclesia etiam contritis injungantur adhuc aliæ pœnitentiæ, ut satisfiat quoque ipsi Ecclesie, cui occultus, sive non semper perspectus, est dolor pœnitentis: quod autem, ad justificationem præcisè internam, non sufficiat dolor appretiativè summus, si non sit etiam summus intensivè, S. Augustinus ibi non docet, neque ex antecedentibus, aut ex consequentibus, id colligi potest.

276. Ob. 3. S. Ambrosius *ad virginem corruptam, seu lapsam c. 8.* seu ultimo scribit: *Quanta putas, & qualis est necessaria pœnitentia, qua, aut aquet crimen, aut certe excedat?* Hugo de S. Victore *de sacramentis Christiana fidei l. 2. part. 14. c. 2.* ait: *Si in correctione minor est afflictio, quam in culpa fuit delectatio, non est dignus pœnitentia tua fructus*: ergo. Resp. Liber *ad virginem lapsam* non est S. Ambrosij, ut observat Bellarminus *de script. Eccles. observ. in opera S. Ambrosij*; quia is liber cit. c. 8. continet errorem Novatianum, quod scilicet peccatorum, contra Deum propriè commissorum, venia non possit ab alio dari, quam à solo Deo.

Dein, si quis omnia, quæ ibi dicuntur, deberet facere ad habendam justificationem, deberet nuncium remittere sæculo, & semper in cinere, & cilicio, jejuniis, & fletu, usque ad ultimum vitæ diem harere; quare neque is auctor, quisquamque sit, loquitur tantum de remissione culpæ, sed etiam de remissione pœnæ: nec

tantum docet ea, quæ absolute necessaria sunt, sed suadet etiam utilia. Hugo autem de S. Victore distinguit inter pœnitentiam, & fructus pœnitentiæ: & hos non censet esse necessarios, ad remissionem culpæ, sed pœnæ, de qua ibi ei est fermo; quod constat *ex c. seq. seu 3.* ubi docet, etiam quis non fecerit satis fructuum pœnitentiæ, seu nondum tantam pœnitentiam, quæ extinguat omnem pœnam, esse adhuc purgatorium ignem in altera vita: *Magnum est, inquit, si in hac vita incipere possis, etiamsi non perficias; nam & post mortem ignis quidam purgatorius dicitur, ubi purgantur, & mundantur, qui hinc corrigi ceperunt, & non perferunt.*

277. Ob. 4. Tridentinum *sess. 14. c. 2.* requirit in pœnitentia magnos fletus, & labores: ergo requiritur intentio. Resp. dist. ant. requirit eos tantum ad delendam culpam. neg. ant. ad delendam pœnam omnem, etiam temporalem. conc. ant. & neg. conf. Distinguit ibi Concilium effectum baptismi, ac pœnitentiæ, atque, per illum nos consequi plenam, & integram remissionem, & novam omnino creaturam fieri, hoc est, omnino mundam, ita ut, si quis tunc moreretur, nihil illum ab ingressu cæli remoreretur, ut eadem Synodus prius *sess. 5. can. 5.* definierat. At verò loco objecto ait: *Ad quam tamen novitatem, & integritatem, per sacramentum pœnitentiæ, sine magnis nostris fletibus, & laboribus, Divina id exigente justitia, pervenire nequaquam possumus*: nos autem non dicimus, per quamlibet contritionem perfectam liberari hominem etiam à pœna temporali: sed tantum ab æterna.

278. Ob. 5. Catechismus Tridentini, sive Romanus *de sacra. en. penit. titulo. Contritionis propria vis, & efficacia.* ait: *Summum verò, & maximum dolorem ex peccatis, qua commissa sunt, suscipiendum esse, ita, ut nullus major excogitari possit &c.* & inferius de eadem contritione ait: *Sit præterea non solum maxima, sed vehementissima, atque adeo perfecta, omnemque ignaviam, & socordiam excludat.* Postea titulo. *De confessione, sacramenti pœnitentiæ altera parte &c.* sic docet. *Uti enim hoc concedamus, contritione peccata deleri, quis ignorat, illam adeo vehementem, acrem, incensam esse oportere, ut doloris acerbitas cum scelerum magnitudine aquari, conferrique possit? At quoniam pauci ad hunc gradum pervenirent, sebat etiam, ut à paucissimis hac via peccatorum venia speranda esset: ergo contritio, extra sacramentum justificativa, debet esse valde intensa. Respondet non malè quidam recentior, cum hic Catechismus sit editus jussu S. Pij V. qui propositiones Bajanæ primus confixit, non esse credibile, in eo dogeri, quod contritio, involvens verum actum charitatis, quamvis non intentum, possit stare cum peccato gravi: unde concessis his textibus neg. conf. nisi enim*

enim contra nostram doctrinam inde deducitur.

279. Quod attinet ad 1. textum, non potest in eo intelligi, summus, & maximus dolor, quoad intensiorem; nam hic neque possibilis est: summus autem dolor, relatè ad auxilium gratiæ de præfenti collatum, valde est difficilis, ut probatum n. 262. quare tantum intelligitur dolor summus, & maximus appetitiuè, seu, qui attingat summum, & maximum motivum bonitatis Divinæ, propter se super omnia amata. Hæc responsio firmatur ex eo, quod contritionem debere esse summum dolorem ibidem sic probatur: *Cum perfecta contritio sit charitatis actio, qua ab eo timore, qui filiorum est, proficitur, patet, eundem charitatis, & contritionis modum statuendum esse: ut quoniam charitas, qua Deum diligimus, perfectissimus est amor; hinc fit, ut contritio vehementissimum animi dolorem conjunctum habeat; ut enim maxime diligendus est Deus, ita, qua nos à Deo alienant, maxime detestari debemus.*

Ex quibus sic arguitur. Actus charitatis, etiam quo impletur mandatum de diligendo Deo, non debet esse summus intensivè, ut patet ex dictis n. 274. ergo neque contritio, sed utriusque sufficit, amplecti summè appetitiuè, summum, & maximum motivum, super omnia. Adde, quod in Catechismo memorato post pauca subjungatur ratio prius dictorum hæc, scilicet, quod amor Dei omnibus rebus anteponeendus sit, ita, ut nec vitæ conservandæ gratiâ peccare liceat: quæ tantum significant summam appetitionem summi motivi.

280. Ad 2. textum. Resp. eum non loqui de contritione, tantum necessaria ad delendam culpam, sed de alia perfectiore; nam paulo post subjungitur: *Si id minus confiteatur nobis licet, ut perfecta sit, veratamen, & efficax, contritio esse potest: inferius autem titulo. Fructus, & utilitates contritionis.* ait idem Catechismus, veræ contritionis vim esse, ut deleat omnem culpam. verba sunt: *Ex quo licet cognoscere, veræ contritionis, de qua supra dictum est, eam vim esse, ut illius beneficio omnium delictorum veniam statim à Domino impetremus.*

Quid autem ad veram contritionem requiratur, exponit titulo præced. Singula peccata &c. sic docens: *Ex his igitur colligi poterunt, qua ad veram contritionem maxime sunt necessaria. ... Primum enim necesse est, peccata omnia, qua admisimus, odisse, & dolere. ... Alterum, ut ipsa contritio, consistendi, & satisfaciendi voluntatem conjunctam habeat. ... Tertium, ut penitens vitam emendandam certam, & stabilem cogitationem suscipiat.* Quibus paulo magis explicatis tandem subjungit. *Hæc sunt, qua fidelibus in contritione observanda sunt: cetera, qua ad hanc rem colligi à pauperibus facile poterunt, efficient quidem, ut in*

suo genere contritio sit magis perfecta, & absolutæ: verum ad eam necessaria existimanda non sunt, ut sine his vera, & salutaris penitentia ratio constare non possit. Ad doctorem, illud dolere intelligendum esse de dolore ex amore Dei super omnia, de quo dolore Catechismo sermo est, ut patet ex num. præced.

281. Ad 3. textum. Inprimis noto, Belgas quosdam voluisse, legi debere intensam: sed exemplaria exhibent vocem incensam: dein dico, cuilibet actui perfectæ contritionis, seu charitatis, etiam remisso, hæc prædicata convenire; est enim utriusque vehementis actus, qui efficaciter vincit omnia obstacula amicitia Divinæ, occasiones, voluptates, commoda, quamvis aliis vehementer amata, terrores etiam apparentium malorum, & quæcumque ab amicitia illa revocare possent: simulque animum reddit paratum, ad subeunda quævis dura, & sub gravi præcepta. Est etiam dolor acer; quia utriusque acriter affligit animum, dum appetitiuè magis dolet de peccato, quam de quocumque alio objecto, & avellit cor ab objectis prius valde amatis, à quibus non sine acri dolore abstrahitur. Est insuper dolor incensus; quia est essentialiter ex igne charitatis profectus, quamquam careat accidentaliter inflammatione.

282. Ad illud autem, quod doloris acerbitas debeat cum scelere magnitudine æquari, Resp. non debere dolorem ita æquiparari magnitudini scelerum, ut contritio sit tam bona, quam mala fuere peccata; hoc enim, ut suppono ex tr. de incar. à n. 311. impossibile est: nec etiam, ut contritio sit tam intensa, quam intensa fuere peccata; hoc enim non requiri probatum est n. 264. ergo tantum debet æquiparari quoad appetitionem, scilicet, ut, sicut peccando Deus fuit postpositus creaturis, ita nunc econtra omnibus, etiam vitæ propriæ, præponatur. Quia autem ad hunc actum, & tantam appetitionem, pauci perveniunt, & præsertim pauci pervenire in testamento veteri, ubi gratia adhuc parcius subministrabatur; hinc utique magnum beneficium est, quod sacramentum poenitentia sit institutum: id, quod ibi potissimum intendit Catechismus ostendere. Et sic debet concordari Catechismi hujus doctrina cum ejus fonte, seu fundamento, hoc est, cum Tridentino, itaque cum Pontificum definitionibus.

283. Ob. 6. Scotus in 3. dist. 27. q. 4. unica §. De primo dico. ait, Deum vi præcepti maximi diligendum esse super omnia, non tantum extensivè, sed etiam intensivè; ergo. Confirm. S. Bonaventura in 4. dist. 16. p. 1. a. 2. q. 1. docet, majorem, & intensiorem esse dolorem contritionis, quam sint omnes alii dolores de rebus creatis: ergo. Resp. neg. conf. Scotus loc. cit. ut manifestum est legenti, intensiorem dividit in duplicem: unam, quam vocat firmitatis: alteram, quam vocat teneritudinis: explicatque primam exemplo patris, qui firmus amat filium: alteram exemplo matris, quæ eum

amat tenerius: & dein ait, debere contritionem habere intensiorem firmitatis, non verò illam teneritudinis: quod non est contra nos, qui utique dicimus, contritionem debere firmius adhærere Deo, quam omnibus aliis. Quare tantum est aliqua diversitas in modo loquendi; quia nos firmitatem istam, saltem tanquam attributum, attribuiamus appetitioni: Scotus autem eam ab appetitione distinguit, & ad aliquam intensiorem revocat.

Ad confirm. neg. ant. Doctor Seraphicus tantum docet, dolorem contritionis debere esse maximum: sed maximum, in quantum dolor dicitur duplicitia rationis, hoc est, appetitiuè maximum, ut clarum est ex contextu, & mihi videtur manifestum; nam dicit S. Doctor, charitatem in se posse esse parvam, & magnam, hoc est, remissam, & intensam: sed comparative ad alios amores debere esse maximam, hoc est, ut exponit, debere habere prædominium in corde: quod ulterius explicat dicendo, debere Deum amari super omnia, & pro nullo commodo, vel incommodo offendi: addit ad penultimam objectionem, quod dolor quivis parvus non informetur gratiâ, nisi habeat prædominium in corde: ex quo inferitur, illam contritionem informari gratiâ, quæ habet illud prædominium.

284. Ob. 7. Angelicus præter textum jam objectos n. 225, insuper 1. 2. q. 113. a. 10. in corp. sic ait: *Est enim iste communis, & consuetus cursus justificationis, ut, Deo movente interius animam, homo convertatur ad Deum, primo quidem conversione imperfecta, ut postmodum ad perfectam deveniat; quia caritas inchoata meretur augeri, ut aucta mereatur perfici, sicut S. Augustinus dicit:* ergo conversio, etiam ex charitate inchoata, seu remissa, est imperfecta: adeoque nondum est iustus ans. Resp. neg. conf. S. Doctor ibi per conversionem perfectam non intelligit tantum justificantem, sed eam, quæ est tanta, ut sit præter ordinem communem, & ut ait, miraculosa, qualis fuit, ut ibidem dicit, conversio S. Pauli.

Reliquas autem ordinarias conversiones, hoc est, quæ non statim attingunt magnum gradum perfectionis, sed remanent intra ordinarios limites, vocat imperfectas: & sic etiam homines justos sæpe dicimus esse imperfectos. Nec exemplum infirmi, qui successivè sanitatem recipit, aliud probat; nam, licet ordinariè per medicinas quis non statim recipiat plenam, ac perfectam sanitatem, potest tamen recipere sanitatem simpliciter dictam, quæ dein magis perficiatur. Quare per charitatem inchoatam S. Doctor hic intelligit, charitatem aliquam veram, sed remissam, quæ dein accidentaliter perficiatur, ut notavimus n. 211. & 221.

285. Ob. 8. contra 2. concl. Peccatum est summum malum: ergo contritio debet esse saltem comparative summa. Confirm. 1. Est indecens, ut quis doleat magis de alio objecto, quam de offensa Dei: ergo. Confirm. 2.

Deus ob peccatum exigit poenam intensivè majorem, quam fuerit voluptas peccati: ergo etiam exigit talem contritionem ad remissionem peccati. Resp. neg. conf. sufficit enim, si contritio habeat id, quod Deus requirit, scilicet maximam appetitionem; quia etiam summè intensa contritio tamen peccatum omnino adæquare non potest ex n. 282. Ad 1. confir. dist. ant. est indecens, ut quis doleat magis appetitiuè de alio objecto, quam de offensa Dei. conc. ant. est indecens, ut quis magis doleat intensivè. subdicit, est indecens negativè. conc. ant. est indecens positivè, & quidem indecentiâ contritioni veræ oppositâ, neg. ant. & consequ.

286. Interim non nego, SS. Patres meritò reprehendere intensiorem amorem erga creaturas, quam erga Deum. Ratio eorum est; quia talis amor potest esse occasio multorum peccatorum venialium: & folet avertere à cognitione, & amore Dei majori: attamen hæc omnia non sunt opposita contritioni perfectæ; quia, etiamsi actualis talis amor (posito etiam, quod etiam venialiter peccaminosus) daretur in homine, volente elicere contritionem, istam non impediret, ut dictum n. 271. Attamen non solet ordinariè conjunctus esse talis alius amor contritioni: sed communiter tunc præcinditur ab aliis objectis: sæpius autem talis amor antecedit, aut sequitur. Ad 2. confir. neg. conf. Deus in altera vita exigit etiam poenam gravissimam, & æternam; unde non est paritas ab illa poena ad poenitentiam, in hac vita agendam; aliâ cur non etiam intra sacramentum deberet elici intensissimus dolor? vel quare non extra sacramentum requireretur dolor æternus, aut saltem per totam vitam durans?

287. Ob. 9. contra 3. & 4. conclusionem. Si contritio, nec debet esse intensa, nec aliquamdiu durare, possumus esse certi, quod eam eliceremus: adeoque esse certi de nostra justificatione: sed hoc est falsum ex Tridentino sess. 6. c. 9. ergo. Resp. neg. ma. quia tamen non possumus absolute certò scire, an simus justificati, vel gratiæ restituti, etiamsi tantum requiratur contritio remissa, & unico tantum momento durans; quia nec de ista possumus absolute certò scire, an fuerit actus supernaturalis, vel etiam, an fuerit amor Dei omnino purus sine omni ad nos respectu. Dico, nos non posse hoc absolute certò scire; nam morali aliqua, saltem inferioris notæ certitudine, sufficente ad excludendum nimium timorem, & anxietatem, in homine salutis suæ studio, sciri id potest; quia Tridentinum tantum excludit certitudinem omnino infallibilem; sic enim habet loc. cit. *Cum nullus scire valeat certitudine fidei, cui non potest subesse falsum, se gratiam Dei esse consecutum.* Illud quoque Ecclesiasticus 9. v. 2. *Nescit homo, utrum amore, an odio dignus sit: certitudinem tantum absolutam negat.*

288. Ob. 10. contra 5. conclusionem. Quot

Quot sunt peccata, tot sunt averfiones à Deo, & converfiones ad creaturas: ergo faltem, quando quis potest, debet elicere tot contritiones, feu converfiones ad Deum: maximè, quando quis vult confiteri. Confir. Catechismus Tridentini de sacram. penit. titulo. Singula peccata &c. ait: *Maximè autem hortandi, & monendi sunt fideles, ut ad singula mortalia crimina proprium contritionis dolorem adhibere studeant*: ergo. Resp. neg. conf. alias, qui per plures annos continuasset inimicitiam Dei, deberet per plures annos continuare etiam contritionem: & qui sæpius sacrilegè confessus esset, deberet sæpius rite confiteri.

Ad confir. neg. conf. Catechismus Tridentini loc. cit. hortatur quidem fideles, ut de singulis peccatis gravibus peculiarem contritionem eliciant: sed non dicit, id esse necessarium ad veram penitentiam: imò inferiùs dicit de Deo: *Peccatorem paternam charitate complectitur, simul atque ille se colligerit, & universè peccata sua detestatur, (qua dein alio tempore, si facultas erit, singula in memoriam reducere, ac detestari in animo habeat) ad Dominum se converterit*: quibus verbis docet, sufficere dolorem universalem: esse tamen singula in memoriam revocanda (quando scilicet obeunda est confessio) & tunc ita in memoriam revocata esse uno actu universali, ad singula se extendente, detestanda: nec plus velle Catechismus censendus est ob rationes omnino graves, à nobis n. 269. allatas.

289. Ob. II. Ezechias *Isaia 38. v. 15.* dicit Deo: *Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine anima mea.* & David *psal. 76. v. 6. & 7.* ait: *Cogitavi dies antiquos, & annos æternos in mente habui, & meditatus sum nocte cum corde meo, & exercitabar, & scopebam spiritum meum*: seu, ut Augustinus legit: *scrutabar spiritum meum*: ergo Scriptura petit distinctam peccatorum recogitationem ad penitentiam perfectam, seu contritionem. Confir. *Lev. 4.* describuntur varia sacrificia pro peccatis instituta: atqui, ut ista adhiberentur, necessaria erat distincta peccatorum admittorum recogitatio: ergo hæc distincta recogitatio requiritur ad penitentiam, etiam extrasacramentalem.

Resp. neg. conf. Scriptura illis locis indicat, quid Sancti illi fecerint, non ad quid obligati fuerint: sic *psal. 101. v. 10.* dicit David: *Cinerem tanquam pavem manducabam, & posum meum cum fletu miscebam*: an ad hoc etiam obligantur penitentes? Ad confir. neg. conf. Quod attinet ad illa sacrificia, eorum institutio, seu obligatio, se aliquo modo habebat, ut lex confessionis in novo testamento: & contritio erat votum offerendi illa sacrificia; unde in eo casu non erat necessaria recogitatio peccatorum, præcisè ratione contritionis, sed ratione sacrificii offerendi.

290. Ob. 12. S. Chryostomus ho-

mil. 9. in epist. ad Hebræos, in morali circa medium, ait: Sin autem dicit: Sum peccator: ea autem per species non cogitat, ac supputat, & non dicit: Hoc, & illud peccatum admisi: nunquam cessabit: ergo requiritur distincta peccatorum recogitatio. Confir. 1. Penitens debet esse iudex, & medicus suus: talis esse non potest, si non distinctè recogitet, vel consideret sua peccata: ergo. Confir. 2. Penitens, nisi distinctè recogitet peccata sua, non potest magis dolere de peccatis gravioribus, quam de minus gravibus: sed hoc debet necessariò fieri ex n. 239. ergo. Resp. neg. conf. S. Chryostomus eà homilia docet, non posse secundo baptismo peccata, post primum baptismum commissa, abluì, vel agendam esse de ijs penitentiam; loquitur autem de confessione, quæ scilicet ordinariè fieri debet: quod patet legenti eam homiliam, & quidem statim ex verbis textui objecto immediatè subjunctis: *Semper quidem confitens, curam autem nullam gerens correctionis*: adeoque non docet, recogitationem illam necessariam esse ad habendam præcisè contritionem, sed tantum necessariam esse ad confessionem, vel etiam meliorem emendationem. Adde, quòd ibi multa dicat, penitenti convenire, quæ necessaria absolute non sunt, ut de dandis elemosynis, de lachrymis, per diem, ac noctem.

291. Ad 1. confir. neg. ant. Id officium spectat ad confessarium: & si ali quando penitens ratione propositi, quò decernit satisfacere obligationibus suis, e. g. restituere res alienas, debet esse quasi iudex, seipsum urgens ad executionem &c. id non requiritur ratione contritionis præcisè; nam, si etiam restituere non posset, vel invincibiliter obligationem nesciret, tamen veram contritionem elicere posset: quin imò in hoc casu, in ordine ad contritionem, non tam opus est recogitatione, seu examine peccatorum, quam proposito satisfaciendi obligationibus, ortis ex peccato, quòd ipsi aliunde jam incidit. Ad 2. confir. dist. ant. Penitens, nisi distinctè recogitet peccata, nequit magis dolere de gravioribus explicitè. conc. ant. implicitè, neg. ant. & conseq. sufficit autem implicitè ita dolere, ut dictum n. 239. & 240.

QUÆSTIO IV.

De Proposito.

ARTICULUS I.

Quale requiratur Propositum in Penitente.

292. **Q**uæstio hæc, ut ex dictis patebit, non tantum spectat ad virtutem penitentiae, sed vel maximè etiam ad sacramentum; quia tamen jam egimus de attritione, quæ tam ad virtutem, quam ad sacramen-

tum penitentiae pertinet, addamus etiam propositum, quòd etiam tam ad virtutem, quam ad sacramentum penitentiae spectat, & magnum habet cum contritione, & attritione connexionem. De hoc proposito facit mentionem Tridentinum *sess. 14. c. 4.* ubi ait, debere contritionem esse *cum proposito non peccandi de cætero*: attritionem vero cum sacramento sufficere, *si voluntatem peccandi excludat*. Eandem doctrinam jam priùs proposuerat Concilium Florentinum in decreto Eugenij pro Armenis *s. Quartum sacramentum*. dicens: *cordis contritio, ad quam pertinet, ut doleat de peccato commisso, cum proposito non peccandi de cætero*. Quæritur jam, quale debeat esse hoc propositum, tum, quando elicitur contritio extra sacramentum justificativa, tum, quando elicitur attritio in ordine ad sacramentum.

293. Dico 1. Ad penitentiam extra sacramentum justificativam, sive ad contritionem perfectam, requiritur propositum efficax, & universale de cætero non graviter peccandi. ita omnes. Prob. Contritio perfecta debet esse actus ex motivo amoris Dei super omnia, & volens implere leges amicitiae inter Deum, & hominem (de quare n. 236. dictum) atqui est *per se clarum*, quòd actus amoris Dei super omnia sit, vel formaliter, vel saltem æquivalenter, propositum non offendit. Deum graviter, seu ipsum non proponendi aliis magis amatis: sive sit propositum, non amandi alia magis, quam Deum: item, quòd actus volens, implere leges amicitiae, sit propositum non faciendi aliquid dissolvens amicitiam, quale est omne peccatum grave: ergo. Confir. Nequit dari vera conversio peccatoris ad Deum, nisi is firmiter statuatur, ac sibi proponat, Deum non amplius graviter offendere, nec ejus amicitiam dissolvere: sed contritio perfecta est vera conversio ad Deum, & quidem statim justificans: ergo nequit dari sine eo, quòd quis sibi proponat, Deum non amplius graviter offendere.

294. Dico 2. Etiam ad penitentiam intra sacramentum requiritur propositum efficax, & universale, de cætero non peccandi graviter. ita S. Thomas 3. p. q. 87. a. 1. ad 1. Suarez tom. 4. in 3. p. disp. 4. sec. 3. n. 5. Navarrus in manual. c. 1. n. 9. Coninck de sacram. tom. 2. disp. 2. n. 130. Layman l. 5. tr. 6. c. 4. n. 20. Palao tr. 23. p. 1. n. 16. Lugo de penit. disp. 14. sec. 5. n. 51. & 52. Gormaz de penit. n. 150. & seq. Tamburinus method. exp. confession. l. 1. c. 3. n. 14. & 15. Pallavicinus l. 7. de penit. c. 28. n. 283. Haunoldus l. 4. tr. 4. n. 997. La Croix l. 6. p. 2. n. 898. & communis, contra Dicastrum de penit. disp. 2. n. 70. & seq. ap. paucos alios. Prob. conclusio. Tridentinum, & Florentinum, ad hoc, ut penitentia intra sacramentum sit vera, exigunt, ut sit conjuncta cum proposito non peccandi de cætero: quæ verba saltem debent intelligi de proposito non peccandi graviter: R. P. Ant. Mayr Theol. Tom. II.

cumque hæc propositio sit in materia dogmatica, est universaliter accipienda, præsertim, cum nulla ratio sit eam restringendi: ergo propositum de cætero graviter non peccandi, universaliter sumptum, & excludens omne grave peccatum, requiritur.

Confir. Ut paulò antè dictum est, nequit intelligi vera conversio peccatoris ad Deum, quin is firmiter sibi proponat, Deum non amplius graviter offendere, nec amicitiam ejus abrumpere: ergo. Monet tamen rectè Suarez loc. cit. aliud esse, proponere in futurum non peccare: aliud judicare, se perseveraturum constantem in hoc suo proposito: prius est actus voluntatis animi, nolentis peccare, & ideo solum est necessarium: posterius verò est actus intellectus, pendens ex futuro eventu, & hinc non est necessarium: imò addit Eximius, consulendum esse infirmioribus, ut de eo judicio formando non cogitent.

295. Dico 3. Ad sacramentum penitentiae requiritur etiam propositum efficax, vitandi omnes occasiones proximas graviter peccandi, si possint vitari. ita omnes, & probatur. Occasionem istas non vitare, si possunt vitari, est grave peccatum: ergo, sicut debet adesse propositum vitandi peccata alia, ita etiam propositum vitandi istas occasiones. ant. prob. ex illo *Ecclesiastici 3. v. 27. Qui amat periculum, in illo peribit*: & moraliter censetur quasi idem esse, committere peccatum, & voluntariè se conjicere in periculum illud committendi. Secundò. Sicut non censetur velle vitare mortem, qui sponte se conjicit in periculum proximum mortis: ita non censetur velle vitare peccatum, qui voluntariè se conjicit in proximum ejus periculum.

296. Confir. ex propositionibus damnatis, ex quibus 4. ab Alexandro VII. damnata sic habet: *Non est obligandus concubinarium ad ejiciendam concubinam, si hæc nimis utilis esset ad oblectamentum concubinarij, vulgò regalo: dum deficiente illo, nimis agrè ageret vitam, & alia copulatio magno concubinarium afficeret, & alia famula nimis difficile inveniretur.* & 61. ab Innocentio XI. damnata sic habet: *Potest aliquando absolvi, qui in proxima occasione peccandi versatur, quam potest, & non vult omittere: quia imò directè, & ex proposito querit, aut ei se ingerit.* & 62. *Proxima occasio peccandi non est fugienda, quando causa aliqua utilis, aut honesta, non fugiendi occurrit.* item 63. *Licetum est, querere directè occasionem proximam peccandi pro bono spirituali, vel temporali nostro, vel proximi.* Huc etiam potest referri propositio 60. ab eodem Innocentio damnata; quia ratio ejus damnandæ videtur esse obligatio vitandi occasiones proximas peccandi: propositio autem sic sonat: *Penitenti habenti consuetudinem peccandi, contra legem Dei, naturam, aut Ecclesiam, est emendationis spes nulla appareat, nec est neganda, nec differenda absolutio, dummodo*

modo ore proferat, se dolere, & proponere emendationem.

297. Dico. 4. Probabilius tamen propositum hoc non debet esse explicitum, aut formale: sed sufficit implicitum, vel etiam virtuale. ita ex antiquioribus, teste Suarez tom. 4. in 3. p. disp. 4. sec. 3. n. 2. Major, Almainus, Vega, Medina, Petrus Soto, Navarrus, Adrianus. Accedunt Lugo de penit. disp. 14. sec. 5. n. 52. Cardenas in crisi disert. 2. in 1. propos. ab Innoc. XI. damnat. n. 80. Layman l. 5. tr. 6. c. 4. n. 6. Arriaga tom. 8. de penit. disp. 38. n. 3. Gormaz de penit. n. 223. Dicastillo tr. 8. de penit. disp. 6. n. 212. Coninck tom. 2. de sacram. disp. 2. n. 58. Gobat tr. 6. seu alphabeto constitutionum. n. 205. Gervasius tom. 6. tr. 5. de penit. n. 53. La Croix l. 6. p. 2. n. 894. item Bonacina, Hurtadus, Rhodus, Plateus, Sporer, & alii. Suarez autem licet sec. cit. n. 3. doceat, per se requiri formale propositum, & ita docendum esse populum, tamen n. 6. docet, per accidens saltem posse sufficere propositum virtuale.

298. Prob. conclusio. Tridentinum sæpius jam citatum, sess. 14. c. 4. ait, attritionem disponere ad gratiam, si voluntatem peccandi excludat: sed hoc facit etiam dolor efficax, & impossibilis cum omni peccato, si eliciatur ab eo, qui hic, & nunc, non cogitat de vita futura, adeoque nihil formaliter sibi proponit: ergo virtuale propositum, in tali dolore inclusum, disponit ad gratiam. Addit Gormaz de penit. n. 468. dolorem talem efficacem, quamvis non sit propositum formale philosophicè tale; esse tamen propositum formale Theologicè tale; quia, ut ait, Tridentinum per propositum intelligit tantum talem actum, qui excludit voluntatem peccandi: sed hanc voluntatem excludit etiam propositum virtuale: ergo hoc sufficit.

Majorem colligit Gormaz ex ipso Tridentino; cum enim Tridentinum cap. cit. superius dixisset, quod contritio sit animi dolor, ac detestatio de peccato commisso, cum proposito non peccandi de cetero: inferius agens de contritione imperfecta, loco illorum verborum substituit ista: Si voluntatem peccandi excludat: ergo per hæc posteriora explicantur priora: & in hunc sensum putat Gormaz, loc. cit. etiam exponendos esse auctores antiquos, maxime Dominicum Soto, qui, cum prius dixisset, nostram sententiam esse perniciosum errorem, postea videtur se explicare, dum ait, talem errorem fore, si non adstruat necessarius dolor universalis.

299. Verum quidquid sit de Soto, & alii magis adhuc recentiores, qui questionem hanc in terminis tractant, non facile ita possunt exponi. Cardenas tamen in crisi in propos. ab Innoc. XI. damn. dissert. 2. n. 80. ait: Est enim supra omnem probabilitatem omnino certum, quod hoc propositum virtuale sufficiat: & quidem id vult sufficere etiam intra sacramentum. Gormaz quoque de

penit. n. 224. & 228. ait, tale propositum virtuale esse certò sufficiens ad sacramentum poenitentiae constituendum: ex quo sequeretur, hanc nostram sententiam, etiam licet in praxi, & in usu sacramenti poenitentiae, adhiberi posse.

Attamen, si sermo sit de proposito tantum virtualiter tali, in ordine ad sacramentum poenitentiae recipiendum, movet me in contrarium auctoritas magna adversa sententiae; nam teste Suarez tom. 4. in 3. p. disp. 4. sec. 3. n. 1. omnes antiqui requirunt propositum: quod autem tantum requirant propositum virtuale, non ita clarè potest probari: & licet plures hanc questionem sub his terminis non tractent, attamen etiam aliqui eam suis in terminis tractant, & tamen propositum requirunt, ut videre est apud eundem Eximium loco modo citato: suntque Cajetanus, Sotus, Canus, Ruardus, Gerson, Bellarminus, qui ultimus sanè tom. 3. controuv. 4. de penit. l. 2. c. 6. ex professo id probat: idemque etiam probat ipse Suarez modo citata sect. n. 3. quos sequuntur etiam alii.

Movet me etiam communissima praxis catechistarum, qui parvulos semper solent distinctè docere, eliciendum esse dolorem, ac etiam firmum propositum. Sed & formula, à poenitentibus dici consuetæ formale propositum sonant. Tandem non video, rationes adversariorum ita clarè solvi, ut non verè probabiles maneat: quamvis minus probabiles, quam sint nostræ: adeoque morale certitudinem, quæ requiritur, ut sententia, versans circa valorem sacramenti, licet in praxin deducatur, in nostra sententia non invenio, nec eam in praxi (cum circa valorem sacramenti in hoc casu verè) licitam esse existimo: id quod etiam sentit La Croix l. 6. p. 2. n. 894. Adde tamen, quod observat Layman l. 5. tr. 6. c. 4. n. 6. Suarez, Bellarminus, & alii, vix fieri posse, ut efficaciter dolens de peccatis, non formaliter, & expressè, sibi proponat imposterum emendationem, nisi fortè de futura vita non cogitet, quod rarissimum est.

300. Dico 5. In confessione, in qua quis tantum venialia peccata exponit, requiritur etiam propositum ea vitandi, quamvis non adeò universale, ut in confessione mortalium. ita communiter omnes. Prob. 1. p. Concilium Tridentinum non facit discrimen inter sacramentum poenitentiae, sive fiat confessio venialium, sive mortalium, nisi in hoc, quod ista sint materia necessaria confessionis, non autem illa: erigitur etiam in confessione venialium requiritur dolor, ac propositum ea vitandi. Certè ex hac ratione omnes inferunt, debere pro venialibus quoque imponi aliquam satisfactionem: ergo etiam bene inferunt requiri reliqua. Confirm. Ad sacramentum poenitentiae, etiam quando exponuntur venialia, non sufficit historica tantum narratio peccatorum, sed debet esse dolorosa, & emendativa: ergo debet etiam adesse ali-

qua retractatio eorum, seu dolor, ac propositum. Unde, qui sine dolore, ac proposito, absolutionem reciperet, eam irritam redderet, & si scienter id faceret, graviter peccaret: sicut, si sacerdos super acutum peccatorem consecrationis proferret, aut homini sano extremam unctionem conferret.

301. Probatur 2. p. conclusionis. Ad confessionem peccatorum venialium non debet afferri propositum vitandi omnia venialia, sicut ad confessionem peccatorum mortalium debet afferri propositum vitandi omnia mortalia: ergo illud propositum non debet esse ita universale. conf. patet. ant. prob. potest unum veniale remitti sine altero: ergo ad remissionem unius non exigitur poenitentia de aliis: ergo, ut remittantur ea, quæ in confessione fuerunt exposita, non requiritur propositum vitandi alia alterius speciei, vel prorsus omnia. Confirm. Est difficillimum hoc sacramentum, si exigeret propositum vitandi levissima quæque venialia: nec est ullum fundamentum, ex quo hæc obligatio adstruatur: ergo non debet adstrui. Accedit, quod non ita facile explicetur, quomodo homo sibi possit proponere, quod velit omnia prorsus peccata venialia vitare; coquod id cum ordinaria gratia impossibile sit.

302. De quo dubio, ut aliquid amplius dicam, prænoto 1. Tridentinum sess. 6. can. 23. sic definire: Siquis hominem semel justificatum dixerit, amplius peccare non posse, neque gratiam amittere: atque idea cum, qui labitur, & peccat, nunquam verè fuisse justificatum: aut contra posse in tota vita peccata omnia; etiam venialia vitare, nisi ex speciali Dei privilegio, quemadmodum de Beata Virgine tenet Ecclesia; anathema sit. Prænoto 2. distinguendum esse, ut rectè ait Suarez tom. 4. in 3. p. disp. 4. sec. 3. n. 5. inter peccata venialia ex plena deliberatione commissis, & inter venialia subrepticia, seu ex subreptione, & imperfecta deliberatione admissa: priora, ut ait ibidem Eximius, possunt vitari cum gratia, quæ secundum legem ordinariam datur, dignè petentibus, & te ad illam præparantibus: quoad posteriora verò, ait idem, non posse eorum collectionem totalem longo tempore vitari sine speciali privilegio. Ex quo ulterius inferunt, quod circa priora, eorumque collectionem, concipi possit propositum absolutum, & efficax, ea imposterum vitandi: at non pariter circa posteriora, saltem ab eo, qui novit modò citatum canonem Tridentini.

303. Dicit tamen Suarez loc. cit. circa hæc subrepticia peccata: Potest tamen homo proponere, omnem diligentiam adhibere ad illa vitanda, vel minuenda, quantum humanum modo potuerit: & hoc semper satis est. Hanc tamen responsum Eximii impugnat Arriaga tom. 8. de penit. disp. 38. n. 18. & Lugo de penit. disp. 14. n. 130. ex eo, quod hoc ipsum etiam moraliter impossibile sit, scilicet facere omnia, quæ physicè possum, ad ea peccata vitanda: facere au-

tem tantum, quæ moraliter possum, non sic absolute sufficiens; cum possit dari sæpè tantum physica potentia, vel libertas, ad vitandum peccatum veniale.

Alii dicunt, posse sibi aliquem proponere evitacionem singulorum venialium, sed non omnium. At Lugo de penit. disp. 14. sec. 9. n. 129. ait, non posse in confessione fieri propositum vitandi singula, nisi simul fiat propositum vitandi omnia collectivè; nam debet quis proponere, se vitaturum hoc, & illud, & sic de aliis; alias tantum proponeret vitare singula disjunctivè, vel conditionatè, sive quod velit vitare istud, si non vitaverit alia: quod propositum non est revera propositum absolute vitandi omnia.

Arriaga tom. 8. de penit. disp. 38. n. 22. dicit, posse aliquem saltem sibi proponere, quod velit vitare omnia ea peccata venialia, quæ hic, & nunc, confessus est, & tale propositum sufficere. At, si quis se accusasset de plurimis distractionibus semideliberatis, non videtur, eas posse cum gratia ordinaria vitare, adeoque, saltem in hoc casu, quæ apud homines perfectionis studiosos frequentans est, redit tota difficultas.

Idem Arriaga tom. 8. de penit. disp. 38. n. 21. & Cardinalis de Lugo de penit. disp. 14. sec. 9. n. 137. dicunt, posse hominem tamen sibi proponere vitare omnia venialia; quamvis enim quis sciat, propositum suum non fore pro semper in futurum efficacem, tamen hic, & nunc, potest ejus propositum esse impossibile cum omni peccato: sicut aliquando etiam, qui proponit vitare omnia mortalia, prævidet, vel judicat, se iterum lapsurum ex fragilitate in aliquod mortale, ut diximus n. 294. quin tamen hæc prævisio impediatur sufficientiam propositi.

304. Sed neque hac ratione videtur omnino evitari difficultas; nam saltem pro eo instanti, quo actum contritionis elicit homo, debet esse paratus ad faciendam omnia, quæ physicè poterit, ad vitanda omnia venialia: quod, quamvis omittatur esse possibile, tamen valde difficile videtur, quod homo rite penetrans, quid sit facere omnia, quæ physicè facere poterit, ad vitanda quævis venialia, id sibi seris proponat: certè requiritur actus valde perfectus. Fortè tamen potest dici, hominem posse sibi proponere, quod velit omnia facere, quin explicitè cogitet de difficultatibus, sed tantum in confuso sibi omnia proponat: sicut etiam, qui proponit vitare omnia mortalia, non debet explicitè sibi proponere difficultates, quas debet vincere.

ARTICULUS II.

Solvuntur Objectiones.

305. **O**B. 1. contra 2. conclusionem. S. Thomas 3. p. 2. q. 92. a. 4. in corp. ait: *Peccata autem ad poenitentiam, ut detestetur peccata*

causa praterita cum proposito immutandi vitam in melius: sed hoc fit, etiam per propositum vitandi tantum peccata commissa, sine proposito vitandi alia omnia, quamvis gravia: ergo non requiritur propositum universale. Confirm. 1. Sufficit propositum excludens voluntatem peccandi; quæ prius fuit in peccante: atqui ad hoc sufficit propositum etiam non universale, modo se extendat ad omnia peccata commissa: ergo. Confirm. 2. Fideles communiter non sunt solliciti, nisi de eliciendo dolore circa peccata commissa, & de proposito, eadem non amplius committendi: ergo praxis communis repugnat nostræ sententiæ.

Resp. neg. conf. Syllogismus, nec formaliter, nec reductivè est bonus, nisi saltem in majori propositione subintelligatur particula *tantum*: sed hanc S. Doctor non subintelligit; neque enim ibi explicat omnia, quæ ad poenitentiam requiruntur, sed solum dicit, hoc etiam requiri. Dein, mutare vitam in melius, ex communi acceptatione significat, mutare priorem vitam in aliam omnino honestam, hoc est, saltem non graviter peccaminosam: & sic intelligitur etiam, quando quis dicit, quod velit, se emendare.

306. Ad 1. confirm. neg. ma. nam debet excludi omnis voluntas peccandi graviter; alias non haberet actus poenitentia, à Christo requisitus, qui involvit propositum universale, ut docemur ex Concilio, quod indefinitè, simpliciter, & absolute loquitur, ac ait: *Si voluntatem peccandi excludat*: ergo debet omnem voluntatem peccandi universaliter excludere; nam propositiones Conciliorum indefinitæ, in materia dogmatica, æquivalent universalibus. Neque hæc voluntas debet tantum excludi negativè per hoc, quod non adit positiva voluntas peccandi novo peccato: sed debet excludi positivè per ipsum actum contritionis, vel attritionis, ut includentis propositum. Ad 2. confir. neg. ant. Certè fideles communissimè dolent ex motivo generali, & sibi ipsi proponunt, cavere omnia gravia: imò debent tale propositum elicere, ad minimum necessitate præcepti; cum agatur hæc de valore sacramenti, & nostra sententia sit tutior, adversa autem longissimè remota à morali certitudine.

307. Dices. Concilium non requirit dolorem, nisi de peccatis commissis; ergo neque requirit propositum vitandi peccata, nisi commissis; cur enim major universalitas in proposito requiratur; cum tamen peccata debeant excludi per ipsum dolorem? Resp. neg. conf. In primis dolor retractativus non potest esse, nisi de peccato commissis: Tridentinum autem tantum loquitur de dolore retractativo *sess. 14. c. 4. ubi de contritione ait: Animus dolor, ac detestatio est de peccato commissis*. At non ita restrictè loquitur idem Concilium de proposito, sed indefinitè, cum proposito non peccandi de cætero.... si voluntatem pec-

candi excludat. *sess. 14. c. 4. neque propositum se tantum potest extendere ad peccata commissis, sed etiam ad omnia committenda*. Quare hic ipse diversus modus loquendi Concilii de dolore, & proposito, atque etiam diversa habitudo doloris, ac propositi, sunt ratio disparitatis inter hæc duo. Quando autem Concilium *ibidem* ait, debere peccatum excludi per ipsam attritionem, supponit, hanc elici ex motivo generali: quo casu, licet non sub ratione retractationis, tamen sub ratione odii, ac detestationis, se extendit ad omnia peccata gravia, & sub ea ratione omnia excludit.

308. Ob. 2. contra 4. conclusionem. Tridentinum, ac Florentinum, expresse faciunt mentionem propositi: sed verba Conciliorum de aliqua re debent proprie, hoc est, de re formaliter, & non tantum virtualiter tali, intelligi: ergo. Confir. Propositum virtuale jam continetur in dolore: ergo frustra Concilium addidisset propositum non peccandi, si tantum intelligi voluisset propositum virtuale. Resp. 1. Fors posset dici cum Gormaz *de poenit. n. 468. Concilia tantum loqui de formali proposito Theologicè tali*. Resp. 2. dist. mi. nisi ex posterioribus, vel aliis textibus, colligi possit sensus priorum verborum. conc. mi. secus. neg. mi. & conf. explicat autem Concilium se inferius, ut dictum n. 298.

Ad confir. dist. ant. propositum virtuale continetur in omni dolore. neg. ant. in aliquo dolore. conc. ant. & neg. conf. Concilium, dum addit ea verba: *Si voluntatem peccandi excludat*: sicut supponit, quod aliquis dolor includat voluntatem, seu propositum excludendi peccata, ita etiam supponit, quod aliquis non includat tale propositum; unde Concilium tantum voluit docere, non quamlibet attritionem ad sacramentum sufficere, sed tantum illam, quæ ratione motivi universalis includit propositum non peccandi de cætero. Ex quo etiam patet, verba illa non fuisse frustra addita: quanquam etiam non sit insolitum Conciliis, eandem rem sæpius, & pluribus terminis explicare.

309. Ob. 3. *Ezechiel. 18. v. 21. dicitur Si autem impius egerit poenitentiam ab omnibus peccatis suis, que operatus est, & custodierit omnia præcepta mea, & fecerit iudicium, & iustitiam, vitæ vivet, & non morietur*: ergo ad justificationem requiritur, non tantum dolor, sed & observatio præceptorum, seu saltem propositum formale ea observandi. Resp. neg. conseq. Possunt etiam vicissim à nobis adduci textus, in quibus nulla fit mentio propositi: sic David 2. Reg. 12. v. 13. tantum dixit: *Peccavi Domino*: & statim translatus, seu delerum est peccatum ejus; quare, sicut supra diximus n. 192. quod per similes textus non explicetur totum id, quod requiritur, ita hic dicendum, quod per quosdam textus non tantum indicetur id, quod est absolute necessarium, sed etiam, quod est utile, ac decens.

Imò

Imò aliquando, in quibusdam textibus, non agitur tantum de justificatione, sed de glorificatione; quia aliquando dicitur, poenitentiam non esse utilem, si quis relabatur in peccatum: quod certè intelligi non potest de justificatione, sed debet exponi de consecutione gloria. Textus autem obiectus, si ad literam accipi deberet, probaret, non tantum requiri propositum, sed etiam ejus executionem, seu actualem observantiam mandatorum: quod est nimium. Quare, sicut adversarii eum explicant de observatione in voto, contento formaliter in formali proposito, ita nos eundem textum explicamus, de eadem observatione in voto, contento virtualiter in formali dolore.

310. Ob. 4. Si sufficit virtuale propositum, contentum in dolore, sufficit etiam virtualis dolor, contentus in formali proposito: sed, ut ipse diximus n. 234. requiritur formalis dolor: ergo. Resp. neg. ma. Disparitas est clara: propositum per se nec virtualiter extenditur ad peccata præterita; sic sæpe proponunt, non amplius intemperanter bibere, ob metum morborum, aut mortis, quin eis displiceant computationes, in juventute exercite. At verò dolor efficax, seu, qui est virtuale propositum, se extendit ad peccata futura. Adde, quod Concilia non eodem modo insinuant, sufficere dolorem virtuale, sicut Tridentinum insinuat, sufficere propositum virtuale, per illa verba: *Si voluntatem peccandi excludat*. Gormaz *de poenit. n. 47. & seq.* distinguit inter propositum dolorosum, & non dolorosum: & ait, illud sufficere, non verò istud. Sed non capio, quomodo propositum possit esse dolorosum, quia fit formalis dolor, identificatus cum proposito. Interim iterum dico, quod dixi n. 299. non videri mihi hac in sententia sufficientem certitudinem, ut in praxin liberè possit deduci.

311. Ob. 5. contra 5. conclusionem. Si ad sacramentum poenitentia est necessarium propositum vitandi peccata venialia, plurimæ confessiones erunt invalidæ: hoc est valde durum: ergo. prob. ma. sæpe quis post elicium dolorem, & propositum, adhuc ante absolutionem, committit novum peccatum veniale: sed, qui committit novum peccatum veniale, retractat priorem dolorem, & propositum: ergo sæpe quis retractat dolorem, & propositum: ergo confessio juxta nos est invalida. prob. mi. qui rursus post elicium dolorem, & propositum, committit peccatum mortale ante absolutionem, retractat priorem dolorem de mortalibus: ergo etiam à pari, qui committit novum peccatum veniale, etiam retractat priorem dolorem de venialibus.

Respondet Lugo *de poenit. disp. 14. n. 144.* ex communi praxi confessorum, & poenitentium, quæ est optima legum interpretum, haberi argumentum à posteriori, quod in eo casu adhuc maneat sufficiens dispositio ad sacramentum; eoquod nec confessio

rii hac de re poenitentes moneant, nec isti solliciti sint de novo dolore eliciendo. Resp. in forma. neg. ma. ad prob. dist. min. qui committit novum peccatum veniale, retractat priorem dolorem, semper, & simpliciter. neg. min. aliquando quidem simpliciter, alias verò tantum secundum quid. conc. min. & sub eadem dist. conc. vel neg. 1. conseq. dein dist. etiam 2. conf. ergo confessio est invalida, si retractatur prior dolor simpliciter. conc. conf. si tantum retractatur secundum quid. neg. conf. ad prob. mi. iterum dist. ant. & conf. ut prius. nam etiam qui peccat mortaliter, non semper, strictè loquendo, retractat dolorem simpliciter, sed tantum secundum quid; quamvis tamen semper sacrilegè confiteatur.

312. Ut dictum n. 239. contritio (vel etiam attritio) detestatur virtualiter magis peccata graviora, quam minus gravia, adeoque est virtualiter multiplex: ergo, licet per novum peccatum veniale retractetur dolor, quatenus respicit peccata leviora ex semiplena deliberatione facta, non tamen retractatur simpliciter, seu etiam quoad peccata venialia graviora: sic etiam, si quis eodem dolore doleret de mortali, & veniali, per novum veniale ille dolor, vel propositum, non retractaretur ut respiciens mortale. Quod autem per novum commissum peccatum mortale, etiam levius, quam priora, reddatur sacramentum nullum, non est ratio, quod dolor, vel propositum, retractetur simpliciter, sed quod retractetur ita, ut non se extendat ad omnia mortalia, quod necesse est ad confessionem validam: ad quam tamen non est necesse, ut dolor, vel propositum, se extendat ad omnia venialia.

313. Addit Arriaga *tom. 8. de poenit. disp. 38. n. 25.* si peccata venialia omnia forent æqualia, tunc commissio iterum aliquo simili, retractari dolorem: idque etiam fieri, si quis committat de novo aliquod gravius, quam fuerint omnia, de quibus confiteri vult: quod verum videtur, quando omnia venialia sub eadem ratione detestatur; tunc enim non videtur, quomodo adhuc possit manere dolor, & propositum, circa peccata profus similia, vel inferioris malitia. Aliud foret, si quis sub diversis rationibus ea detestaretur; tunc enim dolor, vel propositum de uno, utique non retractaretur, retractato alio dolore, vel proposito specie diverso: & hinc aliqui suadent ut hoc fiat: cavendum tamen est, ne inde ex multiplicatione doloris, atque propositi, oriatur scrupuli.

Fortè tamen ex principiis Cardinalis Lugo *de poenit. disp. 14. n. 133.* traditis, aliquis diceret, revocari videm eo in casu dolorem quoad unum veniale, non verò quoad frequentiam; eoquod poenitens detestetur magis frequentiam peccatorum, quam unum peccatum solum. Verum neque hoc dici posset, si quis poenitens non afferret plura peccata ejusdem speciei: sed & alias difficultates habet hæc responsio.

K 3

quas

quas vide apud ipsum auctorem *loc. cit.* ipse autem Cardinalis *n. 146.* supponit, semper afferri in confessione peccata venialia inæqualia. Optimum erit, si quilibet curet, post elicitum convenientem dolorem, atque propositum, modestè, ac piè se gerere, donec rite confessus sit: vel in confessione addere peccatum aliquod inter venialia gravius, cuius dolor non facilè retractari possit: quamvis illud peccatum aliàs jam expositum fuerit.

314. Ob. 6. Siquis brevè post confessionem relabatur in mortale peccatum, & præsertim, si hoc sæpius accidat, dat indicium, quòd non habuerit verum propositum: ergo etiam, qui statim, & sæpius, relabatur in veniale, dat tale indicium: atqui frequenter, & statim relabuntur plerique: ergo dant indicium, quòd non habeant verum propositum. subsumo: ergo vel non requiritur verum, seu firmum propositum, quod est contra conclusionem: vel tales non possunt absolvi, quod est durissimum. Resp. neg. conf. Propositum de re maximi momenti, si sit firmum, & efficax, non statim solet mutari: at verò propositum, etiam sincerum, de rebus minoris momenti, quales, saltem in apprehensione multorum, sunt peccata venialia, longè citius mutatur, ut patet experientia. Accedit, quòd propositum efficax vitandi omnia venialia non possit servari eum gratia ordinaria, & valde difficulter possint vitari plura collectivè sumpta; quare relapsus in venialia non est eodem modo signum concepti inefficacis propositi.

315. Addunt Layman *l. 5. tract. 6. c. 4. n. 19.* & Tamburinus *de method. expedit. confess. l. 1. c. 3. §. 5.* non debere nos eodem modo vitare occasiones proximæ peccandi venialiter, sicut debemus vitare occasiones proximæ peccandi mortaliter: cum illæ sint infinitæ, & omnibus fermè actionibus misceantur: deberetque, ut ait Tamburinus, quis extra mundum exire, si eas omnes vellet vitare. At quoad hoc docet contrariam sententiam La Croix *l. 6. p. 2. n. 914.* vult enim teneri nos, saltem sub reatu venialis peccati, vitare occasiones proximæ peccatorum venialium. Puto tamen, hic faciendum esse discrimen, inter occasiones proximæ peccatorum venialium indeterminatè sumptorum, & inter occasiones proximæ peccati venialis determinatè sumpti: & illas puto, vitandas non esse.

Rationes; quia, ut jam diximus *n. 254.* hæ occasiones vix physicè possunt vitari, & moraliter omnino nequeunt vitari: cum talis occasio, aut periculum sit quodvis officium, præsertim publicum, vel quævis fermè actio longius durans: quæ sanè moraliter vitari non possunt; unde non est universaliter verum, quod La Croix *loc. cit.* docet, nempe eum, qui tale periculum, vel talem occasionem vult, velle etiam ipsum peccatum veniale; nam, quando periculum, vel occasio, etiam gravis peccati, vitari non potest, non censetur idem esse, velle

periculum, & velle peccatum; quare multò minus idem erit in periculo inevitabili venialis tantum peccati. At verò, si periculum vitari potest, uti saltem sæpe vitari potest periculum peccati venialis determinatè sumpti, tunc eipso debet vitari, & censetur idem esse, velle periculum, ac velle peccatum.

Addit insuper idem Tamburinus, *loc. modo cit.* quòd relapsus in peccata venialia, non sit signum defectus in proposito, potius signum frequentissimum occasio num, à quibus tamen non est tanta obligatio recedendi. Siquis tamen cum iisdem numero, & specie, deliberatis venialibus semper, aut sæpius rediret, nec ullo modo se emendaret, posset periculum esse, ne propositum inefficax esset; unde suadent auctores, ut talis addat ex præterita vita aliquod mortale, vel veniale gravius, cuius consuetudinem jam non habet, de quo debeat magis, ac de aliis, vel ex speciali motivo, atque adeò propositum firmum concipiat.

316. Ob. 7. Juxta nos peccata venialia non remitterentur virtute clavium, seu sacramenti: hoc non potest admitti: ergo, prob. ma. si requiritur ad confessionem venialium propositum, ea deinceps vitandi, requiritur ad eandem etiam aliquis dolor, saltem attritio de illis: sed ipsa attritio propositum (quæ præcedere debet confessionem) jam delent venialia: ergo semper supponuntur jam deleta ante sacramentum. Resp. neg. ma. remittuntur enim peccata venialia virtute clavium, saltem, si sint conjuncta cum mortalibus: si autem sint sola, diversimodè sentiunt auctores. Suarez *tom. 4. in 3. p. disp. 11. sec. 3. n. 11. & 12.* putat, omnia venialia tolli extra sacramentum per attritionem iis oppositam: eique consentiunt plures antiqui, ab ipso citati, & ex recentioribus Dicastillo, Maftrius, & alii.

317. Ratio eorum est. 1. Non requiritur actus perfectior ad deletionem venialium extra sacramentum, quàm requiritur ad deletionem mortalium: atqui ad deletionem mortalium extra sacramentum non requiritur contritio tam perfecta, ut etiam opponatur venialibus: ergo ista etiam non requiritur ad deletionem venialium adeoque sufficit attritio venialibus opposita; si enim hæc non sufficeret, requireretur contritio, etiam detestans venialia, qualis tamen non requiritur ad deletionem mortalium. Contritio elicit a beo, qui tantum habet venialia, adeoque est justus, dignificatur à gratia sanctificante, magisque Deo placet, quàm contritio peccatoris, non ita dignificata: ergo, si requireretur illa ad delenda venialia, requireretur ad ista delenda actus multò præstantior, quàm requiritur ad delenda mortalia. 3. Tridentinum *sess. 14. c. 5.* docet, peccata venialia multis aliis, hoc est, à sacramento penitentia distinctis, mediis expiari posse: si autem extra sacramentum sola perfecta contritio sufficeret, non

non essent multa alia remedia expiandi ea peccata.

Juxta hanc sententiam dist. ma. Non remitterentur formaliter virtute clavium, aut sacramenti, peccata venialia sola in iusto. conc. ma. non remitterentur radicaliter, virtualiter, aut æquivalenter. neg. ma. & dist. sic min. neg. conf. Remittuntur scilicet in hoc casu peccata venialia in sacramento penitentia, sicut remittuntur in eodem sacramento peccata mortalia, post elicitam contritionem perfectam in confessione exposita (de qua re vide infra *n. 506.*) hoc tamen discrimine, quòd mortalia necessariò debuissent exponi, non item venialia: remittitur præterea virtute clavium etiam aliqua pars poenæ temporalis.

318. Econtra Vasquez, Rhodes, ac alii, docent, nullum veniale remitti extra sacramentum per solam attritionem 1. quia, ut ajunt, non habetur fundamentum in Scripturis, aut Patribus, hanc vim tribuendi alteri actui, quàm contritioni. 2. ut ajunt, sequeretur, quòd sufficeret ad delenda venialia quivis actus virtutis, qui virtualiter contineret odium efficax peccati venialis: quòd, licet priores auctores concedant, nimium tamen videtur Vasquez; cum actus virtutum sufficienter compensentur per collationem gratiæ sanctificantis, & novi juris ad gloriam. 3. sequeretur etiam, quòd Deus, vel non instituerit hoc sacramentum ad deletionem venialium, saltem solorum, vel quòd præparaverit medicinam, quæ semper supponeret morbum ablatum, quòd utrumque videtur non admittendum: & iuxta hanc sententiam neg. ma. & ad prob. neg. min.

319. Medii inter hos incedunt Lugo *de penit. disp. 9. sec. 2. n. 29.* Arriaga *tom. 8. de penit. disp. 14. sec. 4. n. 15.* Conink, & alii, asserentes, remitti quidem per attritionem extra sacramentum aliqua venialia, sed non omnia: quo posito, neg. ma. ad prob. dist. min. attritio, & propositum delent omnia peccata venialia. neg. min. delent aliqua. conc. min. neg. conf. quæ autem, & quot peccata venialia deleantur, pendet ex benignitate Dei, acceptantis attritionem, pro his, vel illis, tot, aut pluribus peccatis, quam mensuram ignoramus: item pendet etiam ex intensione, vel perfectione actus. Hæc opinio videtur valde probabilis; primò enim sic salvatur, venialia deleri multis modis, ut docet Tridentinum *sess. 14. c. 5.* scilicet attritione, contritione, actu charitatis, oratione Dominica (ut supponit sæpe S. Augustinus) sumptione SS. Eucharistia (quæ, ut docet Tridentinum *sess. 13. c. 2.* liberat nos à culpis quotidianis, & à mortalibus præservat) item usu aliorum sacramentorum vivorum. Secundò habetur hac ratione, peccata venialia, etiam sola in iustis, remitti virtute clavium.

320. Ad id autem, quòd objiciunt auctores primæ sententia, nempe sic requisitum iri perfectiorem actum, ad delenda venialia, quàm mortalia, Resp. tantum ne-

cessarium esse perfectiorem actum ad delenda omnia venialia, non autem ad delenda tantum aliqua: & hoc non esse absurdum; cum enim delitio mortalium sit magis necessaria, potuit misericordia Dei ad eam minus exigere. Accedit, quòd de mortalibus semper adhuc requiratur confessio, non autem de venialibus, quòd onus non est contemnendum. Tandem contritio non delet mortalia, nisi tanquam meritum de congruo: in his autem, quæ Deus facit ex congruo, non licet argumentari à majori ad minus; nam etiam minus est beneficium gratia efficacax, quàm remissio peccati: & tamen remissionem peccati Deus infallibiliter promittit contritio, eamque ei actu confert: gratiam autem efficacem, nec promittit, nec semper confert.

321. Ob. 8. Ad confessionem venialium non requiritur dolor: ergo neque requiritur propositum. conf. non videtur posse negari. ant. prob. sacramentum baptismi potest tollere omnia venialia sine dolore; modò non adsit actualis affectus ad illa: ergo etiam potest eadem tollere sacramentum penitentia sine dolore. prob. ant. si baptismus non tollit dicto modo venialia, tunc adulti complures, qui statim post baptismum moriuntur, subire debent purgatorium: atqui hoc est contra communem sensum fidelium: ergo. Resp. neg. ant. ad prob. si antecedens est verum, tunc debuit Deus speciale vim tribuisse baptismi præpenitentia, idque colligi debet ex hoc ipsò fidelium sensu, de quo tamen, an talis sit, meritò dubitatur; nam hic sensus videtur potius dari ex suppositione, quòd adulti semper accedant ad baptismum cum dolore, qui prærequiritur: & sanè aliquis semper est necessarius, saltem necessitate præcepti; cum ignorent adulti, an non sint rei, peccati etiam mortalis; nam valde difficile est, adolecere sine baptismis, simul & sine gravi peccato.

Dein casus hic non daretur, nisi in ægrotis ad mortem, qui aliunde debent elicere actus, non tantum doloris, sed virtutum Theologicarum, quibus possunt ex culpæ veniales deleri. Quòd autem aliquis statim post baptismum moriatur, qui tantum habeat venialia, nec ullum dolorem prius elicuerit, nec etiam actus virtutum Theologicarum, est sanè rarissimum, & vix non moraliter impossibile. Sed & in hoc casu non est certum, quòd vi baptismi deleantur ea peccata: & multum laborat Dicastillo *tr. 8. de penit. disp. 2. dub. 20. n. 406.* ut modum inveniat, quo deleantur hæc culpæ.

322. Prius, seu *n. 401.* hic auctor cum pluribus dixerat, talem animam in ipso primo instanti status separationis, elicere actum contritionis, vel charitatis, qui, licet non sit meritorius, tamen sit removens reatum culpæ venialis. At, licet omitteretur, quòd hoc fortè dici posset de culpis venialibus, post baptismum commissis, ob quas anima deberet purgatorium subire, in

in quo talem actum posset elicere: tamen id dici non posset de culpis venialibus, ante baptismum commissis; cum propter istas (ut adversarii, qui hæc obijciunt, volunt) non debeat anima purgatorium adire: adeoque non esset locus tali dolori; neque enim in caelo (quo volunt talem animam statim ferri) locus est dolori contritionis: neque actui charitatis delenti culpam; aliàs, pro priori signo rationis ad culpam deletam, talis anima jam Deum videret, essetque beata (hoc enim est, esse in caelo) & primum pro signo posteriori talem actum eliceret, quod est inconveniens.

Dicere autem, talem hominem baptizatum, vel martyrem (nam est eadem ratio) per aliquod instans suspendi ab ingressu caeli, ut interea eum actum eliciat, Dicastillo non censet tutum; cum videatur sequi, alios etiam iustos, ab omni veniali mundatos, debere per aliquod instans detineri in iudicio, antequam admittantur in gloriam, quos tamen sine mora Deum videre est doctrina Catholica. Quare tandem dicit hic auctor n. 467. pertinere ad providentiam Dei, ut hunc casum non permittrat: sicut solet dici, ad eandem spectare, ut non permittat, hominem mori cum peccato originali, & solo veniali. In forma respondeo ad eam probationem. om. ant. neg. conf. nam hoc speciale privilegium baptismi (si tamen datur) non debet sine ratione, imò contra nostras rationes, extendi ad poenitentiam.

323. Ob. 9. contra id, quod dictum est n. 300. nepe graviter peccatum eum, qui sine dolore accederet ad confessionem venialium. Qui non implet poenitentiam levem, impositam pro peccatis venialibus, non peccat graviter: & tamen facit sacramentum ex parte infructuosum: ergo etiam non peccat graviter, qui accedit ad confessionem venialium sine dolore; quia sacramentum tantum frustratur in re levi. Confir. 1. Pati jacturam absolutionis à venialibus, est tantum aliquid leve: ergo non potest esse grave, ea confiteri sine dolore. Confir. 2. Si recipitur SS. Eucharistia sine actuali devotione, non recipitur ejus fructus: & tamen ita accedens non peccat graviter: ergo, si etiam non recipiatur fructus confessionis, ab accedente ad eam sine dolore, vel proposito, non est res gravis.

Resp. Antecedens hoc negat Tannerus tom. 4. disp. 6. de poenit. q. 8. n. 14. attamen id admittunt Suarez tom. 4. in 3. p. disp. 38. sec. 7. n. 5. Layman l. 5. tr. 6. c. 15, n. 7. Lugo de poenit. disp. 25. sec. 5. n. 74. & hoc teste communiter Theologi. in forma om. ant. neg. conf. Non implens poenitentiam non reddit sacramentum invalidum; imò nec simpliciter, sed tantum secundum quid infructuosum: non autem tenemur, sacramentum reddere semper fructuosissimum. At verò accedens ad confessionem, sine dolore, vel proposito, non tantum sacramentum frustraretur in re le-

vi: sed redderet illud invalidum, vel simpliciter infructuosum, quæ non est res levis, ut omnes sentent.

324. Ad 1. confir. retorqueo argumentum. Etiam pati jacturam absolutionis à mortalibus per unam diem, eodem modo est res levis: ergo etiam licebit sine dolore, & proposito, confiteri hodie peccata mortalia; modò quis simul proponat, eadem peccata cras cum dolore, ac proposito verè sufficienti, confiteri, in forma om. ant. neg. conf. Etiam si non gravis esset illa jactura, esset tamen grave, reddere sacramentum irritum, seu invalidum, & simpliciter istud frustrari suo effectu.

Ad 2. confir. ut aliqui ajunt, hæc est sententia Cajetani, de quo tamen dubium est: sed quidquid de hoc sit, rejicitur hæc opinio communiter à Suarez, Vasquez, Lugo, & aliis; nam sequeretur, quòd actualiter distractus sub communione poneret obicem gratiæ, & hoc ipso peccaret graviter; cum tamen tam gravem obligationem fideles non agnoscat, nec doceantur: certè S. Thomas 3. p. q. 79. a. 8. in corp. tantum docet, impediri fructum ex parte, scilicet accipi quidem habitualem charitatem, & gratiam: sed non percipi actualem refectionem spiritualis dulcedinis, quæ etiam est effectus, seu fructus SS. Eucharistiæ. in forma neg. 1. p. ant.

325. Ob. 10. Qui ob metum gravissimum, e. g. mortis, contrahit matrimonium, absque interno consensu, reddit sacramentum matrimonii irritum, nec tamen peccat graviter: ergo neque peccat graviter ille, qui reddit irritum sacramentum poenitentiae. Resp. cur ergo non liceret sine dolore confiteri mortalia? Resp. 2. neg. ant. Qui ita contrahit matrimonium, non reddit irritum sacramentum, sed jam prius irritatum supponit; ipse enim talis metus, directè ad contrahendum matrimonium incussus, irritat jam matrimonium, etsi consensus verus, & sincerus poneretur; unde taliter contrahens tantum non ponit eum consensum, qui, etiam si poneretur, non esset materia, aut forma, sufficiens ad hoc sacramentum.

Insuper Cardenas in crisi in proposito ab Innoc. XI. damnat. dissert. 20. c. 7. defendit, quòd taliter contrahens matrimonium, non simulat administrationem sacramenti, quæ simulatio nec urgenti metu excusari potest à peccato, ex propositione 29. ab Innocentio XI. damnata: Urgens metus gravis est causa justa sacramentorum administrationem simulandi; ut enim docet hic auctor, dissert. cit. a. n. 82. talis non simulat administrationem sacramenti, sed tantum simulat contractum humanum matrimonij; nam is tantum simulat administrationem sacramenti, qui ponit materiam, & formam legitimam sacramenti, sine intentione conficiendi sacramentum: qualem materiam, & formam non ponit contrahens ex metu gravi; cum consensus ex tali metu sit materia irritata, & illegitima. Aliud

Aliud foret, si quis poneret consensum legitimum ita, ut expresse dicat, se velle matrimonium: attamen non haberet intentionem conficiendi sacramentum matrimonij, cunc enim esset simulatio sacramenti: de quo vide ipsum Cardenas cit. dissert. n. 75.

Cæterum etiam hoc notandum est, quòd non rectè fiat paritas à matrimonio ad alia sacramenta; nam, cum matrimonium constituitur ex contractu, per se profano, eique Christus sua elevatione noluerit addereonus speciale, voluit etiam (supposito, quòd in casu dicti metus liceat, extrinsecè tantum sine intrinseca intentione in istum contractum consentire) voluit, inquam, Christus Dominus etiam dare licentiam ita consentiendi in tantum, in quantum ita licet consentire in aliis contractibus: non autem voluit, idem permittere in omnibus aliis actionibus sacramentalibus aliorum sacramentorum: & præsertim non voluit, idem permittere in actionibus sacramentalibus sacramenti poenitentiae, quæ non sunt ita profanæ, sicut ex natura sua, & præscindendo ab elevatione, est contractus matrimonij.

QUÆSTIO V. De Effectibus Poenitentiae.

ARTICULUS I.

An omnia Peccata possint deleri per Poenitentiam.

326. Duplici in sensu potest quaestio hæc agitari. 1. An quis semper possit agere veram poenitentiam. 2. An ista possit obtinere veniam omnium peccatorum, quantumvis enormium, & multiplicatorum. De primo hæc agere (super)tedemus; quia spectat potius ad tractatum de providentia Dei, ubi quaeritur, an Deus velit, omnes homines salvos fieri, adeoque det omnibus gratias sufficientes, qua de re egimus in tract. de Deo a. n. 615. Hic tantum dico, communitè affirmari, quòd detur gratia sufficiens omnibus, sincerè volentibus poenitentiam agere.

Circa secundum erraverunt maxime Novatiani, auctoribus Novato Episcopo Africano, & Novatiano presbytero Romano, de quibus Baronius ad ann. Chri. 254. a. n. 104. Negabant hi, semel lapsos esse in Ecclesiam recipiendos, & volebant relinquendos esse Deo: unde non negabant, peccata absolute posse remitti: sed tantum negabant, ea posse remitti potestate clavium, à Christo Ecclesiae concessa: cumque ex Stoicorum secta non facerent discernimenter peccata, sed omnia æqualia dicerent, R.P. Ant. Mayr Theol. Tom. II.

neminem lapsum recipiebant; hinc, tit habet eod. an. n. 106. Baronius, se Catharos, hoc est, puros, dicebant. Tertullianus etiam, ut habet Baronius eod. anno n. 105, nolebat, adulteros ab Ecclesia recipi. Quare istorum error potius est circa effectum sacramenti, quam circa effectum virtutis poenitentiae. At verò aliter, & melius Catholici omnes credunt de virtute, & sacramento poenitentiae, cum quibus.

327. Dico 1. Vera, & supernaturalis poenitentia, sive sit actus contritionis, sive sit receptio sacramenti, delet in hac providentia omnia peccata, quantumvis gravia, ac multiplicata. Prob. 1. Deus universaliter, & indefinitè, promittit omnibus viatoribus, rite poenitentibus, remissionem peccatorum: ergo etiam largitur eam, adeoque vera poenitentia omnia peccata delet. prob. ant. Ezechiel. 18. v. 21. dicitur: Si autem impius egerit poenitentiam ab omnibus peccatis suis, quæ operatus est, & custodierit omnia præcepta mea: & fecerit iudicium, & justitiam, vita vivet, & non morietur: omnium iniquitatum ejus, quas operatus est, non recordabor. & Jerem. 18. v. 8. Si poenitentiam egerit gens illa à malo suo, quod locutus sum adversus eam, agam & ego poenitentiam super malo, quod cogitavi, ut facerem ei. item Jsaï. 1. v. 18. Si fuerint peccata vestra ut coccinum, quasi nix dealbabitur. & Zacharia 1. v. 3. Convertimini ad me, ait Dominus exercituum, & convertar ad vos. Adde exemplum Manassis 2. Paralipom. c. 33. v. 12. qui gravissimum scelus veniam poenitentia impetravit.

328. In novo etiam testamento Christus Matth. 18. v. 22. dixit Petro, ut remittat peccata, non tantum septies, sed septuagies septies, hoc est, toties, quoties redierit verè poenitens; ita enim eum locum omnes Patres explicant, præsertim S. Hieronymus, in hunc locum ajens: Septuagies septies, id est, quadringentis nonaginta vicibus, ut toties peccanti fratri dimitteret in die, quoties ille peccare non possit. & S. Chryostomus homil. 62. (alia editio ponit 61.) in Matth. sub initium ait: Qua quidem oratione nullum omnino numerum posuit, sed indefinitè, continè, ac semper, significavit. Insuper ead. homil. idem S. Pater docet, quòd Deus, ut induceret homines ad remittendas sibi factas injurias, adducat exemplum suæ misericordiae, qua infinities graviora, contra se facta peccata, dimittit: ex quo aperte inferitur, Deum verè poenitentibus omnia peccata dimittere.

Confir. 1. Christus Matth. 18. dedit, vel saltem promisit Ecclesiae, universalem potestatem ligandi, & solvendi: ergo dedit, vel promisit universalem potestatem remittendi peccata. Confir. 2. Inveniuntur in novo testamento remissa gravissima peccata, tum vi contritionis, tum vi confessionis: sic fornicatio illa gravissima (de qua 1. Corinth.

rinth. 5. v. 1.) remittitur 2. ad Corinth. 2. itemque 2. ad Timoth. 2. v. 25. scribit S. Paulus, etiam hæreticos monendos, ut resipiscant: & S. Stephanus *Actor. 7.* etiam orat pro Judæis, qui Spiritui Sancto resistentes, & protomartyrem lapidantes, gravissimè peccarunt.

329. Addamus definitiones Conciliorum. C. Firmiter. de summa Trinitate. quod desumptum est ex Lateranensi Oecumenico sub Innocentio III. dicitur: *Si post susceptionem baptismi quisquam prolapsus fuerit in peccatum, per veram potest semper penitentiam reparari.* & Tridentinum *sess. 14. can. 1. de penit.* sic definit: *Si quis dixerit, in Catholica Ecclesia penitentiam non esse verè, & proprie sacramentum, pro fidelibus, quoties post baptismum in peccata labuntur, ipsi Deo reconciliandis, à Christo Domino nostro institutum, anathema sit.*

Insuper, cum Tridentinum contritioni tribuat vim justificandi extra sacramentum, non est ullaratio asserendi, quòd contritio non omnia peccata, sed tantum aliquas species, vel aliquem numerum peccatorum deleat. Huc, saltem in ordine ad probandam efficaciam penitentiae virtutis, spectant omnes definitiones Conciliorum, & Pontificum, ac alia argumenta, quibus à n. 206. probatum est, contritionem perfectam justificare; quia justificatio, simpliciter dicta, dicit remissionem omnium peccatorum gravium; cum præsertim unum sine altero in hac providentia non remittatur.

330. Accedunt SS. Patres. S. Leo *serm. 4. de Epiphani.* in fine ait: *Dum hoc in corpore vivitur, nullus desperanda reparatio: sed omnium est optanda correctio.* S. Ambrosius *l. 2. de penit. c. 4.* *Omnibus enim conversis pollicetur veniam; quia scriptum est: Omnis, quicumque invocaverit nomen Domini, salvus erit.* S. Hilarius *can. 18. in Matth.* *Neque enim fas est, nos ex præscripto legis danda venia numero concludi, cum per Evangelii gratiam sine modo nobis à Deo fuerit indulita.* S. Augustinus *l. 1. retract. c. 19.* sic scribit: *Loco alio peccatum ad mortem, de quo dicit Joannes Apostolus: Non pro illo dico, ut roget quis: ita definiti... sed tamen addenda fuit: si in hac tam scelerata mentis perversitate finierit hanc vitam: quoniam de quocunque pessimo, in hac vita constituto, non est utique desperandum.* Auctor *de vera, & falsa penitentia* (cujus opus extat inter opera S. Augustini tom. 4.) ait c. 5. *Ille enim solus dissidat, qui tantum peccare potest, quantum Deus bonus est: & quidem loquitur hic auctor antiquus de penitentia sacramentali, ut patet ex pluribus capitibus. vide plura apud Bellarminum tom. 3. controver. 4. de penit. l. 2. c. 15. & Suarez tom. 4. in 3. p. disp. 8. sec. 1. & 2.*

331. Dico 2. Probabilius etiam in alia providentia non est possibile peccatum essentialiter irremissibile. ita communis con-

tra quosdam recentiores, qui cum Cardinale de Lugo de penit. disp. 8. sec. 1. n. 4. volunt, aliquod peccatum simpliciter irremissibile in alia providentia esse possibile. Dico autem essentialiter irremissibile, sive, quod essentialiter, seu ex essentia sua, excludat remissionem; nam per accidens peccata damnatorum non sunt amplius remissibilia.

Prob. conclusio. Ideo ex S. Thoma 3. p. q. 86. a. 1. in corp. in hac providentia Deus potest remittere omne peccatum; quia ut Joël. 2. v. 13. dicitur: *Benignus, & misericors est, patiens, & multa misericordia, & præstabilis super malitia:* & quia alias vinceretur aliquo modo misericordia Dei: hæc autem pugnant in omni providentia, & circa omne peccatum: ergo. Confir. 1. Vinceretur suo modo omnipotentia, si esset aliquid possibile, quod ipsa absolute non posset producere, vel destruere: ergo etiam vinceretur misericordia Dei, si esset peccatum aliquod irremissibile: atqui hæc vinci non potest: ergo. Nec dicas, non præjudicari omnipotentia, si dicatur, eam non posse producere ens impossibile: adeoque neque præjudicari misericordia, si dicatur, eam non posse remittere peccatum irremissibile. Resp. enim, negando paritatem inter hæc duo; & consequenter non debet esse subiectum omnipotentia: at peccatum est ens, adeoque debet esse subiectum misericordiae.

332. Confirm. 2. Ex argumento Lugonis, ut parebit ex objectionibus, æqualiter sequeretur, possibile esse peccatum essentialiter impunitum; cum tamen peccatum ex conceptu suo sit malum poenà dignum: imò Haunoldus *l. 4. tract. 4. c. 1. n. 901.* putat, inferri, quòd esset possibile peccatum, simul intrinsecè remissibile, & irremissibile, si scilicet Deus hoc decretum Petro revelaret: *Nolo tibi remittere ullum peccatum ex intrinsecè remissibilibus:* de quo vide, si lubet, ipsummet hunc auctorem. Confirm. 3. Non est hic questio, an tale peccatum possit supernaturaliter facere omnipotentia Dei; certum enim est, Deum non posse peccare, seu ex sua determinatione, vel supernaturaliter peccatum producere: sed est questio, an homo possit habere potestatem taliter peccandi: adeoque adversarii debent probare possibilitatem, & non nos impossibilitatem: & quidem debent, illam probare gravibus rationibus, quales non afferunt; cum alias prorsus judicari debeat, tale peccatum præjudicare misericordiae Dei.

ARTICULUS II.

Solvuntur Objectiones.

333. **O**B. 1. contra 1. conclus. Antiochus, Esau, & alii quidam, de quibus fit mentio Prov.

Prov. 1. non obtinuerunt veniam: quamvis pœnitentiam egerint: ergo. prob. ant. de primo, seu de Antiocho, dicitur 2. Machab. 9. v. 13. *Orabat autem hic scelestus ad Deum, à quo non esset misericordiam consecutus:* de altero, seu Esau, dicitur ad Hebr. 12. v. 17. *Non enim invenit penitentia locum, quanquam cum lacrymis inquisisset eam:* de reliquis dicitur *Prov. 1. v. 28. Tunc invocabunt me, & non exaudiam:* ergo. Resp. dist. ant. isti non obtinuerunt veniam, quamvis egerint penitentiam veram, & supernaturalem. neg. ant. quamvis egerint penitentiam aliquam quamcumque naturalem. conc. ant. & neg. conf. ut enim habet Angelicus 3. p. q. 86. a. 1. ad 1. Antiochus dolebat de culpa, non ideo, quòd esset offensa Dei, sed quòd esset causa infirmitatis corporalis.

Quin imò, si etiam dolor ille fuisset attritio supernaturalis, non potuisset eo tempore culpam delere, quando nondum erat institutum sacramentum pœnitentiae: & tamen naturalis tantum fuit: imò valde incertum est, an etiam dolor efficax fuerit, & non conditionatum saltem affectum ad peccatum habuerit conjunctum: an non Antiochus injusta bona retinere, læsis autem nullam satisfactionem præstare voluerit: certè S. Scriptura ibi Antiochum valde nigris coloribus depingit. Esau, ut iterum ibidem docet S. Thomas, non veram pœnitentiam egit; cum habuerit adhuc animum peccandi; nam *Gen. 27.* ubi illa pœnitentia (scilicet, quòd Esau desleverit vendita sua primogenita, & præreptam sibi benedictionem patris) narratur, simul v. 41. refertur idem dixisse: *Venient dies luctus patris mei, & occidam Jacob fratrem meum.* Illi autem, de quibus *Prov. 1.* agitur, pertinent ad alteram vitam, in qua non est locus pœnitentiae fructuosæ.

334. Ob. 2. Apostolus ad Hebr. 6. v. 4. scribit: *Impossibile est enim, eos, qui semel sunt illuminati, ... & prolapsi sunt, rursum renovari ad penitentiam:* ergo peccata Christianorum non possunt iteratò remitti. Confirm. ad Hebr. 10. v. 26. dicitur: *Voluntarie enim peccantibus nobis, post acceptam notitiam veritatis, jam non relinquitur pro peccatis hostia:* ergo. Resp. dist. conf. Peccata Christianorum non possunt iterum remitti per baptismum, & pœnitentiam præcedentem ad baptismum. conc. conf. non possunt remitti per sacramentum pœnitentiae. neg. conf. ita Angelicus 3. p. q. 84. a. 10. ad 1. ubi circa hunc textum S. Pauli docet (id quod etiam patet ex Scripturis) Judæos habuisse, pro variis immunditiis legalibus, varia lavacra iterabilia; hinc eosdem voluisse etiam iterare baptismum.

Quando igitur eo loco S. Paulus negat, possibile esse, lapsos renovari, negat posse iterum baptizari; nam renovatio spectat propriè ad baptismum, qui est lavacrum regenerationis, seu renovationis spiritus: subdit autem S. Paulus rationem per hæc verba: *v. 6. Rursum crucifigentes sibi metipsos sili-*

um Dei: hoc est, volentes iterum Christo crucifixo mysticè commori per baptismum, ut explicat S. Thomas *loc. cit.* non potest autem homo iteratò Christo commori eo modo, quo id fit per baptismum. Et ita hunc locum, præter doctores scholasticos plurimos, etiam exponunt, teste Cornelio in hunc locum omnes pene veteres, SS. Ambrosius, Athanasius, Chrysoströmus, Hieronymus, Augustinus &c.

335. Auctor etiam libri de vera, & falsa penitentia (qui habetur tom. 4. inter opera S. Augustini) c. 3. ait, S. Paulum per epistolas suas corripisse, lapsos post baptismum, & subjungit: *Si non possunt renovari per penitentiam, cur predicaret eam? Præterea Corinthios, & excommunicatum, & post baptismum peccantem, & fornicationem gentium superantem, quomodo reciperet penitentem, si sic contra suum predicaret præceptum? Sed de baptismo hoc intellexit; dixit enim, eos renovari per penitentiam impossibile esse, ut rursum crucifigant filium Dei, & ostentui habeant, id est, ut iterum baptizentur; qui enim baptizatur, mortem crucis, & sepulturam Christi, repræsentat in immersione sua; in signo enim crucis quisque in aqua submergitur, & submersus sepultus ostenditur; non enim qui lapsi sunt, per iteratum baptismum consequi veniam poterunt; sicut enim semel Christus crucifixus est, sic baptismus iterandus non est.* Cornelius in hunc locum n. 267. ait, posse illud impossibile accipi pro difficillimo; quia difficillimè convertuntur gravissimi præsertim peccatores, de quibus (nempe de apostatis à fide) eo loco sermonem esse, ibidem Cornelius efficaciter probat.

Ad confirm. neg. conf. S. Chrysoströmus *homil. 20. in epist. ad Hebræos. in hunc locum.* sic scribit: *Hic non tollit S. Paulus penitentiam, nec eam, qua per penitentiam fit, placationem; non enim dixit: Non est amplius penitentia, neque est amplius remissio: sed: Non est amplius hostia: hoc est: Non est amplius crux secunda: seu non est amplius mors Christi secunda, cui homo altera vice per baptismum configuratur: de quo baptismo ibi ei est sermo; & ad quem aliqui nolebant accedere, ne, si posset peccarent, non amplius possent sperare salutem: quos S. Pater ibi refellit.*

336. Ob. 3. Christus *Matth. 12. v. 32.* ait: *Qui autem dixerit verbum contra Spiritum Sanctum, non remittetur ei, neque in hoc sæculo, neque in futuro:* ergo istud peccatum est inextinguibile. Confirm. *Actor. 8. v. 22.* S. Petrus dicit Simoni mago: *Pœnitentiam itaque age ab hac nequitia tua, & roga Deum, si forte remittatur tibi hæc cogitatio cordis tui:* atqui particula *forte* significat, hoc peccatum posse esse inter irremissibilia: ergo. dantur talia peccata. Resp. neg. conf. cum S. Thoma 3. p. q. 86. a. 1. ad 3. ubi ait: *Illud verbum, vel blasphemiam contra Spiritum Sanctum est finalis impœnitentia, ut Augustinus dicit in libro de verbis*

Domini, qua penitus irremissibilis est; quia post finem hujus vita non est remissio peccatorum. Vel, si intelligatur per blasphemiam Spiritus Sancti, peccatum, quod fit ex certa malitia, vel etiam ipsa blasphemiam Spiritus Sancti, dicitur non remitti, scilicet de facili. Et sic etiam apud Suarez tom. 4. in 3. p. disp. 8. sec. 1. n. 18. exponunt hunc textum SS. Chrylостomus & Cyprianus. Ad confirm. neg. min. Particula fortè in Scripturis non significat semper incertitudinem; nam Deus *Ezechiel. 2. v. 5. ait: Si forte vel ipsi audiant; cum tamen utique presciverit Deus, quid essent facturi: significat igitur ibi ea particula tantum difficultatem ex parte Simonis, ad agendam veram poenitentiam. vide tr. de Deo. n. 393.*

337. Ob. 4. Aliqua sunt peccata, pro quorum remissione non debemus orare: hæc utique non remittuntur: ergo. prob. ma. 1. Reg. 2. v. 25. dicitur: *Si autem in Dominum peccaverit vir, quis orabit pro eo? & Jerem. 7. v. 16. Tu ergo noli orare pro populo hoc, nec assumas pro eis laudem, & orationem, & non obsistas mihi; quia non exaudiam te.* item 1. Joan. 5. v. 16. *Et peccatum ad mortem: non pro illo dico, ut roget quis:* ergo. Resp. cur ergo orat Ecclesia die Parasceves pro omnibus, etiam pro perfidis Judæis? in forma. dist. ma. non debemus pro eorum remissione orare omni modo. om. ma. non debemus orare ullo modo. neg. ma. & sic dist. min. neg. conf.

Ad prob. neg. conf. & explico textus. Primus est Heli sacerdotis, qui non dicit: *Nemo orabit:* sed: *Quis orabit?* nempe non quis est aptus ad intercedendum pro enormibus peccatoribus, ut exaudiatur. Ostenditur igitur difficultas, non impossibilitas veniæ: & sic exponit hunc locum etiam S. Ambrosius l. 1. de poenit. c. 8. sic scribens: *Quis orabit pro eo? hoc est, singularis vita aliquis debet orare pro eo, qui peccavit in Dominum; quia, quo major culpa, eo majora sunt quarenda suffragia.*

338. Altero textu apud Jeremiam Deus vult, ut propheta non oret pro remissione poenarum temporalium, quas minatur ibi Dominus, quæque non semper remittit, etiam deprecantibus: non autem vult, ut non oret pro remissione culpæ, aut poenæ æternæ. Tertium textum S. Joannis exponit S. Thomas in 2. disp. 43. in exposit. textus, dum ait: *Non prohibetur oratio pro eo fieri, sed ostenditur, quod præceptum de orando pro proximis fidelibus, non se extendit ad tales peccatores; quia propter sui peccati enormitatem hoc merentur, ut à fidelibus relinquuntur, sicut ethnici, & publicani.* Sic etiam explicat eundem textum S. Augustinus l. 1. de sermon. Domini. c. 22. occasione hujus textus S. Joannis sic scribens: *Aperte enim ostendit, esse quosdam fratres, pro quibus orare non nobis precipitur.* S. Ambrosius verò l. 1. de poenit. c. 9. docet, S. Joannem tantum velle, ut non quilibet oret, sed tantum homo selectioris virtutis; cum alius non sit exaudi-

endus: id quod idem S. Doctor, verbis num. precedente citatis, etiam dixerat circa dictum Heli Sacerdotis: quibus modis loquendi S. Scripturæ, & SS. Patrum, declaratur periculum talis peccatoris. Quale autem sit peccatum, quod vocatur ad mortem, vide apud Suarez tom. 4. in 3. p. disp. 8. sec. 1. n. 20. & seq. ubi n. 22. putat, esse peccatum finalis impoentitiæ: citatque pro se SS. Augustinum, Bedam, Gregorium, atque addit, pro tali peccatore non orandum; eoquod sit jam extra statum salutis.

339. Ob. 5. S. Augustinus l. 1. de serm. Domini in monte c. 22. ait: *Peccatum ergo fratris ad mortem puto esse, cum post agnitionem Dei per gratiam Domini nostri Iesu Christi, quisque oppugnat fraternitatem, & adversus ipsam gratiam, qua reconciliatus est Deo, invidentia facibus agitur.* & infra subjungit de hoc peccato: *Illius peccati tanta labes est, ut deprecandi humilitatem subire non possit; ergo non omne peccatum potest per poenitentiam deleri.* Resp. dist. conf. non omne peccatum potest absolute deleri, neg. conf. non omne potest sine magna difficultate deleri. conc. conf. S. Augustinus explicat S. Thomas 3. p. q. 86. a. 1. ad 2. ubi sic ait: *Illud verbum Augustini sic intelligendum est: Tanta est labes illius peccati, ut deprecandi humilitatem subire non possit, scilicet de facili, secundum quod dicitur ille non posse sanari, qui non potest de facili sanari: potest tamen hoc fieri per Divina gratia virtutem, quæ etiam in profundum maris convertit:* & sanè hæc explicatio admittenda est, ne admitti debeat, S. Augustinum sibi contradicere loc. cit. n. 330.

340. Ob. 6. S. Ambrosius l. 2. de poenit. c. 10. ait: *Merito reprehenduntur, qui sapius agendam poenitentiam putant; quia luxuriantur in Christo.* Idem S. Pater relatus C. Est injusta. 23. q. 4. ait: *Facilius enim veniæ incentivum tribuit delinquenti: ergo saltem peccata repetita non possunt deleri per poenitentiam.* Confirm. S. Gregorius homil. 34. in Evangel. post medium ait: *Poenitentiam quippe agere est perpetrata mala plangere, & plangenda non perpetrare.* S. Ilidorus autem l. 2. de summo bono c. 16. relatus C. Irrisor est. 11. de poenit. disp. 3. ait: *Irrisor est, non poenitens, qui adhuc agit, quod poenitet: ergo non omnia peccata, saltem non illa, quæ facta sunt, post poenitentiam jam semel actam, remittuntur.*

Resp. neg. conf. Primus textus S. Ambrosij loquitur de poenitentia publica, ut patet ex titulo capituli, in quo est mentio, de poenitentia publica: item ex verbis mox adj. etis: *Sicut unum baptismum, ita una poenitentia, qua tamen publice agitur:* fuit autem contra Ecclesiæ mores, sæpius agere poenitentiam publicam ut testatur S. Thomas 3. p. q. 84. a. 10. ad 2. Alterum textum Angelicus loco modo citato etiam exp-

exponit de poenitentia publica; ait enim: *Ambrosius loquitur de poenitentia solenni, que in Ecclesia non iteratur.* Dein hic textus secundus non probat, peccatum non posse remitti, aut non posse sæpius poenitentiam agi: sed tantum, non adeo leves poenitentias esse injungendas: quod non est contra nos.

Certè ibi S. Ambrosij intentum tantum est, ostendere, non semper nimiam lenitatem, seu misericordiam prodesse; & exinde inferre, sacerdotes non debere esse nimis faciles in poenitentis. ex quo tamen potius probatur, peccata debere à sacerdotibus remitti, modo tamen poenitentibus utiliore. Quodsi etiam aliquando, ex voluntate Dei, facile remittantur peccata verè poenitentibus, non ideo præbetur istis incentivum delinquendi; nam ista facilitas est tantum occasio accepta peccandi, non data. Deis non omnibus, præsertim magnis peccatoribus, est profusus facilis vera poenitentia: neque tamen etiam esse nimis in ea rigor, ne scilicet homines deserent, ut inquit Angelicus loc. modo cit. ad 6.

Ad confirm. S. Gregorius, & S. Ilidorus à S. Thoma 3. p. q. 84. a. 10. ad 4. sic exponuntur: *Dicendum, quod poenitere est antea peccata deslere, & deslenda non committere, scilicet simul, dum flet, vel actu, vel proposito; ille enim est irrisor, & non poenitens, qui simul, dum poenitet, agit, quod poenitet, vel proponit, iterum se facturum, quod gessit, vel etiam actualiter peccat, eadem, vel alio genere peccati. Quod autem aliquis postea peccat, vel actu, vel proposito, non excludit, quin prima poenitentia vera fuerit; nunquam enim veritas prioris actus excluditur per actum contrarium subsequenem; sicut enim verè currit, qui postea sedet, ita verè poenituit, qui postea peccat.* in forma neg. conf.

341. Ob. 7. Miracula, à Christo facta in sanatione corporum, significant sanationem spiritualem animarum: sed Christus neminem bis sanavit à morbo: ergo neque bis remittit peccatum. Confirm. Baptismus iterari non potest: ergo nec poenitentia. Resp. neg. conf. Syllogismus incedit quatuor pedibus, nec est similitudo omnimoda, inter sanationes corporales, & spirituales; alius, sicut Christus sanavit paucos, respectivè ad innumeros ægros, ita etiam non omnes peccatores, nec prima vice, spiritualiter sanaret. Ad confirm. neg. conf. iteratio sacramenti pendet ex voluntate Christi, nobis per Ecclesiam manifestata: voluit autem Christus quædam sacramenta iterari, non autem alia (nam etiam Novatiani admittunt, SS. Eucharistiam iterari posse.) Deinde paritas (ut diximus statim n. 9.) ab uno sacramento ad alterum fieri non potest. Congruentiam tamen aliquam, quare potius poenitentia, quam baptismus, iterari possit, assert S. Thomas 3. p. q. 84. a. 10. ad 5. scilicet hanc, quod baptismus sit spiritualis generatio, præcedente morte spirituali: homo autem tantum semel nascatur, &

moriatur: e contra poenitentia sit spiritualis medicina: medicina autem sæpius sumatur.

342. Ob. 8. contra 2. conclusionem. Si revelaret Deus Petro hoc suum decretum: *Nolo deinceps tibi remittere ullum peccatum:* & Petrus non crederet huic revelationi, tunc hæc incredulitas, sive hoc peccatum Petri, esset essentialiter, seu ex sua essentia, irremissibile: atqui hoc peccatum potest dari, saltem in alia providentia: ergo potest dari peccatum irremissibile, saltem in alia providentia. min. non potest negari; quia non potest ostendi ulla in hoc casu implicentia. prob. ma. istud peccatum Petri essentialiter præsupponeret illud decretum Dei, seu revelationem illius essentialiter veram: ergo non posset remitti; aliàs enim falsificaretur revelatio, aut mutaretur absoluta voluntas Dei.

Hoc est argumentum Cardinalis de Lugo, citati n. 331. Præmissis retorsionibus ex confirmatione, adducta n. 332. Resp. cum Arriaga tom. 8. de poenit. disp. 12. sec. 3. n. 29. neg. ma. ad prob. neg. ant. Peccatum hoc potest idem, & eodem modo dari, sive revera detur revelatio, sive Petrus per confessionem erroneam putet, eam dari. Sic, si parochus indoctus proponat aliquam rem tanquam Divinitus revelatam, credendam rusticis: isti autem absolute quidem judicent, eam rem esse revelatam, & tamen non credant, committunt idem peccatum infidelitatis, acsi revelatio verè data fuisset: item est idem peccatum, sive revera sit dies Veneris, sive tantum existimes, esse eam diem, si tunc comedas carnes. Igitur hoc peccatum Petri est intrinsicè remissibile; nam, si decretum non daretur, peccatum hoc remitti posset; unde tantum ratione decreti revera existentis sit extrinsicè irremissibile.

343. Dices. Cognitio est causa volitionis: volitio autem est identificata cum actione productiva sui, & consequenter essentialiter connectitur cum sua causa: ergo in nostro casu peccatum Petri, sive ejus volitio, habet essentialem connexionem cum revelatione, tanquam cum cognitione præcedente. Resp. dist. ma. cognitio est causa physica volitionis. neg. ma. moralis tantum, vel idealis. om. ma. & om. min. neg. conf. non enim effectus, vel etiam actio, habet essentialem connexionem cum causis tantum moralibus, vel idealibus: cognitio autem non est causa physica respectu volitionis, ut defendunt communis Scotistæ, cum nostris. Quodsi tamen omnino velis, aliquam cognitionem debere influere physicè in volitionem, debet in hoc casu, præter illustrationem supernam Spiritus Sancti, adesse aliqua cognitio naturalis, qua cognoscere-tur revelatio, eaque cognitio tantum naturalis, adeoque non essentialiter vera, physicè influere in volitionem peccaminosam.

344. Nam, ut rectè ait Gormaz de poenit. n. 392. effectus naturalis, qualis est peccatum (quia Deus non potest esse auctor, aut causa

peccati; cum tamen ipse sit auctor, & principalis causa cuiusque effectus supernaturalis effectus, inquam, naturalis non potest habere connexionem essentialiorem cum ente supernaturali; alias enim superaret vires, & exigentiam totius naturæ creatæ; nam actus essentialiter exigens pro priori aliquid supernaturale, vel habet connexionem cum illo ente supernaturali, tanquam cum causa: & est manifestum, quod superet vires naturæ creatæ, adeoque sit supernaturalis: vel habet connexionem cum illo ente supernaturali, tanquam cum conditione essentialiter requisita: & quia natura creata non potest operari, nisi ut expedita, seu instructa, aut adjuva suis conditionibus &c. talis actus iterum non potest à causa naturali naturaliter produci: adeoque rursus superat vires naturæ creatæ. Igitur volitio peccaminosa Petri non potest habere essentialiorem connexionem cum revelatione, seu cognitione supernaturali: consequenter, si volitio dicta debet essentialiter dependere ab aliqua cognitione, physice influente, debet ista esse naturalis.

Ex quo præoccupatur etiam id, quod fors objici posset, scilicet, saltem supernaturaliter esse possibilem volitionem peccaminosam, quæ essentialiter respiciat tale decretum; nam hoc ipsum ex dictis implicat; quia peccatum supernaturale esse non potest. Quæ omnia præsertim vera sunt in nostris principiis in tract. de actibus humanis. à n. 127 ubi diximus, quod libertas sit actibus voluntatis tantum extrinseca. Siquis autem vellet urgere, ac dicere, saltem esse possibilem actus intrinsicè liberos, respondendum esset, non esse possibilem, saltem peccaminosum, qui essentialiter præsupponant, tanquam causam, vel conditionem, aliquid Theologicè supernaturale.

345. Ob. 9. Peccata damnatorum in inferno, præsertim odium, quo feruntur in Deum, supponunt essentialiter metaphysicam certitudinem de æternitate pœnarum, sive de irremissibilitate peccatorum: ergo sunt essentialiter irremissibilia, maxime verò illud odium Dei, quo in ipsum feruntur propterea, quod sciunt, ipsum sibi implacabilem esse, nec velle unquam peccata, quæ ipsi commiserunt, remittere: sed velle ea æternis pœnis punire. ita quidam recentiores apud Haulboldum l. 4. tr. 4. n. 903. Resp. neg. ant. Idem odium Dei posset elici, quamvis damnati tantum putarent per errorem intellectus, se æternum esse puniendos. Dein odium illud non supponit per se, saltem necessariò, opinionem de sua irremissibilitate, sed potius tantum de irremissibilitate præcedentium in vita peccatorum, quæ tantum sunt per accidens irremissibilia, nisi velis, damnatum se reflectere super decretum Dei, de non remittendo etiam ipso hoc odio: sed etiam tunc negatur, quod odium hoc per se supponat talem reflexionem, saltem essentialiter veram.

ARTICULUS III.

An Merita Mortificata reviviscant per Pœnitentiam.

346. **O**pera humana alia dicuntur opera viva, alia mortua, alia mortifera, alia mortificata. Prima, seu opera viva sunt opera supernaturalia meritoria, hominis in statu gratiæ constituti, quorum effectus ex S. Thoma 3. p. q. 89. a. 4. in corp. est: *operi ducere ad vitam æternam*. Secunda, seu opera mortua, sunt opera ab homine in statu gravi peccati elicita, quæ meritum vitæ æternæ non habent. Tertia, seu mortifera sunt gravia quæque peccata, quæ scilicet mortem afferunt. Quarta, seu mortificata sunt ea opera, quæ prius fuere viva, à superveniente autem peccato gravi sunt mortificata, hoc est, privata effectû perducendi hominem ad vitam æternam.

Et de his ultimis solis quæritur, an post actam pœnitentiam, sive sacramentalem, sive aliam iustificantem, iterum vim, prius habitam, sed per peccatum perditam, acquirant, vim scilicet merendi, competentem sibi gradum gratiæ, ac gloria; nam de operibus mortuis communis est Theologorum sententia, cum S. Thoma 3. p. q. 89. a. 6. in corp. ea non reviviscere, seu nunquam acquirere vim meritoriam de condigno gratiæ, aut gloriæ, ex illo S. Pauli 1. ad Corinth. 13. v. 3. *Esti distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, & si tradidero corpus meum, ita, ut ardeam, charitatem autem non habero, nihil mihi prodest*: prodescent autem valde opera illa, si vivificarentur.

347. Dico 1. Merita mortificata reviviscunt post pœnitentiam. ita Theologi omnes cum S. Thoma 3. p. q. 89. a. 5. & quidem plures oppositum graviter censurant, ut videre est apud Lugonem de pœnit. disp. 11. sec. 1. n. 3. Prob. conclusio 1. hac ipsa auctoritate communi, quæ in re, dependente à voluntate Dei, & nobis tantum per revelationem innotescente, magni ponderis esse debet. Prob. 2. ex Scriptura, saltem junctâ glossâ, vel interpretum sensu. Joel. 2. v. 25. dicitur: *Et redam vobis annos, quos commedit locusta, bruchus, & rubigo, & eruca*: quæ verba glossa interlinearis explicat: *Non patiar perire ubertatem, quam perturbationibus animi perdidistis*: per ubertatem autem rectè intelligitur ubertas bonorum operum, aut meritorum; hæc enim perturbationibus animi, seu peccatis, perditur.

348. Efficacior fortè est locus S. Pauli ad Hebr. 6. v. 10. *Non enim injustus Deus, ut obliviscatur operis vestri, & dilectionis, quam ostendistis in nomine ipsius, qui ministrastis Sanctis, & ministrastis*. Circa hunc textum Suarez in opusculo, seu relectione de reviviscencia meritorum. disp. 1. sec.

sec. 1. maxime à n. 19. Lugo de pœnit. disp. 11. sec. 1. n. 3. (ubi ait, hanc esse communem interpretationem) item Dicastillo rr. 8. de pœnit. disp. 2. n. 582. notant, S. Paulum alloqui Hebræos, non tantum iustos, sed etiam peccatores, seu aliquando lapsos: sive tempore scriptæ epistolæ jam conversi fuerint, sive non, quod, ut rectè ait Suarez loc. cit. parum refert.

Scribit autem ipse Apostolus, quod non possint amplius renovari per baptismum (verba dedimus n. 334.) hortatur dein illos ad pœnitentiam agendam, vel etiam ad confidentiam habendam in bonitate Dei, post actam pœnitentiam, proposito etiam hoc motivo, quod Deus non sit injustus, ut obliviscatur bonorum operum: ergo per ministrastis intelligit opera misericordiæ, facta quidem ante peccatum, sed etiam ante actam pœnitentiam, quæ ante lapsum necdum potuit agi: adeoque intelligit opera, postea per lapsum mortificata: & consequenter, dum dicit, Deum etiam horum non oblivisci, proponit eis reviviscencia meritorum, nempe operum mortificatorum.

349. Dices 1. Ergo per ministrastis S. Paulus etiam intelligit opera, quæ ante actam pœnitentiam faciunt, vel fecerunt; adeoque vult, quod etiam opera mortua reviviscant. Resp. neg. illatum; nam ex hoc ipso, quod consequens istud sit falsum, probatur, quod illud ministrastis non spectet ad lapsos, & necdum conversos: sed ad iam iustos, quales utique etiam plures fuere. Dices 2. Ergo potest dici, per ministrastis, & ministrastis, tantum intelligi diveritatem temporis, seu tantum opera præterita, & præsentia. Resp. iterum neg. illatum; hac enim ratione non debuisset S. Paulus facere mentionem oblivionis Dei; physice enim Deus nullius rei obliviscitur: moraliter autem, seu quoad conferendum præmium, respectu Dei eodem modo se habet opus præteritum, & præsens; unde intelligitur diveritas statû operum: quasi diceretur: Deus, in ordine ad præmium, etiam non obliviscitur operum, quæ facta sunt ante lapsum, modò post hunc acta sit pœnitentia: quamvis eorum obliviscatur, si non agatur pœnitentia.

Dices 3. Apostolum tantum alloqui iustos, & velle dicere, Deum non obliviscitur eorum operum, in ordine ad dandam perseverantiam. Sed iterum neg. illatum; nam Deus non tenetur, dare hominibus perseverantiam ex justitia (qualiscunque detur inter Deum, & hominem) cum tamen hic sermo sit de præmio, ex ista justitia dando. Tandem glossa interlinearis hunc locum de reviviscencia meritorum exponit, & ad vers. præced. ait: *Olim multa bona operati estis, pro quibus, si pœnitetis de malis, bene faciet vobis Deus*.

350. Iterum ad Galat. 3. v. 4. scribit Doctor gentium: *Tanta passi estis sine causa? si tamen sine causa*: alloquitur autem lapsos; nam præmittit v. 1. *O insensati*

Galata, quis vos fascinavit &c. per illa verba autem, si tamen sine causa, docet, ea opera priora, seu exercitia patientiæ, in malis, per contribules infideles illatis, posse ipsis prodesse, si iterum statum gratiæ per pœnitentiam recuperent; sic enim scribit S. Hieronymus in hunc locum: *Simul & hic aspiciendum, quod, quicumque ob Christi fidem laboraverit, & postea lapsus fuerit in peccatum, sicut priora sine causa dicitur passus fuisse, dum peccat, sic rursum non perdat ea, si ad pristinam fidem, & antiquum studium revertatur*: & Angelicus in c. 3. ep. ad Galat. lect. 2. in ea verba: *si tamen sine causa*: ait: *Quod ideo dicit; quia in eorum potestate erat pœnitere, si vellet, quamdiu viverent*. Ex hoc autem habetur, quod opera mortificata reviviscunt. Insuper, ut testatur Suarez opus. seu relection. de reviviscencia. disp. 1. sec. 1. n. 12. communiter ita hunc locum explicant scholastici, & factis communiter Patres, ac interpretes: quæ auctoritas, ut dictum, in hac questione magni ponderis est.

Accedit Felix Papa III. qui, ut refert Baronius ad ann. 483. n. 26. Acacio Episcopo Constantinopolitano (qui Basilico imperatori, Concilium Chalcedonense reijcanti, fortissimè resistere, postea verò Zenone imperante, hæreticis Timotheo Eluro, Petro Fulloni, ac aliis, valde culpabiliter faverat, atque ob hos suos lapsus pœnas graves promerit fuerat) huic, inquam, Felix, ut ipsum ad pœnitentiam revocaret, sic amanter scripsit: *Ubi est, frater Acaci, labor tuus, quo tyrannidis hæretica tempore deludasti? Patieris hoc damno conscientia tua ejusmodi perire mercedem? ergo potuit merces operis boni, ante lapsum patrati, iterum recuperari; alias hoc motivum inaniter allatum fuisset.*

351. Tandem Tridentinum sess. 6. c. 16. tres tantum condiciones requirit ad hoc, ut per opera nostramercamur. 1. ut sint in statu gratiæ facta, sive à justificatis. 2. ut sint facta in Deo, sive ex supernaturali Dei auxilio. 3. ut operans in gratia debeat: quæ omnia verificantur in nostro casu. Idem Concilium eod. cap. ait: *Justificatis hominibus, sive acceptam gratiam perpetuò conservaverint, sive amissam recuperaverint, proponenda sunt Apostoli verba... Labor vester non est inanis in Domino (1. Corinth. 15. v. 58.) non enim injustus est Deus, ut obliviscatur operis vestri, & dilectionis (ad Hebr. 6. v. 10.) quæ expendimus n. 348. Non autem Concilium tantum intelligit opus, seu opera, ultimam justificationem subsequentia, sed etiam antecedentia; alias fecisset gratis distinctionem inter lapsos, recuperantes gratiam amissam, & inter semper iustos; non enim dubitabatur, an lapsozum, sed iterum justificatorum opera, justificationem subsecuta, essent meritoria. Ex quo etiam confirmantur dicta n. 348. cum sanè Tridentinum quoque*

videatur, eum textum juxta nostram sententiam de prius lapsis accipere.

352. Dico 2. Opera, seu merita mortificata, reviviscunt per poenitentiam integrè, ad totum essentiale præmium gratiæ, & gloriæ. ita plures gravissimi auctores, quos citat Dicastillo *tr. 8. de poenit. disp. 2. dub. 28. n. 628.* Prob. Scripturæ, Concilia, & Patres, asserunt, opera simpliciter, & universaliter, reviviscere: ergo reviviscunt quoad totam suam vim, quam prius habebant; neque enim debemus limitationem apponere sine sufficienti fundamento, quale adversarij non habent, ut patebit ex solutione objectionum. ant. prob. textibus *n. 347. & seq.* allatis: certè Joël dicit, non tantum annum, sed annos reddendos, hoc est, omnem fructum: & Apostolus indefinitè ait, Deum non oblivisci operis, adeoque nullius: item de omnibus ait, non esse necessariò sine causa tolerata: Tridentinum etiam pro omnibus tantum requirit tres conditiones: neque in his textibus ullo modo insinuat, quòd opera non reviviscant quoad totum præmium, sed tantum quoad aliquam partem illius: ergo.

Confir. Ut docet Angelicus *3. p. q. 89. a. 5. in corp.* merita per peccatum subsequens non omnino delentur: sed, ut ait, *remanent in acceptatione Divina . . . quantum est de se, etiam postquam per peccatum mortificantur*: sic tamen (ut ibidem S. Doctor exponit) ut hinc & nunc, eorum effectus suspendatur, propter impedimentum peccati, propter quod, hinc & nunc, non possunt perducere in vitam æternam: hoc autem impedimentum iterum tollitur per poenitentiam: ergo merita iterum effectum suum producant.

Ibidem ad 1. S. Thomas sic scribit: *Opera peccati per poenitentiam abolentur secundum se, ita scilicet, quòd ex eis ulterius, Deo indulgente, nec macula, nec reatus inducatur. Sed opera in charitate facta non abolentur à Deo, in cuius acceptatione remanent: sed impedimentum accipiunt ex parte hominis operantis. Et inde remoto impedimento, quòd est ex parte hominis operantis, Deus implet ex parte sua illud, quòd opera merebantur*: ergo post poenitentiam opera acquirunt totam vim, quam habebant ante peccatum, consequenter reviviscunt ad totum præmium. Explicat hoc Vasquez exemplo mercatoris, cui rex debet plura millia: si hic regem graviter offendat, suspenditur ejus jus ad debitum: si rursus reconcilietur, jus reviviscit. Arriaga id exponit exemplo præcepti, cujus obligatio potest suspendi ob occurrens impedimentum, impossibilem reddens illius executionem, quo sublato reddit obligatio.

353. Dico 3. Probabiliter recuperatur per poenitentiam etiam gratia, prius acquisita ex opere operato, per usum sacramentorum. ita communiter nostri cum Eximio *opusculo, seu relectione de reviviscunt. me-*

rit. disp. 2. sec. 3. n. 56. & Thomistæ cum Bannez, contra Vasquez, & alios. Equidem hæc conclusio, non eodem modo, ac prima, probari potest ex Scriptura, Conciliis &c. cum in his sermo sit de meritis ex laboribus nostris, adeoque de gratia ex opere operantis. Probat tamen ratione S. Thomæ, *num. præc. adducta*, quam etiam amplectitur Suarez *loc. modo cit.* Est perfectio meriti in genere, ut, quantum est ex se, semper vivum maneat in acceptatione Divina, & habeat suum effectum, remoto impedimento peccati: atqui omnis perfectio meriti multò perfectius datur in meritis Christi, quam in meritis nostris: ergo etiam datur ista perfectio in meritis Christi, quòd nempe maneat viva in acceptatione Divina, & remoto peccato iterum habeant suum effectum, seu reviviscant, & propter ipsa restituantur gratia, prius accepta ex opere operato, quæ fuerat postea per peccatum amissa.

Nec dicas, non dari nobis omnia, quæ merita Christi possent obtinere; eo quòd aliàs deberent dari infinita. Resp. enim, dari tamen nobis ex meritis Christi ea, in ordine ad quæ semel sunt nobis applicata: sunt autem applicata in ordine ad gratias sacramentales, ex legitimo sacramentorum ulu perceptas: ergo. Confir. Non videtur verosimile, hominem longo tempore justum, & rectè utentem sacramentis, si ex fragilitate semel graviter labatur, statim irrecuperabiliter perdere omnem fructum sacramentorum: quòd tamen juxta adversarios fieret: ergo.

354. Dico 4. Gratiæ, per peccatum perditæ, peracta poenitentia, statim redeunt, sive poenitentia sit intensa, sive non. ita Suarez *opusc. seu relectione de revivisc. merit. disp. 2. sec. 3. n. 13.* Haunoldus *l. 4. tr. 4. n. 955.* Dicastillo *tr. 8. de poenit. disp. 2. dub. 28. n. 636.* & alii. Prob. Poenitentia, etiam non intensa, potest esse justificativa, ut supra *n. 261.* fusè probatum est: ergo potest tollere impedimentum peccati, quo ablato gratia restituitur: nec est ullum fundamentum dicendi, quòd, nisi poenitentia sit valde intensa, non omnis gratia restituitur, vel ejus restitutio usque in vitam finem differatur: certè aliàs æquè dicendum esset, quòd neque actibus remissis, post justificationem elicitis, statim respondeat gratia, sed hæc tunc primùm detur, quando eliciuntur actus intensiores, quam sit gratia præsens: hoc autem non videtur satis congruum doctrinæ Tridentini, quòd *sess. 6. c. 10.* docet, justos de die in diem, in justitia, hoc est, in gratia, & bonis operibus, crescere: nec tamen Concilium ullam facit mentionem actuum intensiorum.

Ex dictis etiam colligitur, merita non tantum ita reviviscere, ut ipsis duntaxat respondeat gaudium aliquod accidentale in cælo; nam Scripturæ, & Patres, simpliciter dicunt, reddendam esse mercedem, adeoque intelligunt, reddendam esse mercedem simpliciter dictam: hæc autem non est gaudium

tantum tantum accidentale: neque id, quòd bruchus &c. aut peccatum abstulit, fuit tantum gaudium accidentale. Sed neque, propriè loquendo, merita reviviscunt, si tantum gaudium accidentale afferrent; quia, ut rectè notant Suarez, Lugo, Arriaga, & alij, tale gaudium respondet etiam operibus mortuis, quæ nunquam reviviscunt; nam peccatores sæpè per illa opera, tantam per merita de congruo, obtinuerunt justificationem, laudarunt per eadem Deum &c. adeoque, si postea agant poenitentiam, & salventur, possunt etiam de his accidentaliter in cælo gaudere.

ARTICULUS IV.

Solvuntur Objectiones.

355. **O**B. 1. contra 1. conclusionem. Verba Apostoli *ad Hebr. 6.* citata *n. 348.* loquuntur de meritis, quibus merces debetur ex justitia: sed hæc non debetur operibus mortificatis: ergo. Confir. Potest dici, Apostolum loqui de operibus mortuis, quibus tantum aliquid respondeat, tantam meritis de congruo: ergo. Resp. dist. mi. operibus mortificatis non debetur merces ex justitia, stante impedimento peccati, conc. mi. eo ablato. neg. mi. & conf. tunc enim debetur etiam his merces, ex illa justitia, quæ datur inter Deum, & hominem, qualiscunque dein detur.

Si dicas, Deum jam semel præmiassè illa merita, scilicet dando gratiam, postea per peccatum perditam. Resp. Meritis etiam debetur per se gloria; unde nondum totum præmium eis tuit datum. Quòd autem reddatur iterum gratia amissa, est, ut ait Dicastillo *tr. 8. de poenit. disp. 2. dub. 29. n. 651.* gratia, non moraliter nova, sed continuatio prioris, per peccatum interruptæ: imò eo ipso, quòd reddi adhuc debeat gloria, debet connaturaliter etiam reddi gratia, ad cujus mensuram gloria in hac providentia tribuitur. Quare talis poenitens non est similis illi, qui à rege acceptos prius debitos mille florenos dissipasset, & cui consequenter nihil amplius deberetur: sed est similis ijs, quorum exempla adduximus *n. 353.* præsertim, cum gloriam nondum acceperit. Interim utique non est negandum, intervenire hoc in casu etiam misericordiam Dei; tum quia ex misericordia conceditur homini lapsò spatium poenitentia; tum quia ex misericordia merita illa manent in acceptatione Divina, in qua tamen absolute non deberent retineri, vel remanere.

Ad confirm. neg. ant. Hæc expositio imprimis teste Suarez *opusc. seu relect. de reviv. merit. disp. 1. sec. 1. n. 2.* est contra omnes auctores, id quòd ait, patere ex S. Thoma, & ex SS. Patribus, Ambrosio, Hieronymo, Chrysofomo, Anselmo, ac

aliis. 2. Apostolus in ea epistola, & in illis verbis, alloquitur omnes Hebræos: utique autem non omnes tunc fuerunt peccatores. 3. Loquitur S. Paulus ibi de mercede, ex justitia tribuenda, quæ non responderet meritis tantum de congruo; his enim nihil debet Deus ex justitia, etiam tantum latè sumpta, qualis ab omnibus admittitur, inter Deum, & hominem: consequenter de mortuis operibus Apostolus non loquitur.

Ob. 2. Tridentinum *sess. 6. c. 16.* ait, *bene operantibus usque in finem* proponenda esse illa Apostoli verba: atqui peccantes non operantur bene usque ad finem: ergo. Confir. Idem Tridentinum *sess. 6. c. 8.* docet, primam gratiam gratis dari: atqui poenitentibus datur prima gratia: ergo datur gratis: ergo non ex meritis reviviscuntibus. Resp. neg. mi. Tridentinum clarè loquitur etiam de ijs, qui amissam gratiam recuperaverunt; unde per bene operantes usque in finem intelliguntur omnes illi, qui post ultimam justificationem, in gratia, & bonis operibus, usque ad mortem perseverant: & hoc etiam intelligitur per perseverantiam finalem, quam Christus ad salutem requirit *Matth. 24. v. 13.* utique enim multi salvantur, qui prius peccaverunt, & gratiam perdidērunt: adeoque etiam isti possunt, & debent dici, perseverasse in finem.

Ad confir. dist. ult. conf. ergo gratia justificationis, & prima, datur gratis, seu non ex meritis reviviscuntibus. conc. conf. gratia, hic & nunc, per accidens adjecta gratiæ primæ justificationis. neg. conf. Datur in hoc casu duplex gratia: una respondens poenitentia, & hæc datur omnino gratis, nisi in radice, quatenus gratis datur gratia justificationis, sine qua altera etiam non redderetur. Sic etiam, qui ficit baptismum suscipit, & postea fictionem, vel peccatum subsequens confitetur, recipit duplicem gratiam, utriusque sacramento correspondentem.

356. Ob. 3. S. Hieronymus, relatus *C. Quicumque. dist. 50.* ait: *Quicumque dignitatem Divini gradus non custodiant, contenti fiant animam salvare; reverti enim in pristinum gradum post lapsum, difficile est*: similia habent SS. Basilii, Chrysofomus, Augustinus, & alii: ergo non redditur gratia prior per poenitentiam. Confir. Adamo non fuit restituta justitia originalis per poenitentiam: ergo nec aliis restituitur amissa gratia. Resp. neg. conf. Sermo ibi est S. Hieronymo de restitutione pristinae dignitatis Ecclesiasticæ, quæ non semper datur poenitentibus, juxta canones Ecclesiasticos: non autem sermo est de restitutione gratiæ, vel meritorum, ut patet ex titulo *distinctionis 50.* cui *C. Quicumque.* inferum est: & hinc etiam glossa ait, illud *Divini* significare idem, ac *Ecclesiastici*.

Quodsi quandoque etiam videantur Patres negare, restitui hominem poenitentem in pristinum statum respectu Dei, non

loquuntur de restitutione, in ordine ad gratiam sanctificantem, sed in ordine ad alia dona accidentalia, e. g. quoad antiquam facilitatem bene operandi, familiaritatem cum Deo, immunitatem à pena temporali &c. Ad confir. retorqueo argumentum. Adam nullis operibus potuit recuperare statum iustitiæ originalis: ergo nullis etiam intensissimis actibus poterit recuperari antiquus gradus gratiæ. in forma dist. ant. non fuit restituta Adamo iustitia originaria quoad gratiam sanctificantem. neg. ant. quoad alia dona, vel privilegia, e. g. subjectionem appetitûs, immortalitatem corporis &c. conc. ant. & neg. conf.

Ob. 4. Opera mortua non reviviscunt: ergo nec mortificata. Resp. neg. conf. Quod nunquam vixit, non potest reviviscere, seu secundam vitam acquirere: nec rationes, quæ probant vitam secundam, conferendam operibus mortificatis, probant vitam primam, conferendam operibus mortuis. Alia tamen quæstio esse posset, an vis meritoria de congruo, quam habent etiam opera mortua, suo modo etiam mortificetur per peccata gravissima, & dein per poenitentiam reviviscat.

Qua in re non videtur negandum, vim meritoriam de congruo, quam habet contritio perfecta, à peccatore prius elicitâ, vi cuius de congruo meritis est gratiam remissionem peccati, si hæc per nova peccata perditâ fuisset, iterum post peccatum denuo poenitentiam reviviscere; ita, ut illa etiam gratia recuperetur; nam etiam ea gratia spectat ad annos, qui redduntur, & ad laborem non inane: quamvis non spectet ad opera, quibus Deus ex iustitia reddit mercedem; unde de hoc merito saltem videtur verosimilius, iditerum reviviscere. An autem omnia universaliter merita de congruo, in ordine ad omnem vim, quam prius habuerunt, reviviscant, non auctim dicere: saltem vim meritoriam de condigno nunquam acquirunt.

Quærit etiam Lugo, de poenit. disp. 11. c. 1. n. 22. an, si damnatus rediret ad vitam, & poenitentiam ageret, merita ejus reviviscerent: & respondet affirmativè. Non malè tamen ait Dicastillo, casum hunc implicare; eoquod verè æternum irrevocabili decreto damnatus redire non possit: si tamen aliquis tantum ad tempus esset inferno addictus, & dicto modo rediret, posset etiam reverti in antiquum statum gratiæ, & meritorum.

357. Ob. 5. contra 2. conclusionem. Ad reviviscendum meritorum non opus est reddi amissam gratiam, sed tantum dari novam gratiam ex duplici titulo: e. g. si poenitens elicit contritionem, cui correspondant duo gradus gratiæ; sufficit ad reviviscendum meritorum priorum, si isti duo gradus dentur, non tantum intuitu contritionis, nunc elicitæ, sed etiam intuitu priorum meritorum: ergo. prob. ant. plus est dari aliquid ex duplici titulo, quam tantum ex uno, e. g. plus erat antiquis, præsertim

Græcorum, vel Romanorum, temporibus, si eadem laurus daretur victori ob duplicem victoriam, quam, si daretur tantum ob unam: ergo est majus præmium.

Confirm. Qui damnatur ob plura peccata, non tantum habet majorem poenam sensûs, sed etiam majorem poenam damni: atqui hæc non potest esse aliunde major, quam quia talis spoliatur visione Dei ex pluribus titulis: ergo est major poena, spoliari aliquo bono ob duplicem titulum: ergo à pari etiam est majus præmium, accipere aliquod bonum ob duplicem titulum.

Resp. neg. ant. quod Dominicus Sotus, & Ledelma, uterque Thomista, apud Suarez episc. seu relect. de reviv. merit. disp. 2. sec. 1. n. 13. vehementissimè improbant, & ipse Eximius asserit, falsum esse, & infirmo fundamento nixum, ac Patribus, atque Conciliis, parum consentaneum: alii etiam auctores id communiter rejiciunt; sic enim majus præmium reduceretur ad inanem fermè titulum, & pariter major poena: qua ratione nec poenitentes sufficienter allicerentur ad bonum, nec peccantes abstererentur à malo. ad prob. dist. ant. plus est dari aliquid ex duplici titulo aliquando, scilicet tunc, quando præmium consistit in laude, vel honore. om. ant. semper, & universaliter. neg. ant. & conf.

Det aliquis ex adversariis operatio, per octo dies occupato, mercedem unius diei, & addat, se illam dare ex octo titulis, & videat, an sit contentus. Scilicet talis operarius pro mercede non querit laudem, vel honorem, sed pecunias: & ideo illis titulis non est contentus. Pariter & nos per nostra merita non querimus qualemcunque titulum gratiæ, aut gloriæ: sed querimus primario ipsam gratiam, & gloriam: ergo hæc debet augeri, & non tantum honor aliquis accidentalis, qui posset haberi, estimata non reviviscerent; quamvis enim Deus illum honorem non conferret ob merita antecedentia, tanquam plures titulos, tamen, modò constaret aliis Beatis, me habuisse plura merita, idem me honor sequeretur.

Aliud est de milite, vel victore, anti- quis illis temporibus, à quibus præcipue quærebatur honor: & laurus, tanquam signum, atque instrumentum, ad divulgandam geminam victoriam, ejusque conservandam memoriam, adhibebatur, & necdum in usu erat alius modus divulgandi laudes victoris; hinc enim mirum non est, si magis estimata fuerit laurus ex duplici titulo imposita, aut laurus specialis, tanquam signum specialis fortitudinis. Cæterum moderno tempore, quo fortitudo militum aliis modis celebrari, & divulgari solet, fortè talis laurus non ita estimaretur. Ad confir. neg. min. Poena damni consistit in privatione visionis beatificæ, non qualicunque, sed dolorosa, & afferente tristitiam, quæ tristitia major est in magis peccante, quam in minus peccante; vel, quia plura impedimenta glo-

ria in se advertit, vel, quia magis apprehendit suum malum, etiam ex ordinatione Dei iræpunientis.

358. Ob. 6. Gratia confertur juxta mensuram dispositionis, ut docet Tridentinum sess. 6. c. 7. sed poenitens aliquando tantum habet dispositionem ut unum: ergo non infunditur ei gratia e. g. ut sex, qualem ante lapsum habuit. Resp. dist. ma. gratia, quæ confertur vi sacramenti, hic & nunc recepti, confertur juxta mensuram dispositionis. conc. ma. alia gratia. subdist. confertur juxta mensuram dispositionis præsentis, & simul præterita. om. ma. tantum juxta mensuram dispositionis præsentis. neg. ma. & dist. min. poenitens aliquando tantum habet dispositionem ut unum de præsentis, conc. min. tantum habet dispositionem ut unum de præsentis, & de præterito, supposito, quod habeat merita mortificata. neg. min. & conf.

Concilium ibi manifestè tantum loquitur de gratia sacramentali, quam quis ratione sacramenti tunc percepti consequitur: non verò de alia gratia, quam quis olim consecutus est, & postea perdidit. Dein dispositio, de qua Concilium ibi agit, non est physica, sed tantum moralis, nec debet physice coexistere, ut patet in attritione, quæ sæpe non existit physice, quando per absolutionem confertur gratia: ergo potest etiam de officio physice præterita, per quam olim gratia acquisita fuit, dummodo adhuc moraliter existat in acceptatione Divina, in ordine ad hunc effectum prodesse.

359. Adversarii, qui rem reducere volunt ad dispositiones de præsentis, dicunt cum Dominico Soto, eum, qui conteritur toto maximo conatu, recipere totam gratiam antiquam: eum verò, qui dimidio conatu conteritur, recipere dimidiam partem gratiæ antiquæ. Sed hi auctores potius nituntur aliqua divinatione, quam solido fundamento, & jam debent admittere, majorem gratiam recipi, quam soli præsentis dispositioni conveniat; cum isti per se tantum conveniant gratia, respondens novo merito, & non prioribus; ut nihil dicam, quod conatus absolute maximus impossibilis sit: si autem sermo restringatur ad conatum maximum juxta vires præsentis auxilii, sequitur illud inconveniens, quod quandoque minor conatus reciperet majorem gratiam, quando scilicet auxilium minus foret, ut in simili dictum n. 263.

360. Alii dieunt, contritioni ut quatuor responderet præter quatuor novos etiam quatuor antiquos gradus gratiæ: sed & isti tantum divinant, & jam admittunt, gratiam recipi majorem, quam exigit sola dispositio physice præsens. Idem dicendum de aliis, qui cum Goneto tom. 5. tr. 5. de poenit. disp. 6. a. 2. n. 28. volunt, poenitenti, qui prius habuit decem merita intensa, nunc autem tantum elicit contritionem ut unum, non reddi totam intensiorem prioris gratiæ, sed ex quolibet merito reddi tantum u-

num gradum, adeoque talem recipere undecim gradus gratiæ. Accedit, quod, si juxta adversarios istos hæc dispositio nova, e. g. contritio ut unum, est virtualiter multiplex, & quodlibet meritum antiquum reddidit expeditum, ad causandum unum gradum gratiæ, possit juxta nos dici, quod eadem dispositio sit virtualiter multiplex, præ omnibus gradibus præcedentium meritorum: præsertim, cum debeat esse tantum remotio impedimenti, seu peccati, ut dictum est ex S. Thoma. n. 353.

361. Ob. 7. Nullum agens potest supra se intendere passum: ergo nec poenitentia potest inducere gratiam intensiorem, quam sit ipsa. Confirm. 1. Habitus non intenduntur per actus remissivos: ergo nec gratia. Confirm. 2. Homines, prius valde propensi ad bonum, si postea diutius jacuerunt in vitiis, licet contritionem eliciant, tamen non statim priorem propensionem ad bonum recuperant: ergo non recipiunt tam intensam gratiam, quam antè habuerunt. Confirm. 3. Antiqua merita reviviscencia debent de novo dignificari per gratiam habitualem: sed hæc non potest ea dignificare ad intensius præmium, quam sit ipsa: ergo non possunt merita reviviscere, in ordine ad gratiam majorem, quam sit illa, quæ respondet dispositioni præsentis.

Resp. Ex hoc sequeretur, quod, qui e. g. ex occasione subeundi martyrii, elicitisset intensissimum actum charitatis, nihil postea mereretur per actus remissivos: imò, cum postea difficulter posset intensiorem actum elicere, difficulter posset ulterius aliquid mereri; nam talis accepisset tunc gratiam valde intensam: adeoque ipse, in ratione acceptæ gratiæ, esset passum, valde intensum: quam intensiorem non facile attingerent alii actus, præsertim remissivos, aut gratia istis correspondens: hoc autem dici non posse, probatur sequenti ratione.

Christus cuilibet operi, etiam dationi calicis aquæ frigidæ, promittit mercedem, & Tridentinum sess. 6. c. 16. docet, justos per quævis opera bona mereri vitam æternam: & c. 10. ait, eos de die in diem in accepta justitia crescere: ergo falsum est, quod habens jam majorem gratiam in ea non crescat per actus remissivos; nec enim de die in diem eliciat actus semper intensiores. Sanè adversarii abstererent homines ab actibus intensis, dum timere deberent, ne postea nihil mererentur; cum tamen interim peccata minora, majoribus succedentia, augeant intensiorem poenarum. in forma dist. ant. nullum agens potest supra se intendere passum in qualitativis corruptivis. om. ant. universaliter, & semper. neg. ant. & conf.

362. Ad 1. confir. neg. ant. de omnibus habitibus, & maxime de infusis, etiam ob rationem modò allatam. vide plura in tr. de virt. Theol. à. n. 768. ubi actum de intensiorem habitus charitatis, à quo arguere licet ob paritatem rationis ad alios habitus. Ad 2. confir. Inprimis, qui semel tan-

tum est lapsus, e. g. ex fragilitate, aut metu, etiam perdit totam gratiam: si autem mox poenitentiam agat, eandem promotionem, quam prius habuit, experietur: ergo saltem hic recuperaret totam gratiam. Dein om. ant. neg. conf. Habitus infusi non dant facile posse, sed simpliciter posse; unde, licet non redeat statim eadem facilitas, possunt tamen redire, & adesse gratia habitualis, ac alii habitus infusi; nec enim dicimus, redire etiam statim habitus acquisitos.

Ad 3. confir. neg. ma. sufficit enim, si dispositio praesens auferat impedimentum peccati; tunc enim merita mortificata exerunt iterum suam condignitatem, quam ante lapsum habuerunt, & quae condignitas etiam reviviscit. Sed neque tantum reviviscunt merita de condigno, sed, ut dictum n. 354. probabilius etiam reviviscunt aliqua merita de congruo: e. g. si quis, prius jam semel lapsus, dein elicisset contritionem, per quam de congruo tantum meritus fuisset gratiam, postea autem iterum peccando, hanc gratiam perdidisset, si dein rursus poenitentiam ageret, etiam gratiam, contritioni prima vice elicite correspondentem, recuperaret, nec deberet ea contritio per gratiam habitualement dignificari. videri etiam potest circa hanc confirmationem Arriaga tr. 8. de poenit. disp. 16. sec. 6. n. 35.

363. Ob. 8. contra 4. conclusionem. Juxta nos peccator obtineret commodum ex suo peccato: hoc est absurdum: ergo. prob. ma. etiamsi peccator postea tantum actum remissionis contritionis eliceret, tamen reciperet intensam gratiam: ergo. Confir. Doctrina nostra causaret teporem in poenitentibus, si scirent, se per actum remissionis posse acquirere omnem gratiam perditam: ergo non debet admitti. Resp. neg. ma. quin econtra peccatori plurimum nocet peccatum, dum enim constituit in periculo aeternae damnationis, dum interrumpit tempus merendi, & opera eo in statu facta reddit omnino mortua. Admittere autem tantum, quod aliquando peccatum sit occasio accepta, non data boni, ut diximus n. 256. non est absurdum.

Ad prob. neg. conf. non enim peccator eam gratiam reciperet, praecise ratione actus remissionis, sed ratione praecedentium meritorum; si enim prius nulla, vel modica merita habuisset, etiam, praeter gratiam poenitentiae correspondentem, nullam aliam, vel tantum modicam gratiam, reciperet. Si urgeas, quod peccator poenitens plus gratiae recipiat ex actu contritionis, quam justus, qui similem elicit. Resp. Peccator gratiam recipit, non tantum vi solius contritionis, sed vi praecedentium meritorum, qualia justus prius non habuit: vel, si habuit, non minus, sed plus gratiae habebit, utpote etiam meritis, dum alter in statu peccati fuit. Ad confir. neg. ant. Id potius facerent adversarii, ut probatum fuit n. 361. econtra nostra sententia magis

allicit homines ad poenitentiam, spe fructus ulterioris. Dein non prohibemus intensiorem actum contritionis, vel poenitentiae: imò, cum contritioni interiori assignemus majorem novam gratiam, quam actui remisso, non video, quare teporem causemus.

364. Ob. 9. S. Thomas videtur nobis contrarius 3. p. q. 89. a. 2. in corp. ubi videtur dicere, poenitentem aliquando resurgere in minore gratia, quam prius habuit; eoquod pro varia dispositione poenitentis recuperetur major, vel minor gratia: item a. 5. ad 3. ait, quod, qui in minore charitate resurgit, habiturus tamen sit gaudium accidentale de aliis operibus, quibus correspondentem gratiam non recepit, quamvis praemium essentiale tantum recipiat, secundum quantitatem charitatis, in qua invenitur: ergo.

Resp. Ratio ex S. Doctore, allata n. 353. probat, redire omnia merita, & quidem quoad praemium essentiale; nam omnium meritorum impedimentum tollitur, per quamcunque poenitentiam justificantem, ut bene advertit Suarez tom. 4. in 3. p. commentario in q. 89. a. 5. n. 1. Rursus (ut idem Suarez cit. commentario n. 6. bene observat) S. Thomas quodlib. 5. q. 12. a. 24. in corp. ait: *Aureola... necesse est, quod praesupponat auream... & ideo, qui non meretur auream, id est praemium essentiale, non meretur aureolam*: ergo Angelicus vult, non dari praemium accidentale (quale nempe est aureola) sine essentiali: quae, ut patebit expendenti, non statim cum doctrina, ex S. Doctore hic nobis objecta. Insuper etiam haec doctrina objecta, si strictè accipiatur, nimis rigorosa est; quia reviviscantiam, ut ita dicam, substantialem tollit, & tantum relinquit accidentalem.

Quare Suarez cit. comment. n. 7. & Dicastillo tr. 8. de poenit. disp. 2. dub. 28. n. 632. fatentur, se non satis intelligere S. Doctorem, putantque, ob unum, aut alterum dictum obscurius, & difficulter cum aliis ejus principis conciliandum, non ei imputandam sententiam, tam rigidam, nec ejusdem alibi doctrinae conformem. videantur ipsi hi auctores locis cit. in forma. neg. ant. neque enim censendus est S. Thomas sibi contrarius esse, aut in sententiam nimis rigidam deflexisse; unde verba haec debent conciliari cum aliis, et si minus proprie debeant exponi.

365. Ob. 10. Saltem non statim post actam poenitentiam redditur gratia tota, quae respondet meritis reviviscantibus: ergo. prob. ant. haec ipsa restitutio celerissima esset praemium novum, & diversum: ergo sine novo merito concedi non debet. Resp. sine novo merito concedi non debet. Resp. sine novo merito concedi non debet. Nam illa restitutio, statim facta, non est praemium novum: sicut non est distincta, aut nova solutio debiti, si fiat citius, quam, si fiat tardius: & illud axioma: *Qui citò dat, bis dat*: in rigore non est verum; neque enim in rigore dici-

ditur Deus, eum remunerari nova mercede, quem citius caelo recipit. Resp. 2. neg. conf. nam, si etiam aliquanto majus praemium esset, ea celerior collatio gratiae, non esset tale, quod non deberet concedi sine novo merito; supposito enim, quod reviviscant merita, statim in hac providentia trahunt post se gratiam, ut probatum n. 355.

ARTICULUS V.

An Peccata jam remissa redeant per Relapsum.

366. Dico. Peccata semel remissa non redeunt formaliter, aut simpliciter per relapsum: sive Deus non punit hominem, in nova peccata lapsus, propter priora jam condonata, ita Angelicus 3. p. q. 88. a. 1. S. Bonaventura in 4. dist. 22. a. 1. q. 1. in corp. Scotus, Albertus Magnus, & Theologorum communissimè, quos vide apud Valquez tom. 4. in 3. p. q. 88. a. 1. n. 54. contra Hugonem à S. Victore, Guilielmum Parisiensem, & Prapositionem: ex quibus tamen Guilielmus l. de sacram. tr. de sacram. poenit. mibi folio 45. colum. 3. & seq. tantum vult, peccata redire quoad poenam, non vero quoad culpam: Prapositionis autem, teste S. Bonaventura loco modo citato, tantum vult, ea redire, non ob quodlibet novum peccatum, sed ob unum ex his quatuor, nempe ob laesam fraternam charitatem, apostasiam à fide, contemptum confessionis, & dolorem de poenitentia jam acta, sive ejus retractationem: de quibus agit S. Thomas cit. q. 88. a. 2. ubi quaerit, an redeant peccata propter ingratitudinem.

367. Probatur conclusio 1. Gelasius Papa C. Divina. 24. de poenit. dist. 4. ait: *Divina clementia dimissa peccata in ultionem ulterius redire non patitur*. S. Prosper in responsione adversus calumniatores doctrinae S. Augustini (quae habetur tomo 7. inter opera S. Augustini) l. 1. ad 2. object. sic ait: *Qui enim recedit à Christo, & alienus à gratia finit hanc vitam: quid nisi in perditionem cadit? sed non in id, quod remissum est, recidit, nec in originali peccato damnabitur: qui tamen propter postrema crimina ea morte afficietur, quae ei propter illa, quae remissa sunt, debebatur*: ergo peccata non redeunt per relapsum; nam hoc certè volunt istae auctoritates: quibus si jungatur communis sensus Theologorum, multum sanè ponderis eis inest.

368. Probatur conclusio 2. Remissio peccatorum in hac providentia est absoluta, & non conditionata, aut dependens ab eventu futuro: seu, ut ait Angelicus 3. p. q. 89. a. 5. ad 1. *Opera peccati per poenitentiam abolentur secundum se, ita scilicet, quod ex eis, Deo indulgente, nec macula, nec reatus inducatur*: ergo peccata non redeunt formaliter per relapsum. conf. est bona; nam peccata non reproducuntur, ut supponitur:

ergo non possunt redire, nisi eatenus, quatenus tantum, sub conditione perseverantiae in bono, sunt remissa, ut patet expendenti. prob. ant. pluribus Scripturae locis: licet psalm. 50. v. 9. dicitur: *Lavabis me, & super nivem dealborabor*. & psalm. 102. v. 12. *Quantum distat ortus ab occidente, longe fecit à nobis iniquitates nostras*. iterum Joann. 1. v. 29. *Ecce agnus Dei, ecce, qui tollit peccatum mundi*: hi, ac similes textus, juxta communissimam auctoritatem, significant, peccata absolute tolli, deleri, lavari, & tam procul abjici, ut non redeant: ergo.

369. Confir. 1. Si peccata non absolute remitterentur, tunc tantum tegerentur, suspenderentur, raderentur, sopirentur, vel ad breve tempus non imputarentur: sed haec non statim cum doctrina Catholica: ergo. Confir. 2. Sacerdos, ex sententia communissima Theologorum, non potest absolvere sub conditione de futuro: sed debet absolute de praesenti absolvere, ut dictum tr. de sacram. in genere. à n. 112. ergo peccata absolute remittuntur. Confir. 3. Ex opposita sententia sequeretur, quod haereticus, ad fidem conversus, si relaberetur in peccatum grave, iterum incideret in reatum haereticis, ac fidem amitteret: item, quod etiam, si quis jam satisfactione, vel indulgentiis, expunxisset reatum poenae, tamen in eundem reatum per relapsum recideret: haec sunt nimis dura: ergo.

370. Diximus in conclusione, peccata remissa non redire formaliter; ut enim docet Angelicus 3. p. q. 88. a. 1. in corp. redeunt quodammodo, non quidem simpliciter, sed tamen secundum quid; nam primò, subséquens peccatum continet eandem generis malitiam, scilicet gravem, & privan-tem iisdem bonis aeternis, atque inducivam aeternorum malorum, quam continebant priora peccata: & sic exponunt etiam quidam illud Jacobi 2. v. 10. *Quicumque autem totam legem servaverit, offendat autem in uno, factus est omnium reus*. Secundò, ut habet idem S. Doctor loc. cit. peccatum novum, post poenitentiam, & acceptam remissionem patratum, caeteris paribus gravior est; quia Deum iterum post acceptum justificationis beneficium offendere, est magna ingratitudo, eoque major, quo major est offensa: quae tamen ingratitudo ex S. Thoma 3. p. q. 88. a. 4. in corp. non est speciale peccatum; eoquod per quodcumque peccatum aliquis fiat Deo ingratus. Tertio peccata priora redeunt aliquando causaliter, vel arguitive; quia Deus quandoque in poenam novi peccati permittit, ut homo cadat rursus in peccata, jam prius deleris simillima.

ARTICULUS VI.

Solvuntur Objectiones.

371. Ob. 1. Psalm. 78. v. 8. dicitur ad DEUM: *Ne memineris ini-*
M 3

quitatum nostrarum antiquarum: & psal. 108. v. 14. In memoriam redeat iniquitas patrum ejus: ergo Deus punit iterum peccata jam remissa; quia istorum erat quasi oblitus, quamdiu non redibant per relapsum. Confirm. Ecclesiastici 5. v. 5. dicitur: De propitiato peccato noli esse sine metu: sed hujus metus alia causa non est, quam, quod peccatum rediturum sit per relapsum: ergo. Resp. neg. conf. Rectè observat Suarez tom. 4. in 3. p. disp. 13. sec. 2. n. 7. non agi ibi de pœnis æternis, sed de temporalibus hujus vitæ, quas utique Deus non statim remittit remissâ culpâ: aliquando tamen quasi oblitiscitur; quia non punit, nisi novum peccatum irritatus. Dicitur autem iterum quasi recordari, quando novo scelere ad pœnas infligendas movetur.

Et hanc recordationem deprecantur Sancti, ut ait Suarez ibidem. & certè psalmus 78. Deus venerunt gentes &c. agit clarè de pœnis hujus vitæ, & excidio temporali. Alter item textus de iisdem pœnis agit, maximè, cum agat de peccatis parentum, quæ utique non redeunt ita in filios, ut isti propterea æternum puniantur. Interim tamen aliquando Deus parentes temporaliter punit in filiis, præsertim, si hi ipsi graviter peccent. Ad confirm. neg. min. Causa metus potest esse pœna temporalis imminens, quæ quandoque stat in subtrahtione gratiæ efficacis, & permissione novi lapsus: vel in afflictationibus gravibus hujus mundi. Addunt alii, non esse certum, an peccatum verè propitiatum, hoc est, remissum sit, adeoque adhuc posse timeri.

372. Ob. 2. Matth. 18. v. 23. Christus narrat parabolam de servo, cui rex, seu dominus omne debitum decem millium talentorum dimiserat: ille autem noluerat dimittere confervo debitum longè minus, centum tantum denariorum; hinc dominus tradidit eum tortoribus, donec redderet univèrsum debitum: subjungit autem Christus v. 35. Sic & Pater meus cælestis, faciet vobis, si non remisistis unusquisque fratri suo de cordibus vestris: ergo saltem ob læsam charitatem fraternam redeunt peccata remissa. Varias ad objectam parabolam responsiones, & expositiones, reperire est apud auctores. Suarez tom. 4. in 3. p. disp. 13. sec. 1. n. 8. & Arriaga tom. 8. de pœnit. disp. 15. sec. 1. putant, servum non esse traditum tortoribus, ob debitum antiquum, sed ob novum, nempe crudelitatis in confervo. Sed videtur responsio hæc difficilis; nec enim eam traditionem causabat novum debitum, sed istud tantum faciebat servum reum pœnæ novæ, & tamen dicitur non dimittendus, donec solveret novissimum quadrantem: sanè longè communius intelligitur debitum antiquum.

373. Hinc Vasquez tom. 4. in 3. p. q. 88. n. 1. n. 36. & seq. admittit, servum fuisse ob antiquum debitum carceri traditum: atque adeo admittit, in hoc casu gravis læsionis charitatis fraternæ, puniti homines ob peccata præterita, non quidem formali-

ter, sed æquivalenter redeuntia: qui reditus peccatorum æquivalenter talis steterit in hoc, quod Deus, homines ita duos, permittat iterum labi, in totidem peccata, quot prius habuerunt, & præcedentibus similia, eaque dein punit pœnis iisdem, quibus punita fuissent illa priora, si non fuissent remissa. Addit tamen, cum Christus hic comminatoriè loquatur, non omnibus hominibus, ita charitatem lædentibus, eam pœnam infligi: sed multos etiam immites ab exito præservari. Hæc responsio videtur etiam probabilis Cardinali de Lugo de pœnit. disp. 10. sec. 1. n. 5.

Hanolodus l. 4. tract. 4. n. 949. ait, regem illum tantum conditionatè donasse debitum; eoquod ille potuerit ignorare eventus futuros, consequenter etiam crudelitatem illam; unde ulterius ait, non impleta conditione revocatum fuisse donationem: econtrà asserit, Deum absolutè peccata condonare: & hinc non debere esse paritatem omnimodam, inter illum regem, & Deum: nec Deum eodem modo repetere debita dimissa, sed tantum aliquando virtualiter ad modum Vasquii: & hæc responsio etiam valde probabilis est, sed non absolutè necessaria.

374. Quare, si quis velit expeditius adhuc respondere, potest cum Suarez tom. 4. in 3. p. disp. 13. sec. 1. n. 7. Maldonato in c. 18. Matth. v. 23. & Dicastillo tract. 8. de pœnit. disp. 2. dub. 22. n. 488. & 489. dicere, non omnia, quæ in parabolis afferuntur à Christo, servire directè ad scopum, & finem Christi, qui tamen debet maximè attendi: sed quædam tantum ab eo afferri, ad clariorem explicationem, aut ornamentum parabolæ, & esse, ut Maldonatus vocat, emblemata parabolæ, atque ideo adduci; quia ita fiunt ab hominibus, non quod à Christo approbentur.

Sic in parabola de villico iniquitatis Luc. 16. v. 1. Christus vult quidem, ut faciamus elemosynas: at non vult, ut faciamus eas ex alienis bonis, sicut tamen ait, villicum fecisse sibi ex alienis bonis amicos. Sic etiam Luc. 19. v. 22. comparat Christus Deum homini auctero, quin velit dicere, Deum esse austerum. Quare, cum etiam in præsentî parabola finis Christi sit, ut suadeat celerem remissionem injuriarum, vel læsionum, ab aliis factarum, principaliter vult docere, immites graviter puniendos esse, & Deum etiam cum ipsis severius acturum: non autem vult docere, Deum eodem prorsus modo, quo homines solent, etiam acturum esse, ita, ut revocet remissionem peccatorum jam factam; quare illa verba: Sic & Pater meus cælestis faciet vobis &c. non significant omnimodam prorsus quoad omnia similitudinem.

375. Ob. 3. SS. Patres docent, peccata redire per relapsum: ergo. prob. ant. S. Augustinus serm. 15. de verbis Domini quasi in persona Dei ait: Si non dimiseris, revocabo te, & quidquid tibi dimiseram, revocabo tibi: item enarrat in psal. 108. sub

sub finem: Si ergo Judas teneret illud, ad quod vocatus est, nullo modo ad eum, vel sua præterita, vel parentum iniquitas pertineret: sed quia non tenuit adoptionem in familia Dei, sed iniquitatem veteris generis potius elegit, rediit iniquitas patrum ejus. verba refert Gratianus C. Si Judas. 1. dist. 4. de pœnit. ubi refertur quod Rabanus asserens, etiam redire peccata originalia per relapsum. Item S. Gregorius l. 4. dialog. c. ultimo ait: Constat, quia, si, quod in nos delinquitur, ex corde non dimittimus, & illud rursus exigitur, quod nobis jam per pœnitentiam dimissum fuisse gaudebamus. Rufus S. Ambrosius in c. 4. epist. ad Ephes. sub finem ait: Donate invicem, & alter in alterum peccet; alioquin Deus repetet dimissa. Similia alia vide ead. dist. 4. de pœnit. & apud Vasquez tom. 4. in 3. p. q. 88. n. 1. à n. 9. ergo SS. Patres docent, peccata redire per relapsum.

376. Resp. neg. ant. ad prob. autem neg. conf. SS. Patrum dicta debent intelligi de reditu tantum virtualiter, vel æquivalenter tali, scilicet uno ex modis supra positus (ita enim SS. Patres explicantur à scholasticis, juxta quorum acceptionem intelligendi sunt, sicut scilicet Scriptura intelligenda est juxta acceptionem Patrum) quidquid Arriaga tom. 8. de pœnit. disp. 15. à n. 5. contradicat. Adde, S. Augustinum textu secundo, aut nimium probare, scilicet etiam redire peccata parentum, aut intelligi debere juxta explicationem n. 371. datam. Si Rabanus trahi non potest in nostrum sensum, unus non est præferendus plurimis. S. Ambrosius non utitur iis verbis, quæ objecta sunt, sed sic habet: Servi ipsi invicem sui debent misereri, & donare, si alter in alterum peccet. Hæc præcepta ejus sunt, qui miseratus est: qui, si in his contemptus fuerit, sine dubio revocabit sententiam, per quam misericordiam dederat &c. quæ verba quam optimè possunt sic exponi, scilicet Deum pro sententia justificativa prolaturum esse condemnativam, non propter antiqua, sed propter novum peccatum immisericordiæ erga proximum.

377. Ob. 4. Servus libertate donatus, si postea sit ingratus in dominum, redigitur à jure humano in antiquam servitutem: ergo etiam peccator, ingratus Deo, recidit in antiqua vincula. Resp. neg. conf. In humanis manumissio servorum, sicut multa alia, habent adjectam tacitam conditionem aliquam: si scilicet respublica non aliter decernat, aut non emergant novæ circumstantiæ &c. at remissio peccati est omnino absolutè data, ab omnium præscio Deo. Dein respublica, vel altior potestas potest in pœnam ingratitude statueret servitutem, & sic suo modo revocare sententiam Domini: at sententia Dei justificantis non potest revocari ab altiori potestate; quia non datur: nec ab ipsomet Deo revocatur;

Sine pœnitentia enim sunt dona, & vocatio Dei. ad Rom. 11. v. 29.

378. Ob. 5. Peccatum mortale, commissum rursus, post priora jam remissa, videtur, æquivalere omnibus jam remissis, ratione ingratitude: ergo redit tota pœna omnium præcedentium peccatorum. prob. ant. ingratitude illa est tanta, quantum est beneficium justificationis: sed hoc in sua linea est tantum, quanta fuere peccata, in sua linea: ergo. Resp. neg. ant. ad prob. neg. ma. quidquid sit de minori. Ingratitudo non est arithmetice æqualis beneficio prius collato; aliàs, qui ingratus est beneficio redemptionis (sicut est omnis peccator) committit peccatum æquale passioni, ac meritis Christi: cumque ista non tantum æquent, sed superent omnia peccata, etiam quodlibet superat omnia alia, imò & seipsum, quod est apertè falsum: insuper nullum peccatum esset majus altero contra expressam sententiam Christi Domini, dicentis Pilato Joann. 19. v. 11. Qui me tradidit tibi, majus peccatum habet: adeoque ingratitude, ratione majoris beneficii, est tantum aliquantulum geometricè, seu aliquo modo proportionaliter major.

379. Quidam hic quærunt, quidnam sit majus beneficium, an conservatio primæ innocentiae, an remissio peccati: & consequenter quænam sit major ingratitude, an primi gravis peccati, an sequentium: de quo vide Suarez tom. 4. in 3. p. disp. 13. sec. 3. n. 11. & seq. ubi inter cætera n. 15. concludit, innocentiam extraordinariam, ex speciali providentia gratiæ diutissime durantem, esse majus beneficium, quam remissionem peccatorum: non verò innocentiam ordinariam, quam plures Christiani post baptismum, etiam sat longo tempore, per ordinaria media servant.

Quidquid de hoc sit, etiam ingratitude, ratione beneficii innocentiae, aggravat peccatum, & pariter ingratitude, ratione beneficii remissionis peccatorum: quanquam Arriaga tom. 8. de pœnit. disp. 15. sec. 1. n. 6. doceat, si quis non cogitet de his, vel aliis beneficiis, hanc ingratitude non intervenire. Saltem ex S. Thoma 3. p. q. 88. a. 4. in corp. hæc ingratitude non est speciale peccatum; quia est circumstantia generaliter consequens omne peccatum; nisi aliquis esset ita perversus, quemadmodum ait S. Doctor, ut in contemptum beneficiorum Divinorum vellet peccare: quod raro fiet.

380. Ob. 6. Merita, ut supra dictum, reviviscunt per pœnitentiam: ergo etiam peccata, redeunt per relapsum. Resp. neg. conf. Merita, ut dictum n. 353. non omnino abolentur, sed tantum suspenduntur: peccata autem omnino delentur, eluuntur, abjiciuntur ex n. 368. & seq. quin etiam peccata remissa, ne conditionatè quidem, hominem denominant dignum pœnâ, uti tamen merita mortificata denominant hominem conditionatè dignum præmio. Nec dicas, ex hoc sequi, quod etiam damnati adhuc de-

denominentur conditionatè digni præmio ; nam status damnatorum, cum faciat inaufertibile impedimentum, moraliter etiam merita extinguit. Si petas, an etiam per annihilationem peccatoris ita delendum esset peccatum, ut non rediret, etiamsi peccator reproduceretur, respondeo negativè; eo enim casu moraliter peccatum maneret; sicut enim defuncto debitore manet tamen moraliter in humanis debitum, & resuscitato, vel reproducto debitore, redit debitum: ita etiam annihilato peccatore manet habitualiter peccatum, & eo reproducto habitualiter redit.

381. Ob. 7. Etsi per justificationem non tantum conditionatè, sed absolutè tollatur culpa, non est necesse, ut etiam ita absolutè tollatur poena æterna: ergo possunt peccata redire, saltem quoad poenam. prob. ant. gratia tantum dat conditionatè jus ad gloriam, si scilicet homo non amplius graviter peccet: ergo etiam potest, tantum conditionatè dare immunitatem à poena gehennæ. Resp. neg. ant. nam SS. Patres, citati n. 367. negant redire peccata quoad ultionem, & damnationem: insuper Tridentinum sess. 6. c. 14. videtur velle, quod uterque hic reatus eodem modo remittatur: quod etiam videntur fideles communiter sentire: & sic respondeo, supposito, quod hi duo reatus sint separabiles (de quo hic non ago, sed egredi in tract. de peccat. à n. 241.) si enim non essent separabiles, minorem vim haberet objectio, ad prob. neg. conseq. Gratia confert absolutam remissionem præcedentium peccatorum, tam quoad culpam, quam quoad poenam æternam; nam, saltem in hac providentia gratia non est minus impossibilis cum reatu poenæ æternæ ob peccata præcedentia, quam cum reatu culpæ ob eadem. Attamen gratia non confert remissionem peccatorum subsequenti, & hinc neque confert absolutè jus ad gloriam.

382. Ob. 8. Peccatum veniale, si conjugatur cum mortali, potest puniri æternum; item reatus alicujus poenæ, remanens ex peccato mortali priori jam remisso, potest etiam durare æternum, si quis scilicet ob novum peccatum mortale damnetur: ergo potest etiam iterum puniri peccatum jam remissum. Resp. An verum sit antecedens, non est hic locus disputandi: negant id Scottiæ cum pluribus aliis. vide tract. de peccat. n. 101. vel Haunoldum l. 2. n. 582. & l. 4. n. 951. quidquid sit, om. ant. & neg. conf. nam qui defendunt, tale peccatum veniale æternum puniri, non dicunt, peccata redire per relapsum: sed ajunt, miorem poenam, per se tantum temporalem, per accidens æternum durare: quamvis hunc terminum per accidens difficulter explicent, de quo Haunoldus l. 4. à n. 951.

Adde, quod, si antecedens sit verum, poena illa æternum duret ratione status damnati: quia in hoc, ut volunt auctores illius opinionis, nullum debitum ullius poenæ extingui potest, (de quo vide Haunoldum

loc. modo cit.) quod tamen alii negant, afferentes, damnatum quidem non posse satisfacere, posse tamen satisfacere. Sed, ut dixi, quidquid de hoc sit, reatus poenæ æternæ, pro peccatis jam remissis, etiam ipse jam remissus, seu extinctus est: neque etiam relapsus hominis viatoris, seu novum peccatum, est commissum in tali statu, qui exigit reatum priorum peccatorum redire; quare latum est discrimen.

383. Quarunt hic aliqui, an saltem de Divina potentia absoluta possent peccata redire per relapsum: de qua quæstione curiosus lector consulere potest Eximium tom. 4. in 3. p. disp. 13. sec. 2. n. 5. vel Arriagam tom. 8. de poenit. disp. 15. n. 31. Lugoneum, Dicastillum, ac alios. Id tantum dico, non videri mihi impossibile id, quod docent Suarez, & Arriaga, nempe quod peccata possent in alia providentia tantum conditionatè remitti, scilicet sub conditione, si conservetur etiam deinceps justitia: quo casu utique possent redire peccata: in hac tamen providentia id non fit.

Alia etiam quæstio est, an eadem peccata, jam semel destructa, possint physicè reprodici, circa quam tenet affirmativam Arriaga tom. 8. de poenit. disp. 15. n. 2. & seq. ajens, Deum non quidem ex sua determinatione posse reproducere peccatum; sic enim esset auctor peccati: sed, si homo velit, denuo patrare aliquod peccatum, priori jara destructo simile, posse Deum æquè parare suum concursum ad reproducendum peccatum prius jam destructum, quam ad aliud novum, & sic determinare ad individuum peccati prius destructi, præ individuum peccati individualiter novi. Negativam tenet Vasquez tom. 4. in 3. p. q. 88. n. 1. n. 50. & 51. quem, si lubet, videre poteris.

QUÆSTIO VI.

De Necessitate Pœnitentiæ.

ARTICULUS I.

An, & qualis Pœnitentiæ sit necessaria Necessitate Medii.

384. Dico 1. Post commissum peccatum grave actuale, in hac providentia, pœnitentiæ est necessaria necessitate medii. ita omnes cum S. Thoma 3. p. q. 86. a. 2. in corp. ubi docet, peccatum non remitti sine pœnitentiâ, & Suarez tom. 4. in 3. p. disp. 9. sec. 1. n. 2. ait, hanc assertionem esse certam. Prob. conclusio ex Tridentino sess. 14. c. 4. ubi de contritione in genere sic ait: *Fuit autem quovis tempore, ad impetrandam veniam peccatorum, hic contritionis motus necessarius.* Probatur etiam ex illo Luca 13. v. 3. *Nisi pœnitentiâ habueritis, omnes similiter peribitis.* Adde, quod, & Præcursor Domini, & ipse

ipse Dominus, ac ejus Apostololi, ubique, maxime initio prædicationis suæ, pœnitentiâ prædicaverint. Vide plura apud Suarez loco modo citato. Idem docent passim SS. Patres. S. Augustinus ep. 50. sub finem. ait: *Nisi egeris pœnitentiâ, salvus esse non poteris.* S. Ambrosius epistol. l. 7. epist. 59. *Peccatum non tollitur, nisi lachrymis, & pœnitentiâ.* S. Cyprianus de lapsis sub finem: *Qui autem pœnitentiâ criminis tollunt, satisfactionis viam claudunt.*

385. Quod autem pœnitentiâ sit necessaria, non quomodocunque, sed necessitate medii, est sententia omnium, & prob. Illud est necessarium necessitate medii ad tollenda peccata, quod est medium per se ordinatum, & simul necessarium, ad ea tollenda, seu est medium per se causans primam gratiam (de quo vide tract. de sacram. in genere à n. 301.) ita, ut sine eo, vel in re, vel in voto, non tollantur peccata, nec conferatur prima gratia: sed pœnitentiâ est medium taliter necessarium lapsis: ergo. ma. est definitio necessarii necessitate medii, communiter recepta, ex qua probatur, baptismum esse necessarium necessitate medii: non autem ita necessariam esse e. g. restitutionem injustè ablatorum; quia, licet etiam restitutio, vel in re, vel in voto, necessaria sit ad salutem, tamen non est medium tollendi peccata, vel per se causans primam gratiam.

Minor superior etiam est clara; nam pœnitentiâ utique est medium ad tollenda peccata, & quidem per se causans primam gratiam, ut hucusque fusè probatum est. Dein est etiam necessaria, ut probavimus modo: ergo est necessaria necessitate medii. Nec obest, quod etiam actui charitatis perfectæ, à Scripturis, & Pontificibus, tribuatur vis, delendi peccata, ut ostensum est n. 205. & seq. nam 1. illi, qui conscius est peccati sui gravis, moraliter vix, aut ne vix quidem, possibilis est actus charitatis, qui non simul sit dolor, seu pœnitentiâ formalis. 2. ipse hic actus charitatis est pœnitentiâ in voto; quia est sacramentum pœnitentiæ in voto, quod includit actum virtutis pœnitentiæ, seu doloris.

386. Dico 2. Actus pœnitentiæ, in hac providentia necessarius, ad remissionem peccatorum gravium, debet se extendere ad omnia peccata gravia commissa, seu debet esse universalis de omnibus peccatis gravibus commissis. ita omnes. Prob. conclusio. In hac providentia non remittitur unum peccatum grave sine alio, & nullum sine dolore: ergo, ut obtineatur remissio peccatorum gravium, debet haberi dolor se extendens ad omnia gravia peccata commissa. ant. quoad 2. p. est probatum n. 384. præsertim ex Tridentino ibi citato: quoad priorem partem etiam jam probatum est n. 238. ex eodem Tridentino ibidem citato: & prob. ulterius sic. In hac providentia non remittitur peccatum grave, nisi infundatur gratia, & homo assumatur ad amicitiam Dei: sed gratia est impossibilis, ad minimum R. P. Ant. Mayr Theol. Tom. II.

physicè, cum peccato gravi: item amicitia Dei est impossibilis cum offensa ejusdem gravi: ergo non potest unum peccatum grave remitti, remanente adhuc altero. ma. habetur ex Tridentino sess. 6. c. 7. mi. est communis omnium. conseq. est in forma.

387. Dico 3. In alia providentia non esset absolutè, & metaphysicè necessarius dolor ita universalis, ad remissionem peccatorum gravium. ita nostri, & alii valde communiter. Prob. conclusio. In alia providentia posset Deus remittere unum peccatum grave sine alio; nam non deberet id remittere per gratiam, sed posset id remittere, vel per condonationem purè extrinsecam (qua posset condonare, vel plura, vel pauciora peccata pro libitu, ut est communior notiorum) vel per aliud donum intrinsecum, sed compossibile cum uno, vel aliquibus peccatis: neque etiam deberet Deus, hominem assumere ad amicitiam suam, seu ipsi infundere gratiam; in nullo enim horum est ulla implicantiâ: ergo in alia providentia non deberet dolor esse universalis; quia neutra ratio, quæ probat, in hac providentia necessarium esse dolorem universalem, etiam id probat pro casu alterius providentiæ.

Dico 4. In alia providentia non esset absolutè necessarius ullus actus pœnitentiæ ad deletionem peccati, sed posset Deus peccatum remittere absque retractatione peccatoris. ita Suarez tom. 4. in 3. p. disp. 9. sec. 4. a. n. 3. cum pluribus, ab eodem citatis, & recentioribus eum secutis. Prob. Actus pœnitentiæ est tantum dispositio congrua ad remissionem peccatorum, ut est communis, teste Arriaga tom. 8. de poenit. disp. 12. sec. 2. n. 10. sed dispositio congrua non est absolutè necessaria: ergo. Confit. Homo potest alteri homini remittere offensam sine eo, quod petatur venia, vel retractetur offensa, modo possit cedere jure suo, & actu velit cedere: ergo etiam idem potest Deus: certè in remissione peccati, absque prævio actu pœnitentiæ, nulla prorsus est implicantiâ.

Quamvis autem Vasquez velit, contritionem esse formam deletivam peccatorum (quod tamen est contra communem) non tamen probat, eam esse omnino necessariam ad deletionem peccati: certè sufficit etiam attritio cum sacramento: ergo etiam potest sufficere aliud medium. Sic, licet calor sit forma destruens frigus, tamen utique potest destrui frigus supernaturaliter sine calore, si Deus velit, id absque calore destrui: sic, licet nigredo sit forma destruens albedinem, tamen albedo potest etiam destrui sine nigredine.

388. Dico 5. De absoluta potentia potest Deus remittere peccatum per condonationem purè extrinsecam. ita Suarez tom. 4. in 3. p. disp. 9. sec. 4. n. 3. Tannerus tom. 2. disp. 6. q. 5. dub. 4. n. 89. Gormaz de grat. sanctif. n. 137. & plures alii, ab his citati, ac recentiores eos secuti. Dicitur autem tunc dari condonatio purè extrinsecam,

ca, quando non datur ulla mutatio physica, intrinseca peccatori; eoque, nec iste aliam retractationem, vel aliam actum interiorum circa peccatum illud eliciat, neque Deus ipsi gratiam, vel aliud donum infundat, per quæ physicè intrinsecè mutetur: sed Deus sola sua voluntate, peccatori extrinseca, culpam admittam condonet.

Prob. jam conclusio. Non est assignabilis ulla repugnantia in hac condonatione purè extrinseca: ergo in alia providentia potest Deus de absoluta potentia peccatum ita condonare. ant. prob. in primis solutione objectionum: dein etiam à pari: potest homo alteri homini condonare injuriam in se commissam, per solam voluntatem suam, injurianti extrinsecam: ergo idem potest etiam Deus; neque enim voluntas hominis est efficacior in ordine ad condonationem injuriæ, quam sit Divina.

Confr. Tridentinum *sess. 6. c. 7.* sic definit: *Justificatio ... non est sola peccatorum remissio, sed & sanctificatio, & renovatio interioris hominis, per voluntariam susceptionem gratiæ, & donorum: ergo remissio, seu condonatio peccatorum, est pars justificationis, adeoque distincta ab aliis, compartibus, nempe sanctificatione, & renovatione hominis, per infusionem gratiæ, & donorum, quas præter remissionem peccatorum justificationis involvit (utique enim partes debent esse inter se distinctæ) ergo ad remissionem, vel condonationem peccati, non est absolutè necessaria infusio gratiæ, vel aliorum donorum, facta illi, cui peccatum remittitur. Sed neque est absolutè necessarius actus poenitentiae in tali peccatore, ut probatum est n. 388. ergo potest absolutè remitti peccatum per condonationem purè extrinsecam.*

Dico 6. Non tamen potest Deus, strictè loquendo, remittere peccatum in eo instanti, in quo primùm fit, ita Suarez de *grat. p. 3. l. 7. c. 21. n. 5.* Arriaga *tom. 8. de poenit. disp. 13. sec. 4. n. 41. & 42.* Haunoldus *l. 4. tract. 4. n. 923.* Gormaz de *grat. n. 160. & 161.* Dicastillo *tr. 8. de poenit. disp. 1. dubio 11. à. n. 311.* & alii. Prob. Peccatum non potest in eodem instanti simul existere, & non existere: atqui, si remitteretur in eo instanti, in quo primùm fit, simul existeret, & non existeret: ergo non potest remitti in eo instanti, in quo primùm fit, ma. est certa. mi. prob. peccatum in eo instanti, in quo primùm fit, debet existere, ut est per se clarum: si autem etiam in eodem instanti remitteretur, simul non existeret: ergo simul existeret, & non existeret.

Prob. 2. p. ant. Strictè loquendo remitti peccatum est destrui peccatum: atqui peccatum in eo instanti, in quo destruitur, non existit, sicut non existit homo in eo instanti, in quo moritur: ergo, prob. ma. strictè loquendo remitti peccatum non est tantum impediri peccatum: ergo est destrui peccatum. prob. ant. si Deus tantum impediret, ne detur actio peccaminosa,

vel impediret, ne sit peccaminosa, e. g. si prohibita comestione carnis die Veneris, sublata prohibitione, redderet licitam, nemo diceret, quod Deus remississet peccatum prohibita comestione: ergo.

ARTICULUS II.

Solvuntur Objectiones.

389. **O**B. 1. contra 2. conclusio. nem. In hac providentia remittuntur etiam peccata venialia per gratiam, & tamen unum remittitur sine alio: ergo etiam potest unum mortale remitti sine alio: ergo non est necessarius dolor universalis de omnibus. Resp. neg. ant. cum S. Thoma 3. p. q. 87. a. 2. Gratia valde intensa potest stare cum peccatis venialibus, consequenter ista per gratiam non expelluntur. Equidem in viatore strictè tali, sive in hac vita adhuc degente, semper cum remissione venialium conjuncta est infusio gratiæ; quia, si remittitur peccatum veniale unum cum mortali, infunditur gratia remissiva peccati mortalis: si peccatum veniale remittitur in justo, tunc remittitur ratione alicujus actus boni, qui eo ipso est meritorius, ac post se trahit infusionem gratiæ. At hac infusio gratiæ est tantum comes, non autem causa illius remissionis.

Dixi *in viatore strictè tali*; nam, si quis justus, habens venialem culpam necdum deletam, subito moriatur, debet certè ea culpa remitti sine gratiæ infusione; quanquam enim diceremus cum quibusdam, talem hominem immediatè post mortem elicere contritionem, hæc certè non posset esse meritoria novæ gratiæ; cum non deur meritum, extra statum viæ strictè dictæ, qui status est status hujus vitæ; nam, licet animæ in purgatorio nondum sint in ultimo termino, adeoque adhuc in statu viæ latius tali, tamen nemo dicit, eas esse adhuc in statu merendi.

390. Ob. 2. Non remittitur simul omnis poena, peccatorum gravium; ergo neque debet remitti simul omnis culpa. Resp. neg. conseq. Certum quidem est, remissio culpa mortali etiam remitti reatum poenæ æternæ: at non minus est certum, non semper unam cum remissa culpa gravi, remitti, etiam omnem poenam temporalem, ut definit Tridentinum *sess. 14. c. 8. de poenit.* adeoque in aliquo vero sensu remissio culpæ non est remissio totius poenæ, nec remissa culpa gravi semper remittitur tota poena: quin etiam eodem modo remissa culpa veniali non semper remittitur poena omnis ipsi debita; alias enim pii omnes, qui graves peccati rei non sunt, & venialia ante mortem confessi sunt, rectè irent ad cælum sine de procurandis sibi indulgentiis, vel piis suffragiis.

Quare simpliciter remissa culpa non semper remittitur tota poena: & hinc Theologi, qui cum communiore defendunt, distinguunt inter se reatum culpæ, & reatum poenæ; ad hanc objectionem respondent, simpliciter negando consequentiam: & addunt, reatum poenæ temporalem, qui remanet, non opponi amicitia Divinæ, sicut tamen ei opponitur quilibet culpa gravis: adeoque, licet non debeat ille omnis remitti, debere tamen remitti omnem istam. Quia tamen aliqui Theologi sunt, qui volunt, reatum culpæ, & reatum poenæ identificari, & ob consequentiam doctrinæ dicere debent, non remissa poenâ neque culpam totaliter, seu omni modo remitti, ideo, qui horum Theologorum sententiam vult amplecti, debet consequens ita distinguere: neque debet remitti simul omnis culpa totaliter, & omni modo, conc. conseq. neque debet remitti ita, ut non amplius reddat inimicum Dei, & reum poenæ æternæ. neg. conf.

Quidquid autem sit de opinione, hos duos reatus identificante (de qua in *tract. de peccat. à n. 242.*) certè debent etiam ipsius patroni fateri, quod, si remittitur una culpa mortalis, debeat tam ipsa, quam omnes aliæ, quorum talis homo reus est, simul remitti in tantum, ut ratione nullius amplius homo ille sit inimicus Dei: & quod omne illud, quod constitueret hominem inimicum Dei, debeat deleri: adeoque non possit remanere aliquid peccatum mortale, nullatenus remissum; cum hoc manifestè redderet, vel constitueret inimicum Dei: atqui, si dolor poenitentis ad aliquid peccatum mortale se non extenderet, illud nullatenus remitteretur: ergo.

391. Ob. 3. contra 3. conclusionem. S. Augustinus *l. de vera, & falsa poenitentia c. 9.* ait: *Quaedam enim impietas insidelitatis est, ab illo, qui justus, & justitia est, dimidiam sperare veniam:* ergo in nulla providentia potest unum peccatum sine altero remitti, adeoque semper requiritur dolor universalis. prob. conf. Deus in omni providentia est justus, & justitia: ergo. Resp. Liber ille, teste Bellarmino *de script. Eccl. non est S. Augustini; quia c. 17.* citatur S. Augustinus, tanquam alius auctor, nec habetur de hoc libro mentio in retractationibus, nec in indiculo Possidii. Sed hoc. om. neg. conf. in primis enim, si Deus vellet, omnia peccata absque dolore remittere, non esset injustus. Dein auctor ille loquitur de hac providentia, in qua non debemus sperare dimidiam veniam; quia Deus promittit, se daturum, aut totam, aut nullam, seu se daturum veniam, aut omnium gravium culparum, aut nullius; unde, cum Deus justus sit, debet stare promissis, & impium esset, aliud ab ipso sperare: in alia autem providentia DEUS non deberet, talem promissionem facere.

392. Ob. 4. S. Thomas 3. p. q. 86. a. 3. in corp. ait: *Impossibile est, per poenitentiam unum peccatum sine alio remitti:* & addit rationes tres, ex quibus tertia est: *Quia*

hoc esset contra perfectionem misericordiae Dei, cuius perfecta sunt opera: ergo neque in alia providentia id potest fieri. Resp. neg. conf. S. Doctor explicandus est de hac providentia; nam prima ratio, quam ibi assignat, est: *Quia peccatum remittitur in quantum tollitur Dei offensam per gratiam ... omne autem peccatum mortale contrariatur gratiæ, & excludit eam:* quæ tantum procedit in hac providentia; in alia enim providentia posset peccatum remitti sine gratia, saltem sine tali, quæ hominem redderet amicum Dei, aut opponeretur omni gravi peccato.

Altera ratio S. Doctoris est: *Quia ... peccatum mortale non potest sine vera poenitentia remitti ... non potest esse verè poenitens, qui de uno peccato poenitet, & non de alio:* hæc autem ratio etiam videtur tantum procedere de hac providentia; quare etiam tertia ratio, scilicet, quod remittere unum peccatum sine alio, foret contra perfectionem misericordiae, debet intelligi de perfectione misericordiae, in hac providentia Deo convenientis, non absolutè, & antecedenter, sed ratione decreti sui, vicijus voluit ita, & non aliter misericors esse: de cætero in alia providentia non esset imperfectio in Deo, neque negativè talis, remittere unum mortale sine alio: sicut non est in ista providentia, remittere unum veniale sine alio.

393. Ob. 5. Qui diceret reo: *Condone tibi unum delictum: sed propter alterum te ad mortem condemo:* ei illuderet: ergo etiam illuderet homini Deus, si unum peccatum ei remitteret, & ob aliud, vel alia, eum damnaret. Resp. neg. ant. Solent sæpe tribunalia similem gratiam facere reis, e. g. ut ob duo delicta reum rotæ, mitigatâ poenâ addicant gladio, quin illudant: cur ergo de absoluta potentia non possit Deus, etiam hominem, ob plura delicta, meritum atrociores poenas in inferno, mitiori supplicio afficere propter aliqua delicta, condonatis aliis? Aliud esset, si poena indivisibilis esset; tunc enim fortè talis condonatio videri posset irrisio: at non videri posset irrisio, vel illusio tunc, quando poena est divisibilis, & posita condonatione aliorum peccatorum minueretur. Certè hoc suo modo defacto fit; nam Deus hominem relapsum in novum peccatum punit propter hoc solum in inferno, sed mitius, quam, si præcedentia non fuissent remissa.

394. Ob. 6. Remissio peccati mortalis facit hominem idoneum regno cælesti: ergo debet necessariò esse universalis. prob. ant. peccatum facit hominem ineptum ad cælum: ergo remissio facit eum aptum, & idoneum. Resp. dist. ant. remissio peccati id facit in hac providentia. conc. ant. in omni alia providentia. neg. ant. & conf. ad prob. neg. conf. aliàs, cum peccatum hominem etiam faciat ineptum ad unionem hypostaticam, remissio deberet eum aptum facere ad illam. Scilicet potest quis ex pluribus titulis esse ineptus, quo casu quamvis aufe-

ratur unus titulus, non statim tollitur alter. Quare etiam remissio, unius culpæ gravis sine alia, tolleretur quidem unum titulum ineptitudinis, sed non alios: ac redderet hominem quidem minus ineptum, sed non positivè aptum ad cælum; cum adhuc ob alia peccata esset ineptus.

395. Ob. 7. contra 4. conclusionem. Tridentinum *sess. 6. c. 7.* docet, justificationem adulti fieri semper per voluntariam susceptionem gratiæ, & donorum: ergo requiritur actus volentis justificari: hic autem pertinet ad pœnitentiam: ergo. Confirm. S. Thomas 3. p. q. 86. a. 2. in corp. ait: *Impossibile est, peccatum actuale mortale sine pœnitentia remitti.* ergo. Resp. dist. ant. & Tridentinum loquitur de hac providentia. neg. ant. & conf. Ad confirm. neg. conf. S. Doctor etiam tantum loquitur de hac providentia, præsertim, cum loquatur de remissione faciendâ per gratiam, de qua nos non loquimur: & ita exponunt eum locum S. Doctoris graves interpretes. vide dicta n. 392. item Tannerum tom. 2. disp. 6. q. 5. n. 88. & 91.

396. Ob. 8. Aversio à Deo non potest tolli, nisi per conversionem ad Deum: sed hæc conversio est formaliter pœnitentia: ergo. Confirm. Tamdiu peccatum manet habitualiter voluntarium, quamdiu non retractatur (tamdiu enim etiam manet intentio habitualis) sed, quamdiu peccatum manet habitualiter voluntarium, tamdiu manet peccatum habituale; sunt enim unum, & idem: ergo tamdiu manet peccatum habituale, quamdiu non retractatur, seu non agitur de eo pœnitentia. Resp. neg. ma. nam aversio à Deo physicè tollitur per suam cessationem, seu dum transit actus: moraliter autem tollitur, si condonetur, quacunquē tandem ratione. Ad confirm. om. ma. neg. min. nam peccatum habitualiter voluntarium potest dupliciter accipi: primò tantum pro eo; quod non est retractatum (qui tamen sensus in rigore est falsus, ut dictum in tract. de peccat. n. 233.) & sub hac ratione utiquè manet in nostro casu peccatum habitualiter voluntarium.

Secundò potest accipi peccatum habitualiter voluntarium, ut idem sit, ac peccatum habitualiter perseverans; ad hoc autem non sufficit, ut non sit retractatum: sed requiritur, ut non detur ulla alia condonatio, vel alia destructio ejusdem peccati: & hinc, etiam si non retractetur peccatum, potest tamen destrui, & sub hac ratione non manere. Nec dicas, peccatum habitualiter voluntarium, & peccatum habituale esse idem; est enim hoc falsum; nam potest retractari peccatum, per attritionem extra sacramentum, quo casu utiquè non manet habitualiter voluntarium; & tamen manet habituale peccatum: dein potest etiam non retractari peccatum, & tamen non manere habitualiter, si Deus id ante pœnitentiam condonaret, ut eum posse probavimus.

397. Ob. 9. Deus non potest destruere meritum sine retractione hominis: ergo neque potest destruere peccatum sine simili retractione. Resp. dist. ant. non potest Deus sine retractione hominis destruere meritum, si illud acceptavit, & præmium promissit. conc. ant. antecederet ad acceptationem, & promissionem suam. neg. ant. & conf. Inprimis, modò homo peccet graviter, etsi non retractet bona opera prius facta, tamen Deus ista non amplius præmiat, sed quasi delet ea merita. Si dicas, ipsum peccatum esse aliquam retractionem meritorum, repono, hac ratione etiam condonationem Dei, vel remissionem, fore æquivalenter retractionem peccati. Deinde videtur meritò posse negari, quòd Deus non possit sine hominis retractione destruere meritum, seu nihil ipsi rependere, saltem antecederet ad suam acceptationem, & promissionem remunerationis; quia omnes actiones creatæ Deo debentur titulo juris proprietatis, Postquam autem Deus meritum acceptavit, & præmium promissit, non potest istud negare; hoc enim dedeceret infinitam liberalitatem, & fidelitatem ipsius: at verò destruere peccatum sine retractione hominis deceret infinitam ejus misericordiam. Sic etiam in humanis potest creditor gratis remittere debitum: at non pari modo potest idem expungere debitor.

Dices. Deus non potest, ex bono facere malum, sine retractione hominis: ergo neque potest facere ex malo bonum. Resp. neg. conf. Deus enim non potest, esse auctor malitiæ: at potest esse auctor bonitatis. Si autem velis dicere, Deum non posse ex bono facere non bonum, aliquo modo negativè, negatur; quia Deus potest, antecederet ad suam promissionem, qua bonis promissit beatitudinem æternam, destruere hominem bonum, eumque annihilare, adeoque aliquo modo facere non bonum physicè, sive bonitate physica carentem. Sed de hoc hæc non queritur.

398. Ob. 10. contra 5. conclus. S. Thomas 1. 2. q. 113. a. 2. in corp. ait: *Non potest intelligi remissio culpa, si non adesse infusio gratiæ.* & iterum 3. p. q. 86. a. 2. in corp. ait: *Non autem contingere potest, quòd Deus remittat offensam alicui, absque immutatione voluntatis ejus.* ergo remissio peccati non potest fieri per condonationem purè extrinsecam. Resp. dist. conf. Non potest fieri remissio talis de potentia ordinaria, seu in hac providentia. conc. conf. non potest fieri de absoluta potentia. neg. conf. ita S. Thomam explicant plures cum Suarez tom. 4. in 3. p. disp. 9. sec. 2. n. 1. ac Tannerum tom. 2. disp. 6. q. 5. n. 91. & seq. qui etiam bene observant, Angelico non esse insuetum, per impossibile tantum intelligere impossibile de lege, seu potentia ordinaria: quin ipse Cajetanus in textum n. 395. adductum ex 3. p. q. 86. a. 2. scribit: *Pro presenti proposito sufficit verificare ea, quæ in litera dicuntur, secundum posse*

possibile, vel impossibile penes potentiam ordinariam.

Et sanè rationes S. Thomæ plus non probant; nam primo loco pro ratione adducit, quòd remissio peccati non possit fieri sine dilectione Dei, cujus effectus sit gratia: quæ ratio tantum procedit in hac providentia; in alia enim posset dari remissio peccati sine dilectione Dei tali, quæ produceret gratiam sanctificantem; neque enim tenetur Deus, in omni providentia, hominem non reum assumere ad amicitiam suam. Secundo etiam loco S. Doctor apertè loquitur de remissione peccati per gratiam, quæ causat bonitatem positivam in homine. Addit, offensam hominis esse aversionem à Deo, per conversionem ad bonum commutabile, & hinc debere hominem iterum per actum pœnitentiæ converti ad Deum: quæ ratio etiam tantum vim habet in hac providentia. videantur etiam dicta n. 392. & 395. ac 396.

Ob. 11. SS. Patres gratiam comparant luci, & peccatum tenebris; sed tenebræ non possunt expelli, nisi per lucem; ergo etiam peccatum non potest expelli, nisi per gratiam: ergo non per condonationem extrinsecam. Confirm. Condonatio extrinseca peccati non esset vera remissio, sed tantum rectio, vel non imputatio peccati, qualem docent sectarii: ergo non debet admitti. Resp. dist. ant. SS. Patres comparant gratiam, & peccatum, luci, ac tenebris, quoad omnia. neg. ant. quoad aliqua. conc. ant. & neg. conf. Certè gratia, & peccatum, non opponuntur contradictoriè, ut lux, & tenebræ; nam in statu puræ naturæ potuissent dari simul negatio gratiæ, & negatio peccati.

Comparatio autem, vel similitudo, stat in eo, quòd, sicut lux reddi subiectum pulchrum, clarum, visibile &c. tenebræ verò deforme, obicium, invisibile &c. ita gratia reddat animam pulchram, oculis Dei placentem &c. peccatum verò deformem, ac Deo abominabilem &c. vide tract. de grat. n. 296. Ad confirm. neg. ant. Inprimis enim sectarii docebant, etiam in hac providentia tantum dari tectionem, vel non imputationem peccati purè extrinsecam, quod nos derisamur. 2. dicebant, etiam posita non imputatione peccati, tamen istud adhuc manere: nos autem dicimus, peccatum revera tolli, atque omnino deleri. vide Tannerum tom. 2. disp. 6. q. 5. n. 97.

Ob. 12. Non posita gratiâ, nec retractione peccatoris, sed tantum pura condonatione extrinseca, peccator adhuc esset habitualiter malus: ergo peccatum non esset sublatum. Confirm. Licet Deus posset per condonationem extrinsecam remittere peccatum, prout est injuria Dei, tamen non posset istud ita remittere, prout est injuria naturæ rationalis: ergo adhuc maneret peccatum. Resp. neg. ant. non enim esset talis homo malus physicè, aut actualiter; quia peccatum non amplius physicè

existeret: nec esset malus habitualiter; quia posita condonatione non amplius datur habitualis perseverantia peccati; hæc enim necessariò requirit negationem omnis condignæ satisfactionis, & gratiæ remissionis, seu condonationis: & quacunquē posita remissione deficit peccatum habituale: de quo vide tract. de peccat. n. 234. vide etiam dicta n. 396.

Ad confirm. Resp. cum Arriaga tom. 4. tract. de justif. disp. 46. sec. 3. n. 11. neg. ant. Deus, enim, ut supremum caput, & Dominus naturæ rationalis, potest peccatum remittere, non tantum, in quantum est contra se, sed etiam, in quantum est contra omnes creaturas rationales, quorum omnium nomine potest cedere jure ad indignationem contra peccatorem: sicut potuit alligare omnes voluntates nostras voluntati Adami. Hoc quidem est verum, quòd Deus non possit facere, ut actus, qui peccatum est, non sit malus, atque perversus, & difformis naturæ rationali: sed tamen potest facere, ut propter illum actum creaturæ rationales jure non possint hominem, qui peccavit, amplius odisse, vel contra eum indignari: sicut etiam ipse eundem post condonationem non amplius odit.

Ob. 13. Juxta nos daretur nova denominatio sine nova parte: hoc est impossibile: ergo. prob. ma. prius homo esset inimicus Dei, postea amicus, vel saltem non inimicus Dei: ergo daretur nova denominatio: sed non potest ostendi aliqua nova pars: ergo. prob. subsumpt. non daretur aliquid novi ex parte peccatoris; quia hic intrinsecè non mutaretur: neque daretur aliquid novi ex parte Dei; quia hic est immutabilis: ergo. Resp. Hoc argumentum solvendum est etiam adversariis, in variis denominationibus, provenientibus ab aliqua volitione Divina, quæ realiter est quidem una, formaliter tamen multiplex. Sic daretur nova denominatio, quando Deus cum aliquo, qui prius esset ligatus voto, postea dispensaret, vel votum ei remitteret: & tamen eodem modo nulla daretur pars realiter nova; quia notitia subsequens de facta dispensatione non esset pars illius denominationis; nam dispensatus non constituitur per illam notitiam. vide Suarez tom. 4. in 3. p. disp. 9. sec. 4. n. 5.

Resp. 2. dist. ma. daretur nova denominatio sine nova parte realiter tali. om. ma. sine nova parte æquivalenter, vel eminenter tali. neg. ma. & dist. sic mi. neg. conf. ad prob. conc. ant. in quantum dicit, talem hominem fore non inimicum Dei, quamvis non concedam, quòd fiat positivè amicus; ad hoc enim opus esset gratiâ. subsumpt. iterum dist. non potest ostendi nova pars realiter talis. om. subsumpt. æquivalenter, vel eminenter talis. neg. subsumpt. & conf. Deus, cum sit immutabilis, potest eodem unico, etiam virtualiter indivisibili actu, aliquem pro aliquo tempore amare, & pro alio odisse; unde videtur

denominatio amari à Deo, vel odio habiti, non debere involvere alias, aut realiter novas partes, sed tantum æquivalenter, vel eminenter alias, quatenus idem actus Divinus æquivaleret pluribus actibus amoris, & odii, aut plures eminenter in se continerent. Nisi dicere malis, denominationes has involvere etiam tempus, quod essentialiter respicit actus Divinus, qui e. g. Petrum denominat amatum pro hoc instanti, & odio habitum pro sequenti; si enim hoc dicatur, tunc dabitur etiam in ordine ad huiusmodi denominationes novas pars realiter nova: & hinc superius tantum omisi, quod non detur nova pars realiter talis. vide etiam in tract. de iustit. n. 33.

Ob. 14. Deus non potest nunc amare, & postea odisse, eundem hominem immutatum: sed juxta nos deberet id posse: ergo. Resp. neg. mi. homo enim, cui per condonationem extrinsecam fuisset remissum peccatum, esset non quidem physicè, sed tamen moraliter immutatus, per eam ipsam condonationem, quæ ex malo faceret non malum, adeoque moraliter immutaret: sicut etiam in humanis fit moraliter immutatus is, qui injuriam intulit, quando hæc ei remittitur. Dices. Talis homo debet pro priori jam esse immutatus ad hoc, ut possit amari à Deo. Resp. dist. illatum. debet esse immutatus pro priori temporis, vel naturæ. neg. illat. pro priori rationis. om. illatum. Sufficit, si actus Divinus sit prior formaliter ad seipsum: sicut nempe actus Divinus ut decretum, est prior ad seipsum tanquam scientiam visionis. In hoc itaque actu condonationis extrinsecæ potest dici, quod prior sit formalitas condonationis, & formalitas amoris posterior. Si replices, Deum jam ante condonationem debere amare talem hominem, & ex hoc amore moveri, ad faciendam condonationem. Resp. hac ratione etiam juxta adversarios Deum debere amare peccatorem, & ex amore moveri ad dandas illi gratias, in ordine ad poenitentiam &c. unde dicendum est, Deum, dum odit peccatorem, simul ipsum amare, & ad hunc præcedentem amorem opus non esse ulla immutatione hominis, sed tantum ad amorem sequentem, quo ipsum amat, non jam ut peccatorem, sed ut peccatis liberum.

Ob. 15. Non potest explicari, quale obiectum, à se distinctum, haberet actus voluntatis Divinæ, seu decretum extrinsecè condonativum peccati: ergo tale decretum non potest adstrui. Resp. neg. ant. Decretum hoc in primis pro obiecto habet peccatum, quod vult remittere: item habet ipsum hominem, cui peccatum vult remittere: simul tamen etiam habet pro obiecto inæquato seipsum; quia vult per seipsum formaliter remittere peccatum: nec est ullo modo absurdum, quod aliquis actus habeat pro partiali obiecto seipsum; hoc enim admitti debet in omni actu præceptivo, vel prohibitivo; nam quilibet talis actus intendit, per seipsum præcipere, vel prohibere;

alias non esset actuale præceptum, vel prohibitio, sed tantum volitio in futurum præcipiendi, vel prohibendi; item hic actus intellectus: *Omniscognitio est vitalis*: apertè etiam seipsum habet pro obiecto inæquato. vide tract. de iustit. n. 32.

399. Ob. 16. contra 6. conclusionem ex Cardinale de Lugo de poenit. disp. 7. sec. 8. n. 126. In primo instanti, quo primum fit actio peccaminosa, seu peccatum, etiam intrinsecè malum, e. g. blasphemia, potest Deus non acceptare jus ad indignationem, & odium, quod ei blasphemia præberet: atqui sic remittit peccatum blasphemiam, in eo instanti, in quo primum fit: ergo potest Deus peccatum ita remittere. Antequam respondeam, noto ex eodem Cardinale de Lugo de poenit. disp. 7. sec. 9. n. 139. aliud esse, non acceptare jus ad indignationem: aliud esse istud non exercere; sicut enim Deus defacto semper acceptat jus ad poenas infligendas, quod ei præbet peccatum, quamvis illud sapientissimè non exerceat, quin tamen remittat peccatum: ita etiam fortè possit in alia providentia acceptare jus ad indignationem, quod ei præbet peccatum, & tamen illud non exercere, quin remitteret peccatum. Jam ad objectionem

Respondet in primis Arriaga tom. 8. de poenit. disp. 13. sec. 4. à n. 41. negando ma. contendit enim hic auctor, Deum necessarid debere acceptare jus ad indignationem, quod ei præbet peccatum: imò debere illud necessarid exercere, seu necessarid odisse, non tantum peccatum (quod necessarid à Deo odio haberi concedit etiam Lugo loc. cit.) sed ipsum quoque hominem peccato infectum; eoquod sanctitas Divina Deum necessitè, ad talem hominem odio habendum: quamvis dein sequenti instanti possit Deus per suam condonationem facere, ut peccatum non amplius habitualiter perseveret, adeoque homo non amplius necessarid odio habendus sit, ut dictum supra hoc num. ad ob. 12. Imò putat hic auctor, Deum debere magis odio habere hominem liberè peccantem, quam ipsum peccatum, quod tantum est effectus libertatis, & non liberè agens.

Resp. 2. om. ma. dist. min. In hoc casu Deus pro eo instanti remittit peccatum, remissione strictè, & verè propriè dicta. neg. min. remissione minus propriè dicta. om. min. & neg. confeg. In primis fors dubitari potest, an hoc ipso, quod Deus non acceptaret jus, vel cederet jure ad indignationem, & odium contra blasphemum, remitteret peccatum; nam fortè possit videri, quod remissio peccati non stet in cessione, vel non acceptatione talis juris; verè enim contra hominem peccatur, e. g. eum calumniando, etsi propterea talis homo non habeat jus ad indignationem, vel odium, contra personam calumniatoris; nam odium inimicitia, seu odium personæ inimici, est, ut ait Layman l. 2. tr. 3. c. 7. n. 2. intrinsecè malum: vel, ut Cornelius à Lapide in c. 5. Matt. v. 43. ait, est contra naturalem legem, contra quam

quam nullum datur jus. Hinc posset fortè videri, quod, etiam si Deus non posset odisse hominem, tamen adhuc contra ipsum peccaretur, & jus offensus in aliquo alio.

Interim tamen negari non potest, quod in tractatu de peccatis communiter dicatur reatus culpæ esse obligatio, ad suslinendam indignationem, & odium, vel inimicitiam Dei: ex quo videretur inferri, quod in cessione juris ad eam indignationem ster remissio peccati; cum per eam cessionem tollatur dicta obligatio: nisi fortè respondeatur, quod in eo tractatu reatus culpæ explicetur, non ut formaliter constitucns peccatum, sed ut aliquod consequens ad ipsum: quæ tamen responsio non caret difficultate. Quare omitto, quod jus Dei offensus sit jus, ad indignationem, & odium peccantis: quo posito, & simul posito, quod Deus stante blasphemiam possit, jus ad indignationem contra blasphemum non acceptare, vel jure ad indignationem, aut jure offensus (in quocunque tandem istud consistat) cedere, debet dici, quod Deus possit facere, ut blasphemiam non sit ipsius offensa; nam offensa est injuria personalis: injuria autem nulla datur, ubi non datur jus, quod læditur: atqui, si Deus non acceptat jus, vel cedit jure offensus, non datur jus in Deo, quod lædatur.

Hinc in tali casu offensa, strictè loquendo, non remitteretur, sed impediretur, saltem offensa actualis, seu in actu secundo; fortè enim Lugo posset dicere, blasphemiam pro eo casu esse adhuc offensam Dei in actu primo. Quod autem Deus ita possit cedere jure suo, ut blasphemiam non sit amplius actualis ejus offensa, non dixerim: aliud esset de actibus non intrinsecè malis, de quibus n. 338. conclus. 6. Afferit quidem Lugo loco cit. paritatem ab homine, qui, ut ait, ita potest cedere jure suo ad indignationem: sed responderetur eodem modo; nam, si jus offensus etiam in homine stet in jure ad indignationem, & hic vellet, ac etiam possit (nam fors sæpe non potest, præsertim antecederet, jure offensus (in quocunque istud stet) cedere, ex dictis in tract. de iustit. à n. 489.) eo jure pro eodem instanti cedere, tunc etiam, strictè loquendo, non remittit offensam, sed eam non admittit, si ve impedit. vide Haunoldum l. 4. tract. 4. n. 926.

ARTICULUS III.

An Poenitentia sit necessaria Necessitate Præcepti.

400. **D**ico 1. Poenitentia graviter lapsis est necessaria necessitate præcepti. ita teste Eximio tom. 4. in 3. p. disp. 15. sec. 1. communis contra Victoriam. Intelligenda autem conclusio est de præcepto poenitendi, non qualicumque, sed speciali; neque enim hic agimus de præcepto poenitendi, orto

vel imposito ab aliis virtutibus, e. g. à charitate erga Deum, qua jubemur, Deum amare, adeoque ejus injurias, quantum possumus, per poenitentiam abolere: vel à charitate erga seipsum, qua quisque jubetur, adhibere medium unicè necessarium, ad se liberandum ab infinito malo gehennæ: sed agimus de præcepto, specialiter imposito ab ipsa virtute poenitentia. Neque etiam hic agimus de præcepto, Ecclesiastico confitendi, de quo acturi sumus inferius à n. 395.

Prob. conclusio. In primis Scripturæ gravissimè reprehendunt impoenitentes, & plenæ sunt minis in obstinatos peccatores, maxime in prophetis, Isaia, Jeremia, Ezechiele, ac alibi passim: ulterius Christus Dominus, & S. Joannes Baptista, atque Apostoli, prædicationem suam inchoarunt à prædicatione poenitentia: atqui ex similibus Scripturæ testimoniis inferitur, specialiter præceptum esse baptismum, sumptionem Eucharistia &c. ergo etiam rite inferitur, specialiter præceptam esse poenitentiam. Consentiant Patres passim, ex quibus Tertullianus l. de poenit. c. 4. ait: *Bonum est poenitere, an non? Quid revolvis? Deus præcipit.*

401. Equidem non nego, posse videri, textibus quibusdam Scripturæ nimium probari, de qua re inferius, quando agemus, an statim debeat agi poenitentia: sed etiam hoc innegabile est, quod ij textus aliquid probent contra nimis diu differentes poenitentiam: dein sicut alii, ita etiam isti textus Scripturæ, rectè accipiuntur, juxta communem expositionem Patrum, & doctorum, quæ expositio quidem non stat pro adstruentibus obligationem statim poenitendi, aut confitendi: at tamen stat pro asserentibus, aliquando dari eam obligationem. Confir. Est per se inhonestum, adeoque prohibitum, manere longo tempore in statu inimicitia cum Deo; & diu differre satisfactionem tam modicam, quam Deus pro peccatis admittis petit: ergo est per se præcepta poenitentia, & quidem præcepto speciali, spectante ad virtutem poenitentia.

402. Jam verò, an hoc præceptum dicendum sit naturale, an positivum, præsertim, quatenus præcipitur poenitentia supernaturalis, videtur habere aliquid de nomine. Si illud tantum dicitur juris naturalis, quod viribus naturæ, aut in statu puræ naturæ, potest impleri, certè hoc præceptum, prout se extendit in hac providentia, ad actum supernaturalem, impleri non potest viribus naturæ: adeoque; quamquam admittatur, jure naturæ præceptam esse aliquam poenitentiam, in genere acceptam, non tamen potest dici, esse jure naturæ præceptam hanc specialem: sicut jure naturæ præceptus est, aliquis cultus Dei, non tamen cultus per sacrificium Missæ: nisi velimus dicere, etiam sacramenta spectare ad jus naturæ. Et juxta hunc modum loquendū, negari etiam debet, jure naturæ esse præceptos actus supernaturales fidei, spei, auriculari

ritatis: debetque dici, tantum præceptos esse aliquos in genere actus fidei &c. nam etiam aliqui potuissent dari naturales in statu puræ naturæ.

403. Si autem omnia illa reducuntur ad jus naturale, quæ lumen naturale dicitur faciendæ, supposita quavis conditione, etiam supernaturali, e.g. institutione Divina, aut supernaturali Dei præcepto, tunc etiam pœnitentia supernaturalis spectabit ad jus naturale: sed hæc ratione plurima, & ferme omnia ad jus naturale spectabunt; nam, supposita quavis lege positiva, Divina, Ecclesiastica, aut civili, jus naturale, seu lumen naturæ dicitur, eam esse implendam. Non vacat quæstionem non necessariam ulterius profequi: dicat quisque, quod velit: si tamen velit dicere, pœnitentiam præceptum esse naturale, debet illud reducere, saltem juxta aliquos, ad aliquod præceptum decalogi: & quidem à Scoto reducitur ad primum præceptum diligendi Deum, à Vega verò ad quintum, quo prohibetur occisio, tam sui, quam aliorum, tam spiritualis, quam corporalis.

404. Ob. 1. S. Thomas 2.2. q. 14. a. 2. in corp. docet, impœnitentiam, quæ sit tantum quasi indirectè voluntaria, sine expresso proposito non pœnitendi, live quæ sit tantum neglectus culpabilis pœnitentiæ, docet, inquam, eam impœnitentiam non esse speciale peccatum, sed tantum circumstantiam peccatorum habitualiter perseverantium: idem docet in 2. dist. 43. q. 1. a. 3. ad 3. ubi ait, talem impœnitentiam esse accidens peccatorum: ergo non datur speciale præceptum pœnitentiæ. Resp. de his textibus potest videri Suarez tom. 4. in 3. p. dist. 15. sec. 2. a. n. 7. ubi tres responsiones adducit, & n. 11. præ aliis approbare videtur tertiam, juxta quam Resp. dist. ant. S. Thomas docet, non esse speciale peccatum in Spiritu S. conc. ant. non esse aliud speciale peccatum. neg. ant. & conf.

405. Ut cit. n. 11. observat Eximius, Angelicus per circumstantiam, vel accidens peccatorum, intelligit ibi omne id, quod sit occasione alterius peccati, sive, quod non per se committitur, sed ut circumstantia alterius peccati, qua ratione etiam committitur impœnitentia illa, sine expresso proposito non pœnitendi: non autem negat S. Doctor, quod talis circumstantia non addat specialem malitiam, si perseverantia in peccato extendatur, ultra id tempus, ad quod posset licet differri pœnitentia. Quare talis impœnitentia, non quidem in sensu S. Doctoris, ibi usurpato, attamen in sensu ab aliis, præsertim nunc usitato, dicitur esse speciale peccatum: quamvis non ita speciale, ut non possit etiam ad mentem Angelici dici circumstantia prioris peccati, cujus occasione commissum est. Addo, S. Thomam 3. p. q. 84. a. 7. ad 1. ita habere: *De jure naturali est, quod aliquis pœnitentiam de malis, que fecit, & ad 2. iterum supponit, pœnitentiam esse juris natura-*

lis: adeoque debet pœnitentia juxta ipsum esse præcepta.

406. Ob. 2. Peccatum impœnitentiæ non continet specialem malitiam, quæ non reperitur in quolibet peccato mortali: ergo non datur speciale præceptum pœnitentiæ. prob. ant. quodlibet peccatum impedit hominem à consecutione ultimi finis: sed in hoc deberet stare specialis malitia impœnitentiæ: ergo. Resp. 1. neg. conf. Utique tamen prohiberi potest impœnitentia; sicut enim eadem res potest pluribus præceptis præcipi, ita etiam potest pluribus prohiberi. Resp. 2. neg. ant. quia probabiliter est peccatum diversum, si quis non agat pœnitentiam intra præscriptum tempus.

407. Ad prob. dist. ma. quodlibet peccatum impedit hominem quomodocunque à consecutione finis ultimi. conc. ma. eodem modo, quo impœnitentia. neg. ma. & dist. mi. deberet specialis malitia impœnitentiæ stare in hoc, quod quomodocunque impediatur consecutionem finis ultimi, neg. mi. deberet stare in hoc, quod eam consecutionem impediatur modo speciali. conc. mi. & neg. conf. Impœnitentia impedit ex se consecutionem ultimi finis magis irreparabiliter; quia cum ea etiam non potest stare intentio pœnitendi intra tempus præscriptum, quæ tamen potest stare cum aliis peccatis. Ulterius in impœnitentia specialiter tali est specialis turpitudine, opposita honestati specialis pœnitentiæ, scilicet inhonestas nolitiois, vel omissionis doloris, ex motivo honestatis ipsius doloris compensativi: vel melius, & universalius, impœnitentiæ non omnino specialissimè acceptæ, potest attribui inhonestas, relucens in eo, quod quis nolit reconciliari cum Deo, sed in statu inimicitie perseverare.

408. Dices. Sic poterit dici, quod peccatum impœnitentiæ sit in triplici specie; quia opponitur tribus virtutibus, scilicet 1. pœnitentiæ speciali, & consequenter etiam aliquo modo justitiæ, sub qua illa continetur. 2. charitati erga Deum, & etiam charitati, seu amori honesto concupiscentiæ erga seipsum: sed hoc nimis est rigorosum: ergo. Resp. dist. ma. poterit id dici, si concurrat eodem tempore obligatio omnium istarum virtutum. conc. ma. secus. neg. ma. & sic dist. mi. neg. conf.

Sic etiam ommissio restitutionis potest esse multiplex peccatum: e.g. si quis non restituat ablatum calicem, sicque impediatur, ne sacrificium Deo possit die festo offerri, & ne pauper sacerdos possit sustentationem necessariam ex celebrata missa acquirere; hoc enim casu ommissio restitutionis esset non tantum contra justitiam, sed etiam contra religionem, & charitatem proximi: at quia non semper concurrunt omnes hæc circumstantiæ, vel obligationes, etiam non semper ommissio restitutionis est multiplex peccatum: & sic etiam impœnitentia potest esse contra illas tres, & adhuc contra plures virtutes, si plures obligationes concurrant: at non semper con-

concurrunt istæ, aut plures obligationes: quænam autem semper concurrant, non potest, nisi consideratis omnibus circumstantiis determinari. Addo tantum, requiritur etiam, ut aliquo modo cognoscantur, vel saltem non invincibiliter ignorentur, eæ obligationes; aliis enim non communicabunt actui suam malitiam.

409. Ob. 3. Juxta nos nemo posset damnari propter unum tantum peccatum: sed hoc est falsum: ergo. prob. ma. quilibet damnaretur etiam propter impœnitentiam adjunctam: ergo. Confirm. Cum homo etiam de sua impœnitentia deberet agere pœnitentiam, iterum committeret novum peccatum impœnitentiæ: & sic ulterius in infinitum: ergo quilibet damnaretur propter peccata infinita. Resp. neg. ma. ad prob. neg. ant. quia non est impœnitens, nisi is, qui non agit pœnitentiam, quando lex ad illum obligat: lex autem non statim obligat, ut infra dicemus: & antequam lex hæc obliget, potest homo sæpius mori, quo casu morietur, antequam violaverit præceptum pœnitentiæ, adeoque ob solum prius paratum peccatum damnabitur. Ad confirm. dist. ant. si iterum tam diu non doleat de sua impœnitentia, donec tempus effluerit, in quo præceptum obligavit. conc. ant. secus. neg. ant. & conf.

ARTICULUS IV.

Quando obliget Præceptum Pœnitentiæ.

410. Dico 1. Præceptum hoc non obligat sub gravi, ad agendam pœnitentiam, statim post peccatum commissum. ita Suarez tom. 4. in 3. p. dist. 15. sec. 5. n. 2. Lugo de pœnit. disp. 7. sec. 11. n. 196. Arriaga tom. 8. de pœnit. disp. 18. sec. 2. n. 4. & nostri communissimè, cum recentioribus Thomistis, & Scotistis, contra varios antiquos, quos citat, & sequitur Cardenas in crisi in propof. ab Innoc. XI. damnat. differt. 6. c. 3. n. 48. & 52. ubi tamen n. 45. ait, se illud statim non intelligere, de instanti physico, sed de morali: vult nempe, tunc statim dari obligationem pœnitentiæ, quamprimum alicui post perpetratum peccatum occurrat cogitatio de peccato commisso, atque aliquid excitans ad pœnitentiam, & ad est opportunitas eliciendi actum contritionis.

Dixi in conclusione, non obligare hoc præceptum sub gravi; nam Lessius, Canaus, Sorus, & alii, agnoscunt culpam venialem, si quis hebdomades, aut menses, perseveret in statu peccati gravis; eoquod nulla prudens ratio possit, excusare dilatam tamdiu pœnitentiam: quamquam Suarez cit. sec. 5. n. 19. putet, dari posse, licet raro, honestam causam differendi pœnitentiam, & g.

R. P. Ant. Mayr Theol. Tom. II.

ut quis actiones alias honestas necessarias prius perficiat &c.

411. Probatur autem conclusio. Obligatio sub gravi, post lapsum gravem statim agendi pœnitentiam, seu eliciendi contritionem perfectam (nam attritio non ferviret ad finem ad adversariis intentum, ut patebit ex eorum argumentis, in solutione objectionum adducendis) est valde difficilis: nec asseritur ex fundamento sufficienti: ergo probabilius non datur. ant. quoad 2. p. prob. tum solutione objectionum, tum ex eo, quod nullus pœnitens, aut confessarius, hanc obligationem agnoscat, nec ullus Episcopus, aut concionator, aut catechista, de ea fideles moneat; cum tamen eam communiter fideles nosse deberent: certè communissimè ad omnes spectaret; unde videtur sensus, ac praxis communis fidelium esse, non agnoscere per se, in dilatione non nimia pœnitentiæ, peccatum grave.

Prob. jam ant. quoad 1. partem. Statim agere pœnitentiam est utique valde difficile peccatoribus plurimis, maxime ijs, qui meditato peccarunt. Sanè difficile foret, ut ii, qui vix prius, esse iræ, vel vindictæ cupiditate, graviter peccarunt, vel voluptatibus inhonestissimis se sordidarunt, statim (etiam moraliter hoc intelligendo, seu post finitum peccatum, quando conscientia monet, Deum esse graviter offensum) non tantum à peccato desistant, sed etiam actum contritionis perfectæ eliciant, & ex purissimo amore Dei doleant: certè id plurimi defacto minimè faciunt, & probabilius neque facerent, etsi id præceptum esse putarent, propter difficultatem actus tam sublimis, inter illas circumstantias eliciendi: adeoque denuo peccarent mortaliter: quin imò fierent sæpè indurati: & peccata magis auferentur, quam minuere: nec tam homines reconciliarentur cum Deo, quam ab eo magis averterentur; cum tamen finis præcepti pœnitentiæ sit, homines ad celeriolem cum Deo reconciliationem adducere.

412. Confirm. 1. Institutio pœnitentiæ est maximus favor Dei, & beneficium cæli: atqui, si esset adjuncta tam gravis obligatio, quæ foret multis, quamvis non sine eorum culpa, occasio majoris æterni supplicii, beneficium hoc multum imminueretur: ergo non debet dici, obligationem hanc fuisse adjunctam; cum favores sint latius potius explicandi. Confirm. 2. Ex principiis sententiæ oppositæ inferretur, Christianos ordinari teneri statim ad confessionem; quia, juxta principia adversariorum, deberent adhibere medium securum, liberandi se à periculo damnationis æternæ: cumque ordinari moralem certitudinem habere non possent de elicitæ contritione, deberent adhibere confessionem: atqui hoc esset nimis difficile: ergo. Confirm. 3. Ex principiis adversariorum etiam sequeretur, quod infantes recens geniti, etiam validi, deberent sub gravi peccato statim baptizari.

zari (nam etiam sunt in periculo perdendæ beatitudinis) hoc autem videtur esse contra communem praxin Ecclesiæ, præsertim antiquioris, quando infantes nullo modo statim baptizabantur: ergo.

413. Dico 2. Non obligat præceptum pœnitentiæ sub gravi, singulis diebus dominicis, vel festis. Conclusio est communissima contra Marfilium, Angelum, & paucos alios, citatos à Suarez tom. 4. in 3. p. disp. 15. sec. 6. n. 10. Prob. Obligatio hæc non potest colligi ex præcepto de observatione festorum, quod tantum jubet sanctificari dies festos, id quod fit abstinendo à labore servili, & auditione sacri, quod utrumque potest fieri absque omni actu pœnitentiæ: nec aliunde potest inferri hæc obligatio; nam, quando dicitur Numer. 29. v. 7. *Affligetis animas vestras*: sermo non est de omni sabbatho, seu festo, sed tantum de certo festo expiationis, quod agebatur die decima mensis septimi, ex quo, ut ait Suarez cit. disp. 15. sec. 6. n. 12. non inferitur, singulis sabbathis, sed tantum una die singulis annis, fuisse præceptam pœnitentiam, solemnem, & externam. Addit *ibidem* Eximius, & bene, eam legem, utpote cæremonialem, jam cessasse.

414. Dico 3. Non obligat hoc præceptum sub gravi toties, quoties quis recordatur peccatorum suorum. Conclusio est iterum communis contra aliquot antiquos, citatos à Suarez tom. 4. in 3. p. disp. 15. sec. 4. n. 3. Prob. Recordatio peccatorum per se non habet vim inducendi obligationem tam gravem, & pluribus scrupulis, ac anxietatibus obnoxiam: nec etiam hæc obligatio aliunde probatur: ergo. Certè hæc obligatio esset difficilior ferme, quam illa, de qua in prima conclusione. Addo tamen, posse aliquando, dum quis recordatur peccatorum suorum, dari obligationem eliciendi actum aliquem detestationis peccati, vel pœnitentiæ, seu perfectæ, seu imperfectæ, v. g. quando recordatio aliàs, maxime voluptatum, induceret in periculum proximum iterum peccandi, ita, ut aliter tentatio, moraliter saltem, vinci non posset: sed hæc obligatio est tantum per accidens, & non per se ex præcepto pœnitentiæ.

415. Dico 4. Præceptum hoc obligat peccatorem in articulo mortis. Suarez in 3. p. disp. 15. sec. 6. n. 1. ait, de hac assertionem nullam posse esse controversiam. Per articulum mortis autem non intelligitur, tantum ultimum vitæ momentum, sed ægritudo gravis, aut alia causa, vel etiam occasio, ex qua moraliter mors imminet, qualis e. g. est instans prelium, vel etiam periculosa navigatio. Prob. Præceptum pœnitentiæ aliquando obligat, ut probatum est à n. 400. ergo, supposito, quod antecedenter non sit impletum, debet impleri in articulo mortis. conf. patet. hoc præceptum enim non potest amplius impleri in altera vita, quando non est amplius tempus agendæ pœnitentiæ, & homo adhuc gra-

viter reus statim damnatur: ergo debet saltem ultimo tempore antecedenti, seu in articulo mortis, impleri; alias consummabitur impœnitentia finalis.

416. Dico 5. Præceptum hoc obligat etiam ante articulum mortis. ita Suarez tom. 4. in 3. p. disp. 15. sec. 6. n. 3. & 20. Lessius, Layman, Palao, Lugo, Præpositus, Thyrsius, & alii: videri etiam potest S. Thomas in 4. dist. 17. q. 3. a. 1. *questiunc. 4.* Prob. conclusio. Qui differt pœnitentiam usque ad articulum mortis, se exponit manifesto periculo finalis impœnitentiæ; cum articulus ille sit incertissimus, & ordinariè prævideri minimè possit: sed hoc est utique contra præceptum pœnitentiæ: ergo. prob. mi. præceptum pœnitentiæ nos obligat, ad vitandum morale periculum impœnitentiæ, sicut præcepta aliarum virtutum nos obligant, ad vitandum morale periculum peccatorum ipsis oppositorum: ergo.

417. Confir. 1. SS. Patres valde reprehendunt dilationem pœnitentiæ usque in articulum mortis, dicuntque, eam pœnitentiam esse valde incertam, aded, ut S. Augustinus serm. 57. de tempore dicat: *Pœnitentia, quæ ab infirmo petitur, infirma est: pœnitentia, quæ à moriente tantum petitur, timeo, ne & ipsa moriatur.* Insuper videtur esse communis sensus fidei, quod plerique, qui pœnitentiam usque ad mortis articulum culpabiliter differunt, iusto Dei iudicio, efficaci gratia ad finalem pœnitentiam agendam destituantur: ergo datur præceptum, pœnitentiam non ita differendi: at hoc ipsum est præceptum pœnitentiæ: ergo. Confir. 2. Præcepta fidei, spei, & charitatis, obligant sæpius in vita, ut habetur ex damnatis propositionibus, primâ Alexandri VII. & sextâ Innocentii XI. ergo etiam præceptum pœnitentiæ, (supposito, quod quis gravis peccati sæpius reus existat) obligat sæpius in vita; non enim videtur magis inordinatè agere ille, qui existens amicus cessat diu ab amore, quam alter, qui existens inimicus diu persistit in inimicitia.

418. Quoties autem per se obliget præceptum pœnitentiæ, præscindendo ab obligationibus per accidens, variant auctores, & quidam omnino nihil statuunt. Saltem certum videtur, non posse censeri nimis rigidam sententiam eorum, qui existimant, singulis saltem annis per se obligari hoc præceptum. Certè ad confessionem singulis annis fideles obligantur: nec videntur intra hoc tempus tantum obligari vi præcepti Ecclesiastici, & determinationis Ecclesiæ, sed etiam vi præcepti Divini, aut naturalis; cum valde turpe sit, ulterius expiationem conscientia differre, & obligationi consistendi peccata gravia, à Christo impositæ, per integrum annum non satisfacere. Par autem est ratio de elicienda contritione, casu quo sacramentum pœnitentiæ recipi nequeat.

Accedit, præceptum charitatis in Deum

um juxta valde communem obligare saltem singulis annis (imò Cardenas in crisi in propos. ab Innocent. XI. damnatas dissert. 6. c. 2. n. 18. putat, hoc præceptum, ob suam summam dignitatem, obligare singulis mensibus) videtur autem, ut n. præced. est dictum, præceptum pœnitentiæ intra idem tempus obligare, præsertim, cum præceptum charitatis, à peccatore suorum scelerum memore, sine contritione impleri non possit. Equidem verum est, posse videri, hanc obligationem ad pœnitendum, ortam duntaxat ex connexionione cum obligatione ad Deum amandum, esse tantum obligationem pœnitentiæ per accidens: attamen ex hac ipsa connexionione videtur posse inferri, quod etiam detur obligatio pœnitentiæ per se, intra illud tempus, ultra quod ejus executio nunquam potest differri &c.

419. Jam verò obligatio per accidens, ad actum pœnitentiæ, est frequens, & multiplex. e. g. cum quis vult recipere sacramenta vivorum; tunc enim gravis peccator tenetur ad eliciendam contritionem ex virtute religionis: imò ante SS. Eucharistiam tenetur ad confessionem: item, si quis credat, se non posse vincere graves tentationes, nisi prius convertatur per feriam pœnitentiam ad Deum, e. g. timeat, ne in occasione lubrica succumbat; tunc enim tenetur ex virtute castitatis, ad eliciendam contritionem. Aliqui ajunt, etiam teneri peccatores ad pœnitentiam, quando imminet calamitas publica, quæ putetur, non avertenda, nisi per publicam pœnitentiam: item, si ob peccatum particularis cujusdam periculo exponatur res publica, ut eontigit in peccato Achan Josue 7. & in peccato Davidis 1. Paralip. 21. qui tamen casus est rarus.

ARTICULUS V.

Solvuntur Objectiones.

420. **O**B. 1. contra 1. conclus. Scripturæ sæpissimè clamant, non esse differentiam pœnitentiam: ergo Deus pœnitentiam statim exigit: ergo tenemur, statim eam agere. ant. patet ex innumeris locis prophetarum, Apostolorum &c. sic *Isaie 65. v. 12. Omnes in cade convertitis, pro eo, quod vocavi, & non respondistis. Ecclesiastici 5. v. 8. Non tardas converti ad Dominum, & ne differas de die in diem; subitò enim veniet ira illius. ad Rom. 2. v. 4. & 5. Ignoras, quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit: secundum autem duritiam tuam, & impatientem cor, thesaurizas tibi iram in die ira. Apocal. 2. v. 16. Similiter pœnitentiam age: si quo minus, veniam tibi cito: ergo. Resp. dist. conf. Deus exigit pœnitentiam statim sub præcepto gravi. neg. conf. sub consilio, vel sub præcepto tantum levi. conc. conf. Scripturæ, si exigunt pœnitentiam sta-*

tim, tunc ordinariè tantum suadent, seu continent tantum consilium, non autem præceptum, saltem grave, nisi fors aliquando, in casu particulari, alicui specialiter comminentur imminemtem pœnam gravem, si non mox pœnitentiam agat, ut aliqui putant, factum esse erga Angelum Pergami (de quo loco Apocal. modò cit.) quod tamen speciale mandatum, non est universaliè extendendum ad alios. Aliquando possunt etiam Scripturæ explicari de iis, qui nimis die pœnitentiam differunt: & sic duri illi, & impœnitentes, thesaurizant sibi iram. Aliquando possunt Scripturæ exponi de iis, qui peccata peccatis accumulunt, & non tantum in prioribus negativè persistunt.

421. Dices. Christus præcipit omnibus, ut vigilent semper, hoc est, parati sint ad adventum Christi improvvisum: atqui non vigilant, seu non sunt parati, peccatores impœnitentes: ergo violant hoc præceptum, & de novo graviter peccant. ma. prob. *Matth. 24. v. 42.* dicit Dominus: *Vigilate ergo; quia nescitis, qua hora Dominus vester venturus sit: similia habentur Marci 13. v. 33. Luc. 12. v. 40. & 21. v. 36.* atqui his textibus non tantum suadet, sed præcipitur præparatio debita, ad excipiendum quacunque hora Christum: ergo. prob. mi. hos textus de præcepto, seu tanquam præceptivos, exponunt S. Ambrosius, S. Hieronymus, & Theophilactus, apud Cardenam in crisi in propos. ab Innoc. XI. damnatas dissert. 6. c. 3. a. n. 58. ergo. Hoc argumentum utique non caret difficultate: sed, quia hi textus, si ita strictè sumerentur, probarent, quod aliquis statim eadem horâ, seu etiam eodem momento, quo peccatum commissum est, deberet dolere, modò ei incidat aliquid de dolore eliciendo, quod esset nimis rigidum, hinc benignior expositio est adhibenda.

422. Quare dist. ma. Christus præcipit omnibus rigorosè, & præcepto quidem graviter obligante, ut semper vigilent &c. neg. ma. suadet potius, seu præcipit non rigorosè, vel saltem præcepto tantum leviter obligante. om. ma. & conc. mi. neg. conf. ad prob. dist. mi. ut prius, & neg. iterum conf. ad hujus prob. dico, etiam SS. Patres intelligendos esse de præcepto, non graviter, vel non rigorosè obligante. Dixi: vel non rigorosè præcepit Christus, vel non sub gravi; nam, si sentias cum iis, qui dicunt, materiam gravem non posse præcipi sub levi, determinatè dicere debes, Christum non rigorosè præcepisse. Equidem non nego, SS. Patres, in expositione illorum verborum, uti aliquando verbis significantibus præceptum, vel iussionem: neque etiam nego, terminos hos debere sumi per se in sensu stricto, si scilicet non adsit gravis ratio, eos accipiendi in sensu tantum latiori: attamen hoc etiam dico, quod in nostro casu sit ratio gravis, hosce terminos in sensu tantum latiore accipiendi; quia nempe tale præceptum esset nimis difficile: & in-

super à longè pluribus doctoribus, qui præceptum hoc non agnoscunt, isti termini minùs strictè accipiuntur: adeoque cum juxta communem doctorum explicandi sint Patres; etiam isti in sensu minùs rigoroso sunt exponendi.

423. Accedit, quòd non sit insolitum Patribus, consilia Christi vocare aliquando præcepta. Sic S. Hieronymus in *Malachia* 3. ait de Ecclesiæ populis, id est, fidelibus: *Quibus præceptum est, non solum decimas dare, & primitias, sed & vendere omnia, quæ habent, & dare pauperibus, & sequi Dominum Salvatorem.* S. Ambrosius *l. 7. in Luc. c. 11.* sic ait: *Alius præcepti locus est, ut omnibus momentis, non solum diebus, sed etiam noctibus, oratio deferatur.* Accedit, quòd non omnes SS. Patres ea verba de præcepto exponant; nam S. Hilarius in *cit. loc. S. Matth. can. 26.* tantum ait de Christo: *Vigilare nos propter feris adventum admonuit paratos igitur esse nos convenit. & canon. 27. Quamquam in commune nos ad indefessam vigilantiam curam adhortetur.* Addit quidem statim *ibi: Specialem tamen populi principibus, id est, Episcopis, in expectatione, adventusque suo sollicitudinem mandat:* verum non loquitur de hac vigilantia circa seipso, sed de alia, circa alios sibi commissos, quorum utique cura eis præcepta est.

424. Nec dicas, Deum etiam per præcepta homines monere, & adhortari; nam, quamvis hoc verum sit, tamen, quando non sufficienter aliunde probatur, adesse præceptum, termini generici non debent ita restringi. Addendum etiam, in Scripturis voces has, *debet, necesse est, oportet,* non significare necessarium præceptum; aliàs deberent, ante communionem lavari pedes: deberemus ex præcepto, omnino semper orare: imò sunt auctores complures, qui ipsas voces *mandatum, præceptum,* quando agitur de Christo, ejusque libertate, putent exponendas esse, non rigorosè, nec id improbabiliter; imò rectè facerent, si rationem tam gravem, qualem nos hic afferimus, etiam afferre possent.

425. Dices 2. cum Cardena in *crisi in propof. ab Innoc. XI. damnatas dissert. 6. c. 3. n. 57.* ubi citat Suarezium, hoc idem asserentem. Omnia, quæ in Scripturis proponuntur; sub comminatione pœnæ æternæ, posita sunt sub rigoroso præcepto: atqui hæc vigilantia, seu præparatio ita proponitur: ergo. Resp. dist. ma. si comminatio illa significet, pœnas eas incurrendas esse formaliter, ob omissionem illius rei, sicut fit, si quis nolit fidem amplecti. conc. ma. si ea comminatio tantum significet, eas pœnas incurrendas esse arguitivè, ob omissionem illius rei, formaliter autem propter aliquam præcedentem culpam. neg. ma. & dist. sic min. neg. conf. Dices 3. Non est tantum consilium, sed præceptum, quod admonet de periculo imminente, ut evitetur: ergo. Resp. dist. ant. si sit periculum

moraliter adhuc remotum. neg. ant. si sit periculum moraliter proximum, aut saltem propinquum. om. vel conc. ant. & neg. conf. vel suppositum, quòd in nostro casu proximum periculum sit; si enim esset, eo ipso præceptum obligaret, vi conclusionis quartæ.

426. Dices 4. Tamen in Scripturis sæpè reprehenduntur graviter peccatores; eoquòd non egerint pœnitentiam: ergo propterea sunt graviter culpabiles. ant. prob. sic *Proverb. 1. v. 24.* dicitur: *Vocavi, & renuistis. . . ego quoque in interitu vestro ridebo.* Confirm. *Matth. 25. v. 3.* Virgines, non paratæ ad nuptias, dicuntur *fatue:* sed fatuus in Scripturis significat peccantem; ergo peccant, qui se non parant, seu pœnitentiam differunt. Resp. in Scripturis etiam reprehendi eos, qui non secuti sunt consilia Evangelica: & certè reprehensibilis etiam fuit ille adolescens *Matth. 19.* qui invitatus à Christo renuit eum sequi; quia noluit, multas possessiones relinquere.

Sanè neglecta vocatio multis est causa damnationis æternæ: nec tamen est obligatio gravis, sequendi consilia Evangelica. in forma dist. ant. reprehenduntur graviter peccatores propter dilationem pœnitentiæ, si eam nimis diu distulerunt, conc. ant. si non ita distulerunt. subdist. reprehenduntur, tanquam graviter peccantes per eam dilationem. neg. ant. reprehenduntur tanquam incurii suæ salutis, sicut etiam aliquando reprehenduntur, non sequentes consilia Evangelica. conc. ant. & neg. conf.

Ad confirm. neg. conf. syllogismus enim incedit quatuor pedibus. Virgines illæ dicuntur fatuæ; quia priùs peccarunt, omitendo bona opera præcepta, quæ significantur per oleum; unde jam titulum hunc merita sunt, etiam omisso, quòd in Scripturis nemo dicatur fatuus, nisi peccator: quod tamen difficulter probari potest, saltem quòd non idem nomen tribuatur etiam iis, qui aliquid stultum fecerunt, & modo sine nova gravi culpa omittunt illud corrigere; quia stultum est, etiam pericula remota malorum grandium sine causa non vitare. in forma. dist. min. fatuus significat semper tunc actu peccantem. neg. min. vel tunc, vel priùs peccantem, & nunc non se emendantem. conc. min. & neg. conf.

427. Ob. 2. Dilatio pœnitentiæ post lapsum gravem est contra justitiam erga Deum: ergo tenemur, statim pœnitentiam agere. prob. ant. fur, qui aliquid homini abstulit, agit contra justitiam erga hominem, si illud non statim restituat: ergo etiam, qui peccavit contra Deum, agit contra justitiam, si non statim agat pœnitentiam, & per hanc restituat honorem Deo ablatum. Resp. 1. Hoc argumentum probaret, etiam post veniale peccatum esse mox obligationem, saltem levem, agendi pœnitentiam; nam, qui leve quid furatus est, teneretur sub levi, statim illud reddere domino. Resp. 2. neg. ant. quamvis enim ipsum peccatum prius commissum fuerit contra justitiam erga Deum, non ideo etiam

am dilatio aliqua non nimia pœnitentiæ est contra justitiam; quia Deus non obligat ad statim exhibendam pœnitentiam. ad prob. conc. ant. neg. conf. Dilatio restitutionis ideo est contra justitiam 1. quia fit domino invito: non autem est Deus, saltem graviter, invitus, si pœnitentia tantum aliquantum, non autem nimis diu differatur; eoquòd hucusque fuit probatum. 2. quia non restituens moraliter continuat furtum: non ita, qui non statim agit pœnitentiam, continuat peccatum; aliàs deberet talis dici, continuò pejerare, blasphemare &c.

428. Dices. Dominus sæpè non patitur damnum ex dilatione restitutionis, & tamen est graviter invitus, debetque res statim restitui: ergo, etiam si Deus nullum patitur damnum ex dilatione pœnitentiæ, tamen erit graviter invitus, & pœnitentiam statim exiget. Resp. Si dominus nullum profus patitur damnum, aut periculum, & fur difficulter possit restituere, non semper dominus est rationabiliter invitus, si restitutio aliquamdiu differatur: at hoc ordinariè non fit; nam in primis in æstimatione morali est damnum sat magnum, non posse de re sua pro libitu disporre (etiam quando de ea quis non disponere vellet) item non posse circa eam contractum inire: bona esse in manu aliena, & subjecta periculo jacturæ; unde, cum jura, & leges attendant maximè, quid ordinariè fiat, & quid sequeretur ex licentia universali, non verò quid ex licentia particulari, rectè dicitur dari obligationem, statim faciendi restitutionem. At ordinariè Deus non patitur damnum ex dilatione pœnitentiæ. in forma om. ant. neg. conf. nam, etsi dominus creatus sit invitus, ex quacunque tandem causa, nos supra probavimus, Deum in nostro casu non esse invitum.

429. Ob. 3. Qui læsit famam, aut honorem proximi, tenetur statim eum restituere: ergo etiam peccator, qui læsit honorem Dei, debet statim per pœnitentiam eum restituere. Resp. neg. conf. Ratio disparitatis est, quam supra dedimus: scilicet proximus est graviter invitus, non ita Deus: illi ordinariè nocet (quia fama non minùs, quam pecunia est necessaria) non autem nocet Deo: crescit etiam sæpè contemptus infamati hominis, non ita crescit contemptus Dei. Addunt aliqui, obligationem mox famam restituendi, prodesse infamatis, legem autem mox agendi pœnitentiam probabiliter non profuturam honori Divino; quia lex non impletur, & Deus magis offenderetur. Id tamen huic argumento obiecto tribuendum, quòd, si quis spargendo hæreses Deum apud rudes infamasset, quamvis non statim deberet agere pœnitentiam, deberet tamen mox dedocere errores; quia circa perseverantiam talium errorum Deus est graviter invitus, & vult, ut causa erroris aliis data mox, cum potest, revocetur: id quod colligimus ex communi sensu doctorum.

430. Ob. 4. Qui amisit fidem per pec-

catum hæresis, debet quamprimùm illum recuperare, eliciendo actum fidei, ut est communis Theologorum, cum Eximio *dist. 13. de fide. sec. 5. n. 6. & Sanchez in decalog. l. 2. c. 1. n. 3.* ergo etiam, qui amisit charitatem, debet illam quoque statim recuperare per pœnitentiam. Resp. 1. Suarez, & Sanchez, non agunt de eo, qui fidem amisit, sed qui eam negedum habuit, ita tamen, ut ei hic, & nunc, sufficienter sit propòsita. Resp. 2. retorqueo argumentum: ergo debet peccator elicere contritionem charitate perfectam, sicut infidelis debet elicere actum fidei formalis: adeoque non sufficit attritio cum sacramento; quod est falsum. Resp. 3. neg. conf. & paritatem. Fides est humanæ salutis initium, & fundamentum omnium actuum supernaturalium: insuper hominem vivere absque fide, est per se turpissimum, adeoque est major istius necessitas, & obligatio. Uterius, si est inurbanum, non credere statim regi, vel principi, aliquid asserenti, erit multò magis turpe, non statim credere Deo, dum aliquid loquitur; & hinc est communis Theologorum, infidelem mox, ut sufficienter ei applicatum est testimonium Dei, debere credere: at non est communis Theologorum, peccatorem mox debere agere pœnitentiam.

431. Dices 1. Qui egit contra charitatem fraternam, debet statim fratri reconciliari, juxta illud *Matth. 5. v. 24. Relinque ibi munus tuum ante altare, & vade prius reconciliari fratri tuo;* ergo etiam, qui egit contra charitatem Dei, debet statim reconciliari Deo per pœnitentiam. Resp. neg. conf. cum enim proximùs cor inspicere nequeat, suspicari semper potest, odium, & inimicitiam perseverare, atque adeò semper tritari, ac scandalum pati. At Deus est inspector cordium; qui facile novit, an peccatum cessarit. Addo tamen, si quis deposuerit odium proximi, idque proximo sufficienter constet, eum non teneri, statim elicere novum ejusdem amorem, vel amicitiam strictiorem inire.

432. Dices 2. Differens pœnitentiam vult perseverare in statu inimicitiae cum Deo: ergo graviter peccat. prob. conf. qui vult amplecti statum inimicitiae, graviter peccat: ergo etiam peccat, qui vult in eo perseverare. Resp. dist. ant. differens pœnitentiam vult positivè perseverare in statu inimicitiae, sive approbando illum statum. neg. ant. vult negativè tantum perseverare, sive ommittendo media ex eo statu emergendi. conc. ant. & neg. conf. ad prob. conc. ant. & neg. conf. Prior positivè vult eum statum: alter negativè se habet (ut suppono) & quidem non ultra tempus, intra quod licita est ea dilatio. Dices 3. Omissio contritionis in hoc casu est antecedens, ex quo sequitur perseverantia inimicitiae, tanquam necessarium consequens: sed qui vult tale antecedens, vult etiam consequens: ergo. Resp. dist. mi. qui vult positivè tale antecedens, vult etiam

am consequens. om. vel conc. mi. qui tantum illud vult negativè, hoc est, non tollit, vel impedit, subdift. si teneatur impedire. conc. mi. secus. neg. mi. & conf.

433. Ob. 5. Tenemur ex lege charitatis, proximum peccantem statim corrigere: ergo multò magis tenemur corrigere nosmetipsos per pœnitentiam. Confir. Debemus statim avertere grave periculum corporis nostri: ergo multò magis debemus avertere grave periculum animæ, quale utique est periculum subeundi infernum. Resp. dist. ant. tenemur proximum ita corrigere, ut is statim confiteatur, aut perfectè contematur. neg. ant. ut cesset à peccato. conc. ant. & sub ead. dist. conc. vel neg. conf. Adde, debere nos proximum tunc tantum corrigere, si sit periculum relapsus, vel pœnitentiæ nimium differendæ, & si speretur fructus. Ad confirm. om. ant. neg. conf. Periculum grave corporis ordinariè ex dilatione remedii crescit, & periculum mortis augetur: quod si non contingeret, neque teneremur sub gravi, statim corpori remedium adhibere: ac hoc non contingit necessariò in periculo animæ. Accedit, hominem per morbos impediri ab executione muneris sui; at non ita impeditur per peccatum: si tamen aliquis officio suo fungi in peccato nequeat, e. g. non possit sacra, ad quæ obligatur, dicere, tunc utique per accidens debet pœnitentiam agere.

434. Ob. 6. In statu peccati nihil possumus mereri de condigno: sed est graviter inordinatum contra charitatem sui ipsius, manere in tali statu: ergo. prob. min. à pari. si quis per plures menses, vel anno quasi toto, impediret proximum à suo lucro, graviter peccaret contra charitatem proximi: ergo etiam, qui impedit seipsum à tali lucro, peccat contra charitatem sui ipsius. Resp. Hoc argumento probaretur, quòd justus omittendo frequentiore usum sacramentorum, vel bonorum operum, peccaret graviter; quia privat se maximo cumulo meritorum: hac autem ratione teneretur quis sub gravi ad consilia, quòd est profusum fallum; quare neg. min. saltem, si intelligatur, quòd sit ita graviter inordinatum, ut sit graviter peccaminosum contra charitatem erga seipsum. ad prob. neg. conf. Proximus esset invisus, nec etiam facile posset impediri, nisi vi, vel dolo, aut consilio malo, quæ omnia per se prohibita sunt, & non tantum contra charitatem, sed etiam contra iustitiam: non ita se res habet, si quis impedit seipsum à lucro spirituali.

435. Ob. 7. Quilibet homo est semper in periculo subitanæ mortis, adeoque peccator semper est in periculo æternæ damnationis: sed hoc periculum tenetur quilibet sub gravi vitare: ergo. Resp. dist. ma. quilibet est in periculo mortis proximo, aut magno, aut probabili. neg. ma. in periculo mortis tantum remoto. conc. ma. & sic dist. mi. neg. conf. Incomparabiliter plures non rapiuntur subito à vita, adeoque hoc periculum non est proximum, aut magnum,

ut vel adversarii ipsi debent fateri; si enim periculum mortis esset proximum, nulla foret reservatio casuum: non autem tenemur sub gravi, vitare quocumque periculum, etiam tantum remotum; foret enim hæc obligatio nimis gravis: ex qua fors sequeretur majus periculum incurrendæ damnationis ex n. 411.

436. Dices. Ad periculum probabile mortis, obligans ad pœnitentiam, non requiritur, ut plures sint, qui in eo pereunt, quam, qui id evadunt, modò plurimi pereant: ergo adhuc peccator est in probabili periculo mortis; quia plurimi, imò innumeri, subito moriuntur. prob. ant. ex prælo ordinariè plures milites evadunt, quam in eo occumbant: & tamen adeuntes prælium tenentur prius confiteri, aut contritionem saltem elicere, ob probabile periculum mortis: ergo. Resp. neg. conf. ad prob. iterum conc. antec. & neg. conf. nam, ut sit periculum probabile, vel proximum mortis, debet saltem esse tale, ut communiter incutiat magnum mortis tanquam propinquæ timorem, ut facere solet imminens prælium, in quo non solent incomparabiliter plures evadere. Juxta adversarios, qui comedit piscem, qui aliquando altius scandit, qui concedit cubitum &c. esset semper in probabili periculo mortis; quia plurimi in similibus occasionibus subito mortui sunt.

437. Ob. 8. Qui differt pœnitentiam, exponit se periculo morali novorum peccatorum: sed quisque tenetur vitare tale morale periculum: ergo debet quisque statim pœnitentiam agere. ma. prob. in primis ex S. Gregorio homil. 11. in Ezechielem post medium, ubi ait de peccato: Si citius pœnitendo non tergitur, iusto iudicio omnipotens Deus obligatam peccatis mentem etiam in culpam alteram permittit cadere. 2. Ut est sententia communissima Theologorum, non potest homo sine gratia sanctificante diu servare totam legem naturæ: ergo peccator, eâ gratiâ privatus, est in morali periculo iterum graviter peccandi. 3. Expectantiæ etiam constat, quòd fideles, qui tantum semel in anno confitentur, ordinariè plura peccata mortalia afferant: ergo minor autem superior, quòd scilicet tenetur quisque, tale periculum vitare, probata est n. 295.

Nec dicas 1. hoc periculum denuo graviter peccandi, tantum esse remotum; quòd non statim sequatur peccatum, sed tantum post aliquod tempus; nam per periculum proximum non intelligitur periculum peccati, eo momento, vel horâ, committendi: sed sufficit, ut peccatum postea inferat, ut docet Lugo de pœnit. disp. 14. sec. 10. n. 164. & sanè non videtur esse ulla ratio, cur debeam vitare periculum peccati mox committendi, non autem periculum peccati post mensem patrândi.

438. Nec dicas 2. esse tantum periculum peccati alicujus indeterminati; nam ideo fortè est gravius periculum; quia est peri-

periculum etiam gravissimi peccati patrândi, & consequenter expositio sui in tale periculum est implicitus consensus in gravissimum etiam peccatum. Et quis dubitat, quòd si esset tibi revelatum, te in domo Petri peccatum grave commissurum, non tamen esset revelata ejus species, quis inquam, dubitat, quòd deberes, eam domum vitare? Plura hæc de re exhibet Lugo de pœnit. disp. 14. n. 162. & disp. 15. n. 42. & seq. Hæc obiectio est satis difficilis.

Resp. 1. indirectè, hoc argumento, ut jacet, probari nimum, scilicet 1. teneri aliquem sub mortali vitare peccata venialia deliberata. 2. teneri sub gravi ad orationem matutinam, frequentem confessionem &c. 3. teneri deserere militiam, mercaturam &c. imò ut plurimum teneri deserere mundum, & sequi consilia Evangelica; nam facientes oppositum ordinariè incidunt in aliquod peccatum grave: hæc autem sunt apertè nimia, & à nemine admittenda.

439. Resp. 2. Hoc argumentum probat quidem, pœnitentiam non esse diu differendam: non autem probat, eam statim necessariò esse agendam; nam S. Gregorius ait. homil. 11. in Ezechielem paulò ante verba objecta sic ait de Deo: Qui peccatorem diu expectat, ut redeat, non redempti, neque contemnenti, ponit adhuc, ubi gravius impingat: hoc est, permittit offendiculum, seu occasionem novi peccati, ut patet ex contextu; unde Medina apud Vasquez in 1. 2. disp. 196. c. 4. n. 20. putat, S. Gregorium loqui tantum de peccato, in quo homo diu manet, contemnens auxilia quotidiana Divinæ gratiæ, & sanè, ut patet ex verbis paulò antè allatis, S. Gregorius loquitur de contemnente reditum ad Deum. Ipse autem Vasquez loc. cit. vult, S. Doctorem non loqui de quovis peccato, sed tantum de illo, cujus actualis affectus adhuc durat, & habet connexionem cum alio consequente peccato; nam S. Gregorius ponit exemplum in eo, qui contentians desiderio injusto habendi rem alienam, ab hoc movetur ad furtum, à furto autem, si scilicet in questionem trahatur, ad perjurium; unde juxta hos auctores iste textus S. Gregorii non venit ad rem.

Neque etiam rationes n. 437. objectæ plus probant, quam confessionem, aut contritionem, seu pœnitentiam, non posse licitè diu differri. Ad illud in probatione minoris adductum, scilicet, non referre, quòd periculum non sit peccati statim, sed tantum post aliquod tempus committendi, respondeatur, utique multum referre, si interim remedium cavendi à periculo, vel illud evadendi adhibeatur, scilicet, si pœnitentia interim agatur; cum præsertim non pœnitentia modicè, sed multum, seu diu dilata, id periculum creet; unde in forma dist. ma. qui diu differt pœnitentiam, exponit se morali periculo novorum peccatorum, conc. ma. qui non diu eam differt. neg. ma. & om. min. neg. conf.

440. Resp. 3. dist. aliter ma. qui differt pœnitentiam, exponit se periculo morali novorum peccatorum determinato. neg. ma. exponit se periculo indeterminato. conc. ma. & dist. min. tenemur vitare periculum novorum peccatorum determinatum, & quidem tunc, quando ex tali obligatione non sequitur nimia difficultas, vel majus, aut æquale periculum novorum peccatorum. conc. min. secus. neg. min. & conf. In primis hoc periculum non est determinatum; quia non est satis exploratum, ex qua tandem causa determinatè proveniat, quòd fideles, qui tantum semel confitentur in anno, ordinariè plura mortalia committant, sive an id proveniat ex absentia gratiæ sanctificantis: circa quam insuper etiam non constat, quantum tempus sit, quòd diuturnum dici debeat, & intra quod non possit homo, privatus gratiâ, esse sine novo peccato, quòd fortè aliquando respectu diversorum potest esse inæquale, si unus pluribus, alter paucioribus tentationibus, tam externis, quam internis, ad peccatum alliciatur.

441. Rursus non est exploratum, an non proveniat novus lapsus ex defectu propositi, vel ex non frequenti usu sacramentorum, neglectu orationis, aut aliorum piorum operum: vel ex fuga occasione bonarum, aut ex amore facili: non, inquam, constat, qua de causa Deus gratiam efficacem neget; hinc non est ratio, cur fideles has potius, quam alias causas, vitare debeant: omnes autem debere vitare, & quidem sub gravi, esset obligatio nimium gravis, & obligaret ad plura n. 438. recentita, ad quæ tamen nemo censet sub gravi fideles adstringi.

Videatur Dicastillo tract. 8. de pœnit. disp. 7. n. 258. ubi rectè distinguit, inter causam, seu periculum in communi, sive indeterminatum, & inter causam, seu periculum determinatum peccati in communi, sive indeterminati. Causam in communi, seu indeterminatam peccati, sive determinati, sive indeterminati, non tenemur semper vitare; quia esset onus nimium, & moraliter impossibile: certè Ecclesia non obligat, nisi ad annum confessionem, licet dilatio ista confessionis sit aliqua causa indeterminata peccatorum, etiam gravium, ut observatum n. 437. At verò causam determinatam etiam peccati in communi, seu indeterminati, tenemur vitare, si non per accidens necessitas gravissima, seu impossibilitas excuset.

DISPUTATIO II

De Sacramento Pœnitentiæ.

442. Pœnitentiæ virtus, vel certè actus ejus, pars est sacramenti pœnitentiæ; ut enim ex hucusque disputatis liquet, actus virtutis pœnitentiæ est dolor, sive contritio, sive

sive attritionis, cum proposito non peccandi de cetero: de quibus, cum jam fuisse egerimus, non opus est addere plura. At, cum sacramentum poenitentiae plures adhuc partes involvat, de iis modò agendum est, & quidem hoc ordine, ut primò agamus de sacramenti huius essentia, & existentia, postea de ejus partibus, scilicet materia, & forma, quibus non minus, quam alia sacramenta, constituitur. Tractabimus autem prius de forma, tum de materia: inde subiungemus aliqua de potestate ministri, ac tandem de sigillo confessionis, seu obligatione confessarii, ad strictissimum de auditu silentium.

QUÆSTIO I.

De Essentia, & Existentia Sacramenti Poenitentiae.

ARTICULUS I.

An detur Sacramentum Poenitentiae, & quando sit institutum.

443. **S**acramentum Poenitentiae in Ecclesia dari negarunt Montanista sic dicti à Montano, à cuius patria Phrygia iidem haeretici etiam dicti sunt Cataphryges: idem negarunt Novatiani (de quibus n. 326.) postea etiam Wicleffus, Lutherus, atque Calvinus. Et quidem Lutherus l. de captiv. Babylon. c. de poenit. ait, sibi quidem confessionem secretam valde placere, eamque esse utilem, vel potius necessariam: sed addit, eam ex Scripturis probari non posse: item non esse necessarium, omnia peccata sacerdotibus confiteri: minus omnes peccatorum circumstantias exponendas esse. videatur Bellarminus tom. 3. contr. 4. de poenit. l. 3. c. 1. & 13.

Calvinus autem l. 3. institut. c. 4. §. 7. ausus est scribere de Catholicis: *Miror, quia fronte ausint contendere, confessionem, de qua loquuntur, juris esse Divini: cuius equidem vetustissimum esse usum fatemur, sed quem facile possumus evincere, omnino fuisse liberum.* Certè nullam de ea statam fuisse legem, aut constitutionem, ante Innocentii III. tempora, eorum quoque annales narrat. & infra: *Itaque ipsis testibus nondum elapsi sunt anni trecenti, ex quo injectus ab Innocentio III. laqueus, & imposita confitendi necessitas.* & §. 19. *Nihil mirum, si auricularem istam confessionem, rem adeo pestilentem, totaque nominibus Ecclesiae noxiam, damnamus, ac sublatam è medio cupimus.* vide Bellarminum loc. mo. d. cit.

Contra hos tamen omnes errores sic definit Tridentinum sess. 14. can. 6. *Siquis negaverit, confessionem sacramentalem, vel institutam, vel ad salutem necessariam esse, jure Divino, aut dixerit, modum*

secretè confitendi soli sacerdoti, quem Ecclesia Catholica ab initio semper observavit, & observat, alienum esse ab institutione, & mandato Christi, & inventum esse humanum, anathema sit. & can. 7. *Si quis dixerit, in Sacramento poenitentiae, ad remissionem peccatorum necessarium non esse jure Divino, confiteri omnia, & singula peccata mortalia, quorum memoria cum debita, & diligenti prameditatione habeatur, etiam occulta, & quae sunt contra duo ultima decalogi praecepta, & circumstantias, quae peccati speciem mutant, anathema sit.* Prius autem nempe sess. 7. can. 1. de sacram. in genere. jam anathema dixerat illi, qui dixerit, poenitentiam non esse verè, & proprie sacramentum.

444. Dico I. Sacramentum poenitentiae rectè definitur, *Sacramentum, in quo sacerdos subditur sibi, cum iusto dolore, & proposito, legitime confitentem sua peccata, ab his absorvit.* ita Navarrus in manuali c. 22. n. 11. & communiter alii, saltem quoad rem. Prob. Definitio, vel descriptio hæc, habet vocem *sacramentum* pro genere, in quo convenit cum sex reliquis sacramentis: per reliquas voces autem differt ab omnibus aliis, ut facile patet consideranti; quia ad nullum aliud requiritur confessio &c. insuper explicatur per hanc definitionem, quidquid essentialiter ad hoc sacramentum requiritur, scilicet: quòd poenitens debeat esse subditus, seu quòd idem est, quòd minister poenitentiae, debeat habere in eum jurisdictionem: item, quòd debeat poenitens requiritum dolorem, & propositum afferre (de quibus jam egimus disp. 1.) rursus, quòd debeat sacerdos poenitentem absolvere à peccatis: quibus verbis simul indicatur, quænam huius sacramenti sit materia, & forma, quæ omnia in sequentibus magis explanabuntur: ergo hæc definitio est laetis bona, licet non omnes minutias logicas observet.

445. Dico 2. Poenitentia, prout administratur in nova lege, est verum, & proprie dictum huius legis sacramentum. ita Concilia, Lateranense, Constantiense, Florentinum, Tridentinum, & cum his omnes Catholici. Prob. Poenitentiae huic conveniunt omnia, quæ requiruntur ad sacramentum novæ legis: ergo. prob. ant. poenitentia hæc est cæremonia sacra, vel signum quoddam sensibile, sacrum, symbolicum, stabile, in pignus gratiæ à Christo institutum, & ex opere operato causativum gratiæ sanctificantis: hæc sunt predicata, quæ possunt ad sacramentum novæ legis requiri, ut diximus in tr. de sacram. in genere à n. 7. & 28. & communiter omnibus sufficiunt ad rationem sacramenti novæ legis: ergo.

Prob. ant. Hæc poenitentia in primis est signum; quia ducit in cognitionem gratiæ remittentis peccata: dein est signum sensibus subjectum; nam modo sensibili, ac humano, exercetur hoc iudicium sacrum: est ulterius res sacra, seu conducens ad san-

ctificandos homines, & cultum Divinum: quin etiam est symbolum absolutionis Divinæ: est quoque stabiliter jam per tot annos in Ecclesia adhibitum, ac tandem est à Christo institutum, tanquam pignus, & arrha, vi cuius Christus contestatus est, & confirmavit suam promissionem de danda gratia: quam gratiam etiam ex opere operato, seu ex meritis ipsius Christi Domini poenitentia confert: quod ultimum nunc speciali conclusione est probandum. itaque

446. Dico 3. Sacramentum poenitentiae est à Christo Domino institutum, ad remittenda peccata, seu, quod idem est, ad conferendam gratiam remissionem peccatorum. ita Catholici. Prob. *Matth. 18. v. 18.* Christus Apostolis ait: *Amen dico vobis, quacumque alligaveritis super terram, erunt ligata & in calo: & quacumque solveritis super terram, erunt soluta & in calo:* ubi potestatem, tam dimitendi, quam retinendi peccata, iis promisit, quam dein *Joan. 20. v. 22.* actu dedit; ita enim ibi habet Evangelista: *Insufflavit, & dixit eis: Accipite Spiritum Sanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis: & quorum retinueritis, retenta sunt.* Hanc insufflationem, & hæc verba, omnes SS. Patres, & Concilia, intelligunt de potestate remittendi, vel retinendi peccata, per actum iudiciale: & ex iis inferunt, Apostolos, & eorum successores, esse iudices peccatorum, à Christo constitutos.

Audiat Tridentinum sess. 14. c. 1. sic loquens: *Quo tam insigni facto, & verbis tam perspicuis, potestatem remittendi, & retinendi peccata, ad reconciliandos fideles post baptismum lapsos, Apostolis, & eorum legitimis successoribus, fuisse communicatam, universorum Patrum consensus semper intellexit: & Novatianos, remittendi potestatem olim pertinaciter negantes, magna ratione Ecclesia Catholica tanquam haereticos expulsi, atque condemnavit. Quare verissimum hunc illorum verborum Domini sensum, sancta hæc Synodus probans, & recipiens, damnat eorum commentitias interpretationes, qui verba illa ad potestatem predicandi verbum Dei, & Christi Evangelium annunciandi, contra huiusmodi sacramenti institutionem, falso detorquent.*

447. Idem ostendit constantissima Ecclesiae praxis per omnia sæcula, ut videre est apud Bellarminum, & alios: ergo hoc sacramentum est à Christo institutum, & habet annexam gratiam remissionem peccatorum: atqui hanc non habet ex meritis peccatoris, qui nullis propriis meritis remissionem peccatorum potest acquirere: ergo ex meritis Christi, seu ex opere operato. Quòd autem Christus instituerit etiam confessionem auricularem, probabimus infra, quando de confessione agemus: interim sufficit canon Tridentini, citatus n. 443. inferius autem ostendemus continuam praxin confessionis, ab usque temporibus Apostolorum

observatam, ut rei, non institutæ ab Ecclesia, adeoque ut institutæ à Christo.

448. Dico 4. Sacramentum poenitentiae à Christo Domino institutum est post ejus resurrectionem *Joan. 20. v. 22.* quando apprensus discipulis dixit: *Accipite Spiritum Sanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis: & quorum retinueritis, retenta sunt.* ita omnes. Prob. 1. auctoritate Concilii Tridentini sess. 14. c. 1. dicens: *Dominus autem sacramentum poenitentiae tunc precipue instituit, cum à mortuis excitatus, insufflavit in discipulos suos, dicens: Accipite Spiritum Sanctum: quorum remiseritis peccata &c.* Prob. 2. Tunc sacramentum hoc Christus instituit, quando Apostolis, ac eorum successoribus sacerdotibus, dedit potestatem remittendi peccata: atqui hanc dedit *Joan. 20.* ergo. prob. min. *Matth. 18.* Apostoli nondum erant sacerdotes: ergo tunc illis nondum fuit actu collata, sed tantum promissa potestas absolvendi; nam juxta omnes, ad potestatem absolvendi, præsupponitur ex ordinatione Christi potestas consecrandi: seu ad potestatem in corpus Christi mysticum præsupponitur potestas in corpus Christi verum.

449. Jam verò in cœna ultima, ubi consecrati sunt Apostoli sacerdotes (quando Christus ipsis tradidit panem, & vinum consecratum, seu corpus suum, ac sanguinem, sub speciebus panis, & vini, atque illa verba subjunxit: *Hoc facite in meam commemorationem, Luc. 22. v. 19.* quæ juxta quosdam fuerunt formalis ordinationis) in cœna illa, inquam, nulla profus est mentio de tradita potestate solvendi, & ligandi: ergo ante resurrectionem Christi non fuit Apostolis tradita ea potestas: consequenter neque sacramentum illud institutum. Confirm. Ipsa insufflatio, & traditio Spiritus Sancti, in ordine ad solvendum, & ligandum, monstrant, Christum tunc voluisse instituire sensibilem, & stabilem cæremoniam, ad homines à peccatis solvandos: adeoque cæremoniam causativam gratiæ; quia remissio peccati fit per gratiam: sed in tali cæremonia stat ratio sacramenti poenitentiae: ergo.

450. Dico 5. Sacramentum poenitentiae est sacramentum distinctum à sacramento baptismi. ita omnes Catholici. Prob. 1. auctoritate Tridentini, quod sess. 14. can. 2. de sacram. poenit. sic definit: *Siquis sacramenta confundens, ipsum baptismum poenitentia sacramentum esse dixerit, quasi hæc duo sacramenta distincta non sint, atque ideo poenitentiam non rectè secundam post naufragium tabulam appellari; anathema sit.* Prob. 2. ex Patribus. Isti hoc sacramentum vocant secundam post naufragium tabulam; cum baptismus sit prima: ergo. Prob. 3. In sacramento baptismi longè alia est materia, & forma, atque sunt alia requisita, seu partes, quam in sacramento poenitentiae: ergo manifestè sunt inter se distincta. videatur Bellarminus tom. 3. contr.

trouv. 4. de penit. l. 1. c. 13. & Suarez tom. 4. in 3. p. disp. 17. sec. 1. n. 5.

ARTICULUS II.

Solvuntur Objectiones.

451. **O**B. 1. contra 2. conclusio- nem. SS. Patres antiquiores non vocant poenitentiam sacramentum, nec Scriptura eam sic vocat: ergo poenitentia non est sacramentum. **Confirm. 1.** In lege veteri poenitentia non erat sacramentum: ergo nec est sacramentum in lege nova. **Confirm. 2.** Nulla præcessit figura hujus sacramenti in veteri testamento: sed debuisset aliqua præcedere, si esset sacramentum: ergo. **Resp. neg. 1. p. ant. & dist. 2.** Scriptura poenitentiam non vocat sacramentum explicitè. conc. ant. non vocat sacramentum implicitè. neg. ant. & conf. Etsi in Scriptura poenitentia non vocetur sacramentum explicitè, dicitur sacramentum implicitè; quia in Scriptura ipsi attribuantur ea omnia, quæ ad sacramentum requiruntur: quod sufficit, ut Ecclesia ei hanc vocem attribuat. Equidem de hac ipsa voce *sacramentum*, an in sensu, nunc ab Ecclesia adhibito, inveniatur in Scripturis, litem hæretici movent: sed de ea actum est in *tract. de sacram. in genere n. 3.* modò rem habeamus ex Scripturis, facile dein est probare, Ecclesiam habere potestatem, imponendi certis rebus certa nomina.

452. Quod autem attinet ad 1. partem antecedentis, quæ negat, SS. Patres nomen sacramenti tribuere poenitentiae, ea omnino est falsa; sic enim habet S. Gregorius Nyssenus *in vita Moysis longè post medium.* *Moyse verò rursus per lapidem inundare aquis eremum fecit: quæ res, quantum, qualeque sit poenitentia sacramentum docet.* S. Augustinus in *psalm. 146. ante medium ad vers. 3. Qui sanat contritos corde, & alligat contritiones eorum: ait: Quæ sunt ista alligamenta? temporalia sacramenta. Alligamenta medicinalia sunt contritionis nostra sacramenta interim temporalia.*

Idem S. Doctor *epist. 180. sub medium.* ait: *An non cogitamus, cum ad istorum periculorum pervenitur extrema, nec est potestas ulla fugiendi, quantus in Ecclesia fieri soleat, ab utroque sexu, atque ab omni aetate concursus, aliis baptismum flagitantibus, aliis reconciliationem, aliis etiam poenitentiam ipsius actionem, omnibus consolationem, & sacramentorum confessionem.* Theodoretus in *epitome Divi decretor. c. de poenitentia* ait: *Veteres sacramentorum mysterium typum, & figuram habebant: per ista autem mysteria intelligit poenitentiam, & baptismum, ut patet ex contextu; unde poenitentiam vocat mysterium: mysterium autem græcè significat idem, quod latinè sacramentum.*

453. Ad 1. confirm. om. ant. neg. conf. Dico. om. ant. nam fors posset dici, illa sacrificia, & illam confessionem legalem, in ipsa sacrificii oblatione factam, de qua *Numeror. 5. v. 7.* fuisse sacramenta legis antiquæ, quamquam non causativa gratiæ. Sed hoc omisso neg. conf. Tunc necdum erat ulli hominum tradita potestas solvendi, sed tantum facultas solutos declarandi: & sic etiam Nathan 2. *Reg. 12. v. 13.* tantum revelavit, seu declaravit Davidi, quòd peccatum ejus à Domino sit remissum. Ad 2. confirm. neg. ma. Figura nostri sacramenti poenitentiae fuit hæc ipsa confessio, & poenitentia antiquis præscripta. Rursus figura fuit iudicium lepræ, commissum sacerdotibus *Lev. 13.* imò quando Deus *Gen. 3. v. 11.* Adamum, & Evam, ad peccati confessionem adegit: vel quando *Gen. 4. v. 9.* ad Cain dixit: *Ubi est Abel frater tuus?* confessionis, & poenitentiae figuras exhibuit: quin etiam solutio vinculorum Lazari, & resuscitatio *Joan. 11. v. 44.* à Christo præcepta Apostolis (ut docent S. Gregorius *homil. 26. in Evangelia.* S. Augustinus *tract. 49. in Joan. in ea verba: Solvite illum:* & alii Patres) figura fuit absolutionis sacramentalis.

454. Ob. 2. In quolibet sacramento requiritur elementum, juxta illud S. Augustini *rr. 80. in Joan. Accedit verbum ad elementum, & fit sacramentum:* sed in poenitentia non datur elementum: ergo neque datur sacramentum. **Confir. 1.** Contritio non est sensibilis: atqui sacramentum debet esse sensibile: ergo. **Confir. 2.** In sacramentis materia ponitur semper à ministro: atqui in poenitentia materia non ponitur à ministro: ergo non est sacramentum. **Resp. neg. ma.** S. Augustinus loquitur ibi tantum de baptismo, & tantum explicat, quid in eo fiat: non autem docet, quid necesse sit, præsertim non docet, quid necesse sit in omni sacramento.

Certè nec in aliis sacramentis, excepto solo baptismo, datur elementum strictè dictum: latius autem dictum elementum, hoc est, res aliqua, vel materialis, vel se habens per modum materiæ, seu alicujus entis determinabilis à comparte (quo in sensu plures doctores ad omne sacramentum requirunt elementum) datur etiam in poenitentia, scilicet datur contritio, & confessio. Ad 1. confir. dist. ma. contritio non est sensibilis immediatè in se. conc. ma. non est sensibilis mediatè in aliquo suo effectu, scilicet in confessione, ut ordinata ad absolutionem. neg. ma. & dist. sic mi. neg. conf. Ad 2. confir. dist. ma. in omnibus sacramentis materia ponitur à ministro. neg. ma. in aliquibus. conc. ma. & conc. mi. neg. conf. Non sunt sacramenta in omnibus æqualia, ut ex *tract. de sacram.* cuilibet pater, & hinc non est semper bonum argumentum ab uno ad alterum.

455. Ob. 3. Christus *Joan. 20. im-* mediatè ante insufflationem ait *Apostolis v. 21. Sicut misit me Pater, & ego mitto vos:* jam

jam verò Christus fuit missus ad remittenda peccata sine sacramento poenitentiae (nam sine hoc ipse ea remisit) ergo etiam misit Apostolos. **Confir.** Apostoli non leguntur audivisse confessiones: ergo eorum tempore non fuit sacramentum poenitentiae: ergo non fuit institutum à Christo. **Resp. neg. conf.** Paritas utique, inter missionem Christi, & Apostolorum, non est omnimoda; aliàs debuissent etiam Apostoli habere unitam Divinitatem. Et certè ratione hujus Christi habuit illam potestatem altioris ordinis, seu excellentiæ, ut posset remittere peccata, etiam extra sacramentum: quam tamen non dedit Apostolis; (nec enim adversarii in æternum probare poterunt, istam potestatem esse Apostolis à Christo collatam) adeoque, cum potestas delegati, vel subdelegati, pendeat tota à voluntate delegantis, nullo ex capite Apostoli habuerunt eam potestatem altioris ordinis.

456. Accedit, quòd, cum Christus viderit intimè cujuslibet hominis conscientiam, ei ad iudicium ferendum non opus fuerit confessione poenitentis: at Apostoli, universaliter saltem, conscientias non inspexerunt. Ad confir. neg. ant. sed de hoc inferiùs à n. 568. plura, quando de confessione: ubi etiam ostendemus antiquissimum usum confessionis, & hæc à Christo, non autem ab Innocentio III. ut falsissimè asserit Calvinus, institutam fuisse. Interim tantum adduco illud *Actor. 19. v. 18. Multique credentium veniebant, confitentes, & annunciantes actus suos:* sive, ut habet Syriaca expositio: *Plurimique ex ijs, qui crederant, veniebant, & renuntiabant offensas suas, confitebanturque, quòd fecerant:* id est confessionem apud Paulum, & Silam deponebant, ut exponunt Baronius *ad an. Chri. 56. n. 12.* Bellarminus *tom. 3. contro. 4. de penit. l. 3. c. 4.* & Cornelius à Lapide *in Actor. c. 19. v. 18.* qui ultimus plures alios gravissimos auctores citat, & hanc sententiam inferiùs probat, in quam adhuc alii plures consentiunt.

457. Ob. 4. Potestas tradita Apostolis *Joan. 20.* non est potestas remittendi peccata, sed tantum annunciandi, peccata esse remissa, & prædicandi Evangelium: ergo nulla est nostra probatio. **Confir. 1.** Si Apostolis data fuisset ibi potestas solvendi à peccatis, etiam data fuisset potestas ligandi ad peccata, seu imponendi poenitentibus peccata: hoc est absurdum: ergo. **Confir. 2.** Prædicatio potest excitarè fidem, per quam remittuntur peccata: ergo meritò dicitur, potestatem datam Apostolis tantum esse potestatem prædicandi.

Resp. neg. ant. Hæc interpretatio est contra omnes Patres, omnia Concilia, & universalem Ecclesiæ praxin: quin etiam contra rationem; nam 1. Christus voluit, Evangelium prædicari omni creaturæ, etiam hominibus invitis: non tamen voluit invitos solvi. 2. Hac ratione possent omnes etiam mulieres, imò & diabolus solvere à peccatis: quod utique admitti non potest.

3. Solvere non significat annunciare solutionem: sicut aperire non significat, nunciare, ostium esse apertum: nec claves dantur janitori ideo, ut tantum dicat, ostium jam esse resecratum, sed, ut ipse aperiat.

Ad 1. confir. neg. ma. Sacerdotes ligant sufficienter peccatores, dum per juridicam sententiam eos non absolvunt, seu absolutione indignos pronuntiant. vide etiam alios modos ligandi n. 232. unde non opus est, ut sacerdotes ligent, seu alligent, aut imponant hominibus peccata, seu culpas, quas non commiserunt; nec enim voluit Deus, ut sacerdotes possint, animas innocentes reddere culpabiles. Ad 2. confirm. neg. ant. in quantum dicit, quòd per fidem solam remittantur peccata; hoc enim est contra omnem sanam Ecclesiæ doctrinam: verum de hoc non est hic locus disputandi. Ad do tantum, sic non explicari, quomodo Apostoli potuerint ligare; quis enim dicat, non prædicare fidem esse ligare peccatores?

458. Ob. 5. Christus non instituit confessionem: sed eam Innocentius III. in Concilio Lateranensi primùm introduxit: ergo non est sacramentum. **Resp. neg. ant.** de quo inferiùs à n. 568. plura, quando de confessione. Quod autem Calvinus *loc. cit. n. 443.* dicit, scilicet confessionem primùm fuisse institutam ab Innocentio in Lateranensi Concilio, est aut mendaciam crassum, aut crassior ignorantia; cum jam antiquissimi Patres, pluribus sæculis antè illud Concilium, meminerint confessionis tanquam præceptæ. Sanè ipsi hæretici dicunt, Nectarium Constantinopolitanum Episcopum, S. Chryostomi antecessorem; abrogasse confessionem: igitur priùs debuit fuisse in usu. Sed de hoc infra, ubi ostendemus, antiquissimum esse modum confitendi secretè: neque istum, sed tantum usum publicæ poenitentiae à Nectario pro illis temporibus esse sublatum. Quod spectat ad Innocentium, is non induxit simpliciter necessitatem, seu obligationem confessionis, sed in Concilio Lateranensi tantum statuit, ultra annum non esse differendam confessionem *C. Omnis utriusque sexus. 12. de penit. & remiss.*

459. Ob. 6. contra 4. conclusionem. Potest dici, sacramentum poenitentiae institutum fuisse jam ante mortem Domini: vel *Matth. 10.* aut *Luc. 10.* quando Christus Apostolos misit ad prædicandum: vel *Matth. 18. v. 18.* quando Petro, & reliquis Apostolis, dixit: *Amen dico vobis: quacunque alligaveritis super terram, erunt ligata & in celo: & quacunque solveritis super terram, erunt soluta & in celo:* ergo. **Confir. 1.** Angelicus in 4. *dist. 22. q. 2. n. 3. questiunc. 3. in corp.* ait: *Poenitentia in diversis locis est à Deo instituta, quantum ad diversa:* ergo non est instituta primùm post resurrectionem. **Confir. 2.** Idem S. Doctor 3. p. q. 84. a. 7. *in corp.* ait: *Secundum id, quod pertinet ad officium ministrorum* la.

Sacramenti poenitentiae, determinavit Christus Matth. 16. ubi dixit Petro: Tibi dabo claves regni caelorum &c. Efficaciam autem huius sacramenti, & originem virtutis ejus, manifestavit post resurrectionem Luc. ult. ubi dixit, quod oportet predicari in nomine ejus poenitentiam, & remissionem peccatorum in omnes gentes: ergo hoc sacramentum, saltem quoad unam partem, jam fuit institutum ante resurrectionem.

460. Resp. neg. ant. Quando Apostoli, vel discipuli, eo loco missi dicuntur, necdum erant sacerdotes, & necdum missi in omnem mundum; cum nondum ijs liceret, in viam gentium abire: neque etiam ad predicandum necessaria erat potestas absolvendi. Cur autem non dicendum sit, quod jam Matth. 18. v. 18. institutum fuerit sacramentum poenitentiae, ratio data est n. 448. & seq. Non tamen nego, dici posse, hoc sacramentum tunc fuisse institutum quasi inchoative, radicaliter, aut dispositive, ob quam forte causam Tridentinum, citatum n. 448. dicit, id post mortem Domini praecipue institutum. Ad 1. confir. S. Doctor planè non videtur loqui de institutione proprie dicta, sed tantum de aliqua declaratione, vel explicatione sacramenti poenitentiae; nam dicit, utilitatem poenitentiae institutam fuisse Matth. 3. quo tantum dicere vult, utilitatem poenitentiae fuisse declaratam; longè enim antè jam fuit utilis poenitentia: quin ibidem addit: Postea Jacobus expressit aliquid de poenitentiae modo: quibus verbis utique non voluit dicere, S. Jacobum etiam fuisse institutorem sacramenti poenitentiae, sed tantum id explicasse.

Ad 2. confir. neg. conf. Textus ille tantum dicit, fuisse tunc determinatum officium ministrorum poenitentiae, quod suo tempore esset conferendum: non autem dicit, jam tunc fuisse actu collatum; cum ibi Angelicus citet textum Matth. 16. v. 19. Tibi dabo claves &c. ubi scilicet necdum dictum est: Do: postea autem, nempe post resurrectionem, aliter, sive de praefenti, manifestata, & instituta est virtus sacramenti poenitentiae, & simul collatum Apostolis officium, seu potestas administrandi hoc sacramentum. Caeterum utique textus S. Doctoris obscurior explicandus est, quantum fieri potest, ut concordet claro textui Tridentini, citati n. 448.

461. Ob. 7. contra 5. conclusionem. Baptismus remittit, non tantum peccata praeterita, sed etiam futura: ergo est idem cum sacramento poenitentiae. prob. ant. ex S. Augustino l. 1. de nupt. & concupisc. c. 33. ubi ait: Ut eodem lavacro regenerationis, & verbo sanctificationis, omnia prorsus mala hominum regenerantium mundaentur, atque sanentur, non solum peccata, quae omnia nunc remittuntur in baptismo, sed etiam, quae posterius humana ignorantia, vel infirmitate, contrahuntur, non, ut baptisma, quoties peccatur, toties repetatur, sed quia eo ipso, quod semel

datur, fit, ut non solum antea, verum etiam postea, quorumlibet peccatorum venia fidelibus impetretur: ergo. Confir. 1. S. Fulgentius l. de fide ad Petrum (qui liber inter opera S. Augustini tom. 3. habetur) c. 30. baptismum vocat sacramentum fidei, & poenitentiae: ergo. Confir. 2. Potest dici, per illa verba Matth. 18. & Joan. 20. Apostolis tantum datam fuisse potestatem remittendi peccata catechumenis per baptismum, & retinendi eadem negando baptismum: ergo.

462. Resp. dist. ant. Baptismus remittit proximè, & immediatè peccata futura, neg. ant. remittit ea tantum remotè, dispositive, seu tanquam dispositio necessario praesupposita. conc. ant. & neg. conf. ad prob. neg. conf. S. Augustinus ep. 23. sic ait: Semel perceptam parvulus Christi gratiam non amittit, nisi propria impietate, si aetatis accessu tam malus evaserit; tunc enim etiam propria incipit habere peccata, quae non regeneratione auferantur, sed alia curatione sanentur. Ecce ait S. Doctor, non baptismum, sed alia curatione, scilicet poenitentia, debere curari delicta postea commissa; quare priori loco tantum vult, baptismum esse necessariam conditionem, sine qua non remittantur peccata post baptismum commissa: quod patet ulterius ex verbis loco objecto additis: Quid enim praedesset, vel ante baptismum poenitentia, nisi baptismus sequeretur? vel postea, nisi procederet?

Ad 1. confir. neg. conf. Baptismus dicitur sacramentum poenitentiae; quia ante baptismum in actualibus peccatoribus praerequiratur poenitentia. Ad 2. confir. neg. ant. quia id negant omnes SS. Patres, & Concilia, quae clamant, ibi Apostolis concessam fuisse potestatem judicariam: nec tantum in bonum infidelium, sed etiam fidelium, pro quibus non minus Christus sacramenta instituit, quam pro illis. Nec etiam (quod hic notandum) retentio peccatorum ibi indicata, est tantum negatio absolutionis; alias, si sacerdos noller audire confitentem, retineret peccata, quod est fallum: sed retentio illa est sententia judicialis, per quam peccator declaratur tamdiu ligatus peccato, donec certas impleat condiciones. At baptismi negatio non fit per sententiam judicalem: imò, cum necdum baptizatus nondum sit in Ecclesia, non est sacerdotum, de eo iudicare, juxta illud 1. Cor. 5. v. 12. Quid enim mihi de ijs, qui foris sunt, iudicare?

ARTICULUS III.

Quenam sint Partes Sacramenti Poenitentiae.

463. Dico 1. Contritio, confessio, & absolutio, sunt partes essentialia sacramenti poenitentiae. ita communiter nostri cum Thomistis con-

contra Scotum, qui in 4. dist. 16. q. 1. §. Hic intelligendum (alii citant §. De poenitentia sacramento: qui est paragraphus minor in priore contentus) dicit quidem, quod contritio, confessio, & satisfactio, requirantur ad hoc sacramentum, sed negat esse partes; sic enim habet: De poenitentia sacramento dico, quod ista tria nullo modo sint partes ejus; quia, ut dictum est dist. 14. poenitentia sacramentum est illa absolutio sacramentalis, facta certis verbis &c. Maftrius tamen in 4. disp. 5. a. 2. n. 311. docet, Scotum solummodo velle, quod sacramentum poenitentiae formaliter metaphysicè, sive secundum rectum, in suo sensu acceptum, stet in sola absolutione: non verò, si sumatur materialiter, seu pro fundamento adaequato significationis sacramentalis, quae dein paulo fufius explicare contendit n. 3. n. 321.

Prob. autem conclusio. Christus hoc sacramentum instituit per modum iudicii, ut colligitur ex Tridentino sess. 14. c. 2. ubi de Christo Domino dicitur: Hos baptizatos, si se postea crimine aliquo contaminaverint, ... ante hoc tribunal, tanquam reos sibi voluit. item ead. sess. c. 5. dicitur: Constitat enim, sacerdotes iudicium hoc incognita causa exercere non potuisse: cum paulo antè jam dictum fuisset: Christus, è terris ascensurus ad caelos, sacerdotes suis vicarios reliquit, tanquam praesides, & iudices, ad quos omnia mortalia crimina deferantur: atque iudicium quodlibet de delictis involvit tanquam partes; non tantum sententiam iudicis (quam involvi per se est clarum) sed etiam accusationem: ergo etiam sacramentum poenitentiae involvit tanquam partes, non tantum absolutionem, tanquam sententiam iudicis, sed etiam confessionem, tanquam accusationem. Rursus hoc iudicium exigit accusationem, non qualemcumque, sed dolorosam, ut Tridentinum saepius docet: ergo etiam exigit aliquam contritionem, adeoque etiam haec est pars huius sacramenti.

Confirmatur 1. Concilium Florentinum in decreto Eugenii pro Armenis de hoc sacramento ait: Cuius quasi materia sunt actus poenitentiae ... cordis contritio ... oris confessio ... satisfactio ... forma huius sacramenti sunt verba absolutionis. ubi nota, illud quasi (quod verbum etiam adhibet Tridentinum sess. 14. c. 3.) tantum significare, illos actus non esse materiam physicam, aut talem, quae extrinsecus adhibeatur, sicut aqua in baptismo. Jam verò, quod est materia alicujus compositi, est etiam ejus pars, adeoque isti actus etiam sunt partes sacramenti poenitentiae, & consequenter illud non consistit in sola absolutione: cui adde, quod absolutio à Florentino dicitur esse forma huius sacramenti: forma autem non est totum sacramentum.

Confir. 2. Tridentinum sess. 14. c. 3. & can. 4. docet, tres actus poenitentis, contritionem, confessionem, & satisfactio-

quamvis non aperte contra Scotum definiat, contritionem, & confessionem, esse partes essentialia, hoc tamen ulterius probari sic potest. Illud quod est pars, & quidem talis, ut sine ipso non possit dari essentia sacramenti, est pars essentialis: atque actus poenitentis, contritio, & confessio, sunt partes, & quidem tales, ut sine ipsis non possit dari sacramentum poenitentiae: ergo, ma. videtur esse clara cuique intelligenti terminos. mi. est ipsius etiam Scoti, citati n. 463. Jam verò de absolutione nemo dubitat, eam esse partem huius sacramenti; cum sit ejus forma ex Tridentino sess. 14. c. 3.

464. Dico 2. Satisfactio est pars integralis sacramenti poenitentiae. ita communis. Prob. conclusio. Satisfactio est pars huius sacramenti, ut constat ex Tridentino, modò citato: sed non est pars essentialis: ergo est integralis. prob. mi. potest sine satisfactione dari tota essentia sacramenti poenitentiae, ut patet in moribundo, qui absolvi aliquando potest, etiam sine imposta poenitentia; quia scilicet mox moriturus nullam amplius potest implere: ergo satisfactio non est pars essentialis. Quod attinet ad intentionem, vel personam ministris, aut etiam poenitentis, itemque peccata, an sint partes, vel tantum requisita ad hoc sacramentum, satis dictum est sr. de sacram. in genere n. 91. & 97. ac seq.

465. Ob. 1. S. Thomas 3. p. q. 84. a. 1. ad 2. ait: Complementum sacramenti exhibet minister, dum poenitentem absolvit: adeoque absolutio est complementum huius sacramenti: ergo non est pars essentialis. Confir. Absolutio non est poenitentia: ergo neque est pars sacramenti poenitentiae. Resp. neg. conf. complementum enim essentialia, quale est absolutio, est pars essentialis: & certè S. Thomas ibi loquitur de complemento, ultimo perficiente sacramentum. Ad confir. neg. conf. quamvis enim hoc sacramentum dicatur etiam poenitentia, non debet absolutio quoque posse dici poenitentia; quia non qualibet pars debet posse recipere omnem denominationem totius, ut jam saepissime dictum est, & patet in anima humana, quae, quamvis sit certissime pars hominis, tamen homo dici non potest.

466. Ob. 2. à contrario. Sola absolutio significat remissionem peccatorum: ergo sola est totum sacramentum poenitentiae. Confir. 1. Solus sacerdos est minister huius sacramenti, & hic solum ponit absolutionem: ergo haec sola est totum sacramentum. prob. conf. in aliis sacramentis solae actiones ministris sunt partes sacramenti: ergo etiam in isto. Confir. 2. Juxta nos debet admitti, quod etiam poenitens sit minister huius sacramenti: hoc est absurdum: ergo. Resp. dist. ant. sola absolutio significat remissionem peccatorum ex institutione hominum. conc. ant. ex institutione DEI. neg. ant. & conf. DEUS enim ad praeticè significandam collationem gratiae,

remissive peccatorum, instituit etiam contritionem, & confessionem.

Ad 1. confir. neg. conf. ad prob. om. ant. de quo posset fors disputari. neg. conf. quia, ut sæpius dictum est, & statim n. 9. non est semper legitima paritas ab uno sacramento ad aliud. Ad 2. confir. neg. ma. Minister non est necessarius ille, qui ponit materiam, sed qui ponit formam: sicut non is, qui lignum suppeditat, sed qui figuram facit, est statuaris; unde poenitens neque potest dici partialiter se absolvere: sicut non potest dici pauper, partialiter sibi dare elemosynam, quamvis aliquo modo moraliter insinat in dationem, petendo, & rogando. verbo: denominationes hæ, ex communi usu, non tribuantur cuilibet, qui quomodocumque concurrat, sed ei tantum, qui concurrat certo, ac speciali modo.

467. Ob. 3. Tridentinum *sess. 14. c. 3.* contritionem, confessionem, & satisfactionem, vocat tantum quasi materiam: ergo non potest inferri, quod sint verè partes. Confir. 1. Idem Concilium, etiam panem, & vinum, vocat materiam sacramenti Eucharistiae, quæ tamen non sunt partes constitutive illius sacramenti: ergo. Confir. 2. Etiam satisfactio à Concilio dicitur pars, sicut contritio: & tamen illa non est pars essentialis: ergo nec ista. Confir. 3. specialiter de contritione. Contritio non est sensibilis: ergo non potest esse pars totius sensibilis, seu sacramenti. Confir. 4. specialiter de satisfactione. Materia debet præsupponi ad formam: atqui satisfactio non præsupponitur ad absolutionem sacramentalem: ergo non est materia, adeoque neque est pars sacramenti.

Resp. neg. conf. quia inferrius *ead. cap. Tridentinum* contritionem, confessionem, & satisfactionem, vocat absolute partes, dicens: *Hæc de partibus &c.* similiter *can. 4. de iisdem* simpliciter ait: *Quæ tres poenitentiae partes dicuntur.* Quod autem eos actus vocet quasi materiam, inde est, quod non sint materia in sensu physico, sed tantum in sensu morali. Ad 1. confir. dist. ant. & Tridentinum ibi loquitur de materia remota. *con. ant.* loquitur de materia proxima. *neg. ant. & conf.* loquitur enim ibi de materia, quæ debet destrui, ut concietur SS. Eucharistia: ergo non loquitur de materia, quæ constituat sacramentum: non autem est similis ratio de contritione. Quamvis autem Concilium, etiam in aliis sacramentis loquatur aliquando de materia remota, quæ non debet destrui, sed usurpari, ita, ut ejus usus sit materia proxima, non tamen possunt simili in sensu ejus verba etiam exponi in nostro casu, dum agit de poenitentia; nam non est alius usus confessionis, qui sit materia proxima, sicut in matrimonio non est alius usus consensus: ergo, sicut consensus est materia proxima matrimonii, ita etiam confessio est materia proxima poenitentiae. Accedit, quod

judicium, ut dictum n. 463. involvat præ materia proxima, seu parte intrinseca, confessionem, vel negationem delicti.

468. Ad 2. confir. neg. conf. Ex illis Concilii verbis tantum habetur, quod contritio, confessio, & satisfactio, sint partes; quales autem sint, debet ex aliis verbis Concilii, vel ex ratione inferri. Ad 3. confir. neg. conf. Anima etiam non est sensibilis, & tamen est pars hominis sensibilis. Si dicas, animam esse sensibilem mediâ in effectibus, dico, etiam contritionem esse mediâ sensibilem in confessione, & per illam. Ad 4. confir. dist. ma. materia debet semper præsupponi ad formam, prioritate physica temporis, vel naturæ. *neg. ma.* prioritate aliqua logica, tanquam pars determinabilis ad compartem determinativam. *con. ma. & sic dist. mi. neg. conf.*

Sic etiam in aliis sacramentis potest prius finire forma, antequam saltem finitur tota materia, e.g. in baptismo, antequam fiat, saltem tota ablutio: imò probabiliter, antequam ablutio incipiat: & tamen validus est baptismus: quamvis ablutio, & pronuntiatio formæ debeant in baptismo magis esse conjuncta, quam in poenitentia absolutio, & satisfactio: quia in hoc est magna diversitas inter sacramenta, ut dicitur in *tract. de sacram. à n. 62.* & patet in matrimonio, in quo, præsertim quando fit per procuratorem, potest unus consensus esse satis disjunctus ab altero.

ARTICULUS IV.

An Sacramentum Poenitentiae possit esse validum, & informe.

469. Sacramentum validum, & informis dicitur, non quasi caret sua formâ constitutivâ (sic enim neque validum, siue essentialiter completum esset) sed quia caret suo effectu, seu productione gratiæ, quæ est forma quedam animæ, eam sanctificans, & ornans. Jam, quod alia sacramenta, à sacramento poenitentiae distincta, possint esse valida, & informia, seu instructuosa, probatur est in *tr. de sacram. n. 36 c.* Quod autem etiam hoc sacramentum poenitentiae possit esse validum, & informe, est opinio gravium doctorum, quos citat Suarez *tom. 4. in 3. p. disp. 20. sec. 5. n. 3.* quibus accedunt Lugo, Dicalillo, & alii.

Oppositum autem tenent etiam multi, & graves viri, Gabriel, Adrianus, Major, Medina, citati à Suarez *cit. sec. n. 2.* quibus addendi Vasquez *tom. 4. in 3. p. q. 92. a. 2. dub. unic. n. 13.* Arriaga *tom. 7. disp. 13. sec. 2. n. 7.* Conineck *tom. 2. de sacram. disp. 4. dub. 11. n. 71.* Haunoldus *L. 4. tr. 4. n. 997.* Gormaz *de sacram. poenit. n. 234.* Elparza *L. 10. de sacram. in gener. q. 30. a. 5.* Gervasius *tom. 6. tract. 5. disp. 2. q. 2. a. 3. n. 83.* Maltrius *in 4. disp. 5. n. 383.* & citat, Scors

istæ melioris notæ, plurisque alii, citati à La Croix *l. 6. p. 2. n. 672.* eum quibus, & pluribus recentioribus

470. Dico. Probabilius sacramentum poenitentiae non potest esse validum, & informe. Prob. Vel sacramentum hoc esset tale ratione absolutionis, vel ratione confessionis, vel ratione doloris, ac proposito: nihil horum potest congruè dici: ergo. *ma. patet;* nam istæ sunt omnes partes essentialia ad valorem sacramenti poenitentiae, non verò ad fructum ejus: adeoque in hoc casu dabitur sacramentum poenitentiae validum, & informe; nam erit validum; quia dantur omnes partes necessariæ requisitæ: erit etiam informe; quia, cum non remittatur ullum peccatum, de quo non habetur dolor, nec etiam unum grave sine altero, non remittetur peccatum perjurii, adeoque nec peccatum furti: consequenter neque infundetur gratia; quia hæc cum nullo peccato gravi potest stare.

473. Sed contra est. Dolor, requisitus ad fructum sacramenti poenitentiae, etiam requiritur ad ejus valorem: ergo. *prob. ant. Scripturæ, Patres, & Concilia,* non faciunt inter hæc duo ullum discrimen: ergo neque nos debemus facere; quia in questionibus circa rem, dependentem præcisè à libera institutione Dei (quæ nobis per solam revelationem innotescere potest, ac debet) nil debemus affirmare sine fundamento ex Scripturis, Conciliis, Patribus, vel communi auctoritate. *prob. ant. Tridentinum sess. 14. c. 3.* sic habet: *Sunt autem quasi materia hujus sacramenti, ipsius poenitentis actus, nempe contritio, confessio, & satisfactio: qui, quatenus in poenitente ad integritatem sacramenti, ad plenamque, & perfectam peccatorum remissionem, ex Dei institutione requiruntur, hac ratione poenitentia partes dicuntur:* quibus in verbis noto sequentia.

471. Sed neque potest sacramentum hoc esse validum, & informe, ratione confessionis; nam vel confessio est formaliter integra: & sacramentum est fructuosum, atque confertur gratia, ac etiam peccata, inculpabiliter omnia, remittuntur: vel confessio non est formaliter integra: & sacramentum est invalidum; quia committitur actualiter novum peccatum sacrilegii, cum quo non potest stare dolor, necessariò requisitus.

Pariter loquendum est de dolore, & proposito; vel enim adfunt dolor, & propositum, prout requiruntur à Tridentino: & sacramentum erit formatum; vel non adfunt: & sacramentum erit invalidum. Nec refert, an dolor, vel propositum requisitum, culpabiliter, an inculpabiliter omitatur; quia, licet ignorantia, vel impotentia invincibilis, excuset à novo peccato, tamen non supplet defectum requisiti necessarii ad sacramentum: sicut nempe, licet inculpabilis ignorantia excuset à peccato eum, qui vino utitur ad baptizandum, non tamen reddit baptismum validum; quia Christus non instituit, aut determinavit pro materia sacramenti bonam fidem, seu existimationem ministri, sed rem, seu materiam ipsam.

472. Dicunt, hoc sacramentum posse esse informe ratione doloris, in hoc casu, si Retrus commiserit duo peccata gravia, e.g. furti, & perjurii, & unius, e.g. perjurii, sit

invincibiliter oblitus: accedat autem ad confessionem, cum dolore tantum particulari de furto, qui dolor ratione motivi se non extendit ad perjurium, ejus hic & nunc, Petrus non recordatur: proponat insuper deinceps vitare omnia peccata gravia, sed ex motivo non doloroso, ne scilicet ipsum hoc propositum sit aliquis dolor, se extendens ad peccatum perjurii: in hoc casu, dicunt, habentur omnia requisita essentialia ad valorem sacramenti poenitentiae, non verò ad fructum ejus: adeoque in hoc casu dabitur sacramentum poenitentiae validum, & informe; nam erit validum; quia dantur omnes partes necessariæ requisitæ: erit etiam informe; quia, cum non remittatur ullum peccatum, de quo non habetur dolor, nec etiam unum grave sine altero, non remittetur peccatum perjurii, adeoque nec peccatum furti: consequenter neque infundetur gratia; quia hæc cum nullo peccato gravi potest stare.

473. Sed contra est. Dolor, requisitus ad fructum sacramenti poenitentiae, etiam requiritur ad ejus valorem: ergo. *prob. ant. Scripturæ, Patres, & Concilia,* non faciunt inter hæc duo ullum discrimen: ergo neque nos debemus facere; quia in questionibus circa rem, dependentem præcisè à libera institutione Dei (quæ nobis per solam revelationem innotescere potest, ac debet) nil debemus affirmare sine fundamento ex Scripturis, Conciliis, Patribus, vel communi auctoritate. *prob. ant. Tridentinum sess. 14. c. 3.* sic habet: *Sunt autem quasi materia hujus sacramenti, ipsius poenitentis actus, nempe contritio, confessio, & satisfactio: qui, quatenus in poenitente ad integritatem sacramenti, ad plenamque, & perfectam peccatorum remissionem, ex Dei institutione requiruntur, hac ratione poenitentia partes dicuntur:* quibus in verbis noto sequentia.

474. Primum. Tridentinum profus nullum facit discrimen, inter dolorem, requisitum ad valorem, & requisitum ad fructum: imò ait, rationem, quare actus contritionis dicatur pars sacramenti, esse hanc, quod requiratur ad plenam remissionem peccatorum. Secundò. Concilium ait, hunc, & non alium actum, esse quasi materiam hujus sacramenti: ergo illa sola contritio est pars, & materia sacramenti, quæ requiritur ad remissionem peccatorum, seu fructum poenitentiae: sed pars, & materia sacramenti, requiritur etiam ad valorem sacramenti; quia omnis pars requiritur ad plenam constitutionem totius: ergo.

Nec dicas, ex hoc textu Tridentini tantum inferri, quod contritio ista sit pars integralis, sicut est satisfactio; cur enim non etiam dicis, confessionem esse tantum partem integram? scilicet aliunde probatur, satisfactio nempe quamcumque esse tantum partem sacramenti hujus integram: de dolore autem probatur, eum esse partem essentialem: nec Tridentinum alium dolorem assignat pro parte essentiali, & alium pro parte

parte integrali, nec alium pro valore, & alium pro fructu.

475. Ulterius tertio idem Concilium *sess. 14. c. 4.* loquens de contritione, requisita tanquam parte, ad sacramentum poenitentiae, ait: *Ad Dei gratiam in sacramento poenitentiae impetrandam disponit*: ergo contritio, quae, quantum est ex se, non disponit ad gratiam, non est pars sufficienter in ratione doloris constituens hoc sacramentum. Quarto rursus eadem Synodus *ead. sess. 14. c. 4.* ait, quod ad sacramentum hoc requiratur odium veteris vitae, & projectio omnium iniquitatum: nec ait, tantum projiciendas esse iniquitates, quarum quis recordatur, sicut tamen dicit, eas tantum esse in confessione exponendas: sed adducit illud *Ezechielis 18. v. 31.* *Projicite à vobis omnes pravaricationes* (Concilium legit: *iniquitates*) *vestras, in quibus pravaricati estis*: adeoque vult, omnes omnino esse projiciendas: hoc non potest fieri, nisi per dolorem universalem, ad omnia profus peccata se extendentem: ergo.

476. Quinto tandem idem Tridentinum *eadem sess. 14. c. 5.* ait: *Reliqua autem peccata, qua diligentem cogitant non occurrunt, in universum eadem confessione inclusa esse intelliguntur*: atqui non intelliguntur inclusa in confessione, ratione hujus ipsius nudè sumptæ; quia ea poenitens non exponit: nec ratione examinis prævii; quia hoc non est pars sacramenti; cum sacramentum hoc, saltem in moribundo, possit esse fructuosum sine examine: nec ratione absolutionis; quia sacerdos non potest velle, ut cadat sua absolutio in peccata, de quibus poenitens non dolet: nec ratione doloris, nisi hic sit universalis, ut patet expedienti: ergo, ut peccata, quorum quis oblitus est, possint ceteri inclusa in confessione, nempe ut dolorosa, debet dolor esse universalis, consequenter etiam ad fructum sufficiens.

477. Dices, Ex his ipsis textibus probatur, quod Concilium non loquatur de dolore requisito tantum ad valorem, sed de requisito ad fructum. Resp. neg. illatum. si enim hoc intendisset Concilium, tunc nunquam explicasset dolorem, qui tantum esset requisitus ad valorem, quod dicere est profus absurdum; nam sic possent inferri multa, quæ nec adversarii admittunt, e. g. quod ad valorem hujus sacramenti sufficiat dolor etiam inefficax, & propositum tantum particulare, adeoque, quod is, qui cum tali dolore, & proposito, confessus fuisset, non teneatur, postea ea peccata iterum exponere, sed tantum suam fictionem confiteri.

Unde enim ab adversariis probabitur, plus requiri ad valorem sacramenti, nisi ex eo, quod Tridentinum dicat, contritionem, & propositum, esse partes sacramenti poenitentiae, & quidem eatenus, quatenus ad plenam peccatorum remissionem requiruntur? Quare ex Tridentino merito inferatur, quod probabilius idem dolor re-

quiratur ad valorem, qui requiritur ad fructum. Aliam probationem, ex eo capite, quod sacerdos non habeat potestatem absolventi tantum ab uno peccato, adeoque, quod forma, in casu ab adversariis posita, non esset vera, vide apud Gormaz de *sacram. poenit. n. 289.* & Arriagum de *sacram. in genere disp. 13. n. 24. & seq.* Ego de ea inferius n. 510. aliquid dicam.

ARTICULUS V.

Solvuntur Objectiones.

478. **O**B. 1. S. Thomas in 4. *diff. 17. q. 3. a. 4. quæstionc. 1. in corp.* ait: *Confessio etiam potest esse in eo, qui non est contritus; quia potest peccata sua sacerdoti innoscere, & clavibus Ecclesiae se subicere: & quamvis tunc non percipiat absolutionis fructum, tamen recedente fictione percipere incipit: sicut etiam est & in aliis sacramentis; unde non tenetur iterare confessionem, qui fictus accedit: sed tenetur postmodum fictionem suam confiteri*: ergo sacramentum hoc potest esse validum, & informe, sicut alia sacramenta, Confirm. Aliqui patroni nostræ sententiæ, qui ante Tridentinum scripserunt, non sunt multum curandi; quia nituntur fundamento falso, nempe ad valorem hujus sacramenti esse necessariam contritionem perfectam: ergo.

Resp. S. Doctor satis obscurè hic loquitur, & videtur longè plus admittere, quam adversarii velint, scilicet, quod sacramentum sit validum, etsi quis accedat, sine omni dolore, & cum fictione peccaminosa, quam postea tantum debeat confiteri. Equidem Illung *tract. 6. disp. 6. q. 3. n. 47.* contendit, Angelicum eo loco loqui de contritione perfecta, atque adeo tantum velle, confessionem factam sine contritione perfecta esse validam. Sed contra est. Confessio facta sine contritione perfecta, at non sine imperfecta, non est confessio ficta, de qua tamen ibi S. Doctor loquitur. Ait quidem Illung, S. Doctorem supponere, quod saltem aliquando confessio facta cum attritione, scilicet non universalis, sit ficta: at S. Doctor non loquitur de tali casu: certè ex ejus verbis nil tale potest colligi: dein S. Doctor loquitur de fictione culpabili, quam quis postea tenetur confiteri: & addit, tamen confessionem cum tali fictione factam recedente fictione gratiam causare: quæ, si in sensu stricto accipiuntur, neque ab Illung, neque ab ullo moderno admittuntur.

479. Ulterius Angelicus *ead. diff. 17. q. 3. n. 3. quæstionc. 2. ad 1.* ait, esse de essentia sacramenti contritionem, scilicet genericè talem. Rursus S. Doctor in 4. *diff. 23. q. 1. n. 4. quæstionc. 2. in corp. doctet, sacramentum poenitentiae existente con-*

tritione, quæ est de essentia sacramenti poenitentiae, habere semper remissionem peccati, sicut baptismus, & confirmatio, habent characterem, & consecratio Eucharistiæ habet transubstantiationem: nec dicit tantum *sæpe*, sed *semper*: ergo, sicut sacramenta baptismi, & confirmationis, non possunt esse valida, quin producant characterem, ita sacramentum poenitentiae non potest esse validum, quin producat remissionem peccati, sive, quin sit fructuosum. Unde quidam cum Vasquez *tom. 4. in 3. p. q. 92. a. 2. dub. unic. n. 13.* putant, S. Thomam hæc retraxisse priorem suam sententiam: & fateatur Suarez *tom. 4. in 3. p. disp. 20. sec. 5. n. 2.* S. Thomam hic nostram sententiam tenere.

480. Hinc etiam ipsi Thomistæ non conveniunt in explicando loco S. Doctoris, in objectione adducto, & quidam sentiunt, S. Doctorem tantum velle, quod, si talis poenitens eidem confessori, habenti adhuc notitiam sufficientem priorum peccatorum, confiteatur, non necesse sit repetere confessionem. Fateor: expositio est dura: sed strictè literalis acceptio verborum, nec ab adversariis sustinetur. Angelico tamen vel maximè placebit, si in ipso exponendo teneamus semitam Tridentini: cumque hoc requiratur ad validum sacramentum poenitentiae talem dolorem, qui sufficit etiam ad sacramentum fructuosum, hæc responsio S. Doctorem maximè cum isto Concilio concordat.

Ad confirm. retorqueo argumentum. Etiam nonnulli ex antiquioribus, qui sententiam oppositam tenent, eam adstruunt ex principiis, quæ nunc communissimè rejiciuntur: e. g. quod confessio valida possit esse sine dolore, saltem efficaci, vel sine dolore supernaturali, vel etiam, si ipsa culpabiliter non fieret integra; unde recentiores plurimi ab ea sententia recessere. Alii autem viam aliam n. 472. assignatam inveniunt: quæ tamen ipsa, cum nobis non videatur satis recta, ab ea recedere visum est. in forma neg. conf. sicut adversarii eandem negant; aliud est enim adducere auctoritatem aliorum, aliud eorum rationes. vide *infra n. 692.* Dein, etsi illi auctores non essent adeo æstimandi, sunt plurimi alii, qui non nituntur ijs fundamentis, sed melioribus aliis.

481. Ob. 2. Cætera sacramenta possunt esse valida, & tamen non formata: ergo etiam poenitentia. Confirm. 1. Etiam dolor specialis de uno peccato potest esse ex consideratione turpitudinis illius: ergo sufficit, ut docet Tridentinum. Confirm. 2. Nostra sententia est nimium rigida; quia obligat homines, ad iterum exponenda peccata, quæ jam semel fuere confessi: ergo non debet admitti. Resp. neg. conf. Non est bona argumentatio qualibet, ab uno Sacramento ad alterum, ut jam diximus n. 9. Et certè, si argumentario hæc esset bona, posset quis cum actuali sacrilegio recipere sacramentum poenitentiae validum, ut potest alia sa-

cramenta, quod modernis temporibus nemo dicit. Ad 1. confirm. Resp. Etiam dolor naturalis potest esse ex turpitudine peccati: cur ergo non sufficit? scilicet, ut supernaturaliras, ita etiam requiritur universalitas, seu extensio doloris, ad omne peccatum grave commissum. Ad 2. confirm. ant. nostra enim sententia non obligat sine ratione: dein casus, in quo juxta modernos adversarios sacramentum poenitentiae esset validum, & informe, est rarissimus, & potius studiosè excogitatus, quam practicus: Docti scienter cum tali dolore inculpabiliter accedere nequeunt, ob primam propositionem, ab Innocentio XI. damnatam, ut patet consideranti: indocti vix possent elicere dolorem talem, & simul propositum universale: certè communissimè dolent ex universalis motivo gehennæ, vel amoris Dei.

482. Ob. 3. Dolor tantum debet se extendere ad peccata commissa, non autem ad committenda: ergo non debet esse tam universalis, ac propositum. Confirm. 1. Senes sæpe proponunt, non amplius peccare, quin doleant de delictis juventutis: ergo fiat propositum universale sine dolore universalis. Confirm. 2. Tridentinum requirit dolorem universalem, tantum ad plenam, & perfectam remissionem peccatorum: sed sine hac potest sacramentum esse validum: ergo. Resp. 1. om. totum. Debet dolor saltem se extendere ad omnia gravia commissa, ut projiciantur omnes iniquitates: quo posito, nil sequitur contrarium.

Respondent alii 2. dist. ant. dolor tantum debet se extendere ad commissa, sub formalitate odii, ac detestationis. neg. ant. sub formalitate retractionis. conc. ant. & neg. conf. Utrique potest dolor se extendere ad peccata futura, sub ratione odii, ac detestationis: & hinc (ut ajunt) sub hac ratione debet se dolor extendere universaliter, ad omnia peccata præterita, & futura, ut voluntatem peccandi excludat, prout Tridentinum requirit *sess. 14. c. 4.* dicens: *Si voluntatem peccandi excludat*: quæ verba cum immediate afficiant attritionem, seu dolorem, non videtur congruè dici, eam voluntatem tantum debere, excludi per propositum attritioni conjunctum. Ex quo inferitur, quod, si in casu n. 472. allato, Petrus etiam habuisset dolorem, ad utrumque peccatum furti, & perjurii, non tamen ad omnia alia gravia peccata, sub formalitate odii se extendentem, adhuc sacramentum poenitentiae, ab eo perceptum, fuisset invalidum: vide etiam dicta n. 307. & 308. Ad 1. confirm. om. iterum totum: sed nego, eos senes rite poenitere; cum Tridentinum *sess. 14. c. 4.* expressè requirat odium veteris vitæ.

483. Ad 2. confirm. dist. ma. Tridentinum requirit dolorem universalem, tantum ad plenam remissionem peccatorum quoad culpam, & poenam æternam. conc. ma. tantum ad remissionem omnis poenæ, etiam

temporalis. neg. ma. & dist. sic min. neg. conf. Certè nec adversarii dicent, per sacramentum formatum, sive positum cum dolore, ad fructum requiritur, remitti poenam omnem temporalem; cum hoc ipsum neget Tridentinum *sess. 14. can. 12. de pœnit.* sed id tantum fit, quando sacerdos imponit, & poenitens exequitur, poenam omnino proportionatam: quam tamen, quia sacerdos ignorat, aut poenitentibus, nunc temporis valde delicatis, imponere non audeat, reservatur sœpissimè remissio hæc purgatorio, nisi indulgentiæ subveniant. Negamus autem, quòd sine remissione culpæ, & poenæ æternæ, possit dari sacramentum poenitentiae validum.

484. Ob. 4. Ad sacramentum poenitentiae fructuosum requiritur quandoque dolor, qui non est pars sacramenti: ergo potest sacramentum esse validum, quin sit fructuosum. ant. prob. in hoc casu. Ponatur Petrus commisisse peccata gravia ante baptismum, & postea hunc ipsum scitè suscepisse, inde etiam alia peccata nova patrâsse. Hoc posito, debet Petrus confiteri, sâtem peccata post baptismum commissa, debetque ad sacramentum afferre dolorem etiam de peccatis ante baptismum admisis; nam sine dolore non remitterentur illa priora peccata, nec etiam sine prioribus posteriora: atqui dolor de peccatis, commisis ante baptismum, non est pars sacramenti poenitentiae: ergo, prob. min. dolor, qui non fit sensibilis per confessionem, non est pars sacramenti poenitentiae: atqui dolor de peccatis, ante baptismum commissis, non fit sensibilis per confessionem: ergo.

485. Resp. neg. ant. ad prob. inprimis, si Petrus antè eliceret contritionem, & postea novum dolorem in ordine ad confessionem, nulla esset amplius difficultas in casu proposito, ut patet expendenti: sed hoc om. neg. min. ad prob. dist. min. dolor ille non fit sensibilis per confessionem nudè sumptam. conc. min. per confessionem ut ordinatam ad reconciliationem cum Deo. neg. min. & conf. Certè Christus potuisset instituire hoc sacramentum ita, ut necessarius fuisset dolor etiam de commissis ante baptismum; hoc enim Arriaga *tom. 7. de sacram. in gener. disp. 13. sec. 3. n. 12. & 17.* meritò videtur innegabile: ea autem posita institutione (quam ob nostras rationes putamus, pro casu objectionis de facto dari) confessio non nudè sumpta, sed tamen ut ordinata, ad reconciliationem cum Deo, faceret dolorem illum sensibilem: quin imò idem actu contingit in casu, quo aliquis ex iusta causa peccatum grave licitè reticet in confessione: ergo etiam in nostro casu confessio facit sensibilem dolorem, qui necessarius est ad reconciliationem cum Deo, qualis hic, & nunc, est dolor se extendens etiam ad commissâ ante baptismum: & licet ista non sint materia confessionis, adeoque neque confessio eorum sit pars sacramenti, est tamen pars sacramenti dolor de illis.

486. Dices. Ad valorem sacramenti

sufficit dolor ex motivo dedecentiae specialis, quæ datur in homine Christiano peccante: rursus sufficit dolor ex motivo cupiditatis relapsus in idem peccatum: ergo Petrus in dicto casu, habens talem dolorem, haberet dolorem sufficientem ad valorem sacramenti, sed non ad fructum: ergo Respondent alii 1. neg. ant. quia hic dolor non excludit omnem voluntatem peccandi, vide dicta *n. 482.* Resp. 2. dist. ant. sufficit talis dolor in eo, qui non habet peccata, ante baptismum commissa, & necdum remissa. om. ant. sufficit etiam in eo, qui habet talia peccata. neg. ant. & conf. Ajunt in super quidam, ex his motivis non elici sufficiens propositum; eoquod, si talis homo postea resciret, se non fuisse rite baptizatum, aut peccata priora non fuisse verè à se commissa, non sufficienter retraheretur ab illis motivis à non peccando de novo; quia sequentia peccata non essent peccata Christiani, aut reincidentia.

487. Ob. 5. Sacramentum hoc potest esse validum, & informe, ratione propositi inefficacis, quod tamen bona fide creditur esse efficax: ergo absolute potest dari sacramentum hoc validum, & informe. ant. prob. si non sufficit, sâtem ad valorem sacramenti, propositum inefficax, tunc plurimæ confessiones erunt invalidæ: hoc est nimis durum: ergo. Confir. Posset sâtem dici, sacramentum fore validum, & informe, ob defectum actuum fidei, & spei: ergo. Resp. neg. ant. Tridentinum expresse requirit propositum simpliciter tale, & dolorem, qui voluntatem peccandi excludat: atqui propositum inefficax est tantum quædam velleitas, nec excludit voluntatem peccandi: ergo, ad prob. dist. ant. si non sufficit tale propositum, plurimæ confessiones erunt invalidæ, apud homines bonos, aut sincerè poenitentes. neg. ant. apud quosdam, præsertim consuetudinarios. om. ant. & neg. conf. pro his enim ultimis nollem me semper vadem præberè.

Ad confir. neg. ant. sicut enim actus fidei, & spei, vel formaliter, vel virtualiter tales, requirunt ad fructum, ita etiam requirunt ad valorem sacramenti. Adde, quòd ii actus vix possint abesse: certè dolor, qui supernaturalis esse debet, elici nequit sine prælucente fide supernaturali de Deo offenso. Nec etiam facile quis accedit ad hoc sacramentum, nisi cum spe remissionis peccatorum, & cum aliquo motu spei, sive amore concupiscentiæ erga Deum, de quo vide dicta *n. 152.* videatur etiam Arriaga *tom. 7. de sacram. in genere. disp. 13. sec. 5. n. 27. & seq.*



QUESTIO II.

De Forma Sacramenti Poenitentiae, seu Absolutione.

ARTICULUS I.

Quibus in Verbis essentialiter consistat Forma Absolutionis.

488. **T** Tridentinum *sess. 14. c. 3.* sic habet: *Docet præterea sancta synodus, sacramenti poenitentiae formam, in qua præcipue ipsius vis sita est, in illis ministri verbis positam esse: Ego te absolvo &c. quibus quidem de Ecclesia sancta more preces quadam laudabiliter adjunguntur, ad ipsius tamen formam essentialiter nequaquam spectant, neque ad ipsius sacramenti administrationem sunt necessariae, hucusque Concilium.* Ex his verbis communiter inferunt auctores, formam hanc debere esse verbalem, nec sufficere scriptam, aut nutibus expressam; nam verba dicuntur esse forma, & verbis ministri dicitur inesse præcipue vis: quod ulterius confirmatur ex Concilio Florentino in decreto Eugenii ad Armenos docente, omnia sacramenta, excepto matrimonio, perfici rebus tanquam materia, verbis tanquam forma. Accedit constans Ecclesiae traditio, requirens in omnibus sacramentis, excepto matrimonio, verba formalia, atque etiam praxis, vi cuius semper muti sacerdotes ab administratione hujus sacramenti removen- tur.

489. Ulterius communiter inferunt, preces illas præcedentes absolutionem: *Miserere tui &c. Indulgentiam &c. Dominus noster Jesus Christus &c.* item illam orationem sequentem: *Passio Domini nostri &c.* rectè quidem adjungi, formam tamen non constituere: imò Rituale Romanum de sacram. poenit. titulo. Absolutionis forma. ait, eas, excepta illa oratione: *Dominus noster &c.* posse in confessionibus brevioribus omitti. vide La Croix *l. 6. p. 2. n. 638.* Diana tamen *3. p. tr. 4. resolut. 82. & 97.* vult, non omitendam esse orationem subsequentem: *Passio Domini &c.* eoquod viri graves existiment, per illam elevari quælibet opera bona poenitentis, ad sacramentalem satisfactionem: quod, licet neget Arriaga *tom. 8. de poenit. disp. 49. sec. 2. n. 4.* tamen expresse affirmat S. Thomas *quodlib. 3. q. 13.* cuius autoritas major est. videatur etiam Francolinus in Clerici Roman. institutore vindicato. *c. 1. n. 5.*

Minus autem omitienda est oratio prævia: *Dominus noster Jesus Christus &c.* quia per eam poenitens absolvitur à censuris, à quibus, nisi quis antecederet absolviatur, juxta quosdam est invalida absolutio à peccatis. Licet autem alii, præsertim recentiores, satis communiter oppositum doceant, tamen ob hoc dubium, aut pericu-

lum, oratio illa non est omitienda: quin etiam Rituale Romanum, loco modo citato, eam exigit, sâtem, si casus necessitatis urgentis eam permittat; alias, e. g. in periculo mortis, sacerdos (ut ibidem habetur) Breviter dicere poterit: *Ego te absolvo ab omnibus censuris, & peccatis, in nomine Patris &c.* His præmissis.

490. Dico 1. Verba illa: *In nomine Patris &c.* seu invocatio SS. Trinitatis, probabilius non sunt de essentia formæ. ita communiter scholastici contra paucos antiquos, citatos à Lugone de poenit. *disp. 13. sec. 1. n. 11.* quorum opinio teste eodem Lugone *cit. sec. 1. n. 12.* ab omnibus rejicitur. Prob. conclus. Nec in Scripturis, nec in traditione, nec in Conciliis, aut Patribus, habetur ullum fundamentum dicendi, ea verba esse essentialia; non enim magis hoc sacramentum fit in nomine DEI, quam alia omnia; quamvis invocatio SS. Trinitatis non sit de essentia omnium aliorum sacramentorum: ergo.

Unde hæc invocatio tantum essentialis est baptismo, & juxta quosdam etiam confirmationi: & quidem de baptismo hoc est certum; cum Christus Dominus eum instituendo expresse voluerit, SS. Trinitatem invocari; sic enim Ecclesia explicat ea verba *Matth. 28. v. 19. Baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, Spiritus Sancti.* Congruentia etiam hæc addi potest. Baptismus est Ecclesiae janua: igitur convenienter in ejus ingressu sit professio præcipui mysterii nostræ religionis. Ex hac, vel simili ratione etiam videtur Lugoni loco modo citato, esse de essentia formæ confirmationis invocationem SS. Trinitatis: sed de hoc vide dicta in tract. de Euchar. *n. 4.*

491. Docent tamen Granado, Vasquez, & alii, illum graviter peccatorum, qui invocationem illam in absolutione sacramentali omitteret, ob aliquale sâtem periculum invaliditatis sacramenti: quod magis dicendum est post damnatam primam propositionem ab Innocentio XI. de qua jam sæpe dictum. Accedit, quòd accidentalitatis etiam tantum mutatio materiæ, aut formæ sacramentorum, contra communissimam praxin Ecclesiae, sæpe fit peccatum mortale. Sanè, si liceret cuilibet, etiam tantum accidentaliter, mutare formas, aut materias sacramentorum, sequeretur magna confusio, & periculum mutationum etiam substantialium. Quare, quando S. Thomas *3. p. q. 84. a. 3. ad 3. dicit: Relinquitur arbitrio sacerdotis: an scilicet velit apponere invocationem SS. Trinitatis, vel aliquid simile, an non, id dictum non videtur ita accipiendum, quasi dicere vellent, id practicè probabile esse; sed tantum speculativè, loquendo de valore sacramenti.*

492. Dico 2. Essentia formæ absolutionis stat in his solis verbis: *Absolvo te.* ita S. Thomas *3. p. q. 84. a. 3. in corp. &* alii, incomparabiliter plures, quam sint ij, qui oppositum docent: quæ ipsa auctoritas in re,

re, dependente à libera voluntate Dei, nobis per revelationem innotescente, magnum pondus habet, ut jam sæpe monuimus. Prob. conclusio 1. His verbis sufficienter exprimitur sententia judicialis sacerdotis, remittentis peccata penitentis: sed in hac sententia stat essentia formæ absolutionis: ergo. prob. ma. particula *Ego* sufficienter intelligitur ex verbo *absolvo*: particula *tuis* ex particula *te*: quia nemo absolvitur, nisi à suis peccatis, sicut etiam nemo, nisi suis ligatur.

493. Sed etiam particula *à peccatis* non sunt de essentia formæ; quia voces: *Absolvo te*: simpliciter prolatae in foro sacro, communiter, & antonomastice, significant remissionem culpæ, & non tantum censuræ, vel pœnæ. Insuper ex circumstantiis confessionis, hic, & nunc, sufficienter ea verba determinantur, ad significandam remissionem illius, de quo penitens se accusat: id, quod adversarii etiam respondere debent in simili, dum admittunt, non esse necessarium addi particulam *omnibus*, licet Gabriel hoc voluerit esse necessarium; debent enim dicere, quod, quanquam termini *à peccatis tuis* sint ex se indifferentes, ad significandam remissionem tantum aliquorum, vel omnium, venialium, vel mortalium, tamen sufficienter determinentur, ad significandam remissionem omnium gravium, ex circumstantiis confessionis, & institutionis Christi, nolentis remitti unum peccatum sine altero. Et hinc Rituale Romanum loco citato n. 489. omittit particulam *omnibus*.

494. Probatur conclusio 2. Eugenius IV. in Concilio Florentino, post accuratam discussionem, de materia, & forma sacramentorum, apud Græcos usitata, permittit, illis suam formam absolvendi: ergo debet esse valida: atqui in ea non exprimeantur peccata, sed tantum absolutio personæ confitentis: ergo. prob. subsumpt. teste Jacobo Goar in *notis Eucharologis in orationes super penitentes* (quem citat Joannes Bolco *Theologia sacramentalis part. 3. disp. 7. sec. 3. n. 29.*) & Petro Arcudio l. 4. de *sacramentis Ecclesie orientalis c. 3.* (quem refert Sylvester Maurus *operis Theol. tom. 3. l. 13. q. 223. n. 41.*) Græci pro forma absolutionis tantum solent adhibere hæc verba: *Habeo te absolutum*: vel: *Habeo te condonatum*: vel, ut alii referunt: *Mea mediocritas habet te venia donatum, & absolutum*: sed hæc verba non expriment peccata, nec plus significant, quam ista verba: *Absolvo te*: ergo. Confir. Quia in quibusdam liturgiis non adhibentur aliqua verba in formula consecrationis, e. g. verba *novi testamenti*, inferunt, ea non esse de essentia consecrationis: ergo à pari; quia non adhibentur à Græcis illa verba, *à peccatis tuis*: etiam hæc non erunt de essentia formæ absolutionis. vide *tract. de Eucharistia n. 167.*

495. Respondebis. Græci etiam adhibent in sacramento ordinis aliam materiam,

quam Latini, scilicet impositionem manuum in omnibus ordinibus, quin hæc impositio sufficiat Latinis: item adhibent alia verba, de quibus in *tr. de sacram. in genere n. 66.* quare, sicut agendo de illo sacramento dicitur, quod Christus quidem tantum determinaverit formaliter materiam, & formam, sub prædicatione generico, Ecclesia autem, licet tantum materialiter, magis tamen specificè, determinaverit pro Græcis aliam materialiter formam, ac materiam, quam pro Latinis: ita etiam potest dici, quod Ecclesia pariter determinaverit, aliam materialiter formam absolutionis pro Græcis, & aliam pro Latinis.

Sed contra, illa responsio solet dari circa sacramentum ordinis ex summa necessitate; quia aliter explicari non potest, quomodo Ecclesia non mutet materias, & formas sacramentorum, quas, ex communissima omnium, mutare non potest. At nulla talis necessitas cogit nos, ad simile quid dicendum in nostro casu. Et cur non eodem modo dicunt adversarii, Græcis etiam essentialiter esse illam additionem, quam ad formam consecrationis panis faciunt: *Quod pro vobis tradetur*: cur non iisdem etiam essentialiter dicunt in confirmatione unctionem, non tantum frontis, sed etiam aliarum partium? unde non est paritas ab uno sacramento ad alterum.

496. Dein pro utraque Ecclesia Christus instituit formaliter, pro forma sacramenti penitentiae, sententiam iudicis judicialiter absolventis, quam etiam Græcorum forma debet exprimere: ergo ea sententia judicialis non includit mentionem peccatorum: ergo nec eam includit essentialiter forma absolutionis Latinorum. Sed neque constat ab ulla auctoritate, aut ratione, plus requiri in Ecclesia Latina, quam in Græca, ad formam hujus sacramenti: imò, cum auctoritas nostræ sententiæ sit incomparabiliter major, potius ex hac probatur, plus non requiri, ad essentiam formæ, quam ea verba: *Absolvo te*: reliqua autem de essentia non esse, quamvis absque gravi peccato, secluso etiam contemptu, non possint omitti, saltem illa *à peccatis*: imò probabilius nec reliqua, ut dictum jam n. 491.

ARTICULUS II.

Solvuntur Objectiones.

497. OB. 1. contra 2. conclus. Tridentinum *sess. 14. c. 3.* ait, formam sacramenti penitentiae in his verbis positam esse: *Ego te absolvo &c.* & eodem modo loquitur Florentinum: atqui si dem illud *&c.* significat adhuc alias voces subintelligi: ergo adhuc alia voces sunt de essentia. Resp. dist. ma. Tridentinum ait, formam esse positam in illis verbis, essentialiter, vel integraliter. conc. ma. determinatè essentialiter. neg. ma. & om. determinatè essentialiter. In primis Carechismus Tri-

dentini, qui explicat doctrinam Tridentini, de *sacram. penit. titulo. Penitentiam esse verè sacramentum.* tantum ponit hæc verba: *Ego te absolvo*: sine addito illo signo. Dein Concilia quandoque etiam afferunt voces, non essentialiter, sed tantum integraliter, seu non necessitate sacramenti, sed tantum necessitate præcepti, requisitas: sic etiam particula *Ego* non spectat essentialiter ad formam.

Dices. Ipsimet *suprà n. 477.* diximus, Concilium Tridentinum *sess. 14. c. 4.* loquens de dolore, non posse explicari de dolore, tantum requisito ad fructum sacramenti, sed debere etiam explicari de dolore, requisito ad essentiam sacramenti: ergo etiam idem Concilium *ead. sess. c. 3.* loquens de forma absolutionis, non potest explicari tantum de forma requisita ad integritatem sacramenti, sed debet explicari de forma requisita ad essentiam ejusdem. Resp. neg. confeg. Si Concilium priore loco non explicasset dolorem, requisitum ad essentiam sacramenti, nunquam eum explicasset, & reliquisset viam apertam illationibus quibusdam, nec ab adversa parte admittis, quam exemplum ibi posuimus.

At verò, licet Concilium *sess. 14. c. 3.* non expressè determinaverit, in quo omni, & solo, consistat essentia formæ, id tamen sufficienter determinavit postea *ead. sess. c. 5.* dum dixit de ministris hujus sacramenti: *Quo pro potestate clavium remissionis, aut retentionis peccatorum, sententiam pronuntiant.* & iterum *c. 6. Absolutio sacerdotis . . . non est solum nudum ministerium . . . sed ad instar actus judicialis, quo ab ipso, velut à iudice, sententia pronuntiat: ubi factis ostendit, formam absolutionis essentialiter stare in sententia judiciali remissionis peccatorum.* Neque ex nostra hac sententia inferri possunt sequelæ aliqua, quæ admitti nequeant, ut constabit ex ulteriori solutione objectionum: neque etiam juxta nos alia forma est essentialiter requisita ad fructum, alia ad valorem sacramenti.

498. OB. 2. Quando Tridentinum *sess. 14. c. 1. de extrema unctione* ait, formam hujus sacramenti esse: *Per istam unctionem &c.* per hoc signum *&c.* indicat, alia adhuc verba esse de essentia hujus formæ: ergo à pari. Confir. Concilium *cit. sess. 14. c. 3.* ait, alias preces nequaquam spectare ad essentiam: ergo voces indicatæ per signum *&c.* spectant ad essentiam. Resp. neg. conf. illa verba: *Per istam unctionem*: non faciunt ullum sensum perfectum, neque etiam per circumstantias ad sensum perfectum determinantur: sicut tamen contingit in verbis: *Absolvo te*: ergo, licet ad illa perficienda, vel ad eorum sensum complendum, requirantur adhuc essentialiter aliqua alia verba, non sequitur, quod etiam aliqua alia essentialiter requirantur ad formam sacramenti penitentiae. Ad 2. confir. neg. conf. Concilium de iis precibus sic loquitur: *Ad ipsius tamen formæ essentiam nequaquam spectant: neque ad ipsius sa-*

cramenti administrationem sunt necessaria. unde de vocibus sub signo *&c.* intellectis, tantum à contradictorio inferri potest, eas vel esse necessarias ad essentiam sacramenti, vel ad ejus administrationem: non autem inferri potest, eas esse determinatè necessarias ad essentiam.

Dein Concilium preces illas, non tantum contraponit vocibus, sub illo signo intellectis, sed etiam illis: *Te absolvo*: quæ cum ad essentiam spectent, jam contraponuntur eæ preces aliquibus verbis, ad essentiam spectantibus: nec amplius necesse est, ut etiam illa, sub signo *&c.* intellecta, spectent ad essentiam: imò, cum Concilium preces illas etiam contraponat aliquibus, tantum spectantibus ad sacramenti administrationem (intellige *integrale*; alias non esset discrimen, inter necessaria ad essentiam, & necessaria ad administrationem) rectè dicitur, verba alia, sub eo signo intellecta, spectare tantum ad sacramenti integrale administrationem: ad quam tamen etiam illæ preces non spectant; eoque in multis casibus possint omnino omitti, etiam ob non ita graves rationes; cum tamen ad omittendam invocationem SS. Trinitatis, aut particulas *à peccatis tuis*, vel nullæ rationes sufficiant, vel certè requirantur omnino gravissimæ, & moraliter necessitates. Quare, etsi nec verba, sub signo *&c.* intellecta, neque preces illæ, spectent ad essentiam sacramenti, tamen adhuc multum inter se discriminantur. Quod autem Concilium rem hanc non enucleatius expresserit, ideo fortè fecit, ne sententiæ ulli præjudicaret.

499. OB. 3. Christus, instituyendo hoc sacramentum expressè fecit mentionem peccatorum, dicens *Joan. 20. v. 23. Quorum remiseritis peccata &c.* ergo debet addi *à peccatis*. prob. conf. quia Christus instituyendo baptismum fecit mentionem SS. Trinitatis, debet ea in isto expressè nominari: ergo à pari. Resp. 1. Christus *Matth. 18. v. 18.* tantum dixit: *Quaecumque solveritis*: & Petro etiam tantum dixit *Matth. 16. v. 19. Quodcumque solveris &c.* sine mentione peccatorum. Resp. 2. dist. conf. debent peccata exprimi saltem per circumstantias. conc. conf. per verba, & hoc essentialiter, seu necessitate sacramenti. neg. conf.

Ad prob. dist. ant. debet in baptismo expressè nominari SS. Trinitas, præcisè ideo, quia Christus in ejus institutione fecit aliquam mentionem SS. Trinitatis. neg. ant. quia illa invocatio, neque per circumstantias, neque ulla alia ratione significatur, & potissimum, quia Ecclesia nos docet, Christum voluisse SS. Trinitatem expressis verbis invocari. conc. ant. & neg. conf. Quod autem penitentia sit instituta ad remittenda peccata, non probat, ista debere exprimi; alias in baptismo etiam deberet exprimi peccatum originale.

500. OB. 4. Verba: *Absolvo te*: independentè à circumstantiis non significant pot-

quidem in sensu, juxta moralem acceptio-
nem, proprio.

510. Ob. 1. Juxta nos non verificatur forma absolutionis, casu quo sacramentum poenitentiae esset validum quidem, sed informe; quia in eo casu, nec gratia, nec condonatio peccati daretur: ergo nostra conclusio non potest universaliter defendi. Resp. om. ant. neg. conf. De hoc casu non oportet nos esse sollicitos; cum suppositum supra n. 470. negaverimus: quin Gormaz de sacram. poenit. n. 289. patronos illius sententiae ex hac ipsa ratione impugnat, quod in eo casu forma absolutionis foret falsa, seu non haberet debitam significationem.

Possit tamen forte juxta eam sententiam responderi, sensum formae in eo casu hunc esse: *Ego tibi adjudico gratiam*; quia saepe alicui per sententiam judicis adjudicatur id, in cuius possessionem tamen ob aliquod impedimentum non statim mittitur. At quid si recipiens hoc sacramentum validum, & informe, confessus esset tantum venialia, quae non remittuntur per gratiam, qualis tunc foret sensus? certe deberet esse iste: *Ego tibi confero volitionem Dei, ex se condonativam istorum peccatorum*: led videtur difficile, quod DEUS pro isto casu talem volitionem concipere velit. Quidquid tamen de hoc sit, sicut hanc sententiam de possibilitate sacramenti poenitentiae validi, & informis, ex hoc capite non impugno, ita nec istam objectionis hujus solutionem defendo.

511. Ob. 2. Juxta nos forma absolutionis esset vera; quamvis peccata non praecessissent: sed hoc est falsum: ergo. prob. ma. etiam tunc posset dici, datam fuisse absolutionem radicalem: ergo. Resp. neg. ma. ad prob. neg. antec. In eo casu forma absolutionis, seu propositio a confessario prolata, esset de subiecto non supponente; quia supponeret, datam fuisse offensam, quae revera nunquam fuisset data: & hoc supponeret ex communi hominum acceptance; & hinc, qui tantum putat, se fecisse aliquam injuriam, quam non fecit, si petat ejus veniam, petit aliquid impossibile ex errore. At non ita se habet ille, qui jam semel veniam erroris revera admitti impetravit, ut supra expositum est: nec in rebus, quae ex usu morali verborum potissimum sunt desumendae, argumentum a pari est formaliter, imò nec semper materialiter bonum. Respondent alii. om. ma. quia tamen non sequeretur, in eo casu esse validum sacramentum; eoquod daretur defectus altarum compartium, & maxime confessionis verae.

512. Ob. 3. Juxta nos forma absolutionis, saltem a venialibus, haberet pro objecto seipsam: hoc non potest admitti: ergo. Resp. dist. ma. forma absolutionis haberet seipsam pro objecto partiali. conc. ma. pro objecto totali, seu adaequato. neg. ma. & dist. sic min. neg. conf. Non autem esse absolum; quod aliquis actus, sive intellectus, sive voluntatis, habeat seipsam pro objecto partiali, probari potest variis exem-

plis. Sic voluntas donans aliquid alteri, debet per seipsam velle donare, & lex prohibens, vel praecipiens, debet id per seipsam velle praestare: adeoque debet in seipsam aliquo modo reflectere, consequenter aliquo modo se habere pro objecto: & notum logici, quod hic actus: *Omnis cognitio est actus vitalis*: habeat etiam seipsam pro objecto inadaequato. Non autem absolutio in eo casu haberet pro objecto se ipsam, sed simul, vel gratiam, vel decretum DEI: item peccatum, quod vult destruere: & hominem, quem vult absolvere. Ex hoc tamen non sequitur, quod etiam ista sint pars sacramenti; cum sint potius effectus, vel praesupposita.

513. Ob. 4. DEUS non potest condonare peccatum jam remissum: ergo. Resp. neg. ant. Ut recte ait Haunoldus l. 4. tr. 4. n. 970. quilibet homo etiam sanctissimus, etiam, cui revelatum esset, quod ei peccata omnia essent dimissa, tamen quotidie posset orare orationem Dominicam, & ejus verbum: *Dimitte nobis debita nostra*: ergo debet DEUS saepius remittere posse peccata. Adde, quod, cum homo hoc possit respectu injuriarum sibi factarum, non sit ratio, cur id DEUS nequeat. Addunt alii, peccata semper magis dimitti, scilicet quoad aliqua remanentia vincula, vel poenae, vel remorsus conscientiae, vel timoris, ne auferatur gratia efficax: quam tamen responsum impugnat Haunoldus l. 4. tr. 4. a. n. 967. quem, si plura hac de re cupias, videre poteris, & abunde materia, ad hanc questionem spectantis, suppeditabit.

ARTICULUS IV.

An possit Absolutio dari sub Conditione, vel Absenti.

514. Dico 1. Absolutio potest conferri sub conditione de praesenti, vel praeterito, non vero sub conditione de futuro. ita omnes. Probat per prima pars conclusionis. Ipsa absolutio jam imbibit in se tales conditiones: v. g. *Si rite confessus, aut baptizatus es: si nunc es rite dispositus per dolorem, & propositum*: ergo non obest sacramento, si etiam istae conditiones, vel tacite apponantur, vel etiam exprimentur. Prob. jam secunda pars conclusionis, potissimum auctoritate communissima Theologorum, ex qua habetur, Christum noluisse sacramentum hoc, sicut & reliqua (excepto matrimonio) instituire, ut possint conferri, nisi per intentionem, hic & nunc, absolutam, seu purificata jam conditione, si qua apponeretur. vide tr. de sacram. in genere n. 112. & seq.

515. Unde invalidae sunt absolutiones datae sub conditionibus, quae suspendunt in futurum effectum sacramenti; quia ad hanc suspensionem minister potestatem non habet. Tales essent, e. g. *Ego te absolvo, si*

cras restitueris furto ablatum: aut: si cras cleemosynam dederis, vel jejunaveris. Quid autem dicendum sit de conditionibus appositis, quae in se essent de futuro, attamen ratione praesentiae Dei futuro de praesenti, v. g. *Absolvo te, si Deus nunc scit, te cras restitutum*: etiam pendet ex eo, quid de aliis sacramentis statuatur: de qua re egimus tract. de sacram. in genere. n. 123. Ad minimum talis absolutio illicita est, & dubii valoris, adeoque, si talis data fuisset, petenda esset alia.

516. Dico 2. Non potest absolutio conferri absenti. ita nunc omnes; etsi enim antiquiores quidam, citati a Lugone de poenit. disp. 13. sec. 6. n. 147. docuerint, posse absolvi absentem, tamen post Clementem VIII. oppositum, ut ait Lugo cit. disp. n. 148. est omnino certum; quippe dictus Pontifex an. 1602. 20. Junii (ut habet Lugo de poenit. disp. 17. sec. 4. n. 43. & Suarez tom. 4. in 3. p. disp. 19. sec. 3. n. 15. ubi refert verba decreti: ponit tamen editum. 19. Julii) damnavit ad minus uti falsam, temerariam, & scandalosam propositionem, asserentem, licere per literas, seu internuncium, confessario absenti peccata sacramentaliter confiteri, & ab eodem absente absolutionem obtinere: praecipitque idem Pontifex sub excommunicatione latae sententiae, & aliis poenis, pro arbitrio intelligendis, ne deinceps ista propositio, publicis, privatisque lectionibus, concionibus, & congressibus, doceatur, neve unquam, tanquam aliquo casu probabilis, defendatur, imprimatur, aut ad praxin quovis modo deducatur. Decretum hoc integrum exhibet Gormaz de sacram. poenit. n. 232.


517. Quamvis autem propositio illa possit videri copulativa, tamen ratio illam damnandi, vel unice, vel certe praecipue, fundatur in falsitate membri secundi: adeoque in necessitate praesentiae ministri absolventis, seu (quod necessarium correlativum est) in necessitate praesentiae hominis absolventi, tunc, quando absolutio huic confertur; hinc istud secundum membrum (quod nostrae assertioni opponitur) merito ab auctoribus communissimè confertur, etiam seorsim, & ratione sui damnatum. Ubi obiter noto, quod, cum Pontifex praecipiat, ne in eo prioris casu absenti absolutio detur, ea debeat esse, non tantum illicita, sed etiam invalida, ut tenet communis; nam, si valida foret, in multis casibus necessitatis extremæ prohiberi non posset.

518. Prob. jam conclusio 1. ex hac ipsa Pontificia damnatione sententiae oppositae, & concordi Theologorum sententia. 2. etiam ex communissima, & constanti praxi Ecclesiae, quae, quamvis a censuris saepius absentes absolvent, nunquam tamen absentes absolvit a peccatis. 3. ex ipsa forma absolutionis; nam particula *te*, ore prolata, non minus significat praesentiam hominis absolventi, quam particula *hoc*, & *hic* praesentiam panis, & vini consecrandi: ergo, nec, ad sacramentum Eucharistiae confici-

endum, requiritur praesentia materiae, ita ad sacramentum poenitentiae requiritur praesentia poenitentis. Si fors dicere velis, nos committere circulum vitiosum, probando n. 500. particulam *te* esse formae essentialis; eoquod non possit absens absolvi: & nunc probando, non posse absolvi absentem; eoquod formae sit essentialis particula *te*. Resp. utique hanc probationem se sola non esse sufficientem: & hinc nostram conclusionem fundari potissimum in geminis rationibus prius adductis. Alias rationes plures, & congruentes, sed etiam se solas non sat efficaces, affert Lugo de poenit. disp. 13. n. 148.

519. Ob. S. Thomas Cantuariensis absente Papa Alexandro III. per literas petiit, & obtinuit absolutionem, ut refert Scotus in 4. dist. 17. q. unica. sub finem: ergo potest absens a peccatis absolvi. Confirm. 1. S. Leo (relatus C. Qualis. 30. q. 5.) ait de adultera: *Poenitentia illius per scripturam recipienda*: quod utique fieri potest ab absente: ergo. Confirm. 2. S. Cyprianus epist. 13. praecipit aliquibus pacem dari, qui eam ab ipso per literas petierant: ergo potest poenitens absens absolvi. Resp. dist. ant. S. Thomas obtinuit absens absolutionem a censuris. conc. ant. a peccatis. neg. ant. & conseq. S. Thomas Cantuariensis non petiit absolutionem a peccatis, sed a censura, quam timebat, se incurrisse ob aliquam conniventiam, bona fide erga regem admissam. Ad 1. confirm. neg. conseq. S. Leo non loquitur de poenitentia absentis, neque de sacramentali absolutione, sed tantum de respicienda adultera, quae, ut firmior, certiorque esset, S. Pontifex exigit, ut de ea scripto fides fiat: certe in eo canone nec verbum habetur de sacramento poenitentiae.

520. Ad 2. confirm. iterum neg. conseq. S. Cyprianus loquitur de pace danda per absolutionem, non a peccatis, sed a censuris: vel, si non loquitur de absolutione a censuris, loquitur de absolutione a quibusdam poenis Ecclesiasticis, a quibus scilicet poenis absolventi erant lapsi, pro quibus martyres intercedebant: verbo. S. Cyprianus loquitur, de reconciliandis poenitentibus publicis, in ordine ad eos eximendos a statu poenitentium, id quod ex eo colligitur, quod absolutio illa committitur diaconi, si presbyter abijt; cum tamen diaconi sacramentaliter absolvere nequeant. vide Baronium ad annum 56. n. 21. Ad do, quod S. Cyprianus non ipse absens absolvat, sed committat praesentibus, ut absolvant: uti adhuc saepe fit circa casus servatos, maxime a S. Poenitentaria; unde, etsi ageretur de absolutione sacramentali, nihil ex hoc facto S. Cypriani probaretur, contra hanc nostram conclusionem. vide Lugonem de poenit. disp. 13. sec. 6. n. 156. & seq.



ARTICULUS V.

An, & quando possit absolvi Moribundus sensibus destitutus.

521. **D**ifficultas circa hunc casum nascitur ex propositione à Clemente VIII. damnata, & citata n. 516. quaritur enim, an absolutio possit impendi illi, qui in absentia sacerdotis dedit signa doloris, & petiit confessarium, in ordine ad faciendam confessionem, sed ante hujus adventum ita sensibus destitutus est, ut adveniente, seu jam presente sacerdote, nullum amplius signum dare possit. Affirmativam contra quosdam antiquos tenet S. Thomas opusculo de officio sacerdotis. 65. vel in alia editione 19. titulo. de Sacramento unctionis, sub finem, ubi ita habet: *Si autem infirmus, qui petit unctionem, amisit notitiam, vel loquelam, antequam sacerdos veniret ad eum, nihilominus ungetur eum sacerdos; quia in tali casu debet etiam baptizari, & à peccatis absolvi.* Angelicum sequuntur Suarez tom. 4. in 3. p. disp. 21. sec. 4. n. 10. & disp. 23. sec. 1. n. 12. Vasquez tom. 4. in 3. p. q. 91. n. 2. dub. 1. & nostri communiter, quibus hac tempestate etiam ceteri consentiunt. videatur Diana p. 3. tr. 3. resolut. 4.

522. Dico 1. Si ægrotus dedit signa doloris, & ostendit desiderium confessionis, ac absolutionis, in absentia confessarii, & postea hic superveniens inveniat eum quidem ita sensibus destitutum, ut confiteri nullatenus amplius possit, testes autem affirmant, ægrotum habuisse desiderium confitendi, ac confessarium petiisse, nec petitionem suam retractasse, licet tali ægrotodatur absolutio. Prob. concl. multiplici auctoritate gravissima. Primò. Rituale Romanum de sacram. penitent. titulo. ordo ministrandi sacramentum penitentia, sub finem sic habet: *Quodsi inter confitendum, vel etiam, antequam incipiat confiteri, vox, & loquela, ægrum desiciat, nutibus, & signis conetur, quoad ejus fieri poterit, peccata penitentis cognoscere: quibus utiturque, vel in genere, vel in specie, cognitis, vel etiam, si confitendi desiderium, sive per se, sive per alios, ostenderit, absolvendus est.* Addit ibidem hoc obiter notandum: *Meminerit porro sacerdos, ægris non esse injungendam gravem, aut laboriosam penitentiam, sed indicendam tantum illam, quam, si convalescunt, opportuno tempore peragant: interim juxta gravitatem morbi aliqua oratione, aut levi satisfactione imposta, & acceptata, absolvantur, prout opus fuerit.*

523. Secundò. Concilium Arausicanum I. (relatum C. Qui recedunt. 26. q. 6.) sic habet c. 12. *Subiò obmutescens (prout statutum est) baptizari, aut penitentiam accipere potest, si voluntatis praterita testimonium, aliorum verbis habet, aut pra-*

sentis in suo nutu. Tertiò. Concilium Carthaginense IV. (relatum C. Is, qui penitentiam. 26. q. 6.) sic statuit c. 76. *Is, qui penitentiam in infirmitate petit, si casu, dum ad eum sacerdos invitatus venit, oppressus infirmitate obmutuerit, vel in phrenesi versus fuerit, dent testimonium, qui eum audierunt, & accipiat penitentiam.* Et, si continuo creditur moriturus, reconcilietur per manus impositionem, & infundatur ori ejus Eucharistia. Quamvis autem disputetur, quid hic per penitentiam, & per reconciliationem ab ea distinctam, significetur, an per primam tantum impositio aliquam penitentia, & per secundam absolutio: vel, an per primam absolutio à peccatis, per secundam verò absolutio ab aliis poenis Ecclesiasticis (non tamen censuris, quæ debent tolli ante absolutionem à peccatis) de qua agit Lugo disp. 17. de penit. sec. 4. n. 55. per unam saltem debet intelligi absolutio sacramentalis; aliàs enim quomodo orationis hominis licet infunderetur Eucharistia?

524. Quartò. S. Leo I. (relatus C. Hic, qui in tempore. 26. q. 6.) sic scribit ad Theodorum Episcopum Forojulianensem ep. 39. n. 91. *Si aliqua egritudine ita fuerint aggravati, ut, quod paulò antè poscebant, sub presentia sacerdotis significare non valeant, testimonia eis fidelium, & circumstantium prodesse debeant, ut simul, & penitentia, & reconciliationis, beneficium consequantur.* Similia plura referunt passim auctores, maxime Lugo, Dicastillo, & Gormaz: quanquam aliqua fortè non immediate huic faciant. Mihi sufficiunt auctoritates prædictæ, quibus accedit communissima Ecclesiarum praxis.

525. Dico 2. Si moribundus nullo omnino signo, nec per se, nec per alium, petiit absolutionem, non potest absolvi, ita communissime omnes contra paucos, citatos à Dicastillo tr. 8. de penit. disp. 9. n. 853. Prob. 1. Confessio sensibilis est pars essentialis sacramenti penitentia, ut probatum n. 463. ergo, ubi nulla est sensibilis confessio, nulla potest dari absolutio; quia hæc necessariò esset frustranea, nec posset constituere sacramentum: atqui in hoc casu nulla daretur confessio sensibilis: ergo. Prob. 2. Concilia, Patres, Ritualia &c. quando permittunt absolvi moribundum, requirunt semper manifestationem doloris, aut per se, aut saltem per testes, factam sacerdoti, quæ est aliquis externa accusatio sui: erga hæc deficiente non potest dari absolutio.

526. Dico 3. Vita Catholicè prius acta non est signum sufficiens, ad dandum moribundo absolutionem. ita Theologi paulò antiquiores communissimè, & Suarez tom. 4. in 3. p. disp. 23. sec. 1. n. 13. asserunt, etiam si quis prius se exhibuerit devotè, atque contritum, si confessionem non petierit, non posse absolvi; quia illa contritio non est relata ad claves, nec est aliter confessio. Hanc doctrinam refert, & appro-

approbat Layman l. 5. tr. 6. c. 8. n. 4. Arriaga autem tom. 8. de penit. disp. 36. n. 34. ait, oppositum nec esse probabile.

Addit Lugo de penit. disp. 17. sec. 3. n. 39. nostram sententiam meritò ab omnibus ut certam supponi. & n. 40. asserit, non expedire, in re tanti momenti sub pietatis specie sapere plus, quam omnes nostri Patres sapuerunt. Dicastillo etiam tract. 8. de penit. disp. 9. dub. 9. n. 861. ait, omnes nostros nostram sententiam tanquam certam supponere, & se nullam ex nostris vidisse, qui oppositum sentiat. Hinc à nostris superioribus, in ordinatione pro studiis superioribus, inter propositiones Theologicas, in nostris scholis non docendas, relata est etiam hæc 16ta. *Moribundus, esse nullum signum det, aut dederit contritionis, adeò, ut sacerdos nec sciat, nec putare possit, præcessisse sensibilem aliquam confessionem, absolvi potest.*

527. Probatur hæc conclusio 1. Concilia, Pontifices, Ritualia, & Patres: quando dicunt, absolvi posse moribundos, semper loquuntur de moribundis Catholicis, & tamen requirunt semper, saltem aliorum testimonium, de eo, quod petierint absolutionem: ergo signum est, quòd vita, Christianè, seu Catholicè, acta, non sit confessio sufficiens; aliàs in tanta necessitate plus non requirerent. Confirm. Ex Conciliis desumi potest usus, & perpetua praxis Ecclesiarum: ergo, cum in nullo eorum decreto, hæc de re edito, prætermissa sit mentio doloris, per alios saltem manifestati, praxis constans videtur fuisse, dolorem sensibilem requirendi, cui contravenire non oportet: ergo.

528. Probatur. 2. Vita Christiana, nec significat hominem reum peccati, nec significat ullum dolorem: imò compossibilis est cum actuali peccato: sicut etiam voluntas in articulo mortis consistendi; nam ferme omnes Christiani animum habent in articulo mortis consistendi: imò hanc mentem multi habent, dum actu peccant: ergo talis vita non est confessio. Confirm. 1. Vel moribundus supponitur esse in statu gratia: & non indiget absolutione: vel supponitur esse in statu peccati: & omnis illius vita Christiana supponitur conjungibilis, imò conjuncta cum peccato: ergo non est sufficiens indicium doloris, aut confessionis.

Confirm. 2. Videtur absolum dicere, quòd audire sacrum, adorare SS. Eucharistiam, colere B. Virginem &c. sit sacramentalis confessio, facta sacerdoti: atqui vita Christiana ex similibus actionibus componitur: ergo. Aliud est, quòd ea vita sit signum, ex quo possit præsumi, talem se esse accusaturum, si posset: sed hoc non sufficit; nec enim ad sacramentum penitentia requiritur tantum præsumptio de confessione, aut dolore perficiendis, si vires adessent: sed requiritur dolor, & accusatio sui actualis, per signum sensibile exhibitum, ut docemur ex Tridentino. videatur P. Thyrsus tom. 3. selectar. disp. 36.

sec. 4. n. 45. & seq. Nec dici potest, Concilium Tridentinum loqui tantum de casu, quo fieri potest confessio; aliàs dicam, idem etiam tantum loqui de aqua pro casu, quo ea potest haberi, adeoque in alio casu; in quo aqua haberi non potest, posse baptizari: imò: certè sic nihil ferme ex Conciliis posset probari.

529. Confirm. 3. Ex opposita sententia videtur inferri, saltem ex principiis ejus, quòd liceat abolvere etiam eos, qui in actuali crimine privantur omni usu sensuum: imò fortè in nostris partibus etiam hæreticos; cum dubitari possit, an sint hæretici formales: vel, an non in iis intentioni particulari, qua excludunt sacerdotem, prævaleat intentio generalis, salvandi animam quocunque modo: hoc autem planè est nimium, & contra omnem praxin: ergo. Est quidem, fateor, in casu hæretici aliqua disparitas: sed, si tantum attendatur periculum animæ, & aliquis minima, atque prorsus incerta spes salutis, etiam in hæretico possunt ista aliquantulum inveniri.

ARTICULUS VI.

Solvuntur Objectiones.

530. **O**B. 1. contra 1. conclusionem. Ex Rituali Romano tantum probatur, quòd absolutio tali moribundo sit danda: non autem probatur, quòd sit valida: ergo nihil probatur. Prob. ant. in eodem Rituali Pontifex vult etiam baptizari sub conditione monstra, de quibus est dubium, an sint homines: ex quo non inferitur, illum baptismum semper esse validum: ergo à pari. Resp. 1. neg. conf. agimus enim hæc potius de licentia, quam de valore absolutionis: & utique aliquando erit invalida absolutio; quia moribundus propter perturbationem, vel aliam causam, non elicit requisitum dolorem, vel ob aliam causam aliunde non est rite dispositus: attamen, cum sacramenta sint instituta in bonum hominis, prudenter in eo casu admittantur; quia prudens est ratio supponendi, ægrum esse rite dispositum, vel certè prudens dubium: quo tamen casu irreverentia caveri potest per additam conditionem, ut quidam volunt: quanquam alii id non necessarium existimant.

531. Nec de nostro casu loquitur propositio prima ab Innocentio XI. damnata; nam in tali casu tutior, ut suppono, haberi non potest, & consequenter neque relinquitur. Non tamen nego, debere sacerdotem, quantum moraliter in tanto periculo fieri potest, quærere signa certiora: & si possit, etiam confessionem per nutus aliquo modo particularem obtinere. At, si æger edere signa, vel nutus non valet, propterea ei negari non debet absolutio. Resp. 2. neg. ant. Saltem probatur ex Rituali, quòd talis absolutio non sit invalida

ex defectu confessionis, licet fors sit invalida ex alio capite: imò, cum Rituale Romanum, & Concilia doceant, talem, qui petit confessionem, esse absolvendum, & Carthaginense Concilium velit, etiam Eucharistia reficiendum, certè supponat, ad minimum per se sufficientem esse talem confessionem.

532. Dices 1. Rituale Romanum non habet auctoritatem, sed tantum approbationem Pontificiam, sicut alii libri de licentia Pontificis editi: ergo non habet auctoritatem, nisi privatam collectoris. Resp. neg. ant. & qui ita loquuntur reprehenduntur à Dicastillo *tr. 8. de pœnit. disp. 9. dub. 9. n. 776. & seq.* & Lugone *de pœnit. disp. 17. n. 471.* nam in *Bulla Rituali præfixa* Pontifex sic loquitur: *In qua sacramentorum administratione religiose observari, Apostolicis traditionibus, & SS. Patrum decretis, constitutos ritus, & ceremonias, pro nostri officii debito, curare omnino tenemur.* Deinde ulterius refert, quòd Pius V. memor sui officii, Breviarium Romanum, ac postea Missale, pastoralis providentia edenda censuerit: Clemens verò VIII. Pontificale subjungit: *His ita constitutis restabat, ut uno volumine comprehensæ sacri, & summi Ecclesie Catholice ritus, qui in sacramentorum administratione, aliisque Ecclesiasticis functionibus servari debent ab iis, qui curam animarum gerunt, Apostolica Sedis auctoritate prodirent: ad cuius voluminis præscriptum, in tanta Ritualium multitudine, sua illi ministeria, tanquam ad publicam, & ob signatam normam, peragerent, unòque, ac fidei ductu, inoffenso pede ambularent cum consensu: quod... negotium... sollicitè urgere nostri muneris esse existimavimus.*

Addit Pontifex, hoc Rituale operâ Cardinalium, pietate, prudentiâ, & doctrinâ præstantium, rebus omnibus maturè consideratis, esse confectum: seque in eo conspexisse, receptos, & approbatos Catholice Ecclesie ritus, suo ordine digestos, & hinc meritò judicasse, id edendum sub nomine Ritualis Romani: tandem subjungit: *Quapropter hortamur in Domino venerabiles fratres, Patriarchas, Archiepiscopos... ut impofterum, tanquam Ecclesie Romane filii, ejusdem Ecclesie omnium matris, & magistra, auctoritate constituto Rituali, in sacris functionibus utantur, & in re tanti momenti, quæ Catholice Ecclesie, & ab illa probatus usus antiquitatis, statuit, inviolatè observent.*

Hæc verba ita sunt clara, ut expositione non egeant, ad convincendos omnes, qui negant, Apostolica auctoritate editum fuisse Rituale Romanum, non minùs ac Missale, & Breviarium. Adde, hoc Rituale primum confectum esse post mortem Clementis VIII. cumque aliqui (ut refert Lugo *de pœnit. disp. 17. n. 52.*) à Congregatione S. Inquisitionis peterent, refor-

mari Rituale; eoquòd decreto Clementis VIII. adversaretur, eorum Pontifice decreto fuit *die 2. Decemb. an. 1627.* Rituale esse observandum, nec decreto illi adversari: id quod etiam alia iterum vice responsum est ab eadem S. Congregatione.

533. Dices 2. S. Pius V. etiam Ecclesie proposuit Catechismum Romanum, & tamen in quibusdam aliqui ab eo dissentiunt: imò nec in Breviario correctò omnia, quæ ponuntur in lectionibus de Sanctis, sunt certò vera; nam ex eo expuncta est historia illa de Doctore Parisiensi (in vita S. Brunonis) qui post mortem se damnatum, proclamasse dicebatur: sic etiam Gregorius XIII. in Bulla Decreto Gratiani præfixa, restatur, id emendatum fuisse, nec tamen omnia, in eo contenta, sunt authentica. Tandem etiam Sacerdotale Romanum multoties à Pontificibus est approbatum, ut videre licet in fronte libri Venetiis impressi *anno 1564.* & tamen multi ab eo dissentiunt: ergo etiam possunt adversarii dissentire à Rituali Romano.

Resp. neg. conf. Catechismus Romanus magnam quidem habet auctoritatem, sed non tantam, quantam Rituale Romanum; nam illi nulla similis Bulla præfixa est, vi cujus auctoritate Pontificis proponeretur Ecclesie, sicut Rituale: sed approbatus est tantum, quòd quidem probat, nihil in eo contineri, directè oppositum bonis moribus, vel contrarium receptis fidei dogmatibus: non autem probat, Papam voluisse, ut omnes contentæ in eo sublimitates indubia fide reciperentur. Quod attinet ad Breviarium, Pontifex illud non proposuit, ut assentiremur, tanquam articulis fidei, omnibus in eo contentis: sed tantum effecit, ut licitus, & bonus sit ejus usus: imò sine licentia Papæ immutabilis.

534. Bulla dein præfixa Gratiani Decreto, non tribuit huic ullam auctoritatem; neque enim illi Pontifex vim juris concedere voluit: sed tantum voluit, canones ad originem suam reducere; unde tantum dicit, illud ab erroribus, & glossis impiorum scriptorum, fuisse purgatum: de cætero reliquit ei auctoritatem, quam priùs habuit; hinc semper in Decreto Gratiani videndum, ex quo auctore canon desumptus sit: & qualem auctor, talem etiam canon auctoritatem habeat.

Quod attinet ad Sacerdotale Romanum, videatur de Lugo *disp. 20. de Euchar. sec. 3. n. 82.* ubi monstrat, nequam auctoritate summi Pontificis editum esse, sed ad summum fuisse in genere approbatum: quod, ut ait Cardinalis, tantum significat, licentiam datam fuisse illud in lucem edendi: imò idem Cardinalis ait, verba illa, quibus approbatum dicebatur, omissa fuisse in editione Veneta *anno 1568.* & sanè in editione Veneta, quam nactus sum, Gothici typis editam *an. 1567.* nulla videtur approbatio præfixa. Equidem Bosco *Theol. sacram. p. 3. disp. 7. sec. 9. n. 149.* vult,

vult, id factum studio partium, & contenti exculare quædam, in eo Sacerdotali contenta, quæ Cardinali de Lugo visa sunt correctione egere, ut, quòd in Missis sicis, ut vocant, in fine dicantur orationes, quæ dicuntur *postcommunio*; cum tamen ordinariè faciant mentionem sacramenti percepti: quòd in absentia sacerdotis confessio fit faciendâ laico &c. quæ tamen an Bosco satis excuset, judicet curiosus lector. Compositum est dictum Sacerdotale Romanum, ut habetur *pagina ultima ejusdem Sacerdotalis*, per Albertum Castellum Ordinis Prædicatorum, auctorem privatum: nec probari ullo modo potest, illud cum Rituali Romano parem auctoritatem obtinuisse.

535. Ob. 2. Qui tantum petit confessarium, tantum vult confiteri; nondum autem actu confitetur: sed ad absolutionem requirit actualis confessio: ergo. Confir. Pœnitens in hoc casu non dat confessario novam notitiam de suo statu; jam enim priùs scitur in genere, omnes homines peccasse: sed ad iudicium sacramentale requiritur, ut detur nova notitia: ergo. Resp. neg. ma. Pœnitens in hoc casu actu confitetur quasi per interpretem, non quidem distinctè, & perfectè peccata explicando, sed tamen confessario significando, se esse peccatorem, & indigere absolutione, quæ est aliqua confessio, saltem inchoata, & confusa, qua pœnitens facit, quantum in his circumstantiis potest, & ab ipso requiritur. Ad confir. neg. mi. potest enim quis confiteri antiqua peccata, jam dudum confessario eognita; quare requirit tantum nova confessio de peccatis, & nova notitia de dolore, quod utrumque datur in nostro casu.

536. Ob. 3. Concilia, & SS. Patres à nobis adducti, possunt intelligi de absolutione tantum extrasacramentali à censuris: ergo nihil ex iis probatur. Confir. Illis capitulis, vel canonibus, tantum agitur de pœnitentibus, qui initio quadragesimæ jam explicitè erant confessi, sed nondum accepterant absolutionem: ergo non veniunt ad rem nostram. Resp. neg. ant. Agitur in locis à nobis adductis, à Patribus, & Conciliis, de absolutione, quæ debebat dari à sacerdote præsentè; cum tamen absolutio à censuris possit dari à diacono, cui eam dandam commisit S. Cyprianus, citatus *n. 520.* imò potest hæc etiam dari ab absente. Rursum est incredibile, quòd SS. Patres supposuerint, omnes ægrotos, ita sensibus destitutos, esse ligatos censuris. Ulterius SS. Patres distinguunt pœnitentiam, & reconciliationem: ergo alterutra saltem est absolutio à peccatis, ut jam dictum *n. 523.*

537. Ad confir. neg. ant. nam 1. Quomodo poterant supponi omnes illi ægroti jam confessi; cum tamen omnibus dicitur succurrendum? 2. Si jam omnes essent confessi, cur requireretur testimonium aliorum afferentium, ægrotum petiisse absolutionem? 3. & præcipuè. Poterat in eo

casu vocari quisvis sacerdos: quid ergo profuisset, ægrotos priùs fuisse confessos alteri, si hic, qui in casu necessitatis vocabatur, eos non audisset? an voluit dicere adversarii, quòd licet quis absolvat à peccatis alteri expositis? 4. Rituale Romanum certò non agit de illis pœnitentibus, qui agebant pœnitentiam publicam, vel solemnem; cum pœnitentia solemnè dudum ante Paulum V. fuerit abrogata: certè, vel nunquam, vel non nisi rarissimè, circa illa tempora adhibita. 5. Concilium Carthaginense, citatum *n. 523.* loquitur de eo, qui pœnitentiam primum in infirmitate petit: & S. Leo, citatus *n. 524.* loquitur de eo, qui paulò ante petiit pœnitentiam in absentia sacerdotis: ergo non supponitur, petitam jam fuisse, vel actam pœnitentiam ab ægrotis initio quadragesimæ &c.

538. Ob. 4. Non potest dari sententia iudicis, nisi in particulari iudex cognoscat aliquod delictum: hoc non fit in nostro casu: ergo. Confir. Si non deberet exponi ullum peccatum in particulari, sufficeret etiam extra casum necessitatis dicere: *Commisi peccatum veniale*: hoc autem non admittitur: ergo. Resp. neg. ma. Sufficit in hoc casu hæc accusatio generica: imò, ut Suarez *tom. 4. in 3. p. disp. 23. sec. 1. n. 9.* Layman *l. 5. tract. 6. c. 8. n. 7.* & alii docent, si quis recordaretur, se graviter peccasse, non tamen qua specie, deberet hoc ipsum in generali confiteri: ergo debet sacerdos posse iudicare, etiam de peccato in genere tantum exposito. Addit Vasquez *tom. 4. in 3. p. q. 91. n. 2. dub. 3. n. 37.* quòd, etsi sententia condemnationis requirat notitiam magis particularem criminis, non tamen eandem etiam exigat sententia absolutionis quæ favorabilis est, & gratiosa.

539. Ad confir. neg. ma. Suarez quidem *sec. 1. num. præced. cit. n. 10.* ait, speculativè loquendo fortasse posse concedi majorem: at non vult, eam sententiam practicè adhibendam; quia, quamvis venialia non debeamus confiteri, tamen, si velimus ea exponere, debemus ea magis in particulari exponere: & hoc, si non necessitate sacramenti, saltem necessitate præcepti: quod tamen præceptum non obligat in nostro casu tantæ necessitatis.

Layman quoque *l. 5. tr. 6. c. 8. n. 8.* docet, confessarium non debere extra periculum mortis absolvere homines rudes, qui nec veniale in particulari confitentur, licet examinentur: & ait, hanc esse praxin bonorum confessorum; eoquòd periculum sit, ne tales homines propter suam ruditatem etiam careant vero dolore. Huic quidem opinioni se opponit insignis Scritista P. Kreslinger in *Thefibus de pœnitentia anno 1705. hic loci editis §. 1. n. 7.* sed, ut ipse fatetur ibidem, pugnat vix non contra omnes reliquos auctores: etsi tantum velit, tales conditionatè posse absolvi.

540. Ob. 5. In tali casu peccata moribundi, vel remitterentur directè, vel indirectè: neutrum potest dici: ergo nullo modo

do remittuntur. prob. mi. non potest dici primum; quia sic non deberet talis ægrotus, etsi superviveret, sua peccata in alia confessione distinctè exponere: quod dici non potest post damnatum ab Alexandro VII. hanc 11. propositionem: *Peccata in confessione omissa, seu oblita, ob instans periculum vite, aut aliam ob causam, non tenentur in sequenti confessione exprimere*: neque potest dici secundum, seu quod peccata remittantur indirectè; quia non est assignabilis ullus alius casus, in quo sacramentum poenitentiae nihil directè remittat. Resp. retorqueo argumentum in casu. n. 538. allato, in quo remittitur peccatum, cujus speciei quis oblitus est; si enim nullum aliud peccatum poenitentia habeat, ut potest contingere, quid juxta adversarios efficiet sacramentum? Dein hæc quæstio, quam Dicaillio *tr. 8. de poenit. disp. 9. dub. 9. a. n. 748.* fusè examinat, multum habet de nomine.

Si per directè remissum intelligitur id, quod ita in specie, & numero, est declaratum, ut vi præcepti confessionis non amplius debeat in alia confessione exponi (quo in sensu directam remissionem, vel absolutionem, accipit Bosco *Theol. sacram. p. 3. disp. 7. sec. 8. n. 162.*) tunc in hoc casu nihil directè remittitur: nec est absurdum, ob nostras rationes gravissimas id admittere. Si autem per directè remissum intelligitur id, in quod directè tendit sacerdos sua absolutione, & quod non tantum expellitur ratione gratiæ collatæ, directè absolvitur talis moribundus à peccatis: indirectè autem absolvitur is, qui habet peccata aliqua reservata, & alia non reservata, atque non habet copiam confessarii, habentis jurisdictionem in reservata, & ideo ex necessitate aliqua, aut legitima causa, confitetur alteri, non habenti jurisdictionem in reservata. Sed, qui hoc secundo modo loquuntur, debent admittere, non omnem directam absolutionem tollere obligationem peccata rursus exponendi; nam utique talis moribundus, si postea poterit, debebit numerum, & speciem peccatorum exponere, ut constet ex modo citata propositione 11. damnata ab Alexandro VII. & hanc resolutionem multis approbat Dicaillio *dub. modo cit. n. 752.* in forma neg. mi. & dic, quod lubet ex his duobus: non malè dices.

541. Ob. 6. Confessio ex Florentino debet esse confessio oris: talis non est confessio moribundi: ergo. Confir. Confessio est actus personalis: ergo non potest fieri per testes, sed debet fieri immediatè ab ipso poenitente sacerdoti præsentem. Resp. 1. quomodo ergo mutus confitebitur? item an non absolvendus erit æger, si nutibus, quando aliter non potest, confiteatur sacerdoti præsentem, etiam peccata in specie? Resp. 2. dist. ma. debet esse confessio oris, necessitate præcepti. conc. ma. debet esse confessio oris, necessitate sacramenti, & in casu talis necessitatis. neg. ma. & conc. mi. neg.

conf. utique enim etiam mutus potest, imò debet confiteri nutibus, vel signis. Ad confirm. neg. conseq. Utique ipse moribundus debet immediatè confiteri (de hoc non est dubium) sed non debet ita confessio fieri, ut ipse moribundus confiteatur per signa, immediatè præsentem sacerdoti data: sed sufficit, si confessio prius facta, vel inchoata, vel moraliter adhuc existens (de quo infra n. 548.) sacerdoti per testes innotescat.

542. Ob. 7. Confessio, & absolutio, tanquam materia, & forma, debet esse simul: sed in hoc casu non essent simul: ergo. Confir. Confessio sacramentalis debet esse secreta: sed in hoc casu non daretur confessio secreta: ergo. Resp. dist. ma. confessio, & absolutio debent esse simul physice. neg. ma. simul moraliter. conc. ma. & dist. sic mi. neg. conf. Non requiritur similitudo physica, sed tantum moralis partium sacramenti: & in uno sacramento requiritur major, quam in altero, ut dictum *tr. de sacram. in genere n. 62.* In sacramento poenitentiae debent partes tantum ita simul esse, ut in morali estimatione censeri possint constituere unum processum judiciale: & potest contingere, ut confessiones durent per duos, aut tres dies, & tamen absolutio sufficienter jungitur peccatis primò recensitis. Nec est paritas cum sacramento baptismi, in quo, cum forma significet ablationem actualem, utique debet esse major conjunctio verborum cum materia, seu ablutione, ut nempe quis in sensu morali dici queat actu abluere. At absolutio non significat, peccata recensere: sed à recensitis, vel manifestatis, absolvere: quod utique in sensu morali est verum, etsi sat diu antè sint recensita peccata. Ad confir. dist. ma. Confessio debet esse secreta ex parte sacerdotis, ut ipse nihil evulget. conc. ma. ex parte poenitentis, ut, si ipse aliquid evulget, sacramentum sit invalidum, neg. ma. & dist. sic. mi. neg. conf.

ARTICULUS VII.

Solvuntur reliquæ Objectiones.

543. Ob. 8. Confessio talis moribundi est confessio facta per interpretem: sed hæc non est licita, ex decreto Clementis VIII. citato n. 516. ergo. Confir. Eoislo, quod Pontifex talem confessionem prohibeat in omni casu, implicite decidit, eam omnino esse invalidam: ergo est non tantum illicita, sed etiam invalida. prob. ant. si non esset invalida, non posset ejus praxis prohiberi in casu maximè necessitatis; nam in ista necessitate licita sunt omnia media salutis valida: ergo. Resp. Prohibitio dicti Pontificis non se extendit ad nostrum casum, ut constat testimonio gravissimis, Petri Lombardi Armacani Archiepiscopi (apud Dicaillio *tr. 8. de*

8. de poenit. disp. 9. dub. 9. n. 832.) & Cardinalis Bellarmini (apud Gormaz *de sacram. poenit. n. 255.* qui testati sunt, Clementem VIII. hac de re interrogatum, respondisse, se hunc casum, à S. Leone propositum, suo decreto non voluisse comprehensum, & talem moribundum debere omnino absolvi: seque ipsum, si occasio ferret, tali absolutionem daturum.

Idem testatur Suarez, in literis à se anno 1610. post disceptionem, hac de re jam Romæ finitam, datis, quas exhibet Tannerus *tom. 4. disp. 6. q. 9. dub. 1. n. 16.* ubi Eximius scribit, sibi certò constare, tum ex ore utriusque Pontificis, nempe Clementis VIII. & Pauli V. tum ex sententia multorum Cardinalium, non fuisse mentem Pontificis, prohibere in hoc casu absolutionem. Addit, Pontifices noluisse declarare, quomodo hic casus concilietur cum supradicto decreto, sed id reliquisse Theologis: quare in forma ad objectionem potest negari, vel ma. vel min. prout amplecteris aliquam sententiam Theologorum, qui variè hanc rem exponunt, de quo mox plura dicam. Ad confir. neg. suppositum majoris, quod talis confessio, vel praxis nostræ sententiæ, prohibita fuerit: sed ad summum ejus aliqua explicatio, sive modus conciliandi illam cum decreto Clementis, de qua prohibitionem paulò post, nempe n. 546. plura.

544. Jam duæ sunt viæ probabiliores, ab auctoribus inventæ, conciliandi nostram, seu Ritualis Romani sententiam, cum memorato decreto. Prima est Arriaga *tom. 8. de poenit. disp. 36. n. 47.* Gormaz *de sacram. poenit. n. 276. & seq.* & aliorum, qui asserunt, propositionem illam à Clemente fuisse damnatam, non omnino in sensu diviso, sed potius in copulativo, hoc est, non esse ita damnatam, ut quodlibet membrum seorsim, sed ut utrumque simul damnatum sit; sicut scilicet exponenda est propositio Christi Domini *Marc. 10. v. 11. Quicumque dimiserit uxorem suam, & aliam duxerit, adulterium committit super eam*; neque enim est adulterium sola uxoris dimissio. Hinc volunt, isti auctores, tantum esse damnatum, quod totum sacramentum possit inter absentes confici.

Limitant tamen hæc sua dicta, & addunt, non tantum damnatam esse propositionem copulativè sumptam, ita, ut utrumque membrum seorsim sit probabile: sed determinatè, & seorsim, damnatum esse secundum membrum illius propositionis, scilicet, quod absolutio possit conferri absenti: quod membrum communiter falsum censeri diximus n. 517. idque ulterius etiam probari potest ex eo, quod forma debeat exprimi verbis *ex n. 488.* & nullus prudens iudex verbi utatur ad absentem, præsertim eum alloquendo per particulam *te*, & maximè, si iudicium sit ita secretum, ut nullus, nisi solus rei, & iudicis persona, requiratur: quæ rationes nullatenus militent contra primam partem illius propositionis prohibitiæ.

545. Equidem auctor quidam scribit, universalem Ecclesiam scire, quod Clemens VIII. vivæ vocis oraculo testatus sit, declarationem peccatorum ab absente, vel per literas, vel per internuncium factam, esse insufficientem: sed reponit Gormaz *de sacram. poenit. n. 282.* nisi hic auctor per valde animosam synchedochen per minimam partem intelligat maximum totum, seu per se solum totam Ecclesiam, excusari hoc ejus dictum non posse; cum alii minimè istud, sed ex testimonio Bellarmini, Armacani, & Ritualis Romani, oppositum sciant.

Si fors dicere velles, juxta hanc explicationem gratis prohibitam esse primam partem propositionis. Respondent neg. illatum; cum enim illa prima pars universaliter dicat, licere confiteri absenti, utique falsa est; non enim id licet; imò vix validè fieri potest; cum ignorantia præcepti faciendi confessionem verbalem, & quidem sacerdoti præsentem, vincibiliter tantum ignoretur, & praxis infantes id statim doceat. Addunt tamen, hanc primam partem non esse ita damnatam, sicut damnata est secunda; nam juxta hos auctores, qui in exponendo Clementis decreto hac via incedunt, non quidem universaliter, attamen in casu extremæ necessitatis, licet confiteri absenti: at absolvere absentem nunquam licet, & absolutio talis semper est invalida.

546. Huic tamen explicationi obijci solet, quod, cum Suarez hac ipsa ratione interpretatus esset decretum Clementis, hæc interpretatio Eximij 14. Julij 1605. ab Inquisitione judicata fuerit non subsistere: & tandem 18. Aug. ejusd. anni iusta fuerit ex ejus tomo deleri (quam utramque sententiam exhibet Gormaz *de sacram. poenit. n. 242.*) sed respondent citati auctores, & præsertim Gormaz *de sacram. poenit. n. 243.* non fuisse expositionem illam rejectam; eo quod non esset vera, sed quia non esset congrua illis temporibus: quod ex eo confirmat, quod postea deservescens disputationum calore, & mutatis circumstantiis, eadem doctrina Eximij, quæ prius iusta fuit deleri, iterum suum in locum restituta sit, vivente adhuc Suarezio, in editione Lugdunensi an. 1613. tom. 4. in 3. p. disp. 21. sec. 4. & certè habetur in editione Moguntina an. 1616. qua ego ulus sum.

547. Roboratur hæc asserta ulterius Arriaga *tom. 8. de poenit. disp. 36. n. 47. & seq.* ex eo, quod, cum tunc temporis aliqui defendissent, posse absenti dari absolutionem, potuissent quidam abuti hac doctrinâ Eximij, ac dicere, propositionem tantum in sensu copulativo esse damnatam: adeoque neutrum membrum seorsim esse rejectum: consequenter posse etiam absolvi absentem: modo præcessisset confessio facta præsentem: quod exponit Arriaga paritate facta cum hac propositione: *Christus cepit predicare anno 15. Tyberii, & eodem anno est mortuus*: quæ propositio, si damnaretur, non tantum in sensu purè copulativo damnaretur, sed ita, ut damnatio determinatè in secundum

membrum caderet. Sic etiam Arriagæ videtur, Suarezii expositionem non fuisse admittam; eoquod hanc limitationem non addiderit, quam tamen jam addunt auctores moderni, ut dictum n. 544. & in Suarezii expositione subintelligi potest. Tandem notandum est, Pontifices vivos non libenter videre, decreta sua exponi. De tota hac quaestione videri potest Gormaz *cit. tract. de sacram. penit. à n. 232.* qui tractatus jam ante editionem totius Theologiæ, cum debitis approbationibus, Romæ editus fuerat, & Dilingæ postea secunda vice cum reliquis tractatibus impressus fuit.

548. Aliam viam ineunt Suarez apud Tannerum *tom. 4. disp. 6. q. 9. dub. 1. n. 16.* & ipse Tannerus, ac alii, quibus consentit Dicastillo *tract. 8. de penit. disp. 9. n. 805.* qui responsum suum vocat communissimam. Negant isti, in dicto casu confessionem fieri absentem, sed asserunt, eam fieri presentem confessario, quod Suarez sic explicat. Confessarius jam præsens moribundo sensibus destituto, dum eum videt, adhuc vivere, & ex hac parte capacem esse sacramenti, non autem posse tunc melius se disponere, examinat, prout tunc possibile est, ejus conscientiam; ideòque dici potest, hac ratione fieri, seu consummari confessionem in simultanea presentia penitentis, & confessarii.

549. Dicastillo *cit. disp. n. 807.* fufius rem ita declarat. Moribundus, dum confessarium vocat per signa, vel verba (quæ, ut diximus n. 535. sunt jam aliqua confessio) est causa adventus sacerdotis, & notitiæ, quam habet confessarius de statu moribundi: quæ notitia adhuc perseverat in sacerdote presente, & in hac ipsa notitia, tanquam in suo effectu, perseverat adhuc etiam ipsa confessio: adeòque, quando postea confessarius est præsens moribundo, tunc illa notitia est notitia, suo modo moraliter data presentem, non quia tunc simpliciter incipit esse, sed, quia incipit esse notitia de statu ægroti presentis: consequenter moraliter est confessio facta presentem, quatenus confessio illa lignis, vel verbis prius facta, adhuc in presentia sacerdotis perseverat in suo effectu, & etiam quia ex intentione moribundi est ordinata ad confessarium presentem; nam hunc moribundus presentem esse desideravit. Contrarium autem videtur contingere in casu Clementis VIII. ubi videtur potius esse sermo de confessione illius, qui non cupit venire confessarium, sed vult ab eo ut absente absolvi, adeòque est confessio physice, & moraliter facta absentem.

550. Si autem objicias, quòd etiam pari ratione absolutio, data in absentia, e.g. à sacerdote, vocato ad ægrotum, adhuc domi data, possit dein veniente confessario fieri etiam ita præsens, & data ægroti presentem. Resp. si sacerdos ægrotum adhuc invenit vivum, utique potest tunc eam dare in ipsa presentia: si non invenit ægrotum adhuc vivum, tunc absolutio non fit moraliter presentem. Si fingas casum, quo veniat sacerdos ultimo vitæ

instanti, ita ut non amplius possit formula pronunciari (qui casus est metaphysicus) tamen dicendum est, hanc presentiam non sufficere; quia major presentia requiritur ad absolutionem, quam ad confessionem, sive requiritur talis presentia, ut possit absolutio, dici data physice à sacerdote physice presentem.

Addunt alii, in nostro casu confessionem ex intentione moribundi dirigi ad confessarium presentem, eamque tandiu moraliter perseverare, quamdiu non retractatur, aut donec conferatur absolutio: consequenter adhuc durare in presentia sacerdotis. Attamen videtur, non sufficere puram non retractionem, sed requiri aliquem effectum confessionis, e.g. adventum sacerdotis, ne confessio tantum habitualiter perseveret, sed virtualiter, & sit aliquo modo causa, vel prior naturæ ad absolutionem. Id tamen non refert, quòd adventiente sacerdote penitens non sit sibi præsens; neque enim requiritur, ut sub ipsa absolutione sit sui compos; si enim contingeret, ut quis ægrotus post confessionem verbalem, presentem sacerdoti factam, subitaneo deliquo redderetur sui impos, posset utique absolvi: nec absolveretur tanquam absens; quare ad absolutionem non videtur requiri tanta presentia moralis, ut absolvendus, non tantum corpore, sed etiam animo præsens sit. Quamcunque autem ex his duabus viis inire voluerit magnos duces sequeris. Mihi tamen præplacere secunda.

551. Ob. 9. contra 2. conclusionem. Clemens VIII. cum videret operarium, ex fabrica Divi Petri cadentem, eum statim, quamvis nullum signum confessionis adverteret, absolvit, dicens: *Si es capax, absolvo te à peccatis tuis:* ergo potest talis absolvi. Confirm. 1. *Memoriale Confessariorum*, editum auctoritate Cardinalis Alexandri Ludovisi Archiepiscopi Bononiensis, postea Gregorii XV. Summi Pontificis, vult, moribundum etiam nullo prævio edito signo posse absolvi. Idem habent etiam statuta Lemovicensia, imò etiam Sacerdotale Romanum: ergo. Confirm. 2. Si absolvi talis moribundus tantum sub conditione, cavetur irreverentiæ sacramenti: ergo non est ratio, cur non possit ita absolvi.

Resp. neg. ant. nam testatur Lugo de *penit. disp. 17. n. 34.* se ex viris doctis, Clementi contemporaneis, & diu Romæ verisatis, quævisse de hac historia, sed eos judicasse, eam esse fabulam: saltem ex historia tam incerta solidi nihil potest inferri.

552. Ad 1. confirm. Resp. contra Synodum Compostellanam præcepisse, etiam sub pœna statuta, ne quis absolveretur, qui non confessus fuisset saltem aliquod peccatum in particulari, ut testatur Lugo de *penit. disp. 17. n. 35.* scilicet Episcopi, & Synodi non sunt universales, non sunt infallibiles: & licet magnam habeant auctoritatem, tamen non habent irrefragabilem, & potest ob

rationes valde graves ab iis recedi. De Sacerdotali Romano sat dictum est n. 534. quare in forma om. ant. neg. conf. Addo, ex his non sequi, nostram sententiam non esse multò firmioribus rationibus nixam: sed fortè tantum praxin oppositam non esse omnino damnandam, de quo inferius à n. 563. Ad 2. confirm. dist. ant. si absolvi sub conditione, cavetur irreverentiæ, si sit aliqua spes moralis, absolutionem fore validam. conc. ant. secus. neg. ant. & conf. Non licet sine tali spe, etiam sub conditione ministrare sacramenta. Sic nec sub conditione licet, iterum baptizare hominem, de quo moraliter constat, eum jam esse baptizatum. Hæc autem spes debet esse eo major, quo minor est necessitas conferendi sacramentum.

553. Ob. 10. Rituale Romanum, & Concilia, testimonium aliorum tantum exigunt, ut conditionem sufficientem, non ut necessariam: ergo ex iis nihil probatur. Confirm. Moribundus, etsi nullum det signum, potest inungi: ergo etiam absolvi. Resp. neg. ant. quia auctores omnes cum Tridentino requirunt confessionem sensibilem: ergo, vel per voces, vel per signa, aut nutus, vel per se, vel per alios, tanquam interpretes, factam. Neque requirunt tantum confessionem talem generalem, qualem recitat sacerdos, dum dicit sacrum, aut breviarium, sed talem, quæ sit sacramentalis, & ex intentione eam facientis dirigatur ad absolutionem; qualis non est confessio recitata inter sacrum, vel breviarium dicendum.

Unde, quamvis teste Layman *l. 5. tr. 6. c. 8. n. 4. §. De eo autem.* aliquando dubitatum fuerit, an sacerdoti, post dictam ad initium sacri confessionem generalem, tubi- tà apoplexiâ tacto, possit dari absolutio, tamen ipse Layman ait, certum esse, eam non posse dari sine dato alio signo. Ad confir. neg. conf. Ad valorem extremæ unctionis non requiritur actus recipientis, sensibilis: sed tantum requiritur intentio interior, & quidem habitualiter tantum perseverans, ut dictum in *tract. de sacram. n. 140. & 143.* & ad fructum quoque ejusdem sacramenti tantum requiritur dolor interior, si ægrotus habeat peccata: quæ longè facilius possunt in homine Christiano præsumi: at verò ad absolutionem requiritur dolor; & confessio sensibilis, quæ non dantur, quando nullum signum datur.

554. Ob. 11. contra 3. conclusionem. S. Antoninus, citatus in Sacerdotali Romano *tract. de sacram. penit. c. 26.* sic ait: *Talis enim infirmus; aut jam amisit loquelam, vel usum rationis. . . si bene vivebat ut bonus fidelis, & frequentabat confessionem, & communionem, & hujusmodi, quamvis non petierit sacramenta; quia ex insperato talia acciderunt: vel etiam si malus, & obstinatus, diu perseverans in peccatis, est, & diu non confessus, si petiit sacerdotem, ut confiteretur, & ostendit, se velle facere omnia, quæ debet: & interea factus est mu-*
R. P. Ant. Mayr *Theol. Tom. II.*

tus, vel phreneticus, & periculum est in mora, debet præsupponi contritus, & faciente aliquo confessionem generalem pro eo, sicut fit in populo, sacerdos faciat absolutionem ab omni sententia, & peccato. . . . Deinde debet dari ei Eucharistia, à proprio sacerdote seculari; quamvis non sit confessus; quia non potuit: ergo.

Resp. Si illud: *quamvis non sit confessus:* sumatur strictè, certè absolvi non potest: si autem intelligatur tantum: *quamvis non sit oretenus, aut in particulari confessus:* ita tamen, ut aliquo modo generaliter confessus intelligatur petendo sacerdotem, & hoc sacerdoti per alios innotescat, nihil est contra nos. Prior tamen pars, de fidei non petente sacramenta, videtur velle, quòd vita Christiana, prius acta sit sufficiens confessio. Sed textum S. Antonini in fonte videre non potui; nam ejus *Confessionale*, quod à Sacerdotali Romano citatur, non reperi. Interim tamen mens S. Doctoris est latius dubia, & meritò Lugo de *penit. disp. 17. sec. 3. n. 36.* ait, non latius constare, an sermo sit de absolutione sacramentali. Sanè, cum S. Antoninus dicat absolvendum, *quamvis non sit confessus,* videtur posse intelligi tantum aliqua absolutio generalis, non sacramentalis, qualis datur cuilibet communicaturo, post factam ab aliquo confessionem generalem, quam etiam fieri vult in eo casu S. Antoninus. Unde hæc auctoritas valde dubia prævalere non debet doctrinæ communi, & rationibus gravissimis n. 525. & seq. allatis.

555. Ob. 12. S. Augustinus *l. 1. de adulterinis conjugii c. 26.* sic ait: *Catechumenus ergo, in hujus vita ultimo constitutus, si morbo, seu casu aliquo, sit oppressus, ut, quamvis adhuc vivant, petere sibi tamen baptismum, vel ad interrogata respondere non possint, profit eis, quòd eorum in fide Christiana jam nota voluntas est, ut eo modo baptizentur, quo modo baptizantur infantes, quorum voluntas nulla adhuc paruit. & c. 28. Ego non solum alios catechumenos, verum etiam ipsos, qui viventium conjugii copulati, retinent adulterina consortia, cum salvos corpore in his permanentes non admittamus ad baptismum, tamen, si desperati, & intra se penitentes, jacuerint, nec pro se respondere poterint, baptizandos puto, ut etiam hoc peccatum cum ceteris lavacro regenerationis ablueretur. Quis enim novit, utrum fortassis adulterina carnis illecebra usque ad baptismum statuerant detineri? & in fine addit: *Quæ autem baptismatis, eadem reconciliationis est causa, si forte penitentem finiendi vita periculum præoccupaverit; nec ipsos enim ex hac vita sine artha sine pacis exire velle debet mater Ecclesia:* ergo ex S. Augustino omnes Catholici moribundi, etiam si signum nullum dare possint, sunt absolvendi.*

556. Resp. neg. conf. Non dicit S. Doctor, omnes homines esse absolvendos, sed

tantum diei, poenitentes esse absolvendos, qui per poenitentiam publicam se iam disposuerant ad absolutionem, & in casu improvisi deliqui non poterant amplius eam petere: qui, si peccata jam prius fuere confessi, facilius utique poterant absolvi ab iis, quibus publice erant confessi. Neque dicit, S. Augustinus, poenitentes, adulterinis adhuc illecebris irretitos, esse absolvendos, (nam si istis adhuc irretiti essent, poenitentes non essent) sed tantum dicit, catechumenos taliter irretitos esse baptizandos.

Neque etiam vult S. Doctor, facere omnimodam paritatem, inter baptismum, & poenitentiam; nam inter requisita ad hæc sacramenta, saltem tanta differentia est, quanta est inter requisita ad poenitentiam, & extremam unctionem, de qua n. 553. Tandem S. Augustinus cit. c. 26. statim post textum de catechumenis subiungit sequentia: *Non tamen propterea damnare debemus eos, qui timidiùs agunt, quam nobis videtur agi oportere &c.* quo indicat, etiam si quis ab ejus opinione hac in causa recederet, non propterea esse redarguendum: sed puto, non esse necesse, ad hanc responsionem confugere.

ARTICULUS VIII.

Inferuntur aliquot Corollaria.

557. Collige ex dictis 1. in tanta necessitate moribundi non requiri confessionem oris; licet enim confessio oris extra casum necessitatis sit de præcepto (quod desinitur, saltem ex communi consuetudine Ecclesie, de qua re videri potest Suarez tom. 4. in 3. p. disp. 21. sec. 3. n. 4. & seq. item Gormaz de sacram. poenit. n. 146. & 180. quam consuetudinem videtur supponere Florentinum in decreto Eugenii, à quo confessio vocatur *confessio oris*) tamen ex nostris rationibus efficaciter concluditur, confessionem oris non esse de necessitate sacramenti: sed sufficere signa, quibus tantum in genere aliquis ostendat, se dolere de peccatis, & absolutionem petere, etsi in particulari nullum peccatum neque per nutus explicare possit.

Si Synodus Compositellana statuit oppositum, provincialis tantum fuit, non universalis, adeoque, ut dictum n. 552. non est præferenda rationibus gravissimis, pro nostra conclusione n. 522. allatis, quæ omnes pro hac assertione, seu hoc corollario militant. Ex quo tamen non potest inferri, esse tantum præceptum Ecclesie, quod in confessione exprimi debeat in particulari numerus, & species peccatorum: sed tantum potest inferri, præceptum Christi, de confessione, ita in particulari facienda, non obligare indispensabiliter pro omnibus circumstantiis; sicut neque indispensabiliter obligat præceptum communionis.

558. Collige 2. etsi moribundus tantum det signa dubia poenitentiae, tamen esse absolvendum sub conditione. ita Layman

l. 5. tr. 6. c. 8. n. 4. §. Sed bene. Lugo de poenit. disp. 17. n. 31. Thyrsus tom. 3. select. disp. 36. n. 51. Gormaz de sacram. poenit. n. 204. & plurimi recentiores; quia in extrema necessitate succurrendum est proximo, etiam remediò dubio, quantum fieri potest; sicut etiam in extrema necessitate licet, materià dubià baptizare. Notat autem Layman loc. cit. signa, à tali moribundo data, debere judicari, esse ab ipso relata ad absolutionem; eoquod præsumi debeat, quod velit animæ suæ, modo, quo potest, optimo, consulere.

Signa autem hic auctor assignat, tunc dicit, dicere: *Miserere mei DEUS*, Gormaz addit loc. cit. manus, ac oculos in cælum tollere: & Diana part. 3. tr. 3. resolut. 2. in titulo, ait, tale signum etiam esse, intentè aliquam piam imaginem aspiciere: quæ, vel similia, si moribundus edat, præsentè sacerdotè, prælumenda sunt, fieri in ordine ad absolutionem petendam. Alii recentiores addunt, vehementius suspirare, lachrymari, labia sæpius movere, esse signa saltem dubia; eoquod nesciatur, an ex naturalibus angustiis, an ex desiderio absolutionis proveniant.

559. Collige 3. non requiri absolutè, ut alii in præsentia moribundi testentur sacerdoti de signis, priùs à moribundo editis, seu de peccata absolutione; quamvis enim opposita sententia sit suadenda, & si fieri potest, in praxi adhibenda, ob majorem securitatem, tamen necessariam non esse docent Lugo, de poenit. disp. 17. n. 35. Gormaz de sacram. poenit. n. 257. Dicat illi tract. 8. de poenit. disp. 9. à n. 307. & alii, ab iis citati, quibus adhuc alii accesserunt. Ratio est; quia nec Rituale Romanum, nec Concilia, nec Patres, aut Pontifices, exigunt ad absolutionem præsentiam testis, sed tantum præsentiam sacerdotis: quid ergo nos eam requiramus, quando difficiliter potest haberi?

Sic e. g. quando aliquis solus cum solo, congressus de nocte, eum lethali ter vulneravit, & cucurrit ad asylum in monasterium, ibique simul vocavit confessarium, ac testatus est de editis à vulnerato poenitentiae signis: certè hic non egredietur cum periculo capitis ad moribundum, ut in hujus simul, & sacerdotis præsentia, testem agat. Item, si famulus cum equo missus, ut vocet parochum in aliquam villam, non possit pedes sacerdotem equitatem consequi, sacerdos non debet eum expectare. In his quidem casibus, ut sæpius contingit, si alii adsint, utique restari deberent denuo, de signis à moribundo priùs editis: at, si nemo adforet, certè sacerdos non deberet moribundum sine absolutione destituere; nam etiam in hoc casu confessio, vel non fieret abienti, ut explicatum n. 548. vel non deberet præsentia fieri, ut alii volunt, citati n. 544.

560. Collige 4. sufficere in tali casu testem etiam unum. ita Gormaz de sacram. poenit. n. 258. Lugo de poenit. disp. 17. n. 32.

32. & alii, ab his citati. quamvis enim Concilia, Rituale Romanum, ac Patres, nominent plures, tamen accipi debent eo modo, quo accipiuntur, quando dicunt, defunctos fidelium suffragiis juvari; nam utique defuncti juvantur oratione etiam unius: scilicet accipienda sunt talia dicta, in sensu distributivo, non colectivo. Ratio est. Quando per testimonium tantum quaeritur favor alicujus, sine ullo alterius præjudicio, ut contingit in nostro casu, non est opus plena probatione; quare sufficit testimonium unius, nec exigitur attestatio plurium: sicut neque exigitur testimonium juratum; hinc infert Gormaz, sufficere etiam testimonium hereticum, modò constet, eum non voluisse illudere religioni.

561. Collige 5. non requiri testem immediatum de visu, vel auditu proprio: sed sufficere testem mediatum, ut iterum docent Lugo de poenit. disp. 17. n. 81. & Gormaz de sacram. poenit. n. 258. nam Rituale Romanum tantum exigit, ut moribundus per se, vel alios manifestet desiderium absolutionis, nec petit, id fieri per testes immediatos. Addit Gormaz, cum non requiratur, ut immediatè audiat confessarius petitionem moribundi, parum referre, an uno, vel duobus gradibus, eam mediatè audiat. Quare, quando Concilium Carthaginense, citatum n. 523. dicit: *Dent testimonium, qui eum audierunt*: intelligendum est de iis, qui vel immediatè, vel mediatè audierunt: nec in casu tantæ necessitatis verba illa, cum majori rigore, vel restrictione, sunt accipienda; præsertim cum etiam sic adhuc propriè accipiuntur, vidè etiam La Croix. l. 6. p. 2. n. 1157. ad seq.

562. Collige 6. quid censendum de eo pacto, quod quidam morituri cum confessario ineunt, ut in agone absolvantur. Si pactum ita ineant, ut absolvantur absque omni novo signo, aliter utilitas istius pacti defendi non potest, quam dicendo, quod ipsum inire hoc pactum sit aliquis confessio, quam non statim sequatur absolutio, sed ad voluntatem ægri differatur usque in agonem. Ubi tamen occurrit hæc difficultas, quod, quando æger hoc pactum iniret, videatur posse confessionem longè exactiorem instituire: adeoque deberet, si velit absolvi. Sed potest iterum responderi, posse à moribundo post peractam rite confessionem, & receptam absolutionem, eadem peccata cum novo dolore, confessario adhuc bene memori, generatim exponi, & dein absolutio differri: quod tamen, an implebitur fiat semper per tale pactum, dubitari utique potest.

Magis urget Arriaga tom. 8. de poenit. disp. 36. n. 36. ex eo, quod fortè æger interea commiserit novum peccatum mortale: quo casu illud pactum non posset dici confessio peccati, primùm subsequens: nec posset novum dolorem, qui iterum necessarius est, reddere sensibilem: consequenter

neque esset sufficiens ad absolutionem. Si fortè dicatur, supponi posse, quod æger nullum novum mortale admiserit, iterum urgetur ex eo, quod hoc supposito æger non indigeat absolutione. Nec dicas, fortè priorem absolutionem non fuisse validam; si enim hoc contingeret, secunda probabilissimè non foret melior. Quare æger dirigitur prudentius, ad pactum hoc sic faciendum, ut, quando in agone habet dolorem, signum aliquod det e. g. premat, vel levet manum, vel oculos certo modo moveat, aut figat, vel qualecunque tandem signum det, quo posito absolvetur.

563. Quæres tandem, an sententia nostra, de neganda absolutione iis, qui nullum signum edunt, quæ speculative loquendo, est incomparabiliter probabilior, sit etiam necessariò in praxi observanda, vel an non necessitas proximi moribundi sit aliqua circumstantia, reddens licitam in tali casu absolutionem, saltem sub conditione datam. Resp. Lugo de poenit. disp. 17. n. 40. videtur, praxin eam omnino improbare. item Arriaga tom. 8. de poenit. disp. 36. n. 34. & seq. ubi refellit quendam, qui de ipso Arriaga dixerat, eum absolvisse quendam moribundum, nullo habito prius signo: & addit, se tunc temporis neque scivisse, eam sententiam (quod nempe licitum sit, moribundum absque dato ullo signo absolvere), ab ullo doceri: ex quo ipso videtur sequi, quod antiquiores illam sententiam communis saltem negaverint: & sanè La Croix l. 6. p. 2. n. 1162. citat magnos viros, illi sententiæ adversos.

564. Interim pro licentia dictæ praxis videtur stare in Belgio multi recentiores, qui teste Lugo de poenit. disp. 17. n. 33. milites in prælio ita absolviunt: idem hic auctor, quamvis contrarius, pro ea praxi ulterius citat Memorialia Bononiensia (de quo n. 551.) Molfesium, Homobonum, Antonium de literatis. Auctor verò *Vindictiarum Gobatianarum* P. Christophorus Raßler p. 2. propos. 1. n. 23. præter Gobatum, quem ibi defendit, citat circiter 30. auctores, qui eam praxin licitam dicunt, quibus addi potest Gormaz de sacram. poenit. n. 262. & La Croix l. 6. p. 2. n. 1162. ubi adhuc alios adducit pro licita ea praxi, seu danda tunc absolutione, saltem sub conditione, ut Cardenam, Aversam, Quarci, Bonamgrapiam. Accedit Schildere tract. 6. c. 5. n. 39. & seq.

Horum omnium auctoritas, adjuncta etiam auctoritate Memorialis Bononiensis, item S. Antonini, & S. Augustini, quos citavimus n. 554. & 555. (qui saltem aliqua li probabilitate huc adduci possunt) videtur hanc sententiam saltem aliquantulum, aut tenuiter, probabilem reddere, adeoque in casu extrema necessitatis licitam. Accedit quod praxis ista scitur, & non tantum in Belgio, sed aliis etiam multis Germaniæ locis tolerari, quare videtur talis absolutio esse saltem remediò dubium, quo etiam

in tanta necessitate possumus uti, saltem ad dita condicione, ut dictum n. 558.

565. Ratio etiam aliqua esse potest. Primò, licet ab auctoritate, & ratione multò probabilior sit, vitam Christianam non esse confessionem, tamen sunt etiam circiter 30. auctores (quos citat Auctor *vindictarum Gobatianarum* p. 2. prop. 1. n. 23.) qui dicunt, eam vitam esse aliquam confessionem, & hinc talem moribundum esse absolvendum; eoquòd quis vità suà Christianã intendat, sibi prodesse, quantum potest: adeòque etiam intendat manifestare, se cupere absolvi, casu quo in talem statum moribundi inderet.

Quod autem talis confessio quandoque sit longè remota ab absolutione, in primis non videtur verum; cum ponatur moribundus semper, & usque ad articulum mortis, talem vitam egisse: dein dato etiam, quòd confessio remota sit, cum hoc ipsum non sit sat certum, quam longè remota esse possit confessio ab absolutione, potest in tanta necessitate saltem dubium videri, an non adhuc sufficienter inter se jungantur.

Secundò saltem potest præsumi, moribundum in tali statu velle sibi consulere, quantum potest, adeòque signa doloris edere: & licet signa externa non videantur esse determinata ad significandum dolorem, tamen in dubio debent præsumi, esse ad istum significandum determinata.

Difficultas quidem major esset, si prorsus nulla signa perciperentur; nam, ut bene obijcit Schildere *tract. 6. c. 5. n. 39.* confessio, à sacerdote non audita, est nulla. At moraliter fieri non potest, ut nulla prorsus signa percipi possint; quia moribundus utique, dum vivit, aliquem motum edet, ex quo eum vivere constat; quòd si etiam in tanto deliquo sit, ut de vita ipsa dubitetur, tunc saltem vita Christianè acta, poterit censei confessio.

566. La Croix l. 6. p. 2. n. 1162. addit, etiam confessiones præteritas posse censei directas pro tali statu ad sacerdotem præsentem; cum omnis confitens habeat voluntatem implicitam, per suas confessiones acquirendi jus, ad plures absolutiones; cum habeat voluntatem, per eas sibi consulendi modo meliori, quo potest: esse autem aliquo modo probabile, confessionem, si ad plurimum sacerdotum notitiam perveniat (ut venire supponitur in hoc casu, quando sacerdos rescit, eum vitam Christianè egisse &c.) esse virtualiter multiplicem, & reddere capacem novæ absolutionis. Accedit, quòd addita conditione videatur utcumque præcaveri irreverentia erga sacramentum.

Quare, licet ex directis principiis hac praxi nullatenus videatur utendum, ob reflexa tamen principia, non ausim eam damnare; & certè Gormaz, licet speculativè loquendo omnino consentiat nostræ conclusioni, n. 325. statuta, tamen de *sacram. penit. n. 202.* ait, in praxi non tantum posse, sed etiam debere sacerdotem, talem

moribundum absolvere: quòd idem vult La Croix citato n. 1162. ob eam scilicet rationem, quòd lex charitatis graviter obliget, ad succurrendum proximo, in tanta necessitate constituto, per media etiam dubia.

567. Ab eodem Gormaz de *sacram. penit. n. 206.* citatur Bonagrata, qui docet, absolvi posse talem moribundum, etiam laborantem infamiã: imò etiam illum, qui in actuali peccato destituitur sensibus, regulariter non esse sine absolutione deserendum: quin Tamburinus, Cardenas, & Stoz, apud La Croix l. 6. p. 2. n. 1163. dicunt, Christianum in duello, vel adulterio confossum, si super sit aliqui temporis ante mortem, vix esse destituendum absolutione.

Monent autem quidam auctores, hæreticos absque editis signis, etiam in articulo mortis, non facile esse sub conditione absolvendos; quia sacramentum nimis magno periculo frustrationis exponeretur; cum hæretici plerumque absolute nolint confessionem sacramentalem: quòd autem forte unus, aut alter, eam implicitè vellent, id non sufficit, ut omnibus sub conditione absolutio detur: sicut e.g. licet constaret, unum, aut alterum indeterminate, in magna regione non esse baptizatum, non propterea statim possent omnes sub conditione baptizari.

QUÆSTIO III.

De Materia Sacramenti Pœnitentiæ, seu de Confessione.

ARTICULUS I.

An Confessio sit Necessaria Necessitate Medii de Jure Divino.

568. **D**ico I. Confessio est jure Divino præcepta fidelibus omnibus post lapsum gravem. ita omnes Catholici. Prob. I. Tridentinum *sess. 14. c. 5.* sic docet: *Cum à sanctissimis, & antiquissimis Patribus, magno, unanimique consensu, secreta confessio sacramentalis, qua ab initio Ecclesiæ sancta usæ est, & modo etiam utitur, fuerit semper commendata, manifeste refellitur inanis eorum calumnia, qui eam à Divino mandato alienam, & inventum humanum esse, atque à Patribus in Concilio Lateranensi congregatis, initium habuisse, docere non verentur; neque enim per Lateranense Concilium Ecclesiæ statuit, ut Christi fideles confiterentur, quod jure Divino necessarium, & institutum esse, intellexerat: sed, ut præceptum confessionis, saltem semel in anno, ab omnibus, & singulis, cum ad annos discretionis perventissent, impleretur. Unde jam in universa Ec-*

Ecclesiæ, cum ingenti animarum fidelium fructu, observatur mos ille salutaris confitendi, sacro illo, & maxime acceptabili tempore quadragesimo, quem morem hac sancta synodus maxime probat, & amplectitur, tanquam pium, & merito retinendum. Hucusque Concilium, quòd eandem doctrinam postmodum confirmat *can. 6. de penit.* quem citavimus n. 443.

569. Probatur conclusio 2. Hoc præceptum semper viguit in Ecclesiâ, idque agnoverunt omnium sæculorum Concilia, & Patres (ut sùpe ostendit Baronius ad *ann. Christi 56. à n. 15.* & Bellarminus *tom. 3. contr. 4. de penit. l. 3. à c. 5. usque ad 10. inclusive*) nec potest designari synodus, aut Pontifex, à quo fuerit confessio primò præcepta: ergo non est præceptum humanum, sed Divinum. Confirm. Ut ostendit Bellarminus *lib. modò cit. c. 3.* plures, & variaz figuræ hujus præcepti jam præcesserunt in antiquo testamento, ut *Gen. 3.* quando DEUS ab Adam, & Eva, & *Gen. 4.* quando à Caino, confessionem expetiit: item *Lev. 13. & 14.* ubi iudicium lepræ committitur sacerdotibus: rursus *Numer. 5. v. 7.* ubi confessio quædam à DEO instituta est: item *Leviticus 5.* ubi præscribitur certa oblatio pro certa specie peccati, quæ oblatio fieri non poterat sine peccati manifestatione, seu confessione. Jam sic Confessio tantum figura lis, erat à DEO instituta, & necessaria jure Divino: ergo multò magis confessio præfigurata est instituta à DEO, & necessaria jure Divino.

570. Prob. conclusio 3. adducendo aliquos textus (omnes enim adducere nimis longum foret) qui hæc faciunt, ex Scripturis, Conciliis, & Patribus, Concilium Lateranense, in quo hæretici dicunt, confessionem fuisse institutam, longè præcedentibus. Itaque in primis hæc facit textus jam sæpe citatus *Joan. 20. v. 23.* *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis: & quorum retinueritis retenta sunt:* itemque similis *Matth. 18. v. 18.* item illud *Act. 19. v. 18.* *Multique credentium veniebant, confitentes, & annunciantes actus suos:* leu, ut habet versio Syriaca: *Plurimique ex iis, qui crediderant, veniebant, & renuntiabant offensas suas, confitebanturque, quod fecerant.* Rursus S. Paulus *2. Corinth. 5. v. 18.* scribit: *Dedit nobis ministerium reconciliationis . . . & posuit in nobis verbum reconciliationis:* quæ verba ipse Calvinus l. 4. *instit. c. 1. §. 22.* faterur, ad potestatem clavium spectare: non autem ait Apostolus: *Dedit tantum executionem:* sed ministerium, ad quòd rectè explendum utique requiritur cognitio causæ.

571. Jam Concilium Laodicense, celebratum ante annos plusquam mille ducentos, editione *secunda, canon. 2.* ait: *His, qui diversorum peccatorum lapsus incurrunt, & instant orationi, confessioni, ac penitentia, malorum suorum perfectam conversionem demonstrantes, pro qualitate*

peccati tempus penitentia attribuendum est. Ex hoc Concilio apud Græcos habito, & ex Patribus Græcis paulò post adductis, collige, mendum irrepsisse in Gratiani Decretum C. *Quidam. 90. de penit. dist. 1.* ibi enim dicitur: *Quidam DEO solummodo confiteri debere peccata dicunt, ut Græci;* nam hi ipsi Græci, ut ex dictis patet, confessionem sacerdotibus faciendam adstruunt. Adde, quòd *eodem loco Juris canonici* notetur, ea verba *ut Græci,* sicut & aliqua alia, non haberi in Capitulari, neque in Concilio. Sed neque in Florentino fuit cum Græcis ulla controversia de confessione, qualis tamen certò fuisset, si Græci confessionem distinctam peccatorum sacerdoti faciendam non admisissent.

572. Concilium Carthaginense III. ante annos mille trecentos habitum *can. 31.* ait: *Ut penitentibus secundam peccatorum differentiam Episcopi arbitrio penitentia tempora decernantur:* quæ eadem verba repetuntur in Concilio Africano *canone 10.* Cabilonense I. ante mille centum, & amplius annos *can. 8.* ait: *Ut penitentibus à sacerdotibus facta confessione indicatur penitentia, universitas sacerdotum noscitur consentire:* & Cabilonense II. ante nongentos, & amplius annos *can. 32.* *Sed & hoc emendatione indigere perspeximus, quòd quidam, dum confitentur peccata sua sacerdotibus, non plene id faciunt . . . solerti indagazione debent inquiri ipsa peccata, ut ex utrisque plena sit confessio, scilicet. ut & ea confiteantur, qua per corpus gesta sunt, & ea, quibus in sola cogitatione delinquitur.*

Turonicum III. circa idem tempus sic habet *can. 22.* *Episcopis, & presbyteris diligenti cautela pertractandum est, qualiter hominibus, sua sibi delicta confitentibus, tempus abstinenti adscribant.* Wormaticense anno Christi 808. *ait c. 26.* *Penitentibus secundum differentiam peccatorum, sacerdotis arbitrio, penitentia decernatur; debet itaque sacerdos in penitentia danda singularum causas singulam considerare, originem quoque, modumque culpæ, & affectus, gemitusque delinquentium, diligenter examinare.* Nota autem, hæc omnia Concilia saltem plus, quam triginta annis antiquiora esse Concilio Lateranensi IV. celebrato sub Innocentio III. *an. 1215.* aliqua etiam pluribus sæculis.

573. Testimonia SS. Patrum etiam plura sunt, & antiquissima. S. Irenæus, qui vixit sæculo I. de fœminis quibusdam, à Marco hæretico deceptis, scripsit l. 1. *adversus hæreses c. 9.* *He sapissime conversa ad Ecclesiam Dei, confesse sunt:* & infra de alia: *Omne tempus in exomologesi consummarvit.* item l. 3. c. 4. de Cerdone ait: *Sæpe in Ecclesiam veniens, & exomologesi faciens sic consummarvit, modo quidem laenter docens, modo verò exomologesi faciens.* Quòd autem exomologesi significet confessionem, probat Bellarminus *tom. 3.*

contro. 4. l. 3. c. 6. & Baronius *an. Chr.* 56. n. 16. & 17.

Tertullianus (qui etiam vixit sub finem Sæculi I. Severo imperante) *lib. de pœnit. c. 9.* ait : *Exomologesis est, quæ delictum Domino nostrum confitemur.* At per Dominum intelligit sacerdotem vicarium Dei, qui, cum ad summum silentium adstrictus sit, idem est, ipsi, ac soli Deo confiteri; unde paulò post ait, ad exomologesin spectare *presbyteris aduocet*: additque, quosdam pudoris magis memores, quam salutis, publicationem sui suffugere. & c. 10. per ironiam ait: *Videlicet, si quid humana notitia subtraxerimus, proinde & Deum celabimus? Adeone existimatio hominum, & Dei conscientia comparantur? An melius est, damnatum latere, quam palam absolvi?* Cùm autem Tertullianus hinc agat de pudore, deterrente à confessione, utique loquitur de confessione peccatorum occultorum, de quibus non exigebatur publica confessio, sed tantùm debebat fieri sacerdoti secreta.

574. Origenes, qui vixit ad initium Sæculi II. *homil. 3. in Levit. circa medium in illud: Si peccaverit unum ex istis, pronuntiet peccatum &c.* sic scribit: *Etenim omni genere pronuntianda sunt, & in publicum proferenda cuncta, quæ egerimus: siquid in occulto gerimus, siquid in sermone solo, vel etiam intra cogitationum secreta commisimus, cuncta necesse est publicari, cuncta proferri: proferri autem ab illo, qui & accusator peccati est, & inceptor; ipse enim nunc nos, ut peccemus, instigat: ipse etiam, cum peccaverimus, accusat. Si ergo in vita præveniamus eum, & ipsi nostri accusatores sumus, nequitiam diaboli, inimici nostri, & accusatoris, effugimus; sic enim & alibi propheta dicit: Dic tu, inquit, iniquitates tuas prior, ut justificeris.* En Origenes vult, nostra peccata etiam occultissima, quæ in die iudicii publicabuntur, in confessione esse exponenda, ut ab iis purgemur.

Idem auctor *homil. 2. in psal. 37. post medium* ait: *Vide, quid edocet nos Scriptura Divina; quia oportet peccatum non celare intrinsicus... hi, qui peccaverunt, siquidem occultant, & retinent intra se peccatum, intrinsicus urgetur, & prope modum suffocantur à phlegmate, vel humore peccati. Si autem ipse sui accusator fiat, dum accusat semetipsum, & confitetur: simul evomit & delictum, atque omnem morbi digerit causam. Tantummodo circumspice diligentius, cui debeas confiteri peccatum tuum: proba prius medicum... si intellexerit, & præviderit, talem esse languorem tuum, qui in conventu totius Ecclesia exponi debeat, & curari, ex quo fortassis & ceteri adificari poterunt, & tu ipse facile sanari. Multa hoc deliberatione, & satis perito medici illius consilio procurandum est.* Ecce Origenes adtruit confessionem peccatorum occultorum, & quidem secretam, ex qua dein prudens con-

fessarius iudicet, an non aliquorum peccatorum facienda sit confessio publica.

575. S. Cyprianus eodem ferme tempore vivens *serm. 5. de lapsis* scribit: *Quoniam tamen de hoc (scilicet peccato, vel lapsu) vel cogitaverunt, hoc ipsum apud sacerdotes DEI, dolenter, & simpliciter confitentur, exomologesin conscientia faciunt, animi sui pondus exponunt, salutarem medelam parvis licet, & modicis vulneribus exquirunt.* Nec dicas, hæc illos quidem fecisse, sed non ex præcepto; nam statim addit S. Doctor: *scientes, scriptum esse: DEUS non deridetur: & infra, de aliquo sola cogitatione lapsu loquendo, ait: Facilius potest ad veniam criminis pervenire: non est tamen innumis à crimine: nec cesset in agenda pœnitentia... confiteantur singuli, quæso vos fratres dilectissimi, delictum suum, dum adhuc, qui deliquit, in saculo est, dum admitti confessio ejus potest, dum satisfactio, & remissio facta per sacerdotes, apud Dominum grata est.* Lactantius (qui fuit instructor Crispi, filii Constantini Magni, adeoque vixit ad initium Sæculi III.) l. 4. *Divinar. institution. c. 17.* ait: *Ut si cor nudaverimus, id est, si peccata confessi satis DEO fecerimus, veniam consequamur: quæ contumaciis, & admissa sua celantibus, denegatur ab eo, qui non faciem, sicut homo, sed intima, & arcana peccatoris intructur*

576. S. Athanasius *serm. in illa verba: Profecti in pagum, qui ex adverso est, invenietis pullum alligatum: sub finem* ait: *Quod si nondum soluta sint vincula, tradas te ipsum discipulis Jesu; adsunt enim, qui te solvant pro potestate ea, quam à Salvatore accepit. Quæcumque enim ligaveritis &c.* S. Hilarius *can. 18. in Matth. Quos solverint Apostoli, confessione videlicet venia receperint, in salutem, hi Apostolica conditione sententiæ, in calis quoque aut soluti sunt, aut ligati.* S. Basilus in *regulis brevioribus, regul. 288.* *Necessario iis peccata aperiri debent, quibus creditur est dispensatio mysteriorum DEI.* S. Ambrosius l. 2. *de pœnit. c. 6.* *Si vis justificari, fatere delictum tuum; solvit enim criminum nexum verecunda confessio peccatorum.* Insuper S. Paulinus in *vita S. Ambrosii, hujus Sancti Patris operibus præfixa, longè post medium de ipso* scribit sic: *Quotiescumque illi aliquis, ob percipiendam pœnitentiam, lapsus suos confessus esset, ita flebat, ut & illum flere compelleret. Videbatur etiam sibi, cum jacentie jacere: causas autem criminum, quas illi confitebatur, nulli, nisi Domino soli, apud quem intercedebat, loquebatur: adeoque hæc confessio fuit secreta.*

577. S. Gregorius Nyssenus *oratione ad eos, qui durius, & acerbius alios judicant, vel in mulierem peccatricem, sub finem* ait: *Audacter ostende illi sacerdoti, quæ sunt recondita: animi arcana, tanquam occulta vulnera, medico reterege: ipse & honoris, & valetudinis tue, ratio-*

nem habebit. S. Pacianus in *paranesi ad penitent. ante medium.* *Vos ergo primum appello fratres, qui criminibus admisis pœnitentiam recusatis: vos, inquam, post impudentiam timidus, post peccata verendos: qui peccare non erubescitis, & erubescitis confiteri.* & circa medium ait: *Rogo ergo vos fratres, etiam pro periculo meo, per illum Dominum, quem occulta non fallunt: desinite vulneratam tegere conscientiam: prudentes agri medicos non verentur.* S. Chrylostomus *hom. 33. in Joan. post medium.* *In peccatis, quæ commisimus, confitendis, neminem vereamur.* Quòd autem hic S. Doctor non loquatur de confessione facienda soli Deo, exclusio sacerdote, colligitur 1. ex hoc ipso vocabulo *neminem*, quo utique non intelligitur solus DEUS, sed vel maximè homines 2. *ex l. 2. de sacerdotio c. 3.* ubi sic ait: *Quantobrem multa quidem arte opus est, ut, qui laborant Christiani, ultra sibi persuadeant, sacerdotum curationibus se submittere oportere.*

578. S. Hieronymus in *Ecclesiasticis 10. v. 11.* *Si momorderit serpens in silentio &c.* ait: *Si tacuerit, qui percussus est à serpente infernali, & non egerit pœnitentiam, nec vulnus suum fratri, & magistro, voluerit confiteri, magister, qui linguam habet ad curandum, facile ei prodesse non poterit.* item in *Matth. 16. v. 19.* *Et tibi dabo claves: ait: Episcopus, & presbyter... pro officio suo, cum peccatorum audierit varietates, scit, qui ligandus sit, quive solvendus.* S. Innocentius I. *ep. 1. ad Decentium cap. seu n. 7.* *Ceterum de pondere estimando delictorum, sacerdotis est judicare, ut attendat ad confessionem penitentis.*

S. Augustinus *homil. 12. ex 50. sub initium* scribit: *DEUS noster, quia pius est, & misericors, vult, ut ea confitemur in hoc saculo, ne pro illis confundamur postmodum in futuro.* item *homil. 41. ex 50.* *Si ad ultimum vite steterit, nescit, si ipsam pœnitentiam accipere, ac DEO, & sacerdoti, peccata sua confiteri poterit.* Idem *homil. 49. ex 50.* *Agite pœnitentiam, qualis agitur in Ecclesia, ut oret pro vobis Ecclesia.* *Nemo sibi dicat: occulte ago: apud DEUM ago; novit DEUS, qui mihi ignoscit, quia in corde ago.* Ergo sine causa dictum est: *Quæ solveritis in terra, erunt soluta & in celo?* Ergo sine causa sunt claves data Ecclesia? *Frustramus Evangelium DEI: frustramus verba Christi.* Idem enarrat, in *psal. 66. post medium.* *Non confitentis conscientia saniem collegerat, apostema tumuerat, cruciabat, requiescere non sinebat.* *Adhibet medicus fomenta verborum, & aliquando secat: adhibet medicinale ferrum in correptione tribulationis.* *Tu agnosce medicum: confitere: exeat in confessione, & desluat omnis sanies.*

579. S. Leo (qui vixit circa annum 440.) sic scribit *ep. 80. c. 2. ad Episcopos*

Campania (de qua vide Baronius *an. Chr.* 56. n. 33. *Cum reatus conscientiarum sufficiat solis sacerdotibus indicari, confessione secreta.* & post pauca: *Sufficit enim illa confessio, quæ primum DEO offertur, tunc etiam sacerdoti.* Reliqua SS. Patrum consequentium testimonia vide apud Bellarminum loco citato n. 569. aliorum autem plurium dicta, vel exempla, vide apud Baronium ad *ann. Christi 56. n. 16.* Aliam adhuc rationem, pro institutione, & necessitate confessionis, afferemus n. 584. ubi probabimus, necessitatem confessionis ex potestate clavium: quæ conclusio, quia præscripta est in Elencho, vila est peculiari articulo pertractanda.

580. Dico 2. Confessio fidelibus graviter lapsis est necessaria necessitate mediæ ita omnes Catholici. Prob. Tridentinum *sess. 14. c. 4.* sic dicit: *Esti contritionem hanc aliquandò charitate perfectam esse contingat, hominèque DEO reconciliare, priusquam hoc sacramentum actu suscipiatur, ipsam nihilominus reconciliationem ipsi contritioni, sine sacramenti voto, quod in illa includitur, non esse adscribendam: ergo hoc sacramentum est necessarium, vel in re, vel saltem in voto: sed insuper est medium ad delenda peccata institutum, & medium per se causans primam gratiam, ut patet ex dictis de institutione hujus sacramenti, & omnibus Conciliis, ac Patribus, ubique clamantibus, sacramentum pœnitentiæ esse medium delendi peccata, & restituendi hominem in statum gratiæ, seu reconciliationis cum DEO: ergo est necessarium necessitate mediæ, ex dictis n. 385. Jam verò confessio est pars essentialis hujus sacramenti: ergo & ipsa est similiter necessaria.*

581. Ob. 1. Tridentinum *sess. 14. can. 8. de pœnit.* definit, ad confessionem *temeri omnes, & singulos utriusque sexus Christi fideles juxta Magni Concilii Lateranensis Constitutionem semel in anno:* ergo non tenentur jure Divino, sed tantùm Ecclesiastico. Confir. ex Calvino. Licet ante Concilium Lateranense confessio sua, vel etiam adhibita fuerit, tamen non fuit præcepta: ergo. Resp. neg. conf. Tridentinum citatum n. 568. expressè docet, à Lateranensi non fuisse institutum confessionem, sed tantùm tempus determinatum, sive, ut confessio non differretur ultra annum: sic etiam, quando Cabilonense II. *can. 33.* dicit: *Secundum institutionem Apostoli confiteamur alterutrum peccata nostra: non vult dicere, Apostolum instituisse confessionem, sed à Christo institutam suâ epistola promulgasse.* Ad confir. neg. ant. cujus falsitas patet ex plurimis antiquissimis Conciliis, & Patribus, citatis à n. 576. & seq. & plures adhuc videre poteris apud Bellarminum, & Baronium locis citatis n. 569.

582. Ob. 2. Confessio publica abrogata fuit, & mutata in privatam, tempore Decii imperatoris: confessio autem privata abrogata fuit, tempore Theodosii imperatoris

ris, à Nectario Episcopo Constantinopolitano: ergo nullum amplius est ejus præceptum. Resp. neg. ant. quoad utramque partem; nam, ut Bellarminus tom. 3. controu. 4. de panit. l. 3. c. 14. & 19. ostendit, presbyter ille, publicæ poenitentiae præfectus, primò institutus est tempore Decii ob Novatianos, qui circa ea tempora orti sunt. Scilicet, ne illi hæretici possent Ecclesiam calumniari, quòd nimia facilitate reciperet lapsos, petita est à lapsis poenitentia publica, quam debèbat imponere, & determinare presbyter poenitentiarius.

Hæc autem poenitentia publica longè post, scilicet primam tempore Theodotii sublata est à Nectario; eoquòd scandalum grave tunc esset exortum, ex ea occasione, quòd fœmina in publica confessione (quamvis nullo modo imperante presbytero) nimio fervore longius progressa, vulgaverit suum sacrilegium, cum diacono commissum: secreta autem confessio nullo modo abrogata fuit, ut multis probat *ibidem* Bellarminus, & vel ex eo patet, quòd successores Nectarii S. Chryostomus, quamvis poenitentiam publicam sæpe dicat non esse necessariam, tamen secretam probet, & usurpari vellet.

583. Dices. Potius S. Chryostomus pluribus locis dicit, tantum DEO faciendam esse confessionem: non verò confervo, qui exprobat: non in theatrum adducenda peccata. sic *homil. 5. de incomprehensibili DEI natura, quæ aliàs est 30. propius finem* ait: *Crebrius DEO immortalis confiteamini, & evaneratis vestris delictis veniam petitis, & numen propitium. Non te in theatrum convivorum tuorum ducio: non hominibus peccata tua detegere cogo: repete coram DEO conscientiam tuam &c.* Resp. ex his ipsis verbis habetur, eum tantum publicam in teatro, & ad exprobrationem criminis adhibitam, poenitentiam necessariam negare. Cæterum confessionem secretam ipse adstruit, ut patet ex textibus n. 577. citatis. Accedit, quòd Baronius *an. Chr. 56. n. 31.* referat ex Metaphraste, S. Chryostomum solitum dicere: *Si quando contigerit, ex vobis peccare aliquem, accedite ad me dormientem &c.* ut scilicet à peccatis facta confessione solverentur.

An autem per confessionem soli DEO factam, intelligat etiam eam, quæ fit soli sacerdoti, ad archetissimum silentium obligato, & DEI vices tenenti, ut videtur vellet Baronius: an verò confessionem soli DEO, strictè loquendo, factam, sed non sacramentalem, quam scilicet subrogari voluit publicæ, quæ publica & ipsa, sæpe saltem, non erat sacramentalis, sed tantum imposita in partem satisfactionis (ad quam etiam conferebat multum repetita contritio in animo eorum solo DEO elicita) ut videtur vellet Bellarminus tom. 3. controu. 4. de panit. l. 3. c. 15. parum, aut nihil refert.

ARTICULUS II.

An Necessitas Confessionis rectè colligatur ex Potestate Clavium.

584. Dico. Necessitas confessionis, seu poenitentiae sacramentalis, rectè colligitur ex potestate clavium, ità communissimè Theologi Catholici. Prob. conclusio. Christus dedit sacerdotibus potestatem clavium, per quam eos constituit iudices super terram, ità, ut nullus, post baptismum lapsus, possit Deo reconciliari sine judiciali sententia sacerdotum: ergo debent fideles peccata sacerdotibus confiteri: adeoque ex potestate clavium, infertur necessitas confessionis sacerdotibus faciendæ.

Prob. conf. Sacerdotes non possunt esse iudices, nec ferre sententiam causâ non cognitâ: atqui causâ, de qua præcipue debent ferre sententiam, sunt peccata: ergo non possunt ferre sententiam, non cognitis peccatis: ergo, ut sacerdotes possint exercere potestatem clavium, & rite sententiam ferre, debent peccata cognoscere: ergo debent ea fideles ipsis confiteri. prob. ultima conf. peccata ut plurimum sunt occulta, plurima tantum intus in corde parata, & præsertim formalis eorum malitia abscondita est, ratione intentionis, vel deliberationis internæ, in qua fundatur ea malitia: ergo peccata non possunt à sacerdotibus reiciri, nisi ex sincera confessione poenitentium, adeoque ista est necessaria.

585. Omnes istæ consequentia tam liquida, & clara sunt, ut vel ipsi adversarii eas facile concedant. Negant autem antecedens: non tamen quoad primam partem, quæ dicit, claves esse sacerdotibus concessas; nam hoc habetur aperte expressum in Evangelio pluribus locis: sic *Matth. 16. v. 19.* Christus Dominus promittit Petro (& quia Petrus non erat tamen victurus, quamdiu duratura erat Ecclesia militans, promittit in ipso successoribus ejus) claves regni caelorum: dicens: *Tibi dabo claves, regni caelorum: & quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum & in caelis: & quodcumque solveris super terram, erit solutum & in caelis:* per quæ posteriora verba aperte significatur, per claves intelligi potestatem solvendi, & ligandi; unde, quando Christus postea Apostolis omnibus dedit potestatem ligandi, & solvendi, etiam ipsis tradidisse claves censendus est, quamvis non cum omni illa præminencia, qua eas tradidit Petro.

586. Petro enim claves tradidit, & quidem cum præminencia super cæteros Apostolos, quando scilicet promissum suum implevit, & omnes oves pascendas ipsi commisit *Joan. 21. v. 16. & 17.* Potestatem autem ligandi, & solvendi, seu dictas claves, Apostolis, & in his etiam eorum successoribus Episcopis, atque sacerdotibus, inprimis Christus promittit *Matth. 18. v.*

18. dum dixit: *Quaecumque alligaveritis super terram, erunt ligata & in caelo: & quaecumque solveritis super terram, erunt soluta & in caelo.* Dico promittit; quia, cum tunc Apostoli nondum essent ordinati sacerdotes, necdum ipsis potestas illa actu tradita est; at verò postea actu data est *Joan. 20. v. 22.* quando Christus *insufflavit, & dixit eis: Accipite Spiritum Sanctum: quorum remiseritis peccata remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt.*

Sed, ut jam dixi, non negant adversarii, Apostolis concessas esse claves: seu non negant primam partem antecedentis, supra n. 584. positi: sed negant partem secundam, qua dicitur, Apostolos, & in his eorum successores, Episcopos, ac sacerdotes, constitutos esse iudices in Ecclesia; volunt enim heterodoxi, sacerdotes per traditionem clavium tantum accepisse potestatem declarandi, quòd peccata poenitentibus remissa sint: vel potestatem annunciandi ipsis remissionem à DEO factam. Quare restat probanda hæc secunda pars antecedentis, seu, quòd sacerdotes verè constituti sint iudices.

587. Probatur autem 1. Tridentinum *sess. 14. c. 5.* sic definit: *Dominus noster Jesus Christus, in terris ascensus ad caelos, sacerdotes sui ipsius vicarios reliquit, tanquam præfides, & iudices, ad quos omnia mortalia crimina deferantur, in qua Christi fideles ceciderint, quo pro potestate clavium, remissionis, aut retentionis peccatorum sententiam pronunciant:* ergo sacerdotes sunt constituti iudices. Quia autem heterodoxi, quibuscum hinc maxime certamus, hoc Concilium rejiciunt; hinc probidem ant. 2. Claves istæ non sunt physicae, aut materiales, (neque enim Apostoli sunt constituti tantum ædificati, vel ostiarii templorum, aut præfecti vinctorum, ut est per se clarum) sed sunt morales, & spirituales: igitur sunt aliqua potestas moralis ligandi, & solvendi, vel aperiendi, & claudendi, scilicet ligandi, & solvendi in foro caelesti, vel aperiendi, aut claudendi caelum: sicut nempe, cui traduntur claves ad domum, vel civitatem, ei datur potestas aperiendi, & alios in eam intromittendi, vel claudendi, & alios ab ea excludendi.

Jam verò, sicut tradere alicui claves materiales domus, non est, eum constituere ad hoc, ut annunciet, januam esse apertam, vel clausam: sed est, eum constituere, ut revera eam aperiat, vel claudat: & sicut aperire, vel claudere, etiam non est annunciare, vel declarare, ostium esse apertum, vel clausum: sed est exercere potestatem per claves sibi traditam, & reipâ aperire &c. ità etiam tradere claves morales, & spirituales Apostolis, non est tantum, tradere eis potestatem annunciandi, ligationem, aut solutionem esse factam, caelum esse apertum, vel clausum: sed est, tradere potestatem, verè moraliter ligandi, & solvendi, & verè aperiendi, & claudendi: & Apostolos exercere potestatem clavium, non est tantum,

declarare, vel annunciare ligationem, aut solutionem &c.: sed est reipâ ligare, vel solvere, aperire, vel claudere: adeoque, dum Christus Dominus Apostolis, & eorum successoribus, ac sacerdotibus, tradidit claves, verè tradidit ipsis potestatem judicariam, quam exercerent pronuncians do verè sententiam judicalem, vi cuius poenitens ligetur, vel solvatur, & caelum ei aperiatur, vel claudatur: id quod etiam ex ipsis verbis, quibus Christus est usus, aperte desumitur, ut mox ostendemus.

588. Confirm. 1. Claves traditæ, in sensu morali, ex usu communissimo loquendi, significant aliquam jurisdictionem, vel potestatem aperiendi, & claudendi: & quidem in nostro casu significant potestatem aperiendi, & claudendi, non physicè, sed moraliter, seu per sententiam judicalem, per quam iudex claudit, vel aperit carcerem, dat, vel admittit libertatem: certè, si magistratu cuidam traduntur claves, juxta omnes significatur, dari ei potestatem gubernandi, & judicandi: ergo.

Confirm. 2. Quando de Christo Domino dicitur *apocal. 3. v. 7.* *Qui habet clavem David:* statim additur: *Qui aperit, & nemo claudit: claudit, & nemo aperit:* quo modo loquendi ostenditur, claves traditas significare potestatem aperiendi, & claudendi, seu potestatem judicariam exercendi: non autem tantum potestatem denunciandi, vel declarandi, esse apertum, vel clausum. Cum ergo Christus suam hanc potestatem judicariam communicaverit Apostolis, ac sacerdotibus, ut ait S. Ambrosius *l. 1. de poenitentia. c. 7.* & S. Chryostomus, citandus inferius n. 597. etiam isti habent verè potestatem aperiendi, & claudendi, seu ligandi, & solvendi per suam sententiam, non autem tantum denunciandi ligatos, vel solutos &c.

589. Probatur hæc potestas judicaria 2. Christus *Joan. 20. v. 22. & 23.* his verbis ad Apostolos usus est: *Accipite Spiritum Sanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis: & quorum retinueritis, retenta sunt.* & *Matth. 18. v. 18.* *Amen dico vobis: quaecumque alligaveritis super terram, erunt ligata & in caelo: & quaecumque solveritis super terram, erunt soluta & in caelo:* atqui remittere, vel retinere, ligare, vel solvere, nisi omnem verborum significationem immutemus, non significat tantum, annunciare, vel declarare solutionem, aut remissionem &c. ergo, videtur per se clara, & ostenditur facile in exemplo. Sic utique aliud facit rex, qui verè remittit debitum, vel ab eo absolvit, quam præcisè faciat præco, aut nuncius, qui gratiam à rege factam tantum annunciat: nec ullus dicit, talem nuncium remississe debitum: adeoque nec Apostoli, vel sacerdotes, possent dici remittere debitum peccati, si tantum annunciarent, vel declararent, id esse remissum.

590. Confirm. 1. Si sacerdotes tantum habent potestatem annunciandi remissionem,

tionem peccatorum, tunc suam potestatem non possunt utiliter exercere erga surdos, vel moribundos, aut sensibus jam destitutos, erga quos tamen vel maxime necesse est, eam potestatem exercere: ergo. prob. ant. talibus, omni præsertim sensu destitutis, ad nihil prodesset annunciatio remissionis; quia eam non possunt percipere, adeoque nec solatium (alium enim fructum annunciatio illa non afferret) ex ea percipere: ergo.

Confirm. 2. Annunciare remissionem peccatorum possunt etiam laici: atqui laici non habent potestatem clavium: ergo ista potestas non est tantum potestas annunciandi remissionem &c. Negant quidem adversarii minorem: sed eam jam sufficienter probavimus in tract. de sacram. in genere à n. 194. ubi ostendimus, non omnes Christianos posse omnia sacramenta administrare: insuper eam minorem affirmant omnes Patres, & tota Catholica Ecclesia. Certè S. Chrysostomus l. 3. c. 5. de sacerdotio ait de sacerdotibus: *Iis datum est, ut potestatem habeant, quam Deus optimus neque Angelis, neque Archangelis, datam esse voluit; neque enim ad illos dictum est: Quacunque alligaveritis in terra &c.* S. Gregorius homil. 26. in Evangel. de solis sacerdotibus ait: *Principalemque superni iudicii sortiuntur, ut vice DEI quibusdam peccata retineant, quibusdam relaxent.* Sic loquuntur etiam alii Patres, nec laicis ullis hanc potestatem unquam concedunt.

591. Probatur eadem potestas iudicialia sacerdotum 3. ex SS. Patribus, qui eam uno ore, & unanimiter adtribuunt. Omnia eorum effata afferre nimis foret prolixum: aliqua affero. S. Chrysostomus l. 3. de sacerdotio, c. 5. ait: *Habent quidem & terrestres principes vinculi potestatem, verum corporum solum: id autem, quod dico sacerdotium vinculum, ipsam etiam animam contingit, atque ad calos usque pervadit, usque adeo, ut, quacunque inferne sacerdotes confecerint, illa eadem DEUS supernè rata habeat, ac servorum sententiam Dominus confirmet.* Etenim, quidnam hoc aliud esse dicas, nisi omnem rerum caelestium potestatem illis à DEO concessam? Quorumcumque enim, ait, peccata remisistis, remittuntur eis, & quorumcumque retinueritis, retenta sunt. *Quanam, obsecro, potestas hac una major esse queat? Pater omne iudicium filio dedit: ceterum video ipsum omne iudicium à DEO Filio illis traditum.* S. Hieronymus epist. ad Heliodor. c. 7. ait: *Abiit, ut de his quicquam sinistrum loquar, qui Apostolico gradus succedentes, Christi corpus sacro ore conficiunt, per quos & nos Christiani sumus, qui claves regni calorum habentes quodammodo ante iudicii diem iudicant.*

592. S. Augustinus l. 20. de civit. DEI, c. 9. in illud Apocal. 20. v. 4. *Et vidi sedes, & sederunt super eas, & iudicium datum*

est illis: ait: Non hoc putandum est de ultimò iudicio dici: sed sedes prapostorum, & ipsi prapostis intelligendi sunt, per quos Ecclesia nunc gubernatur. Iudicium autem datum nullum melius accipiendum videtur, quam id, quod dictum est: Quæ ligaveritis in terra, ligata erunt & in celo, & quæ solveritis in terra, soluta erunt & in celo. Unde Apostolus: Quid enim mihi est, inquit, de his, qui foris sunt, iudicare? nonne de his, qui intus sunt, vos iudicatis? huc spectat etiam textus S. Augustini ex homil. 49. inter 50. citatus n. 578. S. Innocentius I. in ep. 1. ad Decentianum cap. 7. n. 7. ait: De pondere estimando delictorum, sacerdotis est iudicare. Huc spectant etiam verba S. Gregorii n. 590. citata: item complures sententiæ Conciliorum, & Patrum n. 570. & sequent. Plura adhuc exhibet Bellarminus tom. 3. controu. 4. l. 3. c. 2.

593. Ob. 1. Etsi sacerdotes possint solvere, & ligare, non tamen necesse est, ad eorum tribunal venire: ergo ex potestate clavium non rectè inferitur necessitas confessionis. prob. ant. Quamvis iudices, à principe politico constituti, possint de omnibus causis iudicare, tamen non omnes subditi tenentur, ad eos omnes suas causas deferre, sed possunt ipsi inter se amice plures componere: ergo neque debent etiam omnes poenitentes accedere ad iudices à Christo constitutos. Confirm. Christus non dixit Matth. 18. *Quæ non solveritis, non erunt soluta:* ergo possunt peccata solvi sine sententia sacerdotum: adeoque non est omnino necesse, iis omnia confiteri.

Resp. neg. ant. ad prob. neg. conf. Privati subditi reipublicæ civilis possunt quidem inter se privatim componere lites, quas habent inter se: non autem possunt sine interventu iudicum componere lites, quas non habent inter se, sed quas habent cum ipso principe; ad has enim lites componendas, vel terminandas, debent accedere vicarium, quem princeps constituit: cum itaque causæ peccatorum sint causæ, seu quasi lites poenitentium cum DEO, debent isti ad impetrandam solutionem accedere vicarios DEI.

Ad confirm. dist. ant. Christus ea verba non dixit formaliter. conc. ant. non ea dixit æquivalenter. neg. ant. & conf. Sufficientissime enim intelliguntur ex eo, quod sacerdotes sint iudices peccatorum, & quidem in causa DEI, & quod possint ligare, vel retinere peccata: quod non significat tantum, novum vinculum adijcere, sed etiam antiquum non solvere. Et certè si peccata possent sine sacerdotum abolitione solvi, frustra data ipsis esset potestas retinendi. Et sic Gormaz de sacram. poenit. n. 41. ait, Ecclesiam, seu sacerdotes non habere potestatem retinendi peccata venialia.

594. Ob. 2. Potest quilibet per contritionem perfectam sibi solvere vincula peccatorum, & calum aperire: ergo non est

est necessaria confessio. Resp. neg. conf. Ex ipsa contritione inferitur necessitas confessionis, non minus, ac baptismi; nulla enim contritio potest esse perfecta, vel justificativa, quin involvat votum, seu voluntatem, peccata sua confitendi, ut docemus omnes Catholici cum Tridentino sess. 14. c. 4. adeoque confessio per se necessaria est, nec potest omitti, nisi per accidens, vel ratione impotentia, quando quis non habet occasionem, aut potentiam confitendi, vel ratione ignorantia, quando quis invincibiliter nescit, eam esse necessariam: sicut scilicet etiam per accidens potest quis salvari, sine baptismo fluminis re ipsa suscepto, quin inde sequatur, baptismum fluminis non esse necessarium.

ARTICULUS III.

An, & quomodo Confessio sit præcepta jure Ecclesiastico.

595. Dico 1. Confessio ex præcepto Ecclesiastico debet à fidelibus, si rei sunt peccati mortalis, institui saltem semel singulis annis. ita Concilium Lateranense IV. seu Magnum sub Innocentio III. c. 21. quod ita habet: *Omnis utriusque sexus fidelis, postquam ad annos discretionis pervenerit, omnia sua scelus peccata confiteatur fideliter, saltem semel in anno, proprio sacerdoti; & injunctam sibi poenitentiam studeat pro viribus adimplere, suscipiens reverenter ad minus in pascha Eucharistie sacramentum: nisi forte de consilio proprii sacerdotis ob aliquam rationabilem causam ad tempus ab ejus præceptione duxerit abstinendum; alioquin & vivens ab ingressu Ecclesie arceatur, & moriens Christianam careat sepulturam.* Ad hunc tamen canonem notat Tamburinus in methodo expeditæ communionis c. 4. ubi cum fusè per plures paragraphos examinat, notat, inquam §. 6. poenas has non esse late, sed ferendæ sententiæ.

596. Dixi in conclusione: *Si rei sunt gravis peccati;* nam, quamvis S. Bonaventura in 4. dist. 17. p. 2. a. 2. q. 1. ad 3. item Alensis, Richardus, & alii alii velint, teneri semel in anno ad confessionem etiam fideles, qui venialiter tantum peccarunt, tamen opposita est longè communior, ut videre est apud Eximium tom. 4. in 3. p. disp. 36. sec. 2. n. 7. Ratio etiam est. Ecclesia non præcipit ipsam confessionem, sed tantum determinat, eam, quam Christus præcepit, debere semel in anno fieri, ut habet Tridentinum sess. 14. c. 5. atqui Christus tantum præcepit confessionem mortali, ut iterum docet Tridentinum eod. cap. ergo.

Confir. Si Concilium Lateranense præcepisset confessionem venialium, præcepisset confessionem omnium; nam ex una parte gratis diceretur, Concilium tantum præcepisse confessionem aliquorum indeterminatè

sumptorum pro libitu poenitentis: ex altera verò parte non esset ratio, ex qua colligeretur, ista præcepta esse exponenda: sed confessio omnium venialium esset difficillima, imò juxta Suarezium omnino impossibilis: ergo non debet censeri esse præcepta, donec gravissimis rationibus probeatur. Quare, qui tantum haberet peccata venialia, vel etiam tantum mortalia, jam alias exposita, posset, si vellet, omnia confessione accedere parochum, & hoc ei significare, ac communionem paschalem petere: parochus autem teneretur ei credere, nisi evidenter constaret oppositum. At tamen, ut praxis ostendit, censetur longè facilius esse, confiteri aliquod peccatum veniale.

597. Dico 2. Si confessio intra tempus præscriptum non instituitur, debet statim postea institui. ita Theologi communimè. Prob. Ecclesia determinavit, non tempus, quo finito cessaret obligatio, sed, ultra quod non liceret confessionem differre: ergo obligatio semper manet, ac urget, donec confessio sit peracta: sicut, qui accipit mutuum eo onere, ut intra annum restituat, si hoc non fecerit, non propterea est liber obligatione solvendi. ant. prob. ipsa particula *saltem* adhibita à Concilio Lateranensi indicat, non esse confessionem ulterius differendam: dein ipsa praxis; quæ alicubi viget, excommunicandi eos, qui non sunt confessi, nec eos absolvendi ab hac censura, donec confiteantur, ostendit satis, præceptum non extingui, sed ejus transgressores tractari ut contumaces.

Hinc certè Suarez tom. 4. in 3. p. disp. 36. sec. 5. n. 2. cum communi, ut ait, infert, eum, qui prævidet, se non posse in fine termini præfixi confiteri, debere eundem terminum prævenire, & citius intra annum confiteri. Ratio est. Præceptum urget toto anno suo modo, sicut præceptum audiendi sacrum die festo: ergo, sicut, qui non habet occasionem audiendi sacrum horâ undecimâ, debet prævenire, & jam illud audire horâ octavâ, vel eâ, qua celebratur, ita etiam qui non potest confessionem peragere tempore posteriore, debet prævenire & confessionem prius peragere, idque etiam ratione præcepti Ecclesiastici.

At verò ratione præcepti Divini videtur, debere etiam prævenire aliquando ipsum annum, si toto sequenti anno confiteri non possit, de qua tamen re vide Dicastillo tr. 8. de poenitent. disp. 7. dub. 11. Par est ratio de communione paschali, quia, qui eam non potest peragere Dominicâ in Albis, debet prius id facere: & quidem, ut mihi verosimilius videtur, etiam ante tempus paschale; eum etiam Eucharistia: perceptio sit de jure Divino, & Ecclesia tantum tempus determinaverit. Addo ex occasione, hanc propositionem 14. ab Alexandro VII. esse damnatam: *Qui facit confessionem voluntariè nullam, satisfacit præcepto Ecclesiastico.*

598. Dico 3. Confessio non est præcepta

cepta pro determinata anni parte, sicut communio. ita Suarez tom. 4. in 3. p. disp. 36. sec. 3. n. 4. (ubi sententiam hanc certam existimat) & recentiores communiter, contra Petrum Soto, & alios paucos. Prob. C. Omnis utriusque sexus. cit. n. 595. dantur duo præcepta, communionis, & confessionis: illud determinatur ad tempus paschale: de hoc tantum dicitur *saltem semel in anno*: ergo hoc præceptum confessionis non est alligatum determinatæ parti anni: sicut etiam præceptum audiendi die festo sacrum non est alligatum certæ horæ, sed sufficit, quacunque hora audiatur sacrum: & sicut etiam, si alicui imponeretur, ut singulis hebdomadis communicaret, satisfaceret, quocunque die id faceret. Equidem Tridentinum sess. 14. c. 5. laudat morem confitendi in quadragesima, sed ad eum observandum nullo præcepto obligat; sic enim habet: *Unde jam in universa Ecclesia, cum ingenti animarum fidelium fructu, observatur mos ille salutaris, confitendi sacro illo, & maxime acceptabili tempore Quadragesimæ: quem morem hæc sancta Synodus maxime probat, & amplectitur, tanquam pium, & merito retinendum.*

Congruentiam aliquam differentię inter hæc duo præcepta assertit Suarez sec. modo cit. n. 3. ex eo, quod sacramentum Eucharistiæ per se, & ratione sui præcipitur, adeoque etiam rectè præcipitur pro determinato tempore, quamvis aliquis jam alio tempore sponte communicaverit, ut tota Ecclesia simul ad illud accedat, possitque facilius constare de adimplerone præcepti: cum econtra sacramentum poenitentię non præcipitur, nisi ex suppositione culpæ, adeoque non videatur certo tempori alligandus ejus usus; quia fors alicui ansam arriperent, confessionem differendi, usque ad illud tempus: non autem esset consultum, tamdiu eam differre.

599. Quæres, unde debeat sumi initium computandi annum Ecclesiasticum quoad præceptum confessionis. Resp. duas sententias esse valde probabiles. Prima est, quam tenent Vasquez, Nunnus, Sylvius, Diana, Lugo, Arriaga, Dicastillo tr. 8. de poenitent. disp. 7. n. 129. Gormaz de Sacram. poenit. n. 33. & alii, qui volunt annum computari à Januario ad Decembrem; nam communissimè annus ita accipitur, quando sine addito limitante accipitur. Altera sententia est, quam tenent Suarez tom. 4. in 3. p. disp. 36. sec. 3. n. 8. Layman l. 5. tr. 6. c. 5. n. 8. Coninck tom. 2. de Sacram. disp. 5. dub. 6. n. 56. Tannerus tom. 4. disp. 6. q. 7. n. 146. Henriquez, Victoria, Reginaldus, Ledesma, Fillicius, Azor, & alii multi, quos citat Dicastillo cit. disp. n. 126. qui volunt, tempus hoc computandum esse ab uno paschate in aliud: & quamvis ob mobilitatem hujus festi aliquando impletio præcepti possit differri per tredecim menses, hoc non videtur esse absurdum; nam eadem difficultas est in præcepto communionis.

Huic sententiæ videtur favere communis consuetudo, & fidelium persuasio, qui putant, se posse absque peccato, differre confessionem ab uno paschate in aliud; cum tamen in sententia priori, si quis usque ad pascha non commisisset peccatum mortale, & sic in paschate confessus tantum fuisset venialia, postea autem adhuc eo anno peccatum mortale committeret, teneretur sub gravi, saltem usque ad finem Decembris aliquando iterum confiteri; nam per confessionem tantum venialium, non satisfacit huic præcepto, si adhuc mortale committatur intra annum, confessioni peragendæ præsinitum, ut fatentur communissimè omnes; eoquod non fiat confessio de materia necessaria, seu peccato gravi, cujus tamen confessio maxime est præcepta jure Divino, & cui obligationi Ecclesia tantum tempus determinavit. Est autem contra communem persuasionem fidelium, talemjam in paschate confessum, debere denuo confiteri: certè de hac obligatione fideles non videntur aliquid scire, nec etiam de omnia tali confessione sibi scrupulum facere.

600. At verò, quod debeant fideles confiteri, si habeant mortale, in paschate, etsi alius fuisset confessi, facile omnes, sibi persuadent; cum sciant, se debere confiteri ratione communionis: quidquid sit, an discernant, quo titulo id facere debeant, an per se, an per accidens; unde saltem praxi communi videtur hæc opinio esse accommodatior, & hinc videtur etiam menti Ecclesiæ conformior: quare hæc sententia ad minimum est æquè probabilis, ac prior. Aliæ autem sententiæ, juxta quas inchoatur annus, vel ab ultimo peccato mortali commisso, vel ab ultima confessione peracta, non habent sufficientem auctoritatem, aut rationem: & vel ex hoc non videntur admittendæ, quod annus non eodem modo respectu omnium computandus esset; cum tamen id Ecclesia videatur intendere, ut de adimplerone præcepti possit ordinatè constare.

ARTICULUS IV.

Solvuntur Objectiones.

601. **O**B. I. Confessio est carnificina conscientię, quam multi ferè ut mortem horrent: ergo non potest esse præcepta ab Ecclesia. Confir. Ecclesia non judicat de internis: ergo non præcipit confessionem, maxime peccatorum interiorum. Resp. neg. ant. quod asserere merito Tridentinum sess. 14. c. 5. ait, esse impium: quid enim tam enormiter difficile appareat, in enarratione dolorosa peccatorum, quorum quis conscientiam habet, post diligens examen, dum alia peccata, ex inculpabili oblivione omittit, simul remittuntur? Accedit, confessarium obstructum esse sigillo secreti arctissimi, de quo inferius. Quamvis autem difficultas aliqua sit, merito hæc poena infligitur peccantibus.

Sed

Sed & suppositum consequentiæ est falsum; non enim Ecclesia, sed Christus confessioem præcepit: & illa tantum tempus determinavit: ad quam determinationem faciendam à DEO potestatem accepit. Nec est nova difficultas, nimis magna, ut homines, jam præcepto Divino obligati ad confessionem, eam potius intra tale, quam aliud tempus peragant: imò probabiliter etiam de jure Divino confessionem diutius differre non licet: certè ad contritionem videtur intra annum obligari peccator, ut dictum n. 418. Quidquid autem de hoc sit, & licet etiam omitatur, quod Ecclesia non potuerit præcipere confessionem quoad substantiam, (quod tamen negat Suarez tom. 4. in 3. p. disp. 35. sec. 1. n. 18.) potuit saltem Ecclesia ejus suppositum, quod Ecclesia præcipiat confessionem quoad substantiam, quod jam supra fuit negatum.

602. **O**B. 2. Ecclesia non potest præcipere actus internos: sed juxta nos præciperet dolorem internum, dum præcipit confessionem: ergo. Resp. 1. neg. min. vel ejus suppositum. Ecclesia non præcipit confessionem, sed tantum determinat ejus tempus: & hæc responsio omnino sufficit ad solvendam hanc objectionem: quia tamen operæ pretium videtur, etiam aliquid dicere de potestate Ecclesiæ, in ordine ad præcipiendos actus internos. Resp. 2. dist. ma. Ecclesia non potest præcipere actus internos, se solis sumptos. om. actus mixtos ex externis, & internis. neg. ma. & dist. min. Ecclesia præciperet dolorem se solo sumptum. neg. min. dolorem internum cum confessione externa, seu confessionem externam dolorosam. conc. min. & neg. conf. Si opus externum fieri non potest rite, seu dignè, prout moraliter debet fieri, sine actibus internis, potest utique Ecclesia actus internos, ad dignè ponendum opus externum necessarios, præcipere.

Hoc sanè est innegabile, præsertim post aliquas propositiones, à Pontificibus prohibitas, ut, quod per confessionem voluntariè nullam (qualis esset voluntariè non dolorosa) satisfiat præcepto Ecclesiæ de annua confessione, quam ratam damnavit Alexander VII. item, quod simili præcepto annuæ communionis satisfiat per communionem sacrilegam, quam systema damnavit Innocentius XI. ubi certè est sermo de præcepto Ecclesiastico. Rursus, quando Ecclesia obligat ad juramentum præstandum, (ad quod sæpius obligat) obligat ad habendum animum jurandi; nam est damnata propositio ab Innocentio XI. hæc 25ta. *Cum causa licitum est, jurare sine animo jurandi, sive res sit levis, sive gravis.*

603. Ulterius, quando Ecclesia obligat ad preces perfolvendæ, e.g. Horas Canonicas, utique obligat etiam ad internam aliquam intentionem, & attentionem. Et

quando obligat ad sacramentorum administrationem, etiam obligat ad habendam debitam intentionem. Quin in his casibus confessionis, recitationis Horarum Canonicarum, vel similibus aliis, Gormaz de Sacram. poenit. n. 67. ait, *incongruenter loqui eos, qui dicunt, Ecclesiam tantum indirectè præcipere actus internos; nam, ut ait hic auctor, cum, Ecclesia directè præcipiat totum opus, debito modo faciendum, seu confessionem dolorosam, etiam directè præcipit partem, seu actum internum.*

Tunc autem (ut idem Gormaz vult) tantum indirectè præciperet actum internum, quando actus internus non esset pars totius objecti præcepti, ita tamen se haberet, ut sine ipso poni non posset opus præceptum: e.g. præcipitur alicui, ut reddat furto ablatum, vel emptione irrita comparatum, si hic eam rem jam alteri vendidit; præcipitur indirectè rescisso ultimi hujus contractus. At non ita se habet internus dolor respectu confessionis præceptæ; hic enim est pars confessionis præceptæ; quia præcepta est confessio legitime facta, & valida, ut constat ex propositione 14. ab Alexandro VII. damnata. Et, si ad verlarium vellet dicere, quod dolor non sit pars confessionis præceptæ, tunc neque esset aliquid ita requiritum, ut sine eo non posset poni opus præceptum; nam si opus præceptum esset tantum confessio externa, sanè hæc absque omni dolore poni posset, adeoque dolor nec indirectè præciperetur.

604. An autem Ecclesia possit præcipere actus pure internos, se solis sumptos, alia questio est, in qua Cardenas in crisi. in propos. damnat. ab Innoc. XI. dissert. 34. c. 2. a. 2. & 3. ac sequent. item Gormaz. de Sacram. poenit. n. 67. asserunt, Ecclesiam id posse; si enim, ut ajunt, potest Ecclesia directè eos actus internos præcipere cum externis, poterit etiam eos præcipere solos; præsertim, cum etiam isti plurimum, imò principaliter conducant ad consecutionem vitæ æternæ, ad quam tendit gubernatio Ecclesiæ. Dein, si potest superior religiosus præscribere suis subditis, peragendam orationem mentalem, vel faciendum examen conscientię, quæ sunt actus interni (certè externos non requirunt) cur non possit Ecclesia idem, vel simile aliud quid fidelibus præcipere?

605. Rursus, quando Pontifices damnant quasdam propositiones, ut temerarias, scandalosas &c. certè obligant fideles, ut etiam interiorius tentiant, eas propositiones tales esse. Quin Innocentius X. in Bulla: *Cum occasione*, contra Jansenii propositiones edita, ait: *Mandamus igitur omnibus Christiani fidelibus, utriusque sexus, ne de dictis propositionibus sentire, docere, predicare aliter præsumant &c.* item Alexander VII. in sua Bulla: *Ad Sanctam Beati Petri Sedem*, ubi innovat Bullam Innocentii X. *Cum occasione*, sic ait: *Mandantes omnibus Christiani fidelibus, ne prædictam doctrinam teneant*: hoc est, interiorius ei assentiantur; nam

T 3

ex-

externam assertionem reprobatur *ibidem*, dum jubet, ne eam *predicent, doceant &c.*

Clarius adhuc ad rem hanc loquitur Clemens XI. in Bulla: *Vineam Domini Sabaoth*, ubi ait: *Omnes Catholica Ecclesia filii Ecclesiam ipsam audire, non tacendo solum (nam & impii in tenebris conticescunt) sed & interiori obsequendo, quae vera est orthodoxi hominis obedientia, condiscant. & paulò post ait, sentum Janfenianarum propositionum, ab omnibus Christi fidelibus ut haereticum, non ore solum, sed & corde, rejici, ac damnari debere... ita, ut, qui secus, aut contra, quoad haec omnia, & singula senserint, tenuerint, predicaverint, verbo, vel scripto, docuerint, aut asseruerint, tanquam praefatarum Apostolicarum Constitutionum transgressores omnibus, & singulis illarum censuris, & poenis, omnino subjaceant: ubi satis clarè præcipit (& quidem præcepto Ecclesiae, quam, ait, debere audiri) ut *interius*, seu per actum internum, etiam propositiones Janfenianæ censeantur haereticæ, ac asserit, aliter *interius* non posse fentiri sine transgressione Apostolicarum Constitutionum.*

606. Quamvis autem Ecclesia non habeat potestatem externam coactivam, ad actum internum, seu quamvis non habeat potestatem, ferendi sententiam publicam, contra transgressorem talis præcepti, tendentis ad actum purè internum; cum ad hoc requireretur notitia secretorum cordis, nihil obest; nam nec Religiosus superior eam potestatem habet: aut, si hic eam habet, etiam habebit Ecclesia. Interim sufficit, Ecclesiam habere potestatem directivam, obligantem in conscientia, & potestatem etiam aliquam coactivam, quatenus potest talem transgressorem obligare, ad poenam in conscientia subeundam, statim post actum internum peccaminosum.

Quando autem S. Thomas videtur, hanc potestatem, obligandi ad actus purè internos, negare Ecclesiae, ajunt Cardenas *differt. cit. n. 604.* & Gormaz *loco ibidem citato*. Angelicum tantum negare legem coactivam Ecclesiasticam circa actus internos, non autem negare legem tantum directivè obligantem: idque Cardenas non male probat variis textibus S. Thomæ, in quibus ad legem in ipsius sensu requiritur semper potestas coactiva. Videantur Gormaz, & Cardenas *locis citatis*.

607. Ob. 3. Non tenentur ad confessionem haereticæ, imò nec meretrices publicæ: ergo non omnes utriusque sexus fideles. Resp. neg. ant. nam & haereticæ, & meretrices, per se tenentur; quamvis enim haereticæ non sint fideles in sensu stricto, tamen sunt in sensu latiori, in quo à jure Canonico intelligi possunt omnes Christiani, seu baptizati: imò communiter intelligi videntur; neque enim intelliguntur, qui rectè credunt; alias catechumeni deberent etiam confiteri. Quòd attinet ad meretrices, non est, curlupæ illæ habeant privilegium; quòd enim lex eis potius obicit, quam profit, ori-

tur ex erupta perversitate, ob quam lex non est tollenda; unde incurrunt etiam poenas latas contra prævaricatores hujus legis; quòd autem non denuncientur, ratio est; quia sæpe earum correctio non speratur.

608. Ob. 4. Si verba illa *omnis utriusque sexus* sumantur universaliter, tunc etiam venialiter peccantes tenebuntur ad confessionem: hoc est nimium: ergo. Confirm. Non tenentur ad confessionem venialiter peccantes: ergo neque mortaliter peccantes, prob. conf. difficilius est, confiteri mortalia, quàm venialia: ergo, si non tenentur rei venialium, neque tenentur rei mortalium. Resp. dist. ma. si illa verba sumantur pro omnino omnibus, conc. ma. si tantum sumantur pro omnibus iis, qui præcepto Divino tenentur ad confessionem, neg. ma. & con. min. neg. conf. Ut jam aliquoties dictum est, Ecclesia non præcipit confessionem quoad substantiam: sed tantum iis, qui ad eam præcepto Divino obligantur, determinat tempus.

Ad confir. neg. conf. ad prob. dist. ant. est difficilius confiteri mortalia, seu est conjunctum cum majori erubescencia, conc. ant. est conjunctum cum majori difficultate se examinandi, & omnia enumerandi, adeoque cum majori anxietate, & periculis scrupulorum, neg. ant. & conf. Adde, quòd, si etiam ista ratio disparitatis non omnino sufficeret, sufficere deberet voluntas Christi, per Tridentinum nobis manifestata, vi cuius tenemur subijcere clavibus omnia peccata gravia, non autem levia. Unde observat Gormaz *de sacram. poenit. n. 41.* quòd, licet Ecclesia habeat potestatem absolvendi à venialibus, tamen non habeat potestatem ista retinendi; cum ea aliis viis possint deleri.

609. Ob. 5. contra 2. conclusionem. Qui omisit una die Breviarium, non tenetur statim manè altera die recitare Breviarium pro die elapsa: ergo, qui non est confessus anno præterito, non tenetur statim hoc anno confiteri. Confirm. 1. Qui in articulo mortis non est confessus, non tenetur cessante illo periculo confiteri: ergo neque is, qui intra præscriptum tempus non est confessus, tenetur statim postea confiteri. Confirm. 2. Ex hac nostra conclusione sequeretur, quòd differens confessionem ultra annum, continuò peccaret, donec confiteretur: hoc est nimis durum: ergo. Resp. neg. conseq. Breviarium est onus diei affixum, & finita die cessat, nec potest sequente die compensari, quod præcedente omisissum est, ut est communis: non ita se habet præceptum confitendi *ex n. 597.* Ad 1. confirm. servit eadem responsio; quia finito periculo finitur obligatio. Ad 2. confirm. neg. min. saltem, nisi per accidens excusetur. Idem accidit in variis aliis obligationibus restituendi, solvendi certis temporibus &c.

610. Addo hinc doctrinam Cardinalis de Lugo *de poenit. disp. 15. sec. 7. n. 165.* Arriaga *tom. 8. de poenit. disp. 52. sec. 8. n. 58.*

58. Gormaz *de sacram. poenit. n. 28.* & aliorum communiter docentium, quòd, si quis sua in confessione inculpabiliter oblitus fuisset aliquorum mortalium, non teneretur per se eodem anno iterum confiteri; quia jam implevisset præceptum Divinum; quòd (ut habemus ex Tridentino *sess. 14. c. 5.*) obligat ad exponenda peccata gravia, post diligens examen memoriae occurrentia: Lateranense Concilium autem non obligat in hoc casu ad alteram confessionem; cum tantum determinet tempus. At verò, si quis, peccati gravis memor, ex legitima causa (quales aliquas Theologi assignant) id exponere omisisset, talis, ut ajunt Arriaga *sec. cit. n. 57.* & Gormaz *de sacram. poenit. n. 29.* teneretur iterum confiteri, si eodem anno nancisceretur occasionem confitendi alteri, coram quo non haberet legitimam causam tacendi illud peccatum; quia necdum omnia peccata memoriae occurrentia eo anno exposuisset.

611. Ob. 6. contra dicta *n. 598.* Qui prævidet, quòd vesperi non sit habiturus occasionem, aut potentiam dicendi Completorium, non debet illud jam manè recitare, præsertim, si impedimentum non sit voluntarium: ergo etiam, qui prævidet, se sub anni finem non posse confiteri, non tenetur prævenire. Confirm. 1. Qui exiturus è loco, ubi est festum fori, prævidet, se ante prandium perventurum in locum, ubi non erit festum fori, non tenetur ante suum abitum audire sacrum: ergo neque in nostro casu, prævidens, se non posse sub finem anni confiteri, debet prius id facere. Confirm. 2. Siquis scit, quòd vesperi sit secum dispensandum circa recitationem Breviarii, non tenetur id jam manè dicere: ergo à pari. Confirm. 3. Qui prævidet, se in morbo, vel articulo mortis non habiturum occasionem recipiendi extremam unctionem, non debet prævenire, & illud sacramentum adhuc sanus recipere: ergo à pari neque in nostro casu debet quis prius confiteri.

612. Resp. Suarez *tom. 2. de Relig. l. 4. de horis canonic. c. 28. n. 8.* videtur docere oppositum; & sanè recitando manè Completorium impletur præceptum, saltem quoad substantiam, quanquam non impleatur quoad modum: quem tamen si non possum observare, non ideo statim deobligor à substantia. Si tamen ant. est verum, falsa est conseq. & disparitas est; quia recitare Completorium ante prandium est privilegium: nemo autem tenetur uti privilegio: non autem est simile privilegium in nostro casu.

Ad 1. confirm. Suarez, Navarrus, Sa, & alii, docent oppositum: quos citat, & sequitur Layman *l. 1. tr. 4. c. 11. n. 6.* atque hanc sententiam esse communiorum, & consuetudinem, ac fidelium persuasionem legem ita interpretari. Si autem ant. iterum est verum, neg. conf. & paritatem. In illo casu non tantum impeditur executio, sed omnino tollitur obligatio: at non tollitur

obligatio in nostro casu *ex n. 597.* Ad 2. confirm. om. vel conc. ant. neg. conf. ex ratione modò data. Ad 3. confirm. neg. conf. Sacramentum extremæ unctionis non potest validè conferri homini sano; adeoque non potest quis ita prævenire; unde disparitas est evidens.

613. Ob. 7. contra 3. conclusionem, Consuetudo jam est antiquissima, confitendi in paschate: ergo saltem ex ista consuetudine eo tempore obligantur fideles ad confessionem. Confirm. 1. Sixtus IV. *in Extravag. de tregua, & pace. c. 2. ait: De jure tenetur parochiani, saltem in paschate, propria confiteri sacerdoti:* ergo. Confirm. 2. Concilium Agathense, relatum in *C. in capite quadragesimæ, 64. dist. 50.* dicit, in capite, seu initio quadragesimæ, poenitentibus injungendam esse poenitentiam; ergo debet tunc fieri confessio. Confirm. 3. Tempore paschatis colliguntur schedæ confessionis à parochis, & inquiritur, an præceptum confessionis sit impletum: ergo. Resp. neg. conseq. Non acceptarunt fideles, certè non constat, eos acceptasse, consuetudinem hanc ut obligatoriam: sed quia alias, ratione communionis, tenentur saltem plurimi, rei mortalis peccati, vel etiam si non teneantur, cupiunt tamen pro majori dispositione, venialia quoque confiteri, hinc volunt etiam tunc præceptum confessionis ex occasione tam bona implere.

614. Ad 1. confirm. Sixtus IV. *in ea Extravagante* prohibet Religiosis mendicantibus, ne prædicent, quòd parochiani non sint obligati, saltem in paschate, proprio confiteri sacerdoti; quia, ut ait, *de jure tenentur parochiani, saltem in paschate, proprio confiteri sacerdoti:* sed; ut advertit Lugo *disp. 15. de poenit. n. 160.* Pontifex tantum statuit, quòd, si fideles, vel necdum impleverint præceptum confessionis, vel, iterum debeant confiteri, ratione communionis paschalis, hanc confessionem paschalem proprio sacerdoti teneantur facere.

Addit autem Lugo *ibidem*, hoc nunquam esse revocatum. Eodem modo verba Sixti IV. exponit Gormaz *de sacram. poenit. n. 34.* ait tamen *n. 32.* per propriam sacerdotum intelligi quemvis, qui eo tempore potest excipere confessionem. Et sanè Clemens X. in Bulla. *Superna magni Patrisfamilias* (de qua videri potest *La Croix l. 6. p. 2. n. 1502.*) expressè ait; *Regulares simpliciter approbati posse in diocesi approbantis, quovis anni tempore, etiam paschali, & quorumcumque etiam infirmorum, confessiones audire, absque ulla parochi, vel ipsius Episcopi licentia, & s. 5. addit, eos, qui diutius Religiosis, simpliciter approbati, paschali tempore confessi fuerint, constitutioni, qua incipit: Omnis utriusque sexus: quoad confessionem duntaxat satisfactis censendis.*

Gormaz *cit. n. 34.* ulterius advertit, ex novo jure Tridentini, citati *n. 568.* col-

colligi, confessionem non esse præceptam determinatè pro tempore paschali; quia Tridentinum, non respiciendo Bullam Sixti, sed Constitutionem Lateranensem, tantum dicit, semel in anno esse confitendum: & quamvis laudet morem confitendi *tempore quadragesima*, tamen nihil dicit de tempore paschali. verba Tridentini vide n. 598.

615. Ad 2. confirm. neg. conf. Concilium Agathense manifestè loquitur de publicè pœnitentibus, qui tunc more recepto variis pœnitentiis subijciebantur: sed nos loquimur de confessione secreta. Dein Concilium istud fuit tantum particulare, quod non obligat totam Ecclesiam. Idem respondendum, si obijciantur statuta quædam aliorum Conciliorum Provincialium; nam & ista ordinariè loquuntur de publicè pœnitentibus, & non obligant totam Ecclesiam, nisi ea Pontifex pro tota Ecclesia approbaverit, quod in nostro casu non est factum. Ad 3. confirm. neg. conf. Schemæ colliguntur potius ratione communionis paschalis, quam confessionis: & si quis posset testari, se communicasse, nec evidenter ei posset probari, quod id fecisset in statu peccati, non videtur posse puniri. Dein parochi merito inquirunt in adimplerionem obligationis, eo potissimum tempore, quo à plurimis solet impleri.

616. Ob. 8. contra dicta à n. 599. quod scilicet annum tempus, confessioni peragenda determinatum, possit computari ab uno paschate ad aliud. Juxta istam sententiam posset quis confessionem differre ultra duos annos, quin peccaret contra legem Ecclesiasticam: hoc est, absurdum: ergo. prob. ma. sit aliquis e. g. qui anno 31. confessus sit Dominica in Albis, quæ erat 1. Aprilis: dein mox à confessione altera die committat novum mortale peccatum, & iterum confiteatur: hæc secunda confessio valebit pro anno 32. quia non est obligatio determinatè confitendi in paschate, adeoque potest differri confessio usque ad pascha anni 33. cumque eo anno Dominica in Albis incidat in 20. Aprilis, poterit confessio ad duos annos, & octodecim dies differri: imò, cum pascha unius anni possit distare ab altero per annum, & mensẽ, poterit confessio ad duos annos, & mensẽ differri: ergo.

617. Resp. quid igitur fieret juxta aliam sententiam, si quis anno 31. confiteretur 1. Januarij, & dein differret confessionem usque ad ultimum Decembris anni 32. si hæc dilatio non est nimia, neque erit prior; nam differentia aliquot dierum parum in hoc casu est curanda. Dein prædicè hoc absurdum semper impeditur; quia saltem per accidens, ratione communionis paschalis, debet confessio prius institui, si mortale peccatum admissum est (aliàs enim confessio necessaria non est): item, quamvis fors præceptum Ecclesiæ de confessione, seorsim sumptum, non citius in eo casu obligaret, tamen probabiliter obligaret præ-

ceptum Divinum de confessione, quod saltem probabiliter intra annum à peccato commissio obligat, ne nimis diu differatur impletio præcepti, post gravem lapsum obligantis ad confessionem, ut dictum n. 418. in forma dist. ma. posset quis confessionem tantum differre, quin peccaret contra præceptum Ecclesiasticum de confessione om. ma. quin peccaret contra aliud præceptum grave, vel Divinum de confessione, vel Ecclesiasticum de communionem, cui non satisfecit per communionem sacrilegam, ex dictis n. 602. neg. ma. & dist. sic mi. neg. conf.

ARTICULUS V.

Quæ sit Materia certò necessaria Confessionis.

618. Certum est ex Tridentino *sess. 14. c. 5. & can. 7. de penit.* materiam necessariam confessionis esse peccata fidelium gravia, nondum clavibus subiecta, etiam occulta, & cordis duntaxat, eorumque speciem, ac numerum: quis autem numerus, & quomodo exponi debeat, explicatum est in *tract. de peccat. à n. 182.* Certum est etiam ex eodem Tridentino *cit. sess. 14. c. 5. & can. 7.* venialia peccata, non quidem debere, posse tamen rectè, & utiliter, in confessione exponi.

Idem sentiendum est de peccatis mortalibus, jam semel rite expositis; neque enim tenemur, eadem peccata bis confiteri, saltem per se; nam per accidens, e. g. ratione casuum reservatorum, utique contingere potest, ut aliquando bis eadem confiteri necesse sit. Possunt autem peccata jam exposita iterum exponi; quia potest quis bis, ter, imò plurimis vicibus, ab ipsa peccatis absolvi, ut praxis fidelium confessionem generalem piè faciendum, satis ostendit, ac supponunt omnes auctores; & hinc querunt, quem sensum faciant verba absolutionis, super culpas, jam semel remissas, pronuntiata; de qua re vide supra à n. 506.

619. Certum etiam est, quod debeat in confessione exponi actus externus, graviter malus, immediatè volitus, vel procedens immediatè ab actu voluntatis interno; nam talis actus, e. g. fornicatio, aut blasphemia, est peccatum propriè dictum (non enim tantum dantur peccata cordis, sed & oris, ac operis) quin etiam talis actus constituit cum actu interno completam, & consummatam injuriam DEI: sicut etiam sæpè constituit consummatam injuriam respectu hominis, quoties nempe est actio homini injuriosa.

Quare etiam actus externus graviter displicet Deo; tanquam res graviter ab ipso prohibita; adeoque debet in confessione exponi: quidquid deinde sit, an augeat malitiam formalem, vel demeritum substantiali, an non. Hæc assertio firmissimè roboratur ex communi sensu, & constantis-

suma praxi omnium fidelium, qui se non tantum accusant de internis volitionibus, sed etiam de externis operibus: ex qua praxi habemus traditionem Ecclesiæ, de institutione, & voluntate Christi, circa hoc sacramentum, ejusque necessariam materiam.

620. Huc spectat etiam propositio 25. ab Alexandro VII. damnata: *Qui habuit copulam cum soluta, satisfacit confessionis præcepto dicens: Commisi cum soluta grave peccatum contra castitatem, non explicando copulam:* adeoque debet ipsa copula, seu actus externus, in confessione exponi. Quod autem actus externus non sit immediatè in se liber, non obest; sufficit enim, quod sit liber denominativè, adeoque denominativè moraliter malus: ob quam rationem, sicut potuit prohiberi, adeoque moraliter malus reddi: ita etiam potuit reddi materia necessaria hujus sacramenti. Quid autem dicendum de effectibus, immediatè consequentibus, an etiam exponi debeant, alia est questio, quam non decidimus.

621. Jam controversia gravis est inter doctores, quales circumstantiæ peccatorum sint materia necessaria confessionis. *Circumstantiæ* autem n. prout hic sumuntur, sunt prædicata quidem intrinseca peccato, sed talia, ut peccatum quoad substantiam, seu objectum suum principale, aut rationem genericam, vel specificam, sive subalternam, sive etiam aliquando omnino intimam, jam supponant, eamque per subsistendi consequentiam inferant: sic prædicatum adulterii est circumstantia impudicitiae: quantitas decem florenorum est circumstantia furti gravis; quia prædicatum adulterii jam supponit rationem genericam impudicitiae, & hanc infert à subsistendi consequentia; legitima enim est illatio: *Datur adulterium: ergo datur impudicitia:* ac non vicissim: *Datur impudicitia: ergo datur adulterium.* Pariter loquendum de furto decem florenorum.

622. Circumstantiæ autem istæ aliæ sunt *specificæ*, quæ scilicet peccato novam speciem tribuunt, ut ratio adulterii, quæ impudicitiae addit novam speciem malitiae contra iustitiam: aliæ autem sunt *aggravantes*, quæ peccatum intra eandem speciem tantum gravius reddunt, ut quantitas furti; quippe, intra eandem speciem intimam Theologicam furti, gravius est furtum decem, quam tantum duorum florenorum. Jam de circumstantiis specificis est definitum à Tridentino *sess. 14. c. 5. & can. 7.* quod sint exponendæ; si tamen circumstantiæ hæc superaddant malitiam gravem; nam, si tantum levem, vel venialem malitiam addant, tunc, sicut peccata venialia, ita etiam istæ circumstantiæ, non sunt materia necessaria confessionis.

Pariter ex hac eadem ratione non sunt exponendæ circumstantiæ, non notabiliter, seu non mortaliter aggravantes. e. g. si medius florenus, furto ablati, est respectu civis peccatum mortale, circumstantia non

notabiliter aggravans, erunt aliquot crucigeri, præter triginta priores ablati. At questio maximè est de circumstantiis notabiliter aggravantibus, seu ita, ut æquivalent uni, aut pluribus peccatis mortalibus, e. g. quantitas centum florenorum æquivalent pluribus furtis gravibus: & de his circumstantiis quaritur, an necessariò sint exponendæ, an non: de qua re articulo sequenti.

623. Ob. Non potest explicari, quid intelligatur per peccata fidelium: ergo doctrina data n. 618. non est sufficiens, sed obscura. Resp. neg. ant. & dico intelligi peccata, post baptismum validè receptum commissa: imò probabiliter etiam illa, quæ in actuali susceptione baptismi sunt commissa; nam tunc homo jam est fidelis: certè non est infidelis: nec fides, seu baptismus, debent influere in peccatum, adeoque neque debent pro priori præsupponi: sed sufficit, si se habeant concomitantes. Quando autem Tridentinum *sess. 14. c. 5.* ait, *confessionem . . . omnibus post baptismum lapsis jure Divino necessariam existere, præpositio post sumitur negativè, ut significet non ante:* quo in sensu sapissimè accipitur in communi usu loquendi. Sic dicitur, neminem peccare posse, nisi post usum rationis acquirunt: neminem consecrare posse, nisi post acceptum presbyteratum: alique regem non esse, nisi post coronationem: diem non esse, nisi post ortum solis &c. cum tamen in ipso instanti cæpti usus rationis, vel suscepti ordinis, vel coronationis, aut ortus solis, jam quis possit peccare, aut consecrare, rex, aut etiam dies ortus dici. vide *tract. de sacram. in genere. n. 374. & 386.* item Gormaz de *baptismo n. 39.*

ARTICULUS VI.

An Circumstantiæ Notabiliter Aggravantes sint Materia Necessaria Confessionis.

624. Dico. Circumstantiæ, quamvis notabiliter aggravantes, non tamen mutantes speciem, non sunt materia necessaria confessionis. Pro hac sententia videri possunt auctores valde multi, apud Dicastillo *tr. 8. de penitent. disp. 9. dub. 3. n. 180.* & longè plures apud Dianam *p. 1. tr. 7. resol. 1.* quibus adhuc plures recentiores accelsere: quamvis etiam graves auctores, itque valde multi stent in oppositum. At stant pro nobis Doctor Angelicus, & Seraphicus: & hic quidem, seu S. Bonaventura in *4. dist. 17. p. 2. n. 2. q. 3.* (ubi etiam pleraque argumenta, quibus adversarii maximè nituntur, solvit) in corp. sic ait: *Unde dicendum, quod confessio circumstantiarum, in aliud genus trahentium, spectat ad confessionem quantum ad necessitatem: confessio vero aggravantium quantum ad congruitatem. . . confessio vero alleviantium potius facit incongruitatem.*

625. Ille autem, seu S. Thomas in 4. dist. 16. q. 3. a. 2. quæstionum. 5. in corp. sic loquitur: *Ad quintam quæstionem dicendum, quod omnes circumstantias confiteri est impossibile: quasdam autem confiteri est necessarium: sed in hoc est differentia opinionis; quidam enim dicunt, quod omnes circumstantia, que aliquam notabilem quantitatem peccato addunt, confiteri necessarium est, si memoria occurrant. Alii vero dicunt, quod non sint de necessitate consistenda, nisi circumstantia, que ad aliud genus peccati trahunt: hoc probabilis est: sed addendum est: que ad aliam speciem mortalis trahunt: cujus ratio est; quia venialia non sunt de necessitate confessionis, sed solum mortalia, que quantitatem infinitam quodammodo habent. Et quia circumstantia aggravantes, que aliam speciem peccato non tribuunt, vel que tribuunt quidem, sed non mortalis peccati, non sunt de necessitate confessionis, tamen eadem confiteri perfectionis est: sicut et de venialibus dictum est.*

Similia habet S. Doctor ad Hannibaldum Cardinalem (quod scriptum videtur esse compendium operis super libros distinctionum) l. 4. dist. 16. a. 3. in corp. ubi ait: *Circumstantia, que novam rationem peccati mortalis addit, de necessitate est consistenda: alia autem non.* Dein, cum sibi objecisset, confessarium hac ratione non sufficienter cognoscere quantitatem peccati, respondet ad 2. Sufficit, quod cognoscat quantitatem, que ex nova specie consurgit: & pergit: *Vel dicendum, quod si cognosceret poenitens quantitatem sui peccati, non tamen teneretur confiteri; quia tantum peccatum mortale est de necessitate consistendum.* item ad 5. ait: *Si talis circumstantia non trahit ad aliud genus mortalis, non est consistenda.* similia respondet in 4. dist. 16. q. 3. a. 2. quæstionum. 5. ad 2.

626. Dicunt adversarii, Angelicum tantum loqui, de circumstantiis venialiter aggravantibus, seu non addentibus gravitatem aliquam æquivalentem peccato mortali. Sed contra est. Primò. S. Doctor loquitur de iis circumstantiis, de quibus fuit controversia, an deberent exponi in confessione: at non fuit controversia, an deberent exponi circumstantiæ tantum veniales; est enim clarum, quod non. Et quavis aliqui antiqui, ut S. Bonaventura, fortè docuerint, exponenda esse venialia, tantum voluerunt, quod, si quis non habeat mortalia, debeat semel in anno confiteri venialia; cum talis possit implere præceptum, ad quod debeat: non autem voluerunt, quod venialia essent exponenda per se, & ratione sui. ita expressè S. Bonaventura in 4. dist. 17. p. 3. a. 2. q. 1. in corp. Secundò. S. Doctor apertè negat, consistendas esse circumstantias notabiliter aggravantes: sed notabiliter aggravantes non sunt tantum venialiter aggravantes.

627. Tertiò. Quando S. Doctor loquitur de circumstantiis venialibus, loquitur,

non tantum de aggravantibus, sed etiam de mutantibus speciem, & docet, si tantum veniale malitiam specificam addant, non esse necessario exponendas: ac addit, non esse exponendas circumstantias tantum aggravantes, que aliam speciem non tribuunt: loquiturque de his proflus universaliter, nec restringit ad aggravantes venialiter, uti tamen restringit ad venialiter speciem mutantem. Certè illud non mortalis peccati non potest revocari ad priora verba, quantitatem infinitam, sed tantum potest referri ad verbum proximum speciem, ut clarè patet legenti. Quartò. Ut redè addit Illung in vindictis Haunoldi n. 417. esset inepta disjunctio, si per circumstantias aggravantes, que aliam speciem non tribuunt, non intelligerentur mortaliter aggravantes: & ratio clara est; ad quid enim S. Doctor disjungeret, vel distingueret, inter circumstantias speciem mutantem, & aggravantes; cum, si Angelicus loqueretur ad mentem adversariorum, ambæ eodem modo deberent exponi, vel non exponi; nam deberent ambæ exponi, si essent mortales: non deberent exponi, si non essent mortales. vide etiam infra n. 634.

628. Probatur conclusio cum Dicastillo tract. 8. de poenit. disp. 9. n. 181. Præceptum confessionis est aliàs jam per se factis difficile: ergo non debet ei aliud onus addi, nisi probetur, id à Christo esse additum: atqui non probatur, à Christo esse additum onus exponendi circumstantias tantum aggravantes: ergo. ant. est clarum ab experientia, & videtur agnoscì à Tridentino sess. 14. c. 5. dum ait: *Ipsa vero hujusmodi confessionis difficultas, ac peccata detegendi verecundia, gravis quidem videri possit, nisi tot, tantisque commodis, & consolationibus levaretur:* ergo confessio per se est res gravis, quamvis dein extrinsecè per consolationes supernas levetur.

Nec tollunt istæ consolationes omne pondus, sed tantum levant: ferme; sicut gratia adjuvans, licet juvet, & propterea dicatur 1. Joan. 5. v. 3. *Et mandata ejus gravia non sunt:* tamen non ita tollit gravitatem mandatorum, ut non debeant dici aliqua præcepta ex se difficilia. conf. prob. tum ex eo, quod videatur per se clarum, non esse onera addenda oneribus; quin rite probentur: tum ex eo, quod unanimiter ferme auctores sentiant onus confessionis, ex se fat grave, esse potius alleviandum, quantum fieri potest, quam augendum.

629. Prob. jam mi. subsumpta. Neque ex Scripturis, neque ex Patribus, neque ex Pontificum definitionibus, neque ex fidelium communi sensu, probatur, circumstantias tantum aggravantes exponi debere: ergo nullo modo probatur; quia non est alius modus, quo possit innotescere voluntas Christi, à qua hæc res tota dependet. ant. prob. tum negativè, seu solutione objectionum, tum etiam, quantum requiritur, positivè. Scripturæ tantum docent, sacramentum poenitentia esse in-

stitutum: non autem docent, quo modo sit institutum, & de his circumstantiis ibi alium est silentium: pariter non potest afferri ulla nostræ sententiæ opposita definitio Pontificia: textus SS. Patrum, quos aliqui nobis opponunt, vel nihil, vel nimium probant: sensus communis fidelium certè non est contra nos; quia æquè multi auctores, vel plures, stant pro nostra, quam pro opposita sententia: sed neque Concilia quidquam conclusioni huic contrarium statuunt: imò Tridentinum nobis plurimum favet: quod tamen Concilium præ reliquis materiæ de hoc sacramento examinavit, & in præmio sess. 14. (de quo vide n. 127.) profiteretur, se daturum exactiorem de hoc sacramento definitionem, ut perspicua fiat Catholica veritas.

630. Probatur itaque conclusio 2dò. Tridentinum sess. 14. c. 5. postquam docuisset, numerum peccatorum gravium exprimi oportere, atque etiam circumstantias speciem mutantem, altum ille de circumstantiis aggravantibus: ergò implicite docet, circumstantias tantum aggravantes non debere exponi. prob. consequentia ex C. *Qualis hinc quisque.* 4. dist. 25. ubi dicit S. Gregorius: *Quod enim de uno negatur, consequens intellectus patet; quia de quibusdam conceditur: in quæ verba glossa etiam à contrario asserit: Sic, quod de uno conceditur, de alio negatur:* & hinc orta est illa regula juris: *Inclusio unius est exclusio alterius.* Certè, si Concilium dixisset, debere exponi omnia peccata interna, omnes centerent; illud negasse implicite, quod exponendi sint actus externi: ergo à pari censendum est, Concilium exclusisse circumstantias speciem non mutantem. Si Concilium (ut observat Haunoldus l. 4. n. 1015.) omnino nullam mentionem circumstantiarum fecisset, posset fors dici, ipsum voluisse abstrahere à circumstantiis, & hanc quæstionem Theologis exanimandam relinquere: at postquam mentionem aliquarum circumstantiarum, nempe specificarum, fecit, præbuit sanè ansam inferendi; alias non esse exponendas.

Deinde, si Concilium voluisset etiam inclusas circumstantias aggravantes, debuisset, has potius nominare, & specificas omittere; nam dicendo exponendas esse circumstantias aggravantes, jam inclusisset circumstantias speciem mutantem; cum hæc, si speciem mortaliter gravem addant (quo solo casu necessario debent exponi) sint etiam aggravantes, quamvis non pure tales. Econtra, in circumstantiis speciem mutantibus, non continentur omnes etiam mortaliter aggravantes; nam plures sunt, quæ speciem novam non addunt.

631. Confirm. Tridentinum cit. sess. 14. c. 5. cum dixisset, consistendum esse numerum peccatorum gravium, atque circumstantias speciem mutantem, & subjunxisset, impium esse, dicere, obligationem hanc observatu esse impossibilem, vel conscientia carnificinam, hujus rationem addit his ver-

bis: *Constat enim, nihil aliud in Ecclesia à poenitentibus exigi, quam, ut, postquam quisque diligenter se excusserit, & conscientia sua sinus omnes, & latebras exploraverit, ea peccata confiteatur; quibus se Dominum, & DEUM suum, mortaliter offendisse meminerit:* atqui totum hoc facit, qui confiteretur numerum; & speciem peccatorum gravium: ergo nihil aliud ab ipso exigitur.

632. Respondebis, per particulas *nihil aliud* tantum excludi peccata, quorum quis non recordatur: non verò circumstantias aggravantes, quorum quis meminit. Contra est 1. Harum circumstantiarum nulla fit mentio, adeoque sufficienter excluduntur; cum excludantur ea, quorum mentio facta non est. 2. Illa verba *nihil aliud* sumi debent relativè ad superiora, ubi Concilium meminit circumstantiarum specificarum, & idem est, ac si diceret: Numerus, ac species peccatorum, quorum quis recordatur, exponi debet, & nihil aliud: ergo excluduntur circumstantia aggravantes prob. ant. si particula *nihil aliud* non sumerentur relativè, ut dictum est, ad circumstantias specificas, seu si per illas particulas non significaretur, quòd solus numerus peccatorum, & circumstantia speciem mutantem sint exponenda, ita, ut per eas excludantur alia omnia, & consequenter etiam circumstantia quæcumque aggravantes, deberet admitti, quòd ex particula tantum afficerent verba subsequentia, *ea peccata, quibus se Dominum, & DEUM suum, mortaliter offendisse meminerit:* sed hoc dici non potest: ergo. prob. mi. si hoc dicitur, sequitur, quòd vel non sint exponenda circumstantia specificæ, vel quòd istæ, uti & aggravantes, intelligantur sub termino *peccata*: neutrum dici potest: ergo.

Prob. min. Non potest dici primum; aliàs enim Concilium evidenter sibi contradiceret: non potest dici secundum; quia Concilium clarè distinguit circumstantias à peccatis, & per terminum *peccata* intelligit ista quoad substantiam: circumstantiarum autem separatim meminit, ut patet ex canone 7. de poenitentia, hac ead. sess. 14. qui est quasi compendium doctrinae capituli quinti, ubi anathema dicitur afferenti, *necessarium non esse jure Divino, confiteri omnia, & singula peccata mortalia ... & circumstantias, que peccati speciem mutant.* Ecce de his duobus divisim loquitur Concilium: nullam tamen mentionem facit circumstantiarum pure aggravantium.

633. Confirmatur. Vel Concilium agnovit obligationem exponendi circumstantias aggravantes, vel non: neutrum ab adversariis potest dici: ergo. prob. mi. non potest dici primum; si enim agnovisset, debuisset eam obligationem declarare, & non tradere doctrinam diminutam, ac limitatam, quoad circumstantias specificas, per quam plurimi inducti fuissent in errorem.

scilicet omnes ij, qui nobiscum sentiunt: certè hæc non esset exacta illa doctrina, quam Concilium promisit *in proæmio hujus sess. 14.* Neque potest dici secundum; nam si Concilium non agnovit eam obligationem, tunc rationes, quæ probant, exponendas esse circumstantias specificas, non probant, exponendas etiam esse circumstantias purè aggravantes: & ex verbis Christi Domini *Joan. 20.* ex quibus Tridentinum *sess. 14. c. 5.* obligationem confitendi deducit, aut ex ipsius Tridentini ibi, vel alibi dictis, non potest colligi obligatio exponendi circumstantias purè aggravantes: ex quo ipso rectè infertur, eam obligationem non dari; ut enim rectè ait Pallavicinus *l. 7. de penit. c. 33. n. 309.* quomodo Christus in hoc sacramento instituit obligationem adeò obscuram, ut Concilio Generali illam accuratè examinanti, tamen ignota manerit?

ARTICULUS VII.

Solvuntur Objectiones.

634. **O**B. 1. Plures sunt sacri canones, quibus expressè præcipitur, imponenda major pœnitentia pro graviore delicto intra eandem speciem: ergo debent exponi circumstantiæ aggravantes; aliàs enim non posset ea pœnitentia imponi. Confirm. 1. S. Augustinus variis locis docet, exponendas esse circumstantias aggravantes: ergo. Confirm. 2. Antiqui auctores, etiam S. Thomas, per circumstantias aggravantes, tantum intellexerunt aggravantes venialiter: ergo non stant pro nobis Resp. neg. conf. quam etiam negat S. Thomas *in 4. dist. 16. q. 3. a. 2. quæstionum. 5. ad 2.* ubi hoc argumentum sibi objectum sic solvit: *Sufficit, quod cognoscatur confessarius quantitatem, quæ ex specie peccati consurgit.* Ex quo ipso roborantur superius dicta, scilicet, quòd S. Doctor non tantum intellexerit aggravationem venialem; nunquam enim sibi objecisset, quòd ob excessum venialem debeat pœnitentia notabiliter major imponi; non enim id fieri debet, quamvis possit.

635. Addendum hæc, quòd ex majori pœnitentia imponenda non inferatur necessitas confitendi: certè pro pluribus etiam venialibus expositis imponi potest, & solet major aliquanto pœnitentia, quam pro paucioribus, quin ista propterea debeant exponi. Imò, ut Dicastillo *tr. 8. de penit. disp. 9. dub. 3. n. 177.* ostendit, imponebantur olim graves pœnitentiæ pro peccatis venialibus, aut etiam iis defectibus, qui per se nec veniales erant: e.g. usus matrimonii die Dominica puniebatur jejuniis quatuor dierum in pane, & aqua. Aliud simile exemplum pœnitentiæ decem dierum refert idem auctor ibidem, quæ illi imposita est, qui accessit ad uxorem, postquam jam concepisset: item gravius puniebatur

servus pejerans, si à domino esset compulsus, quam si liberè, & sponte pejerasset; unde Vasquez, citatus à Dicastillo, ait, fervente tunc charitate similia exposita fuisse, non tamen ut necessaria, sed ut congrua.

636. Ad 1. confirm. five ad S. Augustinum Resp. Inprimis ij libri, ex quibus textus contra nostram assertionem solent adduci, probabilius non sunt S. Doctoris; nam libri *de vera, & falsa pœnitentia*, nec in indiculo Possidii, nec in retractationibus S. Augustini fit mentio; insuper in eo citatur S. Augustinus, & ab eo videtur recedi: libri autem *de visitatione infirmorum*, an ejus sint, Bellarminus in incerto relinquit. Sed hoc omisso, auctor, ex cujus libri *de vera, & falsa pœnitentia capite 14.* maxime objectio fit, quisquis fuerit, non vult circumstantias omnes illas, quas ibi adducit, exponendas esse ex necessitate; nam adducit circumstantias diei, & loci, quæ sæpe non faciunt ad rem: item circumstantiam, si quis peccasset in domo dominorum, quæ per se non notabiliter aggravat; & multa alia non necessaria exponenda, ut patet ibi legenti. Auctor verò librorum *de visitat. infirmorum. l. 2. c. 5.* ut plurimum tantum indicat circumstantias speciem mutantem, vel ipsum numerum peccatorum, quamvis unam, vel alteram circumstantiam addat, quæ nec juxta adversarios est exponenda, ut, si peccatum admissum est die festo &c. in forma neg. ant.

637. Ad 2. confirm. neg. ant. De S. Thoma fat dictum, & de aliis etiam idem sentiendum, donec probetur oppositum; utique enim sciverunt, peccata venialia non esse materiam necessariam confessionis: cur igitur de his multum disputaverint? Equidem non nego, fuisse olim controversum, an, qui non haberet mortalia, deberet semel in anno confiteri venialia, de quo vide dicta *n. 626.* at, quòd venialia sint per se materia confessionis, hoc antiqui non tradiderunt. Sed neque ex eo, quòd S. Thomas eam quæstionem agitet, probatur, antiquos aliquos id voluisse; aliàs debuissent etiam dicere, non dari DEUM; nam Angelicus etiam quæstionem instituit, an detur DEUS.

638. Dein S. Antoninus *p. 3. tit. 14. c. 19. §. 7.* affert pro exemplo quantitatem magnam furti, quæ non est venialis. Pariter adversariis non favet Sylvester, qui *v. Confessio. l. n. 10.* ubi nonam quæstionem de circumstantiis examinat, planè nostram de mentem omnia decidit, ut patet ibi legenti. Similiter nec alii adversariis favere deprehenduntur, si bene legantur. Quando autem tem aliqui recentiores dicunt, quantitatem non esse circumstantiam furti, contradicunt trinfecum quid essentia furti, contradicunt S. Thomæ *in 4. dist. 16. q. 3. a. 2. quæstionum. 3. in corp.* ubi ait: *Multum de alieno recipere est ab æqualitate magis discernere; unde talis circumstantia aggravat, sed peccatum non mutat.* contradicunt etiam

tiam rationi; nam, ut jam dictum *n. 621.* per circumstantiam hæc intelligitur, non prædicatum tantum extrinsecum respectu peccati individualis: sed prædicatum etiam intrinsecum, tale tamen, ut jam rationem peccati in genere, vel in specie supponat: sic autem se habet quantitas in furto, intentio, vel duratio respectu delectationis morosa.

639. Ob. 2. Ideo ex Tridentino exponi debent numerus, & species peccatorum; quia his non expositis sacerdotes non possunt ferre congruum judicium, nec imponere convenientem pœnitentiam: sed idem contingit, non expositis circumstantiis aggravantibus: ergo. prob. min. qui furatus est mille aureos, utique meritis est majorem pœnitentiam, quam alius, qui etiam tribus vicibus furatus est aureum: ergo. Resp. dist. ma. quia sacerdotes aliàs non possunt ferre judicium, ullo modo ad Christi mentem congruum, nec pœnitentiam ullo modo convenientem imponere. conc. ma. quia non possunt ferre judicium mathematicè exactum, aut pœnitentiam mathematicè æqualem imponere. neg. ma. & dist. sic min. neg. conf. S. Thomas hoc ipsum sibi objicit *in 4. dist. 16. q. 3. a. 2. quæstionum. 5. arg. 2.* item ad *Hambaldum l. 4. dist. 16. a. 3. arg. 2.* & quoad substantiam hanc nostram responsionem *ad 2. reddit*, de quo vide supra *n. 625.* Idem etiam respondet S. Bonaventura *in 4. dist. 17. p. 3. a. 2. q. 3. in corp.* ubi ait: *Non est necesse, quòd peccatori imponatur sacerdos ita gravem pœnitentiam, sicut exigit culpa: imò tota die imponuntur multo minores: ergo pari ratione non est necesse, quòd peccator confiteatur, se ita graviter peccasse, sicut peccavit.*

640. Nec est paritas inter speciem, & numerum, ac circumstantias; si enim non esset necesse, exponere numerum, & speciem, sufficeret dicere: *Peccavi graviter:* at sic confessarius non posset ullo modo sufficienter judicare de statu pœnitentis, deberetque omnibus eandem pœnitentiam imponere: nec posset retinere peccata; nam omnibus non posset ea retinere; nec enim esset ratio, cur uni potius, quam alteri ea retineret: nil simile sequitur ex omissione circumstantiarum tantum aggravantium. verbo: confessarius non debet exactius judicare de peccatis, quam præscribat Tridentinum: hoc autem non requirit, ut judicet explicitè de circumstantiis tantum aggravantibus: ergo. Certè, si requireretur judicium exactissimum, deberent exponi omnes circumstantiæ mortaliter aggravantes: hoc autem, licet aliqui cum Gormaz admittant, tamen etiam Suarezio, licet adversario *tom. 4. in 3. p. disp. 22. sec. 3. n. 17.* videretur nimium.

641. Unde Eximius *loc. cit.* contendit; debere explicari, non omnes circumstantias, sed eas, quæ aggravant supra ordinarium modum peccandi: verum hic ipse modus, qualis, quantusque sit, explicari non

potest. Sanè fures non habent determinatum modum clependi; nam pro occasione plus, minusve, auferunt. Rursus intra quemcunque modum ordinarium sit actus peccaminosus, æquivalere poterit pluribus peccatis mortalibus; quia, ut rectè advertit Dicastillo *tract. 8. de penit. disp. 9. dub. 3. n. 206.* nulla duratio delectationis impuræ tam parva est, ut non æqualeat pluribus peccatis mortalibus: ergo non requiritur judicium tam exactum, ut sciatur, quot peccatis mortalibus æqualeat peccatum aggravatum: ergo à Suarezio non potest amplius probari, quòd requiratur judicium exactius, quam tale, in quo explicitè judicetur de numero, & specie peccatorum gravium.

642. Rursus S. Bonaventura *loc. cit. n. 639.* sic scribit: *Si tenetur confiteri circumstantias ad sciendum quantitatem peccati, & quantitatem peccati non scitur, sicut sciatur circumstantia alleviantes, sicut aggravantes, & circumstantia defendentes, sicut accusantes: ergo homo tenetur in confessione seipsum excusare: sed hoc falsum est: ergo.* Et certè ex principiis adversariorum sequeretur, debere pœnitentem exponere etiam circumstantias diminuentes, seu alleviantes, non tantum illas, quæ actum extrahunt ex ratione peccati mortalis, e.g. quando deliberatio sufficiens non adfuit (tales enim utique explicari debent) sed etiam illas, quæ non extrahunt actum ex ratione culpæ gravis; non enim magis licet augere peccatum, quam minuire: atqui, sicut peccatum minuitur tacendo circumstantias aggravantes: ita augetur tacendo diminuentes.

Certè homicidium ex subita ira, quamvis non tollente libertatem, patratum, est multò levius, quam aliud absque tali ira patratum: negatio fidei, facta ex metu gravissimorum tormentorum, est multò levior, quam facta sponte sine omni metu incusso: fornicatio admissa in casu vehemenssima, & diuturna tentationis, est multò levior, quam si sine prævia tentatione ullius momenti, studiosè quærat, seu admittatur. Certè etiam ista notitia mutat multum judicium confessarii.

643. Quòd autem non debeant exponi in confessione circumstantiæ alleviantes, præter auctoritatem S. Bonaventuræ, *num. preced.* citati, suadet etiam auctoritas communis adversariorum, idem nobiscum negantium, exceptis pauculis, quorum auctoritas non est præferenda auctoritati S. Bonaventuræ, & aliorum incomparabiliter plurium: suadet etiam praxis fidelium, istas circumstantias cum aliter non exponunt. Et quis (ut citet Haunoldus *l. 4. tr. 4. n. 1017.*) dicit, non bene se explicasse, qui adulterum cum uxore in flagranti deprehensum occidit, & tantum se accusat, dicendo: *Feci injustum homicidium?* quis dicit, puellam longis proci impurissimi insultibus victam, non sufficienter se accusare dicendo: *Commisi fornicationem?*

644. Dices 1. Qui tacet circumstantias alleviantes, non est caula, cur imponatur ipsi poenitentia minor, sed major. Contra est. Si non est institutioni Christi contrarium, imponere poenitentiam majorem, nec etiam eidem contrarium, imponere paulo minorem, seu correspondentem tantum substantiæ peccati. Nec replices, nullam posse imponi nimis magnam poenitentiam; cum quodlibet peccatum mortale mereatur poenitentiam æternam; nam aliud est tribunal in hac, aliud in altera vita; alias, si hæc ratio aliquid valeret, eadem poenitentia imponi posset, pro diversissimis peccatis mortalibus, quantumvis specie diversis: quin etiam pro momentanea delectatione morosa, jejunium, & cilicium in omnem vitam: quod non est verum: aut, si quælibet gravissima poena potest imponi pro quolibet peccato mortali, tunc tacitis etiam circumstantiis aggravantibus potest confessarius liberè pro quolibet peccato gravi, quoad substantiam exposito, imponere quamvis poenitentiam gravem: adeoque non requiritur major notitia confessarii.

Dices 2. Ob omnes circumstantias alleviantes non mutatur iudicium confessarii: ergo nulla est paritas ab his ad aggravantes. Prob. ant. Circumstantias alleviantes potest confessarius suspicari absque injuria poenitentis facta: non verò aggravantes: ergo. Resp. neg. ant. ad prob. qm̄. ant. neg. conf. si enim confessarius circumstantias alleviantes suspicetur, vel subintelligat, eo ipso mutabitur ejus iudicium, ut patet ex n. 642. De his, etsi confessarius possit suspicari circumstantias alleviantes sine injuria poenitentis, non potest eas universaliter suspicari sine imprudentia propria, præsertim extraordinarie alleviantes, e. g. tentationem gravissimam, & diutissime durantem: imò talis juxta adversarios male fungetur suo officio; quia apud se peccatum multum imminueret, cui dein etiam deberet correspondere minor poenitentia.

645. Ob. 3. Tamen circumstantiæ valde notabiliter aggravantes, valde notabiliter mutant iudicium confessarii, e. g. furtum centum florenorum magis immutat iudicium, quam duo furta, quorum singula erant duorum florenorum: imò quandoque magis immutat iudicium circumstantia aggravans, quam nova species peccati: ergo. Confr. 1. Circumstantiæ aggravantes, licet non sint formaliter specificæ; tamen sunt moraliter specificæ, seu mutant species: ergo debent exponi. Prob. ant. species alia est aliqua alia apparentia, aut æstimatio rei: ergo, quod tribuit rei moraliter aliam, & novam apparentiam, seu æstimationem, tribuit ei moraliter novam speciem: atqui circumstantia, e. g. mille florenorum, tribuit furto longe aliam apparentiam, & æstimationem moralem, quam habet furtum duorum florenorum: ergo. Confr. 2. Peccatum veniale, & mortale, non semper differunt specie, e. g. furtum aurei, & furtum aliquot crucigerorum: & tamen mor-

tale debet exponi, non autem veniale: ergo non tantum circumstantiæ specificæ, sed etiam aggravantes debent exponi.

646. Resp. Sicut debent exponi circumstantiæ specificæ, quamvis aliquando non valde notabiliter mutant iudicium confessarii, sic ex opposito non debent exponi circumstantiæ aggravantes, etsi aliquando valde notabiliter illud iudicium mutant, cujus ratio ultimata hæc est. Ut in aliis legibus, ita & in lege confessionis, non ita attenditur ad unum, vel alterum casum particularem: sed quid universaliter sequeretur, posita, vel non posita lege: atqui confessarius ordinariè non potest formare iudicium non expositis circumstantiis specificis, ut colligitur ex dictis n. 640. potest autem id sufficienter formare omittis etiam circumstantiis aggravantibus: ergo.

647. Hoc idem debent admittere adversarii, saltem illi, qui admittunt, non esse necesse exponere circumstantias, intra modum peccandi ordinarium aggravantes; nam ponamus, modum ordinarium peccandi cogitatione esse brevi tempore, e. g. horæ minuto primo, se detinere in ea cogitatione, intra hoc tempus fluunt sexaginta minuta secunda, in quibus quis sapius posset peccare, & quidem ob voluntariam retractionem interruptis moraliter vicibus: ergo etiam cogitatio taliter durans deberet magis mutare iudicium confessarii, quam duæ, aut tres inhonestæ delectationes moraliter distinctæ: & tamen hæ distinctæ debent etiam distinctè exponi, non verò, juxta hoc saltem adversarios, illa duratio unius minuti.

Ad 1. confr. neg. ant. ad prob. diff. ant. species alia, prout hic sumitur, est apparentia, & æstimatio alia quascunque, neg. ant. est apparentia, & æstimatio, non tantum numericè, vel extensive, aut intensive alia, sed alio modo diversa. conc. ant. & sub eadem diff. conc. vel neg. conf. diff. etiam subsumptum: circumstantia mille florenorum tribuit furto apparentiam, aut æstimationem aliam numericè, vel extensive, aut intensive. conc. subsumptum. aliam alio modo diversam. neg. subsumptum, & consequ. Certè omnes auctores, qui hanc questionem examinant, distinguunt inter circumstantias specificas, & aggravantes, etiam notabiliter tales, adeoque negant, hæc esse in sensu morali specificas: & hæc nova acceptio termini species est gratis conficta. Sanè in physicis est clarum, quod extensio, vel intensio, per se non mutant speciem, & in moralibus debet idem dici, saltem eamdiu, donec probetur contrarium.

Ad 2. confr. Resp. 1. neg. ant. licet enim furtum grave, & leve, non differant ratione materiæ, differunt tamen ratione formæ, seu oppositionis cum præcepto, aversionis à DEO, postpositionis amicitie Divinæ &c. Resp. 2. om. ant. neg. conf. Tridentino habemus, non tantum speciem, sed & numerum peccatorum mortalium debere exponi: ergo, licet peccata non differant specie, tamen, si unum sit mortale, de-

bet exponi, licet non debeat exponi alterum, quod est veniale: nulla similis ratio probat, exponendas etiam esse circumstantias aggravantes.

648. Ob. 4. Tridentinum cit. sess. 14. c. 5. docet, exponenda esse omnia peccata, etiam interna, & occultissima; quia nonnunquam animum gravius lauciant, quam externa: sed circumstantiæ aggravantes etiam nonnunquam gravius lauciant animum, quam peccata distincta, e. g. unum furtum centum florenorum magis animum lauciat, quam duo furta, quorum singula fuerunt duorum florenorum: ergo. Resp. neg. ma. Non ait Concilium, quia, sed quæ: quo modo loquendi refutat hæreticos, asserentes, peccata interna non esse tam gravia, ut clavibus Ecclesiæ subici debeant: & docet, ea etiam esse gravia peccata; unde ratio ea exponendi non est, quia quomodocunque graviter animum lauciant, sed quia constituunt peccata mortalia distincta, quorum numerus, & species debet exponi.

649. Ob. 5. Saltem Tridentinum non excludit circumstantias aggravantes: ergo nihil ex illo probatur. Confr. Concilium tantum voluit tradere doctrinas certas, contra hæreticos, nec definiit scholasticas controversias: ergo neque hanc voluit definire. Resp. diff. ant. Tridentinum non excludit circumstantias aggravantes explicitè. conc. ant. non excludit eas implicitè. neg. ant. & conf. videantur dicta à n. 630. Ad confr. jam in simili responsum est n. 159. Quod autem aliqui auctores, etiam in Concilio præfentes, docuerint postea sententiam nobis oppositam, plus non probat, quam quod non satis penetraverint doctrinam Tridentini, vel consequentias ex ea probabiliter deducendas: quod admittere absurdum non est; cum non cuique præfenti, sed Concilio tantum promissa sit assistentia Spiritus S. Certè etiam B. jus Concilio Tridentino interfuit, & tamen ab ejus doctrina longè recessit, ut patet ex n. 208.

Dices C. Consideret. de poenit. diff. 5. petitur, ut circumstantiæ exponantur: ergo debent exponi. Resp. assignari ibi circumstantias tentationis, festi, jejunii, temporis orationis, domus minorum, status personæ, atque ætatis, quæ non universaliter faciunt ad rem, nec sunt materia confessionis necessaria. Adde, quod illo capitulo plura alia afferantur, quæ nullo modo sunt necessaria ad veram confessionem, sed tantum congruentia, ut parebit legenti. Adde, illud capitulum non esse assertum alicujus Pontificis, sed esse desumptum ex libro de vera, & falsa poenitentia, qui quidem tribuitur S. Augustino, at non est ipsius, ut dictum n. 636.

650. Ob. 6. Catechismus Tridentini de sacram. poenit. tit. de condit. & circumstant. ad confess. requisit. ait: Neque verò solum peccata gravia narrando explicare oportet: verum etiam illa, quæ unum-

quodque peccatum circumstant, & gravitatem valde augent, vel minuunt; ergo. Resp. 1. hac ratione probaretur, etiam debere exponi circumstantias alleviantes, quod supra n. 642. jam rejectum est. Respondet 2. Illung in vindic. Haunold. ad controu. 92. n. 422. sub finem. Catechismus id non exigere ad confessionem, prout hæc præcisè ordinata est ad justificationem: sed prout est ordinata ad melius sananda per ipsam, tanquam spirituales medicinam, vulnera animæ, & radices peccatorum evellendas: vult dicere, expositionem circumstantiarum aggravantium tunc tantum à Catechismo exigi, quando hæc expositio poenitenti necessaria est, ut ejus animæ vulnera sanentur, & radices peccatorum evellantur, aliter non evellendæ; sic enim Catechismus loc. cit. immediate ante verba objecta habet: Omnique studium ita eo conferendum est, ut sanemus animam vulnera, & peccati radices evellamus.

Resp. 3. Catechismus saltem satis clarè non loquitur; nam in exemplum circumstantiarum offert mera exempla circumstantiarum specificarum, adulterii, sacrilegii, incestus. Equidem inferius offert quantitates majorem furti, sed statim addit hæc verba: Præsertim verò, qui sacram pecuniam abstulit: quo modo loquendi indicat, quod solum quantitatem, non omnino certò necessariam materiam confessionis existimet. Addit Illung loc. cit. Catechismus tantum velle, quod non sufficienter se explicet qui furatus centum diceret, se unum abstulisse. Adde, quod non videantur auctores Catechismi voluisse statuere aliquid contrarium auctoritati S. Thomæ, quæ satis clarè fiat pro nobis, ut patet ex n. 625. & seq.

651. Ob. 7. Ideo non debemus confiteri circumstantias specificas veniales; quia non habent rationem culpæ mortalis: ergo illas circumstantias, in quibus ea ratio habetur, debemus confiteri: ergo debemus confiteri circumstantias mortaliter aggravantes. Confr. In iudicio humano externo debent aperiri circumstantiæ aggravantes: ergo etiam in hoc iudicio interno. prob. conf. hoc iudicium internum institutum est ad modum, & similitudinem externi: ergo. Resp. neg. conf. Illa est ratio quidem sufficiens: sed oppositum non est ratio necessitans; debet igitur insuper adesse ratio peccati mortalis distincti, vel debet adesse nova specificæ circumstantia, & non tantum excessus unius supra alterum, intra eandem speciem.

Ad confr. om. ant. neg. conf. ad prob. diff. ant. iudicium internum institutum est ad modum externi quoad aliqua. conc. ant. quoad omnia. neg. ant. & consequ. si esset omnimoda paritas, non deberent exponi in sacro tribunal peccata interna, postquam absolutio dari absenti. Adde, quod primum antecessens, quod omisi; sic verum, ratio esse debeat, quod sine illis circumstantiis non sufficienter cognoscatur status cause,

se, quantum requiritur in illo foro : at sine expositis circumstantiis aggravantibus sufficienter (quantum Christus requisivit pro foro interno) cognoscitur status poenitentis.

652. Ob. 8. Sæpe reservantur peccata ob circumstantias aggravantes : ergo istæ sunt materia necessaria confessionis. Resp. neg. conf. Prælati Ecclesiæ sæpe reservant aliquod peccatum propter aliqua, quæ non sunt materia necessaria confessionis : sic in Diocesi Constantiensi reservantur valde multa peccata, sed potissimam partem, quando sunt publica, quin tamen peccatum per se sit gravius, quando est publicum : sic quandoque reservantur peccata, si secunda, vel tertia vice, fuerint commissa, quin relapsus sit circumstantia semper mortaliter aggravans : imò, ut refertur à P. Josepho Vogler in *manuscriptis*, quidam Episcopus Belga reservavit peccata, tempore peregrinationis commissa, quin ista circumstantia per se notabiliter aggravet.

Quare, etsi non reserventur peccata, nisi mortalia, seu quæ sunt materia necessaria confessionis, reservantur tamen ea quandoque, propter circumstantias, quæ non sunt materia necessaria. Hinc, licet per accidens, confessarius debeat aliquando interrogare has circumstantias, vel poenitens eas exponere, ut sciatur, an reservatio annexa sit, an non, tamen per se, & ratione confessionis, ut à Christo instituta, non sunt explicandæ. Dein etiam in tali casu, si poenitens diceret, se commississe e.g. furtum reservatum, videretur se satis accusasse, quin explicaret gravitatem individualem.

653. Ob. 9. Confessario interroganti debet poenitens fateri circumstantias aggravantes : ergo debet, eas sponte fateri. prob. conf. sacramentum hoc petit spontaneam sui accusationem, & interrogatio confessarii non imponit, sed supponit obligationem eam rem exponendi : ergo, prob. jam etiam ant. damnata est ab Innocentio XI. hæc propositio 58. *Non tenemur confessario interroganti fateri peccati alicujus consuetudinem* : atqui consuetudo est circumstantia tantum aggravans : ergo. Confir. Non est gravis deceptio, negare in confessione rem, non necessariam ad confessionem : sed juxta nos negans consuetudinem, non negaret rem necessariam ad confessionem : ergo non committeret gravem deceptionem ; nec graviter peccaret, quod est falsum.

654. Resp. neg. conf. ad prob. dist. ant. sacramentum hoc petit spontaneam sui accusationem quoad materiam necessariam, conc. ante. quoad alia. neg. ant. & conf. ad prob. ant. conc. totum. In hoc sacramento per se tantum requiritur spontanea accusatio sui quoad materiam necessariam : at, quia confessarius habet jus interrogandi, non tantum de peccatis, sed etiam de dispositione poenitentis, ut instructionem, & medici-

nam, tanquam doctor, & medicus, possit adhibere, debet ei poenitens in ordine ad hæc respondere, & non tantum debet materiam confessionis per se necessariam, sed etiam aliam fateri.

Hinc, quamvis sufficienter confessus sit poenitens, tamen potest interrogari, ut sciatur, an ejus casus non sit reservatus, an ipse de cætero sit rite dispositus, & capax medicinæ, vel indigens instructionis. Ubi addo, quòd, quamvis communiter dicitur, in eo tribunali credendum esse poenitenti, id intelligendum sit, si non adsit ratio sufficiens, ei non credendi, qualis utique esse potest in consuetudinariis ; hinc damnata est etiam hæc propositio 60. ab Innocentio XI. *Poenitenti habenti consuetudinem peccandi, contra legem DEI, naturæ, & Ecclesiæ, etsi emendationis spes nulla appareat, nec est neganda, nec differenda ab solutio, dummodo ore proferat, se dolere, & proponere emendationem.*

655. Ad confir. dist. ma. non est gravis deceptio, negare in confessione rem non necessariam ad confessionem, si ea res nullo modo sit necessaria, ad confessionem, neque ex suppositione confessarii interrogantis. conc. ma. si tantum non sit necessaria in hoc sensu, quòd non sit materia per se necessaria ipsius confessionis, seu quòd non sit peccatum numero, & specie distinctum, sit tamen materia ex alio capite necessaria. neg. ma. & dist. sic min. neg. conf. Consuetudo est aliquid grave, pertinens saltem ad dispositionem poenitentis, de qua confessarius merito potest interrogare : imò, si poenitens etiam putaret, se rite dispositum, imò etiam esset paratus omnia facere, ad quæ tenetur, tamen non posset consuetudinem tacere, si confessarius interrogaret ; quia confessarius, cum habeat jus retinendi peccata, item imponendi poenitentias medicinales, exigit pro jure suo, tantam noticiam de dispositione poenitentis, quanta requiritur ad rite fungendum suo officio.

656. Ob. 10. Lex confitendi non est odiosa, sed favorabilis ; quippe poenitenti affert maximum fructum : & si is non rite confiteretur, incurreret maximum damnum : ergo lex confessionis, non debet restringi, sed maxime dilatari : ergo male dicimus, non debere imponi onus in confessione, quod non probatur. Confir. De circumstantiis aggravantibus debemus dolere, ut videtur innegabile : ergo etiam debemus eas confiteri. prob. conf. poenitentia in lege nova involvit confessionem, & contritio est istius votum : ergo. Resp. 1. retorqueo argumentum : ergo possent homines obligari semper ad plures, & plures actus virtutum ; quia etiam DEUS ex suo favore proposuit eis præmium æternum : item possent obligari semper ad actus contritionis, intensiores, & intensiores, præmittendos confessioni : item ad confitendum statim post lapsum &c. quia etiam ista affert fructum, & supposito, quòd essent præcepta,

cepta, nectamen implerentur, causaretur homini eodem modo damnum : quis autem similia onera non rejicit, hac sola exceptione, quòd non probentur ?

657. Resp. 2. dist. ant. Lex confitendi non est odiosa, seu non est purè odiosa. conc. ant. non est onerosa. neg. ant. & conf. Etiam onera, conjuncta cum favore, non sunt aggravanda, ut in ipsa confessione communidimè docent omnes, & patet ex sigillo confessionis, quòd ad levandam difficultatem confessionis à DEO est statutum. Maxime autem non debent addi onera, si favor sine his possit obtineri, quòd fieri potest in nostro casu ; cum enim expositio circumstantiarum aggravantium juxta neminem requiratur necessitate sacramenti, potest sine his expositis gratia, & remissio peccatorum obtineri, si quis scilicet, bona fide fecerit nostram sententiam, eas in confessione omittat : estque in tali casu tam parum periculum damnationis æternæ, quam parum in eo casu, in quo quis omittit exponere peccata, ex invincibili oblivione.

658. Unde, quòd dicunt adversarii, afferendum esse maximum damnum poenitenti, si non rite confiteretur, distingo. si hoc faceret mala fide, seu formaliter malè confiteretur. conc. si id faciat bona fide, etiam si materialiter in re, non necessaria necessitate sacramenti, erraret. neg. hæc enim sententia nostra non versatur circa valorem sacramenti ; cum ex omisissis inculpabiliter circumstantiis aggravantibus istud nullo modo reddatur invalidum ; hinc neque potest contra eandem adduci propositio 1. ab Innocentio XI. damnata.

Ad confir. dist. ant. de circumstantiis aggravantibus debemus dolere, eodem dolore, quo dolemus de peccato, quoad substantiam, & speciem accepto. conc. ant. alio dolore distincto, ex motivo speciali, vel specialiter se reflectente supra istas circumstantias. neg. ant. & conf. ad prob. dist. ant. poenitentia in nova lege involvit confessionem, & contritio est votum confessionis, peccatorum quoad substantiam, numerum, & speciem. conc. ant. quoad circumstantias purè aggravantes. neg. ant. & conf.

659. Ob. 11. Juxta nos, si quis, nescio, quam grave damnum intulisset, vel furtum commisisset, sufficienter se accusaret dicendo : *Grave damnum intuli* : aut : *Summam gravem furatus sum* : hoc videtur non posse dici : ergo. Confir. 1. Juxta nos, qui furatus esset centum florenos, sufficienter se accusaret, dicendo : *Furatus sum unum florenum* : hoc est falsum : ergo. Confir. 2. Si unus conjugatus cum altera conjugata commisisset adulterium, juxta nos sufficienter se accusaret, dicendo : *Commissi adulterium* : hoc iterum est falsum, & teste Illung tract. 2. disp. 2. n. 55. deletum est ex Emmanuele Sa : ergo.

Resp. dist. ma. si peccatum est unum numero, nec intervenit circumstantia specifica, aut casus reservatus, vel quid simile,

conc. ma. secus. neg. ma. & dist. sic min. neg. conf. Quando damnum est valde grave, ordinariè sunt plures actus moraliter distincti, per quos damnum fit. Sæpe etiam intervenit circumstantia nova specifica, crudelitate, impietatis, sacrilegii, læsæ charitatis &c. sæpe etiam lætio est moraliter multiplex ; unde, si confessarius prudenter suspiceret damnum extraordinarium, prudenter interrogat, ut noticiam magis individualem acquirat : præsertim, cum sæpe de restitutione agendum sit.

660. Ad 1. confir. retorqueo argum. ergo, qui per spatium orationis Dominicæ, vel salutationis Angelicæ, inhæret cogitationibus turpibus, sufficienter se accusaret, dicendo : *Per momentum inhefiturpibus cogitationibus* : certè ad hanc reversionem vel debent adversarii respondere, quòd talis debeat, spatium ipsum in individuo, quamvis minimum, exponere, quòd nimis est durum : vel debeat nobiscum argumentum suum solvere. Resp. 2. neg. ma. talis enim non fateretur peccatum suum aggravatum ; quippe confessarius intelligeret, unicum tantum florenum esse furto sublatum ; nam hoc significant voces istæ ex communi modo loquendi ; hinc intelligeret peccatum aliud, quam commissum est.

Quare debet talis peccati reus saltem talibus verbis uti, quibus implicite aliquo modo fateatur circumstantias aggravantes. Nec est ista res levis in ordine ad nocendam dispositionem poenitentis, vel alias obligationes, quas etiam poenitens nullo modo potest ita celare, ut confessario præscindatur occasio interrogandi. Ad 2. confir. neg. ma. velenim differt specie adulterium hoc duplex à simplici : vel certè vox *adulterium* simpliciter prolata, significat tantum adulterium simplex, sicut homicidium significat tantum cædem unius hominis : adeoque se res habet, sicut, si furatus centum diceret : *Furatus sum unum florenum* : quid autem ex his duobus determinatè dicendum, non multum refert ad praxin. vide tract. de peccat. à n. 228.

661. Ob. 12. Ex nostris principiis sequeretur, quòd, qui uno ictu occidisset plures, sufficienter se explicaret, dicendo : *Occidi* : & qui statuisset, singulis diebus per annum fornicari, rite se accusaret, dicens : *Habui voluntatem fornicandi* : hoc est valde laxum : ergo. Resp. neg. ma. Multi quidem auctores, ut Lugo, Tamburinus, Illung, & alii (quos vide citatos in tract. de peccat. n. 204. & 210.) dicunt, quòd actus unus, tendens in objecta plura, numero tantum distincta, sit tantum unum moraliter peccatum, quòd certè, spectando solam rationem, etiam nobis in tract. de peccatis loc. cit. visum est valde probabile. At non propterea sufficit, si quis talis actus reus se tantum accuset dicendo : *Occidi*. vel : *Feci homicidium* : vel : *Habui voluntatem fornicandi* ; nam hæc verba ex communi acceptione significant, tantum unum hominem

fuisse occisum, & tantum semel volitam fuisse fornicationem. At tamen, spectando tantum rationem, & supposito, quod talis actus sit moraliter tantum unum peccatum, videtur sufficere, si talis reus se accuset, dicendo: *Occidi aliquos: vel: Habui voluntatem committendi fornicationes plurimas.* Si cui tamen hæc sententia (de qua in tract. de peccat. n. 204. & seq. actum) nimium laxa videatur, dicere debet cum Dicafillo tr. 8. de penit. disp. 9. dub. 5. n. 261. in talibus calibus dari peccata moraliter plura; eoque ista objecta non coalescant. Suadendum est, ut numerus talium objectorum exponatur: quod autem univ ersaliter sit stricta obligatio, etiam non dixerim.

ARTICULUS VIII.

Quanam Peccata dicenda sint positivè, aut negativè dubia.

662. **D**ubium latè sumi potest pro iudicio formidoloso, & incerto: quo sensu incerta vocamus dubia, & multas opiniones probabiles vocamus dubias. At verò, si *dubium* strictè sumatur, tunc, ut rectè ait Bardi *discept. 5. de conscient. dubia c. 1. n. 1.* est *suspensio intellectus, manentis in equilibrio inter duo contraria, & non assentientis, neque dissentientis.* ita saltem communis auctores, contra quosdam, qui requirunt iudicium formidoloso de propositionis fallibilitate, quos rejicit Vasquez, & Bardi *loc. cit.* ex eo, quod sine hoc iudicio, modò suspendatur assensus, homo jam dubitet, & si homo ita constitutus operetur, cum conscientia dubia operari dicatur.

663. Jam hæc suspensio intellectus provenire potest ex defectu omnis mediæ, seu rationis in utramque partem: sic e. g. nec habemus rationem dicendi, astra esse numero paria, nec habemus rationem itud negandi: & hanc suspensionem intellectus alii vocant *dubium negativum*: alii verò negant, talem suspensionem esse dicendam dubium, sed potius esse nescientiam. Bardi *discept. 5. de conscient. dubia c. 1. n. 6.* rectè ait, talem suspensionem intellectus ob defectum omnium rationum vocandum esse *dubium metaphysicum*, non verò *morale*; quando enim intellectus neutri parti potest assentiri, præcisè ideo, quia utrumque tantum potest absolute esse, fundatur dubium in mera metaphysica, vel physica rei possibilitate: e. g. possibile est, me aliquod peccatum in pueritia, ante plures annos patrâsse: nec tamen habeo ullam rationem, id asserendi: sed neque habeo rationem sufficientem, id absolute negandi: & hoc dubium, hîc auctor ait, in moralibus non mereri nomen dubii, atque esse contemnendum.

664. Alias autem potest hæc suspensio intellectus provenire ex rationibus in u-

trunque partem, quarum tamen nulla tam gravis est, ut vi illius possit ferri iudicium probabile (sive iudicium probabile sumatur pro objective probabili, sive pro subjective probabili, de quo discrimine dictum in tract. de actib. hum. n. 208. & 301.) e. g. aliquis novit suam fragilitatem, qua jam aliquoties lapsus est in certum aliquod peccatum, quamvis aliquoties etiam vicerit tentationem: recordatur etiam, se passum fuisse iterum tentationem similem: nec ex his, vel similibus indiciis, sufficienter movetur ad probabile iudicium, hæc in referendum: tunc dubitat, an suggestioni consentiat, an eam repulerit: hoc in casu datur *dubium negativum*, & quidem (ut bene docet Bardi *discept. 5. de conscient. dubia c. 1. n. 6.*) *morale, & Theologicè tale*; ipsa enim tentatio cum his circumstantiis, & fragilitas cum lapsibus aliquot præcedentibus, instantibus tamen in oppositum etiam aliquot vicioris, dant occasionem dubitandi: sed non sufficiunt, ad absolute probabiliter iudicandum, lapsum contigisse, neque etiam ad iudicandum, illum non contigisse.

665. Tale dubium etiam, ut notat Cardenas in p. 2. crisis Theol. tr. 6. disp. 4. c. 1. n. 2. & 3. dicitur *dubium probabile*, à quo contradistinctum est *dubium irrationabile, seu scrupulosum*: quo in sensu etiam S. Antoninus 1. p. tit. 3. c. 10. §. 10. dubium probabile, quod opponit scrupulo, accipit, sic scribens: *Sumendo proprie, & strictè dubitationem, videlicet, prout rationes sunt aequè ponderantes ad utramque partem, nec magis declinat quis ad unam, quam ad aliam.* & 3. p. tit. 14. c. 19. §. 3. ait: *Et intelligitur de dubio probabili, quod habet rationem, non magis ad unam partem, quam ad aliam: hoc est proprie dubitare: scilicet est de dubio scrupuli.* S. Antoninum citat, & sequitur Tabiena v. Confessio 11. q. 11. n. 22.

Unde non est idem, dubium probabile, & dubium, ortum ex rationibus utrinque probabilibus, sufficientibus ad assensum probabilem; illud enim tantum est dubium non irrationabile, nec habet fundamenta sufficientia ad assensum probabilem: at verò secundum habet talia fundamenta: & istud dubium, seu, quod datur, quando habentur in utramque partem rationes, sufficientes ad ferendum iudicium, sive subjective, sive saltem objective probabile, saltem nunc ab auctoribus modernis (cum quibus & ego sentio) vocatur communis *dubium positivum*: intellige, quamdiu intellectus neutri parti assentitur; quando enim alicui assentitur, eo ipso tollitur dubium. & datur *assensus probabilis.* vide etiam tract. de actib. hum. à n. 241.

666. P. Ulloa tom. 4. disp. 7. c. 2. cum n. 7. dubium positivum explicasset, sicut nos modò explicavimus, postea n. 8. dubium negativum aliter explicat: & ait, istud tunc dari, quando apprehendis, te peccasse, ita tamen, ut non occurrant rationes graves pro affirmatione, nec pro negatione, & hac simi-

similitudine rem ulterius explicare contendit. Meticulosus quispiam, si descendat de nocte in cryptam, ubi mortui, vel eorum ossa jacent, apprehendit vivaciter, surrecturum aliquem mortuum, &, nescio quid, dicitur, aut facturum, quamquam non habeat rationem, id affirmandi, vel negandi; cum aliquoties id contigerit, non autem semper: & sic negativè dubitat. Quare ait, dubii negativi fundamentum esse certam evidentiã moralem circa alterutrum: ex quo dein inferat, talem apprehensionem peccati, quamvis mordacem, destitutam tamen sufficienti ratione, ad iudicandum alterutrum, reduci ad meram formidinem, ac metum: consequenter posse prudenter deponi instar scrupulorum: sicut scilicet prudenter meticulosus ille suum metum deponit.

667. Sed videtur supponere hic auctor, quòd, quandoque non adest prudens ratio ad positivum iudicium, semper dubium sit contemptibile, sicut merus scrupulus: hoc autem non est verum; quia utique aliud est inanis scrupulus, aliud dubium rationabile; etsi enim rationes sufficientes non sint, ad absolute iudicandum, sufficientes tamen sæpe sunt, ad rationabiliter dubitandum. Certè dari talia rationabilia dubia, quæ non statim possint deponi absolute ratione, supponunt auctores communiter: & si appelletur ad cuiusque conscientiam, id ipsum debet fieri. Insuper videtur hoc vel ex eo patere, quòd sapissimè homines rationabiliter dubitent de numero actuum, seu peccatorum suorum, nec in alterutram partem possint, se determinare.

668. Sanè ille, de quo n. 664. qui nec calidus, nec frigidus est, præsertim si etiam negligentiam in repellenda tentatione advertit, utique rationabiliter dubitat, an non sit lapsus: nec tamen se statim tanquam de certo peccato accusare potest. Nec est paritas cum illo meticuloso; cum enim talia miracula non fiant, nisi rarissimè, & ex specialibus causis, utique potest facile quis tanquam multò probabilius iudicare, nullo mortuum surrecturum. Quare, cum loc. cit. & infra n. 12. Ulloa dicat, se cum ijs, qui dubium negativum aliter accipiunt, non disputare, etiamsi videatur, nobis esse contrarius, tamen re ipsa non est; quia nos non hanc dubii negativi explicationem, sed superiorem ex P. Bardi, cum communi admittimus. Adde, quòd Ulloa videatur n. 7. dicere, se tantum loqui de hac sententia, spectando principia intrinseca, non verò extrinseca, seu auctoritatem.

669. Jam verò dubitare quis potest, seu negativè, seu positivè. 1. an id, quod est certò peccatum mortale, fuerit à se commissum. 2. an id, quod certò est à se commissum, fuerit peccatum mortale, an verò veniale, seu ratione materiæ, seu ratione sufficientis deliberationis. 3. an id, quod est certò mortale, atque etiam certò commissum, jam fuerit rite in confessione

expositum: quod tamen ultimum dubium non est peccatum: & in hoc tertio casu non datur peccatum negativè dubium: sed tantum est dubium, an obligationi certæ jam sit satisfactum: at tamen etiam hoc dubium hac occasione solet resolvi.

Nota autem, hîc non agi de scrupulosis, quorum sæpe etiam iudicia, & non tantum dubia, sunt irrationabilia: & quamvis aliquando rationabilia forent, tamen præsumptiones fieri debent, ex communiter contingentibus: neque Christus obligat ad materialem integritatem confessionis, cum periculo amentia, desperationis, vel aliorum gravissimorum malorum, quæ scrupulosis sæpe incurrerent, si dubia sua confiteri deberent. Agitur itaque hîc de non scrupulosis negativè dubiis.

ARTICULUS IX.

An Peccata negativè dubia sint necessariò in confessione exponenda.

670. **D**ico. Qui negativè dubitat, an peccatum, à se certò commissum, & quidem mortale, jam fuerit legitime confessus: item, qui negativè dubitat, an peccatum, quod est certò grave, fuerit à se commissum: aut, qui dubitat, an id, quod certò commisit, fuerit peccatum grave: tenetur de tali peccato in sacro tribunalis se accusare, non quidem absolute, sed sub dubio. De prima parte conclusionis non est difficultas; cum enim in eo casu clarè præceptum confessionis sit in possessione, nec sit ulla prudens ratio, absolute suadens, ei jam satisfactum fuisse, adhuc semper urget ejus obligatio: & non minus urget ista obligatio, quam, si dubites, an dies sabbathi sit elapsus, urgeat obligatio abstinentiæ à carne. Scilicet obligationi certæ non satisfactum fuisse dubia: & peccator, cui incumbit onus probandi, non potest probare, se satisfecisse. Accedit, quòd rationes, afferendæ pro reliquis partibus hujus conclusionis, etiam militent pro ista.

671. Aliud est, si quis probabiliter iudicet, se id peccatum jam esse confessum; tunc enim, quamvis obligationi certæ per se non satisfiat per solutionem incertam, tamen præsumere potest, benignissimum DEUM contentum esse tali solutione, ne infinitis anxietatibus, & scrupulis, fideles obruantur: quod contingeret, si, quoties non certò recordarentur, an peccata exposuerint (quod ob labilem memoriam frequentissimè accidit) deberent ea rursus confiteri. Quare etiam, qui confessiones suas ordinariè, præmissis debito examine, instituit, præsumptionem pro se habet, quòd peccata sua rite confessus fuerit, nisi ei specialis ratio dubitandi occurrat.

672. Jam reliquas duas partes conclusionis, scilicet, quòd dubius de eo, an, quod certò à se commissum est, sit peccatum mortale

rale, an veniale: & dubius de eo, an, quod certò est mortale, sit à se commissum: debeat se in sacro tribunali de tali peccato dubio accusare, (non enim faciunt auctores inter hæc duo quoad hanc obligationem discrimen) tenent fermè omnes impressi, quorum octoginta singillatim à se inspectos refert P. Josephus Vogler in *manuscriptis*, & eorum nomina videri possunt apud P. Dichel in *problem. Theol. probl.* 7. n. 24. quibus alii adhuc accedunt.

Sequentes autem auctores à me accurate inspecti, & lecti sunt. Catechismus Romanus, qui de *sacram. penit. titulo de conditionibus, & circumstantiis* &c. ait: *Ea enim confessio esse debet, qua nos tales sacerdoti aperiat, quales nos ipsos novimus, certaque pro certis, ac dubia pro dubiis demonstrat.* S. Thomas in 4. dist. 21. q. 2. a. 3. ad 3. S. Bonaventura in 4. dist. 17. p. 3. a. 2. q. 1. in corp. S. Antoninus 3. p. tit. 14. c. 19. §. 8. S. Albertus M. in 4. dist. 17. a. 64. Alensis p. 4. q. 18. membro 4. a §. 5. Gerson parte. 2. sermon. de penitent. in *cena Domini, considerat* 4. Labiena v. *confessio II.* q. 11. n. 22. Sylvester v. *confessio II.* n. 3. Victoria in *summa sacrament. de confessione.* n. 130. Angelus v. *confessio sacrament. I. n.* 35. Fumus in *Armilla. v. confessio n.* 5. Cajetanus in *summa v. confessio c. 1. in 4. conditione.* Navarrus in *manuali c. 14. n.* 26. Dominicus Sotus in 4. dist. 18. q. 2. a. 4. §. Sed arguer. Joan. Medina de *penit. tract.* 2. de *confessione.* q. 5. §. de *confit. venialibus ad 3.* Toletus *summa casuum, seu instruct. sacerdot. l. 3. c. 7.* Bellarminus tom. 3. *controv. 4. de penit. l. 3. c. 1. §. Dubitari solent.* ubi ait, quòd negare obligationem confitendi peccata dubia non parvus sit error. Suarez tom. 4. in 3. p. dist. 22. sec. 9. n. 1. & 2. Thomas Sanchez in *decalog. l. 1. c. 10. n. 66. & 67.* ubi citat 40. alios auctores, atque, testari id usum Ecclesie, ac colligi ex universis doctoribus antiquis, & neotericis, qui ut rem certam unanimiter id doceant. Sa in *aphorif. v. confessio n.* 7. Bonacina *tract. de sacram. disp.* 5. q. 5. sec. 2. punct. 2. *difficult.* 4. n. 1. Valentia tom. 4. dist. 7. q. 9. punct. 3. §. *Quod si quis.* Azor tom. 1. *institut. moral. l. 11. c. 4. q. 3.* Tannerus tom. 4. dist. 6. q. 7. n. 48. Castropalao p. 4. *tract. 23. disp. unic. punct.* 9. n. 16. & 17. Fillius tom. 1. *tract.* 7. c. 4. n. 108. & 109. Gobat *alphab. confessar. seu tract.* 7. casu 5. à n. 208. Lugo de *penit. disp.* 16. sec. 2. §. 3. Arriaga tom. 8. de *penit. disp.* 31. sec. 3. n. 28. dicens, omnes doctores hucusque (scilicet usque ad annum 1648. quò appobatus fuit liber) ita sensisse. Oviedo in 1. 2. *tract.* 5. *controv.* 4. punct. 7. n. 57. ajens, id suadere communem Ecclesie praxin, & communem doctorum consensum, seque nullum scire, qui de hoc dubitaverit, excepto scilicet Coninck (quem n. 55. arguit inconfidentie doctrinæ) & Præposito: scripsit autem Oviedo anno 1643. ut colligitur ex

approbatione libri. Amicus tr. 8. de *penit. disp.* 13. sec. 3. n. 55. Layman l. 1. c. 5. n. 37. Tamburinus *method. expedit. confess.* l. 2. c. 1. §. 3. n. 17. Busenbaum l. 6. *tract.* 4. c. 1. *dub.* 3. art. 1. n. 7. Sporer *Theol. sacram. part.* 3. n. 392. Diana p. 4. *tract.* 3. *resolut.* 5. Metzger tom. 4. tr. 18. *disp.* 47. a. 3. n. 5. Wenzl tom. 4. p. 13. *controv.* 6. q. 2. n. 48. Gaspar Hurtadus tom. 1. de *sacram. & cens. tr. de penit. disp.* 9. *difficult.* 7. Bardi de *confitent. dubia. discept.* 6. c. 11. part. 4. §. 1. n. 4. Dicastillo *tract.* 8. de *penit. disp.* 9. *dub.* 7. n. 278. Martinus Perez de *penit. disp.* 21. sec. 3. & 4. Esparza l. 10. q. 90. art. 1. ad 5. Illung *tract.* 6. *disp.* 6. q. 4. n. 112. Placeus part. *post. de sacram. c. 6. n. 792. & seq.* Gervadius Britacensis tom. 6. *tract.* 5. de *penit. disp.* 2. q. 4. a. 2. n. 162. Reiffentuel *Theol. moral. tract.* 14. *distinct.* 7. n. 54. Gormaz de *sacram. penit. n.* 131. La Croix l. 6. p. 2. n. 610. ubi ait, Moiam, qui per 30. annos docuerat oppositam, tandem transisse ad nostram. Qua in re etiam notandum, quòd auctores communiter nostram sententiam vocent certam, quin alii, qui apud Schildere *tract.* 6. c. 5. n. 42. satis severè loquuntur de sententia opposita.

673. Quamvis autem aliqui antiqui loquantur præcipuè de eo casu, in quo dubium est, an actus commissus sit mortalis, an venialis, tamen rationes, quas afferunt, universaliter probant, etiam de altero dubio, & eandem de hoc eorundem auctorum mentem fuisse indicant, etsi casum in terminis non proponant; eoquòd alterum solum examinent, vel de confessione venialium agant. Si adversarii concederent obligationem exponendi actum, de quo dubitatur, an sit mortalis, an venialis, de altero casu non multum dubitarent.

Solus, quantum scio, Coninck tom. 2. *disp.* 7. de *penit. dub.* 8. n. 69. dicit, tunc aliquem non teneri ad confessionem, quando dubitat negativè, an actum peccaminosum commiserit, an non: quamvis eod. num. expressè dicat, si quis dubitet, an actus à se commissus sit mortalis, an venialis, teneri eum ad confessionem: item etiam teneri, si dubitet, an peccatum suum jam confessus fuerit, in quibus tamen, præsertim in priore, eum Oviedo meritò arguit inconfidentie doctrinæ. Ego autem obiter noto, eum immeritò pro se citari ab adversariis, à quibus saltem quoad bina capita dissentit. Plures autem nostri auctores docent etiam alterum membrum, scilicet, quòd quis debeat exponere peccatum mortale, de quo dubitat, an fuerit à se commissum, an non; prorsus enim indiscriminatim loquuntur, ut Gerson, Cajetanus, & alii. Plures etiam hoc alterum membrum omnino expressè docent, ut Tabiena, Sotus, Suarez, & plures ab hoc citati: quod etiam communissimè faciunt paulò recentiores auctores, quos, & modò nominatim adductos, vide *locis n. 672. citatis.* & hos adhuc alii sequuntur.

674. Hic etiam obiter noto, auctores aliquos, non omnino antiquos, qui nostram sententiam omnino tenent, tamen dicere, eam ex ratione non esse adeò firmam. Sed hoc eorum dictum intelligendum est cum grano salis; licet enim eam sententiam non velint omnino firmam, ex ratione intrinseca, tamen non negant, eam esse firmam, ex ratione extrinseca, seu communi auctoritate, praxi fidelium &c. ex quibus maximè debet probari voluntas, seu institutio Christi, à qua pender tota quanta obligatio confitendi peccata dubia: sicut & aliarum sententiarum, eodem modo pendentes à voluntate, vel ordinatione Christi, debent eodem modo probari.

Primus, qui oppositum apertè docere est ausus, fuit Caramuel, quem tacito nomine refellit Arriaga tr. 8. de *penit. disp.* 31. sec. 5. Citat quidem Caramuel pro se viginti duos circiter alios secum sentientes, quos mox alii augent ad triginta duos: sed videatur Arriaga cit. *disp.* 31. sec. 5. à n. 40. & Cardenas 2. p. *crisis Theol. disp.* 46. c. 1. à n. 9. & vix pauculos rectè citari apparebit.

675. P. Haunoldus l. 4. tr. 4. n. 1005. quamvis ipse absolute nihil decidat, tamen ait, sententiam oppositam hodie non pauciores habere patronos: quòd, pace tanti viri dixerim, non potest ulla ratione defendi, nisi fortè intellexerit, quòd circa annum 1670. quo ejus Theologia est impressa, fortè totidem fuerint, qui oppositam, quam qui nostram dictarint, in nostra Provincia: quod tamen ipsum est probabilius falsum: certè nullo verbulo assertum istud probatur: neque etiam potest probari: sanè si de hoc asserto certò constitisset, vix Illung ejusdem P. Haunoldi discipulus, eique alias additissimus, deseruisset sententiam, in quam magistrum suum vidit valde propensum (nam ejus propensio ex n. 1010. satis patet) uti tamen deseruit. Sed & lustrando theses, circa ea tempora Ingolstadtii editas, plures inveni nobis confidentes.

Addendum, quòd, quando adversarii inveniunt aliquem, qui, licet nostram sententiam dicat esse multò probabiliorè, & in praxi tenendam, simul tamen ipsorum sententiam aliquo modo probabilem dicat, ut e. g. Layman, statim eum pro se citent, quamvis ipse neutiquam directè contentent: sed ad summum, per reflexionem ad principia de licito usu opinionis probabilis, aliquatenus possit indirectè in ipsorum favorem trahi. Aliqui adversarii videntur dicere, quòd Haunoldus ultra auctores citatos à Caramuele, addat alios viginti: sed hoc est falsum; nam repetit illorum saltem plures: & quos etiam ipse citat, non favent adversariis, nisi indirectè: imò quidam prorsus non, e. g. Arriaga, qui, licet cit. *disp.* 31. n. 28. dicat, oppositam, à ratione intrinseca probabilem posse videri, tamen n. 42. expressè ait, frustra in hoc casu rationes quæri, nec posse hanc questionem, nisi auctoritate decidi; unde nunquam sensit

Arriaga, veram probabilitatem oppositæ sententiæ inesse, quòd apertè patebit legenti, quæ sec. 5. cit. *disp.* scribit: dein auctores ab Haunoldo citatos acriter cribrat Cardenas, ut jam dictum.

676. Adversarii tamen inter ultimos accessit Dominicus Viva *Cursus Theol. p. 8. disp.* 4. q. 3. n. 10. qui etiam aliquos citat pro se, quos alii ei meritò eripiunt: certè citat S. Antoninum, & Tabienam, qui oppositum clarè tenent (vide loca citata n. 672.) & prorsus non est verosimile, quòd dicit, eos tantum velle, quòd quis tunc peccatum debeat confiteri, quando habet rationem unicè probabilem, quòd illud commiserit: nullam autem probabilem, quòd non commiserit: quòd vult exculpere ex eo, quòd S. Antoninus loquatur de dubio probabili, quòd tamen longè aliud sonat apud S. Antoninum, ut patet ex n. 665, & ex *tract. de act. human. n.* 242. ubi clarè ostendimus, S. Antoninum requirere ad dubium probabile rationes, non magis ad unam, quam ad alteram partem declinantes: Tabiena autem loc. n. 672. citato expressè ait, se loqui de dubio, quòd non habet rationem, magis ad unam partem, quam ad aliam.

677. Prob. jam conclusio ratione, quæ movit Mojam, ut (sicut dictum est n. 672.) postquam triginta annis docuisset sententiam oppositam, transierit ad nostram: quæ ratio etiam movit Cardenam, ut, cum prius in p. 2. *crisis Theolog. disp.* 46. n. 259. oppositam judicasset verè probabilem, postea in 3. p. *crisis. disp.* 7. c. 2. n. 8. hoc suum judicium expressè retractaverit: qua ratione quoque, tanquam potissima, nostri auctores communiter nituntur. Est autem hæc. Quid debeamus confiteri, vel non, pender à voluntate Christi, qui utique potuit, fideles obligare ad exponenda etiam peccata dubia: & hæc voluntas Christi debet nobis innoscere ex auctoritate, & constanti Ecclesie traditione, ac praxi: atqui auctoritas pro nobis est incomparabiliter major: praxis etiam fidelium constans est, & universalis, & immemorialis (certè ejus initium nescitur) confitendi peccata ita dubia, ut dubia: ergo.

Major quoad 1. p. est clara. quoad 2. p. etiam videtur innegabilis; nam ex ratione, quæ ab auctoritate sit distincta, colligi nequit jus positivum Divinum, aut voluntas Christi, liberè aliquid statuentis, ut rectè arguit Arriaga tom. 8. de *penit. disp.* 31. sec. 5. n. 42. unde colligi debet, vel ex clara revelatione, vel ex communi sensu fidelium, & doctorum: & certè ex hac ratione communiter etiam ab adversariis plures probantur sententiæ. Sic e. g. sententia de reviviscencia meritorum quomodo aliter, quam simili auctoritate, vel sensu communi probatur? Deinde, quòd etiam praxis, seu consuetudo Ecclesie, sufficientissimè probet voluntatem Christi, habetur ex ipso Tridentino sess. 13. c. 7. ubi ait: *Ecclesiastica hæc consuetudo declarat, eam probationem necessa-*

cessariam esse, ut nullus sibi conscius mortaliter peccati, quantumvis sibi contritus videatur, absque premissa sacramentali confessione, ad sacram Eucharistiam accedere debeat: ergo voluntas Christi circa dispositionem ad sacram communionem habetur ex praxi Ecclesiae: & par est ratio de voluntate Christi circa alia. min. quoad 1. p. seu auctoritatem sat clara est ex n. 672. & clarior erit cuique legentes auctores, praesertim antiquiores. quoad 2. partem verò, seu quoad praxin fidelium, est etiam satis clara ex auctoritate. vide plura n. 694.

Et hæc probatio conclusionis videtur omnino esse solida, & se sola sufficiens: nec eam evertit auctoritas recentiorum nobis oppositorum, quæ videtur oppositam sententiam reddere probabilem; nam, quidquid sit de probabilitate contrariæ sententiæ, per eam auctoritatem recentiorum non evertitur nostrum argumentum à testimonio de praxi fidelium; semper enim manet, quòd pro nostra sententia stet ingens nubes testium, qui praxin istam dari testantur. Id tamen concedo, posse istos recentiores, vel iis bona fide sentientes, excusari ignorantia invincibili hujus obligationis; eoquod bona fide putent, vel eam ex praxi non bene inferri, vel ipsam praxin non sufficienter probari: quam tamen nos putamus satis probatam.

678. Probatur tamen conclusio 2. ex Illung tr. 6. disp. 6. q. 4. n. 112. Peccata gravia dubia debemus confiteri ante communionem ex præcepto penitentiae: ergo sunt materia necessaria confessionis. conf. patet; neque enim dici potest, Christum in hoc casu præcepisse confessionem materiae, in aliis circumstantiis non necessariæ; hoc enim prorsus est incredibile, & gratis dictum, ac contra persuasionem omnium. ant. prob. debemus de peccatis dubiis ante communionem conteri: ergo debemus etiam illa confiteri. ant. videtur negari non posse; quia ante communionem utique debet quis posse probabiliter judicare, se esse in statu gratiæ, & amicitiae DEI, quale iudicium habere non potest, qui rationabiliter dubitat, an graviter peccaverit, donec saltem contritionem eliciat. Et quis, obsecro, dicit, sacerdotem, qui rationabiliter dubitat, an non suggestioni mortaliter gravi confenserit, & non potest prudens formare iudicium de negatione consensus, quis, inquam, dicit, talem integro anno, imò diutius posse celebrare quotidie, quin prius contritionem eliciat? Certè hoc esset nimis laxum, & contra dictum Apostoli 1. Cor. 11. v. 28. Probet autem seipsum homo, & sic de pane illo edat &c.

679. Prob. jam conseq. Si necessaria est contritio de illis peccatis ante communionem, tunc etiam necessaria est confessio; nam probatio illa, de qua loquitur Apostolus, citatus num. præced. debet fieri per confessionem, ut habetur ex Tridentino citato n. 677. ubi ait, Ecclesiasticam con-

suetudinem id declarare: ex quo rectè infert Suarez tom. 3. in 3. part. disp. 66. sec. 3. §. Dico tertio. Concilium dicendo declarat, ostendere, non esse præceptum Ecclesiasticum (alias diceret statuit, determinat, obligat vel quid simile) sed esse præceptum Divinum in, Ecclesia semper observatum: quod confirmatur etiam ex eo, quòd non sciatur hujus præcepti origo: nec sciatur id esse latum ab ullo Pontifice, aut Concilio: quod indicat, hoc esse præceptum Divinum, à S. Paulo, citato num. præced. promulgatum, & nobis per traditionem intimatum; nam, ut rectè ait S. Augustinus l. 4. de baptis. contra Donatist. c. 6. Illa consuetudo, quam etiam tunc homines, sursum versus respicientes, non videbant à posterioribus institutam, rectè ab Apostolis tradita creditur.

680. Confir. ex Cardenap. 3. crisis Theol. disp. 74. c. 3. n. 19. Ex præcepto penitentiae quilibet defecto tenetur id confiteri, de quo antecederet ad institutionem sacramenti penitentiae debebat conteri; hoc enim videtur esse innegabile; primò ob definitionem Tridentini, quod sessio. 6. c. 14. docet, Christiani hominis penitentiam post lapsum multò aliam esse à baptismali, eaque contineri, non modo cessationem à peccatis, & eorum detestationem, aut contritionem, & humilitatem, verum etiam eorum sacramentalem confessionem, saltem in voto, & suo tempore faciendam: secundò ob consensus omnium; hoc enim supponit S. Thomas in 4. disp. 17. q. 3. a. 1. questio. 4. in corp. & Suarez tom. 4. in 3. p. disp. 22. sec. 9. n. 1. atqui tenetur homo, non tantum ex lege charitatis erga se ipsum, sed ex præcepto ipsius penitentiae, detestari peccata dubia, & de iis conteri: ergo.

681. Prob. mi. Penitentia obligat hominem, ut se constituat in eo statu, ut saltem probabiliter possit judicare, se esse reconciliatum cum DEO: atqui tale iudicium non potest homo ferre, nisi de peccatis etiam dubiis contritionem elicerit: ergo. ma. videtur non posse negari; nam finis penitentiae est, ut homo iterum reconcilietur cum DEO, & ex hoc sine jubetur homo agere penitentiam; adeoque vi penitentiae tenetur tantum facere, quantum requiritur, ut possit saltem probabiliter judicare, se finem penitentiae obtinisse, seu cum DEO reconciliatum esse. mi. etiam videtur negari non posse, quomodo enim probabile tale iudicium is formabit, qui non potest se liberare à dubio, an non sit adhuc inimicus DEI?

Notanter dixi ex præcepto penitentiae; nam ea, circa quæ versatur hoc præceptum, spectant per se ad confessionem: non autem per se spectant ad confessionem ea, de quibus tantum debemus aliquando conteri ex præcepto alterius virtutis, e. g. castitatis, si quis iudicaret, se non posse vincere novam tentationem contra hanc virtutem, nisi contritionem eliceret, de peccatis pri-

oribus, contra eam virtutem admissis; quamvis jam semel in confessione expositis; licet enim talis in hoc casu, ad evitandum novum peccatum, deberet contritionem de illis peccatis elicere, non tamen ea deberet iterum confiteri. videri etiam potest Cardenas in 3. p. crisis disp. 74. c. 3. n. 30.

Dices. Etiam debemus eodem modo conteri, de peccatis invincibiliter ignoratis, quin debeamus ea confiteri: ergo obligatio ad contritionem non infert obligationem ad confessionem. Resp. neg. ant. Non debemus eodem modo per se de illis conteri; quamdiu sunt invincibiliter ignorata; nam invincibiliter ignorans suum peccatum potest licitè absque contritione accedere etiam ad sacram communionem; quamvis enim laudabile sit, prius elicere contritionem, tamen non est obligatio; cum talis invincibiliter ignorans, non tantum probabiliter, sed etiam moraliter certò, possit judicare, se esse in statu gratiæ, quod sufficit ad communionem: hoc autem judicare non potest negativè dubius. Aliud est, quòd, quando volumus confiteri, debeamus elicere dolorem universalem, se extendentem ad omnia etiam invincibiliter ignorata peccata, ne, cum unum peccatum grave non remittatur sine altero, fortè sacramentum fiat infructuosum, vel probabilius omnino invalidum. At hoc non debet fieri ratione communionis, vel ratione obligationis, quam habemus constituendi nos in eo statu, ut possimus judicare prudenter, nos esse DEO reconciliatos. Adde, quòd peccata invincibiliter ignorata non possimus exponere; unde ab eorum confessione excusati impotentia: at possumus exponere peccata dubia ut talia.

682. Prob. conclusio 3. Dubius de numero peccatorum tenetur, se accusare sub dubio de illo numero, dicendo: Hoc feci, e. g. vigesies, plus minus: vel: Feci circiter decies, vigesies, centies &c. ut sentiunt omnes hucusque auctores: & quidem sentiunt, id esse sub præcepto; hinc tam accuratè quarunt, quid sub illis terminis circa, circiter intelligatur: & docentur hoc etiam parvuli omnes in catechesi: estque certissima praxis omnium fidelium, & quidem existimantium, se omninò teneri, numerum sic explicare: atqui ad hoc nemo teneretur ex principiis adversariorum: ergo.

Prob. jam. min. Qui dubitat, an vigesies peccaverit, scit certò, se aliquoties peccatum illud parasse: & erit aliquis numerus minimus, de quo non dubitat: ergo sufficienter juxta adversarios se accusaret, exponendo illum numerum minimum certum, & reliqua omitendo, tanquam negativè dubia; eadem enim prorsus est ratio, sive dubitem, an peccatum commiserim, sive dubitem, an sapius commiserim; quia tandem est dubium, an illis vicibus peccatum commiserim: & si peccatum dubium ex Tridentino, ut volunt adversarii, non est materia necessaria confessionis, neque

erit numerus dubius; quia Concilium æqualiter loquitur de utroque; unde qui dubitaret, an semel, an bis, antea, fecisset peccatum, deberet tantum dicere, Semel feci. Nec dicas, penitentes sæpe quidem non dubitare, se aliquoties lapsos fuisse: sed nullius lapsus deterrere sumpti, certò meminisse: adeoque saltem in tali casu eos teneri ad explicandum numerum, adhibitis particulis circa, circiter &c. Resp. enim 1. et si hoc fortè possit contingere, tamen etiam æquè sæpe, aut sapius contingit, ut quis aliquoties lapsus determinatè actorum certò recorderetur, & tamen merito dubitet, an non pluribus vicibus lapsus sit; & in hoc casu hucusque auctores communissimè docuerunt, exponendum esse numerum sub dictis particulis: quod tamen juxta adversarios non esset necessarium.

Resp. 2. Si penitens certò sciat, se aliquoties peccasse, difficile capere est, quòd non unius, vel alterius determinati actus peccaminosi recorderetur; alias enim videtur dubitare de omnibus, adeoque juxta adversarios esse absolutus ab omni obligatione se de talibus peccatis accusandi. Resp. 3. Si tamen contingeret, ut quis certò sciret, se aliquoties lapsus, nec tamen ullius determinati peccati certò recorderetur, deberet talis juxta adversarios tantum dicere infimum numerum, quem non dubitaret à se impletum, & hoc sufficeret, quin se per particulas circa &c. de pluribus sub dubio accusaret: quod tamen planè videtur esse contra constantem praxin fidelium.

ARTICULUS X.

Solvuntur Objectiones.

683. OB. 1. ex quodam recentiore. Auctores antiqui non stant pro nostra sententia: ergo ruit potissimum nostrum fundamentum. ant. prob. possunt illi auctores explicari, vel de dubio practico, vel de dubio tali, in quo rationes valde graves probant peccatum existere: at e contra tantum leves rationes, nec sufficientes ad iudicium probabile, stant pro negatione peccati: ergo. Resp. neg. ant. ad prob. neg. ant. seu nego, id posse dici. Certè mirabile foret, si per centum, & amplius annos, doctissimi viri, Suarez, Sanchez, Lugo &c. qui rem istam fusè examinant, non intellexissent antiquorum scripta: imò putassent, eos loqui de questione, quæ, ut hic recentior asserit, ipsis nec in mentem venit: quæ ejus assertio facit, ut vix non suspicer, hunc recentiorum auctores antiquos non satis diligenter legisse.

Sanè viri doctissimi communissimè antiquos accipiunt de dubio negativo propriè tali. Neque antiqui loquebantur de casu, quando pro negatione peccati vix ratio adest; nam e. g. S. Antoninus, & Taberna citati n. 665. item Sylvester citatus n. 672. &

& alii, in terminis oppositum dicunt : alii autem loquuntur de dubio , quo intellectus manet anceps , atque suspensus : atqui , si ratio tam probabilis , & tanta , stet pro existentia peccati , ut nulla vera probabilitas , quantumvis minor , maneat pro ejus negatione , intellectus non manet suspensus : imò videtur talis homo , saltem in consortio alterius materiæ certæ , posse absolutè se accusare de peccato ; eùm prudentissimè possit illud affirmare , tanquam aliquo modo moraliter certum ; ut enim rectè ait Franciscus à Victoria in *summa sacramentorum v. confessio. n. 130. In rebus moralibus* (per errorem typi habetur *mortalibus*) *debemus procedere ex crassè conjecturis* . & rursus : *In rebus autem moralibus vocatur demonstratio, ubi habeo conjecturas pro una parte . & non pro alia , licet habeam formidinem ejus* : & tamen doctores cum S. Thoma , & S. Antonino , ac Socio , locis citat. n. 672 , communissimè dicunt , non debere aliquem in dubio se absolutè , sed sub dubio accusare . Accedit , quòd auctores cum Sylvestro , citato n. 672 . distinguant , dubium , opinionem , & scientiam .

684. Quòd autem communiter auctores antiqui hic non loquantur de dubio proximo practico , inde desumitur , quòd non loquantur de illo , qui dubitat , an cum dubio suo , delicta omittendi ea peccata , possit illa in confessione omittere : sed de eo , qui dubitat , an possit peccatum in confessione omittere , cum dubio , an sit veniale , vel mortale , ut patet cuivis eos legenti : & vel ex hoc solo manifestum est , quòd istud dubium ab ipsis ordinariè ponatur , vel in titulo quæstionis , vel in objectione , ad quam respondetur : sicut etiam , quando querunt auctores , an in confessione possint omitti circumstantiæ aggravantes , non querunt , an possint omitti ab eo , qui practicè dubitat , num possint omitti . Hoc tamen concedo , quòd auctores , negantes , posse in confessione omitti peccata dubia , eo ipso implicite negent , quòd negativè dubitans possit per se , deponere dubium practicum , & formare sibi dictamen de licentia talis omissionis : adeoque implicite velint , talem per se saltem cum dubio practico operaturum . Dixi per se ; nam per accidens , e. g. bona fide censendo , oppositam sententiam esse veram , posset aliquis dubium practicum deponere .

685. Urgebis cum memorato recentiore . S. Thomas in 4. dist. 21. q. 2. a. 3. ad 3. ubi maxime videtur nobis favere , sic ait : *Dicendum , quòd , quando aliquis dubitat de aliquo peccato , an sit mortale , tenetur illud confiteri , dubitatione manente* : atqui hoc , dubitatione manente significat , teneri illum tantum in dubio proximo practico : ergo . Resp. neg. min. Illa dubitatio , quam Angelicus hic intelligit , non est reflexa de licentia omittendi peccatum dubium , stante dubio de ejus commissione : sed est dubitatio directa de ipsa commissione illius peccati ; nam in primis ita S. Thomam ex-

plicat S. Antoninus *num. seq. citandus* : de in utique intelligit S. Doctor illud dubium , de quo immediatè antè loquitur : itemque intelligit illud dubium in responsione , quòd in objectione erat positum : atqui illud non erat dubium proximo practicum , sed dubium remotius , sive de eo , an peccatum sit mortale , an veniale . Adde , quòd verba S. Doctoris , jam ab annis quadringentis , & amplius , semper ita fuerint ab auctoribus accepta .

De hoc dubio etiam apertè loquitur S. Bonaventura , D. Thomæ contemporaneus , & quasi collega , in 4. dist. 17. p. 3. a. 2. q. 1. *ad ultimam objectionem* , ubi dicit : *In tali casu peccati dubii , nisi certificetur penitens per aliquem virum sapientem , cui possit adhibere fidem , tenetur illud utique confiteri* : qua voce utique indicat , à se obligationem confitendi haberi certam . Atde quo debet juxta Seraphicum Doctorem penitens certificari ? non per reflexa principia de licentia omittendi peccata dubia , sed de eo , an peccatum sit veniale , vel non ; sic enim habet : *Si autem tollatur dubium , & sciatur esse veniale , tunc non obligatur* . Ex quo etiam infer , de hoc eodem dubio , & hujus depositione , loqui Valentiam tom. 4. dist. 7. q. 9. punct. 3. §. *Quodsi quis* , ubi S. Bonaventuram citat .

686. De eodem dubio loquitur S. Antoninus ; sic enim habet 3. p. tit. 14. c. 19. §. 8. *Ea autem , de quibus dubitat , utrum in ipsis peccaverit mortaliter , secundum Thomam tenetur confiteri ; alias periculose committit , si negligit confiteri , & mortaliter peccat* : certè hic nihil de dubio reflexo . Sed dices . S. Antoninus subjungit : *Sicut & quicumque aliquid committit , vel omittit , in quo dubitat , esse mortale peccatum* . Quid inde ? hoc ipso , dum dicit *sicut* , innuit casum tantum esse similem , non autem eundem . Ad summum sequitur , quòd talis similiter peccet , sive , quòd hic S. Doctor velit , omittentem peccata dubia peccare , sicut peccat ille , qui agit cum dubio practico : nisi velis dicere , quòd mediatè adstruat , ex dubio illo speculativo practicum necessariò sequi , de qua re vide aliquod dictum n. 684 .

Instabis . Nisi intelligatur S. Antoninus tantum de dubio practico , debet dici , quòd etiam debeamus juxta S. Antoninum confiteri peccata positivè dubia ; nam ita subjungit : *Et intelligitur de dubio probabilis , quòd habet rationem , non magis ad unam partem , quam ad aliam : hoc est propriè dubitare* . Resp. hoc ex his verbis non sequi ; nam dubium probabile non esse idem , ac dubium positivum , satis explicatum est n. 664 . quòd etiam supponit Suarez tom. 4. in 3. p. dist. 22. sec. 9. n. 7 .

687. Neque queratur adversarius , antiquos hanc rem non fuisse examinasse : certè paucissimas quæstiones suis in libris antiqui fuisse prosecuti sunt : & hinc sæpè vocantur *Summistæ* . Si quis fufas disputationes auctorum necessarias putet , ut aucto-

ritatem eorum afferre meritò possit , antiquorum calculo ferè semper desituetur . Nec propterea dicendum est id , quòd recentior hic animosè adjicit , scilicet , hanc sententiam antiquis nec perfectam fuisse , utpote non examinatam : quasi verò antiqui omnia , quæ in libris suis non fuisse pertractarunt , ideo nescisse , aut secum non examinasse , vel perpendisse , censendum sint . An enim dicer , quòd nihil examinaverit noster Emanuel Sa , qui brevissimus est , & vix ullam rationem adjungit : attamen illum exiguum libellum , *aphorismi confessionariorum* inscriptum , quadraginta ferè annorum labore sibi stetit in præfatione testatur : additque , se hoc brevitate studio , viros doctissimos in eo scribendi genere , imitari &c. videatur La Croix l. 1. n. 160. & 162 .

688. Aliorum etiam esto judicium de alio dicto , quòd idem recentior adjungit , scilicet , in hac controversia auctoritatem veterum nullius esse ponderis , & exigui ponderis esse auctoritatem recentiorum , qui eam sequuntur ; quia scilicet , ut præmittit , controversia hæc non est ab omnibus clarè examinata , atque perpensa , nec unanimiter , & evidenter , absque ulla dubitatione , in eandem sententiam , gravibus rationibus subnixam , conspiratum : adeoque non est illorum auctoritas virtualis revelatio Divina . Quamvis enim veterum , & recentium auctorum testimonium , de praxi , & sensu Ecclesiæ , non esset virtualis revelatio Divina , tamen non esset nullius ponderis : certè hujus recentioris auctoritas mihi magnè ponderis est , quamvis revelationem Divinam in ea non agnoscam . Sed neque dicimus , eam auctoritatem antiquorum , & recentiorum auctorum , esse se sola revelationem Divinam : sed tantum dicimus , eam esse sufficiens testimonium traditionis , aut praxi Ecclesiæ , per quam nobis applicatur institutio Christi . Si ad tale testimonium , ut sit sufficiens , ea omnia requirerentur , quæ hic auctor , ut modò dictum , requirit , quæso , quando aliquod , nisi de rebus fide certis , invenietur ? Non autem dicimus , nostram sententiam esse de fide : sed duntaxat asserimus , eam ut veram esse absolutè tenendam .

689. Dices . Dominicus Sotus in 4. dist. 18. q. 2. a. 4. §. *Sed arguet quis* . dubium cum scrupulo confundit . Resp. neg. ant. quia per scrupulum non intelligit dubium , sed conscientiam erroneam , ut patet legenti ; ait enim : *dum quis putat &c.* & talem dicit , debere confiteri ratione scrupuli : tum primò addit , quòd dubius debeat confiteri sub dubio . Joannes Medina autem (quem etiam hic recentior nobis vellet surripere) de penit. tract. 2. de confess. q. 5. §. *de confitendis venialibus* . ad 3. loquitur utique de illo dubio , quòd in objectione fuit positum : atqui positum ibi fuit dubium de eo , an peccatum sit mortale , an veniale : ait autem Medina , quòd dubius de eo , an sit mortale , an veniale , debeat id confiteri ,

ne contraveniat conscientia dubia : sicut , qui putat esse peccatum , quòd non est , debet id confiteri , ne contraveniat conscientia erronea : & sic de aliis loquendo ; omnia enim afferre longissimum foret . Quis autem de adversariis , varios pro se auctores citantibus , tenendum sit , videre est n. 674 .

690. Instabis . Auctores antiqui nullam rationem idoneam afferunt pro suo rigore : ergo nullam sententia nostræ conciliant auctoritatem . prob. conseq. præcisè magnus numerus doctorum , gravi ratione desitutorum , nullam sententia conciliant probabilitatem : ergo . Resp. om. interim ant. neg. conseq. ad prob. dist. ant. nisi ex tanto numero auctorum colligi posset praxis Ecclesiæ , & fidelium sensus , obligationem aliquam indicans . om. ant. si hæc praxis , & hic sensus colligatur . neg. ant. & conf. Nos tam multos auctores non tam adducimus ut doctores , quorum ratione nitamur , quam ut testes , omni exceptione majores , de continua fidelium praxi confitendi peccata dubia . Quare , etiam nullam rationem afferrent , modò de hac praxi testentur , sententiam nostram reddunt solidam , & firmam : atqui per plures centenos annos auctores communiter testantur de praxi fidelium : ergo .

691. Et quæso , qua convincenti ratione , ab auctoribus allata , probatur illa sententia communissima , quòd , qui jam confessus est , sed peccati gravis inculpabiliter fuit oblitus , iterum teneatur confiteri , si adhuc ante communionem ejus peccati recordetur , quamvis id jam indirectè remissum sit , & talis homo sit in statu gratiæ ? Certè recurri debet ad praxin communem fidelium , ex qua infertur voluntas Christi , ad eam confessionem obligantis , de qua praxi testantur communissimè auctores ; ratione enim intrinseca hæc obligatio difficillimè probaretur : certè Lugo de Euchar. dist. 14. sec. 6. n. 126. eam tantum probat ex praxi , & consensu auctorum : nec aliam rationem invenio apud Suarez tom. 3. in 3. p. dist. 66. sec. 4. §. *Sed hujus occasione* . & sanè multæ sententiæ communiter recipiuntur , quæ non rationibus auctorum (quæ sæpe tantum congruentia sunt) sed eorum testimoniis , seu ipsis tanquam testibus , potius probantur : & par est ratio in nostro casu .

Instabis iterum . Multæ sententiæ antiquorum modò vix amplius apparent probabiles , ob novas rationes in contrarium inventas : ergo etiam hæc sententia antiquorum potuit antiquari . Resp. dist. ant. Multæ sententiæ antiquorum non sunt amplius probabiles , si fuerunt sententiæ spectantes ad jus civile , sive Ecclesiasticum , quòd potest abrogari , vel ad jus naturale , quòd multò magis ex ratione , quam ex auctoritate debet innotescere . om. ant. si fuerint sententiæ spectantes ad materiam sacramentorum , vel ad institutionem Christi , aut jus Divinum positivum , quæ debent ex

auctoritate innoscere, & contra quæ non datur præscriptio: & fuerunt sententiæ, tam universaliter receptæ, ac est hæc nostra. neg. ant. & conseq. Aliter certè se habet obligatio recitandi matutinum ante factum: aliter materia à Christo determinata pro confessione.

692. Replicabis. Auctores antiqui nituntur hîc principio falso, scilicet, quod in dubio semper tutior pars sit eligenda: ergo ex iis nihil probatur. Resp. 1. retorq. arg. Etiam adversarii, saltem multi, nituntur principio incertissimo, quod etiam est, cui tantum notabiliter minus probabile est, se non peccasse, possit prudenter iudicare, se non peccasse, de quo vide *tract. de actib. hum. n. 299.* Resp. 2. antec. universaliter non videri verum, & saltem esse incertum de pluribus auctoribus, qui nullam rationem adducunt. Resp. 3. sapientissimè auctoritate quorundam firmari sententiæ, quin eorum rationes assumantur; eoquod istæ sæpe principii aliis non congruant: & idem adversarii sæpius in aliis materiis faciunt. Resp. 4. jam dictum esse, hîc à nobis attendi, non tam ad rationes auctorum, quam ad eorum testimonium de praxi fidelium.

Resp. 5. cum Cardenas *in p. 3. crisis theol. disp. 74. c. 4. n. 40.* (quem ibi vide) respondeo, inquam, principium illud, licet non procedat universaliter, tamen procedere in isto casu: quod sic probatur. Quando stante dubio speculativo non potest deponi dubium practicum, habet principium istud locum: atqui in nostro casu, stante dubio speculativo de commisso peccato (quod stare supponitur in casu) non potest deponi dubium practicum, de licentia omittendi illud peccatum in confessione: ergo. ma. non negatur; quia juxta omnes stante dubio practico debet eligi tutius.

693. Minor inprimis est Suarezii *tom. 4. in 3. p. disp. 22. sec. 9. n. 7.* de in probatur omnibus rationibus pro nostra conclusione adductis *n. 678. & seq. e. g. sic.* Si illud est materia necessaria confessionis, quod est materia necessaria contritionis (ut probatum *n. 679.*) tunc, si non potest deponi dubium de licentia omittendi contritionem, etiam non potest deponi dubium de licentia omittendi confessionem: atqui in nostro casu non potest deponi dubium de licentia omittendi contritionem, ut probatum *n. 678. & seq.* ergo neque potest deponi dubium de licentia omittendi confessionem: adeoque in hoc casu tutius est sequendum.

Et sic applicari huc possunt etiam aliæ rationes suprâ adductæ. Hæc autem rationes, ita huc applicatæ, ad minimum ostendunt, antiquos non nisi principio clarè falso, dum ad hunc casum particularem applicatur. Licet autem adversarii etiam in hoc casu negent, principio illi locum esse, tamen per hoc tantum ostendunt, se ab his rationibus non moveri: at non ostendunt, principium huc applicatum esse clarè fal-

sum, vel contemnendam esse auctoritatem doctissimorum virorum, tanquam nixam principio apertè falso.

Urgebis. Hoc ipso, quod auctores antiqui nixi sint hoc principio, agnoverunt, obligationem exponendi peccata dubia esse dubiam: ergo non sunt testati de communissima praxi fidelium. conseq. non videtur posse negari; cum utique obligatio, per communissimam praxin recepta, præsertim in materia oppido difficili, videatur esse certa. antec. autem probatur sic: si isti auctores non agnovissent, dictam obligationem esse dubiam, ineptè usi fuissent illo principio, ut patet: sed hoc non potest de ipsis præsumi: ergo.

Resp. neg. ant. ad prob. neg. ma. nam, licet ipsi auctores non dubitaverint de obligatione, seu præcepto confitendi peccata dubia, potuerunt tamen uti eo principio, in ordine ad alios, qui necdum satis de hac obligatione erant instructi, & qui poterant moveri, dum ex hoc principio tale argumentum fiebat. Hæc obligatio est quidem in se satis certa: sed, etiam si foret dubia, tamen deberet impleri; quia in dubio tutior pars est eligenda. Nec dicas, hanc rationem, sive hoc principium, non habere sufficientem certitudinem, vel vim persuadendi; nam 1. saltem antiquis quibusdam videbatur habere efficaciam; unde illud juxta suam persuasionem non malè adhibuerunt. 2. Hoc principium, si non universaliter, saltem in hoc casu, sufficientem vim habet movendi, ut modò probatum. 3. Antiqui auctores quandoque ad probandas sententiæ, præsertim communiter habitas quasi certas, adhibent rationes, quæ videntur minus certæ, quam ipsæ assertiones. vide etiam infra *n. 695.*

694. Ob. 2. Nescitur, an Ecclesiæ, vel fidelium, fuerit constans praxis confitendi peccata negativè dubia: ergo ex ea nihil probatur. prob. ant. confessio est omnino secreta, & nescitur, quid in ea exponatur: ergo nescitur praxis confitendi fidelium. Confirm. Auctores antiqui non testantur de praxi fidelium, sed obligationem confitendi peccata dubia potius inferunt ex illo principio, quod in dubio tutior pars sit eligenda: ergo hæc praxis non probatur. Resp. 1. retorq. argum. in praxi præmittendi secundam confessionem ante communionem, casu quo quis in prima confessione oblitus fuerit peccati mortalis, de qua *n. 691.* item in praxi confitendi numerum peccatorum sub dubio, de qua *n. 682.*

Resp. 2. neg. ant. Arriaga *tom. 8. de peccat. disp. 31. sec. 5. n. 44.* ait, hoc esse manifestè falsum. Et sanè utique scitur, ex constanti tot seculorum usu, quod poenitentes se de peccatis dubiis accusaverint, imò adhuc se accusent: & experientur omnes, qui vel modico tempore confessiones audiunt. Nec obest noticiæ de praxi, & consuetudine confitendi, sigillum confessionis; nam utique licet in genere dicere, quod poenitentes soleant exponere peccata du-

dobia: neque tot auctores, qui, si non omnes, certè plurimi fuere sacerdotes, & confessori, ignorare potuerunt, quid hæc in re fiat, & quid etiam plures eorum ipsimet fecerint.

695. Ad confirm. Inprimis auctores plurimi, licet non omnino antiqui, tamen neque etiam omnino novi, saltem à tempore Thomæ Sanchez, qui jam scripsit ante centum, & amplius annos, dum hanc questionem tractant, cum ipso Sanchez de praxi, & usu Ecclesiæ, explicitè testantur, quorum auctoritas non est parvi momenti. Deia dist. ant. auctores antiqui de praxi confitendi peccata dubia non testantur explicitè, seu reflexè. om. ant. non testantur exercitè. neg. ant. & conseq.

Hoc ipso, quod omnes communissimè hanc obligationem adstruant, sufficienter testantur, fideles eam obligationem agnovisse, atque adeò, dum piè, & sincerè confessi sunt, implevisse: sicut eo ipso, quod omnes dicant, baptismum conferendum esse in nomine SS. Trinitatis, sufficienter testantur, eam esse praxin ritè baptizantium. Et hinc est, quod auctores posteriores ex hac ipsa confessione antiquorum meritò inferant praxin Ecclesiæ, atque etiam ipsos antiquos tanquam testes dictæ praxi adducant.

Sed neque credibile est, fideles, piè, & sincerè confiteri volentes, à communissimæ, doctorum, & instructorum suorum sententiâ, recessisse: sicut neque credibile est, doctores unanimiter in hac sententiâ confensuros fuisse, si non ea praxi piè, & sincerè confitentium fuisset. Dico praxim piè, & sincerè confitentium; nam si qui sacrilegè confessi fuerunt, eorum praxis, sicut non probat, posse omitti peccata certa, quæ tamen tales homines sæpius omittunt, ita nec probat, posse omitti peccata dubia.

Quod autem auctores antiqui non voluerint, explicitè ipsam praxin Ecclesiæ pro argumento afferre, ideo verosimiliter fuit factum, quod antiqui sæpius voluerint suas sententiæ potius ratione, quam auctoritate probare, (& hinc factum est, quod nonnunquam adduxerint, non tam rationes firmas, quam congruentias) atque adeò etiam hanc suam assertionem, de obligatione confitendi peccata dubia, voluerint ratione probare, supponentes interim, de praxi, & usu fidelium omnibus aliunde constare: certè neque praxin, aut usum, explicitè adducunt pro aliis sententiis, quæ tamen etiam ab ipsis adversariis admittuntur, & non nisi ex praxi possunt probari. e. g. quòd debeamus secundò confiteri ante communionem, si in prima confessione oblitus fuimus alicujus peccati gravis, vel quòd debeamus adhibere particulas *circa, circiter*, quando numerum determinatum peccatorum non scimus.

Accedit, quosdam ex antiquis auctoribus nullam proflus rationem hujus obligationis attulisse, sed eam simpliciter asse-

ruisse, adeoque supposuisse, hanc obligationem omnibus esse notissimam, & in gratia receptam: alios autem existimasse, se sufficientem rationem attulisse, asserendo principium illud, quod in dubio tutior pars sit eligenda, nec de asserenda ratione alia sollicitos fuisse.

Dices 1. Hac ratione etiam posset dici, quod antiqui eodem modo testentur de praxi fidelium in sequendo semper tutius in dubio: ergo etiam ad hoc obligamur. Resp. neg. ant. nam inprimis nullo modo omnes antiqui docuerunt, in dubio semper sequendum esse tutius, de qua re fusè actum *in tract. de actib. hum. n. 245.* & ex regulis juris, tam canonici, quam civilis, est ostensum oppositum; unde neque ita communiter instructi sunt homines de sequendo semper tutiore in dubiis: consequenter neque fuerit praxis hac in re uniformis; eoquod doctores quoad hanc obligationem non convenirent: adeoque neque potuerunt auctores de praxi testari; præsertim cum nesciverint, quoniam praxis apud varios vigeat: sicut tamen ex confessionibus facile potuerunt scire praxin confitendi peccata dubia.

Addo, quod hoc, quod dicitur principium: *In dubio sequendum est tutius*: si tale esset, spectaret, non ad jus positivum, sed ad naturale, quod, ut jam dictum *n. 692.* non tam ex praxi, seu auctoritate, quam ex ratione inferendum est. Quare auctores, qui illud qualecunque principium ex obligatione sequendum esse docuerunt, id non tanquam aliquam praxin Ecclesiæ, sed tanquam aliquam sententiæ suam, insitæ aliarum assertionum proposuerunt.

696. Dices 2. Saltem nescitur, an praxis confitendi peccata dubia fuerit universalis, an fuerit tantum paucorum: ergo ex ea non probatur universalis obligatio. Confirm. 1. Nescitur, an hæc praxis fuerit inducta animo se obligandi, vel non isto animo: ergo. Confirm. 2. Est etiam praxis confitendi peccata venialia, quin detur obligatio ea confitendi: ergo. Resp. neg. ant. nam & auctores testantur de praxi universalis, & fideles communiter, si tamen peccata dubia habeant, ea confiteri solent: quod autem non omnes semper peccata dubia exponant, inde est, quod non semper rationabilia talia dubia habeant. Ad 1. confirm. om. ant. neg. conf. Praxis hæc recepta utique non fuit animo se obligandi, ratione consuetudinis, à se introductæ, vel introductæ (esset enim quæstio, ut non malè advertit La Croix *l. 6. p. 2. n. 609.* an hæc lex posset, per consuetudinem humanam introduci, vel etiam per Ecclesiam ferri, de quo etiam videri potest Suarez *tom. 4. in 3. p. disp. 35. sec. 1. n. 18.*) sed fuit hæc praxis à fidelibus recepta; quia consuebat, ad eam Christus obligare: & hoc testantur omnes nostri auctores, qui obligationem dari agnoscunt, & eam alios etiam docent: cui doctrinæ se etiam fideles conformant.

Dein, ut videre est apud Vivam, quam.

quamvis adversarium, *Cursus Theol. p. 8. disp. 4. q. 3. art. 2. n. 13.* quod praxis aliqua sit recepta sub obligatione, ex eo etiam colligi potest, si res, in se ardua, constanter observetur, & non levancia timoratis scandalum pariat: atqui hæc conveniunt in hanc praxin, non minus, quam in illam aliam praxin confitendi secundò ante communionem, si cui de novo peccatum grave aliquod incidat: ergo.

Nota hæc, Caramuelem confundere omissionem alicujus rei, & praxin aliquid faciendi. Ex eo, quod aliquid præcisè non fiat, utique non sequitur obligatio id non faciendi: e. g. ex eo, quod festum Immaculatæ Conceptionis B. Virginis per plura sæcula non fuerit celebratum, utique non sequitur obligatio illud non celebrandi: at ex praxi recepta sub obligatione, qualis e. g. est praxis abstinendi à lacticiis, obligatio oritur, ex propositione 32. ab Alexandro VII. damnata: & sic in plurimis aliis. Ad 2. confir. neg. confeq. Praxis confitendi venialia, non est universalis: & ab omnibus docetur, atque ab omnibus scitur, ea peccata tantum exponi in confessione, ex perfectione spontanea, non ex obligatione; hinc multi de iis non sunt valde solliciti, maxime de exponendis omnibus; cum tamen omnia debent exponi, si praxis obligationem probaret.

697. Dices 3. Videtur etiam esse praxis confitendi peccata positivè dubia: & tamen ista non debent exponi: ergo. Resp. de hæc praxi confitendi peccata positivè dubia non ita conlat, ut observat etiam Sanchez l. 1. moral. seu in decal. c. 10. n. 76. certè videtur multi in hoc casu dubium deposuisse, maxime qui defendunt, quemlibet posse licitè sequi, sententias minus ruras, & minus probabiles. Et tanè, si (ut videtur quidam supponere: qua veritate viderint ipsi) si, inquam, possum in casu peccati positivè dubii prudenter judicare, mén non peccasse, adeoque me esse in statu gratiæ, est magna dilparitas inter positivè, & negativè dubitantem de peccatis. Quidquid autem de hoc sit (neque enim decidere volo, ad quid in dubio positivo de peccatis commissis, vel necdum expolitis teneamur) certum est, neminem posse omittere confessionem peccatorum etiam positivè dubiorum, nisi prius prudenter deponat dubium, si non speculativum, saltem practicum de licentia illius omissionis. An autem quis in eo casu possit prudenter deponere hoc dubium, quæstio esse potest.

Equidem scio, complures, præsertim recentiores, asserere, peccata positivè dubia non esse materiam necessariam confessionis: at, quando minor, vel æqualis tantum probabilitas est pro non existentia peccati, hæc sententia non est aded certa, ut aliqui volunt. Negat eam Cardenas in p. 2. crisi. Theol. disp. 46. c. 7. n. 307. sub conditione quidem, quod peccata dubia sint exponenda, quam conditionem tamen postea purificat p. 3. disp. 74. c. 2. Munitella stimulo 4.

n. 15. & stimulo 8. n. 102. Salas in 1. 2. tract. 8. disp. unica. sec. 5. n. 60. P. Thyrsus tom. 3. selectar. disp. 40. sec. 2. & sec. 6. Gormaz de sacram. penit. n. 160. Schil- dere etiam tract. 6. c. 5. n. 42. dum adstruit obligationem confitendi peccata dubia, non facit ullum discrimen inter peccata negativè, & positivè dubia: & tract. 2. c. 9. n. 122. ab onere confitendi tantum excipit positivè judicantem, se non peccasse, non verò dubitantem.

698. Ratio horum auctorum est; quia in tali casu non videtur, posse absolutè, & prudenter judicari, peccatum non esse commissum; ex quo enim motivo reflexo id facies; cum motiva directæ tantum causent æquilibrium? an ideo, ut non tenearis confiteri? at non videtur, quomodo ex hoc motivo prudenter id possis judicare, & quidem prudentià, non carnis, sed spiritus: si autem id judicare non potes, manet lex peccata dubia confitendi in possessione. Nec dicas, stante æquali utrinque probabilitate, non teneri te ad observationem legis; nam. Resp. si esset æqualis probabilitas immediatè de existentia legis confessionis, aut de licentia omissionis eorum peccatorum in confessione, posset concedi, te ad eorum peccatorum confessionem non teneri: at in hoc casu est tantum æqualis probabilitas de aliquo remoto, scilicet de existentia, & non existentia peccati: obligatio autem confitendi peccata absolutè dubia videtur plurimis certa, & indubia, ut Sanchezio l. 1. in decalog. c. 10. n. 66. Lugoni de penit. disp. 16. n. 74. Gormaz de sacram. penit. n. 166.

699. Quare videtur, neque deponi posse prudenter dubium practicum, neque prudenter posse affirmari, hic, & nunc, non obligare præceptum confitendi. Sic in simili, licet multis sit valde probabile, requiri ad consecrationem calicis tantum priora verba: *Hic est calix sanguinis mei;* quia tamen agitur de valore sacramenti, & ad hunc debet adhereri materia certa, vel tutior, si potest haberi, non est bona illatio: *Probabiliter sufficiunt ea verba: ergo probabiliter possunt adhereri:* & sic neque ista illatio est bona: *Probabile est, peccatum non esse commissum: ergo probabile est, id non debere in confessione exponi.* Adde, quod talis homo videatur etiam debere, ante assumptionem SS. Eucharistiæ, saltem de eo peccato conteri, adeoque id confiteri, ex n. 679. aliàs enim videretur, æquali periculo exponere fructum sacramenti, consequenter non minus peccare in ejus reverentiam, quam is, qui non eliceret contritionem de peccato negativè dubio.

700. Ad hoc ultimum reponunt auctores oppositi, non debere hominem in eo casu conteri, nec exponere se hic majori periculo irreverentiæ, seu peccati, quam in aliis casibus, ubi agitur de obligatione legis, à qua tamen æqualis probabilitas exulare videtur: nec teneri aliquem ad procurandum fructum sacramenti, nisi ita, ut prudenter judi-

judicet, sacramentum fore fructuosum. At reclamant quidam, non sufficere, ut tantum quis prudenter judicet, probabile esse, quod sacramentum sit futurum fructuosum; cum aliàs nimio adhuc periculo exponeretur fructus sacramenti: adeoque requiri, ut absolutè judicetur, sacramentum fore fructuosum. Sed, quomodo hoc possit in hoc casu absolutè judicari, non est facile perceptibile, nisi quis etiam possit prudenter absolutè judicare, se non peccasse, ut patebit expendenti: an autem istud possit absolutè prudenter judicare talis dubitans, de hoc mox aliquid dicemus.

Itraque aliqui respondent, talem hominem prudenter judicare posse, non tantum per propositionem modalem, quod probabile sit, sed absolutè, quod verum sit, se non peccasse: quod tamen mihi semper visum est valdè durum, & præsertim non admitendum, quando minor est probabilitas pro negatione peccati, ut dixi tract. de act. hum. n. 387. certè Suarez in 1. 2. tr. 2. disp. 10. sec. 1. n. 5. & Layman l. 1. tr. 1. c. 5. n. 5. & l. 2. tr. 1. c. 10. n. 3. ac plures alii, id negant: imò neque autem id asserere, quando utrinque est æqualis probabilitas.

701. Si autem alii hoc prudenter fieri posse bona fide videatur, me hic, & nunc non oppono; quia hac in quæstione de peccatis positivè dubiis nihil decidere volo. Id tantum adverte, quod auctores, qui assentunt, peccata positivè, vel etiam negativè dubia, non debere in confessione exponi, videantur, quandoque abuti principii probabilitatis, & e. g. ex probabilitate de eo, quod peccatum non sit commissum, statim inferre probabilitatem de eo, quod non detur obligatio confitendi (quæ illatio etiam est Lugonis de penit. disp. 16. sec. 2. n. 58.) cum tamen ista sint inter se valde diversa. Alii autem se fundant in eo, quod quis cuique opinioni probabili possit prudenter assentiri ut verè (in quo se etiam fundat La Croix l. 6. p. 2. n. 600. & 610.) quod tamen fundamentum eorum etiam nullo modo est satis firmum, ut num. præced. est observatum. Quod tamen notabiliter probabilius sit, peccatum non fuisse commissum, equidem facile dabo, prudenter judicari posse, peccatum non fuisse commissum, adeoque talem hominem posse prudenter se eximere ab onere confessionis.

702. Dices. Si non tenemur confiteri peccata positivè dubia, tunc adhuc minus tenemur, confiteri peccata negativè dubia: sed non tenemur, confiteri peccata positivè dubia: ergo adhuc minus tenemur confiteri peccata negativè dubia. prob. ma. si non tenemur confiteri in dubio positivo, in quo possumus probabiliter judicare, nos peccasse, minus tenemur, confiteri in dubio negativo, in quo non possumus istud judicare: sed prius est verum: ergo & posterius. Resp. minore à me non esse absolutè admittam: qui illam admittunt. neg. ma. ad prob. neg. ma. quia eo ipso etiam, ut dicunt cum La Croix l. 6. p. 2. n. 600. & n.

610. possumus judicare, nos non peccasse; nam, ut ajunt, si possumus absolutè judicare ex ratione probabili, nos peccasse, possumus, ex ratione æqualiter probabili in oppositum, etiam absolutè judicare, nos non peccasse; atqui, si possumus prudenter judicare, nos non peccasse, possumus nos eximere à lege confessionis: quod non possumus in dubio negativo, quando non possumus absolutum, & prudens judicium ferre: ita illi: de cujus tamen responsonis veritate viderint ipsi. Equidem ex suppositione, quod possumus, judicare in tali casu, nos peccasse, videtur sequi, quod etiam possumus judicare, nos non peccasse: sed, si rationes omnes sunt prorsus æquales, puto, quod neutrum possumus prudenter absolutè judicare. vide n. 700.

ARTICULUS XI.

Solvuntur reliquæ Objectiones.

703. **O**B. ulterius 3. Tridentinum sess. 14. c. 5. ita habet: *Ex his colligitur, oportere à penitentibus, omnia peccata mortalia, quorum, post diligentem sui discussionem, conscientiam habent, in confessione recenseri: sed peccata dubii non habetur conscientia: ergo hoc non debet recitari. prob. min. conscientia significat noticiam certam ex C. Quoniam. 20. seu finali. de præscriptionibus. ubi de præscribere volente dicitur: In nulla temporis parte rei habeat conscientiam aliena: ubi auctores communiter conscientiam pro noticia certa accipiunt: idemque tradit S. Thomas 1. p. q. 79. a. 13. in corp. sic scribens: Conscientia enim secundum proprietatem vocabuli importat ordinem scientiæ ad aliquid; nam conscientia dicitur cum alio scientia: rursum S. Bernardus, vel quisquis est auctor libri de interiori domo c. 11. ait: Conscientia est cordis scientia: ergo.*

Nec dicas, peccatum haberi saltem in conscientia ut dubium; nam, ut adverte *Viva curs. Theol. p. 8. disp. 4. q. 3. a. 2. n. 15.* Concilium non dicit: *ut habent in conscientia: sed habent conscientiam.* Confirm. Idem Concilium sess. 13. c. 7. ait: *Ut nullus, sibi conscius mortalis peccati, quantumvis sibi contritus videatur, absque præmissa sacramentali confessione, ad sacram. Eucharistiæ accedere debeat:* atqui dubius non est sibi conscius; est enim inauditum, ait Cardenas in crisi. Theol. p. 2. disp. 46. c. 5. n. 270. quod vox *consciis* dicatur de eo, qui dubitat: ergo. Resp. neg. min. ad prob. diff. ant. conscientia in aliquibus casibus significat noticiam certam, om. vel conc. ant. ubique, & universaliter. neg. ant. & conseq.

704. In primis etiam vox *scientia* non semper significat noticiam certam; quia in communi usu loquendi dicimus, nos ea scire, quæ de aliis audivimus, quamvis ea mi-

nimè certò sciamus: imò quamvis aliquando talibus narratis necdum absolutam fidem præberimus, sed adhuc dubitemus. Quo in casu illud *scire* tantum significat, nos aliquid ea de re audivisse, & rationes habere suspicandi: id quod saltem sæpe contingit: ergo idem dici potest in nostro casu. Quin ipsa jura dicitur dicunt, dubitantem *scire*: certè *L. 25. §. 7. ff. de hereditatis petitione*. dicitur quivis post motam controversiam... *scire, rem ad se non pertinentem possidere se*: quomodo autem quis strictè scit? imò quomodo universaliter hoc tantum præsumi potest, nisi per *scire* intelligatur dubitare?

Jam vocem *scientiam*, certum est, sumi quandoque pro noticia non certa, sed tantum probabili, imò etiam pro dubia, & scrupulosa, ut sumitur *C. Inquisitioni. 44. de sententia excommunicationis*. ubi distinguitur inter conscientiam certam, probabilem, & levein. Communissima etiam est divisio conscientie in certam, probabilem, dubiam, erroneam, scrupulosam: quin etiam, an in ipso *C. Quoniam*. in objectione adducto, vox *scientia* sumatur pro noticia certa, merito dubitari potest, ut dictum tract. de justit. n. 369.

705. Quare, ut recentior quidam rectè ait, est incredibile, quòd Concilium hunc terminum *scientiam* non accepit in eo sensu, in quo communissimè tunc à Theologis (addo Pontificibus, & Jurisconsultis) accipiebatur: & in quo etiam idem Concilium locutum esse, communissimè postea Theologi senserunt, scilicet, pro conscientia etiam dubia, seu gravi remorsu conscientie; præsertim, cum præcipua intentio Tridentini ibi fuerit, tantum ostendere, quòd confessio non sit impossibilis, uti hæretici calumniabantur, idque voluerit Concilium monstrare ex eo, quòd non debeamus peccata, quorum obliti sumus, exponere, sed tantum, quorum conscientiam, id est, remorsum habemus: ad quam intentionem prorsus etiam sufficiebat acceptio vocis *scientia*, qua communissimè tunc temporis Theologi utebantur.

Ad prob. jam est responsum, scilicet, aliquando, non autem semper, vocem *scientiam* significare certam noticiam, quamvis valde dubium sit, an S. Thomas, aut S. Bernardus, in citatis textibus *scientiam* strictè dictam intelligant. Certè Angelicus ibi tantum probare intendit, conscientiam esse actum, non verò potentiam: atqui etiam dubium est actus, & quidem, si est dubium de peccato commisso, est actus remordens, qualem etiam esse conscientiam ibi docet S. Doctor.

706. Ad confirm. neg. min. cum Gormaz. de sacram. penitent. n. 159. *Consciens* idem significat, ac *habens conscientiam*, ut colligitur ex ipso Concilio, quod ista tantum synonyma accipit; nam ead. *sess. can. 11.* ait; sine confessione non debere ad SS. Eucharistiam accedere, quos *conscientiam peccati mortalis gravat*: adeoque per eam

vocem *consciens* potest etiam significari *habens conscientiam dubiam*. Certè est usus frequens dicendi, quòd ille sit male sibi conscius, qui habet rationabilem causam dubitandi de malefacto à se commisso, & hinc etiam, si quis absolute dicat: *Nihil mali mihi conscius sum*: intelligitur communiter, quòd neque habeat rationabilem remorsum de malefacto à se admissio.

Rursus, ut recentior quidam ait, si consilia agitentur, de prodenda hostibus urbe, vel interficiendo rege, & alicui prudens hac de re dubium moveretur, certè talis jam diceretur *consciens*: & si res postea innotesceret, certè non audiretur, si excusare se veller, quòd ideo nihil indicaverit; eoquòd non fuerit conscius. Unde, licet hæc dictio *consciens* aliquando sumatur strictius, tamen etiam aliquando, imò sæpe sumitur latius, sicut vox *scientia*: & has voces *scientia*, & *consciens*, in latiore significatione hinc Concilium accepisse, vel ex eo credibilissimum sit, quòd ad intentionem Concilii (de qua n. 705.) sufficientissima fuerit ea harum vocum acceptio, & quòd eam definitionem Concilii omnes paulò antiquiores auctores ita intellexerint, & recentiores etiam plurimi adhuc ita intelligant.

707. Dices 1. Si concilium intelligit tantum conscientiam genericè acceptam, adeoque etiam dubiam, tunc etiam intelligi scrupulosam, & positivè dubiam: ergo debent etiam peccata, de quibus habetur, aut scrupulus, aut dubium positivum, exponi: sed sic ista sententia reddit homines obnoxios infinitis scrupulis: ergo non est admittenda. Resp. om. ant. dist. conf. nisi possit prudenter ea conscientia deponi. conc. conf. si possit deponi. neg. conf. atque etiam subilumpum: quod atinet ad peccata positivè dubia, jam sufficienter dictum est à n. 697.

Quod ad scrupulos spectat, utique scrupulosi conscientiam suam perturbatam, judicio confessarii prudentis, non tantum possunt, sed tenentur deponere, hoc est, debent judicare, se non peccasse: vel, si intellectum eousque pervincere nequeunt, debent saltem judicare, se in his circumstantiis non teneri ad confessionem; nam utique dantur causæ excusantes à confessione etiam peccatorum certorum: adeoque multò magis excusantes à confessione dubiorum: & ab istorum confessione utique excusat ipsum periculum incidendi in gravissima mala, qualia afferunt scrupuli, ut observat Cardenas *in crisi Theol. p. 3. disp. 7. c. 5. n. 51. & 52.* Non autem datur similis ratio ita deponendi conscientiam de peccatis verè negativè dubiis, sive intelligatur conscientia de eorum commissione, sive de obligatione ea confitendi, id quòd hucusque probavimus.

708. Unde nullatenus est verum, quòd supra memoratus recentior adversarius asserit, nempe nostram sententiam, innumeris, & intricatissimis scrupulis, esse obnoxiam,

am, idque experientiam testari, ut non facile possit negari. Audiat Victoriam in *summa sacram. de confess. n. 130.* hic enim, licet patronus nostræ sententiæ sit, tamen de scrupulosis ait: *Isti, qui sic confitentur, infamant sacramenta, & reddunt ea odiosa: satis est confiteri peccata certa, & dubia, sed non de scrupulis, qui sunt veri scrupuli.* Audiat Thomam Sanchez l. 1. in *decalog. c. 10. n. 78.* ita scribentem: *Nec hac obligatio anxietates parit; cum ea non conjungat ex dubiis vanis, quos scrupulos vocant, sed ex dubio consilio rationi.* Credo equidem, quòd à SS. Thoma, Bonaventura, Antonino, item ab Aleni, Cajetano, Victoria, Suarezio, Lugone, & similibus viris magnis, potuerint fideles habere in confessione auxilium, & congruam directionem, nec expectare debuerint per totos centenos annos, donec nasceretur Caramuel: ante quem non fuit totus mundus scrupulis plenus, quamvis ejus sententia, de licentia omittendi peccata negativè dubia, nondum viguerit.

709. Dices 2. Concilium *sess. 14. c. 5.* de confessione sic ait: *Itaque, dum omnia, qua memoria occurrunt, peccata, Christi fideles confiteri student, procul dubio omnia Divinae misericordie ignoscenda exponunt.* & paulò inferius: *Constat enim, nihil aliud in Ecclesia à paenitentibus exigi, quam, in postquam quisque diligentius se excusserit, & conscientia sua sine omnes, & latebras, exploraverit, ea peccata confiteatur, quibus se Dominum, & Deum suum, mortaliter offensisse meminerit:* atqui dubius de peccato, vel de ejus gravitate, non meminit, se DEUM mortaliter offendisse: ergo.

Prob. min. Meminisse significat firmum saltem iudicium de eo, quòd res fuerit; neque enim, qui dubitat, potest dicere: *Memini, me turpi delectationi consensisse, blasphemasse &c.* ergo. Confirm. 1. Qui meminit, se recitasse officium canonicum, aut solvise debitum &c. non tenetur iterum recitare, aut solvere: atqui tenetur, qui dubitat: ergo aliud est meminisse, aliud dubitare. Confirm. 2. Juxta Platonem *meminisse est quoddam scire*: ergo dubitans non meminit.

710. Resp. conc. textibus, neg. mi. subsumptam: quis enim dicat, quòd, si examinantur suam conscientiam, incidant dubia peccata, ista memoriæ non occurrant? hoc esset terminis auferre communem significationem, ut ait Cardenas *in crisi Theol. p. 2. disp. 46. c. 2. n. 165.* cum igitur Concilium per meminisse intelligat memoriæ occurrere, etiam talis, conscientiam suam examinans, meminit peccatorum dubiorum, seu meminit talium actionum, aut cogitationum, quæ anam dant, prudenter dubitandi, an non DEUM graviter offenderit: & hanc esse mentem Concilii, patet; tum ex eo, quòd auctores communissimè illud ita explicent; tum ex Concilii intentione, ex

qua potius, quam præcisè ex aliquo modo ambigua voce, debet ejus mens colligi.

Fuit autem (ut jam dictum n. 705.) intentio Concilii refutare hæreticos, qui calumniabantur, confessionem esse carnificinam conscientiarum, & ideo impossibilem; eoquòd non possunt omnia peccata exponi, propter labilem hominum memoriam, & frequentem eorum oblivionem: cui calumnia occurrit Concilium, definiendo, quòd illa tantum peccata debeamus confiteri, quæ post diligens examen memoriæ occurrunt: non autem ea, quorum obliti fuimus (& supponitur hic, quòd quis dubiorum suorum non sit oblitus) unde Concilium requirit tantum illam memoriam, quam sectarii calumniabantur, non requiri ab Ecclesia: hæc autem est illa, sine qua impossibile esset, peccata exponere: possibile autem est, peccata exponere, quamvis non recordemur, nos certè ea fecisse, modò indicat nobis prudens de illis dubium: ergo.

711. Idem alii dicunt, quando minorem sic distinguunt. Dubius non meminit memoriæ certæ, aut probabiliter judicativæ, conc. mi. non meminit memoria prudenter dubitante, seu conscientiam graviter mordente. neg. mi. & conseq. Alii adhuc aliter distinguunt. Dubius non meminit rectè, se peccasse. conc. mi. non meminit reflexè, se prudenter dubitare, an non peccaverit. neg. mi. & conseq. & utraque distinctio est contra intentionem Concilii, ad prob. dist. ant. meminisse significat firmum iudicium, si tantum sumatur pro memoriæ occurrere. neg. ant. si aliter sumatur. om. ant. & neg. conf.

Ad 1. confir. dist. ma. qui meminit, se officium canonicum recitasse, aut debitum solvise, memoriæ directæ, & certæ, non tenetur, id iterum recitare, aut istud iterum solvere. conc. ma. qui tantum meminit memoriæ reflexæ, aut dubitante. neg. ma. & conc. mi. sub eadem dist. conc. vel neg. conf. non enim ad deobligandum ab obligatione certa, sufficit solutio dubia, adeoque neque memoria dubitans de solutione facta, vel officio recitato: sed debet esse memoria directæ, & certa; nam neque probabilis in omnibus casibus sufficit, quamvis de DEI benignitate aliquando præsumendum sit, cum probabili solutione contentum fore.

Ad 2. confir. neg. ant. universaliter sumptum; neque etiam Plato dicit, omnem memoriæ esse scientiam: sed ad summum dicit, omnem scientiam esse aliquam memoriæ: sicut quidem omnis homo est aliquod animal: non tamen omne animal est homo. Scilicet Plato *in Phædone, sive de anima. ante medium vult*, nos jam habere scientias, antequam nascamur: dein juxta ipsum rerum iterum obliviscimur: postea autem, dum eas iterum discimus, recordamur: & hinc ait: *Quòd discere nihil aliud sit nobis, quam recordari.* & inferius: *Ipsa disciplina recordatio est;* unde Plato tantum vult, quòd nostræ scientiæ sint aliæ quæ reminiscencia, seu memoria: non autem

tem vult, quòd omnis memoria qualiscunque debeat esse scientifica. Multò minùs autem Concilium Tridentinum suam definitionem alligavit modo loquendi Platónico; unde etiam om. ant. neg. conseq.

712. Ob. 4. Quia Concilium Tridentinum non meminit circumstantiarum aggravantium, nos suprà n. 630. intulimus, eas non debere in confessione exponi: sed neque Concilium meminit peccatorum dubiorum: ergo neque ista debent exponi. Resp. 1. Si etiam staret tanta auctoritas, & tam universalis praxis Ecclesiæ, pro ea obligatione, non fuisset ausus eam negare: at res longè aliter ibi se habet. 2. Si Concilium etiam expressè loqueretur de peccatis certis, & tamen altùm siceret de dubiis, sicut expressè loquitur de circumstantiis specificis peccatorum, & altùm tacet de circumstantiis aggravantibus, faciliùs expungi possent peccata dubia.

At Concilium nihil dicit de peccatis certis: sed tantùm loquitur de peccatis, quorum quis habet conscientiam, seu, ut Suarez, & alii complures, exponunt, quæ sunt in conscientia: atqui esse in conscientia convenit etiam peccatis dubiis, ut suprà probatum est. Communissima insuper auctoritas, & praxis Ecclesiæ per peccata intelligit certa, & dubia. Non autem per peccata intelliguntur circumstantiæ; quia aliàs superflue Concilium Tridentinum bis addidisset circumstantias specificas: minùs autem per circumstantias specificas intelliguntur tantùm aggravantes, ut probatum est n. 647. ergo disparitas est satis lata. in forma dist. ma. nos intulimus, non debere exponi circumstantias aggravantes præcisè ex eo, quòd Tridentinum earum non meminerit. neg. ma. ex eo etiam, quia meminit circumstantiarum specificarum. conc. ma. & dist. mi. neque meminit peccatorum dubiorum, & tamen meminit certorum. neg. mi. etiam non meminit certorum. conc. mi. & neg. conseq.

713. Dices. De circumstantiis aggravantibus debemus conteri, & tamen non debemus eas confiteri: ergo probatio secunda nostræ conclusionis n. 678. vel ejus confirmatio n. 680. posita, non est solida. Resp. 1. sufficerent tamen aliæ probationes, etsi ista non esset omnino firma. Resp. 2. dist. 1. p. ant. debemus conteri de circumstantiis aggravantibus distinctè, aut peculiariter. neg. ant. tantùm quoad substantiam, seu in quantum debemus conteri de peccatis quoad substantiam, ita tamen, ut motivum doloris se quoque extendat ad illas circumstantias. conc. ant. & neg. conseq. hinc enim etiam tantùm debemus confiteri ea peccata quoad substantiam: & si poenitentes confiteantur etiam peccata dubia quoad substantiam, DEUS erit contentus.

Quare illa probatio secunda tantùm hoc vult, quòd illa peccata quoad substantiam debemus exponere, de quibus debemus conteri. Si dicas, etiam de specificis circumstantiis non requiri dolorem distin-

ctum, aut speciale, vel peculiare, & tamen eas debere exponi in confessione. Resp. hujus expositionis necessitas non delimitur ex eo, quòd debeamus de iis conteri (hoc enim tantùm probaret expositionem peccati quoad substantiam) sed delimitur ex clara definitione Tridentini, sicut & expositio numeri; quia scilicet sine his expositis non potest institui iudicium, à Christo requisitum, ut Tridentinum tradit *sess. 14. c. 5.*

714. Ob. 5. ex Illoa. Materia necessaria sacramenti poenitentiae est etiam sufficiens ad ejus constitutionem, seu ad confessionem ejus constitutivam: atqui peccata dubia non sunt materia ita sufficiens; neque enim licet de peccatis illis absolūtè se accusare, sed tantùm sub dubio: neque sola dubia possunt exponi, sed semper debet addi aliquod peccatum certum; aliàs sacerdos non potest licitè formam absolutionis proferre: ergo. Resp. dist. ma. Materia necessaria sacramenti, hoc est, materia tantùm necessariò exponenda, est etiam sufficiens. neg. ma. materia necessariò requisita ad hoc sacramentum est etiam sufficiens, conc. ma. & om. mi. neg. conseq. Materia necessaria, seu necessariò requisita ad sacramentum poenitentiae, est peccatum revera existens: hoc autem in se, nec est certum, nec dubium; quia hæc sunt denominationes peccato extrinsecæ, provenientes à cogitationibus nostris, variè peccatum repræsentantibus, à quibus valor sacramenti per se non pendet.

Si peccatum est mihi dubium, revera autem fuit factum, erit materia sufficiens: si non fuit factum, etsi certò existimetur factum, non erit sufficiens. Sic, si quis per errorem certò existimet, se commisisse peccatum, quod tamen non fecit, utique juxta omnes est materia necessariò exponenda: & tamen non est materia sufficiens; quia, si poenitens nullum aliud peccatum adderet, sacramentum esset nullum. Unde non omne, quod est necessariò exponendum, est materia sufficiens ad confessionem. Quare peccata dubia, licet sint materia necessaria, in hoc sensu, quòd sint necessariò exponenda, tamen non debent esse materia sufficiens: sicut scilicet peccatum, quod per errorem judicatur omnino certò esse commissum, revera tamen non est patratum.

715. Dices. Ex nostris principiis sequeretur, quòd aliquando, peccata venialia deberent necessariò exponi: hoc est contra Tridentinum: ergo. prob. ma. si quis tantùm haberet peccatum mortale dubium, deberet necessariò istud confiteri, & simul addere aliquod veniale, ut posset absolvi: ergo saltem in paschate, quando vellet communicare, debet confiteri peccatum veniale. Respondent aliqui, neg. ma. ad prob. neg. ant. posset enim dari absolutio sub conditione. ita Gormaz de *sacram. poenit. n. 160.* si autem non dubitaret, an revera actionem commississet; sed dubitaret, an leviter, vel graviter peccasset, posset absolvi. Alii dist. est contra Tridentinum,

num, quòd debeant venialia exponi per se, & ratione sui. conc. mi. per accidens tantùm, & ratione peccati mortalis dubii, seu ratione periculi, reddendi sacramentum invalidum. neg. mi. & conf. ad prob. om. ant. & sub data distinctione conc. vel neg. conf. ita Illung. *tr. 6. disp. 6. n. 113. §. Urgebis.* & La Croix. *l. 6. p. 2. n. 614.*

716. Ob. 6. In foro externo non admittitur accusatio peccati dubii: ergo nec in interno; quia, quantum fieri potest, debet unum alteri conformari. Confirm. 1. Sicut in externo, ita & in interno foro, datur præsumptio pro innocentia; tamdiu enim quis censetur bonus, quamdiu non probatur esse malus: ergo. Confirm. 2. Dubium æquivalet ignorantiae invincibili: ergo dubius de peccato est sicut invincibiliter ignorans: atqui hic non debet confiteri peccatum invincibiliter ignoratum: ergo nec ille dubium. Resp. neg. conf. Non est paritas omnimoda inter forum externum, & internum; aliàs posset etiam absolvi absens, item posset absolutio dari nubitibus, vel aliis signis, sine verbis formalibus: item non deberent in confessione exponi peccata merè interna; & ordinariè saltem non tantùm non deberent, exponi peccata dubia, sed potius deberent, omitti; quia in foro externo ordinariè non admittuntur peccata, seu delicta, quæ probari non possunt. verbo. Christus non voluit iudicium sacramentale in omnibus conformari iudicio externo, & neque voluit conformari quoad accusationem peccatorum dubiorum, ut probatum est nostris rationibus.

717. Ad 1. confirm. Inprimis, si homo priori tempore, vel ante priores confessiones, sæpius est certò lapsus, nunc autem dubitat, quomodo potest innocens præsumi? Dein, licet in foro externo possit præsumi innocens, ex ea ratione, quòd nemo debeat condemnari, nisi probatus sit reus, non habet hoc universaliter locum in foro interno, præsertim circa hominem, qui nec est frigidus, nec calidus, aliquando labitur, aliquando verò non labitur, sæpius vincit, sæpius vincitur: imò etiam si quis sæpius labi soleat, vel alius etiam sæpius vincere, tamen innegabile est, posse ob speciales rationes in aliquo casu dari prudens dubium, ut non statim quis possit præsumi, vel lapsus, vel innocens.

Id tamen concedo cum La Croix *l. 6. p. 2. 612.* & aliis, quòd timorata conscientia homines, qui non solent plenè advertenter, & deliberatè offendere Deum, non teneantur confiteri, si dubitent, an peccarent mortaliter, nisi valde speciales rationes occurrant; quia ex communiter contingentibus est prudens præsumptio, adeoque isti possunt, judicare, se non peccasse, & consequenter dubium deponere, ut docet idem La Croix *l. 1. n. 546.* addens, hanc esse communem auctorum: citatque Bonacinam, Sayrum, Herinx, Bosco &c.

718. Ad 2. confirm. Resp. 1. neg. ant. ita universaliter quoad omnes casus sum-

ptum; aliàs, ut rectè observat Gormaz de *sacram. poenit. n. 168.* neque posset quis confiteri peccata dubia, sicut non posset invincibiliter ignorata; unde dubium non æquivalet ignorantiae invincibili ad excludendam sufficientem conscientiam peccati. Sed neque ignorantia invincibilis, saltem ista fundata in dubio, aut dubio identificata, sufficit ad excludendam obligationem; si dubium non veretur circa ipsam obligationem, sed tantùm circa aliquod remedium: aut, si obligatio incurritur etiam ob dubium. Sic, ut rectè ait Gormaz de *sacram. poenit. n. 165.* dubium de homicidio, etiam invincibile, non excludit obligationem, gerendi se tanquam irregularem; quia scilicet obligatio hæc, imò & ipsa etiam irregularitas, incurritur ob ipsum dubium; unde non est dubium de irregularitate, sed tantum de homicidio.

719. Pariter in nostro casu, seu in antecedente hujus objectionis, sive confirmationis, non ponitur dubium de obligatione confitendi, sed dubium de peccato commissio (sicut in casu superiori ponitur dubium de homicidio commissio) ex quo non sequitur, etiam dubiam esse obligationem confitendi: & putamus, istam nostris rationibus sufficienter esse probatam. Hinc etiam non est paritas cum dubio de reservatione alicujus peccati, supposito, quòd in eo casu non debeat quis adire superiorem (de quo potest videri La Croix *l. 6. p. 2. n. 1603.* & 1694. Arriaga *tom. 8. de poenit. disp. 31. sec. 4. n. 34.* & Illung *tract. 6. disp. 6. n. 113. ob. 3.*) quia in hoc casu juxta hanc opinionem dubium non tantum est de reservatione, sed etiam de obligatione se sistendi. Eadem etiam disparitas est apud Illung *loco modo citato.* inter dubitantem de commissio peccato, & dubitantem de commissio à se injuria; si enim hic non tenetur ad restitutionem, ideo est; quia non tantum injuria, sed etiam obligatio restituendi est dubia. Similiter se res etiam habet in dubio de emissionem voto; quia non tantum dubium est de emissionem, sed de ipsa consequente obligatione.

720. Ob. 7. Gravis obligatio non debet imponi sine gravi ratione: atqui hæc obligatio est gravis, nec datur pro ea gravis ratio: ergo. Confirm. Varia principia juris sunt sententiarum nostræ opposita: ergo non debet admitti. ant. prob. adducendo ea juris principia. 1. *In dubio melior est conditio possidentis.* 2. *Nemo debet præsumi malus, nisi probetur.* 3. *In obscuris minus est sequendum.* 4. *Contra eum qui legem potuit dicere apertius, faciendum est interpretatio.* 5. *Præsumitur ignorantia, ubi scientia non probatur.* 6. *Odia restringi, favores convenit ampliari.* 7. *Reo potius favendum est, quam actori:* ergo. Resp. neg. mi. certè non sunt leves rationes, quas à n. 677. attulimus. Ad confir. Resp. 1. om. ant. neg. conf. Non male Cardenas in *crisi Theol. p. 2. disp. 46. c. 3. n. 183.* & 251. ait, quòd Christus non debuerit,

in institutione hujus sacramenti, directionem petere à legibus Cæsareis, aut aliis humanis: & si constet de voluntate Christi, exigentis confessionem peccatorum dubiorum (ut per nostras rationes satis constare videtur) omnia ista axiomata non possint ei prævalere.

721. Resp. 2. dist. ant. varia juris principia sunt nostræ sententiæ opposita, si rite applicentur, vel explicentur. neg. ant. fecus. om. ant. & neg. conf. ad prob. neg. conseq. & ostendo, ea principia non bene afferri contra nostram conclusionem. Ad 1. Sanchez, Lugo, Gormaz, citati n. 698. & alii plurimi, negant, esse dubium in nostro casu obligationem: sed asserunt, obligationem consistendi dubia peccata esse certam: adduntque Sanchez l. 1. in decal. c. 10. n. 66. & Gormaz de sacram. pœnit. n. 166. præceptum confessionis esse in possessione. Salmem videtur mihi obligatio multo probabilior, adeoque juxta dicta in tract. de act. hum. n. 361. non amplius moraliter dubia. Ad 2. Et si nemo præsumatur absolutè malus, nisi probetur, potest tamen aliquis haberi dubiè malus: & certè, stante dubio, debet talis haberi, quod sufficit ad obligationem confitendi: sicut quis stante dubio de commissione homicidii habetur dubius homicida, & incurrit irregularitatem.

Ad 3. dicimus, voluntatem Christi non esse obscuram, sed satis manifestam, ut rectè ait Illung tr. 6. disp. 6. n. 113. §. Respondet ad 1. num. Ad 4. Christus legem suam satis apertè dixit, nec videtur decere, ut contra Christum eam interpretemur. Ommitto, quòd Illung loc. modò cit. dicat, eum textum, seu regulam juris, non loqui de legibus propriè dictis, quarum interpretationem à principe petendam esse, jura clamant: sed tantum de legibus, seu pactis privatis, quæ statuuntur in privatis contractibus.

722. Ad 5. Locum id habet in foro tantum externo, ubi actor est distinctus à reo, debentque omnia probari; aliàs reus non condemnatur: secus est in foro interno. vide dicta n. 716. Ad 6. Odi debent restringi, quantum lex, vel ejus verba, aut voluntas legislatoris, patitur: atqui lex confessionis, attentata voluntate legislatoris, per praxin nobis cognita, non patitur tantam restrictionem, quantam adversarii vel lent. Ad 7. In foro interno, ubi actor, & reus, est idem, non potest judex magis favere uni, quam alteri: sed & neutri plus favendum est, quam lex, & voluntas supremi legislatoris, permittat.

ARTICULUS XII.

An confessus peccatum ut dubium, superveniente postea notitia certa, debeat illud iterum confiteri, ut certum.

723. **I**N hac quæstione affirmativam sententiam tenent Sanchez l.

1. in decalog. c. 10. n. 69. Martinus Perez de pœnit. disp. 21. sec. 5. n. 7. Dicastillo tr. 8. de pœnit. disp. 9. n. 141. Cardenas in prop. ab Innoc. XI. damnat. dissert. 2. n. 122. Gobat tr. 6. seu Alphab. confit. n. 441. Thyrsus Gonzalez tom. 3. selectarum. disp. 40. sec. 5. Schildere tr. 6. c. 5. n. 47. Placellius. part. post. de sacram. c. 6. n. 797. Illung tr. 6. disp. 6. n. 116. La Croix l. 6. p. 2. n. 615. Gormaz de sacram. pœnit. n. 110. & alii.

Negativam autem sententiam tenent. Arriaga tom. 8. de pœnit. disp. 31. n. 46. Sporer Theol. sacram. p. 3. c. 3. sec. 1. n. 397. Rhodes tr. 9. de pœnit. disp. 2. q. 4. sec. 1. §. 5. ad 2. Tamburinus in method. expedit. confess. l. 2. c. 1. à n. 24. Stoz in instruct. confit. p. 5. n. 431. Gervalius Brisaccensis tom. 6. tr. 5. de pœnit. disp. 2. q. 4. n. 170. & alii plures, citati à La Croix l. 6. p. 2. n. 615. Eandem negativam sententiam non rejicit Herincx p. 4. tract. 4. disp. 3. q. 4. n. 51. Eandem probabilem tenent adhuc plures apud La Croix loc. modò cit. Lugo verò de pœnit. disp. 16. sec. 2. à n. 77. hanc quæstionem pertractans, quamvis negativam sententiam non absolutè teneat, tamen probabilem reputat, & refert, se consuluisse etiam alios, qui eandem probabilem esse judicaverint, & inter hos nominat Nicolaum Richardium, Magistrum Sacri Palatii, qui dixerit, eam esse valde probabilem.

724. Hic insuper advertendum est ex Arriaga, non posse dici, affirmativam sententiam esse communem antiquorum; cum isti casum hunc non tractent, etiam tunc, quando agunt de iteranda confessione, ubi tamen deberent, eum inferere, si obligationem dictam agnoscerent; unde potius sententiæ negativæ favent: & certè à Lugone loc. num. præced. cit. tres tantum allegantur, qui de hoc casu tractarunt, scilicet Sanchez, Diana, & Turrianus, qui tamen non sunt valde antiqui: & Turrianus ab Arriaga tom. 8. de pœnit. disp. 47. sec. 1. n. 2. atque à pluribus aliis culpatur, quòd excedat in suis censuris. Hinc etiam Gobat loc. cit. ait, Dicastillum non debuisse legisse Tamburinum, & alios; aliàs non dixisset, sententiam negativam esse inauditam. Sed nec Cardenas me movet, qui aliquoties in sua crisi excedit, & valde citò sententias certas esse affirmat, absque certa probatione: sanè ratio, quam pro sua sententia adducit, & quam quinto loco dabimus, certitudinem neutiquam parit.

725. Rationes autem pro affirmativa sententia communiter afferri solitæ, sunt istæ. Primò dicunt, pro sententia affirmativa stare auctoritatem communem, ex qua debet colligi voluntas Christi. Sed hoc negat Arriaga, & recentiores plures, qui videntur vix non æquè multi amplecti sententiam negativam, quam amplectantur affirmativam. Sanè La Croix non multò plures nominatim citat pro sua, quam pro negativa sententia: antiqui autem, ut dictum, hunc casum non examinarunt. Se-

eundò dicunt, istam obligationem inferri ex praxi Ecclesiæ. Sed hoc iterum negatur; quia de hac praxi non constat: imò Lugo cit. disp. 16. de pœnit. n. 82. putat, sententiæ affirmativæ oppositam esse aliquam praxin Ecclesiæ: Arriagæ etiam (de quo n. 731.) & aliis, videtur praxis fidelium potius favere sententiæ negativæ; idque isti auctores videntur posse probare argumento non levi, de quo inferiùs.

726. Tertio ajunt, cum dubium peccatum non sit materia certa, non posse in illud cadere directam absolutionem. Sed respondetur dist. si peccatum illud sit revera commissum. negatur. si non sit commissum conceditur: quid autem sit directè, vel indirectè absolvi, vide n. 540. Quarto debet, ut ajunt, peccatum exponi, ut est in conscientia: ergo, si postea est in conscientia ut certum, debet ut tale exponi. Sed respondetur, peccatum debere exponi, prout prima vice est in conscientia (nam, qui confiteretur ut dubium, quod scit à se certò commissum, non exponeret illud, ut habet in conscientia) ita Tannerus, Lugo, Illung, Dicastillo, & communiter alii apud La Croix l. 6. p. 2. n. 618. imò, si quis confessus esset ut certum, quod tantum habet in conscientia ut dubium, iidem auctores, eodem teste, docent, teneri talem ad repetendam confessionem; quia non exposuit, prout habuit in conscientia.

At verò, ajunt patroni sententiæ negativæ, non tenetur quis, amplius exponere peccatum, prout nunc est in conscientia, quando quis illud jam semel, secundum speciem, & numerum, prout tunc in conscientia erat, confessus est, & ab eo directè fuit absolutus: quæ quidem directæ absolutio, licet dicatur, non semper tollere obligationem iterum confitendi, e. g. quando est speciale præceptum in religione ob casus reservatos, vel quando absolvitur moribundus, qui speciem, & numerum, non exposuit, tamen tollit obligationem iterum confitendi, ortam præcisè ex præcepto confessionis, quando quis jam speciem, & numerum, prout tunc erant in conscientia, exposuit. Dein hoc argumentum retorquent in casu, quo quis numerum peccatorum confessus est sub dubio, & dein deprehendit numerum certum, de quo infra.

727. Quintò dicunt, notabiliter variari hac in re judicium confessarii, qui longè graviozem pœnitentiam imponit pro peccato certo, quam pro tantum dubio. Sed respondetur, non omnia, quæ ad majorem, vel minorem pœnitentiam injungendam, debent cognosci, etiam debere necessariò exponi: id quod certè illi debent fateri, qui docent, circumstantias aggravantes non esse necessariò exponendas. Quamvis autem confessarius materialiter erraverit, judicando, peccatum esse dubium, quando erat certum, non erravit, judicando esse tale, quale tunc fuit in conscientia pœnitentis: quòd autem iste error debeat iterum corrigi, non probatur: &

certè, nisi quis eidem rursus confessario confiteretur, error non corrigeretur: quis autem talem hominem obligabit, ad confessionem in eo casu iterum priori confessario faciendam?

Sextò dicunt, quòd dubium tantum suspendat obligationem exponendi peccatum ut certum: ergo remoto dubio absolutè datur obligatio, illud tanquam certum exponendi. Sed respondetur, neg. ant. quia pœnitens jam fecit id, ad quod tunc obligabatur, nec ad plus etiam postea obligatur: quod idem dicendum est ab adversariis, quando numerus sub dubio expositus est. Septimò dicunt, obligationi certæ non satisfieri per solutionem incertam. Sed retorquetur argumentum iterum in numero: deia negatur, quòd obligatio iterum consistendi peccatum ut certum, sit certa in isto casu, nam non est certum, obligari aliquem, ad idem peccatum bis exponendum: nec est obligatio alia certa, quam ut quis exponat peccatum, prout habet in conscientia prima vice. Accedit, quòd aliquando DEUS pro sua benignitate sit contentus solutione probabili, ut dictum n. 671.

728. Octavò dicunt, ex hac sententia sequi, quòd, qui dubitaret, an commississet adulterium, an simpliciter fornicationem, postea autem se accusaret de peccato mortali contra castitatem, non teneretur iterum confiteri, si certò resciret, suum peccatum fuisse adulterium, quod videtur nimis laxum. Sed respondetur, neg. illarum; quia talis in æstimatione morali, ne quidem sub dubio, de sua specie se distinctè accusat, quod tamen Christus requirit: sicut, qui se sub finem confessionis accusat, de omnibus peccatis, è memoria elapsis, vel totius vitæ, non se sufficienter accusat, de specie, & numero, ita, ut, si postea recordetur in specie alicujus peccati, necdum expositi, id non teneatur confiteri: imò, si etiam dicat: *Accuso me, si forte aliquod perjurium, vel simile quid commisi*: non sufficit; quia talibus terminis non explicatur prudens dubium, sed tantum possibilis peccati: nec exponitur sub dubio res ut facta, sed tantum ut possibilis, & tantum indicatur labilis memoria, & fors etiam desiderium, atque conatus, omnia exactè confitendi: quæ non sufficiunt.

729. Jam rationes sententiæ negativæ sunt istæ. Primò dicunt auctores hujus sententiæ. Obligatio iterum confitendi peccatum, à quo aliquis jam est directè absolutus, est valde gravis, nec sufficienter probatur: ergo non est admittenda. Respondetur, hanc obligationem sufficienter probari ex auctoritate, & praxi fidelium, aliisque rationibus, quæ numeris præcedentibus allatæ sunt, de quibus judicium ipse lector ferre poterit, an solida sint. Ad dit La Croix, esse per accidens, quòd quis obligetur in hoc casu, bis idem peccatum exponere: sed replicari potest, etiam si peccata accidentaliter non debent sine ratione au-

geri. Adjungit idem, poenitentem absolvi tantum conditionatè à dubiis: sed hoc non potest intelligi, quasi abolveretur *sub conditione de futuro*; quia absolutio conferri non potest sub conditione de futuro, ut dicitur *n. 514.* ergo debet intelligi *sub conditione de presenti*: sed hæc non impedit, quominus absolutio sit revera absoluta. Si autem hic auctor sub conditione illa intelligat *sub onere iterum confitendi, si innotescat certitudo*; respondetur, hoc ipsum esse in questione, & hoc ipsum onus debere probari.

730. Secundò dicunt patroni sententiæ negativæ. Certitudo, vel incertitudo peccati, non est materia confessionis, sed tantum ipsum peccatum, adeoque modò hoc expositum fuerit, satisfactum est præcepto confessionis. Sed responderi potest, esse tamen sub præcepto, exponere peccatum subsistans certitudini. Sanè, qui certò nòset, peccatum à se fuisse commissum, non satisfaceret, accusando se sub dubio. Tertio inquirunt. Qui à dubia censura absolutus est, etiam postea certior fiat, revera ea se ligatum fuisse, non tenetur de novo absolutionem petere: ergo à pari nec is, qui absolutus est à peccato dubio. Sed reponitur, disparitatem esse, quòd absolutio à censura non exigat dispositionem, aut accusationem, ex parte absolvendi: imò possit confiteri invito, & infcio: non ita se rem habere in absolutione à peccato, ad quam requiritur à Christo confessio, & ut patroni sententiæ affirmativæ volunt, expositio peccati ut certi, si tale esse postea innotescat: quod tamen nova probatione indiget.

731. Quarto, & fortè verosimilius dicunt. Qui confessus est numerum sub dubio, e. g. dixit: *Circiter decies blasphemavi*: adeoque sub dubio se accusavit de undecima vice, si postea resciat, se undecies determinatè blasphemasse, non tenetur, de novo de illa undecima vice se accusare: ergo neque debet in nostro casu se accusare de peccato postea cognito ut certo; non enim magis requiritur expositio determinata speciei, quam numeri. Ex hoc argumento deducit Arriaga *tom. 3. de penis. disp. 31. n. 46.* praxin fidelium esse potius pro sententiâ negativa; cum fideles non soleant repetere numerum, deia certò cognitum, quando eundem sub dubio cognitum jam exposuere. Sed respondetur, quòd Gaspar Hurtadus, Dicastillo, Cardenas, Ayala, & Schildere apud La Croix *l. 6. p. 2. n. 616.* negent antè & dicant, iterum esse constitendum talem numerum peccati.

Veram meritò replicatur, quòd (teste ipso La Croix *loc. cit.* quamvis sententiæ adversè, seu affirmativæ patrono) communissima sententiâ Soti, Vega, Suarezii, Vasquii, Bonacini, Reginaldi, Stoz, Sporer, & aliorum doctorum, sit huic responso contraria: quod etiam citatis adhuc aliis confirmat Lugo *de penis. disp. 10. n. 78.* Arri-

aga autem *disp. modo cit. n. 45.* ait, esse extra controversiam, & ut indubitatum supponi ab Eximio, quòd, qui numerum peccatorum sub particulis *circiter &c.* explicavit, non teneatur postea, ut dicitur *n. 514.* iterum confiteri: intellige, nisi sit notabilis excessus. Illud quoque, quamvis sententiæ negativæ, de qua agimus, adversarius, tamen ait *tratt. 6. disp. 6. n. 115.* ex communi doctorum, talem non amplius in hoc casu obligari, ad numerum certum exponendum. Quare auctores oppositi laborant, ut assignent disparitatem, inter hunc, & priorem casum.

732. Itaque Diana *p. 10. tr. 16. resp. lut. 79.* ait, ex praxi ipsa fidelium, ac poenitentium, constare, non eodem rigore obligari poenitentes, ad explicandum numerum, quo obligantur ad explicandam substantiam, vel speciem peccati: & ratio esse potest; quia illa explicatio diversa numeri non solet iudicium confessarii multum variare in ordine ad imponendam poenitentiam: multum autem variat certitudo, aut dubium. Sed replicatur, de praxi fidelium neutiquam constare, ut dictum *n. 725.* neque ex variatione aliqua iudicii in confessario hanc obligationem sufficienter probari, ex dictis *n. 727.*

Accedit, quòd falsum videatur, quòd non eodem ferme modo varietur in utroque casu iudicium confessarii; cur enim multo magis apprehendat confessarius, vel multum diversam imponat poenitentiam, si quis dicat: *Circiter bis non audivi sacram die festo* (quo casu alteram omissionem sub dubio constituit) quam, si quis dicat: *Semel non audivi sacram, & dubito, an non etiam semel die festo laboraverim?* vel, si quis dicat: *Bis die festo non audivi sacram: quam si dicat: Semel die festo non audivi sacram, & semel die festo laboravi serviliter?* De cætero, si habetur certitudo, debet, non minus numerus, quam species determinatè exponi, ex Tridentino; quare videtur, eadem obligatio respectu utriusque à Christo esse imposita: ergo, si ab una expositione deobligatus sum, videri possum etiam deobligatus ab altera.

733. Dicunt, numerum difficilius agnoscit, quam speciem, adeoque hunc non esse eadem exactione exponendum. Sed respondetur, contingere etiam sæpe, ut æquè difficulter species agnoscat: præsertim sæpissimè dubitari, an peccatum sit mortale, an veniale, an plene, an tantum semideliberatum: dein ex hoc tantum sequeretur, aliquem sæpius excusandum esse à repetita expositione numeri, quam speciei: non autem semper. Alii dicunt, confessarium facilius conjicere numerum, quam speciem. Sed reponitur, si species etiam sub dubio exponatur, confessarium non posse melius conjicere certum numerum, quam certam speciem.

Addit La Croix, à posteriori colligi disparitatem; eoquòd illa peccata, dicta confessario addito *circiter, vel plus minus,* aut

materia certa confessionis: non verò peccata dubia. Sed reponitur, peccata illa, quoad illum excessum dubium, non esse materiam certam, sed tantum quoad numerum infimum, qui certò continetur in numero, cum particulis *circiter plus minus,* exposito. Unde si quis dicat: *Ter circiter, vel plus minus, hoc feci:* materia certa est numerus binarius: non verò ternarius, aut quaternarius: de cætero, quoad numerum sub dubio expositum, est eadem ratio, cum specie sub dubio exposita. Alii cum Burghaber *centur. 2. casu 55.* dicunt, numerum parvum absorberi in majori, & censeri in isto explicatum: at in dubio non censeri explicatum peccatum certò commissum. Sed contra est; quia, licet in majori imbibatur numerus minor, non tamen in minori, additè particula *circiter, vel plus minus,* imbibitur certò major, seu excessus, qui tamen, si dein certò innotescat, non debet, ex dictis *n. 731.* rursus exponi.

734. Alii tandem cum Illsang *tr. 6. disp. 6. q. 4. n. 116.* dant hanc disparitatem, quòd in casu de numero etiam excessus assertivè exponatur: e. g. qui dicit: *Circiter decies blasphemavi:* etiam assertivè se accusat de undecima vice; nam est idem, ac si diceret: *Judico, me decies, vel undecies blasphemasse:* quæ propositio absolutè assertivè etiam undecimam vicem, quamvis disjunctivè: at verò, qui peccatum tantum exponit sub dubio, nihil de eo assertivè dicit: ergo. Addit hic auctor, in priori casu numerum undecimum exponi sub dubio positivo, quatenus dicitur, probabiles adesse rationes, ex quibus possit dicere, quòd probabiliter iudicet, se, vel decies, vel undecies peccasse, quale nihil, ut ait, contingit, dum peccatum tantum sub dubio negativo exponitur.

735. Sed replicant auctores oppositi. Inprimis disjunctiva tantum assertio, in ordine ad iudicium confessarii, non plus facit, quam assertio dubia: certè propterea non potest confessarius magis determinari ad rem magis apprehendendam, vel ad imponendam majorem, aut minorem poenitentiam, quam si peccatum simpliciter sub dubio expositum fuisset. Et cur, ob hoc, magis determinatus sit confessarius, ad certam mensuram poenitentiae, vel ad iudicium accuratius ferendum, si quis dicat: *Circiter decies blasphemavi:* quam, si dicat: *Novem blasphemias dixi: de decima, vel undecima, dubito, prudenter quidem, sed non habeo sufficientem rationem, absolute probabiliter iudicandi, me decies blasphemasse?* Et difficulter capio, cur hic auctor *loc. cit.* aliquem posteriori modo se explicantem obliget, ad iterum exponendam undecimam vicem, si postea certò innotescat: non verò obliget accusantem se prior modo.

Dein accusans se sub dubio de aliquo peccato in specie, eodem modo virtualiter, vel æquivalenter, dicit: *Judico, me fuisse*

tentatum, & vel consensum, vel dissensum præbuisse: & sic etiam eodem modo assertivè disjunctivè se accusat: & quamvis prior ille magis determinatè se accuset, de novem, vel decem vicibus, non tamen se magis accusat de undecima vice. Quòd additur de dubio positivo, non est universaliter verum; quia sæpissimè contingit, circa numerum dari tantum dubium negativum, præsertim circa excessum: & tamen non debet hic iterum exponi; nam, doctores inter hæc quoad hunc casum, non distinguunt.

736. Hæc sunt, quæ communiter pro utraque sententiâ solent afferri: si autem ex me petatur, quid sentiam. Resp. 1. me suadere in praxi sententiam affirmativam, non tamen putare vi rationum hucusque à *n. 725.* adductarum, in praxi imponendam esse strictam obligationem. At novam rationem assert pro affirmativa sententiâ, seu adstruente obligationem, Dominicus Viva *curf. Theol. p. 8. disp. 4. q. 3. art. 2. n. 16. §. ultimo* his verbis: *Inter libros prohibitos recensetur Manuale Regularium Francisci Pellizarii, donec nonnullæ opiniones deleantur: inter quas (tom. 1.) tr. 5. c. 3. n. 56. est hæc, quòd non detur hujusmodi obligatio: quamvis autem per hanc prohibitionem, factam à S. Congregatione, non eatenus censetur damnata à Pontifice hæc sententiâ: quia tamen auctoritas Cardinalium est magni ponderis, non est ab ea recedendum, nisi urgent validissima ratio in contrarium:* ita Viva. Equidem hæc prohibitio recens est; nam nec Illsang, nec La Croix, qui Pellizarium citant, ullam hujus prohibitionis mentionem faciunt.

737. Quare hæc super re petii Romæ responsum: unde mihi fuit rescriptum, quòd primò confixus fuerit Pellizarii liber, in quo dicta propositio continetur, quin tamen ulla propositio, ob quam liber prohibitus fuerit, in particulari designaretur: cum autem nostri peterent, ut sibi designarentur ex propositionibus, ob quas liber vultus sit prohibendus, designatæ fuerunt propositiones quæ plurimæ, & inter eas etiam ista, quæ negat obligationem, iterum exponendi peccatum, jam sub dubio expositum, etsi postea resciatur certò commissum.

Additum fuit, Cardinalem quendam doctissimum asseruisse, hanc designationem propositionum, vel ob solum maximum numerum earum, nullam vim habere; unde videri potest, hanc propositionem tantum non satis placuisse quibusdam Theologis Sacræ Congregationis: non autem fuisse prohibitam; neque enim videtur Sacræ Congregatio statim voluisse prohibere maximum numerum propositionum, sola designatione nostris privatis hominibus facta. Quòd si tamen probaretur, Sacram Congregationem omnino habere propositionem prohibuisse, tam parùm vellem eam defendere, quam parùm systeria mundi Copernicanam, etiam Sacræ Congregationis iudicio profectum; nam, etsi absque definitione Pontificis tale

judicium necdum habeat omnimodam infallibilitatem, habet tamen auctoritatem obligandi ad tales sententias non defendendas.

738. Petes ex occasione dictorum de numero, quid significet illæ particulæ *circiter*, *plus minus* &c. Resp. significare excessum, vel defectum respectivè modicum, ut videtur sumi ex *L. Hæc adjectio. 192. ff. de verborum signif.* Dixi *respectivè*; nam quo major est numerus determinatus, eo plus significant illæ particulæ, cujus significationis exactior determinatio accipienda est ex æstimatione prudenti hominum, quæ hæc in re est juxta Illung unicæ regulæ. Similiter Tamburinus in *method. exped. confess. l. 2. c. 1. n. 23.* ait, id prudentis judicij decernendum esse.

Subjungit idem auctor cum Fagundez de 2. præcepto *Ecles. seu confess. l. 3. c. 4. n. 9.* si dicas: *Peccavi circiter decies*: etiam verificari, si id feceris octies, vel duodecies. Idem Tamburinus ait, si dicas *circiter centies*, verificari, si feceris nonaginta quinque, vel centum & quinque vicibus: quod videtur fortè nimis restrictum. At è contra videri potest nimis laxum, quod ait Burghaber *confess. 2. c. 55.* si quis dicat *circiter octogies*, includi etiam numerum centenarium, adeoque, si quis postea deprehenderet, se centies peccasse, non debere excessum postea confiteri: res hæc multum dependet à judicio prudentum. Hoc tamen communiter admittitur, quòd, etsi postea certò innotescat numerum fuisse aliquanto majorem, sed adhuc intra limites, qui subintelliguntur sub illis particulis, non tenearis denuo numerum, aut excessum ejus confiteri; at verò tenearis confiteri excessum, si hic tantus sit, ut moraliter non amplius contineatur in illis particulis. Hinc, si dixisses, *circiter decies*, & postea certò rescires, id quatuordecim, vel quindecim vicibus contigisse, juxta Fagundez teneris iterum confiteri. Plura in hanc rem petenda sunt ex Theologis moralibus.

QUESTIO IV.

De Satisfactione.

ARTICULUS I.

An aliqua Satisfactio debeat Pœnitenti imponi, & ab eo acceptari.

739. Dico. 1. Tenetur confessarius, per se loquendo injungere aliquam satisfactionem, statui pœnitentis accommodatam. ita Suarez *tom. 4. in 3. p. disp. 38. sec. 3. n. 1.* Layman *l. 5. tr. 6. c. 15. n. 4.* Illung *tr. 6. disp. 6. n. 54.* & alii communiter. Prob. Tridentinum *sess. 14. c. 8.* ita habet: *Debent ergo sacerdotes Domini, quantum spiritus, & prudentia, suggererit, pro qualitate criminum, & pœnitentium facultatibus, salubres, & convenientes satisfactio-*

nes injungere: ergo Confir. 1. Minister sacramenti pœnitentiæ tenetur procurare ejus integritatem, ad quam spectat satisfactio, quæ est pars saltem integralis hujus sacramenti, ut habetur iterum ex Tridentino *sess. 14. c. 3.* ergo. Confir. 2. Debet minister, tanquam iudex, exigere pœnam pro delictis, & ut medicus animæ, præscribere medicinas reparativas, ac præservativas; ergo debet imponere aliqua opera pia satisfactoria pœnitenti.

740. Dixi 1. *per se loquendo*; nam per accidens, quando e. g. moribundus nullam pœnitentiam amplius peragere potest, nulla debet imponi: infirmis etiam ex Rituali Romano, citato *n. 522.* non est imponenda satisfactio gravis, pro tunc implenda: sed, si gravem meriti sunt, ea indicanda est, ut postea impleatur, si convalescant: quod idem habetur *C. Ab infirmis. 26. q. 7.* Dixi 2. *accommodatam statui pœnitentis*; quia pauperi e. g. non sunt imponendæ elemosynæ, aut monialia peregrinatio, aut rustico recitatio psalmodum: sed debent esse pœnitentiæ, quæ moraliter à pœnitentibus possunt impleri. Huc vel maxime spectat, quod Tridentinum *sess. 14. c. 8.* verbis supra citatis immediatè subjungit, de iisdem sacerdotibus: *Ne, si forte peccatis conniverint, & indulgentius cum pœnitentibus agant, levissima quadam opera, pro gravissimis delictis injungendo, alienorum peccatorum participes efficiantur. Habeant autem præ oculis, ut satisfactio, quam imponunt, non sit tantum ad nova vitæ custodiam, & infirmitatis medicamentum, sed etiam ad præteritorum peccatorum vindictam, & castigationem.*

741. Quibus tamen verbis non prohibetur, quo minus confessarius aliquando, ex rationabili causa, infirmitati pœnitentis aliquantum cedat, & minorem aliquam pœnitentiam imponat, etiam infra infirmam proportionem: quo tamen casu putat Illung *tr. 6. disp. 6. n. 154.* convenire quandoque, admonere pœnitentem, quòd iusto levior ei pœnitentia injuncta sit, ut exciteur ad spontaneam satisfactionem addendam. In his, & similibus casibus, ut advertit Tridentinum citatum, utique opus est prudentiâ, discretione, & præsertim illustratione Spiritûs S. neque enim nimis rigor, nec nimia facilitas, probari potest: quam posteriorem etiam verba Tridentini non ferunt: Illung tamen *loc. cit.* pro se citans Tamburinum, ac Lugonem, putat, in dubio inclinandum esse in partem benigniorem.

742. Dico 2. Pœnitens per se tenetur acceptare, & exequi pœnitentiam, seu satisfactionem sibi injunctam. ita S. Thomas *in 4. disp. 18. q. 1. a. 3. questiuic. 3. in corp.* & contra paucos communis aliorum, ac teste Lugone *de pœnit. disp. 25. sec. 5. n. 68. certa*: & teste Suarez *tom. 4. in 3. p. disp. 38. sec. 7. n. 2.* sine temeritate non negabilis sententia. Prob. 1. ex *C. Omnis utriusque sexûs*, citato *n. 595.* ubi clarè dicitur, debere confitentem pœnitentiam injunctam provi-

ribus adimplere: 2. Satisfactio injungitur ex potestate clavium, seu solvendi, & ligandi, ut habet Tridentinum *sess. 14. c. 8.* sive ex potestate judiciaria: quamvis autem pœnitens se liberè subjiciat huic potestati, vel huic judici, tamen ex suppositione, quòd se subjecerit, debet, prout ratio judicij postulat, sententiæ parere: ergo.

Imò Illung *tract. 6. disp. 6. n. 157.* cum multis aliis infert, non esse in potestate confessarii, totam pœnitentiam sub consilio tantum imponere, sed debere eum, aliquam saltem partem, imponere sub præcepto: quo casu putarem, alia sub consilio addita non esse pœnitentiam strictè dictam, sed tantum remedium aliquid, vel simile quid, suadendo indicatum. Idem auctor *ibidem*, & Suarez quoque *sec. modo cit. n. 4.* advertit, non posse pœnitentem sine irreverentia, saltem veniali, post confessionem judicium illud abrumperè, & pœnitentiam non acceptare, etiam si non petat ab hoc confessario absolvi, sed velit alteri iterum confiteri: verum debere talem, si pœnitentia nimis difficilis ipsi videatur, petere mitigationem: quæ, si irrationabiliter negetur, tunc, ajunt, posse pœnitentem ante absolutionem abire: hæc autem in re confessarius, saltem si rationabiliter potest cedere, difficilis esse non debet, ut docet Suarez *loco modo citato.*

743. Dico 3. Utraque hæc obligatio, tam imponendæ, quam implendæ pœnitentiæ, ex genere suo est gravis. ita communis. Prob. ex Tridentino citato *n. 739.* & ex *C. Omnis utriusque sexûs*, citato *n. 595.* ex quibus locis habetur, tam confessarium esse obligatum ad imponendam, quam pœnitentem ad explendam pœnitentiam, seu satisfactionem. Et quidem ex Tridentino, citato *n. 740.* habetur, tunc hanc obligationem confessarii esse gravem, quando aliàs ob nimiam ejus facilitatem pœnitentes ansam arriperent peccandi, & ipse eorum peccatorum gravium particeps fieret, tanquam aliqua eorum causa.

Ubi notandum, ex hac participatione alienorum peccatorum incurrenda, Concilium inferre obligationem gravem imponendi pœnitentiam, & non ex eo, quòd aliàs ex confessarii culpa sacramentum non integrè perficeretur; si enim esset grave, non procurare ubique eam integritatem, etiam pœnitens graviter peccaret, si quamlibet minimam pœnitentiam non impleteret; quod tamen Suarezio *tom. 4. in 3. p. disp. 38. sec. 7. n. 5.* & aliis ab eo citatis, videtur nimium. Quare, si confessarius, aut pro peccatis jam aliàs expositis, aut pro venialibus, nullam pœnitentiam imponeret, quamvis utique venialiter peccaret, non tamen mortaliter delinqueret. vide Illung *tr. 6. disp. 6. n. 154.*

744. Pœnitens autem debet sub gravi, pœnitentiam implere, si ea gravis ex præcepto confessarii imposita est; nam gravis materia, taliter imposita gravem post se obligationem trahit, ut est clarum. Si autem

fit pœnitentia levis, etiam si pro mortalibus imposita esset, ait Suarez *tom. 4. in 3. p. disp. 38. sec. 7. n. 5.* non esse grave peccatum, illam omittere. Plura vide apud eundem Eximium, & Layman *l. 5. tr. 6. c. 15. n. 7.* Addendum, pœnitentiam debere impleri ab ipso pœnitente, nec posse alium substitui; damnata est enim hæc propositio 15. ab Alexandro VII. *Pœnitens propria auctoritate substituere sibi alium potest, qui loco ipsius pœnitentiam adimpleat.*

Aliquando tamen, non tam actio, quam procuratio actionis alterius, imponitur pro pœnitentia, ut, si laico imponatur, ut curet sacra legi: aliquando actio alterius adscribitur ipsi pœnitenti: sic ordinariè parùm refert, an quis propriâ, an servi manu, elemosynam det, de qua re iterum vide Illung *tr. 6. disp. 6. q. 5. n. 159.* Debet etiam pœnitentia impleri, intra tempus, à confessario præscriptum: quod si intra istud fuerit omissa, implenda est proximè; quia non finitur obligatio, ut dictum est in simili *n. 597.* potestque dilatio longa rei gravis etiam gravis esse. Si autem nullum tempus confessarius præscripsit, implenda est pœnitentia, quando commode potest, nec multum est differenda, ut scilicet solet in simili fieri. vide Illung *tr. 6. disp. 6. n. 158.*

ARTICULUS II.

Quis sit Effectus Satisfactionis Sacramentalis.

745. Dico 1. Satisfactionis sacramentalis effectus ex opere operato est remissio alicujus pœnæ temporalis, residuæ post deletam culpam (de qua deletionem vide dicta *n. 390.*) Conclusio hæc est communis omnium cum Eximio *tom. 4. in 3. p. disp. 38. sec. 2. n. 2.* Dixi *alicujus pœnæ*; nam non per quamlibet satisfactionem remittitur tota pœna, sed tantum per illam, quæ esset omnino proportionata delictis: de qua intelligendus est S. Thomas *in 4. disp. 16. q. 1. a. 1. questiuic. 2. ad 3.* ubi ait, satisfactionem liberare *totaliter à reatu peccati.* Probatur autem conclusio. Tridentinum *sess. 14. de pœnitentia. can. 13.* anathema dicit, dicenti, *pro peccatis quoad pœnam temporalem, minime DEO per Christi meritâ satisfieri, pœnis . . . à sacerdote injunctis*: rursus idem Concilium *ead. sess. 14. c. 3.* docet, satisfactionem esse partem, sacramenti pœnitentiæ, quatenus requiritur *ad integritatem sacramenti, ad plenamque, & perfectam peccatorum remissionem ex DEI institutione.*

Ex quibus sic argumentor. Satisfactio ex se non requiritur ad remissionem culpæ, vel pœnæ æternæ, quæ una cum culpa remittitur, ut docet Tridentinum *sess. 6. c. 14.* adeoque remittitur per priores partes sacramenti

menti, scilicet contritionem, confessionem, & absolutionem, quibus positis, etiam satisfactio nulla sequi possit, e. g. in moribundo, culpa, & poena aeterna remittitur: ergo satisfactio primario requiritur ad remittendam poenam temporalem, quae post remissionem culpam remanet; nam aliquam saltem saepius remanere docet iterum Tridentinum *sess. 14. c. 8.* Confirm. Hicetiam, ut recte ait Gormaz *de sacram. poenit. n. 317.* est sensus communis Ecclesiae: & SS. Patres quoque docent, in hunc finem subeundam esse poenitentiam, atque hortantur fideles, ad poenitentias a sacerdotibus acceptandas &c. ergo.

746. Quod autem satisfactio hanc vim habeat ex opere operato, prob. 1. Quod confertur per sacramentum, seu partem illius qua talem, confertur ex opere operato: sed remissio alicujus poenae temporalis confertur per satisfactionem ut partem sacramenti poenitentiae: ergo. 2. Ut recte Suarez *tom. 4. in 3. p. disp. 38. sec. 2. n. 7.* impositio poenitentiae procedit a potestate solvendi, & ligandi, concessa sacerdoti: ergo per eam applicatur merita Christi, seu opus operatum ipsius, adeoque satisfactio ex hoc opere operato habet vim remittendi aliquam poenam. 3. Ut iterum idem Eximius ait, est absurdum dicere, quod satisfactio sacramentalis non habeat majorem efficaciam, quam non sacramentalis: atqui, si satisfactio sacramentalis nullam habet vim, aut efficaciam ex opere operato, ex nullo capite habet majorem vim, quam satisfactio non sacramentalis (nam & ista potest esse ex praecepto superioris, sicut est illa ex praecepto confessorii) ergo.

Quare, ut recte Layman *l. 5. tr. 6. c. 15. n. 14.* & alii, communissime tradunt, satisfactio sacramentalis longem majorem vim habet, ad delendas poenas peccatis debitas, quam habeant alia opera pia sponte assumpta, quae vim habent duntaxat ex opere operantis. Hinc iidem auctores tanquam inconscultos reprehendunt eos, qui modicas sibi poenitentias injungi postulant; quia sic plurimum in purgatorio sibi luendum refervant, quod postea tam facile non expiant aliis operibus sponte assumptis: praeterquam quod probabiliter aliqua etiam gratia habituali se privent, ut mox dicemus.

747. Dico 2. Satisfactio sacramentalis probabiliter causat etiam aliquam gratiam habitualem ex opere operato. ita S. Thomas *3. p. q. 90. a. 2. ad 2.* sic scribens: *Satisfactio confert gratiam, prout est in proposito, & auget eam, prout est in executione, sicut etiam baptismus in adultis:* item Suarez *tom. 3. in 3. p. disp. 38. sec. 2. n. 3.* citans Cajetanum, & Sotum. Gonet. *tom. 5. tract. 5. disp. 13. n. 3. n. 31.* Martinus Perez *de poenit. disp. 56. sec. 2. n. 6.* & alii plures: quamvis non diffitear, oppositam esse communioem. Sed nostra habet

pro se Angelicum, cujus auctoritas multis aequivalet.

Prob. ex Angelico. Satisfactio reipsa praestata auget gratiam in executione, sicut baptismus reipsa susceptus: atqui baptismus, reipsa susceptus, auget gratiam, quam quis prius per contritionem tanquam votum baptismi accepit: ergo etiam satisfactio. Neque alibi contrarium docet S. Doctor, ut observat Gonet *cit. art. n. 38.* nam, quando S. Doctor *in 4. dist. 16. q. 1. a. 1. questiuic. 2. ad 3.* ait: *Quamvis satisfactio actualis gratiam praesupponat: recte intelligitur de gratia primaria, tollente reatum culpae mortalis, cui dein satisfactio addit augmentum, quod addi S. Doctori non negat; sed ab hoc ibi praesindit, & interim satisfactio alium effectum attribuit.* Quod si etiam hic, aut alibi extra Summam suam, dubie loqueretur, tunc, ut recte innuit ibidem Gonetus, Summa aliis operibus Angelici praeferrere debet. Ratione haec sententia quidem difficulter probatur: sed etiam non nisi negativè impugnetur.

748. Probatur tamen sic. Satisfactio est pars sacramenti poenitentiae denominativè sumpti, & quidem habens specialem significationem rei diversae: ergo, nisi specialis ratio sit negandi ei efficientiam gratiae sanctificantis, non debet ei negari. prima pars ant. est clara; nam Tridentinum *sess. 14. c. 3.* vocat eam partem sacramenti hujus: secunda pars etiam non negatur; quia significat remissionem poenae, ut est clarum: reliquae autem partes significant remissionem culpae.

Quin imò satisfactio non tantum significat remissionem poenae, sed, ut probat Martinus Perez *de poenit. disp. 56. sec. 3. n. 2. & seq.* & Conineck *tom. 2. de sacram. disp. 10. dub. 10. n. 92.* significat etiam medelam in futurum contra peccata, vel cautelam, & abstinentiam in futurum à peccatis, seu eorum vitiationem; nam Tridentinum *sess. 14. c. 8.* ait, hanc in futurum peccatorum evitacionem procurari per satisfactionem; sic enim habet: *Procul ubi enim magnopere à peccato revocant, & quasi frano coercent ha satisfactoria poena, cautioresque, & vigilantiores in futurum poenitentes efficiunt: medentur quoque peccatorum reliquiis &c.* adeoque satisfactio in hunc etiam finem à Christo intenta, & instituta est: & consequenter etiam in hunc finem imponenda est poenitentibus. consequens non videtur neganda, saltem sine gravitatione, quid enim deest satisfactioni, quo minus gratiam causare possit?

749. Confirm. Vix est alia ratio, quae probet, quod confessio, & attritio, causent gratiam: & tamen hoc nemo negat; quod enim satisfactio sit tantum pars integralis, attritio autem, & confessio partes essentialis sacramenti poenitentiae, videtur esse disparitas purè materialis, & ex eo tantum hoc sequi, quod confessio causet gratiam essentialem: satisfactio verò duntaxat integra-

gralem, ut recte infert Gonetus *tom. 5. tr. 5. disp. 13. n. 3. n. 36.* Dein etiam pars integralis potest causare gratiam; nam facile admittitur, quod in forma absolutionis verba ego, à peccatis tuis, causent gratiam; quamvis non essentialis, sed tantum integrales partes sint. Rursum utique non tantum expositio unius, aut alterius peccati, causat gratiam, sed expositio omnium, seu omnes partes confessionis, quae tamen non omnes sunt partes essentialis: sed plures tantum sunt partes integrales, saltem determinatè sumptae. Eadem etiam est ratio de quibusdam unctionibus, quae sacramenti extremæ unctionis tantum sunt partes integrales.

750. Probatur 2. ex Suarez *tom. 4. in 3. p. disp. 38. sec. 2. n. 3.* & Martino Perez *loc. cit. n. 748.* Satisfactio significat etiam medelam, seu potentiam evitandi, vel evitacionem peccatorum in futurum, ut dictum *n. 748.* ergo significat gratias actuales, conferendas in ordine ad hunc finem: ergo vi satisfactionis istae gratiae conferuntur; quia sacramenta, & etiam sacramentales partes, eam gratiam efficiunt, quam significant: subsumo: atqui gratiae actuales, quando dantur ratione sacramentorum, dantur mediante gratia habituali, tanquam aliquo jure ad eas gratias actuales, & tanquam radice easdem exigente: suntque duo isti effectus, nempe gratia habitualis, tanquam radix, & actualis tanquam radicata, ex DEI voluntate inter se connexi: ergo satisfactio, causans gratias actuales, causat etiam aliquam gratiam habitualement, tanquam radicem.

Prob. subsumptum. Inprimis Suarez *tom. 4. in 3. p. disp. 38. sec. 2. n. 3.* ait, haec duo esse in effecta sacramentali semper conjuncta: dein probatur hac ratione. Qui post sacramenti receptionem labitur in peccatum grave, adeoque perdit gratiam habitualement, perdit etiam jus ad gratias actuales: item gratia habitualis est quasi natura in ordine superno, exigens gratias actuales, tanquam aliquas suo modo potentias, & hinc ex necessitate gratiarum actualium, & benignitate DEI volentis, eas recuperari per poenitentiam, infertur communiter reviviscencia sacramentorum simpliciter talis, seu reditus gratiae habitualis, quae per bonum usum sacramentorum prius erat acquisita, postmodum autem per peccatum erat perditam (vide *tr. de sacram. n. 364. & seq.*) ergo jus ad gratias actuales fundatur in gratia habituali: adeoque, si satisfactio confert jus ad gratias actuales, confert hoc ipso gratiam aliquam habitualement.

ARTICULUS III.

Solvuntur Objectiones.

751. Ob. 1. Sententia opposita est communissima, & verissima: ergo est praeferrenda. Confirm. No-

stra sententia nulla ratione potest probari, & plus tamen affirmat: ergo. Resp. Arraiga quidem *tom. 8. de poenit. disp. 47. sec. 1. n. 2.* dicit, oppositam sententiam videri sibi verissimam: at eam non probat, nisi *n. 4.* argumento negativo, quod non sufficit ad reddendam verissimam eam sententiam, cujus oppositum sentit S. Thomas. Resp. 2. neg. ant. communior quidem est illa sententia: at non communissima, aut verissima; nostra enim sententia habet etiam suos auctores graves, & rationes satis probabiles. Ad confirm. neg. ant. Nostra sententia sufficienter probatur, & vel ob solam Angelici auctoritatem probabiliter sustineri potest. Nec dicas S. Thomam *in 4. dist. 16. q. 1. a. 1. questiuic. 2. ad 3.* oppositum docere; nam nego illatum. videantur dicta *n. 747.*

Dices. Unum sacramentum tantum causat unam gratiam, & sacramentum poenitentiae jam causat aliquam, ante praestitam satisfactionem, in instanti absolutionis: ergo nullam amplius causat ratione satisfactionis. Resp. dist. ant. Unum sacramentum tantum causat unam gratiam physicè, neg. ant. unam moraliter, seu unam unitate morali, qualis unitas datur etiam inter gratiam, ab absolutione prius, & à satisfactione posterius causatam. conc. ant. & neg. consequ. Gratia causata à satisfactione est complementum prioris gratiae, causatae in absolutione, & propter connexionem cum ista confertur esse moraliter una, vel eadem.

752. Ob. 2. Eucharistia, recepta sub duplici specie, non causat plus gratiae, quam recepta sub una, quamvis istae species sint partes sacramenti: ergo neque satisfactio causat plus gratiae, quam causent reliquae partes, etiam sit pars integralis. Resp. neg. conf. dixi enim in probatione conclusionis, illam partem sacramenti causare ultra reliquas partes aliquam gratiam, quae habet specialem significationem rei diversae: atqui species Eucharisticae non habent significationem specialem, seu diversam diversitate rei, sed tantum diversitate modi; nam & species panis, & species vini, significant eandem refectionem spiritualem, quamvis diverso modo, nempe priores per modum cibi, posteriores per modum potus. At est longè alia res remissio culpae, quam significant confessio, & absolutio: & remissio poenae, quam significat satisfactio.

Dein plures species non causant majorem spiritualem refectionem; quamvis enim sacerdos plures hostias sumat, etiam successivè, sed tamen per modum unius moraliter sumptionis, vel pluribus tractibus, etiam plus, ex sacro calice hauriat, non magis spiritualiter reficitur. At major poenitentia, ut dictum *n. 746.* plus causat remissionis de reatu poenae. Omitto autem hic, quod species causent gratiam; nam hoc aliqui negant apud Suarez *tom. 3. in 3. p. disp. 42. sec. 3. §. De speciebus verò.* quamquam ut verum fatear, mihi probabilius videatur, quod etiam species ipsae elevatae sint ad cau-

fundam gratiam, ut respondi in *tr. de Euchar. n. 17.*

753. Ob. 3. Per sacrificium Missæ conferuntur etiam gratiæ actuales ex opere operato, quin conferatur gratia habitualis: ergo idem potest dici de satisfactione. Confirm. Quod substat significationi sacramentali, est par essentialis: atqui juxta nos ei substatet satisfactio: ergo esset pars essentialis: hoc est falsum: ergo. Resp. neg. conf. Aliud est de actionibus sacramentalibus, causantibus gratias actuales in recipiente sacramenta: aliud de actione sacrificandi, causante gratiam actualem in alio. Non omnis gratia actualis necessarîo præsupponit gratiam habitualem: quia potest quis alteri, imò etiam peccator sibi ipsi, impetrare per preces gratiam aliquam auxiliantem, quin statim possit impetrare gratiam habitualem: sed tantum gratiæ actuales, collatæ vi sacramentorum, supponunt gratiam habitualem, ut probatum est à n. 750. iis rationibus, quæ non militant pro sacrificio Missæ, causante in altero gratias actuales.

Addo, sacramenta dici causare diversas gratias, non, quòd gratia habitualis in se diversa sit: sed quòd gratia habitualis, collata intuitu sacramentorum, ex institutione Divina post se trahat diversas gratias actuales, in ordine ad diversos fines sacramentorum: ergo ex institutione Divina datur connexio, inter gratias actuales sacramentales: & gratiam habitualem: non verò inter gratias actuales obtentas ratione sacrificii Missæ, & gratiam habitualem. Ad confir. dist. ma. quod substat significationi sacramentali essentiali, seu quod significat gratiam essentialem, est pars essentialis. conc. ma. quod substat tantum significationi sacramentali integrali, seu quod tantum significat gratiam integram, neg. ma. & dist. sic mi. neg. confeg.

754. Ob. 4. Ex nostra sententia sequeretur, quòd satisfactio ex attrito posset facere contritum: hoc est absurdum: ergo prob. ma. si quis post absolutionem lapsus esset in peccatum grave, & tunc eliceret attritionem, ac post hanc poneret satisfactionem, hæc causaret gratiam habitualem: ergo ex attrito faceret contritum. Confirm. 1. Sequeretur etiam juxta nos, quòd sacramentum poenitentiae, saltem quoad ultimam partem, scilicet satisfactionem, esset sacramentum vivorum: quia supponeret gratiam, eamque auget: hoc etiam est falsum: ergo. Confirm. 2. Sequeretur insuper, quòd, qui satisfactionem poneret, seu poenitentiam impleteret, in statu peccati, graviter peccaret: quia poneret obicem gratiæ: hoc est nimis rigidum: ergo.

Resq. neg. ma. ad prob. neg. ant. quia satisfactio ex opere operato non habet vim, nisi circa peccata, quæ fuere exposita in confessione, in qua satisfactio illa imposita est: nam satisfactio vis est connexa cum absolutione sacerdotis: à qua suo modo vim habet. Hoc tamen concedo, quòd si

quis in statu novi peccati commissi poenitentiam impleat (quo statu durante satisfactio gratiam causare non potest) postea iterum delecto illo peccato, satisfactio revivificat, & gratiam causet, sicut reviviscunt sacramenta sicte suscepta, ut docet Suarez *tom. 4. in 3. p. disp. 38. sec. 8. n. 5.* & Illung *tr. 6. disp. 6. q. 5. n. 166.* at ipsa satisfactio cum sola attritione obicem auferre non potest, ut videntur auctores communiter supponere.

755. Ad 1. confirm. neg. ma. Sacramentum vivorum est illud, quod non tantum ad complementum aliquod gratiæ, sed ad ipsam principalem, seu essentialem gratiam, ab ipso conferendam, per se supponit statum gratiæ. Observa tamen, quòd si poenitentia, vel satisfactio, impleteretur ante absolutionem, ea tunc non supponeret statum gratiæ, & tamen gratiam aliquam causaret: si autem satisfactio impleatur post absolutionem, tunc etiam juxta adversarios in ordine ad suum effectum supponit statum gratiæ: nam sine statu gratiæ non remittitur poena temporalis: ergo etiam ipsi ferme idem respondendum est, quod nobis.

Ad 2. confirm. neg. ma. quia ponens satisfactionem, vel implens poenitentiam in statu peccati, non ponit obicem gratiæ principali, seu essentiali, sed tantum augmento, seu gratiæ integrali, adeoque non reddit sacramentum omnino infructuosum, sed tantum minus fructuosum, quod per se nullo modo est mortale. ita Suarez *tom. 4. in 3. p. disp. 38. sec. 8. n. 7.* Gonet *tom. 5. tract. 5. disp. 13. n. 3. n. 44.* Illung *tr. 6. disp. 6. q. 5. n. 155.* & n. 167. Lugo de poenit. *disp. 25. sec. 3. n. 30.* ubi hanc sententiam vocat veriolem, & communiolem: quod tamen talis venialiter peccet, est communis teste Illung *cit. modo n. 167.*

756. Lugo tamen *cit. disp. 25. sec. 3. n. 32.* vult, etiam à veniali peccato excusare eum, qui poenitentiam implet in statu peccati, idque contendit probare paritate desumpta ab eo, qui audit in statu peccati mortalis sacrum, adeoque etiam se privat fructu satisfactionis, quem ex sacrificio illo aliàs hauriret (neque enim existens in statu peccati est capax satisfactionis, quamvis possit esse capax satisfactionis, de qua vide Illung *tr. 6. disp. 6. q. 5. n. 166.* Sed responderetur, talem satisfactionem pro tali casu privari omni effectu satisfaciendi: at non ita privari sacrificium, quod saltem effectum illum potest habere in aliis.

Verum fors posset iterum replicari, habere etiam illa bona opera, quæ constitunt satisfactionem, seu in poenitentiam imposita sunt, aliquam vim impetrandi, quæ non privantur in statu peccati. Attamen potest rursus dici, quòd satisfactio non possit sine veniali irriverentia in eo statu poni, in quo non habeat aliquem suum finem primarium, scilicet delendi aliquam poenam, qualem semper quoad aliquos habet sacrificium Missæ. Ego nollem recedere

re à communi, quamvis ex ea sequatur, quòd, cui imposita est poenitentia durans per annum, e. g. ut quotidie recitet aliquot Pater, & Ave, debeat sub veniali peccato semper habere, vel procurare sibi statum gratiæ, quando poenitentiam vult implere. Verum est, hoc quibusdam videri paulò durius: sed ex communi sententia id necessarîo videtur sequi. Qui plura hac de re cupit rescire, adeat citatos auctores.

QUÆSTIO V.

De Ministro Sacramenti Poenitentiae.

ARTICULUS I.

Qualis in Ministro hujus Sacramenti requiratur Ordo, Jurisdictio, Approbatio, Scientia.

757. Dico 1. In ministro necessarîo requiritur ordo presbyteratus. ita definit Florentinum in decreto Eugenii, ubi de quarto sacramento, seu de poenitentia dicit: *Minister hujus sacramenti est sacerdos, habens auctoritatem absolvendi, vel ordinariam, vel ex commissione superioris: & Tridentinum sess. 14. c. 6.* ubi dicit: *Declarat Sancta Synodus, falsas esse, & à veritate Evangelii penitus alienas, doctrinas omnes, quæ ad alios quosvis homines, præter Episcopos, & sacerdotes, clavium ministerium perniciosè extendunt, & can. 10. Si quis dixerit non solos sacerdotes esse ministros absolutionis anathema sit.*

Idem sumitur ex Joann. 20. v. 23. ubi Christus solos discipulos, jam prius in cœna ultima ordinatos sacerdotes, alloquens dicit: *Quorum remisistis peccata, remittuntur eis &c.* unde, quando antiqui alii, & etiam S. Thomas in 4. dist. 17. q. 3. a. 4. quaest. 3. ad 3. videntur monere, quòd e. g. in articulo mortis, confessio faciendâ sit laico, si sacerdos sit absens, intelligi nequeunt de confessione sacramentali, sed solum de aliqua extrasacramentali, apta ad excitandam contritionem, ad quam DEUS det gratiam, ob actum illum humilitatis: sed tamen præcepta non est talis confessio, neque ordinariè salubriter fieret.

758. Dico 2. Non omnis sacerdos potest ab omnibus peccatis absolvere, sed præter ordinem debet etiam habere jurisdictionem. ita Florentinum *num. preced.* citatum, & Tridentinum *sess. 14. c. 7.* ubi dicit: *Persuasum semper in Ecclesia DEI fuit, & verissimum esse synodus hæc confirmat, nullius momenti absolutionem eam esse debere, quam sacerdos in eum profert, in quem ordinariam, aut subdelegatam non habet jurisdictionem.*

Est autem jurisdictio genericè sumpta publica auctoritas super alios in ordine ad eorum regimen: & in nostro casu ad regi-

men conscientia, seu ad absolutionem, & ligationem peccatorum absolute faciendam: & hæc jurisdictio requiritur ad absolvendum à peccatis: nam absolutio est actus judicialis, ad quem requiritur jurisdictio: quæ insuper non, sicut ordo, in omnibus presbyteris æqualis est, ut patet ex citatis Conciliis, item ex reservatione casuum, ac distinctione dioecesum &c. neque enim Episcopus unius, dioecesis potest absolvere subditos alterius. Quando autem conferatur hæc jurisdictio, vel an sit distincta à potestate ordinis, dicemus à n. 761.

759. Dico 3. Præter ordinem, & jurisdictionem, necessaria etiam est approbatio Episcopi. ita habetur clarè in Tridentino *sess. 23. c. 15. de reformatione*, ubi dicitur, etiam regulares non posse audire confessiones secularium, etiam sacerdotum, nisi ab Episcopo approbationem obtulerint: ex quo tamen rectè infert Layman *l. 5. tr. 6. c. 11. n. 1.* regulares, de licentia sui superioris, posse confiteri, etiam sacerdoti non approbato ab Episcopo: quia ante Tridentinum id potuerunt, & istud Concilium, tantum dicit, confessiones secularium non posse audiri à sacerdote non approbato: circa regulares autem nihil est immutatum. Intelligendum hoc est, circa regulares viros; nam circa moniales aliud statuit Clemens X. in sua Constitutione. *Superna magni Patrisfamilias.* quam La Croix *l. 6. p. 2. n. 1502.* exhibet.

Approbatio autem non est collatio jurisdictionis, sed est publicum iudicium de aptitudine persona ad audiendas confessiones: & hæc ita necessaria est, ut eâ etiam injustè negatâ confessiones excipi nequeant: quod colligitur, tum ex Tridentino citato, tum ex propositione 13. ab Alexandro VII. damnata, quæ sic habet: *Satisfacit præcepto annua confessionis, qui confitetur regulari, Episcopo presentato, sed ab eo injustè reprobat:* quin potest Episcopus ex causa rationabili, approbationem à se datam revocare, nec debet, eam causam manifestare illi, cujus approbationem revocat, sed tantum S. Sedi, si id petierit, ut habetur in eadem Constitutione Clementis X. §. 5.

760. Dico 4. Requiritur etiam in confessorio scientia aliqua. ita omnes. Prob. Confessorius debet esse doctor, iudex, & medicus, ad quas omnes qualitates necessaria est aliqua scientia: ergo. Interim magnum esse discrimen, inter scientiam necessariam ad validè tantum audiendas confessiones, & scientiam necessariam ad eas licitè audiendas: nam ad valorem non requiritur alia scientia, quam ut quis rite sciat pronunciare formam absolutionis, & audiat, ac intelligat peccata, sub ratione saltem communis, quòd sint peccata, & materia confessionis, supra quam cadat forma sacramentalis: tunc enim, ut docet Suarez *tom. 4. in 3. p. disp. 28. sec. 2. n. 12.* nihil deest ad substantiam sacramenti. Si autem poenitens studiosè, vel scienter, accederet talem sacerdo-

acerdotem ignorantem, eo ipso peccaret, adeoque sacramentum esset invalidum, non ex defectu ministri, sed ex defectu dispositionis in poenitente.

At verò, ad licitè audiendas confessiones, requiritur longè major scientia in confessario: & in primis requiritur, ut benè sciat, seu intelligat suam potestatem, quanta sit. 2. ut discernat, inter mortalia, & venialia, communiter talia habita; nam de multis adhuc disputant inter se ipsi doctores. 3. ut sciat species communis peccatorum. 4. ut sciat communia, spectantia ad restitutionem, censuras &c. Requiritur autem major scientia, respectivè ad varios status hominum, qui possunt habere casus magis intricatos, ut videtur per se clarum; unde non quilibet cuique loco est aptus. videatur de hac re Layman l. 5. tr. 6. c. 13. n. 1.

ARTICULUS II.

An Potestas Ordinis sit etiam Potestas Jurisdictionis.

761. **Q**uæritur hic, an jurisdictio, confessariis necessaria, conferatur in ipsa ordinatione, an primum postea: in qua quæstione Vasquez, Hurtadus, & aliqui alii, volunt, jurisdictionem conferri statim in ipsa ordinatione, sed adhuc indeterminatam, quam postea determinet Ecclesia, determinando subditos, atque peccata, in quæ talis sacerdos possit jurisdictionem suam exercere. Alii, ut Amicus, Esparza, Haunoldus, & plures recentiores, volunt, in ipsa ordinatione conferri sacerdotibus jurisdictionem completam, & universalem: eam tamen postea ab Ecclesia ligari, aut restringi, sicut aliquando jus, seu dominium cujusdam restringitur, vel ligatur à magistratu. Alii tandem communis volunt, jurisdictionem, simpliciter, & absolutè loquendo, primum postea conferri ab Ecclesia. ita S. Thomas 2. 2. q. 39. a. 3. in corp. ubi ait: *Potestas autem jurisdictionis est, quæ ex simplici injunctioe hominis confertur: & talis potestas non immobiliter adhaeret.* item Suarez tom. 4. in 3. p. disp. 16. sec. 3. n. 7. ubi plures, præsertim antiquos, pro se citat. Layman l. 5. tr. 6. c. 10. n. 1. & 2. Lugo de poenit. disp. 15. sec. 2. n. 21. Illung tract. 6. disp. 6. n. 182. La Croix l. 6. p. 2. n. 1549. Coninck, Tannerus, Valentia, Dicastillo, Platellius, alique.

762. Dico. Jurisdictio sacerdotibus non in ipsa ordinatione confertur: adeoque potestas ordinis, & jurisdictionis, non sunt idem. Prob. Tridentinum non agnoscit independentè à concessione Ecclesie in sacerdotibus ullam jurisdictionem, nec ordinariam, nec delegatam: & sess. 14. c. 7. supponit, quòd simplex sacerdos nullam jurisdictionem habeat; nam ait, *nullius momenti absolutioem eam esse debere, quam*

sacerdos in eum profert, in quem ordinariam, aut subdelegatam non habet jurisdictionem: ergo simplex sacerdos nullam habet. Confr. 1. Florentinum, dum in decreto Eugenii dicit: *Minister hujus sacramenti est sacerdos, habens auctoritatem absolutendi, vel ordinariam, vel ex commissione superioris:* satis clarè distinguit inter sacerdotes habentes eam auctoritatem, & eam non habentes: ergo supponit, quòd dentur sacerdotibus, eam auctoritatem, seu jurisdictionem non habentes. Confr. 2. Florentinum supponit, ipsam auctoritatem absolvendì, & non tantum aliquid, ad eam determinatam reddendam requisitum, posse haberi per commissionem superioris, per quam haberi non potest potestas ordinis: ergo supponit, istas potestates esse distinctas.

Confr. 3. Ipsi adversarii fatentur, sacerdotem simplicem non habere subditos: ergo etiam debent fateri, quòd sacerdos simplex non habeat actualem jurisdictionem; quia tam parum potest dari actualis jurisdictio, sine existentibus subditis, quam parum possit dari actuale dominium, sine existente re propria: imò inter alia dominia etiam numeratur dominium jurisdictionis, quod neque DEO tribuitur actuale ab æterno in creaturas; quia istæ ab æterno non extiterunt. Confr. 4. Juxta S. Thomam, citatum num. præced. & communem doctorum, potestas jurisdictionis potest sacerdotibus auferri: non autem potestas ordinis; ergo sunt distinctæ.

763. Ob. 1. Sacerdotibus in ipsa ordinatione dicitur illud Joann. 20. v. 22. *Accipite spiritum S. quorum remiseritis peccata, remittuntur eis:* ergo in ipsa ordinatione accipiunt potestatem remittendi peccata: sed hæc non potest dari sine jurisdictione: ergo etiam istam accipiunt. Confr. In ordinatione sacerdotes accipiunt potestatem judicariam, & constituuntur iudices: ergo etiam acquirunt jurisdictionem. prob. ant. ex dictis verbis Joann. 20. nam per illa ibi Apostoli facti sunt iudices.

Resp. dist. conf. Sacerdotes tunc accipiunt potestatem remotam, & quasi conditionatam, de qua loquitur Tridentinum sess. 14. c. 5. conc. conf. accipiunt potestatem absolutam, neg. conf. & dist. etiam minus subsumptam. potestas proxima non potest dari sine jurisdictione simpliciter dicta. conc. min. subsumpt. potestas tantum remota, & conditionata. neg. min. subsumpt. & conf. Explicat rem hanc Layman l. 5. tr. 6. c. 10. n. 1. exemplo illius, qui in Academia creatur doctor juris; hic enim, dum ita creatur, accipit potestatem judicandi de rebus, in jure controversis, item docendi publicè ex cathedra: sed tantum accipit potestatem remotam, quæ in actum exire non potest, donec, accepta jurisdictione alicubi iudex, aut accepta cathedra professor constituatur. Sicut autem nemo dicit, quòd tali novo doctore per collationem gra-

ad conferatur etiam jurisdictio, ita neque debet dici, quòd novis sacerdotibus per collationem ordinis jam conferatur jurisdictio.

Ad confr. dist. ant. in ordinatione sacerdotes accipiunt potestatem judicariam proximam, & absolutam, ac constituuntur absolutè iudices. neg. ant. accipiunt potestatem tantum remotam, & quasi conditionatam, ac constituuntur tantum remotè, & conditionatè iudices, sicut qui creatur doctor. conc. ant. & neg. conf. ad prob. dico, ex verbis illis non colligi aliam, quam dictam potestatem remotam, aut quasi conditionatam. Quod autem ad Apostolos attinet, in primis ipsi jam priùs in cœna fuerant ordinati sacerdotes, seu in cœna acceperant jam potestatem sacrificandi: dein, si voluit illis Christus ratione potestatis excellentiæ, statim conferre jurisdictionem ibi, dum ea verba prolulit, quæ modò dicuntur in ordinatione sacerdotum, non sequitur, quòd privilegium illud statim sit extendendum ad alios.

764. Ob. 2. Quilibet simplex sacerdos potest in articulo mortis, saltem in defectu alterius sacerdotis curati, aut privilegiati, absolvere quemvis fidelem ab omnibus peccatis: item quilibet simplex sacerdos potest quemlibet absolvere, ab omnibus peccatis venialibus, vel à peccatis mortalibus, jam antè in alia confessione rite expositis, & remissis: atqui hanc jurisdictionem non accepit, nisi in ipsa ordinatione; nam nullam aliam unquam accipit simplex sacerdos: ergo. Resp. neg. min. hanc enim ipsam jurisdictionem, quam in iis casibus habet simplex sacerdos, accipit ab Ecclesia, ex perpetua consuetudine, legitime à Ecclesia approbata.

Dixi, *quam habet*; nam circa moribundum, saltem in defectu alterius, ut dictum, quilibet sacerdos, etiam excommunicatus, etiam non toleratus, & denunciatus, etiam notorius percussor clerici, habet potestatem absolvendì ab omnibus peccatis; quia Ecclesia vult succurri omni modo tali moribundo. At verò, ut habet Layman l. 5. tr. 6. c. 10. n. 2. excommunicatus non toleratus, aut denunciatus, privatus est potestate absolvendì à venialibus, & mortalibus jam expositis: ex quo rite colligitur, hanc potestatem haberi ab Ecclesia.

Imò Sacra Congregatio Concilii Tridentini edidit anno 1679. 12. Febr. decretum, Innocentii XI. auctoritate firmatum, circa communionem quotidianam (quod videre est apud Viva p. 2. trut. Theol. post propof. 56. ab Innocentio XI. damnatam, in quo sub finem Ordinarii sic præcipit: *Non permittant, ut venialium confessio fiat simplici sacerdoti, non approbato ab Episcopo, aut Ordinario. Si Parochi, aut confessorii, etiam regulares, aut quicunque alii sacerdotes, secus egerint, sciant, se DEO optimo maximo rationem reddituros esse, neque defuturam Episcoporum, & Ordinarii-*

rum, justam, ac rigorosam animadversionem, in contrafacientes. Ex hoc clarè infertur, illicitam esse talem absolutionem. An autem adhuc post hoc decretum sit valida, an non, est, ut ait La Croix l. 6. p. 2. n. 1489. incertum. Platellius p. post. de sacram. c. 6. n. 89. cum quibusdam negat esse validam. Cardenas in propof. damnat. ab Innoc. XI. dissert. 2. c. 6. a. 9. n. 418. & alii affirmant, esse validam: quod etiam La Croix loc. cit. censet probabilius, ex hoc capite; quòd ex eo, quòd Pontifex velit tantum prohiberi talem confessionem, & non permitti, non sequatur, tolli jurisdictionem, vel irritari absolutionem.

ARTICULUS III.

Quid sit, & quo jure introductum Sigillum Confessionis.

765. **H**Ac metaphora sigilli confessionis significatur obligatio strictissima, servandi secretum de iis, quæ in ordine ad sacramentalem confessionem audita sunt, & quidem in omni casu, quo posset venire in notitiam contentis, etiam quando regni integri, vel etiam aliarum animarum, salus periclitaretur, etiam post mortem poenitentis, etiam circa minima venialia peccata, ut neque directè, neque indirectè, verbo, vel facto, sine expressa licentia poenitentis, revelari queant: & quidem ita, ut in hac obligatione non detur parvitas materiæ, sed ejus violatio tantum tunc venialis esse possit, quando non est plenè deliberata, vel fortè etiam, ut vult Arriaga tom. 8. de poenit. disp. 45. sec. 4. n. 36. quando periculum veniendi in notitiam poenitentis esse levissimum: quod apud eundem etiam notat Lugo.

Hanc obligationem strictissimam dari, certum est ex traditione Ecclesie, & praxi omnium proborum confessariorum. Quod si in antiquis canonibus videretur aliquando esse statutum, quòd aliquid sit manifestandum, id intelligendum est in ordine ad poenitentiam publicam, quam poenitens sponte volebat facere, & in qua tantum aliqua pro arbitrio poenitentis erant propalanda. Unde, quando C. *Si sacerdos. 2. de officio iudicis ordinarii.* dicitur, sacerdotem posse indeterminatè arguere eum, qui sibi confessus noluerit, se emendare, debet id exponi de eo casu, in quo sacerdos simul habet notitiam peccati extra sacramentalem: qua etiam supposita non debet sacerdos reum nominatim, ut dicitur, seu determinatè arguere (intellige publicè, ut colligitur ex contextu) nisi delictum judicarij ordine quis probare possit; nam aliter illicitè reum infamaret, quacunque privatà, & secretà notitià, eum sciat reum esse. Sanè, si confessus ei fuerit talis reus, minimè debet eum de crimine, etiam extra confessionem cognito, nominatim, seu determinatè arguere, nisi crimen judicialiter probare possit.

fit, ne fors videatur violare sigillum confessionis.

Potest tamen aliquando indeterminatè, seu in genere, & ita cautè, ut non tantum nullum sit periculum violationis sigilli, sed nec scandali, monere, ne hoc, vel illud fiat. Et quamvis, si sacerdos peccatum illud sciat alià notitià, quàm sacramentali, nominatim monendo reum, reverà sigillum non frangeret, tamen scandalum posset præbere eidem reo, existimanti, sacerdotem ex confessione loqui. Quando autem in capitulo objecto dicitur, talem sacerdotem id scire ut Deum, non ut iudicem, intelligendum est, eum id scire scientia tali, qua non possit uti ut iudex in foro externo, sed tantum in foro interno; quia etiam alia notitià secreta extra sacramentali non potest sacerdos uti, nisi in secreto. Questio autem jam est, ex quo jure hoc sigillum oriatur.

766. Dico. Obligatio arctissima sigilli confessionis non oritur præcisè ex jure Ecclesiastico, aut naturali, sed ex jure positivo Divino. ita Suarez tom. 4. in 3. p. disp. 33. sec. 1. n. 9. & 10. Gormaz de sacram. pœnit. n. 380. Layman l. 5. tract. 6. c. 14. n. 2. Haunoldus l. 4. tr. 4. n. 1027. Arriaga tom. 8. de pœnit. disp. 45. sec. 1. n. 5. & alii, qui ab istis citantur, & quibus addi possent adhuc longè plures. Prob. 1. pars conclusionis. Inprimis jus Ecclesiasticum, seu lex Ecclesiastica, fortè non posset, tam strictam obligationem servandi secretum, in omnibus prorsus casibus, etiam in casu pericali plurimarum animarum, imponere, ut observat Suarez modo cit. sec. 1. n. 8. dein, ut ait Lugo de pœnit. disp. 23. sec. 1. n. 5. si lex Ecclesiastica sola obligaret ad hoc sigillum, Papa posset in ea dispensare: quo admissio pœnitentes non viderentur sibi satis tuti &c. Non tamen ideo nego, etiam legem Ecclesiasticam sigillum præcipere; nam *C. Omnis utriusque sexus. 12. de pœnit. & remiss.* statuitur, violatorem sigilli à sacerdotali officio esse deponendum, & ad perpetuam pœnitentiam in monasterium detrudendum; hinc dixi, sigillum non oriri præcisè ex jure Ecclesiastico.

Prob. 2. pars. Si jus naturale, obligaret ad sigillum, tunc ideo, vel quia dicere aliquid ex confessione esset mendacium contra veritatem: vel quia esset injuria contra justitiam: vel quia esset irreverentia contra sacramentum; sed ex nullo istorum trium capitum oritur tam gravis, & tam universalis obligatio: ergo. prob. mi. inprimis confessarius non mentiretur; si enim peccatum revera audisset, quamvis id non sciret ut homo, tamen sciret ut minister DEI: ergo sine mendacio dicere posset, se illud scire ut ministrum DEI. Sed neque revelare aliquid peccatum, esset universaliter injustitia; quia sæpè prævaleret bonum publicum bono privato: & in tali casu, sicut secretum naturale non obligat, ita nec obligaret sigillum: præterquam; quòd obligatio gravis tacendi etiam minima venialia, non pos-

set oriri ex justitia; cum utique contra justitiam universaliter grave non sit, manifestare veniale minimum, vel etiam pro varietate personæ aliquod mortale.

767. Tandem reverentia erga sacramentum exigit non tantum secretum: quod sic probò. Eatenus exigeret sacramentum tantum silentium, quatenus hoc esset necessarium, ut ab ejus usu non absterrentur homines: sed independentè à voluntate Christi, obligantis ad sigillum tam arctum, immeritò homines absterrentur ab hoc sacramento, etsi tantum silentium non esset impositum: ergo etiam sola reverentia, debita sacramento, non exigit tantum silentium. ma. est adversariorum. mi. prob. ut rectè Arriaga sec. modo cit. n. 6. & 7. ait, si Christus voluisset exigere à peccantibus, qui meriti sunt æternas flammis, & æternam infamiam, ut sua peccata confiterentur, etiam si posset in aliquo casu gravissimæ necessitatis revelari, tamen adhuc valde modicum petiisset in comparatione gehennæ, & æternæ infamiae: ergo potuisset etiam id exigere, & immeritò homines id recusassent: sicut immeritò recusant aliqui, se infamare tantum coram uno homine, & hinc etiam stante sigillo sacrilegè peccata tacent: & cur non etiam dicitur, ob fragilitatem humanam, non debere exigi confessionem omnium, etiam turpissimorum actuum? scilicet, non debent omnia, ut ait Arriaga num. preced. citatus, excludi, quæ sacramentum hoc difficilius reddunt (aliàs deberet etiam tolli reservatio casuum, & similia) sed tantum debent excludi illa, quæ benignitas institutoris sacramenti voluit excludi. Dein saltem non absterrentur homines communiter, licet minima peccata possent revelari: aut licet peccata aliàs jam publica vellent manifestari, e. g. si liceret de fure, propria confessione convicto, & ad furcam damnato, dicere, eum sua furta esse confessum: quod tamen non licet.

Quare non stringit argumentum Cardinalis de Lugo, à paritate cum mendacio, vel fornicatione; quia non probatur, absolute, & independentè à positiva prohibitione Christi Domini, melius fuisse, nunquam permitti revelationem ullius peccati: sicut probatur aliunde, melius fuisse, nunquam permitti ullum mendacium; nam melius fuisse, nunquam permitti revelationem ullius peccati etiam minimi, probari deberet ex reverentia erga sacramentum, & ex utilitate, in Ecclesiam redundante: atqui tamen stetit reverentia sacramento, & usus ejus plurimus fuisse in Ecclesia, etsi non tam arctum silentium fuisset impositum; cum homines immeritò fuissent absterri: ergo.

Prob. jam 3. pars conclusionis. Si ista obligatio non potuit provenire ex jure Ecclesiastico, aut naturali, debuit provenire ex jure positivo Divino, seu præcepto Christi, quod nobis sufficientissime innotescit, per traditionem Ecclesiae: & ad istud ponendum occasionem quidem præbere potuit fra-

gilitas humana, cui benignissimus Servator sic magis consultum voluit: item etiam reverentia erga sacramentum, ad cuius frequentiam sic allicere voluit: sed neutra potuit ex se ad tam arctam obligationem imponendam necessitare: ergo. vide Arriagam num. preced. citatum.

768. Sciendum autem ulterius, quòd sigillum hoc non afficiat, nisi audita in ordine ad sacramentalem confessionem, saltem quam pœnitens intendat (qualem jam intenderet, si laico simulanti, se esse sacerdotem, confiteretur, ut probat Suarez tom. 4. in 3. p. disp. 33. sec. 2. n. 3.) sed quando rudes quidam extra confessionem confessarium aliqua in re consulunt, ac addunt, se hoc ei dicere sub sigillo confessionis, taliter audita non spectant ad sigillum; neque enim homo potest obligare ad sigillum, quando Christus non obligat: spectant tamen talia ad secretum naturale, quod in tali casu magna restrictione obligat; cum aliàs homines averterentur à petendis consiliis: quæ res plurima pessima inveheret in totam Ecclesiam.

Quæ autem dicuntur in ipsa confessione, etsi peccata non sint, si tamen exposita sunt, in ordine ad exponenda peccata; quia ista cum illis connexa sunt, cadunt sub sigillum: e. g. accusavit se quis, quòd, licet spurius fuerit, adeoque irregularis, tamen sacros ordines susceperit, in hoc casu debet utique taceri, quòd pœnitens spurius sit. Kurus non est necesse, ad inducendam obligationem sigilli, ut confessionem absolutio fuerit secuta, sed, si etiam quis ut indipositus debeat dimitti, tacenda tamen sunt ejus peccata: imò, etiam pœnitens, hinc & nunc, nondum velit absolvi, sed tantum confessionem aliquo modo inchoare, quam dein perficiat, cum melius dispositus fuerit, jam obligat sigillum, ut habet Suarez tom. 4. in 3. p. disp. 33. sec. 2. n. 8. & 9. ubi ait, hanc esse sententiam S. Thomæ, & alios omnes consentire. vide etiam Lugonem de pœnit. disp. 23. sec. 2. n. 45. & 46. At si quis prorsus animo tantum irridendi, aut certè non confitendi, accesserit, non oritur ex tali simulata, & irrisoria confessione, obligatio ista.

Porro plura utique adhuc essent exponenda, e. g. circa personas, quæ præter confessarium ad sigillum tenentur, ut. e. g. est interpres, quo mediante aliquando fit confessio: item is, qui adstet confessionali, & audit furtivè aliquod peccatum: vel cui confessarius injustè aliquid revelat: vel qui à confessario cum licentia pœnitentis consulitur: vel juxta aliquos, qui legit confessionem scriptam, de quibus Suarez tom. 4. in 3. p. disp. 33. sec. 4. Layman l. 5. tract. 6. c. 14. n. 17. & Lugo de pœnit. disp. 23. sec. 2. n. 47. ubi ajunt, eum, qui legit scriptam confessionem, regulariter non teneri ad sigillum; quia scriptura, ut ajunt, non est confessio, sed tantum aliquid medium, ad eam melius peragendam: nisi fortè in aliquo casu mutus quis confite-

retur per scripturam, vel in alio simili casu ipsa scriptura esset revera aliqua confessio: attamen talis legens confessionem scriptam utique teneretur secreto naturali: item locus hic esset dicendi de objectis, ad quæ se sigillum extendit.

At quia hæc videri possunt, passim apud Theologos morales, ad quorum forum hæc questio magis pertinere videtur, hinc ad eorum volumina remitto lectori, plura de his nosse cupientem. Id solum monèo; nunquam nos posse hæc in re nimium esse cautos: certè, si nulla necessitas urgeat, non facilè loquendum est de auditis in confessione, etiam quando putatur, nullum prorsus esse periculum veritatis in notitiam personæ, ex cujus confessione aliquid dicitur; quia quandoque istam communitati detrahatur, quandoque per accidens proditur quispiam per alium, & ex pluribus præmissis aliquid inferatur, quo, vel persona agnoscitur, vel graves suspensiones concipi possunt: saltem ferme semper audientes, præsertim laici, si non graviter, leviter certè scandalizantur: id quod utique ad comprimendam garrulam linguam debet esse plus quàm satis.


769. Noto tandem, aliud esse violationem sigilli, aliud ulum scientiæ ex confessione hausta; nam potest utique aliquis uti ista scientià, quin violet sigillum, live quin minimum quid revelet, aut ulli mortalium, etiam ipsi pœnitenti, quidquam de eo usu innotescat: e. g. si confessarius ob periculosum statum pœnitentis, in confessione intellectum deum, pro eo diligentius oret, vel sacrificium Missæ offerat; quin hæc de re quidquam ulli hominum dicat. Circa quem usum talis scientiæ editum est anno 1682. 18. Novembr. decretum Sacræ Congregationis, qua judicium fertur de sequenti propositione: *Scientià, ex confessione acquisitã, uti licet, modo fiat sine directã, aut indirectã revelatione, & gravamine pœnitentis, nisi aliud multò gravius ex non usu sequatur, in cujus comparatione prius merito contemnatur.* Addita postea est explicatio, seu limitatio, quòd propositio sit intelligenda de usu scientiæ illius, cum gravamine pœnitentis, leclusa quacunque revelatione, atque in casu, quo multò majus gravamen ejusdem pœnitentis sequeretur ex non usu.

Statutum est autem à Sacra Congregatione dictam propositionem, quatenus admittit usum dictæ scientiæ cum gravamine pœnitentis, omnino prohibendam esse, etiam cum dicta explicatione, sive limitatione. Prius autem, seu anno 1594. 26. Maji Clemens VIII. in decreto de casibus reservatis pro omnibus Religiosis c. 4. sic præcipit: *Tam superiores pro tempore existentes, quàm confessarii, qui postea ad superioritatis gradum fuerint promoti, caveant diligentissimè, ne eã notitiã, quam de aliorum peccatis in confessione habuerunt, ad exteriorem gubernationem utantur:* quod idem nostris jam prius severè præceperat P. N. Claudius anno 1590. vide Illiung

Illius tract. 6. disp. 6. q. 6. art. 5. n. 259. 770. Perducto tandem ad finem tractatu de poenitentia, quæstiones de sacramentis extremæ unctionis, ordinis, ac matrimonii, examinandæ occurrerent; quam enim jam aliqua etiam de his sparsim sunt dicta, in tractatu de sacramentis in genere, tamen plurima adhuc explicanda restarent, quæ non uni tantum tomo materiam subministrarent. At quia in Provinciæ nostræ Academiis de reliquis sacramentis non solet peculiariter à Theologis nostris tractari, ego quoque, qui Theologiam Scholasticam, qualis in nostris Universitatibus tradi solet, typis edendam constitui, hæc sisto; videor enim mihi pro modulo meo nunc implevisse, quod sub initium in præfatione ad lectorem promisi.

Cùm autem per operis huius decursum frequentissimè usus sim autoritate celeberrimi

Doctoris Ecclesiæ S. Augustini, licet mihi quoque toti huic qualicumque lucubrationi finem imponere verbis illis, quibus idem Divus Hipponensis tomum suum quintum de civitate DEI l. 22. c. 30. conclusit, mutato tamen appellativo *Operis ingentis*, quod suis libris merittimo jure S. Doctor attribuit: ego verò hæc foliis meis nec à longè adscribere ausim. Itaque cum S. Augustino sic finio: *Videor mihi debitum Theologiæ Scholasticæ adjuvante Domino reddidisse. Quibus parum, vel quibus nimium est, mihi ignoscant: quibus autem satis est, non mihi, sed Domino, mecum gratias congratulantes agant. Amen.*



INDEX

Disputationum, Quæstionum, & Articulorum In Tractatu de POENITENTIA.

DISPUTATIO I.

De Virtute Poenitentia. Num. 2.

QUÆSTIO I.

De Essentia, Existentia, & objecto Materiali Virtutis Poenitentia.

Art. I. An Poenitentia sit virtus.	3
Art. II. In quo subjecto detur Habitus Poenitentia.	20
Art. III. An Poenitentia sit Virtus Specialis.	31
Art. IV. Solvuntur Objectiones.	48
Art. V. Quodnam Objectum Materiale habeat Poenitentia Specialis.	69
Art. VI. Solvuntur Objectiones.	78

QUÆSTIO II.

De Primo Actu Virtutis Poenitentia, seu de Attritione.

Art. I. An Attritio ex metu gehenna concepta sit actus bonus, & supernaturalis.	87
Art. II. Solvuntur Objectiones.	95
Art. III. Solvuntur reliqua Objectiones.	108
Art. IV. An Attritio sufficiat ad Valorem & fructum Sacramenti Poenitentia.	123
Art. V. Solvuntur Objectiones ex Concilio Tridentino.	145
Art. VI. Solvuntur reliqua Objectiones.	161

QUÆSTIO III.

An Altero Actu Poenitentia, seu Contritione Perfecta.

Art. I. An Contritio Perfecta debeat esse Actus amoris DEI super omnia.	186
Art. II. Solvuntur Objectiones.	192
R.P. Ant. Mayr Theol. Tr. XII.	

Art. III. An Contritio Perfecta habeat semper annexam justificationem.	203
Art. IV. Solvuntur Objectiones.	218
Art. V. Qualis debeat esse Contritio justificativa.	234
Art. VI. Solvuntur Objectiones.	246
Art. VII. Qualis non debeat esse Contritio justificativa.	261
Art. VIII. Solvuntur Objectiones.	273

QUÆSTIO IV.

De Proposito.

Art. I. Quale requiratur in poenitente.	292
Art. II. Solvuntur Objectiones.	305

QUÆSTIO V.

De Effectibus Poenitentia.

Art. I. An omnia Peccata possint deleri per Poenitentiam.	326
Art. II. Solvuntur Objectiones.	333
Art. III. An Merita Mortificationis reviviscant per Poenitentiam.	346
Art. IV. Solvuntur Objectiones.	355
Art. V. An Peccata jam Remissa redeant per relapsum.	366
Art. VI. Solvuntur Objectiones.	371

QUÆSTIO VI.

De Necessitate Poenitentia.

Art. I. An, & qualis Poenitentia sit necessaria necessitate medii.	384
Art. II. Solvuntur Objectiones.	389
Art. III. An Poenitentia sit necessaria necessitate præcepti.	400
Art. IV. Quando obliget præceptum Poenitentia.	410
Art. V. Solvuntur Objectiones.	420

B b

DISPU-

DISPUTATIO II.

De Sacramento Pœnitentia. 422

QUÆSTIO I.

- Art. I. An detur Sacramentum Pœnitentia. & quando sit institutum. 443
 Art. II. Solvuntur Objectiones. 451
 Art. III. Quanam sint partes Sacramenti Pœnitentia. 463
 Art. IV. An Sacramentum Pœnitentia possit esse validum. & informe. 469
 Art. V. Solvuntur Objectiones. 478

QUÆSTIO II.

De Forma Sacramenti Pœnitentia seu de Absolutione.

- Art. I. Quibus in verbis essentialiter consistat Forma Absolutionis. 488
 Art. II. Solvuntur Objectiones. 497
 Art. III. Quis sit sensus forma in Sacramento Pœnitentia. 506
 Art. IV. An possit Absolutio dari sub conditione, vel absenti. 514
 Art. V. An, & quando possit absolvi Moribundus sensibus destitutus. 521
 Art. VI. Solvuntur Objectiones. 530
 Art. VII. Solvuntur reliqua Objectiones. 543
 Art. VIII. Inferuntur aliquot, corollaria. 557

QUÆSTIO III.

De Materia Sacramenti Pœnitentia seu de Confessione.

- Art. I. An Confessio sit necessaria necessitate medii, & de jurg Divino. 568
 Art. II. An Necessitas confessionis recte colligatur ex potestate clavium. 584

- Art. III. An, & quomodo Confessio sit precepta jure Ecclesiastico. 595
 Art. IV. Solvuntur Objectiones. 601
 Art. V. Quæ sit materia certò necessaria confessionis. 618
 Art. VI. An Circumstantia aggravantes sint materia necessaria Confessionis. 624
 Art. VII. Solvuntur Objectiones. 634
 Art. VIII. Quenam Peccata dicenda sint positivè, aut negativè dubia. 662
 Art. IX. An Peccata negativè dubia sint necessariò in confessione exponenda. 670
 Art. X. Solvuntur Objectiones. 683
 Art. XI. Solvuntur reliqua Objectiones. 703
 Art. XII. An confessus peccatum ut dubium debeat illud iterum confiteri, si postea resciat, ad certò esse commissum. 723

QUÆSTIO IV.



De Satisfactione.

- Art. I. An satisfactio debeat pœnitenti imponi, & ab eo acceptari. 739
 Art. II. Quis sit effectus satisfactio nis. 745
 Art. III. Solvuntur Objectiones. 751

QUÆSTIO V.

De Ministro Sacramenti Pœnitentia.

- Art. I. Qualis in Ministro requiratur Ordo, jurisdictio, approbatio, scientia. 757
 Art. II. An Potestas Ordinis sit etiam Potestas jurisdictionis. 762
 Art. III. Quid sit, & quo jure introductum sigillum confessionis 768



ERRATA

In tractatu de DEO.

n. 28. neg. ma. lege neg. ant. n. 88. pares lege partes. n. 135. om. ma. lege ant. n. 327. neg. ant. lege neg. ma. n. 336 ubi sit ait. lege sic. *ibid.* actibus voluntatis, quæ lege qui. n. 487. ipsi author lege ipse. n. 563. *sub finem* ut ab eaproducat lege ab eo *ibid.* vel eam priori lege vel id n. 606. 6ta etiam lege sta. *ibidem.* Ad 7. mam lege 6. tam. n. 813. hypotafes, substantias lege subsistentias.

In tractatu de ANGELIS.

n. 88. in fine supernaturalem absconditum lege supernaturalem, quàm naturalem absconditum.

In tractatu de BEATITUDINE.

n. 78. in fine neg. ant. lege neg. ma. n. 108. non videtur absurdum lege quibusdam non videtur absurdum.

In tractatu de ACTIBUS HUMANIS.

n. 56. Viva p. 1. trutinæ lege p. 3. *ibidem* libertas, quæ lege qua. n. 186. neg. 2. p. antec. lege maj. n. 301. in fine vide n. 289. lege n. 298. n. 322 diximus n. 307. lege n. 306. n. 352. P. Andrada lege Aranda.

In tractatu de PECCATIS.

n. 71. præced. lege n. 69. n. 180. in fine obligare ita simpliciter lege obligare simpliciter, ita. n. 202. nec admittitur lege nec admissa sit. n. 246. reatus culpæ vocetur lege reatus pœnæ. n. 254. ob. 8. dixi. om. ant. lege om. totum. n. 311. sanctos excipere lege sanctos, vel innocentes.

In tractatu de GRATIA.

n. 46. Resp. neg. ant. lege ma. n. 74. proxime sufficere lege disponere. n. 90. possibile libero lege libero arbitrio. n. 110. infirmatum lege infirmitatum. n. 160. aliquod rationi lege aliqua. *ibidem* quo fato lege factio. n. 277 Suarez l. 6. lege l. 6. de grat.

In tract. de VIRTUTIBUS Theol.

n. 10. ut objectum formale lege formale quo. n. 76. contra conscientiam elicited lege conscientiam errantem. n. 78. eis do-

mus lege domos. n. 350. esse omnium lege esset. n. 368. quæ etiam inveniuntur lege quarum aliqua invenitur. *ibidem* est hæretica lege sunt hæreticæ. n. 378. habent promissam lege habet. n. 406. Pij V. lege IV. n. 532. tam potestativæ lege subjectivæ. *ibidem* partes potestativæ lege subjectivæ. n. 568. reveto lege revelato.

In tractatu de JUSTITIA.

n. 181. Confirm. 1. Quia lege Qui. n. 191. cum dimidio (puella usque ad nonum) lege (puella usque ad nonum cum dimidio) n. 357. Prob. ant. lege ma. n. 386. dictum est. conc. ant. lege dictum est, sed. *ibidem*. conc. ant. & neg. conf. lege conc. ant. secus. neg. ant. & conseq. n. 409. facti intelligitur lege intelligatur. n. 433. in territorio lege in eodem territorio. n. 556. Ad confirm. neg. ant. lege ma. *ibidem* sumptum lege sumptam. n. 561. conc. conf. lege conf. si non sit tale dubium. neg. conseq. n. 639. *infine* esse actori lege esset.

In tractatu de INCARNATIONE.

n. 217. hoc est, vos, lege nos. n. 556. adeptus est lege adeptus sit. *ibid.* potuit lege potuerit. n. 609. S. Petrus Damiani lege B. Petrus. *ibidem* S. Patrem lege B. Patrem

In tractatu de SACRAMENTIS.

n. 18. Joan. 20. v. 21. lege v. 22. n. 73. C. A. quodam lege C. A. quodam. n. 104. extra causam lege casum. n. 188. aliquando affinxit lege visus est affingere n. 206. ex Innocentio lege Nicolao. n. 232. sed Lutherani lege Calviniani,

In tractatu de SS. EUCHARISTIA.

n. 49. non non sunt lege non sunt. n. 306. *in fine* specie secundæ lege speciei.

In tractatu de POENITENTIA.

n. 108. movitis lege motivis. n. 143. expendenti lege expendenti. n. 181. om. ult. parte lege conc. n. 342. rem tanquam Divinitus lege rem falsam n. 357. reviviscerent lege reviviscerent. n. 385. ablalorum lege ablalorum. n. 498. Ad 2. confir. lege Ad confir. loco n. 416. Dico 2. lege 516. n. 640. nec enim lege nec etiam



INDEX RERUM MEMORABILIUM QUINQUE POSTERIORUM TRACTATUUM.

*In quo Numerus Romanus Tractatum: Arabicus autem Numerum Marginalem
signat.*

- A**bsolutio sacramentalis non est tantum declaratio factæ remissionis à Deo, sed est vera judicialis remissio peccatorum XII. 134. debet esse verbalis. XII. 488. in quibus verbis essentialiter consistat XII. 490. & seq. an sensus eorum verborum possit determinari à circumstantiis. XII. 500. quis sit sensus eorum verborum XII. 506. & seq. an etiam vera essent in casu sacramenti validi, & informis XII. 510. quænam alia verba æquivalent, aut sufficiant XII. 502. preces ante absolutionem an sub obligatione sint dicendæ. XII. 489. sola absolutio non est totum sacramentum penitentiae X. 47. & seq. item XII. 463. & seq.
- A**bsolutio potest dari sub conditione de presenti, vel præterito, non verò de futuro XII. 514. neque potest valide conferri absenti XII. 515. aut seq. data moribundo sensibus destituito non est data absenti, nec damnationi Clementis VIII. subiacet. XII. 543. & seq. potest dari absolutione ægroto sensibus destituito, si prius dedit signa penitentiae XII. 522. si autem nullum dedit signum, ei absolutio dari non potest XII. 525. quid de praxi quorundam hac in re censendum XII. 563.
- A**bsolutio directa, & indirecta quæ sit XII. 540. absolutio & confessio quomodo debeant esse simul XII. 542. an absolutio danda illi, qui nullum peccatum veniale in specie confitetur XII. 539.
- A**busus principiorum probabilissimi non probandus XII. 701.
- A**ceptio personarum vitiosa quid sit VIII. 64. & IX. 360.
- A**ccessio quid sit VIII. 267. quid censeatur accessorium, & principale VIII. 267. an accessoria sit pictura respectu tela VIII. 267.
- A**ccidens physicum quid sit XI. 239. & quotuplex XI. 244. dantur in Eucharistia accidentia verè talia, & absoluta XI. 245. & non tantum quantitas modificata XI. 280. quo in sensu sint damnatæ propositiones Wicleffi de accidentibus Eucharisticis XI. 246. & 276 ac seq. non testatur Cardinalis Alliacensis, Concilium Constantense nihil definitivè circa accidentia XI. 272. nec potuit testari; cum scripserit ante Concilium XI. 272. & seq. quid intelligatur per accidentia, seu species panis, & vini XI. 235.
- A**ctio quid sit in jure, & variaz eius species VIII. 8. actio quanto minoris quomodo præscribatur VIII. 405. item quomodo actio redhibitoria VIII. 405. an etiam præscribantur actiones personales VIII. 361.
- A**ctio sacramentalis ministri sub qua ratione sit pars sacramenti X. 99. actiones ministri sunt moraliter actiones Christi X. 240. etiam sint peccaminosæ X. 261. & seq. & quomodo hoc possit esse X. 132.
- A**ctiones sunt suppositorum: quo in sensu sit verum hoc principium IX. 168.
- A**ctus internus an possit præcipi ab Ecclesia XII. 692.
- A**ctus intrinsecè naturalis, etsi acceptaretur à Deo, *R. P. Ant. Mayr Theol. Tom. II.*
- non haberet supernaturalitatem à Concilijs requisitam XII. 247.
- A**ctus tantum supernaturalis quoad modum non est ad mentem Conciliorum XII. 248.
- A**doptio quid sit VIII. 193.
- A**edificatio quid sit, & quid in ea juris VIII. 268.
- A**equalitas arithmetica, & geometrica quæ sit VIII. 44.
- A**lluvio quid sit, & quid juris circa eam VIII. 262.
- A**mor concupiscentiæ Dei est bonus XII. 102. amor Dei non super omnia an sit actus charitatis, vel cujus virtutis XII. 155.
- A**mor unius non est amor rei cum eo connexæ XII. 18. amor rei in circumstantiis non est amor circumstantiarum VIII. 73. & XII. 19. nec tamen est amor rei tantum indifferentis XII. 19. amor rei denominativè sumptæ non est amor rei indifferentis VIII. 73.
- A**ngelus an naturaliter cognoscat carentiam subsistentiæ, vel possibilitatem resurrectionis IX. 25. quid Christus sit meritis Angelis IX. 495. an eos recederit, vel proijs mortuus sit IX. 510. Angeli cur ante Christum in cælum sint admitti IX. 514.
- A**nimalia mansueta quæ dicantur VIII. 273. quando censeantur esse sub dominio VIII. 274.
- A**nnihilatio rei quid sit XI. 217.
- A**pes an sint feræ VIII. 275.
- A**ppretatio, & intensio actuum quid sint XII. 261.
- Verba: Diliges ex toto corde &c. significant tantum maximam appreciationem XII. 274.
- A**qua debet in sacrificio misceri vino XI. 118. eaque valde modica XI. 119. hæc mixtio non est necessaria necessitate sacramenti XI. 121. sed tantum necessitate præcepti XI. 122. aqua, si prius non fuit conversa in vinum, immediatè convertitur in sacrum sanguinem XI. 124. qualis olim controversia fuerit de conversione aquæ in sacrum sanguinem XI. 140. de qua conversione aquæ loquitur S. Thomas XI. 144. an aqua possit iterum extrahi è vino XI. 131. an Christus maneret sub speciebus aquæ ita extractis post consecrationem XI. 157. an mixtum ex aqua, & vino possit dici vinum usuale XI. 153. an aquæ gutta à Græcis post consecrationem sacro calici immixta convertatur XI. 161.
- A**rgumentum ab auctoritate est diversum ab argumento à ratione XII. 692.
- A**rrogatio quid sit VIII. 193.
- A**scendentes qui dicantur in ordine ad jus paternum VIII. 193.
- A**ssumere quid potuisset Verbum Divinum, vel etiam Pater, aut Spiritus Sanctus. IX. 235. & pluribus sequentibus.
- A**tritio ex metu gehennæ est actus bonus, & honestus XII. 89. quæ sit doctrina Tridentini de hac attritione XII. 88. quæ propositiones circa hanc materiam sint damnatæ XII. 89. & 90. attritio hæc est bona etiam ex S. Augustino XII. 91. 92. & 167. textus hujus S. Patri apparenter oppositi explicantur XII. 98. & seq. item

Confirmationis sacramentum institutum est in cœna Domini XI. 3. quia tunc determinata est ejus materia, scilicet christus XI. 3. quid sit christus, & ex quo oleo conficiatur XI. 4. an mixtio balsami sit essentialis XI. 4. an benedictio Episcopalis christifinis sit essentialis XI. 4. quæ sit forma hujus sacramenti apud Latinos, & Græcos XI. 4. quis sit minister XI. 4. an olim hoc sacramentum administratum sine christumate X. 69.

Confusio quid sit VIII. 265. & quid juris tribuat VIII. 265.

Conscientia quid significare possit XII. 703. & quid significet Tridentino XII. 705.

Contractus ob turpem causam quid, & quotuplex sit VIII. 453. hic contractus, si neutra ex parte, hoc est, nec in adæquate, est impletus, debet rescindi VIII. 454. si autem iam ex una parte impletus est, debet etiam ex altera parte impleri, si præstanda sit res indifferens VIII. 456. nisi aliquando jura specialia acceptationem dati, vel ejus retentionem damnent VIII. 459. non tamen datur actio in foro externo ad exigendam impletionem talis contractus, vel dationem rei promissæ VIII. 463.

Contritio justificativa debet esse dolor, & detestatio peccatorum ex amore Dei super omnia XII. 234. debetque esse actus formalis amoris Dei super omnia XII. 186. debet esse intrinsecè supernaturalis XII. 237. item odium efficax, & detestatio saltem virtualis cujuslibet peccati gravis XII. 238. & saltem implicitè magis detestari peccata graviora, quam leviora XII. 239. an quis possit dicere: mallet esse omnino non Christianus, quam Lutheranus. XII. 253.

Contritio justificativa debet magis detestari peccata propria, quam aliena XII. 241. item magis peccatum mortale, quam pœnas æternas XII. 244. quamvis non debeat explicitè inter se comparare peccata, & istas pœnas XII. 245. imò neque miserias, seu pœnas temporales XII. 245. an per actum contritionis possit positivè eligi pœna gehennæ XII. 259. contritio etiam debet detestari quodlibet peccatum grave super omnia mala distincta à peccatis, non tamen super omnia alia peccata XII. 252. an debeat etiam magis detestari peccatum, quam permissionem ablationis, alicujus perfectionis Deo intrinsecè XII. 243.

Contritio justificativa non debet esse summè intensa XII. 261. neque debet esse intensior quovis alio dolore XII. 264. neque debet habere magnum, & Deo soli cognitum gradum intensiois XII. 265. neque debet notabiliter durare XII. 266. neque debet necessariò excludere peccata venialia XII. 271. neque debet præsupponere distinctam recogitationem peccatorum XII. 269.

Contritio etiam in ignorante baptismum est ejus votum X. 147. & 379. non exigit, ut quis optet occasionem patiendi pœnas æternas XII. 258. an quis absolute possit velle, potius subire pœnas inferni, quam peccare XII. 219. & seq.

Contritio perfecta habet infallibiliter annexam justificationem XII. 205. quomodo justificet, & quo in sensu justificet ut votum sacramenti XII. 217. ille, qui per purum amorem fuisse justificatus, tamen deberet postea coniteri, vel si hoc non posset, deberet, actum doloris elicere XII. 231. S. Magdalena fuit per contritionem justificata XII. 219. & seq. propositiones Bajanae circa charitatem damnatae XII. 208. & quis earum sensus, aut intentio XII. 209. & seq.

Contumelia quid sit VIII. 750. est ex genere suo peccatum mortale VIII. 751. quot modis possit fieri VIII. 753. obligat ad compensationem exhibitione honoris faciendam VIII. 763.

Conversio quid sit XI. 211. ad eam requiritur terminus a quo, & ad quem, & commune medi-

um XI. 211. quotuplex datur conversio XI. 212. an in ea terminus a quo debeat definire XI. 213. & 233. datur conversio vera, & strictè dicta in SS. Eucharistia XI. 214.

Culpa Theologica, & juridica, & hæc late, latior latissima, vel levis, & levissima, quid sint VIII. 685. culpa punibilitas absoluta, & respectiva quid sit VIII. 711. culpa remissa an etiam remittatur tota pœna XII. 390.

Culpa gravis Theologica contra justitiam commutativam affert obligationem gravem restituendi VIII. 701. an etiam afferat obligationem compensandi excessum damni invincibiliter ignoratum VIII. 712.

Culpa Theologica venialis ob defectum sufficientis deliberationis non affert gravem obligationem compensandi damnum gravem ante sententiam VIII. 702. neque etiam obligationem leviem VIII. 705. item non affert obligationem gravem restituendi culpa venialis ex ignorantia gravitatis rei e. g. si quis putat esse vitrum, quod est gemma VIII. 716. culpa tamen venialis deliberata potest affere obligationem gravem refaciendi damnum grave VIII. 706. item culpa venialis de liberata ex cognitione gravitatis materialis, quamvis non cognoscatur gravitas formalis VIII. 707. ex qua radice oriatur hæc obligatio VIII. 723.

Culpa merè juridica non obligat ante sententiam ad restitutionem VIII. 688. obligat tamen post sententiam VIII. 691.

D

Dæmones quare credant mysterium incarnationis IX. 18. quomodo credant, & contremiscant IX. 18. an certi fuerint de incarnatione, IX. 22.

Damnum emergens quid sit VIII. 627.

Debita incerta sine delicto non debent applicari pauperibus VIII. 332. ad debent ijs applicari debita incerta ex delicto VIII. 333. quomodo Papa circa ista admittat compositionem VIII. 336.

Debito certo an aliquando satisfiat solutione probabili VIII. 587.

Debita indefinite contracta an tollantur præscriptione VIII. 361. & 391.

Decretorum Divinorum ordo qualis datur IX. 262.

Decretum, extrinsecè condonativum peccati quale habeat objectum XII. 398.

Definitio potest constitui ex termino, qui sit genus respectu unius, & species respectu alterius X. 16.

Denominatio nova an aliquando possit dari sine nova parte XII. 398. quid sit denominatio per convenientiam, per non convenientiam, & per contrarietatem XII. 17. quod sit discrimen inter rem denominativè, & quidditivè, seu concretivè acceptam XII. 16. & seq.

Descendentes qui sint VIII. 193.

Destitutio an possit oriri a dominio VIII. 109. an sit tanti æstimanda, quanti ipsa res IX. 338.

Detestatio quid sit XII. 235.

Detractio quid sit VIII. 750. est ex genere suo peccatum mortale VIII. 751. quot modis fiat VIII. 753. quænam excuset à peccato mortali detrahentem VIII. 754. an sit peccatum mortale, dicere, se audivisse de proximo crimen, & illud eam fide, qua acceperit, referre VIII. 770. detrahentem audire quando, & quale sit peccatum VIII. 759. detrahentis correctio quando facienda VIII. 760.

Detractio gravis obligat graviter ad restitutionem famæ VIII. 761. & quomodo hæc restitutio fieri debeat coram auditoribus mediatis VIII. 776. pro fama non debet fieri restitutio in pecunijs VIII. 761. an venialiter peccans teneatur sub gravi restituere famam graviter læsam VIII. 761. debent etiam compensari damna fortunæ, ex detractioe orta VIII. 762. an crimen notum in una civitate, liceat vulgare in alia VIII. 764. item

item an liceat iterum vulgare crimen ob lapsum temporis oblivioni datum VIII. 755. & 773. an crimen occultum revelare uni soli sit mortale VIII. 756.

Deus habet dominium rerum omnium VIII. 198. habet jus proprietatis in omnes homines, imò in omnes creaturas IX. 368. & vi hujus juris potest obligare homines ad ponendas quascunque actiones ipsi possibiles IX. 369. tales tamen actiones, si ponantur ab hominibus, non sunt actus perfectæ justitiæ IX. 370. Deus actu obligat homines ex suo jure proprietatis IX. 371. non tamen ipse potest obligari homini ex justitia commutativa IX. 381. quomodo homines deantur aliquid donare Deo VIII. 208.

Deus an sit moraliter necessitatus ad optimum IX. 43. & seq. quomodo semper faciat, quod est melius, seu optimum IX. 45. & seq. quod in hac questione dicendum sit optimum IX. 46. qualem Deus habeat inclinationem ad beneficiendum IX. 63. & 64. an potuerit relinquere hominem lapsum abique remedio IX. 48. an puniat infra condignum, & præmet ultra condignum IX. 46.

Dilectio Dei an, & qualis requiratur ad sacramentum penitentia XII. 148. præsertim an requiratur a Tridentino XII. 155. & seq. an omnis dilectio Dei sit amor ejus super omnia XII. 154. & seq. quid circa dilectionem Dei ad sacramentum requisitam senserit Pallavicinus & quid circa eam Alexander VII. decreverit XII. 176. & 177.

Dispositio ad sacramentum quemadmodum censetur melior X. 329. an tantum actualis, an etiam habitualis, seu status intentionis gratia X. 329. & seq.

Distributor iniquus bonorum, aut officiorum an teneatur ad restitutionem VIII. 63.

Divisio bonorum prima quando facta sit VIII. 253. facta est jure gentium VIII. 255. an ante eam omnia prorsus fuerint communia VIII. 254.

Dolor quid sit XII. 235. debet in sacramento penitentia esse formaliter talis XII. 310. etiam in confessione venialium XII. 321. dolor de offenso Deo sit bono infinito, an sit contritio perfecta, vel formalis amor Dei super omnia XII. 197.

Domestici qui dicantur VIII. 575.

Dominium latè sumptum quid sit VIII. 82. aliud est jurisdictionis, aliud proprietatis VIII. 82. dominium jurisdictionis quid sit: aliud est divinum, aliud creatum: & hoc aliud Ecclesiasticum, aliud civile, aliud altum, aliud basium VIII. 82.

Dominium proprietatis latè sumptum quid sit VIII. 83. aliud est plenum, seu in solidum: aliud non plenum, seu imperfectum VIII. 83. dominium plenum est jus perfectè disponendi de re VIII. 84. quid sit perfectè de re disponere VIII. 103. quid sit dominium imperfectum VIII. 86. aliud dominium imperfectum est directum nudum, aliud utile VIII. 86. dominium directum est simpliciter dominium. VIII. 86.

Dominium duorum in solidum potest dari pro eodem unico instanti VIII. 111. dominium formale, & radicale, seu fundamentale, virtuale, aut eminentiale, quid sit VIII. 107.

Dominii capaces sunt solæ creaturæ rationales VIII. 199. & ex hominibus etiam infantes, & amentes. VIII. 200.

Dominium terræ, & maris, competit homini VIII. 201. item dominium bonorum sibi extrinsecorum VIII. 201. & famæ, ac honoris VIII. 202. suæ libertatis VIII. 203. etiam alterius hominis VIII. 204. & quot modis possit acquiri dominium in hominem VIII. 204.

Dominium vitæ perfectum non competit homini VIII. 205. neque membrorum suorum VIII. 206. si tamen ad conservandum corpus necesse sit, rescari membrum, potest istud permittere R. P. Ant. Mayr Theol. Tom. II.

Dos, & contrados, quid sint VIII. 183. & quotuplex sit dos VIII. 183.

Dubium quid sit XII. 662. aliud est morale, aliud metaphysicum XII. 663. aliud negativum, aliud positivum, aliud probabile XII. 664. an dubium possit dici conscientia VIII. 369. & XII. 704. & seq. Duellum inire non est licitum, ad avertendam notam similitudinis VIII. 249. & seq.

E

Ecclesia an possit præcipere actus internos XII. 602.

Emancipatio, seu exemptio à jure paterno quot modis fiat VIII. 192.

Emphiteusis, quid sit VIII. 89.

Emptor rei furivæ non potest ad recuperandum suum pretium rem reddere furi, probabilis non restituro, sed debet eam reddere domino VIII. 648. si tamen bona fide rem furi restitisset, ad nihil ultra teneretur VIII. 650. potest tamen emptor bonæ fidei in tali casu permittere, ut fur iterum auferat rem VIII. 651. idem per se, saltem seclusis circumstantijs specialiter impediens, potest etiam permittere emptor malæ fidei VIII. 652.

Error ministri circa personam recipientem sacramentum an istud reddat invalidum X. 115.

SS. Eucharistia sacramentum quomodo definiatur XI. 5. est tantum unum specie XI. 11. quando censetur etiam unum numero XI. 12. item 20. & seq. errores hæreticorum circa hoc sacramentum XI. 29. & seq.

SS. Eucharistia sacramentum continet in se verè, realiter, & substantialiter Christum Dominum XI. 32. idque ex c. 6. Joan. efficaciter probatur XI. 46. item ex Tridentino XI. 27. ex S. Augustino XI. 58. & seq. ex alijs Patribus XI. 37. & seq. adest autem Christus ante, & post usum XI. 37. totus sub quavis specie, & sub quavis specierum parte XI. 207. non tamen unitur speciebus physicè, sed tantum moraliter XI. 224. in quo stetit unio moralis XI. 225. an Christus in Eucharistia naturaliter possit agere, vel pati XI. 226.

SS. Eucharistia continet in se etiam partes integrantes corporis: imò etiam accidentia absoluta XI. 208. adest etiam in hoc sacramento Divinitas XI. 208. & peculiari modo etiam SS. Trinitas XI. 208. quid in Eucharistia ponatur vi verborum, quid per concomitantiam XI. 204. quid significant hæc phrasæ XI. 204. Christus in Eucharistia non ponitur per reproductionem XI. 223. quo in sensu dicatur corpus Christi in Eucharistia fieri, creati, & c. XI. 228.

SS. Eucharistia partes intrinsecæ sunt corpus, & sanguis Christi XI. 6. quid intelligatur per corpus, & sanguinem XI. 205. species panis, & vini etiam sunt partes XI. 8. non tamen istarum sumptio XI. 10. panis, & vinum etiam sunt tantum materia remota XI. 10. quorum substantia in Eucharistia non manet, sed destruitur XI. 39. & 215. & 218. ac seq. quomodo tamen etiam physicè nutriatur homo sumptione Eucharistia XI. 253.

Eucharistia materia remota est panis triticus, & vinum de vite XI. 71. sive panis sit azymus, sive fermentatus XI. 72. Latinus tamen sacerdos in azymo, Græcus in fermentato debet celebrare XI. 73. quid sit sacerdos Latinus peregrinatur in Græcia, vel vicissim XI. 73. materia valida etiam est panis ex spelta XI. 74. & ex filigine XI. 77. non tamen ex alijs frumentis XI. 78. neque etiam materia est valida massa cruda ex farina non dampnata XI. 79.

SS. Eucharistia materia remota est vinum de vite, cujuscuque regionis sit, album, & rubrum & c.

Xl. So. non autem vinum adustum, seu spiritus vini, nec lora, seu lora, nec sapa, aut defrutum, nec agresta, nec uvæ adhuc necdum expressæ Xl. 81. est tamen materia valida vinum ab-synthiacum, vel aromaticum, si non sit nota-biliter corruptum, nec differat ab usuali Xl. 82. item mustum Xl. 84. an laudabilis sit consu-endo exprimentum uvas in calicem Xl. 84. quid censendum de succo expresso ex uvis passis Xl. 82. quid de vino acescente Xl. 83. quid de con-gelato Xl. 86. quid agendum, si vinum congele-tur Xl. 86.

SS. Evcharistia materia, seu materia consecranda de-bet esse moraliter præsens Xl. 87. & quid requira-tur ad hanc præsentiam Xl. 87. & seq. an sint suffici-enter præsentia hostia positæ extra corporale Xl. 90. an guttae exterioris adherentes calici Xl. 102. an debeat materia posse tangi Xl. 89. aut videri Xl. 90. non potest valide consecrari vinum à sa-cerdote, stante ante cellam clausam Xl. 92. pos-sunt tamen valide consecrari hostiæ in pixide clausa Xl. 92. ut tamen licet consecratur, de-bent detegi Xl. 92. quid fieret, si sacerdos obli-vus fuisset, hostias detegere Xl. 93. in qua parte sacrificij jam debeant adesse hostiæ consecrandæ Xl. 100. & seq. item 182. an sacerdos possit ha-bere intentionem consecrandi hostias, modo tam per se, quam per accidens licito Xl. 96. & seq.

SS. Evcharistia materia, seu materia consecranda, debet etiam esse determinata Xl. 103. & quo-modo etiam quoad numerum Xl. 103. si quis post consecrationem advertat, duas hostias gran-des sibi fuisse appostas, utraque consecranda est consecrata Xl. 103.

Evcharistia parè etiam est forma Xl. 10. quomodo tamen manscat, hoc sacramentum desinentibus verbis formæ X. 51. & Xl. 18. an alia verba re-quirantur ad consecrationem ratione sacrificij, quam ratione sacramenti Xl. 197. verba à Græ-cis post consecrationem adhiberi solita, seu oratio, ut fiat corpus Christi, quomodo intelligen-da Xl. 178.

SS. Evcharistia consecratio an licite, vel valide, possit fieri in una specie sine altera Xl. 111. an SS. Evcharistia possit statim post consecrationem distribui communicantibus Xl. 101. quid agen-dum, si per errorem una, vel altera hostia non consecratur, miseretur pluribus consecratis Xl. 104. aut si una consecrata miseretur pluribus non consecratis Xl. 106.

SS. Evcharistia causat gratiam, quando datur ejus manducatio, vel potatio Xl. 285. quando man-ducatio datur Xl. 286. & unde manducatio di-catur Xl. 289. SS. Evcharistia non causat gra-tiam tamdiu, quamdiu manent species in ito-macho Xl. 287. an gratia statim datur post sum-ptionem primæ speciei X. 308. an Evchar. sub du-plici specie plus causet gratiam quam si tantum su-matur sub una Xl. 295. an casu, & insci-us, sumens hostiam consecratam reciperet gratiam X. 148. quinam sint effectus Evcharistia præsertim ex Tridentino Xl. 283. & seq. an eti-am aliquando causet primam gratiam X. 307. & seq.

SS. Evcharistia quomodo sit necessaria multum agitur in Tridentino Xl. 282. non est necessaria necessitate mediæ Xl. 312. hinc infantibus non est necessaria juxta S. Augustinum Xl. 63. sed tantum est adultis necessaria necessitate precepti Xl. 314. tam Ecclesiastici Xl. 314. quam Divini Xl. 315. hoc præceptum non tantum obligat in Palchate, sed etiam in articulo mortis Xl. 316. olim obli-gabat ter in vita Xl. 314.

SS. Evcharistia sumptio prærequirit confessionem ab eo faciendam, qui sibi est conscius peccati

mortalis X. 217. an ejusdem distributio requi-rat statum gratiæ, vel præviam confessionem X. 216. in quo lo Evcharistia habeat utriusque materialis, in quo non X. 314. & Xl. 293. quo-modo per eam representetur passio Christi Xl. 354. quid tenendum de miraculis appariti-onibus Christi in SS. Evcharistia Xl. 254. Expensæ sunt variae, necessariæ, utiles, volupta-riæ, seu voluntariæ VIII. 674.

Fama quid sit VIII. 750. cur habenti famam me-liorem magis noceat detractio, quam habenti famam minus bonam: non autem ita furtum magis noceat diviti, quam pauperi VIII. 777. restitutio famæ quomodo fieri debeat VIII. 761. & 776. quænam causæ excusent à resti-tutione famæ VIII. 764.

Famulus an possit retinere lucrum ex venditione, vel emptione rerum domini sui VIII. 635. item an sartor VIII. 637. quando possit famulus uti occulta compensatione ob salarium suum non solum, vel minus solum VIII. 580. & seq. & quid hac in re Innocentius Xl. damnaverit VIII. 580. quis hic per famulum intelligatur VIII. 682. an ei, vel alteri liceat retinere debitum in ordine ad faciendum occultam compensationem VIII. 685.

Feræ quænam animalia dicantur VIII. 273. itæ quando in naturali libertate constitutæ sunt, vel quando istam perditam iterum recuperant, sunt nullius VIII. 274. quando censentur libe-ratam iterum recuperasse VIII. 274. fera in la-queum incidens an sit laqueum ponens, an ip-sam laqueo eximentis VIII. 284. item fera vul-nerata an sit vulnerantis, an campo stea capia-tis VIII. 285.

Feudum quid sit, & quotuplex VIII. 89. Fictio in sacramentis, materialis, & formalis quid sit X. 359.

Fidei actus exigit, autoritatem Dei, sive Deum, nullo etiam alio actu intuitivè videri Xl. 582.

Fidei commissarius an sit plenus dominus VIII. 98. & seq.

Filiatio Divina est triplex IX. 621.

Filius Divinus cur potius sit incarnatus, quam Pa-ter, aut Spiritus S. IX. 206.

Filius familias quis dicatur VIII. 191. hic laborans in domo paterna cui lucratur VIII. 197.

Finis cui indigentia, & excellentia, proximus, & ultimus quis sit Xll. 103.

Forma cujuslibet sacramenti qualis sit X. 36. ver-ba formarum sunt pars sacramenti, non prout sunt tantum voces articulatae, sed prout sunt termini significativi X. 96. non sunt condiona-toria, sed consecratoria X. 64. & 75. ac seq. sunt juxta communem significationem accipi-enda X. 59. in sacramentis antiquæ legis nulla verba fuere præscripta X. 34. an interruptio ver-borum formæ tollat valorem sacramentorum X. 63. mutatio formæ quænam obvit valori sa-cramentorum, & quæ non X. 56. & seq.

Forma consecrationis panis in quibus verbis es-sentialiter consistat Xl. 163. & in quibus forma consecrationis calicis Xl. 166. qualis ponatur in variis lyturgiis Xl. 168. verba consecrationis proferuntur recitative, & enunciative Xl. 170. quomodo ea verba novi sacerdotis recens ordi-nati proferre debeant cum Episcopo ordinante Xl. 184. & seq. particulae. Hic & Hoc quid de-notent, vel significant in recto Xl. 42. & 69. item 88. atque 173. ac 180. & seq. formæ aliquæ consecrationis panis an sint validæ. Xl. 172. quid hac in re notandum circa voces æquivalentes Xl. 176.

Fortuitum Theologicè, & juridicè quid sit VIII. 691.

Fratrum Minorum bona quomodo spectent ad Papam VIII. 171. & 182.

Fru-

Fructus quid sit VIII. 593. quid sint merè natu-rales, merè industriales, mixti VIII. 593. quid pendentes, separati, percepti, percipiendi, ex-tantes, consumpti VIII. 594. quinam in jure di-cantur strictè consumpti VIII. 611. quinam sint fructus industriales VIII. 593. & 628. an iis e-tiam annumeretur lucrum ex pecunia VIII. 628. fructus merè industriales spectant ad bonæ, & malæ fidei possessorem VIII. 595. fructus necdum percepti pertinent ad dominum rei VIII. 596. fructus formaliter extantes etiam à bonæ fidei possessore debent restitui domino rei VIII. 597. & probabilius etiam fructus æquivalenter extantes, in quantum possessor ex iis factus est ditior VIII. 598. quid sit feri ditiores VIII. 514. & quidem casualiter, non tantum occasionali-ter VIII. 515.

Fur an possit occidit pro defensione temporalium VIII. 277. an debeat restituere, vel compensare rem, quæ apud ipsum perit, si etiam apud do-minum perisset VIII. 633. & seq.

Furti materia non est eadem gravis respectu om-nium VIII. 544. quæ sit gravis proportiona-liter respectu omnium VIII. 543. & 546. & seq. item 551. an materia furti gravis sit in indivi-duo VIII. 553.

Furta minuta hominibus ad diversas communita-tes spectantibus facta tamen possunt coalescere in unum damnum grave VIII. 566. item furta à pluribus uni facta: & quando hæc coalescant VIII. 567.

Furta minuta, ut sint grave peccatum, exigunt ma-jorem quantitatem, quam si tota materia simul subtrahæ esset VIII. 569. quando coalescant ratio-temporis VIII. 568. quando faciant ma-teriam gravem VIII. 562. & seq. Propositio 38. ab Innocentio Xl. damnata de furtis minu-ius quomodo sit accipienda VIII. 562. & 720. furto materiæ gravis prius commissio si addatur iterum materiæ levis, an qualibet talis additio sit iterum novam peccatum mortale VIII. 564. & seq.

Furta domesticorum, quando censenda sint gra-via VIII. 576. præsertim si fiant circa esculenta, & poculenta VIII. 578. variae doctorum senten-tiæ de furtis filiorum familias. VIII. 577.

G.

Gratia an sit necessariò connexa cum Christo IX. 52.

Gratia sanctificans sacramentalis non differt à gra-tia non sacramentali X. 320. nec gratia causata ab uno sacramento differt à gratia causata ab alio sacramento X. 317. quid sit dare gratiam ex opere operato, & ex opere operantis X. 25. quid sit conferre primam gratiam X. 300. quid eam conferre per se, & per accidens X. 301.

Gratia sanctificans prima non cadit sub meritum IX. 461. & major gratia sanctificans non reddit per se actum magis meritorium Xl. 365.

Gratiæ actuales diversorum sacramentorum dif-ferunt inter se X. 318. & non dantur statim, sed suo tempore X. 320.

Gratia, qua dicitur Luc. 2. profecisse Christus Do-minus qualis intelligatur IX. 536.

H.

Habitatio quid sit VIII. 89.

Habitus omnes an debeant ante suam destructio-nem posse elicere actum suum primum Xll. 46. an sit possibilis habitus pure emendativus Xll. 52. & seq. diversitas objectorum formalium non infert distinctionem realem habituum inferiorum Xll. 41. & seq. licet infert distinctionem realem habituum acquisitorum Xll. 42. & seq. quinam habitus morales infusi censentur esse inter se realiter distincti Xll. 44.

Habitus fidei an exigat Christum IX. 48. habitus innocentia an detur specialis Xll. 48. item an specialis habitus perseverantia in bono Xll. 49. habitus poenitentia naturalis. qualis fuisset, & quam efficax Xll. 57. & seq.

Hæreses variae, & errores circa mysterium incarnati-onis IX. 66. & 67. præsertim Nestorii, & Ery-thetis IX. 143.

Herodes non fuit Messias IX. 91.

Herodiani qui fuerint IX. 91.

Homicida, vel injustus mutilator tenetur compen-sare omne lucrum cessans, & omniè damnum emergens VIII. 726. vel læso, vel hujus hære-dibus VIII. 727. an etiam alii debeant compen-sare lucrum cessans &c. VIII. 727. an credito-ribus occisi VIII. 730.

Honor internus, & externus quid sit VIII. 750. quomodo flet in honorante IX. 301. non licet eum defendere defensione occisiva VIII. 241. aliquæ propositiones circa hanc materiam dam-nata VIII. 244.

Humanitas Christi non extitit ante conjunctionem cum Verbo IX. 199. non intelligit per intelle-ctionem Verbi IX. 136. nihil est merita ante incar-nationem, seu unionem hypostaticam IX. 485. neque potuit merito, etiam tantum congruo stri-ctè dicto, mereri incarnationem quoad substan-tiam IX. 488. consequenter neque alia pura creatura. ibidem.

Humanitas Christi sanctificatur per sanctitatem incretam IX. 585. non tamen infinite IX. 591. & 612. sanctificatur etiam per unionem hypo-staticam tanquam sanctitatem ut quod IX. 588. an etiam unio hypostatica Verbi cum natura irrationali esset sanctitas IX. 597.

Hypostasis quid sit IX. 141. an idem significet in Divinis, ac humanis IX. 164.

Hypotheca quid sit VIII. 93.

I.

Idioma quid significet IX. 115.

Ieiunium graviter frangit qui sæpe eadem die mo-edicum quid comedit VIII. 563.

Ignorantia juris, & facti, quid sit VIII. 373. igno-rantia facti quænam obvit præscriptioni VIII. 374. & quænam ignorantia juris. VIII. 375. in quibus personis toleretur ignorantia juris VIII. 376. quibus non profit VIII. 351. & quando præscriptionem corrumpat VIII. 352. & seq. ignorans, se præscriptionem acquisivisse domi-nium, & ideo rem reddens, an eam possit de-novo repetere VIII. 350. ignorantia legis an excuset à peccato juxta S. Augustinum IV. 68. & S. Thomam IV. 271.

Impenitentia specialis quid sit Xll. 406.

Impubes quis sit VIII. 191.

Incarnatio quid significet IX. 2. etiam vocatur de-sensus, missio, œconomia Verbi IX. 2. hæc vox non est rejicienda IX. 2. incarnatio physice, & meta-physice accepta quid sit IX. 3. & quomodo physice accepta definiatur IX. 3. incarnatio hæc est possibilis IX. 4. non infert mutationem ali-quam in Deo IX. 5.

Incarnatio metaphysice sumpta non potest natura-liter demonstrari, imò nec positive probari possi-bilis IX. 12. potest tamen naturaliter haberi aliqua suspicio de ejus possibilitate IX. 13. at verò de possibilitate incarnationis physice sumptæ naturaliter neque potest haberi suspicio IX. 15. ne-que etiam potest naturaliter sine revelatione cognosci incarnatio jam facta IX. 17.

Incarnatio non fuit absolute necessaria IX. 39. ne-que ex suppositione mundi conditi IX. 39. ne-que ex suppositione peccati originalis IX. 40. ne-que ex suppositione decreti reparandi hominem IX. 41. neque etiam Deus est moraliter necessi-tatus ad ponendam incarnationem IX. 42. fuit tamen

tamen incarnatio conveniens Deo IX. 28. & naturæ humanæ assumptæ IX. 29. ac toti universo IX. 30.

Incarnatio an sit majus beneficium respectu electorum, quam reproborum IX. 35. an afferat majorem nobis obligationem erga Filium quam erga Patrem IX. 36.

Infans quis sit VIII. 191. & infantæ proximus VIII. 191.

Infinium indivisibile in aliqua ratione quid sit IX. 307.

Injuria quid sit VIII. 488. quid hæc vox significet juris peritis VIII. 687. non sit scienti, & valide volenti VIII. 489. sit Clerico, si quis eum licet volentem, tamen stuadente diabolo verberet VIII. 490. quin Clericus sibi ipsi violentas manus inferens incurrit censuram VIII. 490. an fiat injuria marito consentienti in adulterium VIII. 491. & seq. an martyribus facta sit à tyrannis VIII. 497. impediens jurisdictionem alterius facit ipsi injuriam VIII. 47. & 18. item injustè impediens alterum à mihi beneficiando facit mihi injuriam VIII. 19. non omnis injuria obligat ad restitutionem VIII. 288.

Instituto Christi est pars sacramenti X. 42.

Intulæ recens natæ ad cujus dominium spectent VIII. 262.

Intentio actus quid sit XII. 261.

Intentio ministri sacramentorum potest esse multiplex X. 78. est necessaria saltem intentio faciendi, quod facit Christus, aut Ecclesia X. 79. quid sit intendere, quod facit Ecclesia X. 90. quomodo minister intendere debeat, quod facit Ecclesia X. 81. quid de necessitate intentionis senserit S. Augustinus X. 80. & S. Thomas X. 81. Innocentius, & Nicolaus Papæ X. 82. & S. Chrysostomus X. 82. qua intentione pueros baptizaverit S. Athanasius X. 84.

Intentio ministri sacramentorum non debet esse tantum interpretativa X. 103. neque tantum indirecta X. 104. neque sufficit purè habitualis X. 103. actualis est optima, sed non est necessaria X. 106. sufficit virtualis X. 106. in quo hæc consistat X. 107. an detur etiam, vel perleveret in ebrio X. 109. intentio ista virtualis non necessariò stat in actibus tenuibus imperceptibilibus X. 110.

Intentio ministri sacramentorum non potest esse conditionata sub conditione de futuro X. 112. attamen sub conditione de presenti X. 113. debet etiam esse determinata ad materiam vel subjectum X. 114. quænam intentio ex pluribus contrariis prævaleat X. 134. intentio ministri non est pars sacramenti X. 91.

Intentio recipientis sacramentum tanquam necessaria an indicetur à Florentino X. 145. requiritur autem in adulto sacramentum recipiente intentio habitualis X. 119. & 140. non verò actualis, aut virtualis X. 143. S. Genesius qua intentione baptismum receperit X. 84. an Judæus habens intentionem servandi omnes leges possit in casu extremæ necessitatis baptizari X. 147. in parvulis, & perpetuò amentibus nulla est intentio necessaria X. 138.

Intentio prava an semper inducat obligationem restituendi, vel damnam factum compensandi VIII. 530. & seq. quænam intentio faciat actionem injustam VIII. 533.

Inventa debent aliquamdiu servari, & dominus eorum inquiri VIII. 321. si autem post moralem diligentiam, in inquirendo adhibitam dominus non compareat, non debent dari pauperibus, sed possunt servari VIII. 323. nec datur consuetudo obligans, ad dandum talia pauperibus VIII. 330.

Judex non potest licitè adjudicare neci, quem privatà scientià novit innocentem VIII. 213. attamen potest in causis civilibus, aut quando agitur de penis minoribus, aliquando talem condemnare, vel gravare VIII. 226.

Judicium temerarium quid sit VIII. 765. ex genere suo est peccatum mortale VIII. 766.

Jus genericè sumptum quid significet VIII. 46. quid, & quotuplex sit VIII. 5. & seq. jus quod justitia respicit, est triplex VIII. 23. jus justitiæ commutativæ, distributivæ, legalis ac vindicativæ quomodo differat VIII. 47.

Jus proprietatis quid sit IX. 366. & VIII. 5. & quotuplex VIII. 6. & 7. creatum provenit à lege VIII. 27. & non consistit in recto rationis dictamine VIII. 31. jus ad rem quam tribuat potestatem obligandi alterum VIII. 20. pars communitatis potest habere jus proprietatis contra communitatem VIII. 43. an quilibet possit jure suo cedere VIII. 31. & seq. an pauper in extrema necessitate habeat jus in bona divitiis VIII. 23. quid sit jus adæquare IX. 392.

Jus proprietatis Dei fundatur in ipsa essentia Divi VIII. 26. jus altum, & bassum in Deo quid sit IX. 393. an possit adæquare IX. 390. quid sit jus adæquare IX. 392.

Jus paternum, vel potestas paterna quid sit VIII. 21. cui competat VIII. 191.

Justitia latè sumpta quid sit VIII. 41. quid sæpe significet in sacris scripturis IX. 286. justitia actualis, seu actus justitiæ quid sit VIII. 42. quid justitia habitualis, seu habitus justitiæ VIII. 42. & quotuplex VIII. 43. justitia strictè dicta non est virtus Theologica VIII. 34. attendit medium rei, & non rationis VIII. 69. quid sit medium rei, & rationis VIII. 69. justitia requirit aliquam alteritatem VIII. 49. versatur potius circa actiones, quam passiones VIII. 70. non versatur circa contrapassum physicum, seu penam talionis VIII. 71. obligat ex genere suo sub gravi VIII. 542. non tamen per se obligat ad operandum ex suo objecto formali VIII. 67. sed tantum ex aliqua intentione solvendi VIII. 67. & 78. ejus objectum formale quod est honestas tribuendi alteri jus suum VIII. 66. ejus partes subjectivæ, & potestativæ quæ sint VIII. 50. & seq. an detur actus justitiæ supererogatorius VIII. 15.

Justitia commutativa quid sit IX. 366. & VIII. 43. quomodo differat à distributiva, & legalis VIII. 44. an sola sit strictè dicta justitia VIII. 45. quare dicatur virtus particularis VIII. 48. non potest dari in Deo, & obquam imperfectionem dari non possit IX. 387.

Justitia distributiva quid sit VIII. 43.

Justitia legalis quid sit VIII. 43. quomodo dicatur virtus communis VIII. 48.

Justitia vindicativa quid sit VIII. 44. an respiciat proportionem geometricam VIII. 62. quale jus respiciat VIII. 44.

L.

Legitimi, illegitimi, & spurii quis sint VIII. 193.

Lex omnis quomodo obliget in conscientia VIII. 297. qualis intelligatur in definitione juris VIII. 105. quomodo assistat actui malo VIII. 9. quomodo habeat pro objecto seipsam VIII. 32.

Lex Aquilæ qualis fuerit VIII. 637. quales sint leges noxales, & an obligent in conscientia ante sententiam VIII. 695. & seq.

Lex: Non dubium: quomodo intelligenda VIII. 291. & seq.

Libellus quid sit VIII. 90.

Libertas in actu primo non potest constitui ex eo, quod per ipsum exercitium libertatis in eodem instanti destruitur VIII. 108.

Libertas contra rusticas servitutes quomodo præscribitur VIII. 405.

Lignis

Ligna cadens in alienis sylvis an obligetur ad restitutionem VIII. 286. & seq.

Linguz igneæ apparentes in die Pentecostes non fuerunt sacramentum X. 17.

Lotio pedum discipulorum in cœna non fuit sacramentum X. 18. & 184.

Lucrari quid in jure significet VIII. 621.

Lucrum cessans quid sit VIII. 627.

Lumini naturali nullum verum potest esse contrarium IX. 4.

M.

Machabæi an possint dici duces de Juda IX. 73. & seq. aut de femore Judæ IX. 93. & seq.

Majorennis quis dicatur VIII. 191.

Manna elus non fuit sacramentum X. 17.

Martyrium non est sacramentum X. 24.

Materia sacramentorum alia est remota, alia proxima X. 33. cur Florentinum clarius sit locutum de materia remota, quam de proxima X. 41. materia, & forma sunt partes intrinsecæ sacramentorum X. 38. & quænam, an etiam materia remota X. 39. materia sacramenti an quidditative accepta, an tantum denominative accepta sit pars sacramenti X. 97. an peccata sint pars sacramenti penitentis, vel morbus sacramenti extremæ unctionis X. 98.

Materia, & forma singulorum sacramentorum qualis sit X. 36. quid intelligatur per materiam, & formam sacramentorum X. 33. quid per verba, & res X. 33. materia an debeat esse determinata quoad quantitatem, seu magnitudinem XI. 107. & parvitatem XI. 109. quomodo materia, & forma debeant esse simul X. 62.

Materiæ mutatio & formæ non omnis tollit valorem sacramenti X. 56. hinc formæ sacramentorum apud Græcos sunt validæ X. 58. quænam sit mutatio substantialis, quænam accidentalis X. 56. diversitas materiæ & formæ quænam sit materialis, quænam formalis X. 68. materiæ, & formæ sacramentorum sub qua ratione determinatæ sint à Christo X. 67. Ecclesia an modò adhibeat aliam materiam in sacramentis, quam olim X. 66. & seq. per irrationem matrimonii clandestini non est mutata materia hujus sacramenti X. 74.

Maternitas Divina an stet in influxu in unionem hypostaticam IX. 527. an B. Virgo potuerit maternitatem illam mereri IX. 527. an sit quasi infinita IX. 529.

Matrimonium ex gravissimo metu contrahens absque interno consentu an simulet administrationem sacramenti, adeoque peccet XII. 325.

Matrimonium Adami, & Evæ non fuit sacramentum X. 21.

Medium ad aliquid quomodo differat à purè requisito XII. 13.

Melioramenta extrinsecæ, & intrinsecæ quæ sint VIII. 594.

Memoria quid significet, præsertim in Tridentino XII. 710. & seq.

Meritum quid sit IX. 452. meritum aliud est impetratorium, aliud compensativum IX. 457. item aliud est meritum de condigno, aliud de congruo IX. 452. condignitas meriti etiam respicit dignitatem præstantis IX. 453. & seq. an dignitas præstantis etiam augeat præmium IX. 364. an meritum de condigno sit arithmeticè proportionatum præmio IX. 338. quid dicat congruitas meriti IX. 455. quomodo merita nostra sint condigna, est Christus jam sit nobis meritis gratiam, & gloriam IX. 517. meritum an possit destrui à Deo sine retractione hominis XII. 397. principium meriti quomodo non cadat sub merito IX. 482. & S. P. Ant. Mayr Theol. tom. II.

seq. Meritum, & actio meritoria quomodo differant IX. 351.

Meritum Christi latius pater quam satisfactio IX. 347. meritum Christi quodlibet est simpliciter infinitum in ratione valoris, meriti, & satisfactionis IX. 349. quæ sit diversitas inter valorem, meritum, & satisfactionem IX. 347. hinc unum meritum non potuit esse majus altero, nec omnia simul majora, quam unum IX. 352. quomodo tamen Christus fuerit liber ad merita IX. 358. infinitatem suam habet meritum ab infinita dignitate Verbi IX. 350. nec dependet ejus valor à voluntate Dei IX. 354. cur non etiam meritum reddatur æternum ab æternitate Dei IX. 363. merita Christi, licet fuerint infinita, jure tamen ea potuit exigere Deus IX. 356. merita Christi non tantum habere compensativa, sed impetratoria IX. 460. & seq. an movierit Deum, vel meruerit ut tantum conditionatè prævisâ IX. 479. quomodo potuerit Christus petere gratias progenitoribus jam collatas IX. 476. & seq.

Merita B. Virginis, aut Patriarcharum non se extendunt ad incarnationem quoad substantiam IX. 519. nec ad circumstantias incarnationis de condigno promerendas IX. 520. quamvis probabiliter aliqua pura creatura absolute potuisset eas circumstantias de condigno mereri IX. 521. meriti tamen sunt B. Virgo, & Patriarchæ eas circumstantias de congruo IX. 523. & B. Virgo etiam de congruo merita est, ut esset mater Dei IX. 522.

Merita Christi & progenitorum an secum trahant aliquam mutam naturæ prioritatem IX. 462. & seq. item 526. an detur aliqua independentia meritum Christi à B. Virgine IX. 464. quale fuerit decretum Dei circa merita Christi, & progenitorum IX. 464. & 466.

Merita mortificata reviviscunt per poenitentiam XII. 347. & quidem integrè ad totum essentialia præmium XII. 352. reviviscit etiam gratia prius acquisita ex opere operato XII. 353. & quidem gratia statim redit actà poenitentia, sive hæc sit intensa, sive non XII. 354. merita nostra non præjudicant meritis Christi VI. 306. & IX. 407.

Merum imperium, & mixtum imperium quid sint VIII. 82.

Messias in lege promissus jam venit IX. 71. estque Christus Dominus IX. 102.

Metanea quid sit XII. 6.

Metus an semper causet involuntarium XII. 112.

Metus gehennæ an pro omnibus casibus excludat voluntatem peccandi XII. 117. & seq. an sit motivum supernaturale XII. 121.

Minor quis dicatur VIII. 191.

Miraculum deturpativum naturæ quid sit, & an sit possibile IX. 54.

Modus acquirendi dominium quid sit VIII. 260. est duplex naturalis, & civilis VIII. 260. naturales modi qui sint VIII. 260. civiles qui sint VIII. 260.

Moribundus tenetur elicere actus virtutum Theologicarum XII. 143. non est ei absolute necessaria confessio oris XII. 557. si det signa dubia, debet absolvi sub conditione XII. 558. an necessarium sit, ut testes in præsentia moribundi testentur confessario, quod moribundus ipsum petierit XII. 559. sufficit testis unus XII. 560. etiam tantum mediatus XII. 561.

Mundus sine creatura rationali an sit possibilis IX. 54.

Mytheria fidei olim infidelibus fuerunt occultata X. 5. & XI. 56.

N.

Nativitas quid sit VIII. 261. & quid discrimine quo;

quoad dominium inter nativitatem hominis, & animalis irrationalis VIII. 261.

Natura quid sit IX. 139. quomodo differat, & distinguatur à persona IX. 143. cur natura humana non possit naturæ Divinæ uniri in unitatem naturæ IX. 171. & seq. an duæ naturæ completæ possint unâ substantiâ creatâ terminari, aut uniri in unitatem naturæ IX. 182.

Necessitas antecedens, & consequens, metaphysica, physica, & moralis quid sit IX. 38. respectu Dei omnis necessitas vel est metaphysica, vel nulla IX. 38. & 42.

Necessarium necessitate mediæ, & necessarium necessitate præcepti quid sit XI. 309.

Negatio potest suppleri ab ente positivo, & vicissim IX. 173.

Negotiorum gestor utilis quis sit VIII. 524.

Nepotismus abrogatus ab Innocentio XII. VIII. 163.

Notorium quid sit VIII. 758.

Novatiani hæresis quæ fuerit XII. 226.

O.

Obedientiæ actus an possit dari sine præcepto IX. 437. & 440.

Objectum virtutis, aliud materiale, aliud formale, & istud vel formale quod, vel formale quod VIII. 65. & quomodo ista inter se differant XII. 60. quid sit ea attingi XII. 60.

Obligatio naturalis quomodo defumenda ex sensu communi antecedente omnem eventum VIII. 702.

Obligatio naturalis quomodo defumenda ex sensu communi antecedente omnem eventum VIII. 702.

Obligatio naturalis quomodo defumenda ex sensu communi antecedente omnem eventum VIII. 702.

Obligatio naturalis quomodo defumenda ex sensu communi antecedente omnem eventum VIII. 702.

Obligatio naturalis quomodo defumenda ex sensu communi antecedente omnem eventum VIII. 702.

Obligatio naturalis quomodo defumenda ex sensu communi antecedente omnem eventum VIII. 702.

Obligatio naturalis quomodo defumenda ex sensu communi antecedente omnem eventum VIII. 702.

Obligatio naturalis quomodo defumenda ex sensu communi antecedente omnem eventum VIII. 702.

Obligatio naturalis quomodo defumenda ex sensu communi antecedente omnem eventum VIII. 702.

Obligatio naturalis quomodo defumenda ex sensu communi antecedente omnem eventum VIII. 702.

Obligatio naturalis quomodo defumenda ex sensu communi antecedente omnem eventum VIII. 702.

Obligatio naturalis quomodo defumenda ex sensu communi antecedente omnem eventum VIII. 702.

Obligatio naturalis quomodo defumenda ex sensu communi antecedente omnem eventum VIII. 702.

Obligatio naturalis quomodo defumenda ex sensu communi antecedente omnem eventum VIII. 702.

Obligatio naturalis quomodo defumenda ex sensu communi antecedente omnem eventum VIII. 702.

Obligatio naturalis quomodo defumenda ex sensu communi antecedente omnem eventum VIII. 702.

Obligatio naturalis quomodo defumenda ex sensu communi antecedente omnem eventum VIII. 702.

Obligatio naturalis quomodo defumenda ex sensu communi antecedente omnem eventum VIII. 702.

Obligatio naturalis quomodo defumenda ex sensu communi antecedente omnem eventum VIII. 702.

Obligatio naturalis quomodo defumenda ex sensu communi antecedente omnem eventum VIII. 702.

Obligatio naturalis quomodo defumenda ex sensu communi antecedente omnem eventum VIII. 702.

Obligatio naturalis quomodo defumenda ex sensu communi antecedente omnem eventum VIII. 702.

quàm poenæ inferni. XII. 255. & seq.

Peccata fidelium an sint etiam illa, quæ in ipsi baptismi susceptione committuntur X. 374. & 386. & XII. 623. sunt quoad numerum, & speciem materia necessaria confessionis, etiam occulta. XII. 618.

Peccata negativè dubia debent in confessione exponi. XII. 670. sive dubitetur, an peccatum sit commissum, sive an fuerit mortale, sive an jam sit aliquando expositum. XII. 670. item si dubitetur de numero, debet hic exponi sub dubio per particulas circa circiter XII. 682. quid hæc particula significant XII. 738. peccata positivè dubia an debeant exponi XII. 697. & seq. an debeat iterum exponi peccatum, quod jam expositum est ut dubium, si postea innovetur ut certum XII. 723. & seq.

Peccatum veniale non est per se materia necessaria confessionis XII. 618. quanvis possit utiliter in confessione exponi, uti & peccatum grave jam semel ritè expositum. XII. 618. an peccata venialia aliquando necessariò debeant exponere. XII. 715. an aliquando possint æternum puniri. V. 101. & XII. 382. an possit homo iustus pro peccato veniali condignè satisfacere. IX. 324.

Peccatum veniale non remittitur per gratiam XII. 389. quando remittitur virtute clavium, XII. 316. & seq. an quilibet actus bonus peccato veniali oppositus illud delectat. XII. 316. & seq. quomodo delectat in eo, qui subito moritur ante elicium dolorem. XII. 322.

Peccatum veniale non est essentia Dei strictè dicta IX. 325. & 343. ac seq. an sit majus malum, quam gloria æterna est bonum. IX. 342. an sit strictè contra legem. V. 106. & seq.

Peccatum originale an sit gravius, vel levius peccato actuali. XII. 252.

Peccatum remitti directè, vel indirectè quid sit. XII. 540. peccata semel remissa non redeunt simpliciter per relapsum. XII. 366. possunt tamen redire secundum quid XII. 370. an saltem de absoluta potentia Dei possent simpliciter redire XII. 383. peccatum essentialiter irremissibile absolute implicat. XII. 331. & 342. & etiam peccatum essentialiter impunibile. V. 9. in hac providentia non potest remitti unum peccatum grave sine altero. XII. 336. potest tamen in alia providentia seu de absoluta potentia id fieri. XII. 387. an peccatum possit remitti in instanti, quo fit. XII. 288. an per annihilationem peccatoris destrueretur peccatum. XII. 380. quid sit peccatum ad mortem. XII. 338. & 339.

Permixtio quid sit. VIII. 266. & quid specialiter statutum de pecunia permixta. VIII. 266.

Persona quid sit. IX. 139. quomodo debeat esse incommunicabilis. IX. 151. sola secunda persona, seu Verbum est incarnatum. IX. 203. estque unitum humanitati secundum personalitatem, non secundum naturam. IX. 205. quare potius Filius, quam Pater, aut Spiritus S. sit incarnatus IX. 206.

Personalitas quid sit. IX. 141. Christus non habet personalitatem humanam. IX. 145. & 146.

Pignus quid sit. VIII. 93.

Pignus gratiæ quid sit. X. 12. & quomodo sacramenta sint pignora gratiæ. X. 12. & seq.

Piscatio se habet ut venatio ferarum VIII. 283. an in stagnis piscans sit ferus VIII. 283. an piscis sint fructus lacuum VIII. 298.

Plantatio quid sit VIII. 269. & quid circa eam juris VIII. 269.

Pœnitentia in genere quid significet XII. 2. Pœnitentia supernaturalis quid sit XII. 2. hæc est simpliciter virtus XII. 4. an in Scripturis per peccatum

nitentiam intelligatur tantum respicientia XII. 6. pœnitentia essentialiter sumpta non tantum dicit dolorem sed etiam detestationem peccati, & propositum deinceps non peccandi XII. 29. actus pœnitentiæ an constituatur ex peccato XII. 14. & 15.

Pœnitentia vera delet omnia peccata XII. 327. nec est possibile peccatum essentialiter irremissibile XII. 331. & 342.

Pœnitentia est lapsus, in hac providentia, necessaria necessitate mediæ XII. 384. quid sit, esse necessarium necessitate mediæ XII. 385. & quidem est necessaria pœnitentia universalis XII. 336. quæ non esset necessaria in alia providentia XII. 387. imò nulla esset absolute necessaria XII. 388.

Pœnitentia est lapsus etiam necessaria necessitate præcepti XII. 400. an hoc præceptum sit naturale, vel positivum XII. 402. præceptum hoc non obligat sub gravi statim post peccatum XII. 410. neque iugalis Dominicus, aut festis XII. 413. neque toties, quoties quis recordatur peccatorum XII. 414. obligat autem per se in articulo mortis XII. 415. & etiam ante ipsum XII. 416. & probabilis saltem semel singulis annis XII. 418. insuper obligat sæpius per accidens XII. 419. an qui differt pœnitentiam, hoc ipso se constituit in occasione proxima novorum peccatorum, adeoque peccet XII. 437. & seq.

Pœnitentia specialis variè accipitur XII. 34. & seq. quænam in sensu strictiore sit pœnitentia specialis XII. 33. & 39. motivum pœnitentiæ specialis quomodo sit dolorosum XII. 55. pœnitentia specialis est virtus moralis, non Theologica XII. 60. quomodo possit agere ad compensandum peccatum jam remissum XII. 79.

Pœnitentiæ specialis habitus non est realiter distinctus ab omnibus aliis XII. 45. sed probabiliter identificatus cum habitu iustitiæ XII. 47. & non religionis XII. 65. quomodo datur, vel non reddat æquale XII. 67. recipitur in anima, seu in voluntate XII. 20. potest dari in omnibus creaturis rationalibus, si sumatur realiter XII. 21. si autem sumatur formaliter, seu in ordine ad actum retractivum, non potest dari in Christo XII. 22. nec in Beatis, qui nunquam peccaverunt XII. 24. nec datus fuit in Angelis XII. 27. datur tamen in hominibus viatoribus, etsi nunquam peccaverint XII. 24. etiam in B. Virgine XII. 28. an eum habuerit Adamus in statu innocentie, est incertum XII. 26.

Pœnitentiæ specialis objectum materiale fugæ est multiplex XII. 69. & 70. non tamen sunt peccata aliena XII. 75. nec peccatum originale XII. 76. nec peccata tantum materialia XII. 76. etiam objectum materiale prosecutionis est multiplex XII. 77. etiam carentia peccati XII. 77. & 84.

Pœnitentiæ sacramentum quomodo denuntietur XII. 444. quinam hæretici illud negaverint XII. 443. est verè sacramentum ut docet Tridentinum XII. 443. & evincit ratio XII. 445. estque sacramentum distinctum à sacramento baptismi XII. 450. institutum ad remittenda peccata XII. 446. & quidem à Christo Domino post resurrectionem XII. 448. & non primùm ab Innocentio III. Papa XII. 455. quæ præfcriptur figuræ huius sacramenti in antiquo testamento XII. 453.

Pœnitentiæ sacramenti quæ sint partes essentielles XII. 463. quæ integrales XII. 464. an hoc sacramentum etiam aliquando constituatur ex dolore de peccatis ante baptismum commissis XII. 485. non constituitur ex sola absolutione XII. 47. an possit esse validum, & informe XII. 469. & seq.

Pœnitentiæ minister debet esse sacerdos XII. 757.

debet insuper habere jurisdictionem XII. 758. & approbationem ab Episcopo XII. 759. quid sit jurisdictionis XII. 758. quid approbatio XII. 759. an potestas jurisdictionis, & potestas ordinis distinguantur, & jurisdictionis iam conferatur in ordinatione XII. 762. an & quo iure quilibet sacerdos possit absolvere quemlibet in articulo mortis, vel à solis venialibus XII. 764. minister pœnitentiæ debet etiam habere scientiam XII. 760. & requiritur major ad licitè, quam tantum ad validè audiendas confessiones XII. 760.

Pœnitentia sacramentalis vide, Satisfactio sacramentalis.

Pollicitatio quid sit VIII. 473.

Possessio alia est improprie dicta, seu detentio rei nomine alieno VIII. 411. alia proprie talis, & quomodo hæc definiatur VIII. 407. alia est facti, alia juris VIII. 409. naturalis, civilis, & naturalis, ac civilis simul VIII. 409. qualis requiritur ad prescriptionem VIII. 411. quomodo amittatur possessio civilis VIII. 422.

Possessor bonæ fidei, quamprimùm advenit, rem esse alienam, debet eam restituere domino VIII. 588. & si rem non amplius formaliter habeat, debet restituere, quantum factus est ditior VIII. 589. si eam durante bonâ fide consumpsit, ut non sit factus ditior, ad nullam restitutionem tenetur VIII. 590. si autem consumpsit rem, quando jam bona fides per supervenientem notitiam sublata fuerat, tenetur ad restitutionem. VIII. 591.

Possessor bonæ fidei, dum rem restituit, potest detrudere expensas necessarias domino VIII. 675. quando possit etiam detrudere expensas utiles VIII. 677. voluptarias VIII. 679. & seq. an etiam expensas in fructus factas. VIII. 681.

Possessor malæ fidei debet restituere rem, & fructus omnes, tam extantes, quam consumptos VIII. 630. etsi dominus eos non percepisset VIII. 631. item eos, quos dominus percepisset, quamvis ipse eos non percepisset VIII. 631. non tamen eos, quos dominus tantum percipere potuisset, non autem percepturus fuisset VIII. 634. an debeat etiam restituere rem, si apud ipsum perit, & etiam apud dominum periisset VIII. 639. & seq.

Possessor malæ fidei potest ex restitutione detrudere expensas necessarias domino VIII. 675. an possit ante sententiam etiam detrudere expensas utiles VIII. 678. item voluptarias auferibiles salva re VIII. 679. quid possit, si non sint auferibiles VIII. 679. & seq. an possit repetere expensas factas jam omnium restitutione VIII. 682.

Possessor dubius, seu dubitans, an res sit sua, debet diligenter inquirere. VIII. 667. si non inquirat, debet, si postea rescitur res fuisse aliena, restituere rem, & omnes etiam fructus consumptos, licet non sit factus ditior VIII. 668. an talis dubitans possit rem alienare VIII. 669. quid debeat restituere, qui rem contempnit, quam aliquamdiu bona, aliquamdiu mala, seu practicè dubia fide; e. g. ob omisam inquisitionem, possedit, si postea rescitur ea res fuisse alterius VIII. 672.

Potentia obediencialis quid sit X. 157. an detur in qualibet creatura X. 158. an sit supernaturalis, an naturalis X. 161. & seq.

Potentia legitima collata à lege quid sit. VIII. 35. Potestas patria, seu jus paternum quid sit VIII. 191. qui ejus effectus VIII. 194.

Praxis quando videatur esse recepta sub obligatione XII. 696.

Præceptum, & consilium superioris quomodo differant IX. 434. an præcepto satisfiat sine in-

Satisfactio condigna pro peccato mortali non potest præstari Deo à pura creatura IX. 317. neque nomine Christi IX. 333. neque ut à membro Christi IX. 334. neque potest pura creatura mereri de condigno remissionem peccati mortalis IX. 320. quamvis possit mereri de congruo remissionem peccati mortalis IX. 322. quomodo tamen iustificemur gratis IX. 341. potest homo iustus condignè satisfacere pro peccato veniali IX. 324.

Satisfactio sacramentalis, aut pœnitentia debet per se post confessionem aliqua imponi XII. 739. accommodata tamen statui pœnitentis XII. 740. & pœnitens per se tenetur eam acceptare XII. 742. estque utraque hæc obligatio ex genere suo gravis XII. 743. hinc à pœnitente debet sub gravi impleri pœnitentia gravis, non tamen levis XII. 744. nec potest substitui alius, qui pœnitentiam impleat XII. 744. satisfactio ex opere operato remittit aliquam pœnam temporalem XII. 745. & probabiliter etiam ex opere operato causat aliquam gratiam XII. 747. satisfactionem, seu pœnitentiam implere in statu peccati an sit peccatum XI. 755.

Schevet quid significet IX. 94.

Scientia visionis beatificæ, scientia per se, & per accidens infusa, item acquisita, & experimentalis quid sint IX. 540. & 544.

Servitus strictè dicta quæ sit VIII. 189. unde orta VIII. 190. quale jus in servos habeat dominus VIII. 190. quomodo servus aliquid sibi acquirere possit VIII. 190. apud nos non dantur servi strictè dicti VIII. 189. quid sint servi originarii, vel adscriptitii VIII. 189. servitus erga Deum, & servitus erga hominem quomodo differant IX. 397.

Servitus, quæ datur in rebus, quid sit VIII. 90. alia est urbana, alia rustica VIII. 90. urbanæ servitutes quæ sint VIII. 91. & quæ rusticæ VIII. 92.

Sigillum confessionis quid sit XII. 765. ad quid obliget XII. 765. non datur in eo parvitas materiæ XII. 765. impositum est iure Divino positivo XII. 766. quid cadat sub sigillum XII. 768. an possit quis uti scientiâ ex confessionibus hausta XII. 769. quænam personæ teneantur ad sigillum XII. 768.

Signum naturale gratiæ an sit possibile X. 11.

Signa naturæ priora, & posteriora quid sint VII. 115.

Simplicius Papa erexit beneficia Clericalia VII. 124.

Simulatio administrationis sacramentorum quid sit, & an licita XII. 325.

Species, aut accidentia panis, & vini quid sint XI. 235. non possunt per species intelligi sensationes XI. 256. neque corpuscula superficialia, aut in poris panis latentia XI. 261. neque corpuscula ipsius corporis Christi XI. 263. quamdiu maneat Christus sub speciebus XI. 252. an maneat etiam sub particulis insensibilibus specierum X. 30. & XI. 109. duæ species in una communione sumptæ non plus causant gratiæ quam una XI. 295. neque Patres in Tridentino, neque Clemens VI. aliter sentit XI. 299. & 301.

Specificatio quid sit, & quid circa eam notandum VIII. 264.

Stephanus VII. quomodo Formosum Papam, eiusque ordinationes damnaverit X. 223.

Subsistentia quid sit IX. 141. Divina est aliquid positivum IX. 143. creata non est aliquid positivum IX. 147. quid Patres præcipue definiaverint contra Nestorianum IX. 148. & seq. item 160. & seq. subsistens quid sit IX. 139. substi-

tere, vel per se existere quid sit IX. 151. Substantia prima, & secunda quid sint IX. 207. Superficies quid sit VIII. 90. Supernaturale theologicè tale an possit dari in damnatis IX. 23. Supernaturalis substantia ut quod, vel ut quo an sit possibilis IX. 206. Suppositalitas quid sit IX. 141. Suppositum quid sit IX. 139. Suspicio temeraria quid sit VIII. 765. ordinariè non est peccatum mortale VIII. 767.

T.

Theandricæ operationes quæ dicantur IX. 538. Theaurus quid sit VIII. 303. inventus in fundo proprio est inventoris VIII. 304. inventus casu in alieno quoad dimidium est inventoris, & quoad alterum dimidium est domini fundi VIII. 304. studio quæsitus scilicet domino, & inventus in alieno est dimidius domini ante sententiam, & post sententiam totus ipsius VIII. 305. studio quæsitus sciente domino est dividendus secundum partem VIII. 306. quæsitus mediis illicitis quoad dimidiam partem, quæ cederet inventorii, post sententiam applicandus est sicco VIII. 307. an dominus fundi in ordine ad thesauros intelligatur dominus directus, an usufructuarius VIII. 308. & seq. thesaurus inventus in publico cuius sit VIII. 311. quis sit locus publicus VIII. 311. inventus in loco sacro cuius sit VIII. 312. quis locus sit sacer, aut religiosus VIII. 312. an non omnes thesauri spectent ad principem VIII. 314. an sciens latere thesaurum in agro possit eum emere communi pretio VIII. 315. & seq. si inveniatur thesaurus in agro vendito, sed necdum tradito, cui debeatur dimidia pars tanquam domino VIII. 18.

Timor mundanus quis sit XII. 101.

Titulus quid sit VIII. 412. translatus domini, & non translatus VIII. 412. verus non verus, & hic vel coloratus, vel existimatus, vel presumptus VIII. 413. aliquis requiritur ad præscriptionem VIII. 414. quis sufficiat VIII. 415. & seq. quando titulus etiam in præscriptione 30 vel 40 annorum non præsumatur VIII. 417. quando præsumptus non sufficiat VIII. 418. & quid circa servitutes notandum quoad titulum VIII. 418. quinam tituli à iure in ordine ad præscriptionem sint assignati VIII. 419. & quomodo intelligendi VIII. 419. & seq.

Traditio quid sit, & quando, ac quomodo requiratur VIII. 270. & 271.

Transubstantiatio est vox ab Ecclesia merè adhibita XI. 66.

V.

Venatio quid sit VIII. 272. potuit à principibus sibi solis vendicari VIII. 276. & quibus ex causis VIII. 277. specialiter est prohibita Clericis ac Religiosis, & qualis VIII. 279.

Venator sit dominus feræ etiam, quando eam capit in loco prohibito VIII. 280. nec tenetur ante sententiam feram restituere VIII. 281. sed ad summum debet jus venandi læsum reparare VIII. 281. & 282.

Verbum Divinum non est pars Christi IX. 8. non est conversum in carnem IX. 31. assumptum non subsistentiam, sed naturam humanam, eamque totam IX. 216. non autem assumptum strictè loquendo hominem IX. 144. item assumptum sanguinem IX. 217. & tres reliquos humores IX.

IX. 220. capillos, dentes, ungues &c. IX. 221. non autem immediatè accidentia IX. 222. assumptum autem omnia simul IX. 223. quo in sensu sit verum illud: Quod Verbum semel assumptum, nunquam dimittit IX. 201. & 232.

Verbum an defacto habeat unitum sanguinem IX. 225. & 226. an etiam in passione Christi manserit Verbo unitus sanguis effusus. IX. 227. & seq. an omnis sanguis manserit unitus IX. 229. & seq.

Verbum potuisset etiam assumere naturam Angelicam IX. 235. item potuisset absolutè assumere naturam, quæ prius peccasset IX. 236. an tunc potuisset dici: Deus peccavit IX. 242. Verbum potuisset etiam habere matrem peccatricem IX. 240. potuisset etiam assumere naturam irrationalem IX. 237. quælibet persona Divina potuisset assumere naturam humanam IX. 238. & quidem una persona potuisset assumere plures humanitates IX. 238. & plures personæ etiam unam humanitatem, vel naturam IX. 239. an tunc darentur plures homines, vel tantum unus IX. 247. si Pater, & Spiritus S. incarnarentur, essent filii SS. Trinitatis IX. 636.

Verecundia an sit virtus XII. 7.

B. Virgo ex quo titulo sit mater Dei IX. 181. eius gratia in instanti mortis fuit ineffabiliter intensa IX. 608. & seq. merita est, non quidem de condigno, sed tamen de congruo circumstantias incarnationis IX. 520. & 523. merita etiam est de congruo, ut esset mater Dei IX. 522. an influxerit in unionem hypostaticam IX. 527.

Virtus in genere quid sit XII. 5. quomodo sit dispositio ad optimum XI. 8. an una sit opposita alteri XII. 95. an quælibet debeat posse esse in subiecto consummatæ virtutis XI. 11. virtus quælibet potest elicere actum alicujus pœnitentiæ XII. 31. alia universalem, alia tantum specialem, seu particularem XI. 32. & 33. Virtutes morales quo in sensu habeant medium

XII. 62. quomodo inter se distinguantur XII. 41. & seq. & VII. 26.

Vis vi licitè repellitur. VIII. 237.

Vitio beatifica quomodo sit immutabilis IX. 570. non potest stare cum iudicio indifferente necessario ad peccandum IX. 417. & 414. & seq. vitio beatifica Christi fuit perfectior, quam omnium aliorum Beatorum visiones simul sumptæ IX. 559. an visio beatifica Christi fuerit directiva actuum liberorum ejusdem IX. 561.

Vita erepta, vel membra abscissa in se non debent compensari VIII. 731.

Unio hypostatica unde sic dicta IX. 183. non est tantum unio moralis, sed physica IX. 183. realiter distincta ab extremis IX. 184. estque entitas modalis IX. 185. distincta ab actione productiva humanitatis Christi IX. 188. item ab unione inter corpus, & animam IX. 189. est entitas supernaturalis IX. 190. unica, sed divisibilis IX. 191. datur etiam aliqua unio hypostatica, vi cuius unitur Verbo unio inter corpus, & animam IX. 192.

Unio hypostatica quomodo sit intrinseca Verbo IX. 6. ejus causa principalis est tota SS. Trinitas IX. 193. instrumentalis potuit esse B. Virgo IX. 194. non dependebat à libertate Christi IX. 421. & necessariò post se trahebat visionem beatificam IX. 422. & seq. non cadit sub meritum de congruo IX. 488.

Unio hypostatica Verbi cum humanitate est sanctitas ut quod IX. 588. an etiam esset sanctitas unio hypostatica Verbi cum natura irrationali. IX. 597.

Voluntas humana Christi non fuit contraria voluntati Divinæ IX. 337.

Ufuræ acceptæ non possunt retineri, sed debent applicari pauperibus VII. 334.

Ufus facti quid sit VIII. 89. an sit separabilis ab usu juris VIII. 179. & seq.

Ufus juris quid sit. VIII. 89.

Ulius fructus quid sit. VIII. 87.

Uxor quid possit expendere in elemosynas, vel alios usus VIII. 188.

